UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Q. Horatii Flacci Opera Omnia, A Pet. Gvalt. Chabotio Viro In Omni Literatvra Perfectissimo, Admiranda Ingenij & Iudicij dexteritate, eruditionis varietate, & linguarum elegantia, triplici artificio ...

Horatius Flaccus, Quintus

Basileae, 1615

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1488

Visual Library

D 2
243

56 A

Ellerum

Der Gymnasial-Bibliothek gehörig.
Erhalten den 4. Juny 1833. Dr. He.

D 2
17243

Gymnasio Elberfeldano
huncce Horatium in memoriam sui dono dat
Augustus Rauschenbusch Altenaensis
MDCCCXXXIII.

Κτῆμα
Joh. Hildebr. Withofii
Anno CIↃIↃCCLIV.
Symbolum
Mundus regitur opinionibus.

Q. HORATII FLACCI OPERA OMNIA,

A PET. GVALT. CHABOTIO VIRO IN OMNI LITERATVRA PERFECTISSIMO,

Admiranda Ingenij & Iudicij dexteritate, eruditionis varietate, & linguarum elegantia, triplici artificio explicata.

Nunc verò

A I. IAC. GRASSERO C. ROM. ex ipsius Chabotij Lucubrationibus manuscriptis, tantopere aucta, emendata, & illustrata,

Vt nihil Commentarij amplius à quoquam desiderari possit.

Accessit Index Rerum & Verborum copiosissimus.

BASILEAE,
Apud LVDOVICVM REGIVM.

M. D. CXV.

PET. GVALTERII CHABOTII

PRAEFATIO

AD CANDIDVM LECTOREM, DE GENERE INTERPRETATIONIS, QVOD EST HIC

Διὰ τῆς τριλεχρίας αὐτῆς τῇ καλλιλεχρίᾳ sequutus.

MAgnum equidem opus & arduum tibi conari iam nunc ἐν ταύτῃς ἐπιχαφῇς videor, candide Lector, sed nihil difficile studioso clarioris literaturæ putato. Nam ut amantissimus quisq; fuerit cælestis Logicæ, operosæ Grammaticæ, myrothecii Rhetorici, ac deniq; methodi ab bonas disciplinas percipiendum commodioris ita certè multò faciliùs omnem ille superabit difficultatem hæc legendi, quàm ipse deuoraui molestiam eadem meditandi: vnde magna est mihi spes iniecta, consilium nostrum tibi atque cuiuis sic affecto, facilè probatum iri, si modò caussam, quæ nos ad hanc, nostris adolescentibus insolitam, scriptorum enarrationem impulit, amicè beneuoéque acceperis: si diligenter quóque attenderis ad singulas illius rationes: quas ego dum hîc enucleatè tibi paro exponere, breuissimâ trium artium distinctione, simúlque difficultatem atq; methodum operis suscepti ante oculos proponere, te nunc vehementer expeto & deposco, ad eas penitus pernoscendum, animôque tuo signandum & imprimendum, ne tu quidem minimè præmonitus fortassis illarum ignoratione me nimis temerè arrogantérq; fecisse iudices: quòd ego nullius ferè nominis, aut certè perobscuri, præ cæteris interpretibus famæ commendatioris, ausus fuerim hunc Poetam Lyricum τὸν βελτίονος νόμματος, solum inter Latinos suscipere nouo explanationis genere doctrinæ studiosis enarrandum, aliquâque præcipuâ explicatione illustrandum, quum illi in hoc Scriptore declarando, natiuôq; nitori restituendo diu multúmque elaborârint, fructúsq; iam maximi ex ipsorum lucubrationibus passim percepti sint. Itaq; neminem existimes tam ingratum, támque publicæ vtilitatis immemorem & inuidum, qui aufit, nisi peruersâ superiorum commentariorum interpretatione, adducere huiusmodi labores ac vigilias in contemtionem: quæ quidem omnia candidissimus quisque iudex alienæ scripturæ permagni meritissimò facit. Quò etiam libenter ego illud de meo apponam laudis, vt ingenuè ipse profitear, explanatores Lyrici huius Poetæ superiores suis meditationibus atq; scholiis attulisse nobis omnibus plurimum adiumenti ad ipsius intelligentiam. Vnde summam ab omnibus & gratiam & laudem studiis ac vigiliis illorum deberi omnes etiam statuamus: quorum ope & industriâ scriptor Lyrici carminis facilè princeps nobis factus sit illustri ac perpolitâ rerum explicatione, dilucidâque verborum enodatione facilimus ex difficilimo, clarissimus ex obscurissimo: siue tu spectes ibi Grammaticæ rationem, siue complurium locorum castigationem, siue meliorum exemplarium & lectionum delectum atq; discrimen, siue topographiam, historiarum & fabularum narrationem, siue denique sententiarum, phrasiúmq; Latinarum cum Græcis, cæterisq; similibus Latinis comparationem: in quibus penè omnibus nihil, aut certè minimum possit à quoquam desiderari: *ὡς δὴ ἅπερ σὺν πορφύραις ἐπείρῳ πορφύρας καὶ ταῖς Σηρικαῖς καὶ ταῖς βυσσίναις ἐσθῆσι προσυφανθήσεται, ταῦτα μὲν αὖ αὐτὰ ῥᾴστως καὶ διερρωγότος ἱματίου γένοιτο, vt qua splendentibus illorum purpuris, Sericisq; ac Byssinis vestibus attexantur, ea quidem pro vilibus pannis atq; pallio laceratis habeantur.* Quid tu igitur, roget aliquis, aliud magis illustre nunc meditari, ac parare nobis instituis? tantúm ne tribuis viribus ingenii tui, tantum quoq; tibi eruditionis arrogas, vt in tanta perspicuitate, per te confessa & manifesta, lumen aliud studiosis lectoribus clarius præferre possis, atque, quasi lucido soli, fœnorari? Ego verò sic pro natura ingenii mei spondeo, vt nihil istiusmodi in me agnoscam: sed contrà, sentiam me in clarissimum solem inferre lumen mortale, atque adeò à te, Lector, nunc etiam petam, vt hæc non tam docendi, quàm admonendi gratiâ existimes à me solâ vestigiorũ demonstratione contento scripta. Quare non eâ me gloriatione prædicationéq; interpretationis efferri putes, quæ nihil habeat hîc aut obscuritatis aut erroris: quorum certè vtriuslibet satisfactionem propono libenter omnibus è prima quâque aut conscientiæ aut beneuolentiæ cohortatione. Norunt quidem omnes, vel quibus ipse nuper in notitiam venerim, quàm longissimè soleam abesse ab illa magnifica & glorioſa Ionis illius Rhapsodi ostentatione, quem Plato inducit sic loquentem: *Σωκ. τὸν γὰ Ῥάψῳδον ἐρμῆνέα δεῖ τῆ ποιητῆ ἕ διανοίας γίγνεται τοῖς ἀκούσιν, est enim Rhapsodi mentem & consilium poetæ auditoribus interpretari. Ιων. ἀληθῆ λέγεις, ὦ Σώκρατες. ἐμοὶ γ' οὖν τοῦτο πλεῖστον ἔργον παρέχει ἕ τέχνης, καὶ εἶμαι καλλίστα ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου, ὡς ὅτε Μητρόδωρος, ὁ Λαμψακηνὸς, ὅτε Στησίμβροτος ὁ Θάσιος, ὅτε Γλαύκων, ὅτε ἄλλος ὁτιοῦν τῶν πώποτε γενομένων ἐχεν εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου, ὅσας ἐγω. Vera dicis o Socrates & in hac quidem artis parte plurimum elaboraui, arbitrorq; me ita omnium optimè posse scripta Homeri explicare, vt neq; Metrodorus Lampsacenus, neq; St. simbrotus Thasius, neq; Glaucon, neq; alius quisquam ætatis superioris tantâ valuerit dicendi facultate*

& iudicio, quanto ego possim, nihil, inquam, huiusmodi vendito, quin potiùs versum illum à Socrate tam grato animo sæpiùs vsurpatum mihi sumo, ὅτι τοι ἐν μεγάροισι κακὸν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται : hoc quidem Plato scribit in Gorgia de Socrate, quem docet nunquam ita magnificè sensisse de se, quin se tam facilè pateretur ab aliis redargui, quàm ipse soleret eosdem redarguere: sed eam tamen Poetarum enarrationem, quæ solùm subsidio & instrumento vnius Grammaticæ artis tuiciri solet, ὡς ἀνωφελῶς ἐπὶ μόνης ἀγκύρας ὁρμεῖν τοῖς πολλοῖς δοκεῖ, *instar nauis, anchorâ vnâ & vulgari fundari multùs videtur* vnà, cum plerisq; aliis conqueror. Neq; tamen dubitandum, ac multò minus desperandum puto, aliquid illis, quæ iam priùs dicta sunt, melius posse reperiri: vt sua est cuiq; rei per ætates, veluti per gradus quosdam, cruditatis concoquendæ progressio ad maturitatem. Atq; præterea cum iisdem expostulantibus studiosè ad eandem requiro simul coniunctas Dialecticæ & Rhetoricæ elocutionis anchoras: vt hæc vtraque ars constantiùs ac firmiùs cum illa connitatur ad quamlibet scripturam perspicuè ac fideliter enodandum & explicandum: quarum quidem trium necessariò adhibenda est præcursio ad id magnis discentium commodis efficiendum, quemadmodum hæ tres artes nomine huiusmodi consensionis ὀργανικά τε καὶ καθολικὰ λέγονται τέχναι, πάσῃ τῇ σοφίᾳ ὑπηρέτουσαι, *quòd illæ sint vniuersales administræ omnis sapientiæ*, instrumentáque communiter ad quiduis prudenter cogitandum, loquendum, dicendum, scribendum, docendum, ac deniq; luculenter explanandum attinentia. Itaq; Organum Aristotelis logicum, quia in ipso multum inesse præsidii creditum est ad omnium disciplinarum cognitionem, cognominatum existimamus χεῖρα βασιλικὸς ὑπερμήκη, *immensam Regiã*, id est, mentis diuinæ *manum* : ὁδὲν γὰρ αὐτῆς ταχύτερον, ὡς διὰ παντὸς βραχεῖ μορίῳ χρόνου τρέχουσης, *nihil enim ipsâ est celerius, vt quæ paulo momento percurrat vniuersitatem.* Thales dicebat, quanquam in organo permulta cum legib. methodi pugnantia, permulta ex aliis disciplinis permista cum Dialecticis, &, vt de reliquis nunc taceam, Grammatica ibidem confusa videantur. Illic enim symbola & signa sensorum confundi videas cum imagine ac similitudine rerum mente conceptarum, id est cum notionibus naturæ & rationis: quum vnius sit Grammaticæ, proprietates vocum; quas Grammatici nominant earundem adsignificationes, accidentia, fines, genera, casus, gradus, personas, tempora aut simpliciter tractare, aut coniunctim structuram earundem congruenter collocare: Dialecticæ contrà vim & naturam rerum è vocibus erutam docere ad aliquid vel simpliciter, vel coniunctè pronunciandum & arguendum. Hoc autem vtriusq; discrimen facilè dignoscas è Phauorino Philosopho apud Agellium lib. 4. cap. 1. qui quum audisset glorioſum quendã Grammaticum nimis otiosè sibi placentem in differendo de generibus & casibus vocabulorum, vt verbi gratiâ, de variis generibus huius vocis *penus*, quod modò hoc, modò hæc *penus* dictaretur: variè quoq; declinaretur, nunc peni, nunc peneris, nunc penoris, his nugalibus scholasticis placidè interceſſit, quid refert meâ, inquit, eiusque quicum loquor, quo genere penum dicam, aut in quas extremas literas declinem, si nemo id barbarè fecerit? Sed planè indigeo addiscere, quid sit penus & quo sensu id vocabulum dicatur, ne rem quotidiani vsus aliâ, quàm oportet, voce appellem. Eam ob rem Plato in Cratylo τὸ ὄνομα censet dici παρὰ τὸ μαίεσθαι τὸ ὄν, *ab inquisitione quid sit, quod proponitur*: id est, quæ sit ipsius vis & natura: quomodo Festus etiam τὸ *nomen* ἐτυμολογεῖ, quòd rem nobis faciat notam, cui imponitur, quasi nouimen diceretur. Sed hìc fortassis dicet aliquis, in hac artium distinctione, quam tu ab aliis tam studiosè requiris, tu parum fuisti cautus & prouidus, qui passim veriloquia vocabulorum inserueris classi rerum Grammaticarum, non Dialecticarum. Fateor equidem in hac differentia etymologiæ Grammaticæ & Logicæ notationis diu hæsisse ac dubitasse, vtri verborum origines ordini adscriberem. Posteà verò quàm animaduerti, omnes illas voces, quarum inclinamenta pro virib. ac modulo eruditionis notaui, non eò fuisse à nostro Poeta versibus suis adhibitas, vt τὸν λόγον ὀνομαστῶδη, ad aliquid probandum aperirent; tum certè in animo sic cœpi habere statutum ac deliberatum, de illis omnibus, vnáque aliquot aliis Græcis, quæ mihi inter enarrationem succurrerent, in classem Grammaticorum, tanquam in apothecam mercium variarum, remittendis, more vocabularii etymologici: neque eò me vocauit auctoritas Chrysippi, qui τὴν λογικὴν περὶ τὰ σημαίνοντα καὶ τὰ σημαινόμενα τυγχάνειν ἔσαν putârit, *Logicam in vocabulis significantibus & rebus per ipsa significatis versari*: hac certè Phauorini distinctione nitimur in præsenti disputatione. Quòd si fortè Grammaticus vim vocum significantium considerat, non id quidem propter se facit, sed propter Dialecticum, res nominibus aptis solum nuncupandi auctorem, & quasi ὀνομαθέτορα, qui, ὡς ταξίαρχος τῶν λέξεων Dialectici, subseruiat ad veri inuestigationem, cuius est Dialecticus indagator, sicut ars ipsa disserendi videtur eatenus verborum indagatrix, quatenus ea considerat, vt quid iam arguentia. Neque tamen, dum ego hæc asſero, ignarus sum Grammaticæ à Fabio Quint. & ab aliis vetustioribus distributæ εἰς τὴν μεθοδικὴν, καὶ τὴν ἱστορικὴν, καὶ εἰς τὴν διαιρετέαν ἢ κριτικήν: quarum prima viam & rationem tradit benè loquendi, altera Poetas enarrandi, postrema denique de omni genere scriptionis præcipuè iudicandi: quæ duæ profectò Grammaticæ posteriores partes quum nequeant tale munus obire, nisi subsidia sibi, tanquam à militibus triariis in extremo rerum discrimine, comparent à Rhetorica eloquutione, differendi facultate, cæterísque disciplinis in enodandis rationum & argumentorum laqueis; sanè perspicuum est, illas necesse Grammaticæ partes, nec fieri posse: quæ cogantur aliunde, atque à propria facultate, subsidium petere ad mandatum ipsis munus probè ac prudenter exsequendum. Quare, vt hæc προκαταληπτικῶς dicta sint, hoc tandem aliquando à doctis Interpretibus ego, sicut plerique alii, iusta de causſa requirere viderer, vt, quemadmodum Grammatici in exercitatione artis suæ primùm diligenter à discentibus reposcunt proprietatem singularum vocum in etymologia, adsignificationúmque & finium, eadémq; operâ prosodiam literarum, syllabarum, dictionum in sono, quantitate, accentu: deinde syntaxin coniunctarum in conuenientia & rectione, atque interpunctionibus orationis : sic Rhetores discipulos suos exerceant, excolántque reddendis sibi partibus Rhetoricæ eloquutionis in tropis, numeris ac figuris, tam dictionis quàm sententiæ: item in obseruandis partibus pronunciationis, voce ac gestu, quibus antè omnibus illos instituerunt ad quiduis ornatè eloquendum, & aptè, decentérque pronunciandum: sic quoq; Dialectici propositum facti iam operis exemplum ad leges Dialecticæ examinent: quæstionem auctoris subducant: ad huius explanationem assiduos se exactores inuentionis Dialecticæ, in singulis argumentorum categoriis per se considerandis, præbeant, & quomodo inter se afficiantur & quod arguit & quod arguitur: pari industriâ veritatem iudicii ἀξιωματικῶς καὶ διαγνωστικῶς exquirant: iidem curent postremò, vt discipuli opus aliquòd faciant simili stylo & oratione, vt quod Aristoteles præcipit, τῶν ὄντων τὰ μὲν καθ' ὑπο-

apud Laertium.

μεμένῃ τινος λέγεται, οὐ ὑποκειμένῳ δὲ ἁλονὶ, ἐστὶν, id faciliùs meliúsq; veris ac viuis eloquentium virorum exemplis intelligatur, quàm ex alphabeticis & fictis notis magistellorum: in quo, vt de partibus aliis Philosophiæ, mecum facit noster Poeta,

Epistola 2. lib. 1.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
Qui quid sit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi:
Plenius ac meliùs Chrysippo & Crantore dicit.

Sic quoq; Aristoteles in auctoritate testimonii bono Poetæ tribuenda, εἰς δὲ σαφήνειαν παραδείγματα καὶ παραβολὰς οἰητέον. Παραδείγματα δὲ οἰκεῖα καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν, οἷα Ὁμήρου, μὴ οἷα Χοιρίλου· ἕτω γὰρ ἂν σαφέστερον ἔτι τὸ προτεινόμενον. *Lib. 8. Top.* *dilucidam autem & perspicuam argumentationem facere solent exempla & rerum comparationes. Illa verò propria & ad rem accommodata esse debent, vt hæc ex illis intelligantur: qualia sunt ea, quæ ex libris Homeri, non quæ ex vilibus poematis Chœrili* (ex qua vilitate creditur nomen inuenisse: Χοίριλος γὰρ ἐτυμολογεῖται ὑποπορευτικῶς ἐκ τοῦ χοίρου, *à porco*, quasi immundus, esset porcellus) *depromta scimus: ita enim multò clarius ac planius fiet, quod audituris proponitur.* Ex his sanè perspicimus, quanti facienda sit insignium Poetarum scriptura, non solùm ab artium scriptoribus, sed ab historicis etiam, oratoribus, philosophis, ac deniq; à reliquis omnibus aliquid scripto mandantibus ad posteritatem iuuandam: quod certè consilium vtinam auctor ipse in Organo apertiùs, perspicuéq; magis instruendo, vt hîc oratione, sic re & opere sequutus fuisset! tum certè multiplex illa Dialecticæ vtilitas, quam nobis proposuit lib. 1. cap. 2. Topic. feliciùs exstitisset. Vtinam quoq; principes prisci seculi Rhetores idem μεθοδικῶς præstitissent! sic enim omnes vias intercluisissent tot posteris Philosophis & Rhetorib. ad faciliorem differendi & dicendi rationem per infinita compendia, ne dicam dispendia, iuuentuti tradendam, quæ se, vt plurimum, parùm vtiliter totam quotannis solet in iis percipiendis collocare, maximéq; exercere scholasticis disputationibus: vnde Isocrates epistolâ 5. ad Alexandrum, ὡς διαστρωννὺς τὴν Ἀριστοτέλους παίδευσιν αὐτῷ ἠλιθίως, *velut obtrectans institutioni Aristotelis æqualis sui*, studet ipsum reuocare, ὅπερ μὲν περὶ τὰς ἐριδικὰς λόγοι ἦσαν, quæ tamen contentiosæ disputationes non erant tum, vt hodie, de falsitate aut veritate præceptorum tantùm susceptæ: quæ profectò omnia debent esse certa, & indubitata ἐν ᾗ ἐπιστήμαι, ἰσχύουσι, ἀλλήσεως, ἐπαγωγῆς· ἐπιστήμη γὰρ τέχνην ἐποίησε, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην, *Lib. 1. ἀναλυτ. ὑστερ. cap. 14. & lib. Philos.* sicut Aristoteles & Plato docent. Duobus his Philosophis non dissimiliter scribit Cicero, artem definiendam esse è rebus perspectis planéq; cognitis: vnde omnis omnino disputatio omnibus artium theorematis tolli facilè possunt, ac debent. *Tales autem exercitationes & sophisticæ, quæ nullo modo conueniant reb. publicè gerendis, planè sunt inutiles:* quò certè spectat, quod Agellius scribit de illa futili, puerilíq; meditatione argutiarum sophisticarum, *nihil ad vitam neq; tuendam neq; ordinandam promouente, in qua id genus homines consenescunt malè feriati, quos Philosophos esse vulgus putat.* Ea autem exercendæ iuuentutis ratio haud paulò doctiorib. viris maximè probatur, quæ primùm à præceptoribus adhibetur in scriptis eruditorum & eloquentium virorum ἀναλυτικῶς resoluendis, eorúmq; ponderibus ad vsum & confirmationem præceptorum examinandos: è quorum obseruatione hæc profectò sunt nata, alta & aucta, non ingeniis magistellorum excogitata, profecta, ὡς ὅτε χαλικίζει αὐτοῖς ἡ μνήμη, *vt quæ ipsis memoria suppeditat ex tempore depromta*: deinde quæ sit διὰ τῆς γεννήσεως in nouo sæpè opere ad imitationem auctoris prælecti faciundo. Itaq; partes Dialectici præsertim ac Rhetoris quum in omnib. omnium Interpretum commentariis, quos adhuc mihi quidem licuit videre, prætermissas magnis discentium incommodis animaduertamus, nullâ, ita nos bene homines ament, iniuriâ cuiusquâ, eorum industriam ac diligentiam requirere videmur. Nulla enim illic elocutionis Rhetoricæ pars, nullus ferè tropus, nullus etiam ipsius modus præter metaphoram, eámq; admodum raram, nec, vnde desumta sit, sæpiùs indicatam, sed, quod iuuentuti est multò incommodius, pro tropis aliis frequentiùs notatam, obseruatur (ex qua tamen culpa meritò Interpretes mihi videntur eximendi, non Aristoteles, qui solus debeat illam huius obscuritatis sustinere: quòd nomine metaphoræ bonam troporum partem confusè comprehenderit: eodémq; comparationem simillium incluserit) nulla quoq; dictionis aut sententiæ figura, nisi ἀσχηματίστως notatur. Pars etiam huius artis altera, propterea quòd scripto minimè potest referri, neq; etiam in commentariis videtur desideranda. Illic præterea, quod discentium studiis magis incommodat, requirimus obseruationem & vsum prudentiæ Logicæ iuxtà in generibus rationum ἐξεικαστικῶς iudicandis, & clariùs enunciandis, atq; in argumentationibus è superiori consilio Aristotelis notandis: item in via, ordinéq;, quem propositus auctor tenuit, explicanda. Ἀλλ' οὐδ' μή τινι δοκοῖμι αὐτὸς ἐπὶ μικρὸν δίκαιος, μᾶλλον δὲ καὶ πικρὸς λογιστὴς τῶν περὶ τὴν λογικὴν ἀσκήσεως· *In Rhetoricis & Poeticis.* *cui parùm æquus, ac potiùs etiam acerbus æstimator rerum logicarum ipse videar*, aut plus ab aliis exigere, quàm à nobis ipsis, ἢ ὑπὸ λογικωτέρου ἡμῶν, *aut à peritiori Logica*, quàm nos ipsi sumus, præstari posset: integras quidem argumentationes atq; suis partibus absolutas, id est, συλλογιστικῶς conclusas, confiteor rarò inueniri posse, multóq; minùs aliquot prosyllogismis amplificatas, idq; maximè in hoc Poeta: qui quum propter frequentes Laconigisticarum obscurus iudicatur: tum propter argumenta sæpè è variis Poetarum Græcorum & Latinorum fabulis, ac historiis, adytísq; Philosophorum abstrusis eruta, non omnium patet intelligentiæ, nec in promtu esse potest: quod non rarò in plerisq; scriptorib. reperire licet. Vsus enim & sermo communis hominum fere contentus est axiomatis: quæ, quum per se clara & manifesta sunt, nullum ius aut tribunal enthymematis aut syllogismi requirunt, sed methodo fundamentum iaciunt. Nihilo tamen minùs facilè poterit quisq; vel mediocriter versatus in Dialecticis è posita quæstione & inuento argumento & ipsi notato instituere dispositionis figuram: quorum, inquam, enunciatorum & argumentationum iudicia non hîc esse ab aliis Interpretib. facta passim audio studiosos artificii Logici vehementer nobiscum conqueri: quanquam iamdiu non defuerunt (vt facilè cernas in Epist. P. Rami ante orationes Catilin.) nec puto etiam pòst in hac clarissima Dialecticæ luce defuturos, qui dicant, artificium Logicum in Poetarum enarratione adhiberi idem esse, quod in scirpo nodum, aut in pumice aquam, aut ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, *in lente vnguentum* quæri, quasi lectio Poetarum, aut potius ipsimet Poetæ ἄτυφος ἄλογοι, ὡς τινες μάγειροι ἐν ἐπιστήμονοι τοῖς ὄψοις ἀποδιδόναι τὰ ἡδύσματα, *sine ratione ex certe, vt coqui nonnulli, qui nesciant opsoniis gratiam condimento conciliare*: quod Catius Epicureus artis culinariæ mirus artifex vetat, nullum id sibi, nisi post multum vsum & experientiam magiricæ, posse vendicare:

Nec sibi canarum quiuis temerè arroget artem,
Ni prius exactâ tenuit ratione saporum.

Lib. 2. Satyr. Tales quidem certè Aristarchi & censores annos abhinc triginta, vel plures vt coniicio, Lutetiæ exstitetunt: qui magisterio Philosophico prohibere illos tentârunt, qui a Poetis didicerant argumentorum, enunciatorum, & argumentationum genera: sed illam pseudocriticen viuentibus Poetis, Gallis, Græcis & Latinis relinquo dignis modis exercendâ & vindicandam: qualis iniuria tum grauissimo, sanctissimóque supremæ Parisiensis curiæ, politiori humanitate ornatissimæ, senatusconsulto castigata fuit. Enimuerò, Lector, non equidem satis animaduertere possum, vndè culpa omissi adhuc triplicis huius artificii contracta videatur, ad

Li. 1. ca. 4. quod omnes superioris ætatis Interpretes certatim se contulissent, si animũ instituere primùm potuissent ad recordationem illius tam latæ descriptionis, quam Marcus Fab. Quint. Grammaticæ constituit: vt explanatorem Poetarum futurum Encyclopædiâ quadam instrueret: atq; omni plurimarum & maximarum artium

In Hippia minore. laude, more illius Hippiæ Elei, cumularet. De hoc autem Hippia sic Socrates: *πάντως δὲ πλείστας τέχνας πασῶν σοφώτατος εἶ ἀνθρώπων, omnes omnino homines scientiâ plurimarum vincit*: qualem se esse in maxima illa quinquennali

vt Catul. refert li. 3. de orat. celebritate ludorum gloriatus est, cunctâ penè audiente Græciâ, & nihil esse in vlla arte rerũ omnium, quod ipse nesciret. Deinde si iidem quoq; meminissent hoc Suetonii, *Interpretes Poetarum propriè appellandi sunt literati, quos Graci solent γραμματικὸς nominare, qui diligentes, acutè sapienterq; possunt aliquid aut dicere, aut scribere: qualis fuit quidam nomine Princeps, quia alternis diebus declamare, a terna disputare, nonnullis verò manè differere, post meridiem remoto pulpito solebat declamare.* Vides, Lector, etsi tam latissimis terminis hortus Grammatici, Poetarum interpretis,

Lib. de illust. Gram. ab hoc Rhetore & historico circumscribatur & definiatur, vt ex eo possit colligi quædam rerum omnium farrago, sicut Iuuenalis de varia suarum Satyrarum materia loquitur:

Quicquid agunt homines, votum timor, ira, voluptas
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Satyr. 1.

nullum tamen fructum ab areis Dialecticæ & Rhetoricæ eloquutionis afferri ad huius Poetæ illustrationem, idq; puto equidem inde profectum, quòd rudis posteritas aut nimis operoso hoc interpretationis genere, aut reliquarum artium ignoratione, vnius tantùm perceptæ applicatione, falsò crediderit se boni interpretis officio probè functam esse, *ἐὰν καλῶς γραμματικεύσωσι*, neq; ad eam rem valdè sibi opus esse, vel Rhetoris, vel Dialectici munere. Idem mecum Macrobius conqueritur de interpretibus Poematis Virgiliani: *nec his Virgilii verbis copia rerum dissonat, quam plerique, penè omnes literatores pedibus illotis pratereunt, tanquam nihil vltra verborum explanationem liceat nosse Grammatico, ita sibi belli isti homines certos scientiæ fines, & velut quædam pomœria & effata posuerunt; vltra quæ si quis egredi audeat; introspexisse in adem Dea, à qua mares abterrentur, existimandus sit*: ita sanè dicitur *Epicurus parte Philosophiæ, quæ est quærendi ac differendi, inermu ac nudum fuisse: ideóque, negasse opus esse ratione, neq; disputatione, quamobrem voluptas expetenda, dolor sit fugiendus: id omne animal simul atq; natum sit, sentire, atq; alterum vel appetere, vel à se, quantum possit, alterum repellere, idq; facere nondum depravatum, ipsâ naturâ incorruptâ, at integrâ iudicante.* Grauis

Lib. 1. Saturn. cap. postremo. Lib. 1. de finibus.

quidem est hæc reprehensio *εἰς τὰς τοσαύτας τὸ πλῆθος τεχνογράφους*, qui tantam, támque multam operam in eo frustra posuerint, quod vis naturæ sponte, nullóque labore poterat cuique suppeditare, sed reuera omnes sapientes talem reprehensionem censebunt in istos technologiæ vituperatores retorquendam, qui præcepta huiusmodi artium non potuerint in actum educere & in vsum reuocare. Illa tamen tam spatiosa huius artis & artificis descriptio & distributio neque debet, neq; potest vnius artis, neq; vnius artificis Grammatici propria iudicari, sed encyclopædiæ cuiusdam & interpretis omnibus vniuersæ doctrinæ numeris ac partib. perfecti & absoluti. Excogitata autem est tam fusa descriptio huius artis & artificis, & inconsideratè huc accommodata perridiculo & perabsurdo argumento, quod vulgò in scholis dicitur *αἴτιον ἄνευ ὃ οὐ, caussa sine qua non*: cuius certè fallaciâ & vi est perturbata omnis etiam doctrina dicendi: quòd ipsi necessarius esset, velut chorus scriptorum longissimè ductus, plurimarúmq; artium fructus vndiq; collectus ad eiusdem perfectionem. Eiusdem quoque argumenti efficientiâ chorus ille reliquis artibus ac disciplinis, ipsarúmq; scriptoribus, atq; professoribus perinde necessarius videtur, perinde Theologiæ & Theologis, perinde Iurisprudẽtiæ & Iurisperitis, Medicinæ ac Medicis. Quid tum posteà? an continuò in singulis illarum præcipiendum erit de reliquis simul omnibus? *πρὸς δὲ τὴν τοῦ ῥητόρος λύσιν* hoc certò teneatur, quòd in omni re aliud sit, alterum alterî esse necessarium; aliud esse eiusdem partem & membrum. Nunquam quidem Nilus, vbi eluuie extra suas ripas diffluxisset, agróque *πεναγίσαι καὶ μὴ κατακλύσαι, oblimasset* (sic enim ille *παρὰ τὴν νέαν ἰλύν, à limo nouo* est nominatus, *ἣ μέν δὴ Αἴγυπτος ἡ αὐτοῦ ἐλώδης ἐστὶ χώρα, atq; adeò palustris est Aegyptus regio ipsius*) nunquam, inquam, limitib. obrutis tantam propriorum cuiúsq; prædiorum ignorationem obduxit, quantam vim maximam perturbationis & confusionis hoc alienum argumentum in literas humaniores immisit. Vsus quidem & fructus omnium artium est inter ipsas communis: sed tractatus, illarúmq; descriptio definienda est propriis caussis, principiis homogeneis, *μεχωρισμένως καὶ μεθοδικῶς* explicanda: vnus etiam quisq; artifex ex artis suæ ratione definiendis videtur, vt quantam ipsa veris ac propriis præceptis comprehendat; tantum, nec quicquam præterea, ipsi artifici tribuatur. Huius autem rei notitio, vt tibi, Lector, meliùs informetur, abusióq; talis encyclopædiæ prorsus à nomine Grammatici & Grammaticæ remoueatur, tibíq; postremò illius opinio ac cæteris omnibus minuatur, distinctio trium præcipuè artium supra cæteras videtur altiùs tibi repetenda, breuitérque, quoad fieri poterit, enucleanda post caussas, quibus eò querelarum processimus impulsi, tibi adhuc commemoratas, sicut initiò propositum fuit: quanquam id è testimonio Iulii Scaligeri locupletissimi testis facilè

de causs. lin. Lat. optiméq; perspici ac cognosci potest: *Officium* inquit *interpretandorum auctorum non est sanè Grammatici. sed sapientis. Est enim Oratorum, Poetarum, atq; Historicorum lectio differta variis artibus atq; scientiis, nõ ad ipsos literatos potiùs, quàm ad veros artifices pertinens. τοῦτον μὲν ὅρκον ἐναντίον τε καὶ προσδεκτὸν οὐδὲ διὰ τοῦτο, hoc quidem iusiurandum*, id est, *testimonium: æxistima & delatum & ob id assumendum.*

Enimverò, candide Lector, natura, vel potiùs Deus Opt. Max. humano generi dedit motũ cogitationis celerem, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, dedit quoq; orationem, quæ duo sunt vincula, quibus homines inter se conciliantur, & à natura ferarum longissimè remouentur. Itaque ad constitutionem prioris inseuit

ris inſeuit tribus humani capitis receſſibus certas animi functiones, quas Galenus tribuit κατ' αὐτὸ τὸ ἡγεμονικὸν, εἰς τε τὸ φανταστικὸν, ἢ τὸ διανοητικὸν ἢ τὸ μνημονευτικὸν, id eſt, *ex ipſius animi principatu, & in facultatem obiecta concipiendi, & de conceptis iudicandi, ac denique iudicata memoriæ mandandi.* Tales autem animi energias certas & indubitatas eſſe oſtendit ex offenſione ſingularum, ſicut e noxa imaginatricis in Theophilo Medico: e læſa ratiocinatrice in quodam phrenetico: deinde e memoria perdita in iis, qui poſt ſæuitiam Athenienſis peſtilentiæ ſuperſtites néq; ſuos, neq; ſe ipſos agnoſcebant. De his quoq; locis cerebri vide Actuarium de actionib. & affectibus ſpiritus animalis. Præterea Aetius inſtituit tres phrenetidis differentias ex his tribus cerebri finibus turbatis. Scholiaſtes tamen Pindari has facultates paulò aliter recenſet & collocat: τριὰ γάρ μέρη φασιν εἶναι τῆς φρένος· λογιστικὸν, μνημονευτικὸν ἢ φανταστικὸν· ἢ τὸ μὲν λογιστικὸν ἐστιν ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ, τὸ δὲ φανταστικὸν ἐν τῷ μέτωπῳ, τὸ δὲ μνημονευτικὸν μέσον τῶν δύο, &c. *aiunt enim tres partes, &c.* ſed ordo, quem Phyſici Medici ſequuntur, magis prouidæ naturæ videtur conuenire, & Damaſceno probatur. τὸ μὲν οὖν φανταστικὸν διὰ τῶν αἰσθήσεων ἀντιλαμβανόμενον παραδίδωσι τῷ διανοητικῷ ἢ διαλογιστικῷ. i. *vis autem comprehendendi ſenſuum opera tradit res, ſpectra & ipſarum imagines facultati iudicandi,* & has iudicio comprobatas memoria, ὥς τι ταμιεῖον, *tanquam cella quædam penaria*, inde accipit & ſeruat. Quanquam Iohan. Fernelius Ambianenſis vnam, eandemq; imaginatrici & memoriæ ſedem videtur deſtinare: quod mihi parùm congruit cum hoc eiuſdem operis loco, de altero vſu præſtantiori ventriculorum ſuperiorum: vbi ille videtur ordinem Galeni & Damaſceni in aſſignandis horum ſinuum ſedibus tenere. *Alter porrò*, ait, *vſus præſtantior eſt, ad quem natura ventriculos accommodauit, dum vitales ex corde ſpiritus in retis contextum effuſos, illicq; præparatos in priores ventriculos tranſmittit: vbi deinde vi innatâ cerebri in animales conuerſi in omnes ſenſus & in medium ventrem, tandémq; in poſtremum, diffluunt, vt ad ſenſus motúſq; ſuppetant, ſatíſq; ſint:* Eorum igitur vi & facultate mens imagines rerum ſibi obiectarum percipit in anteriori, qui eſt geminus, dexter & ſiniſter: iudicat in medio, recordatur in poſteriori: quæ tria profectò munera per ſe mens ἀβλαβῆς καὶ ἀπήρωτος, *illæſa & incolumis*, poteſt obire, ſine aliis rerum aliarum adminiculis, nec vllis quidem ipſarum artium ſubſidiis adiuta. Hoc autem longè firmiſſimo poteſt eſſe omnibus argumento ad rei confirmationem, quòd muti, quòd in ſumma caligine verſantes, poſſumus vi ſolâ mentis rectè partes illas exſequi: ac ſingulis penè temporum momentis experiri: ſiquidem mentis agitatio, quæ nunquam quieſcit, corpore vel ſopito, nos poteſt in ſtudiis cognitionis, ſine opera corporis, continere. *Quæcúnq; enim fuerunt interdiu corpore vel animo tractata, inter ſomnum hæc omnia perficit animus. Itaq; qui rectè (poſt ſomnum) hæc poteſt iudicare, magnam ſapientiæ partem conſecutus eſt.* quod etiam ex Ariſtotele cognoſcitur, *neq; demonſtratio neq; ſyllogiſmus nullus eſt ſermonis exterioris, ſed interioris.* Eiuſdem autem rei gratiâ Philoſophi docent τὴν φρόνησιν εἶναι διανοητικὴν ἀρετὴν ἢ συμβουλευτικὴν, *prudentiam (quæ eſt perſpicientia veri ſolertiáque, id eſt Dialectica) eſſe virtutem cogitationis & conſultationis.* τὸ γὰρ συμβουλεύεται καὶ λογίζεται ταὐτόν, *eadem enim ſunt Ariſtoteli conſultare & ratiocinari*, aut potiùs deliberare (hoc enim verbum à libella, quâ quid perpenditur, dicitur, ait Feſtus: atq; vt hac exquiritur iuſtum an iniuſtum ſit rei pondus, ſic ex arte differendi cognoſcitur quiduis, verúmne an falſum ſit) ſicuti Iſocrati Epiſtolâ 6. μετὰ πολλῆς προνοίας λογίσασθαι καὶ βουλεύσασθαι, *ſingulari mentis prouiſione iudicare & deliberare.* Atqui hanc tripartitam mentis functionem in percipiendo, iudicando & recordando, Dialectica, ἡ τῆ φύσεως μιμητὴ μόνη, *quæ ſola eſt vera illius naturalis prudentiæ effigies, debet imitari*: cuius quidem prudentiæ vim cognoſcas facilè ex hac Donati diſtinctione inter prudentem & ſcientem, καὶ διὰ τὸ ἀνολβον inter prudentiam & ſcientiam: *ſiquidem*, ait ille, *prudens dicitur per ſe talis, qui ſui intelligens, ſentit aliquid: ſed ſciens per alios, quum alicuius indicio rem cognoſcit.* Ex hoc quidem diſcrimine cernis, prudentiam eſſe naturæ, quæ pòſt iuuatur ſcientiâ, id eſt, arte, exercitatione, experientiâ. Itaq; Dialectica debet imitari illam mentis triplicem facultatem, quæ coniunctis viribus ῥᾳδίως τὰ ἐυπραξίας ἐφίστευται: vnde meritò nomen antiquitatis ſupra reliquas artes ſibi adoptauit, & alias formandi rationem: quod profectò vtrúmq; videntur Hebræi, ac potiùs Deus Opt. Max. adumbraſſe per miſchpat Vrim & Thummim, tanquam diceres per iudicium pectoris lucidum & integrum. Iure igitur Dialectica poteſt talem facultatem ſibi ſoli arrogare in communi rerũ omnium inuentione, iudicio, & earundem recordatione: quæ profectò cauſſa exſtitit, cur priſcorum Ethnicorũ Theologi crediderint, initiò duas ſolum Muſas fuiſſe, μελετὰν, quæ meditando res inueniret: ποικτικὴν, quæ eaſdem inuentas certo diſponeret iudicio: è qua diſponẽdi ratione ſola & methodis, nec aliunde, poteſt exiſtere tertia, quæ eaſdem ſic excogitatas & iudicatas, mente, tanquam theſauro, conditas cuſtodiret; eáq; μνήμη nominata eſt. Ex his certè diuinæ mentis contemplationibus hæc ars certò creditur nomen ſuum mutuata, ſiue Dialectica, ſiue Logica nominetur: ſiue quis ſecum ἀφώνως, ſiue cum altero ἀμοιβαίως ineat aliquam quiduis συλλογιστικῶς tractandi rationem: quod quidem vtrúmque nomen pro eodem ſumendum notatio vtríq; indicat apertè, quicquid vulgus philoſophaſtrorum & ſophiſtarum reclamitet. Prius enim ſatis magnum præbet indicium ſui παρὰ τὸ διαλέγεται, ὅ, τι μὲν ταὐτὸν ἐστι τῷ χρῆσθαι λόγῳ, *ab vſu rationis*: ideóque vocabulum Dialecticæ creditur à Platonè, vt Logicæ ab Ariſtotele, repertum: quod quidem poſterius originem ſuam apertiùs prodit παρὰ τὸν λόγον, quanquam hoc etiam poſſet τροπικῶς ſumi, è conſuetudine bonorum ratiocinatorum, propter analogiam argumentationis cum Arithmetica numeratione: quæ fit addendo, ſubducendo, multiplicando, & partiendo. Huc accedit duplex τῦ λόγυ notio, cuius altera eſt Ariſtotelis, vt modò eſt annotatum, ὁ ἐν ψυχῇ λόγος, ἢ ἔμψυχος, qui à Philone Iudæo ἐνδιάθετος λόγος vocatur, & à Donato σύνθυμηματικὸς, quíq; à Damaſceno definitur σύνθημα ἐκ ψυχῆς σὺν τῷ διαλογιστικῷ γενόμενον ἄνευ τινος ἐκφωνήσεως· λήγοντος γὰρ τῦ ἐνδιαθέτυ, ἄλλος λέγεται τῦ προφορικῦ, *motus animi in facultate ratiocinandi excitatus ſine vlla enunciatione: ceſſante enim interiore animi ratione, nemini opus eſt externo ſermone*: quia ille fons eſt, à quo manat ὁ προφορικὸς λόγος, τῦ νοήματος ἄγγελος, *ſermo prolatitius, mentis nuncius*: cuius ſedes eſt, vt prioris in mente, ſic in lingua & ore, vociſq; omnibus organis. Ex hoc ambiguo Græco verbo λόγος cognoſcitur lingua Latina hîc Græcâ enodatior: hæc enim ad perſpicuitatem cogitur vti diſtributione, τῦ λόγυ ἢ τῦ ἔξω ἢ τῦ ἔσω, è ratione loci & ſitus exterioris & interioris: quod vtrúmq; apertè præſtat Latina duobus verbis, ratione & oratione, vel cogitatione & ſermone, vt modò propoſuimus, atq; adeò Cicero expreſſit in ſomnio Scipionis: *fit enim ferè, vt cogitationes ſermoneſq; noſtri aliquid in ſomno pariant, &c.* Itaque hic prolatitius nuncius vocatur Latinè index & indicium: idque dicitur à Donato propriè eſſe oris & linguæ: & à Cicerone, *fieri autem poteſt, vt quis rectè ſentiat, & id, quod rectè ſentit, politè eloqui non poſſit.* Verba enim ſunt

li. 3. de cauſis morborum.

Thucydid. lib. 2.

lib. 1. ca. 16. de method. medend.

Tetrab. ſer. 2. c. 2.

lib. 5. vniuers. method. ca. 10.

lib. 1. ca. 9.

Lib. 5. de finibus bon. & mal. ſub finem.

Hippocr. περὶ σάρκων.

li. 1. poſterior. cap. 8.

lib. 5. Eth.

In Alcib. 1.

Li. 3. de vita Moſis

Adelph. act. 1. ſcen. 1.

Heaut. act. 4. ſcen. 1.

Heaut. act. 2. ſcen. 1.

):(

animi indicia, τὰ ἐν τῇ ψυχῇ παθήματα, quod hic versus epistolæ ad Pisones confirmat:

Si fortè necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.

Id est, verbis nouatis exprimere cogitata: cuius loci potes ibi legere nostram interpretationem. Conficiamus tandem è triplici facultate animi, & nominum veriuerbiis, res animo complecti naturâ prius esse, quàm illas enunciare, atq; è gemina λόγου notione, Dialecticam esse artem solius mentis, quæ quum suos sensus & cogitationes vult aliis pronunciare, apertéq; in opus educere, tum quidem videtur commercio interpretis orationis egere, id est, linguæ, & scriptionis: atq; ita prophorico præscribere, vt quicquid illa bene conceperit, prudenter iudicauerit, fideliter meminerit, id demum mandet tali nuncio, qui iussum duobus modis sedulò effectum dabit: quod mirè quidem consentit cum Aristotelis sententia, *necesse est primò locum inuenire, secundò disponere, tum ad alterum dicere*: sed ex his tribus postremum, id est, oratio, peragitur modis duobus. Hi autem modi referunt similitudinem orationis in contentionem & sermonem tributæ lib. 1. de officiis, sub diuersis tamen subiectis: contentio enim in disceptationibus iudiciorum, concionum, senatus, versatur: sed nostra Rhetorica in ornatu verborum & actione: sermo quoque in circulis & congressionibus familiarium: sed nostra Grammatica in puritate, proprietatéq; vocum: quibus ille nuncius διὰ τὴν ἑρμηνείας τὴν ἐπαγγελίας primùm & Grammaticè consilium & cogitationes mentis pronunciabit, quod est munus & subiectum Grammaticæ, ὡς τὸ πᾶν ἄτροπον καὶ ἀσχημάτιστον, vt est omnis sententia simplex & nuda, miniméq; immutata & figurata, sic a literis atque notis vocatæ: deinde magnificentiâ & splendore numerosæ & concinnæ orationis, si res & personarum conditio ita postulant, idem ornabit, & varie illustrabit, actionisque dignitate pronunciabit: quæ sunt partes Rhetoricæ, cuius quoq; originatio (quæ vim verborum altiùs intuetur, sicut Quint. loquitur) satis testatur & indicat apertè, hanc esse artem orationis, non rationis, quum hoc sibi inuenerit nomen ἀπὸ τῶν ῥημάτων, *à verbis*, vnde sunt orta hæc σύζυγα, *coniugata* ῥήτωρ, ῥητορικὸς, ῥητορικὴ, his respondentia Latinis, *eloquens, eloquentia, & ad eloquendum aptus*, quod verbum *eloqui* Rhetor ille definitione sic declarat, *vt sit omnia, quæ mente conceperis, promere, atq; ad audientes perferre*, ideóq; ab Aristotele priùs λέξις nominata est, vt mox dicetur: quò quidem spectat admonitio Phœnicis præceptoris ad Achillem sibi in disciplinam à Peleo traditum, vt esset eloquendi peritus & quiduis gnauiter agendi studiosus:

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

quem locum Crassus vsurpauit ad confirmandum eloquentiæ & sapientiæ coniunctionem & vetustatem, quæ tamen consociatio non de præceptis artium, sed de communi rerum vsu & exercitatione est intelligenda, sicut de Philippo Rege Mac. Crassus ibidem dicit, qui Aristotelem accierit filio Alexandro doctorum: à quo ille & eloquendi acciperet præcepta & agendi. Hæc certè omnia manifestè demonstrant, vtrámq; artem loquendi & dicendi esse tantùm oris atque linguæ, vel manus vtriúsq; vicariæ: quæ duæ artes si quando considerant per inclinamenta vocum vim essentiámq; rerum verbis inclusam, id ne putes ipsarum caussâ fieri: vel habitâ ratione aliquâ illius affectionis, quam habent inter se argumenta: sed hominis veritatem indagantis, id est, Dialectici, gratiâ: cuius sanè vnius est verum inuestigare & ostendere, & à falso rectè distinguere vi mentis ac rationis, vt iam disputatum est. Illam autem sententiam de diuortio harum artium præceptis faciendo sic teneamus: vt Dialectica è triplici facultate animi iure sibi artes inueniendi, iudicandi, recordandi assumat & vendicet: Grammatica vim propriè ac purè loquendi: Rhetorica munus splendidè, ornatéq; dicendi ac decenter pronunciandi sibi tantùm arroget separatim. Neque verò quicquam est, cur auctoritate Crassi deterreamur, ὅτως συμπερασμα[τι]κῶς συλλογίζεσθαι, ab hac conclusione, qui doceat res à verbis non esse seiungendas: quia nulla est illustris sententia sine luce verborum. Hæc sanè secretio potest tantùm habere locum in artibus tradendis, vt Dialectica primùm seorsim doceat inuentionem & dispositionem argumentorum, vnde sententiæ manant: deinde separatim quoq; Rhetorica præcipiat, quomodo eædem sententiæ verbis splendidis & ornatis sint enunciandæ. Itaque Crassus nunquam poterit efficere, vt vna videatur, & sit Rhetorica rerum ac verborum doctrina: quòd hæc sic ab illa differat, vt sit Dialecticæ, rationes inuenire, iudicare, & meminisse: Rhetoricæ autem, rationes inuentas, iudicatas, mentéq; reconditas, ornatè eloqui, gestu decoro signare, suauíque flexu vocis pronunciare. Hîc mecum considera, Lector, quàm sibi constet Crassus, qui, quum partitus sic fuisset cum Antonio forensem & oratoriam technologiam, vt hic, cui plus esset prudentiæ, de inuentione, iudicio, memoria separatim dicturus esset: ille verò ipse, cui plus eloquentiæ, seorsim etiam de ornatu, eloquutionis & dignitate actionis: nescio tamen vsus solùm, vt in reliquis disciplinis assolet, non technographia hanc requirit communitatem & societatem. Equidem suspicor auctorem Dialogi doctrinâ Græcorum ἀμετροεπῶν imbutum, eâq; maximè, quæ statuit, artes differendi ac dicendi αὐτιστρόφως ἢ ἰσοστρόφως εἶναι, negotiis operosis impeditum, grauioribus studiis implicatum, credulitate solâ contentum, qua plerique omnes sæpè capiuntur, ita sensisse ac scripsisse. Nos autem contrà summatim teneamus, Grammaticæ, vt famulæ mediastinæ, solas partes esse, rationes à principe sua mente inuentas, iudicatas, fideliterq; retentas, simpliciter mediocriterque vestire, legitimâque orthographiâ scribere, ac simili Prosodiâ proferre: Rhetoricæ autem munus, vt famulæ superioris & honestioris esse, rationes easdem splendidè ac magnificè exornare, vocisq; bonitate & actionis dignitate conuenienter exprimere. Ex his, Lector, potes animaduertere, tria illa dicendi genera; subtile, graue, moderatum, in libris Rhetorum peruulgata, hîc à nobis triplici artificio adumbrari; sicundè tamen illa possunt oriri, atque è rebus ipsis ope artium tractatis, de quibus, vt multò certior fias, leges non sine fructu Petri Rami disputationem. Indidem quoque potes cernere, illam duplicem interpretandi rationem, à recentioribus Theologis haud ita dudum modo quodam recisam: cuius altera in proprietatibus vocum ἁπλῶς καὶ καθ' ἕν explicandis versatur: altera in vi rei propositæ penitùs inspicienda, pluribúsque verbis enuncianda: quæ profectò Theologorum dichotomia videtur nostram διὰ τὴν τριτεχνίας interpretationem referre, præsertim si ad proprietatem vocum accessisset earundem ornatus. Vtrobique enim cernitur permixta vis sermonis Grammatici & Rhetoricæ eloquutionis, vt in consideratione rei propositæ ratio differendi. Itaq; qui tres illas artium facultates, atq; præterea τ' ἄλλα τινα ἐγκύκλια μαθήματα Rhetoricæ subiecerunt, illi non solum iura naturæ confregerunt: sed ordine rerum etiam naturalium perturbato, studia docilis adolescentiæ valdè adhuc tar-

Lib. 8. Top. cap. 1.

Li. 1. c. 6. in proœmio lib. 8. Lib. 3. Rhetoricorum. Iliad. 1.

Lib. 3. de orator.

Lib. 3. de orat.

de hac duarum artiũ analogia lege lib. 4. Schol. Rhetor. Rami.

Li. 2. Scho. Rheto.

huc tardarunt. De quo mecum sentit Isidorus Hispal. *Rhetorica est à Græcis inuenta, Gorgia, Aristotele, Hermagora: deinde translata in Latinam, à Tullio videlicet & Ticiano & Quintiliano, sed ita copiosè, ita variè, vel pro scientia, vel pro loquacitate verborum, vt eam admirari in promtu sit, comprehendere impossibile.* Habes, erudite Lector, quid de vera legitimâq; distinctione primarum artium verè vtilitérq; sentiendum sit: sicut Logica lex καθ' αὑτὸ in primis præscribit, vt singulæ artes habeant certum & proprium quoddam subiectum ad interpretandum, suisq; præceptis informandum, quo præcipuè inter se differant, maximéque contineantur: quomodo Grammatica sermonem Rhetorica orationem, Logica rationem, Arithmetica numerum, Geometria magnitudinem: quæ singulatim omnia omnibus generibus, differentiis, affectionibus explicent. Ex hac profectò artium distinctione suppeditantur omnibus illius studiosis facilima optimáque, ad quiduis prudenter excogitandum, vtiliter explicandum, rectéq; scribendum, instrumenta: quibus equidem fando, editísq; libris variæ disputationis accipio, erudltissimos artium professores, in multis Scotiæ, Britanniæ, Belgii, Daniæ, Germaniæ, Heluetiæ Academiis, mirificos huius aureæ distinctionis ac methodi amores studiosis excitasse ad omnes disciplinas: ac feliciter illis iam vsos, atque adeò quotidie vti, tam ad rectè scribendum, quàm ad quiduis scienter explicandum, vt Logicum Petri Rami studium, clarissimúmque exercitationis Logicæ lumen videatur fortiores iam defixisse radios in regiones longinquiores, quàm natalem & propinquiorem: atque nos populares ipsius Gallos τὸν τὰ πίσχωρίτας καὶ ἀμιλλαστὰς, καὶ ἐγγενεῖς καὶ ὁμοδήμους αὐτῷ, nescio equidem quo literarum fato, vehementer nunc pudeat, pigeátq; incredibilis aut stupiditatis aut malignitatis, qui vicini, ac propè domestici, ἀστόργως μίσει prosequuti simus virtutem ipsius præsentem & incolumen: atque scripto iam nunc cum aliis communicatam aut turpiter inuideamus, aut ægerrimè feramus. Quid dico *ægerrimè feramus*, quum manes ipsius efferatiùs hodie vexemus, quàm veteres Ethnici olim Herculem? qui tandem, vt Epistol. 1 lib. 2. sub initium dicetur, *comperit inuidiam supremo fine domari.* Quin potiùs, more Aristot. eloquentiâ Isocratis celebratâ moti, indignemur, excitati etiam gloriâ exterorum, *turpe est Gallos viuâ quondam P. R. voce & exercitatione institutos nunc tacere: exteros contrà, solùm ipsius scripta mutis eruditos, disertè loqui, viâ & ratione artes tradere, primos quósque Græcos & Latinos scriptores artificiosè explicare:* illos denique de rebus distinctè, explicatè, ac illuminatè dicere: adeò vt ex his etiam, qui sua velint cuiusuis generis scripta plausibiliùs distrahenda, nomini Rameæ methodi hodie inscribere certatim soleant. Quod si quis fortè amplius de limitibus artium & aliquid præcipuum magis de earundem vsu requirit; artes & scholas in disciplinas liberales eiusdem scriptoris, longè omnium, quicúnque adhuc fuerunt, hac distinctionis & methodi laude facilè principis, αὐτολέξως καὶ ἁπλῶς ὡς ἂν ἐκ τοῦ αὐταρώτου, perlegat. Hæc autem de legitima trium organicarum artium distinctione adhuc dicta sunt. *Itaq, ad alteram nostri propositi partem, de difficultate præsentis enarrationis, ac de eiusdem ordine & methodo iam venio.* Ac quoniam functio tanti muneris ardua difficilisq; mihi atque meis consultoribus videbatur, vti iam inde ab ipsa præsentis orationis fronte dictum fuit, qui mecum censerent illud requirere acutissimo ingenio redemtorem operis, cui præterea esset iudicium valdè in propriis & alienis scriptis nobilibus, & operibus, expendendis ac iudicandis exercitatum, longôq; rerum vsu confirmatum & corroboratum: quale nobis Agellius memorat fuisse Labeonis Antistii, *qui præter disciplinam iuris ciuilis, caterarum quoq, bonarum artium non expers fuit. Nam in Grammaticam se se, atq, Dialecticam, literásque antiquiores, altiorésq, penetrauerat: Latinarúmq, vocum origines, rationésque percalluerat, eáq, præcipuè scientiâ ad enodandos plerósque iuris laqueos vtebatur.* Ego certè viribus ingenii, id est, vt Cicero interpretatur, docilitatis & memoriæ, & corporis, diu multúmque consultis & spectatis è monitis Cornelii Taciti, *omnes, qui magnarum rerum consilia suspiciunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipub. vtile, ipsis glorioſum, aut promtum effectu, aut certè non arduum sit,* diu multúmq; hæsi, quid hîc facerem. Huc etiam accedebat amica meorum condiscipulorum, variis artibus ac disciplinis eruditissimorum virorum, admonitio, quos & literariæ consuetudinis & honoris gratiâ, vt ipsorum dignitas poscit, nomino, Iohannem Amaritonem, Nicolaum Bergeronium, in Senatu Parisiensi Patronos, Petrum Martinium, Philosophiæ professorem, Arnaldum Osatum Iurisconsultũ, qui omnes singulatim prospexerunt, hanc triplicis artificii enarrationem, nisi ipse attentissimè cauerem, non fore à tautologia & perissologia vacuam: quod equidem cum illis præsenseram, ac, ne eò inciderem, cautionem & diligentiam adhibui, quantam potui, maximam: quò si fortè imprudens incidi, id tamen non tanto mihi debet verti vitio, in explicando præsertim aliquo auctore, quanto putatur in arte tractanda: vbi τὸ αὐτολογεῖν in primis est vitandum. Ego, metu talium difficultatum, confectionem huiusmodi operis desperaui, atque, præter infirmitatem vtriúsque, tenuitas fortunarum, imbecillitas virium, conditio etiam vitæ alibi occupatæ eódem accesserunt, quæ me aliquando aggressum opus inde retrorsum prætereà reuocabant: vt mihi nunquam ipse satis aut confidere, aut vllâ re satis facere possem. Ἐπεὶ ἤ τλὺν τῦ πράγματος αὖ βάσανον ἀνειβῦ, τλὺν πρώτλυ καὶ δευτέραν ὠλλὺν τισὶ, τ' τε πεπαιδευμένων τῶντε ἐν ἀξιώματι, λοίλυ, *postea verò quam specimen τ' τριτεχνίας, primam & alteram oden, cum viri eruditionis summæ, auctoritatisq, amplissimæ,* D. D. Michaele Hospitalio Franciæ Cancellario, eheu, quo & quãto viro, quámq; iusto bonorum omnium desiderio in ipso bellorum ciuilium ardore παρὰ καιρὸν sublato! cum D. D. Roberto Huraltho Bellebatio ipsius genero, & Illustrissimæ, optimæque illius Margaritæ ducis Biturigum Cancellario: cum D. D. Antonio Sennetone Præsidi Metensi: cum aliis denique viris benè literatis communicassem, βελόμενος αὐτοῖς ποιεῖται ὅτως τλὺν τ' τριτεχνίας ἐπίδειξιν, ὥστ' ἐκείνως εἰργασμένως ἰκανὰς βάσανος αὐτῦς ἐν τ' ὀνύχων λέοντα γιγνώσκειν, *vt facto idoneo examine rem explorarent, ac velut leonem ex vnguibus cognoscerent:* illi quidem omnes, perspectâ huiusmodi interpretationis ratione, studium & institutum hominis, conatumq; operis valdè comprobârunt, eumq;, vt confidenti animo pergeret eâdem viâ reliquum Horatij poema explicare, vehementer incitârunt. Ita certè tandem me aliquando & aliquantum collegi, ad hócque studium applicaui, neque aliâ re fretus, πλὺν τῦ ταῖς φιλοπονίαις προσεδρεύειν nisi secũdùm Dei Opt. Max. opem, assiduitate improbi laboris industriæ, curæ, multò deniq; maximè operosæ scriptionis. Hac igitur solâ spe aliquanto firmiori sustentaui equidem meam imbecillitatem, præter cohortationem summorum ac scientiæ laude clarissimorum virorum. Huc accesserunt ex intimis quidam, mecum agere de hoc negotio sic aggressi: *Etsi tu multis exhaustis studiis ac laboribus non planè assequêris nec perficies tam laudabile institutum, tanque studiosæ iuuentuti profuturum, sicut animo, priùs complexus eras; erit tamen nonnihil tibi honorificum, reique publicæ commodum, rem tam diuinam tentasse, & ex sententia Tibulli, in magnis voluisse sat est.* ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ καὶ τὸ θέλημα μόνον

lib. 13. c. 10.

lib. 5. de finibus bon & malo.

(quod nobis Diodorus etiam testatur de Leonida Spartano Rege, quem, quod fortiter in prœlio contra Persas occubuisset, ἐπαινετέον μάλιστα censebat: οὐ γὰρ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων κρίνειν δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλ' ἐκ τῆς προαιρέσεως, non enim ex effectis & euentis viri fortes & boni sunt existimandi, sed ex optimo instituto & proposito.) *Praeterea laudabiles τῆς σὺν τριτεχνίας conatus adiuuabunt & excitabunt alia aliorum virorum nobilia ingenia, tuo longè ad inueniendum, iudicandum, recordandum, purè loquendum, ornatè dicendum, decentiúsq; pronunciandum habiliora & expertiora, quæ ad tuum & Labeonis Antistii exemplum præpandent, sicut Lucretius loquitur, mentibus discentium lumina triplicis huius artificii clariora, vel in hoc genere scriptionis, vel in aliis rerum aliarum scriptoribus explicandis, vndè posteà Respub. vberrimos percipiet fructus: quod nos quidem illis palmarium fore putamus, eiusq; gratiam & laudem maximam ex parte tibi debuerint & habituri sint, quotquot talis expositionis commoditatibus fruentur.* Hac igitur tantâ tanti boni futuri fiduciâ, cogitationéque sententiæ Musonianæ, ἄν τι πρᾶξις καλὸν μεθ' πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει· *si quid feceris pulcri cum labore, labor quidem præterit, sed illud pulcrum remanet, suauis autem est laborum præteritorum memoria*, vt fecit Cicero ex Eu-
li. de finib. ripide: sic, inquam, præter sapientum virorum consilia incitatus tentare cœpi, an posset etiam noster hic labor aliquid in commune afferre: quod si Deus prosperet, vt ita futurum optimè confido, summas illi agam gratias, qui me pro sua benignitate primum ad hanc experientiam excitârit: deinde ad hominum societatem hoc meditationis genere iuuandam perduxerit. Ac ne quis hanc triformis artificii explanationem, neget fortassis tantæ molestiæ ac laboris esse, quantum ego profiteor hoc conanti impendendum; ille, quæso, vsurpet ἐποχὴν negationis suæ tantisper, aut de proposito integrè iudicet, dum exercitationis gratiâ periculum fecerit in opere aliquo τριτέχνως, sicut hîc factum videt, enucleando. Præterea huius commentationis statim principio constitueram, ad caput singularis explanationis adscribere, quod primum de Grammatica, quod deinde de Rhetorica, quod postremò de Dialectica occurreret præcipuè notandum: quippe quia hæ tres artes in scholis hoc ordine discentib. & proponi, & prælegi insueuerint. Verùm ita mecum cogitanti venit è præcedenti artium distinctione & ordine illud mihi in mentem, ad sensus hominum & cogitationes exprimendum, consensu omnium omnino hominum, orationem repertam: quia homo priùs res animo comprehendit, earúmq; causas, effecta, subiecta, attributa, rationes alias, ipsis aut consentaneas, aut dissentaneas, modis quinq; comparatas, notatas, definitas, distributas, ac denique bonorum religione testatas conquirit: quarum summam prudenter enunciando, legitimè disponendo, rectè concludendo, tandem efficit. Ad inuentam igitur, iudicatam, mentéque comprehensam scribendi materiam, quæ hoc ordine sua secum vocabula rapit, vt hic Poeta docet.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Epist. ad *Verbáq; prouisam rem non inuita sequuntur.*
Pis. ad materiam inquam, excogitatam tum arcessuntur artes illæ mentis ministræ, & interpretes, vt iussæ, quod in animo veluti in Iouis concilio, deliberatum, constitutúmq; fuit, aliis denuncient atq; prædicent, more prę conum, regiorúmq; legatorum. Siquidem artes illæ mandatum huiusmodi accipiunt à mente, cuiusmodi nuncia Deorum Iris apud Homerum ab Ioue.

Iliad. χ. Βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα, πάρ Ἕκτορι μῦθον ἐνίσπες.
Vade citò Iri, hoc denuncia Hectori.

cuiusmodi etiam Mercurius, nuncius alter Iouis eloquentissimus, accipit ab eodem.

Odyss. ι. Ἑρμείαν. (σὺ γὰρ εὖ τε τάττ' ἄλλα περ ἄγγελος ἐσσί)
Νύμφῃ ἐυπλοκάμῳ εἰπεῖν νημερτέα βουλήν.
Mercuri (nam tu etiam aliquando aliis in rebus es nuncius.)
Nymphæ (Calypsoni) eleganter cincinnatæ dic verum consilium.

Aen. 4. vers. 226. quod Virgilius imitatus reddit, *Alloquere & celeres defer mea dicta per auras.*

sic inquam, arcessuntur hæ artes ad mandatum mentis conficiendum: & tanquam exageli quidam theatrales ad id, quod intus post aulæa gestum est, spectatoribus foris denunciandum. Grammatica id simplici, vt iam dictum est, puro, proprióq; sermone, ac legitimâ prosodiâ præstare solet: sed Rhetorica idem magnificâ splendidâque oratione, ac flexione vocis ad rem accommodatæ, & dignitate actionis. Quàm autem appositè sint
in Cratylo. Iris & Mercurius huc appellati, ad vtriúsque artis functionem apertè indicandam, Plato sic docet: *οἶμαι ἶριν ἀπὸ τοῦ εἴρειν ἐοικέναι πεπλεγμένην, ὅτι ἄγγελος ἦν, ipsa quoq; Iris, quòd sit nuntia, à dicendo est vocata.* Itaque nullo modo mihi hæc ratio Seruii in vers. Æneid 5. probatur, *Irim de cœlo, &c.* quòd Iris dicta sit, quasi ἔρις, quia ad discordiam mittatur. ἢ ὃ
Ἑρμῆν ἐτυμολογεῖ καλλωπίζων, ὅτι ἔοικε τὸ Ἑρμῆς περὶ λόγον τε εἶναι. ἐξ ἀμφοτέρων γὰρ τούτων συγκεῖται καὶ τοῦ εἴρειν καὶ τοῦ μήδεσθαι
sed Mercurium notat elegantiùs, quòd videatur in sermone versari, atq; eodem vti artificiosè & explicatè: ex his enim duobus conflatur id præ se ferentibus. Vis autem orationis adumbrata fuit nomine τοῦ Ἑρμοῦ & ipsius ortu ex Maia & Io-
in Theog. Hesio. ue: vti Iohan. Diac. Tzetzes μυθολογεῖ φιλοσόφως παύν λέγεται ἡ τοῦ Ἄτλαντος Μαῖα τῷ Διὶ συνελθοῦσα, ἀποτεκεῖν τὸν Ἑρμῆν ἄγγελον τῶν Θεῶν, ἡ γὰρ ἐν ἡμῖν λεκτικὴ ἡ διὰ φωνῆς, τὰ ἀπὸ τοῦ νῦν προεξαλλόμενα διεχόμενη νοήματα μιμεῖται, καὶ οἷον διχρόοῖ, ὄνομα ἐπ' ὀνόματι συντιθεῖσα, καὶ τὸ προφορικὸν ὅτως ἀπογεννῶσα λόγον, ὅστις δὴ ὁ λόγος, διὰ τὸ διερμηνεύειν τὰ τῆς ψυχῆς παθήματα, κήρυξ τῶν Θεῶν λέγεται. Θεὸς δὲ νιῶ τὰ νοερὰ νοήματα ἐπιλαπέον, id est, *admodum philosophicè ac sapienter, Maia Atlantis (filia) dicitur è congressu cum Ioue peperisse Mercurium nuncium Deorum. Facultas enim est in nobis ad orationem accommodata, quæ cogitationes è mente primùm erumpentes recipiens, educit in lucem more obstetricis, ac velut informat articulatè, nomen ad nomen adaptando, sic progenerat orationem prolatitiam (de qua etiam paulò antè) quæ quidem oratio, quia interpretatur animi motus &*
Chilon in Laert. *sensa, præco Deorum vocatur. Deos autem intelligere nunc oportet latentes mentis cogitationes.* Inde caussa Philosophis exstitit, cur prohibuerint, μὴ γλῶτταν τοῦ νοῦ προτρέχειν, *ne lingua mentem præcurreret*, id est, ne domino seruus imperaret: quâ sententiâ Isocrates Demonicum, monebat, πολλοῖς προτρέχει ἡ γλῶττα τῆς διανοίας· διὸ ὅτι αὖ μέλλωσι λέγειν,
in orat. ad eundem πρότερον ἐπισκοπεῖσι τῇ γνώμῃ· *multùm mentem lingua præcurrit: ideóq; quod dicturi sunt, id sensibus comprehensum priùs animo*
in Cratylo. *versent, & ratione benè subductâ pòst aggrediantur:* quod est Dialectici munus, ὅπερ τὸ ὄνομα ἄνθρωπος σημαίνει, ὅτε μὲν ἀναλογίζεται, ἃ ὄπωπε· *quod vox anthropos adsignificat, quum homo intuetur & attentè contemplatur, quæ vsu percepit.* Quare vt cogitatio hominis apertè cognoscitur dux & dicendorum & agendorum, atque oratio, quæ Diomedi videtur dicta ab oris ratione & eloquio, tam propria, quàm ornata, habetur ipsius pedisequa: sic animaduersio

& obser-

& obseruatio Dialecticæ visa est mihi, atq; adeò cuique bene affecto ita videbitur, priores mereri partes in hac enarratione: Grammatica autem & Rhetorica eloquutio in notis posteriores: quo hîc ordine vides nominari. Non me tamen latet, nonnullos huic ordini intercessuros, nec viam huiusmodi & rationem interpretandi probaturos, consilio & auctoritate Diomedis Grammatici fortasse nisos, qui, post varias describendæ Grammaticæ methodos improbatas, maluit exordium huius artis contexendæ ab oratione sumere: in cuius commendatione contrà, quàm omnes Philosophi priùs senserant, atque adeò res ipsa sæpiùs horæ momento loquitur, hoc etiam adhibuit, *quòd linguam fecerit pectoris gubernatricem*, pro eo ac dicere debuit, illam esse ministram solùm & interpretem mentis imperatricis: qua super re audiatur Agellius: *linguam debere aiunt non esse liberam, nec vagam: sed vinculis de pectore imo ac de corde apertis moueri & quasi gubernari: sic enim videas scatere verbis sine vllo iudicii negotio &c.* Concedemus quidem, dicent illi intercessores, in opere recens texendo & ordiendo ipsi Dialecticæ principatum constitutionis: sed in alieni iam facti exploratione id planè negabimus: cuius intelligentia videtur ordinem postulare, quo hæ artes iu scholis præleguntur & docentur. Nobis certè, vt ad id respondeatur, iidem videntur & sunt gradus progressionis ad ipsam Analysin & explanationem alienæ disputationis, qui sunt ad Genesin & institutionem alicuius propriæ ac nouæ. Nam quum meditatur quis opus aliquod, martéque suo & ingenio molitur, in primis prospicit, quæ de re sibi agendum sit: ad quam prudenter disputandum, omnes Dialecticæ locos perscrutatur: postremò ex iis illos, qui aptè congruentérque ad opus perficiendum antecedere, quiq; consequi debeant, diligenter studioséque considerat & procurat. Iam verò qui hoc quidem confectum iam opus volet posteà, velut telam, retexere, & ad leges artium examinare, procul dubio vestigiis effectoris insistet; rem à capite arcesset: quæstionem auctori propositam cernet: argumenta & dispositionem, quibus illa tractetur, constanter ponderabit: ad leges denique artis, vnde sunt eruta, referet omnia. In qua quidem persuasione facit mecum Iulius Scaliger: *quod ad interpretationem attinet*, inquit, *eadem ratio est & componendi & composita cognoscendi: quippe orationem qui interpretatur, eodem modo eam resoluit in partes, quo modo eam, qui construxit, ex iisdem partibus comparauit.* *Li. 1. de causis lin. Lat.* Denique se, quàm verissimè poterit, personâ effectoris induet: idem se conuertet inde ad proprietatem, puritatémq; præsentis sermonis considerandam: quæ simplicior est & naturâ prior oratione conditâ & figuratâ: quia hæc posterior excogitata inuentáque fuit, sicut perspicitur primum ex Aristotele, τὸ περὶ τλὴν λέξιν ὀψὲ προῆλθε, δῆλον ὅτι τῇ δε τῇ ὀνόματος ὀψὲ πῶς διαλαβόντος εἰς τὰς Ελλυνας, *doctrina eloquendi serò accessit, quippe quòd serò tandem hoc nomen Græcis traditum fuit.* *lib. 3. Rhet. ad Theod. cap. 1.* Hæc certè facultas eloquendi rectiùs mihi videtur nominata φράσις, quemadmodum ab Isocrate illius æquali in oratione ad Philippum fuit etiam vocata ἡ περὶ τούτων ὅτως λεχθέντα τοῖς ἀκούσαιν, ὥς τε μηδένα τὸν λόγον αὐτὸν, μηδὲ τλὴν λέξιν ἐπαινέιν, ὥς τε ἀκριβῶς ἢ καθαρῶς ἔχουσαν, id est, *& hæc audientibus ita videbar recitare, vt nemo laudare vellet orationem & eloquutionem tam accuratè & purè scriptam.* Hanc quoq; facultatem Phalereus vocat Ἑρμυνέιαν φράσεως autem est Hesychio, tam λεκτνόειν καὶ διανοεῖσθαι, quàm λέγειν καὶ ἑρμηνεύειν. Ideóque τὸ λέξις aptiùs videtur ex primere doctrinam politæ orationis, vt vox magis oris quàm mentis: quum τὸ φράσις ad vtrumq; Hesychio ambiguè referatur: deinde ex illo edicto apud Suetonium.

De Rhetoribus Cneus Domitius Ahenobarbus, L. Licinius Crassus Censores ita edixerunt. *Li. de clar. Rhet. Cic.*

Renunciatum est nobis, esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt: ad quos iuuentus conueniret: eos sibi nomen imposuisse Rhetores: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Maiores, quæ liberos suos discere & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nouæ, quæ præter consuetudinem & morem maiorum fiunt, neq; placent, nec recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eò venire consueuerunt, visum est faciendum, vt ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere. *3. de orat. Agel. li. 15. cap. 11.*

Itaque non equidem temerè facturus videbor, si hac & naturæ lege & consuetudinis auctoritate nixus, triplex collocauero studium in hoc enarrationis genere: vnum in lectore non solùm admonendo de thetico & quæstione, quam sibi Poeta proposuisse videbitur in singulis Odis, Epodis, Satyris, Epistolis: vndè periocha, & synopsis singulorum vnà etiam elucebit; sed in vi quoq; argumentorum ad illam dirigenda, ὡς εἰς τὸν προκείμενον σκόπον. At nunquam Poeta sibi proposuit huiusmodi artificium, præcipuè Logicum, dicent irrisores huius methodi. Nos ad id paratissimè breuissiméq; respondemus, primùm ex Aristotelis, atq; ipsius Poetæ sententiis. Ille tantam vim naturæ & arti Homeri tribuit ex æquo vt definire certò nequierit, vtrius maior significatio eluceat, in vtrôque ipsius artis poemate, Iliade & Odyssea. Vndè facilè mecum colligere potes, Lector, ad quoduis opus laudabile concursum harum causarum esse perneceſſarium: adiunctâ his exercitatione. Quòd si hæc obiicientibus dederim, aliquem tantâ vi sensus acerrimi, tantâ ingenii bonitate, tam deniq; diligenti rerum singularum cognitione naturâ munitum, ad quiduis sapienter differendum, benè loquendum, ornatéq; dicendum, vt ipse sibi possit esse ars, & quasi αὐτοδίδακτος, qualem ostentat se Terpiades Phœmius suapte musicum esse: huic quidem paucioribus annis & artium præceptis, quàm pleriſq; aliis, opus erit: sed idem solùm naturæ dotibus locupletatus, & ad quiduis benè natus comparatúsq; dicetur non secus, atq; hic seruus Horatianus, *Odyss. χ*

idoneus arti
Cuilibet, argilla quiduis imitabitur vda. *Epist.*

non tamen ἀναμάρτητος ἢ ἀνυπεύθυνος εἶναι, vnquam poterit certò existimari immunis errati à viris benè literatis: qua super re tota hic audiatur Poeta:

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè. *Ep. ad Pisones.*

Huc quoque appelletur Cicero, *nullam dicere maximarum rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parùm considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Quamuis enim quod præceptis instituitur, plerique naturâ faciunt; ars tamen est dux certior, quàm natura. Habet enim illa quædam quasi ad commonendum, quò quidque* *1. de Offic.*

referas & quò intuens, ab eo, quod tibi propoſueris, minimè aberres. Huc addit idem ſcriptor, *quum ad naturam eximiam atque illi ſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatióq; doctrinæ; tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere. Quid dicam? opus eſſe doctrinâ, ſine qua etiam ſi quid bene dicitur adiuuante naturâ, tamen id quia fortuitò fit, ſemper paratum eſſe non poteſt.* Audiatur quoq; reprehenſio Plutarchi non diſſimilis huic Ciceronis: τί ἂν ὁ λέγων λειχλῶσος ἰατρικὴν εἶναι ἢ παρωνυχίας, ψιλευρίτιδος δὲ ἢ πυρετῶ φρενίτιδος μὴ εἶναι τὶ διαφέρει τῶ λέγοντος, ὅτι τῶν μικρῶν καὶ ἀσθενῶν πάθη ῥᾴστως εἰσὶ διασκαλεῖα, ἡ λόγων ὑποθῆκαι, τῶν δὲ μεγάλων ἢ τελέων ἄλογος τριβὴ καὶ περίπτωσις ἐστὶν; quod interpres huius ſcriptoris Gallicus ſic fecit Gallicum, *que diroit on acelui: qui voudroit dire, quiliauroit art de medicine pour gairir vne dardre, ou vn mal au bout dudoigt, & quil n'i en auroit point a gairir vne pleureſie: vne freure chaude, ou vne phreneſie? Ne ſeroit ce pas tout autant comme qui diroit, que reſonnablement ili auroit eſcholes & preceptes de petites & pueriles choſes, mais que des grandes & paſſaictes, il ni auroit qu'une rotine, ou une rencontre fortuite & cas d'auenture ſullement?* Audiatur poſtremò Ariſtoteles πᾶσα τέχνη παιδία τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν, *omnibus artibus ac diſciplinis id propoſitum, vt quod naturæ deſit, adiungant & expleant.* Eámque obrem in artium definitionibus adhibetur τὸ *bene* ὅτι καὶ δύο ῥήσεις, τέχνη & *ars*, quia ſunt mediæ notionis vtríq; linguæ, id eſt, quæ modò in bonam modò in malam partem ſumuntur, ad infirmitatem primùm naturæ indicandam, vt Dialectica eſt ars bene diſſerendi, Rhetorica ars bene dicendi: Grammatica bene loquendi: deinde ad docendum cuiuſuis operis perfectionem ex artis ac exercitationis acceſſione pendere. Idem quoq; facilè poteſt cognoſci è noſtro Poeta de laudibus Claudii Druſi:

Doctrina ſed vim promouet inſitam
Rect. q, cultus pectora roborant
Vtcúnq; defecêre mores.

Quis ex his atq; ex illa tam acri reprehenſione Poeticæ heterogeniæ ad Piſones non perſpiciat, Poetam ὅτ' ἄλογος ὅτ' ἀτέχνως, vllum poema condidiſſe; niſi ipſe velit καὶ ἄλογος καὶ ἄτεχνος haberi? ſed de hac quæſtione illic, vt Epiſtolâ ad Piſones, noſtra legatur diſputatio. Alterum autem noſtrum ſtudium erit in notando, quicquid præcipuum incidet inter prælectionem animaduerſione notationéq; dignum de Grammatica. Tertium denique de Rhetorica eloquutione in ſingulis tropis & eorum modis, numeris, ac figuris, tam dictionum, quam ſententiarum indicandis: vbi coactus fui (neq; tamen id à me factum eſt ſine exemplo. Euſtathius enim in Ὁμήρ. ξ. ſub initium ad tres verſus κατάρχας inceptos à dictione ξεῖνος ter iterata διὰ τὴν ἐπαναφόραν, pro ea dicit, quaſi ipſe neſciret nomen huius figuræ dictionis ſæpiùs tamen ab ipſo vſurpatum, Homerum κάλλος τι τεχνήσασθαι, *concinnitatem quandam, & ornamentum ſolerter confeciſſe.*) coactus, inquam, fui definitionibus illorum ſæpiùs vti cum re definita, & interpretationibus Græcorum Latinis cum litera Græca, vel ad ſubleuandam quorundam lectorum ignorantiam, vel ad negligentiam aliorum tali acceſſione ſupplendam: quæ quidam minimè fient ἀναμίγδην ἢ συγκεχυμένως, *coniunctim & permiſtè* omnia: ſed ἐνδιορίστως ἢ διακεκριμένως, *diſtinctè ac ſeparatim* virtus ſingulorum repreſentabitur: quum ita ſua cuiq; arti futura ſit obſeruatio ſeiuncta & ſecreta ab aliis: res quoq; facilius ac clariùs intelligetur: præterea varia variorum lectorum & ingenia & deſideria, pro ſuo cuiúſque modulo, atq; eruditione, quadam tenus explebuntur: vt, qui notione verborum aut propriorum aut translatorum minimè laborabit, huic ſatis ſint argumentorum momenta, quæ profectò ſola nobis examinanda & conſideranda eſſent in qualibet ſcriptura, ſi linguarum ſcientiam teneremus: ſed illarum ignoratio noſtros immanes commentarios fecit, ipſorúmque paginas ſolis ferè obſeruationibus Grammaticarum λεπτολογίαις impleuit: vndè facilè crediderim τὴν γραμματικὴν βαρύμοχθον cognominatum à Pallada Græcorum epigrammatum ſcriptore: quòd ipſius perceptio eſſet grauium laborum & moleſtiarum: vnde Poeta dicit ad Piſones:

Ingenium miſerâ quia fortunatius arte.

quòd miſerum in modum exerceat ſtudioſos ſui. In hoc autem diſcentium & legentium diſcrimen, quum ſæpè non pauci rerum ſcriptarum explanatores incidunt, id eſt, quum rudibus ſimul atque eruditis animaduertunt ſatis facere ſe non poſſe, híſque malunt, quàm illis operam locare ſuam, magnis tamen diſcentium incommodis, non verentur, Dialecticis & Rhetoricis ſuperſedere, quorum acceſſione vtríſq; ſatisfacerent: atqui pro illa ſatisfactione eruditioribus promiſſa, videas illos in multis locis per ſe ſatis claris totos eſſe, quorum intelligentia magis nititur naturali quadam rerum lectarum recordatione, variorúmq; codicum collatione quàm arte: cuius exercitatio ſtudioſis adoleſcentibus in primis proponenda eſt; varietate tamen exemplarium minimè neglectâ. Itaq; πρὸς τὸν τοῦτον ἀθυμίαν τῆ ἀρᾷ ἀφαιρᾶν, hæc noſtræ tritechniæ ratio aptiſſimè, vtiliſſiméque videtur ex cogitata. Enimuerò, Lector, hîc me roges, cui potiſſimum è tribus iſtis artibus attribuenda erit explicatio ſermonis de aliis diſciplinis, Philoſophia, Ethica, Politica, Oeconomica, Phyſica, Meteorologia, Medicina, Hiſtoria, Coſmographia, ac deniq; de reliquarum ſcientiarum mentione, in quam ſæpiſſimè incidunt Poetæ: vbi certè conſociatio & communitas fructuum, qui ex artibus legitimè ac ſeparatim definitis percipiuntur, clariſſimè confecta apparet, vſúſque ipſarum communis eſſe, non tractatus, oſtenditur. Quod autem quæris, ſic clariùs habeto: ac primùm, vt ea ſit prudentia interpretis futuri, vt iam dictum eſt antè, in auctoris mentem penitùs introſpicere, omni cogitatione eam pertractare, modis deniq; omnibus percontari, quid ille ſibi ſumſerit docendum: quemadmodum diximus modò rationem vocis τῆ ἀνθρώπου poſtulare ab vnoquóq; noſtrum: cuius profectò non aliud conſilium fuiſſe, niſi vt propoſitum arguat, id eſt, declaret, aut ſimpliciter aut coniunctè confirmet, nullo modo dubitatur. Hanc autem ſcriptoris voluntatê perſcrutandi ratio, munus eſt ſolius Dialecticæ: quod tibi planum fiet vnius aut alterius exempli appoſitione ab hoc Auctore petiti: qui primùm, quum ad Lauream Poetæ faciliùs obtinendam cogitaſſet, ſuum Poeticæ ſtudium apud Mæcenatem in prima commendatione ponendum eſſe, illud inſtituit ἀνομοιῶσαι ταῖς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἀσχολίαις, καὶ τοῖς πόθοις, ὡς ἐκείνων μᾶλλον ἐξαίρετον. *Ita videtur Poeta inſtitutum ſuum Mæcenati diſſimiliter collatum cum aliis, & diſtributione illuſtratum probaſſe.* Deinde etiam, quum animaduertiſſet, certam Virgilio ac definitam deliberationem de petendis Româ nauigatione Athenis; tum hanc ſecum Poeta iniit rationem, vt amicus ipſius quàm commodiſſimè illuc nauigaret, ex qua benè ſubducta tandem comperit, Deos propitios; Venerem, Caſtorem, Pollucem, Aeolum eſſe principes

lib. 4. de finib. & 2. de orat.

Arſ. Poet.

Cic. in Brut.

In li. de virtus doce ri poſſit.

Lib. 7. Pol. cap. 17.

Od. 4. l. 4.

lib. 1. Epig. cap. 1. ſ.

Ode 1. li. 1.

Ode 3. li. 1.

ſecundæ

ſecundæ nauigationis cauſſas, & nauim σωναίτιον. Itaq; Virgilium ſummis precibus ac votis non ſolùm in fidem & tutelam eorum committit, ſed ipſius etiam vectoris ſalutē naui tradit. Vnde interpres poterit initium interpretationis ſuæ ducere, atq; ſtatuere, Poetam argumentari ab efficientib. & adiuuantib. quanquam hæ tractentur comparatè: quæ profectò conſideratio eſt Dialecticæ propria. Deinde quum cernet illas rationes propriè, purè, nudè, ſimplicitérq; aut ſcribi aut pronunciari, ſine vllis orationis pigmentis; tum dicet, auctorem munere Grammatici perfungi: quo modo hic verſus ἀτρόπως ἢ ἀσχηματίστως pronunciatus eſt:

Ac neq; iam ſtabulis gaudet pecus aut arator igni.

Poſtremò quum verba comperiet immutata, figuriſq; conformatam orationem, quibus ex primuntur pondera ſuperiorum rationum; hoc eloquutionis Rhetoricæ opus eſſe agnoſcat, ac diligenter ſuo loco notatum reponat: cuiuſmodi ſunt hæc ibidem, *Diua potens Cypri*, pro Venere, & hoc rurſus fortaſsè pro planeta: *fratres Helenæ*, pro Caſtore & Polluce, & hoc rurſus pro ſideribus: *pater ventorum*, pro Aeolo: *nauis*, pro gubernatore: quòd ſi quid velit interpres amplius de his cognoſcere, ac dicere; id Grammaticis adſcribet: verbi gratiâ, de origine, poteſtate, nominib. aliiſque, Veneris & reliquorum Deaſtrorum circumſtantiis, ſiue petitum ſit ex huius artis theorematis; ſiue ex Aſtrologia; ſiue ex fabulis & hiſtoriis rerum, aut geſtarum aut phyſicarum; ſiue deniq; è cæteris diſciplinarum ſcriptoribus, id, inquam, in Grammaticis notabit, aut Lectorem remittet ad locos Auctorum indicatos: vt ſacri doctores Hebraicæ linguæ & Græcarum literarum profeſſores ſolent diſcipulos adhuc rudes vtriúſque linguæ ad radices & ad themata verborum, & ad veriuerbia in Theſauris linguarum inueſtiganda, qui ſunt velut promtuaria & armamentaria vocum Grammaticarum & rerum literarium, vt iam obiter initiò huius diſputationis attigimus. Huius autem admonitionis imaginem quum habeas paſſim in hac tota enarratione expreſſam; nihil hic pluribus videtur opus. Itaque, erudite, candidéq; Lector, ex his facillimè optiméq; cognoſcis, nobis pro fructu & commodo vſu iuuentutis iuſtiſſimam fuiſſe & eſſe querelam, ac inſtitutæ diſputationis de aurea trium artium diſtinctione, & præſentis interpretationis ratione cauſſam: ideóq; nihil inconſultè & temerè in hac triplici enarratione ſuſceptum: quam, etſi non dubito defuturos, qui magis inuidiâ, odio, & aliâ permotione mentis, quàm veritate, præſcripto, & iudicii formulâ ſint improbaturi; hoc me tamen ſolatio Theognidis, & alloquutione tacitâ leuabo: Od. 4. li. 1.

Οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὔτ' ἔσσεται, οὔτε πέφυκεν,
Ὅστις πᾶσιν ἄδων δύσσεται εἰς ἀΐδου.
Οὐδὲ γὰρ ὃς θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει
Ζεὺς Κρονίδης, θνητοῖς πᾶσιν ἀδεῖν δύναται.

Neque quiſquam hominum erit, neq; fuit,
Qui cum bona omnium gratia è vita ceſſerit.
Nam neque, qui Diis & hominibus imperat
Iupiter Saturnius, omnibus mortalibus placere poteſt.

Noſtris autem laboribus ac vigiliis, quibus certè nihil hîc parcitum fuit, probè cumulatéque ſatisfactum ego putabo, ſi quot clarioris doctrinæ ſtudioſos intellexero, ex hoc interpretationis genere fructus tuliſſe, quos illi, vt pleríq; benè mecum ſperant, inde percipient plurimos: præſertim ſi ad id ſuum contulerint ſtudium, memores Heſiodanæ ſententiæ.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Αθάνατοι.

Ante virtutem Dii ſudorem poſuerunt
Immortales.

Quare hîc curſum orationis noſtræ iiſdem votis, quibus Dionyſius ſuam Periegeſin, cum bona Chriſtianorum venia, terminabo:

— ἀλλά μοι ἄθλων
Αὐτῶν ἐκ μακάρων ἀντάξιος εἴκ' ἀμοιβή.
Κἂν αὐτὸς οὐκ ἀγνοοῖμι τοῦτο, ὅτι οὐκ ἐν ὄλβῳ
Ἰσὴν μοῖραν ἅπασιν ἐπ' ἀνδράσι θήκατο δαίμων.

Adſit mihi laborum
Digna à Diis remuneratio.
Quanquam ego non ignorem, non felicitatis
Aequalem ſortem à Diis tribui hominibus.

Q. HORATII FLACCI VENVSINI LYRICORVM PRINCIPIS VITA EX IPSIVS POEMATIS A P. GVALTERIO CHABOTIO DECERPTA: καθ' ἑκάστην ἡλικίαν καὶ παίδευσιν ἑαυτῷ λόγοις ἀμοιβαίοις ab vtrôque luculenter explicata.

Vplex mihi videtur ineunda ratio, viáq; reperienda, quomodo alii aliorum mores ac vitam ſpectent & æſtiment: quarum alteram omnes tenent, vt multò certiorem, quæ præſenti iudicio & experimento capitur è conſuetudine victus quotidiani, familiaritate, colloquio, rebúſq; inter ſe contrahendis. At quoniam non cuiuis congrediendi poteſtas cũ eo datur, cuius velit ingenium ac mores explorare, nos quidem certè cogimur alteram æſtimationis viam inire; quæ nobis relinquitur verbis teſtata, atq; ſcriptis, aut propriis, aut alienis, comprobata: ſed eam minùs certam credibilémq; comperimus, quæ ex propriis eſt compoſita: permiſta quidem aliis & conteſtata nonnihil apud lectores fidei meretur. Nam τὸ αὐτόγραφα nimium ſibi creduntur indulgere, dum prò veris falſa, aut certè falſitatis non prorſus omnino expertia, vel contrà pro falſis vera ſæpiùs affingere ſibi non verentur, ἐν τοῖς τοῖς ἀνθρώποις ἄγαν ἐνεδυσμένης φιλαυτίας. De qua ſic ſapiens Solon, qui fuit vnus è ſeptem, veriſimè dixit, interrogatus: τί χαλεπώτατον, τὸ γινώσκειν ἑαυτόν. πολλὰ γὰρ ὑπὸ φιλαυτίας ἕκαστον ἑαυτῷ προστίθέναι. Quid omnium eſſet difficilimum: ſeipſum, *ait*, noſſe. Multa enim ſibi quiſque attribuere ſolet præ amore ſui. *Non equidem tamen hîc dubitem cum pleriſq; eximere noſtrum Poetam è numero τῶν φιλαύτων præſertim quum ego animaduertam, eum nec patris paupertatem ſilentio diſſimulaſſe, nec generis obſcuritatem celaſſe, & quod ſæpè miratus ſum, ſua indicaſſe vitia, vt, quum eum non puduerit flagitia ſibi à Damaſippo primùm, atque paulò pòſt à Dauo ſeruo, libertate decembri obiectâ, verſibus mandaſſe. Qua quidem ingenii tam aperti conditione facilè adduci me patior, vt præcisè negem, quod nonnulli ſuſpicati ſunt, patrem ipſius ſalſamentarium fuiſſe: quod ſi ita contigiſſet, nunquam id ſibi vitio vertiſſet, vt de Bione Philoſopho ſcribitur: ἐμὸς πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσόμενος.* pater meus erat libertus ſecubito emungens, *cui tam ingenuæ confeſſioni non eſt diſſimile, quod decantat de patre ſuo ac de ſe:*

Apud Laert.

Sat. 6. li. 1.

Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco paruas, aut, vt fuit ipſe, coactor
Mercedes ſequeret: neque ego eſſem queſtus.

Quare, quæ deinceps hîc de ſe loquetur Poeta, ſatis videantur dubitanti fortaſſe hac de parte idonea ad omnem ipſi ſuſpicionem pſeudologiæ leuandam, longéq; remouendam: vnde cuiuis facilè ſic de ipſo ſtatuere licebit, quemadmodum Plato ſcribit de Socrate olim ſtatutum & iudicatum: quòd tam facilè pateretur ſe ab aliis reuinci, quàm eoſdem conſeret cignos, qui ab ipſo redarguerentur. Exotica autem ſcripta nobis muniunt aditum ad idem cognoſcendum viam: quæ tamen, niſi fuerint oculata, & à rigidis veritatis ſatellitibus, probéq; ad eandem effectu deprompta, ἀδεμίαν πιθανότητα φαίνεται ἔχοντα πρὸς τοῖς τῶν ἀληθῶς συγγεγραμμένων σωστοῖς. Itaq; quò vita moréſq; noſtri Poetæ verùs perſpiciantur, maiorémq; perſuaſionis auctoritatem habitura ſint, ex vtrôq; ſcriptionis genere illa temperanda & ſic proponenda lectoribus putaui. Quum igitur Philoſophi doceant, è perceptione cauſſarum cognitionem euentorum facilè capi poſſe, initium Horatianæ hiſtoriæ ducendum videtur è cauſſis vitæ in vtrôque ipſius poemate, Lyrico & Epico σποράδην propoſitis. Non poteſt certè cuiquam dubium eſſe, quin illa nitantur naturâ & inſtitutione: quin patria & parentes etiam pendeant è priori, vt è matre rerum omnium: Dic igitur, Horatii, quæ tibi patria fuit?

In Gorgia.

Ode 9. lib. 4.

Ne fortè credas interitura, quæ
Longè ſonantem natus ad Aufidum
Non antè vulgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis.

Sat. 1. l. 2.

Sequor hunc Lucanus, an Appulus, anceps.
Nam Venuſinus arat finem ſub vtrúmque colonus.

Quanquam autem hîc videtur Poeta dubitare, vtri debeat ortum ſuum adſcribere regioni, ac poſterior verſus deſignare tertium quendam, velut perſonam ab Horatio alienam, ſatis tamen eum intelligimus fuiſſe Venuſinum, ac Venuſiam ipſius patriam Lucaniæ & Apuliæ interiacentem, aut certè πεῖχωρον, vndique vicinam & finitimam: quam ille videtur notare, ὡς χώραν τὴν παντόλυ, λύπορον, λύσβατον, χαλεπόν.

Od. 4. l. 5.

Me fabuloſæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatúmque ſomno,
Fronde nouâ puerum palumbes. Texêre, &c.

Saty. 5. l. 1.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus & quos
Nunquam erepſemus, niſi nos vicina Triuici
Villa recepiſſet, &c.

In nitæ

In niue Lucana dormis ocreatus, vt aprum, &c.

Venusinæ plectantur syluæ, te sospite, &c. *Sat. 3. li. 2.*

Hæc tamen natalis soli asperitas nulli creditur impedimento incolis suis fuisse ad humanitatem, quin ipsi summâ fide & hospitalitate semper in Romanos vsi fuerint, vel in extremis reip. periculis: qualia clades Cannensis bello Punico secundo ipsis creauit: cuius reliquias, maximéq; ducem M. Varronem humanissimè receptos Venusini refecerunt & recreârunt. Liuius his congruenter narrat, & in Colonis populo Rom. fidelibus Venusiam numerat: quòd semper in fide amicitiâq; pop. Rom. vel aduersis Reip: temporibus permanserit. Ammian. quoq; Marcel. lib. 23. memorat, è locis asperis & inaccessu humanos sæpè prodire homines: illud tamen, *ait*, sciendum inter has nationes penè ob asperitatem nimiam inaccessas homines esse quosdam mites ac pios, ut Laxartæ sunt & Galactophagi : *sed cur ad hoc pernoscendum quærimus tam longinqua humanitatis exempla, quum eadem, multóq; plura & grauiora omnis virtutis ita capi possint ex Heluetiis vicinis & nostræ Galliæ sociis? vt in illis nulla dum oblitis philargyriâ, prauâ peregrinorum consuetudine, perditisq; moribus, hoc prouerbium non habeat locum,* πολλὰ τ φυτῶν τὰ σπέρματα, κ τ ἀνθρώπων οἱ βίοι τοῖς χώραις συνεξομοιοῦνται, id est, & plantarum semina & hominum mores fiunt naturæ locorum consimilia. *Ista quidem humanitatis officia nonnulli existimant Poetam reticuisse compositò, ne, si illa fortè iactasset, vel modestè mentionem eorundem tantùm fecisset, idem fortassis statim audiisset ab inuidis, quod olim Themistocles à Seriphio quodam, ipsum humanitate, gloriâq; Venusinorum maiorum, non suâ ipsius virtute nobilitatum, atq; in tantam principum gratiam receptum. Ego autem contrà, hoc magis tribuo modestiæ Poetæ, ingenuóq; pudori & indoli, atq; adeò grauitati Stoicæ non aliunde, a: q; à se suaq; virtute pendenti, quàm frigido rei cuiusdam timori. Non minùs fuit Maro in mentione patriæ suæ Mantuæ facienda modestus, quàm hic Horatius. Sciebat enim vtérq; probè, nec patriâ, nec domo dominum, sed domino patriam & domum honestandam esse: Ea fuit patria & prima educatio Poetæ: Sed qui tibi fuerunt parentes Horati?*

Nunc ad me redeo, libertino patre natum: *Od. 28. l. 1.*

Plutarchus in ipsius vita & apophtheg. regum & imper. Cic. in Catone maiore.

Quem rodunt omnes libertino parte natum.

Causa fuit pater his, qui macro pauper agello, &c. *Lib. 19.*

Non ego me claro natum patre, non ego circum *Aen.*

Me Satureiano vectari rura caballo: *Lib. de offic. 1.*

Sed quod eram narro. *Sat. 6. li. 1.*

Me libertino natum patre & in tenui re: *Ibidem.*

Maiores pennas nido extendisse loqueris. *Epi. 20. l. 1.*

Quæ patris tui professio? quod genus vitæ? *Sat. 6. li. 1.*

Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim

Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor

Mercedes sequerer.

Neq; filius fuisset de patre questus, si ab eo destinatus fuisset facilitandis huiusmodi Reip. coactionibus. Itaq; piè subiungit.

Ob hoc nunc

Laus illi debetur, & a me gratia maior.

Nil me pœniteat sanum patris huius. *Ibidem.*

Cætera non te pigeat, Lector, pernoscere, vt insignia pietatis exempla. Quo tempore anni natus fuisti?

O nata mecum consule Manlio!

Tu vina Torquato moue *Od. 21. l. 3.*

Consule pressa meo. *Epod. 13.*

Annum autem agebat quadragesimum, quum hæc cecinit Xanthiæ Phoceo.

Cuius octavum trepidavit ætas *Od. 4. li. 1.*

Claudere lustrum. *Epi. 20. li. 1.*

Me quater undenos sciat impleuisse decembres.

L. autem Manlius Torquatus & L. Aurelius Cotta fuerunt Coss. an. V. C. 689. ideóq; priorem appellat suum consulem cuius anni mense decembri natus fuit Horatius: non tamen illius dies, neq; hora natalis dicitur, ἀλλὰ τὸ μόνον ἔτος τοῦτον ἐγίνω, *vnde nullum potuit iudicii Astronomici thema colligi, de indissolubili vinculo amicitiæ inter ipsum & Mæcenatem. Perspicimus ex his, nobilia sæpius ingenia nasci ex humilibus locis, parentibúsq; obscuris, quàm è summis atq; clarissimis, præsertim quũ eò bona educatio, rectáq; institutio accedit: qualem præsens historia deinceps indicabit Horatio contigisse. Quomodo autem pater ipsius appellatus sit, nondum mihi innotuit: magna tamen est coniectura patrem indidisse sua filio nomina. Dic igitur fili, quod tibi est prænomen?* *Od. 17. l. 2.*

De re communi Scribæ magna atq; nouata

Orabant, hodie meminisses, Quinte, reuerti. *Sat. 6. l. 2.*

Quod nomen?

Reddidi carmen, docilis modorum

Vatis Horatî. *Ode 6. l. 4.*

Quod etiam cognomen?

Nam si quid in Flacco viri est,

Non feret assiduas potiori te dare noctes. *Epod. 18.*

Quum res ipsa feret, nisi dextro tempore Flacci

Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem. *Sat. 1. li. 2.*

εἰς ὃ ἡ Φλάκκος ὁ Ροιντὴς ἐπιπεφώνηκεν. *Quod habes explicatum Epist. 6. li. 1. Quis autem locus educationis tuæ?* *Plut. in Luc.*

Me fabulosæ Vulture in Appulo,

Altricis extra limen Apuliæ,

Ludo, fatigatúmque somno,

Fronde nouâ puerum palumbes *Od. 4. l. 3.*

Texêre. Mirum quod foret omnibus,

Quicúnque celsæ nidum Acherontiæ,

Saltúſq; Bantinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & vrſis: vt premerer ſacrâ
Laurôque, collatâq; myrto,
Non ſine Dîs animolus infans.

Quæ tibi nutrix illîc fuit?

Sat. 9. li. 1. Confice, námq; inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit diuinâ motâ anus vrnâ.

Naturalis præterea habitus animi & corporis nuſquam reperitur nominatim ſignificatus: liberè quidem dicet interrogatus, ad quid habeat ingenium procliue. Nónne primùm ad ſtudium maximè Poeticum Muſas te finxiſſe pergrato dices animo, Horati?

Quem tu Melpomene ſemel
Ode 3. l. 4. Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger.

Talem certè animi propenſionem ac obſirmatam ſcribendi voluntatem, manifeſtò ita expreſſit Trebatio Iuriſconſulto:

Sat. 1. li. 2. Ne longum faciam, ſeu me tranquilla ſenectus
Exſpectat, ſeu mors atris circumvolat alis:
Diues, inops, Romæ, ſeu fors ita iuſſerit, exſul,
Quisquis erit vitæ, ſcribam, color.

Quò etiam ſpectat ipſius precatio ad Mercurium.

Hac prece te oro,
Sat. 6. li. 2. Pingue pecus Domino facias, & cætera, præter
Ingenium, utq; ſoles, cuſtos mihi maximus adſis,

Cuius quidam naturalis propenſionis exercitationem iam intermiſſam coactus fuit inopiâ repetere.

Epi. 2. li. 2. Paupertas impulit audax
Vt verſus facerem.

Eódem quoq; pertinet, quòd cultum Muſarum prætulerit omnibus omninò Reip. muneribus, honoribus, opibus, & voluptatibus, vt
Od. 1. li. 1. *optimè quiſque perſpiciat ex ipſius ſcriptis, maximéque ex operis ingreſſu: vnde non dubitauit ſe poſteà Muſis amicum prædicare:*

Muſis amicus, triſtitiam & metus
Od. 26. eiuſdem. Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis.

atq; earundem fauorem pro ſummis quibúſq; reip. honoribus putare: ὡς σὺ ἑαυτοῖς omnia poſſe; contrà, ἄνευ αὐτῶν, nihil valere neq; ingenio neq; corpore.

Nil ſine te mei
Ibidem. Poſſunt honores.

Nullíſne aliis τοῖς πάθεσι fecit te natura obnoxium? nónne τούτων τὴν πικροχολίαν προθύμως γνωρίζεις;

Epi. 20. l. 1. Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.
Epod. 3. *Ad iras te procliuiùs decurrere dira deteſtatio allii facilè arguit, & illud:*
Epi. 3. li. 2. ad Piſones. O ego lævus
Qui purgo bilem ſub verni temporis horam.

Hippocrates tamen ſic affectum, vt facilè placetur, τὸν εὔοργητον appellat, & Galenus interpretatur εὐτροπον, moribus faciem, *qualem animi commotionem ipſemet Poeta ſic deſcribit:*

Sed hic ſtylus haud petet ultrò
Sat. 2. l. 2. Quemquam animantem, & me veluti cuſtodiet enſis
Vaginâ tectus: quem cur diſtringere coner,
Tutus ab infeſtis latronibus? O pater & Rex
Iuppiter, ut pereat poſitum rubigine telum!
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commôrit, meliùs non tangere clamo,
Flebit, & inſignis totâ cantabitur urbe.
Od. 14. l. 2. Non ego hoc ferrem calidus iuventâ.

Quâ quidem ætate procul dubio fuit, quum tales iactauit minas in Caſtum Seuerum & cum acribus Moloſſis, canibúſq; Laconicis ſe contulit:

Caue, caue: námq; in malos aſperrimus
Epod. 6. Parata tollo cornua.

Item illud ſibi obiici ſolitum.

Sat. 4. li. 1. Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Ecquò illud ad ſeruum?

Sat. 7. li. 2. Non dices hodiè, quorſum hæc tam putida tendant
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, peſſime?

Aliud eſt genus naturalis habitus tui, quum ita de te loqueris:

Sat. 6. li. 1. Ut veni coràm, ſingultim pauca loquutus.

Infan

Infans námque pudor prohibebat plura profari:
Qui primus virtutis honos.

Hoc quoque est eiusdem generis:

Simplicior si quis, qualem me sæpè libenter
Obtulerim tibi Mæcenas. *Sat. 3. li. 2.*

Vt quod sequitur:

Dî benè fecerunt, inopis me, quódque pusilli
Finxerunt animi, rarò & perpauca loquentis. *Sat. 4. eiusdem.*

Ecquò etiam illud?

Vrbis amatorem Fuscum saluere iubemus
Ruris amatores: hac in re scilicet vna
Multùm dissimiles: ad cætera penè gemelli. *Ep. 10. li. 1.*

Passim quoq; leges eum valdè sodalitatibus, conuiuiis, vinôq; generoso delectatum. Etsi autem, Horati, nihil officere videretur isti pudori, simplicitatiq; tuæ, ἡ ἐξήγησις τῆς ἐκυτῦ γυναικομανίας καὶ παιδεραστίας (neque enim isto prisco seculo valdè flagitiosum neque probrosum videbatur τὸ γυναικομανεῖν καὶ τὸ παιδεραστεῖν: quòd plerisq; omnibus persuasum haberetur, omne animal, simul atq; natum est, appetere voluptatem, ὡς τὸ φιλήδονον φυσικόν.) versus tamen horum vitiorum indices, vt satis in commentariis castigati, prætermittentur: atq; nos, quòd te animaduertamus iuratum hostem auarorum, ambitiosorum, luxuriosorum, & superstitiosorum, istam dolentes sortem & vicem tuam commiserabimur. Sed si in nostra incidisses tempora, non sic impunè abisses, conuictus testimonio Damasippi:

Non dico
Mille puellarum, puerorum mille furores, &c. *Sat. 3. li. 2.*

vtrâque culpâ grauissimis legum, tam diuinarum, quàm humanarum pœnis, sæuissimisq; suppliciis recisâ. Naturalem quandam animi tui effigiem iam expressam satis tenemus: quam tu nunc corporis nobis referes? *postremis versibus.*

Me primis vrbis belli placuisse, domiq;
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum. *Epi. 20. l. 1.*
Hîc oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. *Sat. 5. li. 1.*
Lusum it Mæcenas, dormitum ego, Virgiliúsque,
Námq; pilâ lippis inimicum, & ludere crudis. *Ibidem.*

Hîc ostendit se lippitudine oculorum & Virgilium imbecillitate stomachi laborasse. Obesum quoq; hac arguere videntur:

Me pinguem & nitidum benè curatâ cute vises:
Quum ridere voles, Epicuri de grege porcum. *Eip. 4. li. 1.*

Statura quoq; ipsius indicatur his verbis:

Longos imitaris ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis. *Sat. 3. li. 2.*

Vbi Damasippus pusillâ Poetæ staturâ videtur abuti ad ambitionem eiusdem allegoricõs notandam: quòd in locis longè amplioribus re locatâ exstruendis stultè Mæcenatem imitetur. Quæ sunt adhuc de patria, parentibus, habitúq; animi & corporis commemorata, è vi naturæ facilè intelliguntur profecta. Itaq; vires institutionis atq; fructus nunc videamus. Est enim, Aristotele auctore, omnibus erudiendis hominis artibus ac disciplinis id propositum, vt quod natura adsit, exornent & adaugeant: quod desit, adiungant & expleant. Dic igitur Horati rationem institutionis tuæ: *lib. 7. Pol.*

Insevit pater optimus hoc mî,
Vt fugerem exemplis vitiorum quæque notando, *Sat. 4. li. 1.*
Quum me hortaretur, parcè, frugaliter, atq;
Viuerem vti contentus eo, quod mî ipse parâsset.

Eódem pertinent reliqui Satyræ versus ad finem vsq;, de institutione domestica. De altera, quâ fuit Romæ eruditus, quid?

Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quiuis eques atq; Senator
Semet prognatos. Vestem, seruósq; sequentes
In magno vt populo si quis vidisset, auita
Ex re præberi sumtus mihi crederet illos. *Sat. 6. li. 1.*

Reliquum huius sermonis persequitur collatione vitæ, institutionísque suæ cum illa ditiorum & potentiorum. Eódem quoq; spectant sequentia:

Romæ nutriri mihi contigit, atq; doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles. *Epi. 2. l. 2.*
Adiecêre bonæ paulò plus artis Athenæ:
Scilicet vt possem curuo dignoscere rectum,
Atque inter syluas Academi quærere verum.

Eódem & illud.

Memini, quæ plagosum mihi paruo
Orbilium dictare. *Epi. 1. li. 2.*

Hæc sunt pueritiæ & adolescentiæ Horatianæ curricula, in quibus ingenium Poetæ versatum fuit, partim Venusiæ, partim Romæ, partim Athenis, ad tres ac viginti annos, vt his verbis subindicatur:

Non ego hoc ferrem calidus iuuentâ
Consule Planco. *Od. 14. li. 3.*

Athenis autem, quò illum iam perduximus, tanquam è celeberrimmo literarum emporio scribit se, non sine querela casus, iuuenili quodam ardore æstu abreptum in militiam, atq; bonas Reipublicæ partes sub Decimo Bruto, quem à puero coluerat & obseruârat, secutum, vt Stoicæ scholæ erat amulus vterq;. De hoc nónne ita fecisti Horati?

Nil cupientium
Od. 16. l. 1. Nudus castra peto & transfuga diuitum
Partes linquere gestio.

item Epi. 2. lib. 2. Dura, sed admouere loco me tempora grato,
Ciuilísque rudem belli tulit æstus in arma
Cæsaris Augusti non responsura lacertis:
Vndè simul primum, me dimisêre Philippi
Decisis humilem pennis, inopémque paterni
Et Laris & fundi, paupertas impulit audax,
Vt versus facerem.

Idem cecinit Pompeio Varo commilitoni suo:

Od. 7. li. 2. O sæpè mecum tempus in vltimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonauit Quiritem
Dîs patriis, Italóque cælo
Pompei, meorum prime sodalium?
Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi, relictâ non benè parmulâ:
Quum fracta virtus & minaces
Turpe solum tetigere mento.

Sed quem in castris Bruti locum obtinuisti?

Sat. 6. li. 1. Nunc, quia Mæcenas tibi sim conuictor, at olim
Quòd mihi pareret legio Romana Tribuno.

Idem cecinit Sidonius Apollinaris, sed non aliunde, puto, admonitus, atq; à loco Poeta suprà citato.

Et tibi, Flacce, acies Bruti, Cassíque sequuto
Carminis est auctor, qui fuit & veniæ.

Quid Bruto, prælium redintegrare paranti, rebus bonarum partium hac clade fractis & afflictis consuluisti per allegoriam nauis?

Od. 14. l. 1. Tu nisi ventis
Debes ludibrium, caue:
Nuper sollicitum quæ mihi tædium:
Nunc desiderium, curáque non leuis
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

Post hanc cladem amicos habuit & familiares, quorum operâ & studio, gratia & amicitia principum ipsi conciliata est, & inter illos nominantur præcipui:

Sat. 6. li. 1. Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius dixêre, quid essem.

His adiungitur tertius:

Sat. 5. li. 1. Postera lux oritur multò gratissima: námque
Plotius & Varius Sinuessæ, Virgiliúsque
Occurrunt: animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit deuinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

Plures his numerantur amici cuiusuis sortis & ordinis, viri doctrinâ, opibúsq; insignes, quibus, vt candidis censoribus, proponere solebat sua poemata ingeniosi spectanda & probanda.

Sat. 10. l. 1. Plotius & Varius, Mæcenas, Virgiliúsque
Valgius, & probet hæc Octauius optimus, atq;
Fuscus, & hæc vtinam Viscorum laudet vtérque.

Atque cæteros nactus fuit, quibus multò plures hoc versu

Epi. 4. l. 1. Complures alios, doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo:

sunt intelligendi, atq; in primis Albius Tibullus, quem vocat candidum iudicem sermonum suorum. Hoc quoq; est memorabile, quantos amores, quantásq; delicias suas fecerit sibi, ac in oculo gestârit ex hu quosdam, ac præ cæteris proximè sequentem:

Od. 3. li. 1. Nauis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis,
Reddas incolumem, precor,
Et seruus animæ dimidium meæ.

Sat. 9. li. 1. Si bene me noui, non Viscum pluris amicum,
Non Varium faceres.

Ode 6. l. 1. Scribêris Vario fortis & hostium
Victor, Mæonii carminis alite.

Epi. 1. li. 2. At neq; dedecorant tua de se iudicia, atq;
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius, Variúsque Poetæ.

De iisdem quoque sic honorifice fecit:

Sat. 10. li. 1. Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso: forte epos acer,
Vt nemo, Varius: ductu molle atq; facetum

Virgilio

Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Mirum profectò, cur nusquam meminerit Ciceronũ, Decimo Bruto capitis tam cari, nec Ouidii, qui canit se tantam capere voluptatem è poesi Horatiana:

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures, *Lib. 4. de*
Dum ferit Auſoniâ carmina culta Lyrâ. *Triſt. El. 9.*

præſertim quum non veritus ſit, nomen Bruti magis quouis alio inuiſum & odioſum Cæſari Auguſto appellatione dignari honorificâ: nec obſtat quòd quis diceret, id διὰ τὸ γέλωτος ἠρυθρικὸν factum eſſe: ſed ridentem dicere verum, quid vetat? *reſpondet ipſemet:*

Perſius exponit cauſſam, ridetur ab omni *Sat. 1. li. 1.*
Conuentu, laudat Brutum, laudátq; cohortem, *Sat. 7. li. 1.*
Solem Aſiæ Brutum appellat, ſtelláſque ſalubres
Appellat comites.

Interea vixit ἄγυνος καὶ ἄγαμος in celibatu:

Martis cælebs quid agam Calendis, *Od. 8. li. 3.*
Quid velint flores & acerra turis
Plena, miraris, poſitúſque carbo in
Ceſpite viuo.

Præterea rationem parcè, frugaliter, mundéq; viuendi, quam à patre didicerat, ſe oſtendit velle ſequi:

Pranſus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. Hæc eſt *Sat. 6. li. 1.*
Vita ſolutorum miſerâ ambitione, grauíque:
His me conſolor, victurus ſuauiùs, ac ſi
Quæſtor auus, pater atque meus patruúſq; fuiſſet.
Perſicos odi, puer, apparatus.

atque eódem inuitat Groſphum, *Ode 31. l. 1.*

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.
Nec leues ſomnos, timor aut cupido
Sordidus aufert.

Tali autarciâ conſtat tota Ode 31. lib. 1. & confirmatur his verbis: *Od. 16. l. 1.*

Probámque
Pauperiem ſine dote quæro:

ad quam autarciam ſpectat Ode 18. lib. 2.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Illum autem vitæ curſum & inſtitutum, ad quod diximus, antè naturâ optimè comparatum, ſemel aggreſſus, aliquando fortaſſè mutauit, ſed ita, vt ipſum poſteà puduerit ſi non maturiùs facti vitæ intemperantis, quod vbi feciſſet, hortatus eſt Villicum ſuum, vt ad normam ipſius effingeret & conformaret vitam moréſq; ſuos Epiſt. 14. ad verſ.

Nunc age, quid noſtram concentum diuidat, audi.

atq; ita tenuit, vt ſe Muſarum ſacerdotem prædicare cœperit:

Carmina non priùs
Audita, Muſarum ſacerdos, *Od. 1. lib. 3.*
Virginibus, pueríſque canto.

Vnde hæc opera exſtiterunt: primùm quadripartita Lyrici carminis confectio, conditi mirâ ſuauitate, vario nitidóq; lepore diſtincti. Cuius confectionis gloriâ, maximéq; trium librorum vſq; eò elatus eſt, vt ſe Delphicâ laureâ dignißimum prædicârit:

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius &c. *Od. vl. li. 3.*

atq; adeò ſe immortalitatem carminibus ſuis prædixerit conſecratum:

Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas, *Od. vlt. l. 2.*
Dilecte, Mæcenas, obibo,
Nec Stygiâ cohibebor vndâ.

Vbi eſt inprimis imitatus Alcæum & Sapphonem Græcos vates Lyricos:

Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sappho, *Ep. 19. li. 1.*
Temperat Alcæus.

Deinde vt in Epodis Archilochum, retentâ numeri ſuauitate, & mitigatâ conuiciorum acerbitate ſequutus fuit: ſic in Lucillii, Ennii, Varronis imitatione ſe præſtitit ſcriptione Satyrarum: maluítq; agere diſſimulatorem Socratem in Satyris, quàm conuiciatorem Lucillium in homines flagitioſè, impuréq; viuentes, iuxta illud, quod ſcripſit:

Ridiculum acri
Fortiùs & meliùs magnas plerúnque ſecat res
Parios ego primus Iambos *Sat. 10. li. 1.*
Oſtendi Latio, numeros, animóſque ſequutus:
Archilochi, non res & agentia verba Lycamben. *Ibidem.*

De ipſius quoque Epiſtolis vtriúſq; libri poteſt hoc breuiter & abſolutè dici, πάντας περιέχειν ἢ τὰς παραινέσεις ἢ τὰς διδασκαλίας, eas complecti, aut cohortationes *ad ſapientiæ ſtudium & vitæ beatæ tranquillitatem,* aut doctrinam & præcepta *rectè legitimèq; condendi poema. Poſterioris generis ſunt tres Epiſtolæ διδακτικαὶ ad Auguſtum, ad Florum, ad Piſones libri ſecundi: priores ſunt viginti libri ad varios homines Poetæ amicos ſcriptæ in quibus profectò ſcriptis omnibus elucet maximè fructus, quem retulit Horatius è ſtudio Philoſophiæ & humaniorum literarum Romæ & Athenis: apparet quoq; ibidem, quũ ille diu multúmq;*

hæsisset in optima tot Philosophicarum sectarum deligenda, tandem eum aperuisse Mæcenati, omni tot familiarum discrimine sublato, suum consilium, se libertate philosophandi vsurum, ac more industriæ ac florilegæ apis, eas singularum sententias, velut flores plantarum ad mellificium, studiosè delibaturum, quas ex vsu fore sibi putaret, de quo sic ipse fecit:

Ac ne fortè roges, quo me duce, quo Lare tuter:
Epist. 1. l. 1. Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cúnque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, & mersor ciuilibus vndis,
Virtutis veræ custos, rigidúsq; satelles.
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, submittere conor.

Aliquando patrocinium voluptatis videtur suscepisse; & vt Epicureus, defendisse, ac Diis rerum humanarum non curantiam affinxisse, quale est:

Sat. 5. li. 1. Credat Iudæus Apella,
Non ego: námque Deos didici securum agere ævum:
Nec; si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes ex alto cęli demittere tecto.

Quale illud quoque: Vin' tu
Sat. 9. eiusdem. Curtis Iudæis oppedere? Nulla mihi (inquam)
Relligio est.

Sed tam impiam de Diis opinionem ex animo euulsam remisit, ac palinodiam sapientiæ tam insanæ sic cecinit:

Od. 34. l. 1. Parcus Deorum cultor & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ,
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus,
Cogor relictos.

Prætereà facetam habemus exagitationem Epicureæ sectæ sub persona Catii, qui princeps illius Romæ habebatur, & à nobilioribus ibi colebatur. Non minùs irridet familiam Stoicorum, vbi potest libertas Poetæ, quam Mæcenati promiserat, de doctrina & dogmatis Philosophorum liberè sentiendi, ac iisdem vtendi πρακτικῶς, obseruari. Quot autem annos cum Mæcenate vixerit, non est certè facilè illorum subducere rationem: fit quidem mentio septennii:

Sat. 4. li. 2.
Sat. 3. eius.

Sat. 6. l. 2. Septimus octauo propior iam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero: duntaxat ad hoc, quem tollere rhedâ
Vellet, iter faciens, & cui concredere nugas
Hoc genus: hora quota est? Thrax an Gallina Syro par?
Et quæ rimosa benè deponuntur in aure.

Sed nescitur an hoc temporis spatium antecesserit illud suprà notatum:

Epi. vl. li. 1. Me quater vndenos sciat impleuisse Decembres.

Quædam etiam temporis hoc longioris significatio, sed subobscura:

Quòd si me noles vsquam discedere, reddes
Epi. 7. l. 1. Forte latus, nigros angustâ, fronte capillos,
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cynaræ mærere proteruæ.

hic paulò longioris ac clarioris datur significatio.

Desine dulcium
Od. 29. l. 1. Mater sæua Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis.

Ἐκ τούτων μὲν σαφῶς γινώσκεται, ποίας ἡλικίας πόῤῥω ἦκε τότε, ἀπλονότι εἰς τὴν πεντικονταετίαν, ex his quidem apertè cognoscitur ætate prouectus tum Horatius quinquagenariâ. *Chronologi autem, ac inprimis Glareamus habet rationem ætatis Horatianæ ita subductam, vt constet, illum L. Manlio Torquato, & L. Aurelio Cotta Coss. anno Vrb. cond. 689. natum, & scripsisse epistolam 20. lib. 1. Q. Aemilio Lepido, & Marco Lollio Coss. anno V. C. 733. vndè colligi facilè potest illud quater vndenorum Decembrium spatium intercessisse: quibus annis quattuor & quadraginta Ode superior lib. 4. prima sex addit: vndè conficimus eum fuisse quinquagenarium, quum impulsu Augusti conscripsit librum quartum Odarum. Sed si verum est, quod affertur è Suetonio, illum obiisse C. Mario Censorino & C. Asinio Gallo Coss. an. V. C. 746. inter hunc annum exitus è vita, & illum 699. ingressus in eam, apparet procul dubio interuallum 57. annorum interpositum, quos Eusebius in Chronicis narrat Horatium impleuisse, atq; è vita exiisse anno Augusti Cæsaris 34. tot annis grauem. Quanquam alii dicant eum attigisse 59. alii septimum supra septuaginta ætatis annum, quum è vita migrauit: sed nullâ locupletis testis nituntur auctoritate: ideóq; illorum dicta, ὡς λόγοι τοπαράπαν ἀτέχμαρτοι, διὸ καὶ ἀπιστούμενοι, habenda sunt. E genere autem scriptorum, de ipso exoticorum, est vita, quæ propriis & antecedentibus subtexitur & sequitur.*

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI VITA E VETVSTO QVODAM EXEMPLARI EXscripta & Suetonio attributa.

Q. *Horatius Flaccus Venusinus* patre, vt ipse quidem tradit, Libertino, & exactionum coactore: vt verò creditum est, salsamentario, quum illi quidam ex altercatione exprobrasset, *quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?* bello Philippensi excitus à M. Bruto Imperatore, Tribunus militum meruit, victisq; partibus, veniâ impetratâ, scriptum Quæstorium comparauit: ac primò Mæcenati, mox Augusto in gratiam insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit, Mæcenas quantoperè illum dilexerit, satis demonstratur illo Epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo: tu tuum sodalem,
Hinno me videas strigosiorem.

Sed multò magis extremis, tali ad Augustum eclogio:

Horatii Flacci, vt mei, esto memor.

Augustus Epistolarum quoq; ei officium obtulit, vt hoc ad Mæcenatem scripto significat: *ante ipse sufficiebam scribendis Epistolis amicorum: nunc occupatissimus & infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, & nos in scribendis Epistolis adiuuabit.* ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam * suggerere destitit. Exstant Epistolæ, è quibus argumenti gratiâ pauca subieci: *Sume tibi aliquid iuris apud me, tanquam si conuictor mihi fueris, rectè enim & non temerè feceris: quoniam id vsus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit,* & rursus *tui qualem habeam memoriam, poteris è Septimio quoq; nostro audire: nam incidit, vt coram illo fieret à me tui mentio. Neq; enim si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, ideò nos quoq;* * ἀνθυπερφρονοῦμεν, id est, *vicissim superbimus.* Prætereà sæpe eum inter alios iocos putissimum penem & homuncionem lepidissimum appellat, vnâq; & alterâ liberalitate locupletauit. Scripta quidem eius vsq; adeò probauit, mansuráque perpetuò credidit, vt non modò seculare carmen componendum iniunxerit, sed & Vindelicam victoriam Tiberii Drusíque priuignorum suorum: eúmque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo interuallo quartum addere: post sermones verò lectos nullam sui mentionem factam ita sit questus: *Iratum me tibi scito, quòd non in plerisq; eiusmodi scriptis mecum potissimùm loqueris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Expressitq; Eclogam, cuius initium:

Quum tot sustineas, & tanta negotia solus:
Res Italas armis tuteris: moribus ornes:
Legibus emendes in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Cæsar.

Habitu corporis breuis fuit, atq; obesus, qualis & à semetipso in Satyris describitur, & ab Augusto hac Epistolâ. *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem breuitatem, quantuluscúnq; est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quàm ipse es: sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaq; licebit in sextariolo scribas, quum circuitus voluminis tui sit* ὀγκωδέστατος, *sicut est ventriculi tui.* Ad res Venereas intemperantior traditur. Nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, vt quocúnque respexisset, ibi ei imago coitus referretur. Vixit vt plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tarentini: domúsq; eius ostenditur circa Tiburni Luculum. Venerunt in manus meas & Elegi sub eius titulo, & Epistola prosâ oratione, quasi commendantis se Mæcenati: sed vtraq; falsa puto. Nam Elegi vulgares: Epistola autem obscura: quo vitio minimè tenebatur. Natus est sexto Idus Decemb. L. Cottâ, & L. Torquato Consul. Decessit quinto Kal. Decemb. C. Mario Censorino, & Caio Asinio Gallo Consul. post nonum & quinquagesimum annum, herede Augusto palàm nuncupato, quum vrgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas & conditus est extremis Esquiliis iuxta Mæcenatis tumulum.

* *Aldus legit ingerere desiit.*

* *Aldus* ἐπερηφαναιόμεθα.

CATALOGVS AVCTORVM,

QVORVM TESTIMONIIS FIDES HISCE PRAELE-ctionibus Horatianis facta est.

Adrianus Turnebus.
Aelianus.
Aelius Antonius Nebrissensis.
Aelius Donatus.
Aelius Lampridius.
Aeschines.
Aeschylus.
Agellius.
Agretius.
Albius Tibullus.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexandro.
Ambrosius Macrobius.
Amiotus interpres Gallicus Plutarchi.
Ammianus Marcellinus.
Andreas Alciatus.
Angelus Politianus.
Anitius Boetius Manlius Seuerinus.
Antonius Pinetus.
Appollodorus.
Apollonius Rhodius.
Aratus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Asconius Pædianus.
Athenæus.
Audomarus Talæus.
Augustinus Dathus Senensis.
Auicennas.
Aulus Persius Flaccus,
Aurelius Augustinus.
Basilius Magnus.
Bernhardus.
Berosus.
Biblia sacra.
Cæcilius Cyprianus.
C.Crispus Sallustius.
C.Iulius Cæsar.
C.Iulius Higynus.
C.Iulio Solinus Polyhistor
C.Pedo Albinouanus.
C.Plinius Secundus.
C.Suetonius Tranquillus.
C.Velleius Paterculus.
Callimachus.
Christophorus Landinus.
Claudius Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Cneius Martius.
Cornelius Celsus.
Cornelius Fronto.
Cornelius Tacitus.
Decimus Ausonius.
Dec.Iun.Iuuenalis.
Demetrius.
Demosthenes.
Desiderius Erasmus.
Dio.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Diomedes.
Dionysius Halycarnassæus
Dionysius Lambinus.
Dionysius Lebæus.
Dionysius Periegetes.
Dioscorides.
Diphilus.
Domitius Calderinus.
Domitius Vlpianus.
Duris Samius.
Epigrammata Græca.
Euripides.
Eusebius.
Eustathius.
Flauius Iosephus.
Fl.Sosipater Charisius.
Franciscus Hotomannus,
Franciscus Luisinus.
Franciscus Rablesius.
Franciscus Robortellus.
Galenus.
Georgius Merula.
Germanus Valés Guellius Pimpontius.
Gregorius Nazianzenus.
Gulielmus Budæus.
Gulielmus Cantherus.
Gulielmus Xylander.
Helenius Acron.
Henricus Glareanus.
Henricus Stephanus.
Hermogenes.
Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
Hesychius.
Hieronymus.
Hieronymus Mercurialis.
Homerus.
Huralthospitaliorum apologeticum.
Iacobus Cruquius.
Institutiones Iuris ciuilis.
Iohannes Amariton.
Iohannes BaptistaPlautius
Iohannes Britannicus.
Iohan.Chrysostomus.
Iohan.Gorræus.
Iohannes Obsopæus.
Iohannes Passeratius.
Iohan. Pierius Valerianus.
Iohannes Stobæus.
Iohannes Xiphilinus.
Iosephus Scaliger.
Isacius Tzetzes.
Isidorus Hispalensis.
Isocrates.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iulius Florus.
Iulius Pollux.
Iustus Lipsius.
Laurentius Valla.
Libanius Sophista.
Lippus Brandolinus.
Lucillius.
Lucianus Samosatenus.
L.Annæus Seneca vtérque.
L.Apuleius Afer.
L. Cælius Firmianus Lactantius.
L.Fenestella.
L.Iunius Moderatus Columella.
Lud.Cælius Rhodiginus.
Lycophron.
M.Accius Plautus.
M.Annæus Lucanus.
M.Ant.Muretus.
M.Fabius Quintilianus.
M.Manilius.
M.Terentius Varro.
M.Tullius Cicero.
M.Val.Martialis.
M.Vitruuius.
Menander.
Michael Hospitalius.
Nicolaus Damascenus.
Nicolaus Perottus.
Nonius Marcellus.
Onuphrius Panuinius.
Oppianus Cilix.
Pandectæ Iuris ciuilis.
Paulus Ægineta.
Paulus Manutius.
Pausanias Lacon.
Petronius Arbiter.
Petrus Ramus.
Petrus Victorius.
Philippus Beroaldus.
Phocylides.
Pindarus.
Plato.
Plutarchus Cheronæus.
Polybius Megapolites.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Porphyrio.
Priscianus.
Ptolemæus.
P.Ouidius Naso.
P.Terentius Afer.
P.Virgilius Maro.
Q.Ennius.
Q.Septimus Florens Tertullianus.
Q.Valerius Catullus.
Scholiastes Homeri.
Scholiastes Æschyli.
Scholiastes Apollonii.
Scholiastes Aristophanis.
Scholiastes Euripidis.
Scholiastes Hephæstionis.
Scholiastes Hesiodi.
Scholiastes Pindari.
Scholiastes Sophoclis.
Scholiastes Theocriti.
Scholiastes Thucydidis.
Servius Honoratus Maurus.
Sex.Aurelius Propertius.
Sextus Pompeius Festus.
Sextus Turpilius.
Simonides.
Sipontinus Antistes.
Sophocles.
Statius Papinius Neapolit.
Stephanus Byzantius.
Strabo.
Suidas.
Sulpicius Lubercus Sebastus iunior.
Synesius.
Theocritus.
Theodorus Gaza.
Theognis.
Theophilus Institutionū Iuris ciuilis interpres.
Theophrastus Eresius.
Thomas Linacer.
Thucydides.
Titus Liuius.
Tit.Lucretius Carus.
Valerius Maximus.
Xenophon.
Xystus Betuleius.

Q. HORATII FLACCI VEN.

CARMINVM LIBER PRIMVS

A

PETRO GVALTERIO CHABOTIO PICT. SANLVP.

triplici Artificio

DIALECTICO, GRAMMATICO ET RHETORICO

quàm eruditißimè, & absolutißimè explicatus.

Et à

I. IAC. GRASSERO CIV. ROMANO

uberrimè illustratus.

ODE I. Ad C. Cilnium Mæcenatem.

Theticum.

Quòd quum homines teneantur desiderio, alius alio, & inde avocentur ægerrimè, Poeta se velit cum Musis delectare, & ex eo sibi cognomen Lyrici Poetæ adoptare.

[1] Aecenas [a] atavis edite [b] regibus,
[c] O & [d] præsidium & [e] dulce decus meum!
[2] Sunt, quos [f] curriculo [g] pulverem Olympicum
Collegisse juvat: [h] metaq́; [i] fervidis
Evitata rotis, [k] palmaq́; [l] nobilis
Terrarum dominos [m] evehit ad Deos.
[3] Hunc si mobilium turba Quiritium
Certat [n] tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo,
Quicquid de [o] Lybicis verritur areis,
Gaudentem patrios [p] findere sarculo
[q] Agros [r] Attalicis conditionibus
Nunquam demoveas, ut [s] trabe Cypria
[t] Myrtorum pavidus nauta [u] secet mare.
[4x] Luctantem Icariis fluctibus [y] Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit [z] rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
[5] Est, qui nec veteris pocula [aa] Maßici,
Nec [bb] partem solido demere de die
[cc] Spernit: [dd] nunc viridi membra sub [ee] arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene [ff] caput sacræ.
[6] Multos [gg] castra juvant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaq́; matribus
Detestata: [7] manet sub [hh] Jove frigido
Venator, teneræ conjugis [ii] immemor:
Seu visa est catulis cerva fidelibus:
Seu rupit teretes [kk] Marsus aper plagas.
[8 ll] Me doctarum [mm] ederæ præmia [nn] frontium
Dîs [oo] miscent superis: me gelidum [pp] nemus,
Nympharumq́; leves cum Satyris chori
Secernunt populo: si [qq] neq; [rr] tibias
Euterpe cohibet: nec Polyhymnia
[ss] Lesboum [tt] refugit tendere barbiton.
Quòd si me Lyricis vatibus [uu] inseres,
Sublimi feriam sidera [xx] vertice.

Analysis Dialectica.

QVANQVAM nostra expositio analytica superioribus annis edita, in universum nostri vatis poema complexa est breviter artificium Logicum, ut quibusdam nunc supervacanea ejusdem repetitio videatur: illi tamen longè aliter sentient, quum illud primùm intelligent, breviter ac separatim scriptum in eorum gratiam; quibus neq; Grammaticæ, neq; Rhetoricæ elocutionis admonitione opus esset: quiq́; possent artis utriusq; utilitatibus carere. Deinde quum etiam animadvertent utriusq; artificii collatione, quod illic aliquot locis fuerat contractiùs, ideoq́; fortassis ἀσαφεστέρως & obscuriùs enunciatum, hîc productiùs & clariùs explanari, numeris sedes argumentorum indicantibus in litera διακεκριμένως. Huc accedat ad extremũ illud Platonis in Philebo de Socrate, δὶς καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖ. οὐδεὶς γὰρ τοῦ καλοῦ κόρος ἐστὶν, ἀλλὰ μὲν οὐ βουλοίμην ἂν τοῦτο τῆς ὄρνητος ἀλαζόνος δίκην προσδεκτέον, i. *Id esse memoriâ etiam atq; etiam repetendũ, & crebro sermone usurpandum, quod est pulcrum. nulla enim est pulcri satietas. attamen hoc nolim ego διὰ τῆς ἀηδέος περιαυτολογίας, ad morem ostentatoris pavonis acceptum,* de quo sic Ovidius:

Laudatas ostentat avis Junonia pennas.

Hîc autem Horatius, ut Mæcenati suo indicaret, quæ potior videretur sibi vitæ conditio, ad cujus finem sua studia mallet referre, primùm aliquot illius traducenda genera proponit, à quibus prædicat se vehementer abhorrere: deinde optare, ut quàm longissimè abesse inde possit. Unde planum est, primam Oden inducere non modò exordium quoddam institutæ vitæ: verùm etiam indicare scopum, quem initio hujus poematis ipse sibi proposuerat. Illam autẽ in tecto sententiarum

genere versari, quod circuitu verborum scriptores artis poeticæ tradunt constare: quo velut involucro & integumento sententia ejusdem quibusdam videtur velata: ideoque nos in apertum protulimus, & in simplex theticum contraximus; ad quod arguendum expositio dialectica διαιρετικῶς singula retulit argumenta. Nam quum ille profitetur hîc se unicè Lyricæ coronæ desiderio teneri, prætermissis atq; relictis aliorum hominum studiis ac votis, quorum vita distringitur aut ambitionis labore, aut opibus congerendis, aut voluptatibus perfruendis, non obscurè profectò, ut sæpè in suis versibus ambitiosorum, avarorum & voluptuariorum studia & vota debilitat & reprimit: qui dum se totos tradunt rebus incertis; dum in eas tam humiles tamq; contemptas, omnes omnino suas cogitationes & curas abijciunt; omnia immoderatè faciunt: eamque ob rem nihil altum, nihil magnificum, nihil divinum suspicare possunt: præmio autem musarum, quod ipse in animo habet, in primis voto persequi, nihil esse cõstantius, tutius, magisq; divinum, atq; sempiternum: ut se velut apotheosi quadam inter deos relatum existimarit, si præstantiâ & nobilitate hujus coronæ in ordinem vatum Lyricorum possit cooptari, numerumq; ipsorum obtinere. Unde manifestum est, Oden non tantâ studiorum repugnantiâ constare, quantâ nonnulli putarunt. Quæ enim aliis diuturniori ac nobiliori famæ celebritate præstant, dissimilia tantum & disparia iisdem judicanda sunt; quæ minimè tamen carent laude sua apud homines. ὡς τὸ τὰ ὀλύμπια στεφανεῖσθαι καὶ τὸ τῆς ὑπατείας τυγχάνειν, i. *victoriam Olympicam & consulatum obtinere, seu olympiâ coronari & consulatum gerere*, ut Panegyricus Isocratis initio docet. De hoc autem excellenti & immortali fructu sic ipse fecit postremâ Oden lib. 3.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius.

Eadem præsentis musæ efficientiam apertius expressit Ode 8. lib. 4.

Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cœlo Musa beat.

Quæ videntur sumpta ex Idyllio Theocriti 16:

Ἐκ Μουσᾶν ἀγαθὸν καὶ ἔρχεται ἀνθρώποισι.
A Musis honesta fama venit hominibus.

Hoc Musarum studio & solatio Plutarc. scribit Solonẽ onus ingraescẽtis ætatis levasse: de quo vide in ipsius vita sub finem. Huc accedit quod Plato initio Timæi de eodem scribit, Εἰ δὲ μὴ παρέρχομαι τὴν ποίησιν καὶ λέγεται, ἀλλ' ἐπικελὴς καὶ ἀκατέργαστος οἱ ἄλλοι, ἔτι δὲ σοφιστικῶς, ἔτ' ὁμήρου, ἔτ' ἄλλου τοῦ ποιητικοῦ δεξιώτερος ἐγχώριος ἂν ποτε αὐτῇ, i. *Si non perfunctorie, sed seriò, sicut alii, Poeticam tractasset, neq; Hesiodus, neq; Homerus, nec alius quisquam ex poetis fuisset unquã ipso celebrior hominum sermone.* Nulla quidem certè diligentior præparatio possit adhiberi in exordio solutæ orationis ad animos audientium vel legentium cõciliandos, quàm hic delectus Lyricę laudis: quem sibi poeta initio suorum carminũ instituit è dissimilitudine humaniorum affectuum, quæ breviter sic enuntianda est. Ex hominibus alii hoc, alii id affectant, ego verò, ait Horatius, longè aliter affectus sum. Quare ut prima Ode videtur, (quanquam nemini perspicuum satis est quo vel tempore vel ordine singulæ conscriptæ sint Odæ, ut appareat ex Ode 37. lib. 1. & Epod. 9. Idem mecum conqueritur scholiastes Pindari Ἐπιλ. 5. Πυθ. de laudibus Xenocratis patris ac ipsius filij Thrasybuli: quòd hic hymnus longo anteeat tempore proximè antecedentem. Et de Archesilao; quem quidem interpretem si consulueris, lector, ex ipso disces seriem temporum non fuisse servatum in hymnis ordine collocandis: quæ observatio videtur etiam neglecta in dispositione Psalmorum à Davide conditorum. Nam qui locum ordinis decimum octavum tenet, historia, lib. 2. Samuelis cap. 22. indicat eum διλῶ ᾠδὴν ᾠδῆς, *instar carminis de variis à Davide victoriis reportatis*, gratuitâ Dei Opt. Max. beneficentiâ conditum fuisse, quum ipse jam sentiret diem obitus sui non procul abesse; neque etiam historiam componebam, ajebat Plinius Secundus de suis epistolis nullo temporis servato ordine collocatis. Videtur, inquam, hæc Ode prima προοίμιον καὶ προῳδός τις συγκλικὸς ἢ προαύλιον, præcentio quædam commendatitia ante ingressum operis αὐτὴ προοιμίου τινός. vice procœmii cujusdã Lyrici vel anterioris comæ: sic postrema lib. 3. ὡς κορωνὶς καὶ τις ὠῳδός, ἀκροτελεύτιον ἔπος, tanquam diceres, *Succentio quædam ac postremum carmen* potest vocari. Ad theticum jam venio: ego autem sic appello τὸ ἐνθήσει, quicquid proponitur vel ad explicandũ vel ad quovis modo disputandum, sive fuerit infinitum, sive definitum, sive simplex, sive conjunctum; conjuncturaléve, aut quale quid: quod quæratur, aut simpliciter enunciaretur: quod vulgò in scholis dicitur Positio.)

Venio inquam ad Theticum, quod non prius exponitur, quàm poeta duobus primis versibus honorificè Mæcenatem ad benevolentiam ipsius sibi concilian-dum affatus sit: quorum enunciata constant partim è causis provocantibus: quo argumenti genere utitur etiam in exordio odes 5. lib. 4. de Augusto:

Divis orte bonis optime, Romulæ
Custos gentis. Item Virgilius Æneid. 7. de Turno, *qui erat avis atavisq; potens:* Quas quidem causas Aristot. cap. 3. Physicorum vocat τὰ αὐτὰ συμπλοκάς: partim ex adjunctis, quæ tu per effecta sic clariùs pronuncies: Tu quidem, Mæcenas, genus ducis ab Hetruscis regibus, quod, ut hodie sunt hominum mores, apud quos è Satyra 5. lib. 2.

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.)

ampliss-imis præsertim fortunis ornatum vulgus ponit in rebus omnium maximis: at sapiens Stoicus non item, nisi ad utrumque accedat propriæ, non alienæ virtutis commendatio: qualis Saty. 6. lib. 1. memoratur: & quæ quum multis ex te sæpè antea eluxisset, tum mihi profectò maximè in Philipensi clade, unde tu me clementiâ, & benignitate regiâ conservasti: firmo præsidio defendisti, multisq; postea fortunis ac muneribus auxisti & honestasti: maximo deniq; adjumento & amplissimo ornamento mihi fuisti. Ode tamen 7. lib. 2. Mercurio tribuit hanc salutẽ, ut principi ac cœlesti causæ. Qualis autem ejus fuerit status post hujusmodi cladẽ, scribit Epist. 2. lib. 2.

Unde simul primum me dimisere Philippi
Decisis humilem pennis, inopemq; paterni
Et laris & fundi. &c.

Enimverò hoc enunciatum ex adjunctis, *Mæcenas est Poetæ præsidium & decus*, πολὺ ἐνεργητικώτερον εἶναι δοκεῖ, quia diutius in re creditur inhærere, quàm hoc vel ex causis, vel effectis, quorum illę sæpius ab eadem faciunt secessionem: ut Mæcenas *Poetam præsidio munit & decorat*, nisi fortè præstat referri hoc pronunciatum ad Mæcenatẽ, id est, ad causam conservatricem, quæ, quod effectum & generatum est, alit, sustentat, & majus quotidie facit: ita versus secundus erit è causa conservante, quod magis probandum est: ut qui sonet Męcenatem esse custodem & exornatorem Poetæ: cui talis custodia & exornatio sic adjungetur. Illustre legitur exemplum à conservante causa cap. 15. Genes. ubi *Jehova* confirmat Abrahamo promissiones de conservatione ipsius, & numerosa posteritate, *Ne timeas*, ait, *Abrame: Ego clypeus sum tibi: merces tua ampla est valde.* Est autem hîc enthymema inversum, sic tamẽ rectè pronunciandum, Ego tibi, *Abrame*, præ-

me, præsidio insigni futurus sum, præmium abunde magnificum daturus: bono igitur ac forti animo esse debeo. Et certè hæc testificatio grati animi, & beneficiorum memoris adjungit Horatio benevolentiam Mæcenatis multo majorem, & illum secernit ab ingratis multis, de quibus sic Theognis:

Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ
Κύρν' ὀλίγης τίμης ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ.
Vir bonus, qui est levi populo arx & turris, perraram recipit gratiam.

Quale & beneficentiæ testimonium datur in Epist. 7. lib. 1. *Non quo more piris vesci Calaber jubet hospes,*
Tu me fecisti locupletem.

Et ode 17. lib. 2. — *Mæcenas mearum*
Grande decus columenq; rerum.

Quale etiam generis, Satyr. 6. lib. 1. ex iisdem provocantibus, — *Mæcenas, quicquid Hetruscos*
Incoluit fines, nemo generosior est te.
Nec quòd avus tibi maternus fuit, atq; paternus
Olim, qui magnis legionibus imperitarint.

Item Propertius lib. 3.
Mæcenas, eques Hetrusco de sanguine regum.

Enarratio Grammatica.

ODe.] Hanc vocem è Græco fonte manasse certò tenemus: deducitur enim ex ἀοιδὴ διὰ τῆ συναλοιφῆς, cõtracto in ᾠδὴ, & hoc ab οἶδα præterito medio verbi ἀείδειν, canere: quod proprium est Poetæ, μάλιστα μὲν ᾄδω συμπαγὲν εἰς ἄδω, quod sic affectũ est quoq; oratoris, sicut εἰπεῖν: quibus verbis enunciantur principia Iliadis & Odysseę: prius tamen, ut ᾠδὴ ab ipso declinatum, magis convenit Lyricis: quia verba continet socianda chordis, ut est ode 9. lib. 4. posterius autem & ab ipso ortum. ἔπος, Epici est proprium, ut λέγειν Oratoris. unde definitur Ode, ὁ μεμελισμένος λόγος, i. *modulatus sermo*, ut πρωτότυπον ἀοιδεῖν ἐστι τὸ ἐμμελῶς λέγειν, i. *modulatè dicere*. quo tamen latius patet *carmen* vox Latina, qualem hîc observationem in verbis ἀείδειν καὶ εἰπεῖν adnotamus, talem Strabo sub initium lib. 1. statuit in verbis φράζειν καὶ ᾄδειν. Ὡς ἐπειδὴ τὸ φράζειν παρώτισται ὅτι τὸ ποιητικῆς ἐλέγετο φράσεως. αὖτη δὲ μετὰ ᾠδῆς, τὸ ἀείδειν αὐτοῖς τὸ αὐτὸ τῷ φράζειν ἐπῆρξε παρ' ἐκείνοις. Id est, *Itaq; quum verbum dicere initio de poetica dictione usurparetur. Eadem autem cum cantu conjungeretur, factum est, ut hæc duo verba canere & dicere idem apud eos sonarent: quorum quum alterum pedestri orationi accommodarent, abusio etiam ad alterum pervasit.* Verbum autem ἀείδω fit, ut quidam volunt, ex ἀ θετικῆς litera, & εἴδω scio: quòd varia & multiplex rerum scientia sit bono Poetę necessaria, de quo vide Eustathium initio Iliad. α: quod etiam Aristot. in poetica præcipere videtur: Μάλιστα μὲν δὴν ἅπαντα δεῖ πεπεῖσθαι ἔχειν. εἰδὲ μὴ, τὰ μέγιστα καὶ πλεῖστα, ἄλλως τε καὶ ὡς νῦν συκοφαντοῦσι τοὺς ποιητάς, i. *Itaq; præcipua danda est Poetis opera, ut ipsi sint omnibus instructi: sin minus, quàm maximis & quàm plurimis: præsertim quum etiam hodie homines contumeliosè criminentur Poetas. Nulla sit ingenio quam non libaverit artem.* Præterea nõnulli putant oden hoc differre ab hymno: quòd hic ad laudes deorum decantandas, quales sunt Pęanes Apollinis, Dithyrambici Bacchi, Eotici Veneris: illa ad quoslibet honore celebrandos pertineat; Odysseæ tamen θ. dicitur ἀοιδοῦς ὕμνον ἀκούων, pro simplici *audiens oden*, vel *audiens hymnum*. Apparet etiam hæc similitudo notionis è Callimacho in Apollinem: Ἔστι γὰρ εὔυμνος. τίς αἶψα ῥέα φοῖβον ἀείδοι; *Phœbus enim valdè laudabilis est: quis enim non facilè laudarit?* Sed multò enucleatiùs hæc vox ab Eustathio declaratur in postremum Dionysii de orbis descriptione versum: Ἔστι γάρ, ὅτε ὕμνος καὶ ἄλλως λέγεται, καὶ οὐ μόνον ὅτι θεοὺς ἐπαίνει· τὸ δὲ ἀπλῶς θρυλλεῖσθαί τι, ὑμνεῖσθαι λέγεται. Ἡσιόδος δὲ ἔφησε τὸν πεζὸν ναυλίας ἔμμεθον, λόγον ὕμνον φησὶν ἐν τοῖ, Μοῦσαι γὰρ μ' ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν. Id est, *Interdum etiam hymnus alia de re, atq; de divina laudatione dicitur: quod enim simpliciter divulgatur, hymno dicitur celebrari. Itaq; Hesiodus orationem de navigatione metro constantem vocat hymnum,*

Musæ docuerunt me canere hymnum ingentem.

Verbi exemplum protulit Gaza in Cato. Majore ex Oeconomico Xenophontis: Ὅσον γὰρ φιλοτίμως πρὸς αὐτὴν γεωργίαν ὑμνοῦσι; *quàm igitur studiosè ab ipso celebratur agricultura?* Est autem ὑμνῶν Ulpiano in primam Olynthiacam, ὅτε πάντες βοῇ καὶ θορύβῳ χρῶνται πρός τι καὶ διατάναι, *quum omnes clamore & strepitu tumultuq; utũtur ad aliquid constituendum.* Ita sumpsit Aristoteles τὸ ὑμνεῖσθαι sub finem lib. 9. Ethic. ad verba, οὐ γίγνονται φίλοι πολλοὶ κατ' ἰσότητα καὶ τὸ ἀνάλογον φιλίαι. αἱ δ' ὑμνούμεναι ἐν δυοῖν λέγονται, i. *non existunt amici multi in amicitia sodalitia: quæ autẽ feruntur in cœlum summis laudibus, in duobus extitisse dicuntur.* Hic explendũ est τὸ *paribus Theseo & Pirithoo, Oreste & Pylade.* Huc accedit, quod Grãmatici Græci tradunt, τὸν ὑμνοπόλον καὶ τὸν ἀοιδοπόλον nihil inter se differre pro eo, qui versatur in lyricis versibus canendis. Deflecti autem putatur ᾠδὴ τὸ ᾄδειν, ἢ ὑδεῖν, quod est, *aliquid carmine celebrare.* Ac præsertim à concisso participio ὑδόμενος. Ex quo hæc fuerunt annotata, in meas manus venerunt è Procli Chrestomathia Grammatica eclogæ Photii Patriarchæ C. P. ubi non dissimilia jam suprà notatis de hymno mihi non quærenti sunt oblata: quorum est interpretatio, hymnum sic dictum ajunt, quasi ὑπόμνησις, i. *commemoratio quædam* sit, revocans in memoriam res hymno celebratorum gestas, vel ἀπὸ τῆ ὑδεῖν αὐτὰς, i. *ab iisdem rebus prædicandis.* In universum autem vocabant hymnos, quæcumque in gratiam sacrorum ministrorum scripta erant. Itaque Prosodion, aliaque supradicta, hymno, ut species generi, subjecta definiri videtur, ut hymni sint alii Prosodii, alii Encomii, alii Pæanonii, alii Dithyrambici, alii Nomonii, alii Adonidii, alii Iobacchii, alii denique Hyporchematici. Ibidem lector videbit alia carminum genera communiter ad deos & ad homines pertinentia. quod autem hîc ponitur discrimen in vocibus Græcis Ode & Hymnus, id etiam reperitur statui in Hebraicis מִזְמוֹר *Mizemor*, & שִׁיר *Schir*, ut illa sit carmen artificiosè accurateque scriptum, emendatum, concisum, nec liberè currens. Schir contrà dicitur de canticis non arte modulatis, sed liberis ac solutis, cujusmodi est oratio prosa, id est, recta: sed de his lege *Protheorias Chrysostomi*, & scholia Eustachii de variis odarum generibus in vers. Ιλιαδ. Α. οἱ δὲ παννύχιοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο. i. *Hi verò totum diem Deum placabant.*

Quod autem Pindaro fuit τὸ εἶδος, id Luciano est τὸ ἄσμα, aliis τὸ μὲν τὸ κοινῶς, communiter, *Horatio* vati Latino ode vel oda. Non equidem hîc ausim de prima Flacci ode prorsus affirmare, quod Lucianus scripsit de primo Pindari cantico in dialogo Gallo, τοῦτο μὲν κάλλιστον ὧν πώποτε ἄσμάτων εἶναι. i. *Hoc quidem altis omnibus pulchritudine antecellere.* Hæc quidem veriloquiorum investigatio videbitur nonnullis fortasse hîc longior; sed illi, quum intelligent è Platonis Cratylo, ὅτι μέν ἐστι τὰ ὀνόματα, τὰ πράγματα μανθάνειν, *nomina rerum intelligendarum esse administra*, sentient non esse nimis prolixum τὸ μαίεσθαι τὸ ὄν, *rei cujusq; veritatem*, unde τὸ ὄνομα vocatur, investigare, ut in præfatione jam attigimus.

Mæcenas] Ita singulis partib. operis Georgici à Virgilio appellatur. *Mæcenas* autem dicitur fuisse filius *Menedori*, qui Cæsari contra Pompejum affuit: illi *Menippus* pater, filius *Cacinæ* regis Hetruscorum, de quorum claritate vide quatuor versus *Satyræ 6.* primos: de quo Mæcenate primùm vide Senecam Epist. 19. ubi de eo sic hæc scribit, citata ex ipsius Prometheo hâc sen-

tentia. *Volo tibi hoc loco referre dictum Mæcenatis vera in ipso equuleo docuit. ipsa enim altitudo attonat summa. si quæris, in quo libro dixerit, in eo, qui Prometheus inscribitur, hoc dicere voluit, attonita habet summa. Est ergo tanti vlla potentia, vt sit tibi tam ebrius sermo? ingeniosus, ait, vir ille fuit, magnũ exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, nisi illum eneruasset felicitas, imò castrasset. Hic te exitus manet, Lucili, nisi iam contrahas vela, nisi quod ille serò voluit, terram legas.* &c. Illud autem superius in Equuleo potest tropicõs vel ad ipsius felicitatem, qua vt Tantalus alter, torquebatur, vel ad illud insomnię triennium, qua totum ante mortem laborauit, referri. Idem scribit Epist. 113. lib. 20. *Quomodo Mæcenas vixerit, notius est, quàm vt narrari nunc debeat. quomodo ambularit, quàm delicatus fuerit, quàm cupierit videri, quàm vitia sua latêre noluerit. Quid ergo? non oratio eius æque soluta est, quàm ipse discinctus: nõ tam insignita illius verba sunt, quàm cultus, quàm comitatus, quã domus, quàm vxor? Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi si non etiam in oratione diffluueret.* Item lib. 14. Epist. 39. sic de eo differtè: *Mæcenas ait: Nec tumulum curo: sepelit natura relictos. alitè cinctum, i. militarem & laboris patientem putes dixisse: habuit enim ingenium & grande & virile, nisi ille ipse discinxisset*, i. enervasset, & effœminasset. Apud eundem in disputat. de prouident. ia cap. 3. lege, quemadmodum felicitas Męcenatis cum ęrumnis Attilii Reguli comparata sit: ibidem cognosces quotidiana morosæ vxoris Terentiæ repudia: vnde alicubi monuimus, Mæcenatem solitum dicere se toties vxorem ducere, quoties cum Terentia in gratiam rediret: quod fuit desumtum ex Epist. 113. vel 114. vt alii malunt, modò citata. *Quum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum à discincto, i. molli & eneruato petebatur, Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, vt pallio velaretur caput, exclusis vtrinq; auribus, nõ aliter, quàm in mimo diuites fugitiui solent. Hunc esse, qui vxorem millies duxit, quum vnam habuerit.* Plinius lib. 8. cap. 44. de Mulis scribit, *Pullos earum epulari Mæcenas instituit, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas saporis.* Deinde poteris videre Suetonium in Augusto cap. 66. & Macrobiũ lib. 2. cap. 4. Saturnal. vnde perspicies Augustum (cuius inter amicos præcipuus fuit hic Mæcenas, vt Agrippa, teste Plutarch. in vita Antonii, & Octavia huius vxore verba faciente: idem testãte Sexto Aurel. Victore: *Augustus in amicos fidus extitit: quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mæcenas: ob patientiam laboris modestiamq; Agrippa) Augustum*, inquam, *in eo desiderasse popularе genus orationis. Oratione enim & vita, & moribus mollis & effœminatus fuit.* quod etiam confirmat C. Velleius Paterculus, vbi inquit, *aliquid ex negotio remitti poterat, otio & mollitie penè vltra fœminam diffluebat.* In cuiusmodi hominem si Agamemnon incurrisset, illum nobili equæ posthabuisset, vt Anchisiades Achepolo Sicyonis tyrãno fecit enarratione Plutarch. lib. de Poetis audiendis, & Homeri testimonio Ilia. ψ. vers. 307. Δῶρ' ἵνα μὴ οἱ, &c. ac rectè factum auctoritate Aristot. & inficto argumento confirmatur. Οὐδὲ γὰρ κυνὸς αὐτάξιον, οὐδ' ὄνος μὰ Δία δειλὸς ἀνὴρ καὶ ἄπαλος, ὑπὸ πλήτης καὶ μαλακίας διεῤῥυηκώς, i. *neq; enim timidus homo, neq; imbellis, opibus ac mollitie diffluens tanti faciendus est, quanti canis atq; asinus.* Quali etiam vitio laborauit quidã Sippius, & hic Romæ olim turpiter notatus est, sicut refert Plutarchus in vita Catonis Vticensis: ex qua certè mollitie malthinus à quibusdam Satyr. 2. lib. 1. dici putatur: ad quod allusisse videtur Pers. Satyr. 1. his verbis:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit
Callidus excusso populum suspendere naso.

quibus ego libenter assentior: tum quòd ipsius licentia quemlibet notãdi omnibus nota sit. vnde Saty. 4. lib. 1. *Fœnum habet in cornu, longè fuge*: tum quod itidem Satyr. 6. lib. 2. faciat, ut sibi etiam obiiciatur,— *vt tu semper eris derisor*, Quid etiam illa παῤῥησία loquendi Epist. 7. *quod sine nolles discedere*, &c. & ibidem:

Inspice, si possum donata reponere lætus.

Quid præterea hæc familiariter eum compellandi licentia Epist. 7. lib. 1. — *te dulcis amice reviset?* quid altera Epodis 3.

At, si quid vnquam tale concupiuerit,
Iocose Mæcenas precor,
Manum puella suavio apponat tuo,
Extrema & in sponda cubet.

Hanc autem familiaritatem longa & quotidiana vitæ sermonisq; cõsuetudo attulit & auxit: vnde orta est illa loquendi libertas cum potentissimis quibusq; : cui dicitur Augustus sic pacarè & leniter respondisse: *Si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, non ideo nos vicissim superbimus.* Itaq; obseruatione morum vtriusq; facilè adducor, vt credam talem animi mollitiem potuisse Mæcenati merito à Poeta tectę admonitionis gratia inuri sine vlla ingrati animi nota. Huc accedit, quod scribit Dio, eum patronum & defensorẽ adulterorũ fuisse, atq; Augusto dissuasisse, ὡς ἐπιβούλου συμβιωτῆς τῇ Σεβαστῇ, *vt suauissimus Augusti conuictor*, ne libertatem Reipublicæ sæpius deliberatã reddiderit (vt facilè cognoscitur è vita Pub. Virgilii, quã Donatus scripsit, & è lib. 52. Dionis, vbi oratione quidem Agrippæ Augustus Cæsar suadetur de principatu deponendo, & potestate populo Ro. reddenda. Sed oratione Mæcenatis idẽ suadetur contrà de Imperio retinendo) in qua reip. libertate mores ac disciplina vigebant: Censoria vitiorum animadversio & auctoritas valebant: de quorum vtilitate dicetur in Gramode 5. lib. 4. ad hęc verba *mos*, & *Lex*. Sed C. Pedo Albinouanus poeta deliciis valde deditus elegiâ in obitum Mæcenatis diluit studium lapillorum & luxũ ipsi obiectum: illud quidem raritate talis mercis: hoc verò naturæ simplicitate,

Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas,
Littore in extremo, quas simul unda mouet.
Quòd discinctus eras, animo quoq; carpitur unum:
Diluitur nimia simplicitate tua.

Est certè mirum, cur hic Pedo præterierit silentio tam insanum gemmarum studium Męcenati vnà cum Horatio occidisse, vt lugubre illud Mæcenatis Epigrãma in obitum Horatii testatur ab Isidoro quidem confusè suppeditatum, & à Turnebo numeris redditum, sed à Iano Douza in dignitatẽ numerosę sententiæ (paulò tñ aliter à Ios. Scaligero lib. 2. appendicis Virgilianæ, & à Iano Gulielmo l. 1. verisimiliũ 5. neq; minus bene) restitutũ, *Lugens te, mea vita, nec smaragdos.*

Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Inter candida margarita quære, &c. Obiter hîc annoto, quod Eustath. scribit in Periegesin Dionys. de beryllo, loquens de Babylone: φέρει ἡ Βαβυλὼν καὶ χρυσοῦ πολὺ καὶ ἕτερον ἄλλο, *aliquid aliud auro elegantius fert Babylon*, διαυγὲς ὑγρᾶς βηρύλλου γλαυκὸν λίθον, *nempe humidæ Berylli glaucum lapidem*, quem Latini spectatissimam Crystallum, Galli *fin Cristal*. Ita dictũ ἀπὸ τοῦ τελέως ὑπὸ τοῦ κρύους, i. *quod è gelido frigore contracta sit*. Cuius notationis Plinius meminit lib. 37. cap. 2. *cõtraria huic causa crystallum fecit. gelu vehementiore concreto: nec alicubi certè reperitur, quã vbi maximè hybernæ niues rigent, glaciemq; esse certum est: vnde & Græci nomen dedere.* Berylli tamen est color glaucus, quẽ alii interpretantur *cæruleum*, alii subpallidum, alii subviridem, cuius species lego in lib. Plinii ante citato. alii πράσινον, i. *porraceum*. cætera vtrobiq; vide. sed quid agas?

Οὐδεὶς ἀνθρώπων πάντα σοφός, i. *Nemo vsquequaq; sapit.*

ſapit, & eſt vitij omnino expers & purus. Hiſtoria tamẽ Dionis honorificè narrat hæc de Mæcenate; quorũ huiuſmodi eſt interpretatio, *Poſt res ab Auguſto ſic geſtas, ipſe quidem triumphum ducere nolebat, ſed id potius accipiebat. vt natalitiis ſuis perennes ludi eſſent equeſtres. Idem pomœrij quoq; terminos protulit, menſemq; ſextilem Auguſtum nominauit: quod nomen cùm alij Septembri, quo menſe natus eſſet Auguſtus, indere vellent, ipſe ſextilem prætulit: quòd eo menſe primum factus conſul, ac eo multis magnis præliis victoria potitus eſſet. ut læta hæc Auguſto fuere, ita Mæcenatis obitu grauiter affectus eſt: cuius egregia quum in aliis rebus operà vſus fuit, ita vt equeſtris etiam dumtaxat ordinis, homini cuſtodiam vrbis diu commiſerit: tum verò ſicubi ira impotentius efferretur, vtilem eum ſibi habuit, à quo ab ira ad manſuetiorem animum reduceretur, vnum eius rei documentum proferam. Præſente aliquando Mæcenate Auguſtus pro Tribunali ſedens, quum multos eſſet morte damnaturus, hoc præuidens Mæcenas ſore, quum per circunſtantium coronam ad ipſum irrumpere ac proximè adſiſtere nequiret, hæc verba in tabella ſcripſit: Surge tandem verò carnifex, eamq; tabellam* quaſi quid aliud *indicantem in ſinum Auguſti proiecit: qua lecta, is ſtatim ſurrexit, nemine morte multato, neq; verò res huiuſmodi ſtomachum Auguſto mouebant, ſed gaudebat, quantum ipſum ſua natura & rerum neceſſitas ad iram etiam præter decorum prouexiſſet, tantum amicorum libertate corrigi.* Reliquum encomij habes ibidem. Adhæc incredibilis huius Mæcenatis liberalitas in literatos hanc notam ſic deleuit, vt poſtea δι' ἐξοχῆς σωκεδοχικῆς, vel vt alij malunt, διὰ τῆς ἀντονομασίας nomẽ eius proprium in appellatiuum tranſierit (vt Grammaticè loquar, vel potius Logicè, eximia & ſingularis ſpecies loco generis ponitur) atque Mæcenas, pro quouis fautore doctorum ingeniorum, & adiutore hominum literatorum iam inde vſque vſurpatum ſit: quemadmodum præter cæteros Martialis lib. 12. Epigrammate ad Priſcum tranſtulit, idq; comparatè indicauit,

Quod Flacco Varioq; fuit ſummoq; Maroni,
Mæcenas atauis regibus ortus eques;
Gentibus & populis: hoc te mihi, priſce Terenti,
Fama fuiſſe loquax chartaq; dicet anus.

Idem prius libr. 8. ad Flaccum dixerat de Domitiano Imperatore:

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumq; tibi vel tua rura dabunt.

Vſurpatum quoque idem pro mollibus, vt Iuuenalis primum Satyra 1. *& multum referens de Mæcenate ſupino.* deinde Satyr. 12. —*veſtem*

Purpuream teneris quoq; Mæcenatibus aptam.

Pręterea Plin. lib. 7. cap. 51. ſcribit eum per totam vitam febri non caruiſſe, cuius poſtremos tres annos duxit omnino inſomnes: quò videtur ſpectare illud Senecæ Epiſt. 102. alij 101. *Inde illud Mæcenatis turpiſſimum votum, quod & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & nouiſſimè acutam crucem, dummodo inter hæc mala ſpiritus prorogetur. Debilem facito, inquit, manu, debilem pede, coxa, tuber aſtrue gibberum, lubricos quate dentes. vita dum ſupereſt, bene eſt. hanc, mihi vel acutam, ſi ſubdas crucem, ſuſtineo. Quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur &, tanquam vita, petitur ſupplicij mora. Contemptiſſimum putarem, ſi viuere vellet vſq; ad crucem. tu verò, inquit, me debilites, licet.* &c. illic vide cætera. In hoc quidem homine illud Seiracidæ comperimus quàm veriſsimũ cap. 41: vbi duo genera proponuntur hominum; quos ſola mortis mentio atque eiuſdem multò magis aduentus, ita contrariis afficit votis, vt alterum quàm diutiſsimè, alterum quàm breuiſsimè cupiat viuere. Prioris quidem voti cauſa eſt nimia vitæ felicitas, poſterioris ſumma eiuſdem miſeria; ſed in priori genere verſatur votum Mæcenatis, quamuis varia corporis tormenta non recuſaſſe videatur, modò ipſi vita ſupereſſet. Ὦ θάνατε, ὡς πικρόν σε, τὴν μνημόσυνόν ἐστιν ἀνθρώπῳ εἰρῆσθαι ὄντι ἐν τῇσ ὑπαρχούσιν αὐτῷ αὐθαιρέτοις καὶ δοκιμένῳ ἐν πᾶσιν, καὶ ἔτι ἰσχύοντι. ὀρθῶς ἄρα Σοφοκλῆς Ὦ θάνατε, καλόν σου τὸ κείμα ὅτῳ ἀνθρώπῳ ὀπιδεομένῳ καὶ ἐλαττουμένῳ ἰσχύει, ἐξάτῳ γηρᾷ, καὶ πᾶσι σπουμένῳ πᾶσι πάντων, καὶ ἀπειθουῶτι, καὶ ἀπολωλεκόσι ὑπομονῶν, i. *O mors quàm acerba eſt tui memoria homini quietè viuenti è ſuis facultatibus, viro curis minimè diſtracto, paſſimq; feliciter agitanti, cibóq; veſci potenti. O mors quàm bonum eſt iudicium tuum homini indigeno, atq; adeo viribus minuto, in extrema ſenectute decrepito, omnib. diſtracto rebus, diffidenti, ac denique omnium impatienti: ſi mo.* Vtrumlibet autẽ horum mortalis homo videatur optare, apertè ſtultitiam prodit ſuam: quippe qui decreto diuino nequicquam obmurmuret, ſicut tres verſus, 5, 6, 7, Ibidem indicant. Hac quidem in re Mæcenas omnino diſsimilis fuit pleriſq; hominibus, qui in tot periculis verſati, & morborum generibus jactati, optant & invocãt mortem, nec vllũ eſt illis frequentius votum. Hanc autem nimiã retinendæ lucis ac vitæ cupiditatem Græci ſolent φιλοψυχίαν vocare, quam Euſtathius docet ἰδικῶς in explicãdo verſu Homeri paulò antè citato a Plutarcho ex opibus & voluptatibus naſci: Ὅ ἐστ ὃ καὶ οἷον ὁ πλοῦτος καὶ ὅπως φιλοψυχεῖν ποιεῖ τὸν ἔχοντα, καὶ μᾶλλον ἐπὶ τῷ φιλήδονος ὁ πλοῦτος. *Sed vide, vt diuitiæ ſuo poſſeſſori cupiditatem iniiciant nimiam viuendi, præſertim quum hic dines ſit mollis & voluptuarius.* Et certè nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de illa nimis producenda cogitat. Eam ob rem Euripides declarat diuitias hac definitione,

Δειλόν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν. id eſt,
Opulentia eſt malum timidum ac vitæ percupidum.

Vnde fit non rarò, vt opulentus ac voluptuarius ſpe alterius vitæ fluitet, atq; adeo interdum eam abiiciat, πάντες γάρ, οἱ μετ' Ἐπικούρου σταλαζόμενοι τὸν ἡδὺν καὶ ἀνάλγητον βίον ἀνθρωπίνης δ' ἀμελοῦσιν οἴονται πέρας, καὶ χαλεπόν φασιν ἐν ἀνθρώποις εὑρεῖν τὸν ἄλυπον ἡδονῆς ἀφαιρούμενον ζῶν ἀτεχνῶς, εἰμήτις δι' ἀναισθησίαν ἀνδρῶς πρὸς τὸ κοινὸν πάθος ἀγαθὸν ἔχῃ, i. *Omnes enim, qui militant ſub Epicuro, vitam iucundam & omni carentem dolore arbitrantur finem eſſe humanæ felicitatis, adduntq; inter homines quemquam inuentu perdifficilem, qui velit omninò viuere ſine voluptate, niſi qui forte ſtupore ſenſus male ac illibenter affectus ſit ad bonum omnium maximè cõmune,* ait Demetrius Cydonius tractatu de contemnenda morte. Adde huc, Mæcenatem dici à quibuſdam Cilnium, & à Tacito lib. 1. Cillinium. *Cæterum Auguſtus bellis ciuilibus Cillinium Mæcenatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam & Italiam præpoſuit.* Commentarij tamen Lipſij in lib. 6. Annal. Taciti agnoſcunt potius Cilnium, alij pronunciant Cilnionem.

Atauis.] Quamquã Grãmaticis ſimplex vox *auus*, videtur inclinamento fieri ab æuo: ex ipſius tamen coniunctis τὸ *atauus* magis creditur deflexum à Græco caſu vocãdi ἄπα, quàm aliunde vel declinatũ, vel cõflatum, amotione alterius πω, quod iuniores olim ſenes occurrentes appellabãt & ſalutabant, vt Ὀδυσ. ο. ad finẽ: Ἐ ὣς ἔτως ἄπα, i. *ſic erit atque*, vbi Didymus interpres definit & notat ſic τὸ ἄπα. Ἐπίφθεγμα πρωτικὸν νεωτέρου πρὸς παλαιότερον· εἴρηται δὲ τὸ ἄππα κατὰ Μακεδόνας ἐπὶ μονῆς τοῦ π εἰς τ. i. *honorifica iunioris acclamatio ad ſeniorem, dicta à voce Macedonica aſpa mutatione pi in tau.* Idem tamen lib. λλιάδ. explicat τὸ ἄπα, πρόφρ, θεραπαλῶν ἢ φωνή, καὶ ὅτι πρεσβυτέρου νεωτέρου πρὸς προσβύτερον. τοῦτο δὲ Καππαδόκαι λέγουσιν, ὃ ὅσιον ἐστιν, i. *explicat ἄπα per o Nutritor. vox eſt Theſſalica, & alloquium iunioris ſenem ſalutantis. huius autem vocis literis tranſectis dicunt τάτα, quod eſt, o amice & ſocie.* Item Achilles Iliad. 1. præceptorẽ ſuum Phœnicem Theſſalica lingua ex Euſtath. Φοινιξ ἄπα γέρουρε. Sic eundẽ Menelaus Iliad. ρ. ſic poſtremò Euſtathius ſcholiaſtes in locum modò citatum ex Ὀδυσ. ο. ἄπα enucleat, vt ſit πρεσ-

φώνησις ἀδελφῶ νέω πρὸς πρεσβύτερον, *salutaris compellatio fratris iuuenis aut filij ad seniorem aut ad patrem*, voxq; sit ἀπαξάγωγος, ἀκλινὴς &, πρωτότυπος, ἁπλῆ ἑρμηνείας ἔχουσα, *non aliunde flexa, indeclinabilis, primigenia, nec quicquam enuncians*, qua vsus est Theod. Gaza ἐν ἑρμηνείᾳ τῇ πρὸς γέροντα· νῦν δὲ μοὶ πρὸς σὲ ἄπλα σύγκεισαι ἔδοξε γήρως πέρι: vbi est alluſio ad ætatem & cognomen Attici. Sic ἄπλα, quæ est πρωτοφώνησις φιλοπυστικὴ, *Salutatio amici & socij*: ſicut hæc Diomedis ad Sthenelum Ιλιαδ. δ. ἧσο σιωπῇ ἥσυχος, *amice quietus sede*. Enimuero, lector, vt ſcias, quotus ſit *atauus* à patre, atq; facilè pernoſcas ſeriem generis, ita progredere ordinis deſcenſu: tritauus, atauus, abauus, proauus, auus, pater. quos Saturio paraſitus Act. primi Scen. 2. nominat in Perſa Plauti comœdia hoc ordine inuerſo: *Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos, quaſi mures ſemper edere alienũ cibum.* Pro abauo Virg. dicit 10. Æn. *Piluſnusq; illi quartus pater.* Similiter Perſ. Saty. 6. *Quære ex me, quis mihi quartus ſit pater.* Ad quorum imitationẽ quiuis etiam appellare poſſet reliquos parentes, ſecundos, tertios, vt Græci quoque coniunctim πεμπάτερας, quartos, quintos patres, ἐκ ἀποβλέπων εἰς τὸν ὕστερον, ἀλλὰ εἰς τὸν ἔμπροσθεν, quos Græcè ſic enuncies ordine aſcendente: ὁ πέλας, ὁ πάππος, ἢ μᾶλλον, ὁ πάππος, ὁ ἀππάππος, διαπάππου, τριαπάππου, pro quibus vſurpat Ariſtot. δύο πάπποι, τρεῖς πάπποι, τέτταρες πάπποι, πέντε πάππου, & deinceps. Verùm ad diſtinguendum ſexus diſcrimen ita enunciari ſolet: πάππου ὁ ἀπὸ, ἢ ὁ ἐξ, ἢ ὁ πρὸς τ' πῶς ἢ μητρὸς: aliquando ſic: πάππου ἐξ ἀνδρῶν, ἢ ἐκ γωνικῶν, vt Latini auus ex matre. Ita enim Cæſar 1. comment. de bello Gallico loquitur, *Sororem ex matre.* ſicut Græci, ὁ πρὸς πατρὸς ἀνέψιος, i. *patruelis*, καὶ ὁ πρὸς μητρὸς ἀνέψιος, i. *conſobrinus.* Huc pertinet, quod Seruius annotauit in Æneid. 8. verſ. *Ex illo celebratus honos. lætiq; minores*: non dicimus minores, niſi quoties graduũ deficit nomen, vt puta, filius, nepos, pronepos, abnepos, trinepos: vbi iſti gradus defecerint, meritò iam dicimus minores: ſic etiam maiores dicimus poſt patris, aui, proaui, abaui, ataui, tritaui vocabulum.

Edite regibus.] Ellipſis eſt præpoſitionis poetis ferè perpetua *à* vel *ex*: *nate dea*, vel caſus dandi pro auferendi διὰ τὴν ἀνεπιφώνησιν, qualis defectus eſt quoq; vſitatus Græcis: διὸς πυθικὸς Eurip. in tito Oreſtis, & πυρράννα παιδὸς γεγονὼς, pro ἐκ διὸς καὶ ἐκ παιδὸς, *è Ioue & è patre natus Tyranno*: Sic *ſortes creantur ſortibus: Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.* Epiſt. 19. lib. 1: *& fidis offendar medicis.* Epiſt. 8. lib. 1. Item 1. lib. 2. *Dilecti tibi Virgilius Variusq;.*

O & præſidium.] Particula (&) ponitur per pleonaſmum & polyſyndeton, redundat μᾶλλον παρέλκων ἢ ἐφελκόμενον. Nam ſatis eſſet, *o Mæcenas edite regibus atauis*, per appoſitionem *præſidium & decus meum.* Similis eſt pleonaſmus Odę 23. lib. huius. *Et corde & genibus tremit hinnulus.* Item ode 36. *& thure & fidibus iuuat placare deos.* Itẽ Epiſt. 14. *Eò diſconuenit inter me, & te.* Similis eſt quoq; & Eunuchi actus 1. ſcena 1. *& tacet & amore ardeo*: ſic καὶ, & τὲ Græcè geminari paſsim reperias.

Præſidium.] Hæc vox à Feſto huiuſmodi deſcriptione declaratur, vt ſit, quod pro vtilitate & ſalute alicuius auxilij gratiâ præponitur, quod Græcis ἀλέξημα, πρόβολον, ἔρυμα, συμβόλαιον, φρουρεῖον, φυλακὴ ἀσφαλεστάτη dicitur. φρουρεῖον autem eſt locus, qui cuſtoditur, vt φρουρὸς, cuſtos, & φρουρὰ, cuſtodia, φρουρεῖν deniq; cuſtodire; quę dicuntur omnia παρὰ τὸ προορᾶν καὶ τὰ σωμαλοιφῶν, *à præuidendo per coaleſcentiam & mutationem tenuis in denſam.* Homerus Il. ν. vocat πύργους ὑψηλὰς τὰ εἴλαρ νηῶν τε καὶ ἀυτῶν, i. *turres editas, propugnaculum, & nauium & noſtrûm ipſorum (faciamus.)* Itaque vt hoc videtur ad corporis tutelam, ſic *decus* ad ornamentum hominis pertinet. Hæc autem geminata ac velut ἰσοδυναμοῦντα Lucretius ante Horatium vſurpauit ſub medium lib. 2. *Præſidioq; parent decoriq;*

parentibus eſſe. Sic Cicero Philip. 8. vocat *Cotylam vatium ornamentum & arcem amicorum ſuorum*, quod Galli interpretantur, *O Mæcenas nai de lignee royale, o mon fort, mon aide, & l' auancement de mon honneur!* Verbum autem Præſidere, vnde hoc, ſicut præſes (vt Græcè προεδρεύειν καὶ προεδρῶ) creditur declinatum, propriè dicitur de diis vel hominibus, qui opem ferentibus præſunt, vt Philip. 3. *Teſtor & vos & populum Rom. & omnes Deos, qui huic vrbi præſident.* His iunt affinia, & origine & modificatione, *Subſidium, & ſubſidere*, illud propriè dicitur de eo, quod τοῖς συμμαχοῦσι, id eſt, *commilitonibus* laboranti-bus ſubmittebatur, vt quum res exigeret, opem ferret: quale munus erat Triariorũ, ſicut ex hoc Plauti loco cognoſci poteſt. *Agite nunc, ſubditi omnes, quaſi ſolent Triarij:* quos quidem mos erat, ait Varro, tertio ordine, vnde nominantur, in acie ſubſidio deponi. Ad hoc pertinet locus Cicer. lib. 15. Epiſt. 4. ad famil. *Repertes me exercitu imbecillo*, id eſt, duabus Legionibus *contra metum maximi belli*, id eſt Parthici, *firmiſſimum præſidium habuiſſe, aquitatem & continentiam. His ego ſubſidiis ea ſum conſequutus, quæ nullis legionibus conſequi potuiſſem.*

Rhetorica Tropoſchematica.

GEnus metricum eſt Aſclepiadeum, monocolon, tetrametrum, acatalectícũ, è ſpondeo, duplici choriãbo, & pyrrichio vel iambo: aut ſi mavis, cunctis ſimplicib. quatuor pedib[b], Moloſſo, anapeſto & duplici dactylo. [a] Synecdoche eſt ſpeciei, qua è ſpeciali nomine Quinti patris intelligi videatur antiquiſsimi quiq; maiores Mæcenatis. [b] Idem tropus, ſed generis pro ſpecie, regibus Hetruſcis, quorum tres in Grammaticis ſunt nominatim numerati. En tibi, lector, exemplum admonitionis noſtræ in præfatione tibi præſcriptæ de vocibus homonymis, æquiuocis & ambiguis, quibus Ariſtoteles adumbrauit, aut potius obſcurauit doctrinã troporum. ab illo quidem, cũm noſter poeta canit hîc *Mæcenatem regibus editum*, ὁμωνύμως καὶ λογικῶς exiſtimatur loqui ex doctrina πραγματείων, ſed ex artibus, quas ipſe tradidit de poetica, & Rhetorica ῥητοεικῶς καὶ συνεκδοχικῶς. ex vniuerſali enim voce quid ſpeciale intelligendũ eſt: vnde perſpicuum fit, has artes ἀδιορίστως καὶ ἀτάκτως deſcriptas fuiſſe. Scimus è Topicis Ciceronis, quemadmodũ *Homerus propter excellentiam commune Poetarum nomen effecerit apud Græcos ſuum*: quod Plutarch. in Sympoſ. ſic affirmat, πολλῶν ὄντων, ἵνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν. Idem Galenus alicubi generalius tradidit, εἰώθασιν οἱ ἄνθρωποι τὰ πρωτεῖα τῆς ὕλης, τὸ δ' ὕλης πρωταγορεύειν ὀνόμαζι, i. *conſueuerunt homines ea, quæ primas ſuſtinent partes in ſuo genere, nomine generis appellare.* Hic autem locus indicabitur in notis Gram. odes 5. lib. 4. *Diuis orte bonis*, &c. vbi etymon τ' ἀγαθὸς notatur. [c] Eſt hîc quibuſdam exclamatio admirantis benignitatẽ & candorem Męcenatis, qualẽ illi quidem ex eo confirmant: quia altera pręceſsit ſalutatio ſimplex *Mæcenas edite*. quam nõnulli tum paſsim nominãt πρωτοφώνησιν, i. *alloquutionem*, quum ſcriptor in qualibet ſermonis parte cõpellat eum, cui ſcriptũ dedicat ſuũ, quaſi ἐν πρώτῃ πρωτοφωνήσει aliquid eſſet figuratũ & obſeruatione dignũ. Ego verò nihil hîc & in aliis ac ſimilib. locis agnoſco tale, præſertim quũ epigraphe ſcripti παιδικῶς πρωτοφώνησιν ſatis præ ſe ferat notatã. Aliis videtur hęc πρωταγόρευσις ἁπλῆς καὶ ἀπαθὴς, *affatus ſimplex & expers affectus.* Sed ego hoc cenſeo nõ minus παθητικῶς pronunciandũ, quàm illud Virg. Geor. 2.

Tuq; ades, incertumq; vnâ decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima noſtræ
Mæcenas: vbi Seruius hunc locũ citauit & P. Ramus[d] ſic notauit, *Talis laudis exclamatio eſt illa Horatiana, ô & præſidium*, &c. [d] *Metaphora* eſt à munitionib. vrbium & loco-

locorum, διαπερ ἐρύμαλα καὶ ἔπεα τείχεα δυσάλωτα καὶ δυσκατώρυκτα ἀπὸ Γαλλῶν: quæ vallis & mœnibus expugnata & euersu difficilibus cinguntur, præsidioq; firmãtur ad quamuis opem & auxiliũ indicandum. paulò secus immutatur epist. 2. lib. 2. ad verba, *Præsidium regale deiecit.* Α'τείχεσ- τὸ πόλις βασίλειος ἀπὸ τοῖς πολεμίοις ῥοῖσι: vrbs enim nullis clausa muris facilè in potestatem hostium venit. Similis est Tropus & Geminatio 1. cõment. Cæs. de bell. Gall. *Arioui stus dicebat amicitiam pop. Romani sibi ornamento & præsidio, non detrimento esse oportere.* Ita dicitur Asinius Pollio Od. 1. lib. 2. *Insigne mœstis præsidium reis.* Sic suboles parentum & successores ipsorum dicuntur præsidia senectutis, Hecyr. act. 1. sce. 2. Sic Herodian. lib. 3. dicit: φρυρᾷ μείζονι ἐφρούρουν ἑαυτόν, *Præsidio se maiori munitum seruabat.* Simili tropo Pind. εἰδ. β. Ολυμπ. vocat Theronem τὸ ἔρεισμα Α'κράγαντος: columen & munimentum futurum Agrigentinorum. Quod Scholiastes vocat, interpretans. Θώρωα ὕλα τείχισμα τῆ Ακράγαντος, ἔστι δ' Ακράγας πόλις καὶ ποταμὸς Σικελίας καὶ ὄρος Αχαιῶν ἔρκος, i. *propugnaculum Achiuorum*; sed hic τὸ ἔρκος κυκλολογεῖται. Itẽ lib. Epigr. ca. νδ. διὰ τὸ ὁπλοφόρος ἅπασι Ρώμης Γαῖαν πάτρας ἔρυμα: O Gai *præsidiũ Romæ patriæ.* Sed hîc prẽter metaphorã licet etiã agnoscere metonymiam, qua effectum ponitur pro efficiente, i. custodia pro custode & conseruatore, & decus pro exornatore Poetę; ita triplex in voce vnica tropus erit, qui dici solet μετάληψις. Idem potest cõstitui in hoc exẽplo Aristotelis li. 4. Ethic. c. de magnanimitate: Ἔοικε μὲν ἕνι μεγαλοψυχία, οἷον κόσμος τις ἐν τ' ἀρεταῖς, i. *videtur igitur magnanimitas, veluti ornatus quidam esse virtutum*, id est, tanta est huius virtutis dignitas, tantus splendor, vt cunctas alias exornet atq; illustret; ac ne hic videretur tropus paulo durior, emollitur adiunctione particulæ οἷον ad κόσμος. Verumenimuero nulli ex scriptorib. profanis vtuntur sępius feliciusq; huiusce modi verborum modificatione sanctis Dei Opt. Max. Prophetis & Apostolis. Hoc idem mecum P. Ramus vel plenius affirmat cap. 14. lib. 4. cõmentar. de Relig. Christiana. *Et quidem eò mirabilius est tropos nouis Theologis tã insolentes videri, quũ Poetæ atq; oratores omniũ gentium, si vnum in locum conferantur, non sint cum Mose ac prophetis, cũ Christo & apostolis troporum non dico diuina quadam maiestate, sed crebritate ac frequentia conferendi.* In promtu autem huiusce rei causa est; quia quò maior est cuiq; linguæ propriorum verborum penuria, eò sæpius eorundem immutationibus illa vti cogitur: Atqui lingua Hebraica, vt Syriaca, totusq; Palæstinæ tractus, præter omnes alias propriarum vocum inopiâ laborat. Itaq; troporum doctrinam & vsum felicius sæpiusq; celebrauit: quorum quidẽ troporũ singulorum exempla lector poterit in rudimẽtis Rhetoricæ Talæi ex obseruatione Ioh. Piscatoris D. Theologi videre. Interea nõ me pigebit vnũ p̃ infinitis proferre de v. 3. Psalmi 18. per metaphoricã allegoriam & eucharisticam, lõgè ardentiori studio, gratioriq; animo p̃nuntiatum, quàm primũ huius odæ distichũ. Gratè quidẽ atq; παιδικῶς Horatius agnoscere benignitatẽ Męcenatis in se collatã, eidemq; gratias agere videtur; sed illa storge naturalisq; affectus, quẽ verbũ Hebraicũ רחם *racham* p̃ se fert in v. 2. Psalmi, nulla voce poetici distichi exprimitur. Hic aũt Psal. est ἐπινίκιος λόγος ex histor. Dauidis, quæ scribitur c. 22. l. 2. Sam. deprõtus & institutus fuit à Prophera, quũ iam postremũ vitę suę diem appetere sentiret. Tum. n. grata repetens memoriã, infinita Dei Opt. Max. in se merita, cepit eius potentiã, sapientiam, iustitiã, clementiam, providentiã, aliasq; eiusdẽ diuinas virtutes recognoscere ac plenè celebrare; quæ vt clarius omnib. elucescerent, initio pericula capitis, vitæ, fortunarumq; suarũ exaggerat, quibus se prolixè ac cumulatè defunctum prædicat ope diuina, cuius rei nomine hoc glorioſum carmẽ modulatus est, & dixit: *Ex intimis viscerib. diligo te, Iehoua fortitudo mea.* Hîc obseruet lector metonymiã effecti p̃ efficiẽte, vt antè in *præsidium* & *decus* notatũ fuit: quales tropi sunt, Christus est redemtio nostra, est iustitia, sanctificatio. p̃, est redemtor, iustificator, sanctificator. Sic etiam pro, Iehoua me viribus instruxit, ne hostili potentiâ territus & animo cõsternatus deficerẽ. Sequitur *Iehoua petra mea, arx mea, liberator meus, Deus meus, rupes mea: ad eum cõfugiam, scutum meum & cornu saluti mea, eleuatio nostra.* Est hic cõcursus metaphorarũ vtiq; p̃spectus & cognitus: ideo finis esto notarum. ¶ Idem tropi genus habet sed à fructib. maturitate suauibus, & vtentes magnoperè delectantibus, quibus opponuntur κάρποι ὀμφακοῤῥᾶγες, συφελοί, πικροὶ: *fructus acerbi & amari.*

Dial.

QVòd autem homines teneantur desiderio alius alio, sicut Pindarus canit εἰδ. θ. Ολυμπ.

Μία δ' ἐκ' ἀπάντας ἄμμι
Θρέψᾳ καλέπα.—*non eadem nos alet exercitatio omnes.*

Et Homer. Οδυσσ. ξ. Α'λλ' ὃ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ὀπιτέρπεται ἔργοις, *Aliis alius delectatur negotiis.* Quòd, inquam, varia sunt hominum vota, iam cõparatione dissimiliũ declaratur post honorificã appellationẽ: quę tametsi nullis indicentur ac symbolis ac notis p̃taseos & antapodoseos expressis, satis tamẽ intelligimus ex his Poetæ verbis, *Me Diis miscent superis & secernunt populo.* Horatiũ à vanis aliorũ hominum studiis secretũ & præstãtiâ sui studij cum diis associatũ, & nomine populi significari septẽplex illud genus hominũ vulgare ac præ se in delectu honestiorũ studiorum parui faciendũ. Vult igitur Poeta ostendere Mæcenati se longè aliud spectare, atq; homines reliquos. Non minus obscuris dissimilib. cõparatio vitę vrbanæ & rusticę enunciatur Sat. 6. l. 2. post cõmendationem diuinę benignitatis. Protasis aũt huius collationis (vbi homines è subiectis distribuuntur, q̃ sunt aliis obiecta, ignoto mihi, nescio quo discrimine vtriusq;, nisi ratione fortè bifariã recipiẽdi adiũcta, intrinsecus aut extrinsecus: sed illa vtraq; admissio adiunctorũ interior atq; exterior semp aliquod habet subiectũ, quo vtrumlibet & adiunctũ & circũstantia innitat. Illa porrò subiecta posũt ad tria, honores, diuitias, voluptates revocari) p̃tasis, inquã, septẽplici desideriorũ & studiorũ, & p̃miorũ inductione augeẽ: in quib. certi quidã homines obstinatis animis, ὡς μεγίστων ἀγαθῶν τινῶν ἐχόμενοι, *tanquã in præstantiss. summisq; bonis*, exercentur & occupantur, vt alij in brabeio victrici cõcursatione merẽdo: alij in magistratib. ambitu captãdis: alij in horreis æstate cõplendis: alij in mercatura p̃ mare facienda: alij in deliciis persequẽdis: alij in bellis gerẽdis: alij deniq; in venatione, & feris excipiendis: vt in suo q̃sq; studio, & desiderio explẽdo & p̃mio cõsequendo totus versetur, ac in eo fixus, velut adiunctũ in suo subiecto, inhæreat: quæ sanè partes distributionis ita inter se sunt dissimiles, vt dissentire p̃ natura partitionis videant. Ita prorsus omnino cõparat Persius Cornutũ prẽceptorẽ suum cũ reliquis hominibus: in cuius dissimiliũ collationis protasi est eadẽ hominum distributio è subiectis, scitèr & peritè notata ab *Ant. Foquelino Veromãduo* cõdiscipulo meo & Aurelienſi in vita, cõsiliario regio, in versus Sat. 5. *Mille hominum species*, &c. & terminatur versu: *At te nocturnis iuuat*, &c. vbi antapodosis reponitur ex adiũctis & factis Cornuti ad versus quatuor. Non dissimilis erit distributio li. 2. Epist. 1. ad versus (Græcia) *nunc athletarũ studiis, nunc arsit equorum.* &c. Primũ autẽ hîc studium ita describi videẽ: quòd postq̃ ex Olympici curtulisq; certaminis Syndromis, q̃ ita dextrè cõcitarunt, flexerũt & direxerũt equos inter cõcursationẽ, vt reliqs prius hanc septies cõfecerint, propiusq; ad metã acceſſerint, saluis

quadrigis. Hoc autem nominatim addo: quia illæ sæpius duriori metæ córactu subvertuntur ac diffringuntur cum periculo, risu & dedecore, sicut ex Electra Sophoclis cognosci potest. Quod etiam indicatur illo Pindari encomio Πυθ. Ε. in Carrothum Archesilai aurigam, —κατέκλασε γὰρ ἐν

τέῳ δέῳ οὐδὲν. ἀλλὰ χρέματα

ὁπόσα, i. *nulla enim arma & instrumenta firma fregit; sed Apollini suspensa sunt quæcumq;*, &c. Id autem sonat, totus currus, qui si duodecies delubro circumductus fuisset saluus, id est nihil ad metam offendens & arietans, τέλειον ἅρμα ἐχαλεῖτο; si tantum octies, τέλειον πολιπκὸν ἐλέγετο. illi, inquam, consequuntur, quod Pindarus canit ὠδ. ά στροφ. Α. κωλ. ζ. Ολυμπ.

Ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον.

Εὐ̓θυμείλιπέσαν ὄλβιαν,

Ἄ̓λλων γ' ἕνεκεν.— *Qui autem vincit, in reliquo vitæ cursu suaui tranquillitate brabiorum nomine fruitur, & Olympionices, more triumphantium vocatur.* Idem vates Lyricus Isthm. εἰδεν. α. Επωδ. γ. celebrat Herodotum quendã Thebanum tali variorum studiorum & præmiorũ dissimilitudine; quam hoc enthymema præcessit in proxima antistrophe, Si virtus labore atq; sumtu paratur, sunt profectò laudandi, qui ad illius adeptionem, nulli labori, nulli sumtui parcere voluerunt: antecedens est verum: tale igitur est consequens. Hoc autem virtutis præmium, quod in laude præcipuè positum est, tametsi videtur leuissimum, quia verba tantũ reponuntur pro rebus præclarè gestis, longè tamen reliquis omnibus præstare omnium consensũ creditur: quod confirmat contentione dissimilium præmiorũ in epodo sequente, cuius protasis est. μισὸς γὸ ἄλλοις ἄλλος ἐφ' ἔργμασιν ἀνθρώποις γλυκύς,

μηλοβόται τ', ἀρόται τ', ὀρνι-

θολόχῳ τε, καὶ ὃν πόντος πέφει

γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμῶν

λιμὸν αἰανῆ τέτατται.

ὃς δ' ἀγορηθεὶς, κέρδει ὕψιστον δέχεται, πολιατᾶν τ' ξένων γλώσσας ἄωτον. Id est. *præmium aliud alios homines propter facta iuuat: opilionem aliud, aratorem aliud, aucupem aliud, piscatorem aliud, ventrem quoduis, cui adsit vis arcendi sacram famem: antapodosis sequitur: Qui verò in certaminibus decus magnificum, id est victoriã tulit, is egregiè laudatus percipit summum lucrum, ac quæstum vberrimum, dum & ciuium & peregrinorum sermone, vt flos patriæ, prædicatur ἄβλητος νικηφόρος*, i. *athleta victoriam consequutus.*

Superior protasis constat ex quinq; hominum generibus, quorum singulis sua est proposita laboris merces, tanquam subiectus quidam scopus, in quo attingendo curæ & cogitationes cuiusq; tantisper vigilant, dum ad eum peruenerint, qui ἀπὸ positus initio fuerat, vt opilionis, dum fœtura gregẽ suppleuerit: Aratoris, dum ipse frumentis horrea compleuerit; Aucupis, dum auiaria variis altilibus: Piscatoris, dũ piscib. viuaria instruxerit ac munierit: Venatoris denique, dum epulis fames ipsius ademta fuerit. His subiicitur antapodosis de Mercede viri labore ac sumtu consequuti virtutem, sed intellige synecdochicῶς athleticam fortitudinem, cuius præmio posthabet ex maiorum collatione antecedentium laborum mercedulas omnes.

Gramm.

Svnt, quos.] Hoc impersonaliter iidem Gallĩ efferũt, *Il y en a, qui prenent tout leur plaisir*, &c. vbi Hellenismus videtur quibusdam esse: sed ego agnosco tantũ ellipsin recti, quam Grãmatici tradunt esse summę venustatis ante relatiuum *qui*, & casus ipsius omnes, vt *aliqui, quidam* vel *nonnulli, certi sunt, qui*, &c. quam tamen Virg. lib. 2. Georg. sub initium expressit, *Sunt alij, quos ipse via sibi repperit vsus.* Expressit etiam Tullius 1. Verr. *Sunt homines, quos libidinis & infamiæ suæ neq; pudeat neq; tædeat.* Hanc ellipsin recti, inquam, ego dico proinde Latinis oratoribus vt Ciceroni in orat. Catil. 2. *At etiã sunt Quirites, qui dicant à me in exilium eiectũ esse Catilinam.* ac Poetis familiarẽ & domesticã, atq; Græcis, vt ex his exemplis tam Græcis, quàm Latinis constat: quale est hoc Thucyd. Εἰσὶ ὅ, οἱ κὴ τ ὀφθαλμῶν ἐσπεσόντος: *sunt, qui oculis orbãtur:* hîc enim in εἰσὶ δὲ, intelligitur τὸ ἔνιοι nõnulli, quod videtur factum è verbo ἔνι *sunt*, & articulo οἱ, διὰ τῆς μεταπτώσεως, ὅτι ἐκ σωθήκης ἁπλῶν γέγονεν, ἤγουν μετεπτωθὲν ἀπὸ συνθέτου λέξεως εἰς ἁπλῆν. λαμβάνεται ὅ τὸ ἔνι ποτὲ μὲν ἀπὸ ἐνίκου ῥήματος ἔνεστιν, ἤγουν ὑπάρχει, ποτὲ δὲ ἀπὸ τ πληθυντικοῦ ἔνεισι, id est, *per transformationem, quod è coniunctione factum simplex.* id est, *è coniuncta dictione transformatum sit in simplicem. Sumitur autem* τὸ ἔνι *interdum quidem pro singulari verbo*, Inest. *Interdum verò pro plurali, insunt.* Hæc Eustathius in Ιλιαδ. α. p. 56. quæ coniunctio clarè refert hanc nobis phrasin, *sunt, qui:* qualia etiam sunt, εἰσὶ οἳς, εἰσὶ ἕς: *sunt quibus, sunt quos:* quod plenè Matth. 26. v. 18. enunciatur: Εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, *sunt quidam ex astantibus hîc, qui non gustabunt mortem.* Item Iohannis 6. Εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες, οἱ οὐ πιστεύουσιν: *sunt ex vobis quidam, qui non credunt.* Postremò apud Plutarchum libello περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος, sub medium: Εἰσὶ δέ τινες, οἱ τὸ σκίασμα τῆς γῆς, εἰς ὃ τὴν σελήνην ὀλισθαίνουσαν ἐκλείπειν νομίζουσι, Τυφῶνα καλοῦντες: *sunt qui, vmbram terræ, in quam lunam delapsam deficere putant, nomine Typhonis accipiant.* Exprimitur autẽ ille rectus ellipticus etiã apertè ab Isocrate, ἐν συμβουλευτικῷ, εἰσί τινες, οἱ δυσκόλως ἔχουσι πρὸς τοὺς λόγους, κὴ διαμέμφονται τοὺς φιλοσοφοῦντας: *sunt nõnulli, qui malè sunt affecti in facultatem dicẽdi, & philosophiæ deditos accusant:* quod etiam singulariter dicitur paulò inferius, *Est, qui nec veteris pocula Massici.* ἔστιν, ὅς. Quomodo etiam initium Satyr. lib. 2. enunciatur, *Sunt, quibus in Satyra videar nimis acer*, id est, videor quibusdam nimis vehemens vitiorum reprehensor in Satyra. Similis est Phrasis Epist. 1. lib. 1. —*sunt,*

Qui Crustis & pomis viduas venentur auaras. id est, *quidam venantur.* Item eiusdem lib. epistol. 2. *sunt, qui non habeant: est, qui non curet habere.* Item Cicero Trebatio libr. 10. Epistol. 1. *Est, quod gaudeas te in ista loca venisse, vbi aliquid sapere videre.* Plautus quoque in Cistol. 10. 39. *Sunt, qui volunt te conuentum.* Idem in Curculione actus 4. scena 1. *Pone adem Cæsaris sunt, quibus credas malè*, pro quibusdam malè credas. Item Propert. *Est, quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ, Est, quibus in celeres gloria nata pedes.* Est quoque Hebræis vsitata phrasis, Numer. cap. 9. vers. 20. ויש אשר יהיה הענן *Vejesch ascher jihieh, hehhanan, Erit autem, quòd futura sit nubes.* pro, *Eueniet autem, vt nubes futura sit.* Sed hæc enunciatur sæpiùs per benoni, id est, per participium, vt Prouerbior. cap. 11. יש מיתפזר *jesch mitpatzer, Est, qui spargit*, vt etiam Genes. 2. v. 11. הוא הסובב *huh hasobeb, Est, qui circundat.* Vt reperies præterea Proverb. 12. v. 18. & ibidem cap. 13. v. 7. hos mihi posteriores locos charissimi mei condiscipuli, viriq; literatissimi Petrus Faber, scholæ Rupellanæ Gymnasiarcha, & Petrus Martinus Philosophiæ ibidem professor, amicè indicarunt. Similes præterea phrases ex adverbiis texuntur tã apud Græcos, quàm Latinos, vt Epist. 10. l. 1. *est, vbi plus tepeant*, &c. *est, vbi diuellat*, &c. h. e. alicubi. Item epist. 1. lib. 2. *est, vbi peccat.* Ita Cicero 3. Verrina: *Est, vnde ius ciuile discatur.* Sic Plautus in Pseud. 23. 35. *Est, vbi te vlciscar, si viuo.* Quod etiam Græcè dicitur, ἔστιν ὅπου, ἔστιν οὗ, ἔστιν ὅτε, ἔστιν ὅπη, ἄλλοτε ἄλλοτε, *alicubi*, sicut Aristoteles in Poetica loquitur, Ἔστι, ὅτε συμβαίνει, id est, *interdum contingit:* vel ad verbum, *est, quan-*

est, *quando cõtingit*, vt *alicubi*, vel *aliquando peccat*: sic hoc loco nõnulli sunt, quos certamẽ Olympicũ iuuat: quidam sunt, quos mera euitata à rotis & palma nobilis, id est victoria ad deos euehunt. Ita loquitur Virgil. Æn. 6.

—Ardens euexit ad æthera virtus. Verùm de hac elliptica phrasi pluribus, quàm opus est, egimus: itaq; pergamus. Ad hanc victoriæ gloriam Principes olim studiosè alebant equos, & inde ἱπποκάρμαι dicebantur, vt Hiero Syracusanus à Pindaro, ac ipsius victor equus φερένικος, *etiã à Schol. Pind.* Ὀλυμπ. quòd in curriculi certamine Olympico sine stimulo & flagris sua sponte accõmodauit sese ad victoriã reportandam. Sed ad hunc vsum præcipuè nutriebantur ac formabãtur equæ: vnde Georg. 1. dicitur *mittere Eliadum palmas Epirus equarum*, ac illæ multo in pretio habebantur senio confectæ & mortuæ, vt Plutar. refert in vita M. Catonis: Κίμωνος ἵππων, αἷς Ὀλύμπια τρὶς ἐνίκησεν, ἡ ταφὴ πλησίον εἰσὶ τῶν ἐκείνου μνημάτων: *equarum Cimonis, quibus Olympia ter vicerat, sunt etiã sepulcra prope illius monumenta.* Huc pertinet, quod Poeta canit ode 16. lib. 2. in facultatibus Grosphi equitis Romani & Sicilienses dissimiliter suis, recensendis,

—— tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa

—— mihi parua rura. Est in hanc rem memorabilis historia in Laconicis Pausaniæ, *Habuit Archidamus & filiam Cynisciam nomine, quæ ad Olympicas victorias virili propemodũ animo adspirauit. Prima hæc fœminarum omnium equos aluit: prima Olympiacam palmam tulit*: in cuius laudem Simonides epigrãma fecit. Hoc autem τῆς ἱππασίας, equitationis Olympiacę studio Galenus lib. 7. method. scribit 4. Romanas factiones albatorum, Russatorum, Venetorũ, Prasinorum sic captas olim fuisse, eosq; maximè, qui Venetæ ac Prasinæ factionis erãt, vt ad dignoscendũ equi habitum olfacerẽt ipsius stercus: vnde facilè prospiciebant illius nobilitatẽ aut ignobilitatem; si illam, nulli rei parcebãt ad emptionẽ & tractationẽ. Thucydides memorat lib. 6. in oratione Niciæ, vt hic obiecerit Alcibiadi lautiorem & splẽdidiorem mensam, quàm ipsius fortunæ & opes ferrent; atq; adeo τὰς δαπάνας εἰς τὰς ἱππικὰς φοράς, *i. immodicos in equos alẽdos sumtus.* Aiunt præterea certamẽ equestre Olympiade vicesima quinta institutum. Athenæus lib. 1. c. 1. scribit, Alcibiadem primum, secundũ, tertium, & quartum vicisse curru Olympia, quorum Euripides dicitur Epinicium ceciniisse: quæ tamen Diodorus lib. 5. scribit ad Herculẽ instituta: alij ab Oenomao: alij etiã à Pelope: quæ postea Iphitus Eleus, quemadmodũ Plutarch. in Lycurgo, & Iul. Solinus c. 2. scribũt, redintegrauit. sicut Eurylochus Pythia renouauit: quæ ludorũ instauratio permansit vsq; ad ætatem Pindari: qui Ὀλυμπ. εἰδ. β. inuentũ Olympici certaminis tribuit Herculi: Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀκρόθινα πολέμου, *Hercules instituit certamen Olympiacum primitias belli*, in quo vicerat Augiam Elidis regẽ: è cuius spoliis postea instituit olympicos ludos, q πανδυσιεῶς τὰ Ὀλύμπια, Græcè, ut Olympia, orũ, dicuntur Latinè: & celebrari solebãt Olympiæ, (vnde videtur ratio nominis verius requirere πανήγυριν *Olympiacum*, quàm *Olympicum*, vt lib. 1. Θουκυδ. ἐν Ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι, sicut etiam lib. 3. Geor. mox citando de palma: sed noster poeta necessitate metri coactus (incerta voce creditur vsus) inter Ossam & montem Olympum, cui prius nomen erat Pisa, nõ procul ab Elide Græciæ ciuitate. Sed de his ludis vide plura in vita Thes. in Plutarcho. Interpres autem Gallicus Plinij lib. 34. c. 4. Olympiã vertit, *ville de la Morée*. Verùm de ratione decurrendi spatij Olympici, vide Iliad. 4. cõsilium Nestoris ad filium decurturum, vbi describuntur meta & ratio ad eam proximè omnium accedendi: quem locum Socrat. in dial. Platonis Ἰωνι citauit: Σωκρ. εἰπὲ δήμοι ὦ λέγει Νέστωρ Ἀντιλόχῳ τῷ υἱεῖ παραινῶν διαφυλάττεσθαι τὸν κάμπτοντα ἐν ἱπποδρομίᾳ τὴν δίκην Πατρόκλῳ: *dic igitur mihi, ô Ion, quæ Nestor dat Antilocho filio consilia, dum illũ monet de vitanda flexu opportuno meta in illo equestri certamine Patrocli gratia instituto.* Hîc subscribuntur sex Homeri versus consilia continentes, quos prætereo breuitatis causa. Exhibebantur autem populo hi ludi in honorẽ Herculis, vel, vt alij volunt, Iouis Olympici, vno quoque lustro, id est, quinto quôque anno: vt constat ex Eust. 3. Ὀλυμπ. αὐτηρ. 2.

Καὶ μεγάλων ἄεθλων ἀγανὰ κρίσιν
καὶ πενταετείδ' ὄμμα.

Δῆκε ζαθέοις ὀξὺ κρυμνοῖς Ἀλφεῦ. i. *Et magnorũ certaminum incorruptũ iudicium, & quinquennium simul, cõstituerat in diuinis Alphei præcipitiis.* Hîc videnẽ intelligendi ludi, qui ab Herculo quinto quoq; anno instituti solebãt Pisis celebrari post quatuor tantũ annos exactos sub initiũ quinti. Præterea *Alpheus* erat Huuius *Pisarũ*, atq; *Olympia, Pisa. Elis* τὸ αὐτὸ, Scholiastes scribit pro eodem sumi, quorũ situs est in Peloponeso. quanquã Olympias πεντετηρὶς, vnde ἐνιαύσιος πενταετηρικὸς solo quadriẽnio terminetur. Ratio autẽ nominis ὄλυμπος est Diodoro lib. 5. ὅλον λάμπων vel cõiunctim ὁλολάμπης, quã tamen Iul. Scalig. improbat hanc afferens diuersam; ὅτι ὀλύων πόδας, cætera vide de causis linguę Latinæ lib. 1. c. 26. vbi tamen puto legendum ὅτι ὀλλύων τὰς ὄψεις, quod illic oculi frigore vitientur. Nomine Olympi sex afficiuntur montes, quorum primus ponitur *in Macedonia, 2. in Thessalia, 3. in Misia, 4. in Cilicia, 5. in Arcadia, 6 in Elide*; de quo hîc agitur, & Strabo scribit lib. 8. & Stephanus de Vrbibus. Verba Diodori suprà citati sunt, ὄρος δέ ἐστιν ὑψηλὸν καὶ διαφερόντως μὲν Θεσσαλίας, ὀνομαζόμενον δ' Ὄλυμπος καὶ πεντήκοντα ὄλυμποι; Μυθολογοῦσι δὲ τὸν παλαιὸν ὑφ' ἑαυτὸν βασιλεύοντα τὴν οἰκουμένης, ἀφορμὴν ἐνδιατρίβειν τόπῳ τῷ τόπῳ, καὶ ἀπὸ τῆς ὑψηλότητος ἐφορᾶν τόν τε ἀέρα καὶ τὰ κατ' αὐτὸν ἄστρα, i. *Olympus est mons excelsus, diis consecratus, & cœli sedes, & dictus Triphylius. fabulantur enim antiquum illum cœlum terræ habitabili imperantem familiariter in hoc loco versatum esse, ex ipsius q, altitudine cœlum eiusq, sidera contemplatum esse.* Fuerunt autem in Græcia quatuor certaminum & ludorum genera præter cætera maximè celebrata & frequentata, vt Cicero scribit 5. Tusculana, *ad ludos Olympicos vndiq, Græcos gloriæ, pecuniæ, scientiæ gratia solitos conuenire*, Pythagorica distributione à quadruplici fine desumtâ: sicut etiã apparet ex hoc Epigrammate Græco Archiæ tributo:

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἐν Ἕλλάδι· τέσσαρες ἱροὶ
Οἱ δυὸ μὲν θνητῶν, οἱ δυὸ δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος Θ', Ἀρχεμόροιο.
Ἄθλα δὲ τοῖς κοπτοῖς, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quod Ausonius sic fecit Latinum:

Quatuor antiquos celebrauit Achaia ludos:
Cœlicolũm duo sunt, & duo festa hominum.
Iouis, Phœbiq,, Palæmonis, Archemoriq,
Serta quibus pinus, malus, oliua, apium. Vide ibid. de locis Agonum, & eorundem auctoribus: Epigrãma tamen dicit mala fuisse præmia Pythiorũ, vnde videnẽ hîc nomine malorũ baccæ lauri Delphicę propter magnitudinẽ intelligendæ. Enimuero, Lector, ex iis præmiis cuiq; certamini ἀπριὲ destinatis, noli putare nostrum poetam impropriè loquutũ, quòd victori olympico tribuat palmam: idem fecit Virg. 3. Georg.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ.

Hæc enim cõmuniter omnib. victoribus dabatur præter illa propria: magniq; præterea deferebantur honores, vt è libro 4. Vitruij apparet: *Nobilibus athletis*, inquit, *qui Olympia, Pythia, Nemea, & Isthmia vicissent, Græcorum maiores ita magnos honores instituerant, vt hi non modò in conuentu stantes cum palma & corona ferant laudes, sed etiam*

quum reverterentur in suas civitates cum victoriâ triumphantes, quadrigis & in mœnia & in patrias invehantur, & vectigalibus à Repub. totius vitæ spatio constitutis fruebantur: ut etiã apparet ex illo versu Ode 2. lib. 4.

Sive quos Elea domum reduxit
Palma cælestes. Plinius tamen lib. suprà citato ad hujus virtutis perpetuam memoriam requirere videtur tres trium annorum victorias consequentes: *Effigies,* inquit, *hominum non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium, & primò sacrorum certaminum victoriâ maximeq; Olympia: ubi omnium, qui vicissent, statuas dicare mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent,* (qui Græcè dicũtur τεισαετεῖς) *ex membris ipsorum similitudine expressâ, quas εἰκόνας vocant.* Huc addit Eusebius lib. 5. de præparatione Evangelica, veteres eò superstitionis ac insaniæ perductos, ut victores sint Pugiles, sive Athletas, sive alios concertatores in ordinem deastrorum retulerint: quod mirè consentit cum his nostri Poetæ verbis, *Palma evehit ad Deos:* Et cum altero suprà citato ex Ode 2. lib. 4. quod multò pluris faciendũ est, quàm illud Ciceronis Tuscul. lib. 2. Olympiorum victoria videtur antiquus ille consulatus. Unde non immeritò Solon lib. 1. Laërtii prædicatur ita correxisse tam immodica athletarum præmia, ut victoribus Olympiorum quingentas drachmas, Isthmiorum centum, ac cæteris deinceps constituerit. Tot verò ac tantis illis honoribus eos esse dignos, quos certissimis indicib. compertum est fortiter ac strenuè dimicantes pro patriæ salute occubuisse.

Pulverem colleg.] Quod Græcè dicitur κονίζεσθαι, *pulvere aspergi,* vel potius collecto pulvere manus luctantiũ oblini ad comprehensionem arctiorem, quo modo statua cujusdam Athletę loquitur, lib. 3. Epigrãm. cap. 2. his senariis: Λέγει δ' ὁ χαλκὸς· ἀ βάσις με λυσάτω,
Χ' ὡς ἔμπωμ νῦν ἕβδομον κονίσομαι. *Aerea autem statua dicit: basis me dimittat, & sic aurâ vescens legam pulverem & eo conspergar vice septimâ.* Ἀθλητὰ γὰρ ἀήττητοι καὶ ἀμαρᾶς ἀπειλούμενοι ὑ φιλῶσι κονίζεσθαι, τουτέστιν, οὐκ ὀπισθαποδοῦσι τὸν κόνιν. i. *Invicti enim Athletæ, & qui facilè in certamine evadunt superiores, non assumere solent madidis manibus pulverem,* quo fortius ac tenacius apprehensum antipalum constringant; sed qui ad id exsequendũ summâ nituntur ope, iis plurimus emanat è membris sudor; unde manus fiunt lubricæ, & sic rei prehensæ malè pertinaces, nisi pulvere fuerint inspersæ. *Curriculo.*] Aliquando hæc vox est adverbium, uti Donatus exposuit act. 4. Sc. 4. *Heauton.* in vers. *Curriculo percurrere, id est, cursim, apud eum miles Dionysia agitat.* Aliquãdo nomen, ut hîc & in orat. pro C. Rabirio: *Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ.* quamvis autem sit τροχοειδικῶς factum à curru, & interdum sumatur pro hoc, & pro cursu ipso; hîc tamẽ ponitur pro loco certaminis, quod ineunt cursores. de stadio lege *Agellium* lib. 1. ubi *Herculem* memoratur dimensus illius spatium. dicitur Græcè καλάδρομος, quem Suetonius in Nerone usurpavit factũ Latinum. *Notissimus equus Romanus elephanto supersedens per catadromum decurrit.* dicitur etiã hippodromus pro illo loci spatio, ubi quadrigę, i. equi curribus juncti currunt: quo Plautus usus est in Cistellaria Act. 2. Sc. 3. *Nam mihi ab Hippodromo memini afferri parvulã puellam.* & hanc quidem vocẽ eleganter Cicero in oratione pro *M. Marcello* hinc transtulit ad curiam & forum, ubi causas agere solebat, *nec fas,* ait sub initium orationis, *esse ducebam versari me in vestro veteri curriculo.*

Evitata rotu.] Id est, meta juvat alios, quam rotæ prudenter & celeriter circumactæ evitarunt, nec durius certo puncto contigerunt. Meta verò à Grammaticis existimat inde nominari, quòd Stadiodromi videantur illam metiri, dum septemplici quadrigarum circumacta celerrimè ὀκταξιοτάτους eandẽ lustrant, quod certè Propertius lib. 2. Eclo. ad Cynthiam subindicat:

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triverit ante rota. unde curricula ludorum Circensium solennia septem esse dicuntur. Ode tamen 3. Olympiorum Pindari meta videtur dici πέρμα δωδεκάγναμπτον, *quòd duodecies currus illi debeat circumagi:* & Pyth. ϛδ. 1, 5ροφῆς. κωλ. ἴδ. ita dicit: ἀκηράτους ἑνίας ποδαρκῶν δωδεκαδρόμων, id est, *integra lora velocium equorum duodecies circa metam concurrentium.* Idem ϛδ. 2. Ὀλυμπ. ᾠδῆς. 3. vocat πεδρίππους δωδεκαδρόμους, quod quadrigæ toties ad metam se circumagerent: unde δρόμος δωδεκάκυκλος dictus est, i. *cursus duodecies in orbem circumactus.* Auson. cõtrà Epitaphio 35. cursum definit septenario:

Prosphore clamosi spatiosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias. Seneca quoque contrà sentit Epist. 30. atq; hic est Pindarus, quum narrat, *se frequenter invisisse hominem sibi charum & decrepitum, ut sciret, nunquid cum corporis viribus minueretur etiam animi vigor: qui sic crescebat illi, quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitiâ, quum septimo spatio palmæ appropinquant. Lætitiâ agitatorum videtur hîc eorum esse, qui in certamine olympiaco agitant quadrigas omnium proximè ad metam.* Videtur præterea quibusdã, meta Græcè dici posse κῶνος, à figura turbinis: sed melius è proverbio ἀπὸ τῆς ἀφετηρίας μέχρι τῆς καμπτῆρος, (quod Cicero sub finem Platonis Majoris dicit cursu verso, nec verò velim, quasi decurso spatio, à calce ad carceres revocari. Hic calx immutatur à propria notione, quæ ipsi est indita ad posteriorem pedis partem notandam, & inde translata ad metam & finem curriculi, ut carceres ad ejusdem principium. Verba Ciceronis sic Gaza fecit Græcè: σφόδρα αὖ παραπίμπλω, δολιχὸν οἷόν τινα ὀκφαμῶν, ὀκ τῆς τέρματος εὖ ὄπισθε τιὼ βαλβίδα μεταγαλεῖσθαι, quæ etiam dicitur ἱππάφεσις βάτης, κάμπη, & definitur βάλβις ἔστιν, ἣ ὀπισθόλυσιν οἱ δρομεῖς, κάμπη, id est, *balbis est linea recta, è cujus principio egressi cursores, velut collimantes, petunt metam.* Hanc definitionem affert scholiastes Apollonii Rhodii in lib. 3. Argon.) meliùs, inquam meta dici debet κάμπης, quæ vox geminatur cum νύσσα, τέρμα, σκόλη, à Julio Polluce lib. 3. cap. 50. περὶ δὲ κάμπης νύσσά τε καὶ κάμπη: quod circumflectũt meta & κάμπης, hoc Pacuvius in Tantalo usurpavit Latinè: *Extremum ultra campterem.* Adhæc νύσσα dicitur παρὰ τὸ ἐλύοντας κατ' αὐτὴν νύσσειν τὰς ἵππους, *quòd cursores acerrimis calcaribus equos sodiant ad quadrigas proximè & cursim metæ admovendas.* Unde proverbium, κέντει τὸν πῶλον ἐπὶ τὴν νύσσαν, i. *stimula equum ad metam in eum,* qui aberraret à scopo proposito, jactabatur. Alio autem nomine dicuntur carceres, ὕπληγες, ἀφετηρίαι, ἄφεσις, διὰ τὸ ἐκεῖσε τὰ μάστιγι τοὺς ἵππους πλήττεσθαι, *quia equi incitantur à repagulis ad metam scuticâ.* Propriè autem ὕπληξ est flagellum, quo sues agitantur, cujus sonitu, quia signum cursoribus erupturis è carceribus & balbide dabatur, pro his & initio cursus usurpatum est: quem Servius in versum 125. lib. 5. Æn. sic definit: *erant quidam carceres, unde cursuri emittebantur.* Addit idem interpres ad vers. antepenultimum 1. Georg. *Ut quum carceribus sese effudêre quadrigæ.* Carceres vocantur, unde mittuntur equi, dicti quòd coercentur equi, ne inde exeant, antequã magistratus signum misit: sed metæ dicuntur, ad quas currebant, & à quibus superatis, obitisq; ad carceres per alteram circi partem recurrebant: formam autem talis Hippodromi pete à Torello de Verona, à Marliano de Roma, & à commentariis in Vitruvium. Adhæc partes Hippodromi hoc versu notantur è lib. 1. Epigrammatum cap. 1.

Ἢ γὰρ ἐφ' ὑπλήγων ἢ τέρματος εἶδέ τις ἄκρα
Ἢ ἵππων, μίσγῳ δ' ἔποτ' ἐνὶ σταδίῳ, i. *Aut enim quis Juvenem*

nem vidisset ad carcerem, aut ad metam summam, nunquam in medio curriculo, tanta videlicet ipsius erat velocitas, ut meritò quis eum prædicaret *τὸν τὰ σκέλη ῥᾴστον τα*, i. *qui agiliter crura concitaret ac velociter se in pedes coniiceret*, nec secus, atq; quum equus stimulis & calcaribus sentit se acerrimè perfossum ab equite. Præterea in rotis desideratur præpositio à: rotis non tanta meta, dum circumageretur currens: quæ vox tota à Grámaticis ex eo dici putatur, quod facilè suo volubili & veloci circumactu ex una Hapside, (quæ dicitur aliter Græcè *ἴτυς*, *ἀπὸ τὸ ἰέναι, ab eundo*, vel etiam, *σώτηρ, ἀπὸ τὸ σώειν, à concitando*, præsertim quum Hapsis est lignea, sed quum est ferrea & ligneæ superaddita, dicitur *ἐπίσωτρον*) ruat in altetam, vt trochus decursu in varios agitur orbes. Eandem Hesychius dicit *αὖτιγα*, definitq; *τὸ ἅρματος περιφέρεια, currus circunferentiam*. Est quoq;, ne tibi videar hîc prolixè loqui, *τὸ ἄλγος*, Hippocrati *ἀπὸ φρενῶν, i. mentis lasio & offensa, παρὰ τὸ ἅπτεσθαι*, quod idem est ipsi, quod lædi, & tentari, tanquam diceres, tactam mentem & læsam, ut Galenus exponit commentar. 3. *εἰς τὸ περὶ διαίτης ὀξέων*.

Palma] Est arbor *ἀμφιδόφυλος*, quòd semper vireat: cuius periphrasin tertius & quartus Psalmi primi versus iuxta vim huius epitheti verè videtur continere, sic à Plinio lib. 13. cap. 4. notatâ. *Gaudet & viguis, totoq; animo bibere amat*. sed discе ex Agellio cap. 6. lib. 3. & lib. 8. Probl. 4. Sympoſiorum ex Plutarch. & ex Hieron. Mercuriali lib. 1. variarum lect. cap. 3. & lib. 10. Metamorph. *Lentæ victoris præmia palmæ*. Item ex Eustathio in Dionys. Periegesin de Bábylone vigere in Phœnicia, vnde nomen Græcum mutuata est, *φοίνιξ*. & in Palæstina interdum annos 100. Item ex Plin. libr. 16. capit. 42. *palmam oneratam fornicari*. Item ex Xenophont. lib. 7. Pæd. *κἀκεῖνο δὴ πεζόμενοι οἱ φοίνικες ὑπὸ βάρους ἄνω κυρτοῦνται, ὥσπερ οἱ ὄνοι καμηλίσι*: ideoq; *τὰ ἀπὸ φοινίκων βαΐα*, i. *χλάδοι*, rami & termites palmarũ sic dicuntur *ἀπὸ τὸ βαίνειν*, quòd tantò magis se soleãt erigere & sursum tollere, quantò vehementius premi videantur. Vis autem & natura palmæ hoc epigrammate Alciati exprimitur,

Nititur in pondus palma, & consurgit in altum:
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
Quas mensas inter primus habetur honos.
I puer, & raptans ramis has collige: mentis
Qui constantis erit, præmia digna feret.

Discе, inquam, ex his vim & naturam palmæ in obnitẽdo ponderibus, & cur *ὁ φοίνιξ λέγηται ἐπιπρεφὴς καὶ ἀκρόκομος*: Iuxta hanc naturã (quæ eam ob rem victoribus aptissimè tribuitur & convenit) atq; propter nobilitatẽ castę Palladis non vult cum vite maritari. Epigrãm. Græco cap. 11.

Παλλάδιόν εἰμὶ φυτὸν. Βρομίου τί με θλίβετε κλῶνες
Αἴρετε τὰς βότρυας, ναρδίνου ἐ μεθύω.

Palladis sum planta. quid me premitis vos, Bacchi palmites. Tollite racemos. sum virgo absternia. Illa autem instituì ac deferri victoribus cœpit ætate Thesei, sicut Plutarch. scribit in ipsius vita, & 8. lib. Sympos. probl. 4. ut dicetur epod. 16. de termite palmæ. *Terrarum dominos*] Hoc certè *ἀμφιβόλως* & ambiguè dictum, de Romanis ne longè lateque dominãtibus, an de diis vniuersitatis rectoribus. Ita quoque Ovidius de Ioue, —*& domino dignè solvere vota Iovi*: malo equidem de Olympionicis, quales fuerunt Hercules, Alcibiades, Corœbus, Heraclides, & de similibus suis victoriis ad immortalitatem cõsecratis intelligere: quod est, euehi ad deos. Vox autem *dominus*, definitur propriè princeps familię, aut qui præest domui, & inclinatur à domo, vt hoc à Græco *δόμος*, hocq; rursus *ἀπὸ τὸ δέμειν*, ab extruendo, verbũ prę terquã in præteritis inusitatũ. *Euehit ad.*] Quod Græci dicũt, *ἀνάγει εἰς θεούς*, inter deos refert & immortales facit.

RHET. TROPOSCH.

[f] PArui hîc refert ad sensũ, utro modo accipias hanc vocem, an per Metonymiã subiecti pro adiuncto, an cõtrà, i. pro stadione & hippodromo, vbi colligitur puluis: quomodo Cicero sumit in Carone maiore: *quũ Milo Crotoniates Athletás se in curriculo exercentes videres*: an pro curru & cursu illum excitãte & tollente, qualis memoratur ab Homero Iliad. Ψ, *Οἵδε πετοῦλο κονίοντες πεδίοιο, equi verò volabant, puluerem excitantes per campum*. Ita *τὸ γυμνάσιον* pro exercitatione & loco, ubi illà peragitur. [g] hoc dicitur per synecdochẽ speciei pro quolibet certamine, ut hîc pro quadriiugo: sic *κονίζεσθαι* pro *ἀγωνίζεσθαι*: Nam propriè illud est Luctatorum, qui oleo uncti manus & membra oblinunt puluere ad facilius antagonistas *ὀλισθαίνοντας*, unctos etiã comprehendendũ, & ad lassitudinem tollendum. [h] Metæ & palmę, rebus fixis, immotis atque inanimis tribuitur motus & sensus per metaphorã p eo: accedentes ad metam proximi reliquorũ concursatorum immortalẽ sibi pariunt gloriã & honorẽ. [i] Si hoc epitherũ p priè sumis, rotę intelligũt calefactæ frequenti agitatione, attritu & circũactu modiorũ, axiũ, conflictuq; reliquarũ partiũ, sed ita fortasse minùs ad volubilitatẽ expeditæ: sin trãslatè, rapidissimè significãtur, vt Virg. loqtur 3. Georg. —*rapidusq; rotis insistere victor*. & citissimæ & celerrimæ, sicut est natura caloris: quemadmodũ interpretat scholiast. Theocriti in 5. Idyl. *τὰς δὲ παχεῖς ζέοντας ἢ θέρμας λέσσει*, i. *Physici. n. dicũt eos celeres, q sunt feruidi & calidi*. Sic Virg. 3. Georg. dicit, —*volat vt feruidus axis*. sic Aen. 11. *frenaq; feruentesq; rotas*, i. Seruio *nimio scil. cursu*. vt Græci *ζεστὸς ἄξων*, i. synecdoch. *currus celeriter fertur*. [k] Hoc *μετωνυμικῶς* sumendũ videt, vt signũ p celebri victoria significata, cuius insigne fuit corona ex frondib. palmę cõtexta, vnde cognoscis esse hîc synecdochẽ integri pro ipsius mẽbris, quã D. Paul⁹ vocat ep. ad Philip. c. 3. v. 14. *βραβεῖον*, & ad Cor. c. 9. v. 24. dictũ p metathesin primarum literarũ, quasi *ραβδεῖον*, ad cuius veriloquii rationẽ virga palmea, non corona dari solita esset victorib. certaminũ: vtrũq; tñ *γέρας νικητήριον*, i. *victoriæ præmia*. præmiũ illis potuit eò tradi: quia vt palma póderi minimè succũbit, sed aduersus ipsum surgit: sic strenuè pugnãtes hosti vrgenti nõ cedunt: vnde Ciceroni p Rol. Ame. dicitur *vetus ac nobilis gladiator plurimarũ palmarum*, i. *victoriarũ*. Hic tamẽ locus Cic. in malã partẽ per ironiã accipiendus est. [l] Metonymia est effecti pro efficiente (sic. n. malo vocis immutationẽ notare, q cũ aliis dicere, hoc ab effectu vel *ἐνεργητικῶς* intelligendũ, dissimulato ita studiosis tropo, vel ignorato, ita fecit Vlpianus in primã Olynth. ad verba: *παῦτα γὰρ ἔστι μὲν ἴδια πᾶσι φύσει καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις*, i. *hæc enim sunt profectò infida natura etiam omnib. hominibus*. Vlus est, ait Scholiastes, re pro persona, i. adiuncto pro subiecti⁹ Thessalis, qui tales erant) quòd palma victores claros reddat, palàm ostentet & nobilitet, quemadmodũ dicet Ode 29. huius libri: *nobiles libros Panætii*: quod enunciatur ita ad od. 2. lib. 4. *Quos Elea domũ reducit palma cælestes*. Simili tropo Pind. Ὀλυμπ. εἰδ. C. sub finẽ dicit: *ἀκαμαντοβόλους ὀϊστοὺς γνωτοὺς sagittas*: quæ celebrent & nobilitẽt iaculatores certos: quem quidẽ tropum Cic. locus Tusc 5. sub initium videtur cõfirmare, vbi scribit, *in maximo ludorũ apparatu & totius Græciæ celebritate alios corporib. exercitatis gloriã & nobilitatẽ coronæ petere*. [m] Hyperbolica est allegoria, metaphoris celebrẽ significans memoriam & famã victorum olympicorũ glorioſam immortalitati cõsecrari, ac velut ex ea quandã *ἀποθέωσιν* fieri, qualem Virg. decantat Cęsari Georg. 1. ad vers. *Tuq; adeo, quem, &c.* & 3. eiusdẽ ad vers. *In medio, &c.* Itẽ in fine lib. 4. —*Cæsar dũ magnus ad altũ, fulminat Euphratẽ, &c.* Victoria. n. Olympicorũ certaminũ erat Gręcis instar Rom. triũphi, ut ex orat. Tullii

pro Flacco intelligitur, & è vita Pelopidis sub finem. apud Plutarch. de Diagora olympionico, & c. 1. de Repub. Plat. Similis erit hyperbole Ode 2. lib. 4. *Mores aureos educit in astra.*

Dialect.

HIc octo deinceps versibus politici & agricolæ proponuntur, sic certè suo duci studio ac desiderio administrationis civilis & agricolationis teneri, ut nulla re quamlibet carâ & pretiosâ, illos deterreas atq; avoces à præsenti rerum conceptarum & inceptarum cupiditate: earundemq; statu. Ratio autem animi tam obstinati est, quòd ubi illi sunt eblanditi suffragia tribuum paulatimq; plebem ac reliquos ordines fecerunt suos, facilè sperent inde amplissimos quosq; reipub. honores: hi verò conditionem suam propterea non commutarent latissimis regnis: quòd è jucundissimo patrimonii sui cultu tam uberes fructus percipiãt: quam demetere Africani solent. Tales Eustathius Ιλιαδ. γ. vers. 182. vocat ἀλζίους, bifariam sic notans: ἢ ὅτι τὸν ὅλον βίον ἐν εὐδαιμονίᾳ διάγουσιν, ἢ ἐν ὅλαις, ἤτοι κειμέναις, ἐξ ὧν, ὡς ἀπὸ μέρους, τὰ ὅλα γῆς ἀλλᾶται ἀγαθά, i. *aut quòd totam vitam in felicitate, aut in horreis degant, è quibus tanquam ex parte telluris bona significantur.* Itaq; neutrorum animos ullis conditionibus ab institutis abstrahas ad negotiandum per mare & terras.

Gramm.

MObilium] De levitate & inconstantia ferentium olim suffragia in comitiis lege Ciceronẽ pro Murænа: *quorum tam flexibiles voluntates*, &c. Pericles, ut ait Plutarch. in ipsius vita, cum ventis inter se reflantibus cõferebat: & Demostheni turba popularis est, velut instabilis ventus in mari, ὄχλῳ, ὡς ἐν θαλάττῃ πνεύματι κατάσαλον. *Turba*] Donatus in Prologũ Hecyr. ad verba *nunc turba nulla est*, interpretatur *turbam* θόρυβον, hoc est πάταγον, strepitum & tumultum, cuius vis ex eo perspicitur, quòd notat hanc vocem ad præcedentia: *populus convolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco*, referendam esse: & merè vox est Græca, & *Attica* pro σύρβη, ut liquet ex interpretatione Gazæ, qui verterit in Catone Maiore. *quum ex hac turba & colluvione discedam*: ἢ γε ἐκ τῆς ἐνθάδε τύρβης καὶ ταραχώδους ποτὲ ἀπαλλάξω. Sumitur autẽ turba pro multitudine per metonymiam effecti pro efficiente strepitum & tumultum collecta. σύρβη porrò est vox, qua vtuntur subulci ad sues citandas.

Quiritium] Cur Romani dicti sint Quirites, petendum est è lib. 1. Liuii, & è Plutarch. in vita Romuli: quẽ hic autor in Romaicis è quorundã opinione existimat posse dici πρὸς ἐνυάλιον, vocẽ certè πρὸς Κυείνῳ, Quirino respondentem, quum sonet Martium de patris nomine, ἀφὰ τὸ αὐνειν ἢ γε φονεύειν διὰ μάχης, *ab occidendo pugnã*: vnde tu discres, hoc quidem nomen tractum esse vel à Curibus, id est Sãbinis, vel à Curi sive Cyri, id est, hasta ipsorum lingua, vnde hic versus Ouid. 2. Fast.

Siue quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis. Ex hoc armorum genere quidam coniiciunt τὸ Κυεῖν & ἡ Κυείτης fluxisse ex Hebræo קֹרִי Cori, id est, cohors hastatorũ vel securim gestantiũ, à radice קָרָה excidit. Alter ejusdem versus videtur deducere Quirinũ de Græco: Κοίρανος, *rex: Siue suo regi nomine posuere Quirites.* vel deniq; à Cures, urbs Sabinorum celeberrima, in qua Tatius regnavit, & Numa Pompilius natus fuit, quemadmodũ refert Plutarch. in eius vita. & Seruius in vers. Æneid. 7.

Vna ingens Amiterna cohors, prisciq; Quirites, id est, Sabini: prisci autem ideo, quia post fœdus Titi Tatii & Romuli placuit, ut quasi unus de duobus fierent populus: vnde & Romani Quirites dicti sunt, quòd nomen Sabinorũ à civitate curribus fuerat. Cuius Cicero meminit Epist. 20. lib. 15. ad famil. in descriptione cuiusdã Sabini, *etsi modestus eius vultus sermoq; constans habere quiddam à curibus videbatur.* Nota enim erat Sabinorum integritas & fides, & probitas, ut ratio nominis præ se fert, ut dicetur, si Deus Opt. Max. voluerit, ode 4. lib. 3. Dio tamen lib. 42. scribit, milites Cæsaris grauiter tulisse, ὅτι ὁ στρατηγὸς κυρίτας, ἀλλ' οὐ στρατιώτας αὐτοὺς ἀνόμασε, i. *quòd Imperator Quirites, non milites ipsos appellasset.* Vnde verbum *Quiritare*, quod est *Nonio* clamare & Quirites invocare in auxilium, cùm in extremis ac longinquis locis aliqua fieret injuria ciuibus Rom. sicut ex hoc in Verrem cognoscitur: *Cervices in carcere frangebantur indignissimè ciuium Rom. ut etiam illa vox & illa implcratio, civis Romanus sum, quæ sæpe multis in vltimis terris opem inter barbaros & salutem tulit, &c.* vt D. Paulus cap. 22. Actor. vers. 28. *Certat*] Certatim contendit de ipso ad summos provehendos honores, & præterea antiptosis pro extollere ad honores, quemadmodum Ode 24. lib. 2. dicet de tali vulgo: *quo clamor vocat & turba fauentium.* *Tergeminis*] Interpretes vehementer de hac voce altercantur, an tergemini honores sex intelligẽdi sint, quod ita nonnulli arbitrantur intelligendum ex vi, & natura coniunctionis, cuius pars posterior *Geminis* valet idem, quod duplex, ut *geminus partus, geminis pennis aera secare, geminæ columbæ.* 6. Æneid. pro duplici partu, binis pennis, duabus columbis. vt Seruius in locũ primæ Æneidos, —*geminiq; minantur*, i. *eminent, In cœlum scopuli*, i. *pares & similes.* Annotat hoc Epithetum *Gemini* esse duplicis notionis; primum quòd interdum æqualitatem & similitudinem, sicut hîc, & Epist. 10. lib. 1. ad versum *Multum dissimiles, ad cætera pene gemelli.* Interdum binarium numerum, ut ex hoc Terent. in Andr. *Ex vnis geminas mihi conficies nuptias*, i. *duas.* Atq; *ter*, in iunctura habet vim multiplicantis numeri, ut *Arithmetici* loquuntur, tanquam diceres, ter binos honores, & ita ad tres majores & Curules, Consulatum, Præturam. Ædilitatem. Tres alii, Quæstura, Tribunatus plebis, Censura essent addendi: petebantur autem huiusmodi honores ordinatim, *Quæstura, Tribunatus Plebis, Aedilitas, Prætura, Consulatus, Censura*, eaq; forma, ut inter *Quæsturam* & *Tribunatum*, & inter hunc & *Aedilitatem*, annuum intercederet temporis spacium: sed *Aedilitatem Prætura* sequeretur, sicut hanc *Consulatus* biennii interiectu. Post hunc nullus ceu *Censuræ* definitus annus; atque de hac duplicatione per *Epithetum* geminus facta illis videtur assentiri Servius in hęc verba 6. Aeneidos: *& centum geminus Briareus*, hoc est, inquit ille, centies duplex, ut de centũ manib. & totidem capitibus Epithetum è Theogonia Hesiodi intelligi videatur. Alii cõtrà, ut Dionys. Lambinus præter cæteros de variis lectionũ & exemplariũ collationibus inprimis laudandus, testimoniis Latinorum auctorum docent, *ter*, aduerbium hîc non multiplicare, ut cũ Liu. lib. 1. ab vrbe appellat *tergeminos fratres*: atq; idem ipse lib. 6. multò clariùs loquitur: *modò tergeminæ victoriæ triplicem triumphum ex ipsis Volcis, & Aequis & ex Hetruscis egisti*: quam vocem ipsemet paulò ante explicare videtur, cũ dixit: Camillus in vrbẽ triumphans rediit trium simul bellorũ victor. Ideoq; intelligi tantũ tres victorias & tria bella. Item tergeminũ Gerionem, non sextuplicem, sed triplicẽ. Huc adde, si vis, versum 6. Aen. *Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.* Et 4. *Tergeminamq; Hecatem, tria virginis ora Dianæ.* Item alterũ Catulli: *Siue qua septemgeminis colorat Aequora Nilus*: qui sic à septem ostiis, quibus se exonerat in mare, vocatur. Alii malunt tres populi Rom. ordines, Senatorium, Equestrem, & Popularem significari. Alii denique plausus theatrales, cuiusmodi ode 17, lib. 2.

—*quum populus frequens*

Lætum

Lætum theatris ter crepuit sonum: Qui honos in tanta hominum frequẽtia & honorato ordinum consessu, atque in more veterum positus habebatur summus: quum maximâ congratulatione illi optimè existimabant se cuique de ipsis merito satisfeciſſe, ſi voce & manuum plausu lætas dediſſent ter animorum declarationes: quale quid Tertullianus refert accini solitum triumphantibus: *De nostris annis tibi Iupiter augeat annos.* Hanc quidem postremam interpretationem ultimâ Horatii editione Henricus Stephanus optimè de literis meritus, hujusque paternæ gloriæ magnâ accessione heres dignissimus breviter notauit: cujus etiam expositionis opinionem Adrianus Turnebus vir doctrinæ & lectionis variæ prius confirmarat. *Illum gaudentem findere agros patrios sarculo nunquam demoueas.* Quod Græci dicunt τὸν ἐπὶ χερῆ ὄντα σκάλλειν ἢ σκαλδεῖν γῆν παρῶαν. Est autem τὸ σκάλλειν. Eustath. Iliad. Δ, ὅταν ἡ γῆ λύεται ἐκ τῆς συνεχείας, i, *quum solum soluitur suâ densitate, & sarritur, scissim finditur:* nam rustici quum sarriunt, terram sarculis aperiunt. Sarculum quoq; Varro lib. 6. de lingua Latina vult dici vel à ferendo, vel à sarriendo: vbi tamen Iosephus Scaliger mauult à ferando, quum ipsum sarrire lib. eiusdem operis 6. à ferare deflectatur, quod est claudere & operire, à quo dissentit Turnebus, sed non rectè meâ sententiâ: vtpote qui coniunctum referare vel resarrire videatur explicare, non simplex vtriusque. Sarculum autem Græci vocant τὴν σκαλίδα ἢ τὸ σκαλισήριον. alij tamen dicunt Sarculum esse genus similis rastri crati dentatæ ad segetes herbis purgandas, quæ quidem esse diuersa ostendere videntur verba Ouidij. lib. 11. Metamorph.

—— *Vacuosq; iacent dispersa per agros,*
Sarculaq; rastriq; graues, longiq; ligones.

Aliud quoque rusticum ex ferro Instrumentum dicitur marra, exscindendis herbis aptè accommodata, cuius meminit Iuuenalis Satyr. 3. —— *ne marræ & Sarcula desint.*

Contundat marra vel fracti dente ligonis. Est igitur huius loci hæc sententia: qualibet conditione delatâ, neq; ambitiosum, neq; studiosum patrimonij colendi reuoces à speratis honorib. vel ab agriculturæ fructib. ad mercaturam, siue ad nauticam, siue ad aliud institutum vitæ, ſi ille iam designatus fuit, & hic fructus ex agris paternis vberrimos percepit: cuiusmodi agricolam Claudianus describit quendam Veronensem senem:

Felix, qui patriis æuum transegit in aruis:
Ipsa domus puerum quem vidit, ipsa senem,
Qui baculo nitens, in qua reptarit arena,
Vnius numerat secula longa casæ,
Illum non vario traxit fortuna tumultu:
Nec bibit ignotas nobilis hospes aquas:
Non freta mercator timuit, non classica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori. &c.

Sed huius rei exemplum habes Titianum quendam lib. 1. Epigrammatum Græcorum cap. 21. de iustitia:

Ἦ θελε μὲν βασιλῆς σε βοηθόον εἰσέτι πέμπειν
Ἄστεσι τειρομένοις δῃουμένων μερόπων,
Τιτάνε χεύσειε· σὺ δ' ἐν βιότοιο γαλωῇ
Πατρίδα καὶ κλῆρον σὸν προβέβλας ἔχειν
Ἀὐξων σῶν πρεσβύνων κτέρεα ἐν δίκῃ, αἰχμέων δὲ
Γλῶττον, ὅτι συγχεῖς σὺν θρόνῳ ὄϊδε δίκην. *Voluit te rex defensorem nunc mittere vexatis vrbibus egentium hominum, ô præstantissime Titiane: Tu verò maluisti possidere paternam hereditatem in tranquillitate vitæ* (quàm tali dignitate ornari) *res maiorum iuste amplificaturus. Nam dea iustitiæ vnà sedens in throno Iouis nouit te diuitias subiectorum odisse.* Vix profectò ac ne vix quidem hodie reperies vnicum Titianum. Hanc autem syntaxin, *Illud gaudentem* Glareanus putauit non satis conuenire: sed διὰ πῆ, non ostendit: tantùm addidit in *gaudentem* nouum esse genus hominis & ita existimauit τὸ *illum* vt τὸ *hunc*, referenda esse ad superius verbum *iuuat:* ideoque *arcis* ambitu distingui: quia videtur fortasis ipsi alienum esse ab officio agricolæ agrum colere, & demessa horreis cõdere. Itaq; alij referunt τὸ *gaudentem* ad *dimoueas* inferius: quam quidẽ certè superiorem admonitionẽ licet minimè tolerandam. quidã tamen olim ex regis professoribus sibi non solum imprudenter, verum etiam impudenter arrogarunt. Ego autem existimo vnicum & idem hominis genus hic vtraq; voce *illum gaudentem* designari, quod paternis agris colendis ita sit deditum, vt si proprio horreo cõdiderit ingentes frumenti acer uos (de fruméto enim intelligitur hoc *quicquid de Lybicis &c.* γενικῶς. vt illud Hesiodi —— Ἔπλω δὲ

Πάντα βίου κατάθηαι ἐπάρμενον ἔνδοθεν οἴκου. *Postquam reposueris domo victum omnino sufficientem.* vel: Δημήτης βιόν σε ϝῷ τέλῳ πίμπλησι καλίῃ, *Ceres victu impleuerit horreũ tuum*) inde nullis conditionibus dimoueas ad aliud vitæ genus, atq; institutum: tantum abest vt tanquam pauidus nauta velit dubios labores suscipere & pericula procellosi ac vndosi maris adire. Qui patrios agros interpretãtur publicos & ad patriam pertinentes, eos credo habitare in regione Philodemorũ & publicolarum feracissima, sed in ea, quam ipse incolo, talium est summa sterilitas, vbi nullum adhuc vidi publicolam, qui tantopere addictus & consecratus Reip. commodo esse videretur, qui verò priuatis σωτήρως seruirent, eorũ magna fertilitas. hoc autem findere patrios agros est periphrasis agricolæ, quæ Græcè reddi potest. Τὸν ἰδίαν γεωργεῖν, subaudiatur γῆν ἢ χώραν, id est, proprium solum & agros colere. Quod si Poeta voluisset *hunc* & *illum* ad prius τὸ *Iuuat* referre, rationẽ syntaxeos minimè variasset: quæ ita se habet: vt in *metaq; feruidis* repetendum quidem sit ἀπὸ κοινῆς, & *sunt, quos meta intacta & palma nobilis euehunt ad Deos:* vbi τὸ *iuuat* reperi non potest. Itaq; hic locus sic debet resolui: *nunquam dimoueas illum gaudentem findere agros. vt trabe Cypria secet mare, &c. Si cõdidit proprio horreo.* Similiter præcedens', nunquam demoueas hũc, si turba Quiritiũ. Qui hãc Glareani opinionem sequuti sunt, nostræ distributionis è subiectis rationem fecerũt octuplicem ex octo generibus hominum dissimilitudine desideriorum ac studiorum inter se differentium, mutato argumenti genere in oppositionem disparatorum, quam rectè: iudicium relinquo doctiorib. candide faciẽdum: animaduersa in verbis. *me doctarum ederæ &c.* apodosi antitheseos pro antapodosi nostræ dissimilitudinis, & obseruatâ quæstionis hac enunciatione, non quali studio pleriq; vitam exigere solent, tali Horatius statuit traducere suam, huc adde dissimiliter cõparari & disparari se affinitate significãdi attingere. Ex quo hæc scripsi, quidã ex discipulis retulerunt Fredericum Beutusium in tertia parte pædagogiæ logicæ mecum sentire his verbis. *Horat. ode prima lib. 1. varijs dissimilibus se pœsi delectari ostendit, vide autorem ipsum.* Idem quoque sensisse Iohan. Freigium in analysi eiusdem Odes. Huc accedat disparatorum argumẽtorum descriptio è lib. 1. *Boetij* de syllogismis hypotheticis, qui docet *disparata esse dissentanea, quæ tantũ à se diuersa sunt, nulla cõtrarietate* (vt loquitur) *pugnantia veluti vestis, ignis.* Huc adde, quod vtrumq; *hunc*, & *illum*, non tam διεκτικῶς, quàm διαιρετικῶς hîc accipiendum sit, pro alterum & alium, vt solet in longa partitione. Considera quæso, lector, hoc partitionis exemplum lib. 2. Georg. sub initium,

Sunt alij, quos ipse viâ sibi reperit vsus. (trum.
Hic plantas (stolones) tenero abscindens de corpore ma-
Depositi sulcus: Hic stirpes (plantaria è radicibus) o-
bruit aruo.

Quadrifidamq; ſudes & acuto robore vallos &c. Ep.17. ſimilis eſt diſtributio per τὸ pronomẽ *hic onus horret: hic ſubit & profert &c.* Quod verbis alijs exprimetur epiſt.1. lib.1.ad locum, *Pars hominum geſtit, &c.* ſed ijſdem ode 8. lib.4.de Pictore *Parrhaſio.* & ſculptore *ſcopa; hic ſaxo, liquidis ille coloribus ſolere nunc hominem, ponere; nunc deum.* Quòd Græci exprimunt per ὁμὲν, ὁδὲ, aliquando etiã per οὗτος μὲν, ἐκεῖνος δὲ. *Horreo*] Feſtus ſcribit horreũ ab antiquis dictũ fuiſſe farreum à farre: alij tamẽ poſtea idem ab hordeo deflectere maluerũt, vt Græcè à tritici promptuario dicitur ταμιεῖον, quaſi πυρῶν ταμιεῖον Pindarus tamen ϛ. numero τα. ſumit pro cuſtodia, vel promptuario Ignis, atque inde pro ædibus Auguſtis, quales ſunt publicæ curiæ, & locus ille publicus Athenis, vbi bene de Rep. meriti alerentur, & ampliſsimis ornarẽtur honoribus, de quo lege Ælianum lib. 6. cap.47. & lib.7. ca.13. quò accedunt, qui à voce ὥρεσιν ducunt ſignificante quicquid reconditur fructus tẽpore ſuo. Ita horreum γενικῶς ſumitur pro conditorio quarumlibet frugum & rerum aliarum. vt oſtendetur Ode 12. lib.4. in Gramm. ad verbũ *Sulpicijs Horreis &c. Lybicum*] Lybicus fit à λίβυς, quod eſt Afer, & Libys à λίψ Africus ventus, qui etiam ἀπὸ τὸ λείβειν, ὅπερ ὅτι λιβάζειν, à ſtillando dicitur, & cuius flatu conijcitur pluuia: vnde Galli prædicunt *Le vent eſt a la pluie.* Hoc quidem etymon probat Seruius in verſ. *Aeneid. venturum excidio Libya, &c.* Sed alterum huic contrarium ſubiungit è Varrone, cui Libya eſt, quaſi λυπρὰ, ſupple χώρα, id eſt, locus aridus: vnde Saluſtius *cœlo terraq; penuria aquarum.* Quo quidem pertinet aliorum Etymon, qui το λίβυα volunt inclinatum παρὰ τὸ λείπεσθαι, quòd hęc regio deſtituatur quidem pluuia, ſed quum λίψ, Africus ventus, inde ſpirans perflat Galliam, fit ὀμβροφόρος καὶ ὑετίζει, id eſt Imbrifer & pluit. quamobrem auctor Etymologici magni vtrumque etymon ſtatuit ἢ ἀπὸ τὸ λείβειν ἢ λείπειν, parum ſolicitus de notatione Herodoti in Melpomene vbi Libya dicitur nomen ſortita pleriſque Græcis à muliere quadam indigena. Quidam videntur explicare *τὸ verritur de Libycis arcis* pro de apricis regionis Africæ agris verrendo colligi: quod eſt Græcè σαρῶσθαι ἢ σαίρεσθαι, vnde σάρωθρον καὶ σάρωμα. *Gall. balier, & balieure.* Quod area è Floro Iuriſconſulto ſine ædificio dicatur in vrbe locus planus & ludis aptus: Quod *Acron* confirmat in Oden 9. huius: *ſed rure ager vocitur.* Hæc tamen Interpretatio ad priorem, verbi notionem poteſt quadrare, vt quicquid ex illis agris aduehi ſolet, in villa recondatur. Verùm ego malim referre ad locum portando frumento deſtinatum: vbicunque ille fuerit vnde poſtea illud tritum, mundatum & purgatum in horreo reponitur, quemadmodum ſumitur Sat.1. lib.1.

Millia frumenti tua triuerit area centum. Et Verrina 5. *ne quis frumentum de area tolleret.* Hũc autem locum nonnihil iuuant verſus & phraſis ſimilis Od.16. lib.3.

Quàm ſi quicquid arat non piger Appulus.
Occultare meis dicerer horreis:

Præterea lib.20. Plin. ſolum Africæ certis in locis & maximè heſperijs & occidentalibus frumenti feraciſsimum eſt, cuius vbertas celebratur à multis: ac primum à Martiali in Epig. εἰς ὑδροπότας. Lib.6. deinde ab hoc Auctore Satyr.3. lib.2.

Frumenta quantum metet Africa. Poſtea à Seneca in Thyeſte: poſtremò ab Ennio Satyr. 3. & Plutarch. in vita Sartorij.

Conditionibus] Donatus ſic definit hanc vocem in And. act. 1. Sen.1. verſic. 52. *accepit conditionem, vt ſit pactio certam legem in ſe continens, quæ cui placuit. is Ciceroni dicitur deſcendiſſe, aut acceſsiſſe ad conditionem, ipſi oblatam, & poſitam:* vel lego & conditione vti. Gaza hunc locum dialog. de Senectute, *Senex eſt eò meliori conditione, quàm adoleſcens, quum id, quod ſperat ille, hic iam aſſecutus eſt,* ὁ γεροὺς ἐστὶ κρείττων ἐν καταστάσει βελτίονι νεανίσκου, ſic interpretãs videtur paulò aliter, atq; Donatus, τὸ cõditio accipere quũ ſtatum & fortunam ſenis anteponit illi adoleſcentis. *Attalicis*] Hiſtoria quidem eſt vera è Liuij lib.58. & 59. de Attalo rege Pergami & Aſię ditiſsimo qui teſtamento ſcripſit pop. Romanũ rerum ſuarum heredem: quod quidam interpretãtur, velut teſtimonium grati in populum Romanũ animi & memoriæ. Attalus enim ab hoc populo conſequutus fuerat adminiſtrationẽ Aſiæ vt Cicero memorat in oratione pro P. Sextio: *Antiochũ illum magnum maiores noſtri magnâ belli contentione terrâ mariq; ſuperatum intra montem Taurum regnare iuſſerunt: Aſiam, quâ illum multarunt, Attalo, vt hic regnaret in ea, condonauerunt.* Hic tamen ipſe Poeta Ode 18. li.2. id obſcurè videtur, vt grauiſsimę culpæ vehementer affine, atq; adeò quaſi Tyrannicum, damnare, quum ſe fatetur longè diuerſum à multis, qui res alienas occupant.

——*neque Attali*
Ignotus heres regiam occupaui.

Præter ingentes opes Attali ſplendore & copia ſupellectilis & vaſorum celebratur à Poętis atque præcipuè à Propertio. Eleg. 13. lib.2.

Nec ſic in Attalico mors mea nixa thoro.

Item Eleg.17. li.3. *Attalicas ſupera veſtes atq; omnia magnis.*
Gemmea ſint ludis: Ignib. iſta dabis. A Cicerone quoque lib.4. act.2. in ver. memorantur Attalica Peripetaſmata, quę definiri poſſunt παρὰ τὸ ἀμπετάζω, i. *circum circa expando & obtendo. verba Ciceronis ſunt verum hæc ſigna emiſſe te dicis: Quid illa Attalica, totâ Siciliâ nominata ab eodem Heio peripetaſmata emere oblitus es?* Cuius etiam hiſtoriæ Seruius meminit in hũc 3. Georg. verſum: *Purpurea intexi tollant aulæa Britanni.* Item in hunc 1. Æneid. ſub finem. *Quum venit aulæis iam ſe Regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſpondâ. Vt dicemus in explicatione vocis aulęa. Ode 29. lib. 3. Meminit autem eiuſdẽ rei Plut. in vita *Alexandri magni & Titi Quinti Flaminij,* vbi oſtenditur, quàm ſtudioſus ille fuerit nomine Romani in ſuadenda Thebanis amicitia & ſocietate cũ populo Rom. Philipp. contra Reg. Maced. vnum de poſteris Alex. Magni, & quemadmodũ ex illa perſuaſionis contentione inciderit in quoddam apoplexiæ genus: ex quo morbo non potuit conualeſcere poſtea: ſed in Aſiã delatus ibi diem clauſit poſtremum. *Cypriâ*] Περὶ ναυπηγήσιμα τῆς ὕλης, de copia materiæ, quam inſula Cyprus dicitur ſuggerere nauibus conſtruendis & habere mercatũ celebrem, vt dicetur Ode 3. ſequenti, vide Marcellinum & Strabonẽ lib.14. qui ſcribit nulli Inſulæ cedere præſtantiã, vt de ære primum in Cypro, inuento vide etiã Plinium li.34. æs Cyprium Galli nominant Cuirep in Vau mutato tanquam diceres cuipre ab Inſulæ appellatione. Idem quoque adſignificat verſus Iambicus lib. Epig.1. cap. νξ.

Ἡ ναῦς ἀπ' ἔργων Κυπρίδ' ἁρμοσμένη:
Ego ſum nauis ex operibus Cypridis Deæ clauis compacta.

Trabe.] Trabs ex Græca voce τράφηξ pro duplici ligno, & conto flecti videtur, quòd aliter dicitur Græcè, ac definitur, ἢ δοκὸς, τὸ ξύλον πλὴν στέγης ἄνευ lignum ſuſtinens tectum: ἐτυμολογεῖται δὲ ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι τὰ ἐπιβάλλοντα βάρη· quòd recipiat impoſita pondera: eſt autem nauis genus ædificij. Aliter quoque trabs dicitur Heſychio σῶμιξ, ἢ ικ&, lignea: Eaque propriè dicitur trabs, quæ è duobus lignis & tignis eſt compacta: vnde trabica nauis, quòd ſit trabibus contexta, quomodo equus dicitur 2. Æneid. factus; *Præcipuè quum iam hic trabibus contextus aceruis Staret equus. Myrtoum.*] Hoc mare nomen mutuatur à Myrtilo Pelopis auri-

illus

illuc proiecto, qui tamen ope clypei dicitur seruatus lib.Epig.1.cap. νε. εἰς ναυάγιον. neque inde emersus sine ope diuina creditur, quum Hippodamiæ calumnia tale periculum illi creatum fuisset: de quo lege Eustathium in vers. Iliad. β. Ερμείας ὃ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ: *Mercurius autem rex dedit Pelopi domitori equorum:* & illa est pars maris Aegei valde procellosa: pro quo in quibusdam Cosmographis falsò legitur Mare mortuum, qui est locus Asphaltites vel Asphaltenes. Achaia autem habet mare Myrtoum ab ortu; vtrumque tamen est inter maria Oceani orientalis. *Pauidus nauta.*] Hic est ellipsis τοῦ, vt aut alterius similis, est nautę timidi periphrasis in Epist. 1. lib. 2. *Nauem agere ignarus nauis timet:* Non tamen est metus expers omnino, qui est peritus illius agendæ, sicut historiæ de nauigatione Prophetæ Ionæ, & D. Pauli Apost. in act. Apost. testatur: sed mercatores præcipuè metu in tępestate solent examinari: vnde potest hic intelligi ὁ ἐπιβάθης, i. *vector* παθητικῶς sumptum pro mercatore, qui vehitur. qui enim sunt periti nautices, audacter alios vehunt, vt de his Satyr. 1. lib. primo prędicabitur. *Nautæq; per omne audaces mare qui currunt. &c.* sed Herodotus libello de vita Homeri narrat, quomodo nautę in Chiũ traiecturi noluerint illuc transportare Homerum, ideoque hunc in illos hæc cecinisse religionis ergo quam putauit & metu profectam:

Ναῦται πανσυδρομάδες ζυγερῇ ἐναλίγκιοι ἄτῃ.
Πτωχὸν αἰδέεσθε ξεῖνον Διὸς ἔμβασ ἀμείροντες.
Αἰδεῖσθε ξείνοιο Διὸς σέβας ὑψιμέδοντος.
Δεινὴ γὰρ μέτοπις ξυνὶς Διὸς ὃς κολάπτεται.

id est, *Nautæ, qui percurritis mare, vos estis furiis similes, timidis mergis victum valde dignum habentes. Reueremini majestatem hospitalis Jouis altipotentis: terribilis est enim ipsius vultus, quam offenditur. Secet*] Virgil. similiter loquitur Æneid. 8. sub initium de Tiberj: — *Quem flumine cernis*
Stringentem ripas & pinguia culta secantem.

Idem 10. ejusdem operis *secare mare nauibus aratis.* Sed præstat versum & notas *Seruij* adscribere, *Massicus arata princeps secat æquora tigri. Tigri arata &c. cujus rostrum erat in similitudinem tigridis: namq; solent naues vocabula accipere a pictura tutelarum. Hinc est: Hunc vehit immanis Triton. Item & aurato fulgebat Apollinæ puppis.* Inde naues dictę sunt rostratæ, quòd proræ ipsarũ munirętur vel ferreo, vel æneo rostro, quo & nauibus hostium impactæ facilius eas diffinderent, & fluctus marinos frangerẽt. Græci huiusmodi naues appellant χαλκεμβόλους. & rostra χαλκώματα ἢ ἐμβόλους: quorum inuentorem Plinius lib. 7. cap. 56. in fine scribit Pisæum Tyrrhenum fuisse ibidem, *Media Aeneas freta nocte secabat.* Sic Pindarus Pith. Γ. επωδ. γ. vers. Ιονίαν πέμνων θάλασσαν. i. *Ionium secans mare.* Sic Propertius dixit, *Mare findere carina & freta classe.* Sic quoque Maro sub finem lib. 2. Georg. *Sollicitans alij remis freta cæca &c.* quemadmodum loquuntur etiam Græci, dum dicunt τὸ πλάγ & τέμνειν, ἢ ἐρεσσοῖς ἅλα τέμνειν, ὡς ἀρόῳ διαχάζειν ἄρουραν: *remis mare, vt aratro arua proscindere.* καὶ πῶν ὁδὸν καὶ κέλευθον τέμνειν: quomodo etiam Lucianus dicit, οὐδὲ ἐγὼ πρῶτ & ταύτην ἐτεκόμην τὴν ὁδόν, id est, *neque primus triui hanc viam:* & remotis tropis, hoc non est factum exemplo meo: quod aliter verbo proprio effertur, πρήσσειν ὁδὸν, καὶ διαπρήσσειν κέλευθον, *viam transire & iter facere:* vt Virgilius ad finem *Aeneid. 6. ille secat viam ad naues, &c.* vbi Seruius interpretatur secat pro *tenet:* vnde ait: sectas dicimus ab eo, quod propositum tenent: verùm pro *secare mare* Ouid. dicit *scindere æquor nauigiis,* & vterque sulcare.

Rhet. Troposch.

SYnecdoche est finiti vel speciei, vt quidam malunt, pro infinitis, plurimis, maximisque honoribus, vt scholiastes Theocriti bifariam etiam interpretatur τὸ τειφίλατ & Ἀδώνις, sicut nostri Latini *Tergeminis,* in Idyl. ιε. primum ἁπλῶς, vt τειφίλατ, *valeat,* πολυφίλατ, *valde amabilis,* deinde κυείας, propriè ὑπὸ τειῶν ἐφελκύσῃ, Διὸς, Ἀφροδίτης καὶ Περσεφόνης ἐν ᾅδῃ, *à tribus amatus fuit, Ioue, Venere & Proserpina apud inferos.* Ita sanè συνεκδοχικῶς nomen tres, vel ter, sumitur in epist. ad Pison. vbi caput dicitur *insanabile tribus Anticyris,* pro helleboro plurimo. Ita denique βεῖς καὶ βὶς sunt ἀυξητικὰ μόρια, i. *vim augendi habent tam coniunctè quàm disiunctè vsurpata, vt Odyss.* ζ. Τεισμάχαρες μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ

Τεισμάκαρες δ' ἁδόγυποι. *ter beati tibi pater & veneranda mater: ter beati fratres,* i. summè beati. Quo exemplo vtitur Plut. lib. de Iside, & Osiride, & illud sic interpretatur: εἰώθαμεν καὶ τοῖς λέγειν, ὡς τὸ τεισμάκαρες, καὶ δεσμοὶ μὲν βεῖς τόσοι ἀπείρονες. *consueuimus ter dicere: ô ter beati, tria tot vincula pro infinitis:* vnde sunt illa τειστόβι, τεισάλθι, *felicissimus, miserrimus,* quod Galli dicunt: *tres-heureux, tres-malheureux.* Ita Virg. 1. Æneid. querelas naufragorũ amplificat, *ô ter quaterq;, &c.* Itaq; tropus hic magis poetic° & clarior est, quàm propria notio. ° Hoc etiã συνεκδοχικῶς dicitur pro frugibus immẽsis, quo tropi genere Ouid. li. 1. de arte amãdi dicit. *Gargara quot segetes, quod habet Methymna racemos.* P Alia speciei Synecdoche pro colere quouis genere culturę agro debitæ: nullus enim ager vnicâ culturâ & instrumento contentus esse solet. Vult primum arari, deinde seri, pòst occari, tum nocentibus herbis expurgari, meti denique. ϙ Synecdoche est alia generis pro patrimonium. ʳ Synecdoche est iterum alia species pro amplissimis quibusque fortunis, opibusque summis, ad quarum oblatam sibi conditionem, nunquam descenderet: quamuis historia de hoc ditissimo rege sit omnibus testata, & approbata. ˢ Quidam hic hypallagen esse, quam si definitione ita declarant, vt positio caussæ pro effectu, vel contrà, sicut Cicero fecit in Bruto, & Quintil. lib. 8. cap. 6. id equidem certè proho: sed ita mallem agnoscere metonymiam materiæ, quæ est vna caussarum pro re effecta ex ea, id est pro naue ærata, tam ex Cypriis arborum lignis & asseribus constructa, quàm è clauis Cypriis vncisque ferreis compacta: est. n. Eustathio in Odyss. α. Κύπρος πόλις Τεμέσσῃ κατὰ πίνας χαλκοφόρος, *Vrbs Cypri Temessa ærifera,* vt in Strabone lib. 6. Sin eam definitione declarant Schema, quo inuertitur oratio serie suâ, & per hoc exemplum demonstrãt: *classi dare austros,* quo modo Galli dicunt, *donner le vent au moulin, au lieu de dire, donner le moulin au vent.* nullam hic agnosco figuram, nullam orationis conformationem, quum nihil videatur manifestò figuratum, non secus atque illud Æneid. 7. initio. *Et nunc serrat honos sedem tuus,* pro, sedes serrat honorem tuum. Simile quoque est Æneid. 12. *Sin nostrum annuerit nobis victoria martem,* quod Turnebus dicit aduers. lib. 23. cap. 14. non satis explicatum accommodatè à Seruio διὰ τῆς ὑπαλλαγῆς. sed est vel Grammatica tãtum ad verbum submutatio & inuersio casuum pro classem exponere austris. ad hæc quamuis classis possit esse subiectum austri & auster adiunctum classis, dare tamẽ austrum classi, non est opis humanæ: nemo enim potest quicquam alteri dare, nisi prius illud habuerit & voluntati & facultati suæ obsequiosum, atqui ventus cuius vnquam hominis imperio visus est parere? nullus sanè. sit ergo hypallage submutatio casuum Grammatica, in qua argumenta permutari videntur per quandam metonymiæ rethoricæ affinitatem, quam ob id alij Grammatici designant nomine actionis, & perpessionis vicissim immutatę, quũ agere dicimur; quod patimur, vt in illo Æneid. initio, *quidve dolens regina impulerit Aeneam*

voluere tot casus, pro, illum tot casibus volui, & agitari. Sic Apollonius Alexand. lib. 3. cap. 7. de syntaxi in his, ἔνθεν γνωσεῖς τὰ κλυτὸς ἱππεδάμεια καὶ ἄγειον ἄλγα ἐν ὑπαλλαγῇ ἤγυες καὶ θεσσατα, notat immutationem generis, quam tamen interpres Franciscus Portus maluit reddere per alterum eiusdem Syzygiæ & coniunctionis enallagen: vbi Eustath. auctor est id more Attico vsurpatum pro κλυτὴ καὶ ἄγειαν communi dialecto, præterea equidem agnosco in *trabe Cypria* præter tropum notatum, Synecdochen membri pro integra naue: qualis est Sat. 10 tertia Persij, *fracta trabe*. Et Satyr. 6. *emta trabe*. Item Iuuenalis Saty. 14. *nocte cadet fractis trabibus*, id est nauibus. Simili tropo vsus est *Virg.* 3. Æneid.——*Vastumq; caua trabe currimus æquor.* vbi Seruius notat esse periphrasin nauis. Catullus quoque in laude Phaselli:

Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire.

[t] Synecdoche speciei pro quouis mari nauigatione traiiciendo ad mercaturã emendo & vendendo quæstuosè faciendam, qualis est in *Africum* pro vehementissimo quoque vento. [u] Sumptum est, vt alia exempla in Grammaticis posita, ab acutis instrumentis corpora diuidentibus.

Dialect.

DEclaratur quarto loco per antitheſin inconstans studium mercatorum quatuor versibus cõprehensum: q, vagi mercatores & auari ad tempus inuiti otio fruũtur: sed pacato mari & metu naufragij adẽpto, rursus ad ingenium redeunt, atq; statim mari se cõmittunt: nec tum vllo modo illis persuadeas, vt rẽ quẽrant mercaturis honestè, mediocriter, & tutò faciendis, & hac contenti viuant in otio, quod minimè facerent, si illud Antiphanis audirent.

Εν γῇ πένεσθαι κρεῖττον, ἢ πλουτοῦντα πλεῖν. i.

In terra præstat pauperem, quàm nauigando fieri ditiorem, i. Embaricam & mercaturam maritimam faciendo. Itaque de his cum Theocrito in Charitibus dicere possis:

Αλλ' ἴσθ' ὃ μόχθος ἐπ' αἰόνι κύματα μετρεῖν,
Οσσ' ἄνεμος χέρσονδε μὴ γλαυκᾷ: ἄλλος ὧδει
Η ὕδατι νίξειν δολερὰν ἰοειδέϊ πλίνθον
Καὶ φιλοκερδείη βεβλημένου αὖθις ἀπαρτεῖν.

Enimuerò dimetiri fluctus in littore, quos ventus ad terram appellit cum cærulea maris aqua, aut laterem nigrum lauare aqua ferruginea, æqualis est labor, id est, æquè inutilis, atque salubri consilio *velle superare hominem cupiditate lucri, vulneratum*. Similis inconstantia reprehenditur Satyr. 1. lib. 1. in mercatore & aliis hominibus.

Gramm.

LVctantem.] Cicero lib. primo de Orat. dicit *luctari cum aliquo*: at Pindarus, vt hic Horat. Ατλας ἐρατνῷ σφῶν παλαίει. *Atlas luctatur cum cælo.* πυθ. δ. in fine Syntaxis est Græca, vt Epist. 2. lib. 2. ad Florum.

Tristia robustis luctantur funera plaustris.

Icariis.] Hoc mare Plinius lib. 4. cap. 21. scribit esse situm inter Samum & Myconem ab Icaro Dædali filio sic è casu nominatum, sicut Ouidius lib. 1. de Tristib. Eleg. 1. scribit: *Icarus Icarias nomina fecit aquis.* Huius quia nota est omnibus fabula, eam propterea non censemus hic referendam: addam tamen ex Eustathio in hos versus Iliad. β.

Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
Πόντῳ Ικαρίοιο. τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
Ὦρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων. i.

Commota est concio, vt fluctus magni Icarij maris: quos & Eurus & Notus (siue Vulturnus & Auster) *erumpentes è nubibus cæli concitant.* Πόντον Ικάριον εἶναι μερός τι τῦ Αἰγαίυ Εὖρῳ καὶ Νότῳ μάλιστα κυμαινόμενον· ἔνθα, ὡς καὶ ὁ περιηγητὴς ἱστορεῖ, μεγάλα ἐγείρονται κύματα. *Mare Icarium esse partem certam Aegei vehementissimè agitari solitam ab Euro & Noto:* quod noster Poeta canit fieri ab Africo. *In hoc mari, vt Dionysius in suo poemate narrat, ingentes fluctus concitantur:* Insula Icaria Samo adiacet, ἐπώνυμον Ικάρυ παιδὸς Δαιδάλυ, *cognominis huius Icarij Dædalidæ.* vide ibidem reliquum fabulæ temeritatem vtriusque & patris & filij, noster vates traxisse videtur in prouerbium initio Odes secundæ, libri quarti, ad reprimendam audaciam Antonij Iuli poetæ, iactantis se de imitando stylum Pindaricum.

Africum.] Hic ventus, qui etiam Græcè λίψ nominatur ab occasu hyberno flat è regione Cæciæ. Quem Seneca lib. 5. natural. Quæst. cap. 16. sic describit, *ab occidente hyberno Africus furibundus & ruens apud Græcos λίψ dicitur.*

Hunc Poeta facit pugnantem cum Aquilone ipsi Cæciæ vicino Ode 3. huius lib. & vtrumque nomen inuenit à regione, vnde spirat, Africa & Libya: estq; Virgil. Æneid. 1. *creber procellis.*

Rura,] Hæc vox à Græca ἄρυσις ducitur ἐφαρμοττῶς, vt opidum ab ope danda, ideoque per vnicum p. scribendum videtur, ὡς τὸ πᾶν ὅπερ τείχισμα, *quale est, quicquid muris est cinctum*, ait Festus. Hoc nomine Cicer. epist. 5. lib. 4. celeberrimas vrbes vocat opida.

Rates.] Ratis est ᾠδὴ νεῶν, *nauis tumultuaria* & è propinqua materia facta & dicta ὡρᾳῖ τὸ ἐπὶ πλεῖν ἴσχειν, *à lenta nauigatione* & quasi inhibita, vt Latinè, quod quum ipsius remi dextra & sinistra tolluntur, rarescere videantur. Seruius in vers. Æneidos primæ, *diiecitque rates, &c.* annotat, *rates vocat abusiuè naues. Nam rates sunt propriè connexæ inuicem trabes*; quæ commissuris aliisve locis vitiatæ dicuntur refici & instauratione aptari ad motum & ad omnem actionem, sic vsus est Cæsar lib. 4. de Bello Gall. *omnia deerant, quæ ad reficiendas naues vsui sunt.* Idem lib. 1. Bell. Ciuil. *Cato in Sicilia naues longas reficiebat: nouas ciuitatibus imperabat.* Ita dicetur Ode 6. lib. 3. *reficere templa.* Cicero lib. 5. in Verrem, qui de supplicijs inscribitur, respexisse videtur ad descriptionem Seruianam ratis ex connexis trabibus constructæ, quum scripsit. *M. Crassi fortissimi viri virtute consilioq; factum, ne ratibus coniunctis freto fugitiui ad Messanam transire possent.* Polyb. histor. lib. 1. sic Græcè expressit. ναῦς καταρτίσαντες ἀνήχοντο, id est, *nauibus refectis portu soluerunt.* Sic Græci dicunt περαιοῦσθαι διὰ θαλάσσης εἰς νῆσον, id est, *traiicere fretum rate tumultuaria in insulam*, vt Plutarch. *de exilio*, διαφέρονται, ὡς ὅτι θαλάσσης, τῆς ἐλπίδος, id est, *iactantur spe, tanquam rate quadam (vecti.)*

Indocilis.] Hellenismus est, quo Plinius vtitur, quum ait, *arbores indociles nasci alibi, quàm vbi cœperunt.* Id autem est, quæ non solent nasci, velut loquitur de castanea lib. 17. cap. 20. *Quæ translata nescit hospitari.* Altera Syntaxis est huic Epitheto apud Suetonium in Caligula cap. 54. ad finem, *atque hic tam docilis ad cætera, natare nescit.* Seruius in Æneid. 6. versus, *id genus indocile ac dispersum, &c.* sic vim huius vocis enucleat: *indocile*, dixit pro *indoctum*: nam *indocile* est, quod penitus non potest discere, indoctum, quod nondum didicit. Τὸ δὲ *docilis* nomen verbale, ὡς Græcum διδακτὸς & similia solent διδάσκειν παιδευτικῶς τε διδάσκεσθαι notare in eo, qui se facilè tradit in disciplinam, vt doceatur, cui opponitur τὸ ἀδίδακτον: quod sic Phocylides videtur vsurpasse in hoc versu; Οὐ χρὴ σε μεγάλως

γάλλω δ δυσχωὶ ἀδίδακτος ἀκούειν, i. ἀπαίδευτος, *non capit magnam doctrinam, qui nescit audire*, ad verbum indocilis audire: quemadmodum etiam Homerus loquitur Iliad α. per Epithetum:

Ἀργάλεος γὰρ Ὀλύμπιος ἀντιφέρεσθαι, *Iupiter est oppugnatu difficilis, vel difficile est obsistere Ioui.*

Paupertatem.] Hæc vox à *pauper* fit, vt hæc à παῦρος, *paucus*, reduplicata prima, & est poetica, pro qua orator dicit paupertatem.

Rhet. Tropoſch.

x *Metaphora* est ab Athletis, ac potius à palæstritis, quum ὁ ἀθλητὴς dicatur nomine generis Polluci, ὅστις ἂν ἀγωνίσηται, παλαιστὴς, δρομεὺς, πυκτὴς, δισκοβόλος, ἀλτικὸς, id est, *quiuis certandi peritus, luctator, cursor, pugil, iaculator, disci siue discobolus, saltator*, sed παλαιστὴς ἀπὸ τῆς πάλης, *a lucta*, & hoc ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι τὸ σῶμα, id est, *corpore vehementer commouendo*, multaque agitatione concutiendo: vnde vis maior venti & impetus vehementior iudicatur: valet igitur τὸ luctantem, concitantem vndas & fluctus maris Icarij in furorem. y Synecdoche est speciei pro vehementissimo quoque vento, qualis est in Icariis, pro fluctibus maris cuiuslibet. z In *Rates*, quæ est σχέδος νεῶς, *nauis operæ tumultuariæ*, id est, facta subitò è proxima materia, statuatur synecdoche membri coniuncta cum metonymia, vt in notis Grammaticis apparuit, quam Seruius pro nauibus abusiuè poni notauit in vers. Æneid. 5. sub initium.

—*vt pelagus tenuere rates, &c.*

Dialect.

5 Quintū est τὸ Σπολασιικὸν καὶ φιλήδονον in his quatuor versibus, vbi notat voluptarios, qui de die (negotiis impendendo, non autem in deliciis ac ludis consumendo, nisi cum dedecore & probro) consectantur eas voluptates, quæ ex conuiuiis, & compotationibus diurnis, otio, locorum amœnitate, & ex aliis hæc consequentibus capiuntur: in his enim voluptarij, sicut aquilæ in cadaueribus, occupantur, nec secus etiam, atque illæ feræ & Corydon in obiectis sequentibus, Eclo. 2.

Torua leæna lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciua capella:
Te Corydon ô Alex: trahit sua quemq; voluptas.

Gramm.

5 *Maßici.*] Massicus dicitur mons Campaniæ Italicę optimi vini feracissimus, quod Galenus & Athenæus dicunt etiam Marsicum & in Gaurano mõte ad prospectum Puteolorum & Bajarum nasci, crassum tamen fuit & turbidum, vt est Sat. 4. lib. 2. ad versus, *Maßica si cælo, &c.* præterea Massicum dicitur vetus ab ætatis magnitudine pro vi intentionis, quæ est in particula *ve*, ex Agellio. lib. 26. cap. 5. pro quo Georgico. 2. dicitur: *Bacchi Maßicus humor:* &

—*atqui non Maßica Bacchi*
Munera non illis, epulæ nocuere repostæ.

Nec partem de die.] Quid dies solidus valeat, cognosce ex hoc loco Epist. 83. apud Senecam, *Hodiernus dies solidus est: nemo ex illo quicquam mihi eripuit* (quod hic dicitur demere) *totus inter stratum lectionemque diuisus est: nimium exercitationi corporis datum: & hoc nomine ago gratias senectuti.* Nempe dies solidus potest hac declaratione definiri spaciũ temporis continuum & integrum nullo momẽto interruptũ, sic Plautus dicit, *decem annos solidos errauit puer.* Gall. *Le garçon a esté vagabond dix ans tous entiers.* Hæc phrasis valet non totum diem, totumque illius rempus facere opus, sed bonam ipsius partẽ intermittere ad Genio indulgendum corpusque lætius curandum, quod priscis quidem temporibus erat opus Censorium, nec fieri impunè licebat: id tamen postea corruptis Romanorum moribus nulla Censoris nota prohibuit: in quam quidem sententiam dicitur in Epist. ad Pisones:

—*vinoq; diurno*
Placari Genius festis impune diebus: i. quum epulari de die, quem negotiis impendi oportebat, conuiuariq́ue impune licuit lauteq́ue: quemadmodũ loquitur Ode 7. lib. 2. ad Pompeium Varum: *Cum quo morantem sæpe diem mero fregi.*

Hoc autem intelligendũ mihi videtur contra consuetudinem quorundam Romanorum, qui sæpius, ἄριστον ἢ ἄποπον διημέρευον, i. in opere faciũdo *ieiuni aut certè leuiter pasti* perseuerabant vsque ad nonam, id autem erat circiter vesperam.

Spernit.] Vix vnquam alibi reperias hoc verbum cũ infinito & maximè apud Oratores: sicut quod dicit Epist. 1. lib. 1. *contemnat inungi* & —*Quis contemnat coronari.* Idem efferet per nomen Ode 9. seq. *Nec sperne amores neq; choreas*, non per infinitum *amare & saltare.* Quam quidem Syntaxin priorem habet præcedens versus, *nec spernit pocula veteris Maßici:* vbi non dictum est, nec spernit potare vetus Massicum. Quod si pro *Nec spernit demere partem diei solidi*, dixisset, nec spernit intercisionem diei solidi, aut quid simile ad Genium vino generoso curandum, eadem Syntaxis fuisset cõtinuata. Sed de intercisis diebus lege Macrobium, *nunc viridi &c.* Huius cemodi repetitio particulæ *nunc*, in distributione temporis, Græcè redditur πότε μέν, πότε δέ, qualis erit Ode 29. lib. 3. de fortuna, *Nunc mihi, nunc alij benigna qualis fuit ibidem paulo antè* pro interdum quidem, interdum verò, sic dicit epist. 1. lib. 1.

Nunc agilis fio, & mersor ciuilibus vndis,
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor.

Sub arbuto.] Comatas Eidyl. 1. Theocriti sic de capris, quæ ἐν κεμάροισι κέονται. *inter arbuteas frondes cubant.* Est autem ὁ κόμαρος δένδρον ἀείφυλλον, *arbor semper frondens:* ideoque viridis hic appellatur, vt Eclo. 7. Virg. folioque simili lauro numerosо & sub herbaceo flore, cuius fructus Μισπίλου simile mespilo & κόμαρον in neutro genere dicitur longis pendulum pediculis, vt festus: de qua lege Theophrastum hist. plantarum lib. 1. c. 15. & lib. 13. c. 6. & Dioscoriden lib. 1. cap. 176. Seruius tamen Eclo. 7. Arbutũ definit arborem frondibus raris, & li. 2. Georg. illam appellat horridam, atque ego puto dictam ἀπὸ τοῦ πολὺ κόμην ῥᾳδίως ῥέειν, quòd facilè sinat comam suam fluitare & agitari.

Stratus.] Hellenismus est poetis vsitatissimus per ellipsin τῆς κατὰ, pro quo Virg. dicere videtur 1. Æneid.

Sternitur & toto proiectus corpore terræ.

Lene caput.] Festus caput deflectit à κάρη & κάρα per apocopen à κάρηνον: sic autẽ concisum κάρα: Eustath. docet inuersis literis fieri ex ἄκρα ἐκ τέρου ἀντιζέσεις. *idem significare*, id est verticem & summitatem, sed κεφαλὴν ἀπὸ τῆς κακουφώσεως, *à cauitate*, vt Latinum caput à capacitate.

Aquæ sacræ.] Aqua dicitur Isidoro ab æqualitate superficiei & festo, à qua iuuamur & viuimus. Prior quidẽ huius vocis ratio si fortè quibusdam nõ satisfacit, quod primum & ex eo ortum quantitate inter se differant, vt posterior, quòd simplex & coniunctum similiter discrepent, sciat in origine vocum intelligenda obseruãdũ ex admonitione Platonis in Cratylo literas interdũ adiungi, interdũ demi, interdum vt tonos commutari, sicut in Grammatica Latina Ramus prudenter obseruauit, exemplisque Latinorum verborum comprobauit: sic ἱερὰ πηγὴ, καὶ ἱερὸν ἄλσος dicuntur ab Hesiodo propter præsentiam numinum ad finem operum:

Ος ποταμὸν διαβῇ, κακότητι ὄχεσφιν ἀπίστῳ
Τῷ ὄθι θεοὶ νεμεσῶσι, κἠλγεα δωκαν ὀπίσω.

Qui fluuium transit manibus per improbitatem illotis, huic Dij succensent, & postea dolores dederunt. Propterea vetatur bidem,

Μήδ' ὅπι χερσὶν ἀρῇσιν, Μήδ' ἐξαλέασθαι,
Μήδ' ἐναποψύχειν τὸ γὰρ ἔστι λώϊον ἔσται, i.
Nec in fontes immittito, quin valde deuitato,
Neq; incacato. id enim nihil est melius.

Rhet. Troposch.

[aa] VEra synecdoche speciei pro optimo quoque vino maximeq; generoso, quod Ode 7. li. 2. *dicetur obliuiosum.* [bb] Per Synecdochen generis dictum puto pro aliquot horis diei opus intermittere ad hilarius & liberalius bibendum. [cc] Quidã putant hoc dici κατ' μείωσιν, i. per extenuationem, quam faciunt figuram, sed hęc extenuatio nõ cernitur in negatione contrarij, immò verò in affirmatione rei vel actionis cuiuslibet, vt si quẽ appellem vermem, aut Pygmęum pro pusillo homine, & dicã attingere pro tangere. Illud est *Donato* multò minus, quàm hoc in Act. 2. Sc. 1. Adelphorum, *tetigin tui quicquam? si attigisses?* Hoc legi obseruatum à Rodolpho Goclenio professore philosophiæ Marpurgi annis 9. ab editione harum prælectionũ in problemate Rhetorico 20. vbi tradit μείωσιν comprehendi hyperbole, quam facit αὐξητικὴν κ μειωτικὴν. vbi idem problemate 81. ostendit, quid πρὸς τῆς λιτότητος sentiat, quam putat præ se ferre τὴν κρύψιν seu ἔλλειψιν λεκτικὴν, quia maius ex minori intelligendum videtur, vel contrarium è contrario negato τὸ ἐξοχὴν ἢ καθ' ὑπερβολὴν, vt Eclog. 3.

Quid prodest, quòd me ipse animo non spernis Amynta? i. quòd me valde amas? vt etiam Æneid. 1.

Non ignara malis miseris succurrere disco, i.

Sed malis vexata & exercita scio miseris opem ferre. *Non improbat tamen,* i. honorificè probat opinionẽ D. Iohãnis Piscatoris, qui τὴν λιτότητα existimat Synecdochen esse mẽbri pro integro, quâ id, quod minus est, exprimitur, ac simul maius intelligitur, cuius rei profert exemplum è Prophetę Esaię c. 42. v. 3. *Arundinem quassatam non confringet, & linũ fumigans non extinguet,* i. non solùm non confringet arundinem quassatam, sed etiam consolidabit, nec solùm ellychnium nõ extinguet, sed illud etiam magis accendet. Est prętera duplex metaphora, prior à corporibus fragilibus quibus conscięntiæ sceleratorum terrore iudicij diuini perculsę adumbrãtur, & de sanatione per Christũ illis futura præmonentur. Posterior est à Lucerna mox extinguenda defectu olei in ellychnio, vbi minuta scintillula extinctionem minatur, quâ significatur perexiguus fidei ac pietatis igniculus in hominibus non modo non à Christo extinguendus, verum etiam magis ac magis excitãdus. Hęc sanè vtriusq; viri eruditi opinio me diuturna dubitatione æstuantẽ de se de phrasib. τῆς λιτότητος & cõstituenda in Logicáne, an in Grãmatica, an etiã in Rhetorica reuocarit. [dd] Hæc vox initio sententiæ repetita constituit Anaphoram. [ee] *In sub arbuto.* Est Synecdoche speciei pro quauis arbore. [ff] Metaphora est ab animalib. pro leni scaturigine fontis, quæ Græcis est ἀὐλὸς, κρουνὸς, βλυσμὸς. πίδαξ, ἐξακοντισμὸς, Gall. *Source d'eaux,* ἀφ' ἧς δεῖ πίνειν, vnde licet bibere, quod est etymõ τῆ πίδακος: quod inde riui & flumina, sic initia capiãt, vt sensus ac nerui, motusq; omnes ait Plato in Timæo, è capite. Simili tropo vsus est Proper. *Fluminaq; ad caput incipiunt reuocare liquores.* Simili quoque tropo Dauid vsus est Psal. 119. ver. 160. ראש מים *rosch majim,* caput fluuiorum ראש דברך *rosch debarecha, caput orationis tuæ.* Item Ezech. c. 40. v. 1. ראשי אבות *rosch haschana,* caput anni ראשי אבות, i. *roschei aboth, capita patrum,* i. principes & maiores, quę pro principiis dicuntur, vt capita vitium pro stirpibus & radicibus. vnde planta sumit alimentum & vigorem, vt à capite animalis reliqua corporis membra sensum & motum, Georg. 2. lib. ver. 335. Sic apud Plautũ Pseudolum vocat Simo caput scelerum, quorum à filio editorum ille, velut origo erat ac minister. Sic *Terentius* in And. Act. 2. Sen. 6. ad finem.

Nam si hic mali quicquam, hem illic huic rei caput, i. *Donato* summa & origo. Sic quoque Virg. 11. Æneidos.

Proiicis ô Latio caput horum & causa malorum. Quod Seruius principiũ interpretatur. *Sic Cicero in Lælio,* Caput ad beatè viuendũ est securitas, i. causa viuendi beatè. Eustathius denique annotat, vt alio postea loco admonebo, partes hominis omnes ad inanima transferri ad versus ιλιαδ. β.

Τῷ δ' ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι, i.
Hunc autem simul naues sequebantur duodecim,
Quarum prorę, quas vocat genas, erant miniatę.

Sic πρόσωπα, χρόταφα, κόμας δένδρων, κεφαλὰς ὀρέων, ἀγκῶνας ὄρεος κ τείχεος κ θαλάσσης, ὄνυχ ὄρεος, ὀδὸν χιλὴ, i. *facies, tempora, comas arborum, caput montium, cubitos montis & muri, manus, vnguis, & labra montis.*

Dialect.

[gg] SExtum disticho continetur: estq; militum, à quib. sonus curui litui grauisque clangor tubę rectæ lõgè omnium iucundissimè auditur: à matribus autem mœstissimè, quæ inter se aduersantur, quo modo sensilia quædam placent aliis, eadem aliis displicent, talibus se delectari dicit Vlysses Οδυσ. ξ. versu 222. cuius est initium: Τοῖσιν δ' ἐνέπλεμον &c. & aliis quattuor proximè sequentibus, quorum omnium interpretatio latina est huiusce modi.

Talis eram in bello. opus autem mihi non gratum erat,
Neq; res familiaris quæ nutrit claros filios;
Sed mihi semper naues remigabilis gratæ erant;
Et bella & tela leuia & sagittæ,
Tristia, quæque aliis horrenda sunt.

Gramm.

CAstra.] Στρατόπεδον. Putant nonnulli Grammatici hanc vocem dici, quasi casta, quod in castris per disciplinam militarem sit castè & honestè viuendum, quòd libido illic castraretur, nec mulieres interessent, Seruius 3. Æneid. Sed melius hi cẽsent, qui ex eo ita nominari volũt, quòd vallis & fossa more opidi vel arcis cingantur. *Lituo tubæ.*] Lituus erat inflexus ad equites mouendos acuto sono, vt tuba recta ad pedites excitandos graui sono; quod in more positum non habebãt Lacedæmonij, vt Agellius scribit lib. 1. cap. 11. Auctor, inquit, *Historiæ Græcæ grauissimus Thucydides Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in prælijs vsos esse refert, non prorsus ex aliquo ritu religionum. neque rei diuinæ gratia, neque etiam vt excitarentur, atque euibrarentur animi, quod cornua & Litui maliuntur: sed cõtrà, vt moderatiores modulatioresque fierent: quod numeris tibicinis temperatur. Nihil adeò in hostibus congrediendis, atque in principijs præliorum ad salutem, virtutemque aptius rati, quàm si permulcti sonis mitioribus, non immodicè ferocirent.* Lituus inde transumitur ad bacillum Augurum, vt legitur lib. 1. Diuinat. ad hęc verba, *Quid Lituus vester, quod clarissimum est insigne arguratus, vnde vobis est traditus?* Vnde Lituus dicatur, vide Agellium lib. 5. cap. 8. Sed cõmuni notione Greca tam tibicines, quàm tubicines & æneatores

& æneatores, cornicines appellantur σάλπιγες, vt Latina buccinatores. Tubarum sunt multa genera : & Scholiastæ Sophoclis initio Aiacis flagelliferi notant, Tyrrhenicas aliis præstare. Vide locum & cognosce sonos Cornuum & Lituorum ex his vers. Ode prima lib. 2.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: iam lituis strepunt:

Seruius in versic.

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Tyrrhenum clangorem dixit Tubæ ideo, quia apud Tuscos Tubam constat esse inuentam. vt est videre l. 4. Athenei Τυῤῥηνῶν δ' ὄζιν ἔυρημα κέρατά τε καὶ σάλπιγγες, i. *Cornua & buccinæ, atque tubæ sunt inuentum Tyrrhenorum.* Etymologicum tamen magnũ inuentum tubę tribuit Mineruæ διὰ τὸ inquit, πρῶτον αὐτὴν εὑρεῖν σάλπιγγα καὶ ἱδρύσασθαι σάλπιγγας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐν Ἄργει, i. *Quia dicitur ea primum inuenisse tubam, & templum apud Argiuos de cognomine Palladis tubalis constructum esse.* Vt autem vox σάλπιγξ ὠνόμασται τὸ σαλπίζω τοῦτο ὠνόμασται τὸ τέλας, καὶ τὸ ὄλ ὀπὸς, ἡ φωνὴ λέγεται, i. dicitur *à sonitu vocis claræ*, vnde Gallica dictio, *Clairons*: sic Tuba à Tubo, qui est canalis cauatus.

Detestata] Grammatici tradunt quædam deponentia esse παθητικὰ: idq; maximè in participijs: quomodo hoc sumendum est, pro, quæ bella matres detestantur & oderunt maximè, Ratio autem odij est illis, quòd hæ exploratum habeant, τὸν πόλεμον φθισίνοον εἶναι, τὸν δὲ εἰρήνην τῶν αὐτῶν σώτειραν. *bellũ esse virorum perditionem, sed pacem eorumdem seruatricem*, pro verbo detestari. Virg. 11. lib. Æneid. vsurpauit τὸ exsecrari in simili materia, *Puerìq; parentibus orbi.*

Dirum exsecrantur bellum, Turniq; hymenæos. Cuius notionis etiam est illud, *abominatus Hannibal.* 16. Epod. Liber hic τὸ *mater*, dignari notatione, quæ est Etymologico ὠνόμασται τὸ μὴ τρέφειν. αἱ γὰρ γυναῖκες πρὶν γένωνται μητέρες, φυλάττονται πρὸς τὸ μὴ λυμανθῆναι τὴν ἀυτῶν παρθενίαν· λύουσα δὲ γένωνται μητέρες, ἐκ τροφῆς τοὺς; ἢ ὠνόμασται τὸ μῶ, τὸ ζητῶ ἢ ὑπὸ τῶν τικτόντων ζητουμένη. id est, *quòd non custodiãtur. mulieres enim priusquam matres factæ sint, custodiuntur, ne virginitas ipsarum vicietur. quum autem matres factæ sint, non custodiuntur; vel mater dicitur à verbo quæro, quod ea quæratur à liberis.*

Rhet. Tropoſch.

QVia sonitus est proprium obiectum aurium, in quo hæc occupari solent, metaphoram statui oportet in *Permistus* à liquoribus. qui fere comprehenduntur hisce tribus, *vino, aqua, oleo*; quæ propriè dicuntur misceri, vt mox notæ Gramm. indicabunt in verbo *miscent superis, sequente.*

Dialect.

SEptimum & postremum est venatorum è causis duabus cerua & apro, cur illi tam diu sub horrido cœlo commorentur, his sensilibus mirum in modum capti.

Gram.

SVb Ioue] Grammatici Græci deflectunt τὸ Ζεὺς πάρὰ τὸ ζῆναι, δεῖν, τὸ βρέχειν, οἱονεὶ δεύς, *à viuendo & irrogando*, tanquam Deus verteretur Latinè.

Venator] De hac incredibili venatorum patientia sic Cic. 2. Tusculana. scribit: *Pernoctant in niue, in montibus vri se patiuntur*: Quod videtur sumptum ex Odyss. 1. in descriptione insulæ Cyclopeæ.

Οὐδὲ μὴν εἰσοιχνέουσι κυνηγέται οἵτε καθ' ὕλην
Ἄλγεα πάσχοντ' ὀρεσφοῖται ὀρέων ἐφέποντες

Neq; in eam Syluam ingrediuntur venatores: qui in sylua dolores patiuntur, summa montium iuga tenentes. Similis tolerantia venatoris ostenditur Satyr. 3. lib. 2.

In niue Lucana dormis ocreatus: vt aprum cænem ego: tu pisces ex equore vellis &c.

Eadem exprimitur Satyr. 2. lib. 1.

Leporem venator vt alta in niue sectetur:

Secus vt scribit Xenophon in Cynegetico τῷ κυνηγέτῃ μάτην οἱ πόνοι γίγνονται, ἐὰν μὴ μείζονι καὶ πολλῇ συνέσει κρατήσῃ αὐτῶν, id est, *frustra venator labores susciperet, nisi acerrimo studio plurimáq; solertiâ feras premeret*, idem per exclamationem loquens de Lepore ὅπου δὲ ὀπάζει τὸ θηεῖον· *tamplena est oblectationis venatio ipsius:* Cuius quidem cupiditate dicitur Mithridates septem annos nec vrbis, nec ruris tecto vsus: vnde nõ immeritò Plato in Theæteto & 7. de legibus & Aristot. lib. 1. polit. scripserunt venatu & corporis robur & animi vigorem augeri simul: hæc tamen exercitatio non caret sæpè periculis capitis, vt Martialis lib. 12. ad Priscum venationis studiosum scribit.

Parcius vtaris, moneo rapiendo veredo
Prisce, nec in lepores tam violentus eas, &c.

Contrà è Theocriti Edyl. 1.

Ἀλλὰ δὲ τῷ θέρεος πάρ ὕδωρ ῥέον αἰθετιόωσι τῆν.
Iuuat propter aquæ riuum æstate sub[illegible]

Pro quo Aristoph. solet dicere, πρὸς τὸν αἰθέρα διάγειν, & Plutarch. ἐν ὑπαίθρῳ διατείβειν, *sub dio commorari:* quo modo dicitur vno verbo ὀρεσκεῖος pro eo, qui cubat in montibus ad feris insidiandum. Huius insaniæ venaticæ auctor primus memoratur lib. Mundanæ originis cap. 10. *Nimrodus:* vbi dicitur simili tropo, quem interpretes vocant Hebraismum, fortissimus omnium, qui sub cælo, venator. Sapientiores tamen interpretes confitentur quidem τὸ *potens venator* accipi posse de venatione ferarum; sed ratio antecedentium & consequentium postulare ijsdem videtur, vt de violento ipsius in homines imperio post diuisionem linguarum accipiatur, cuius etiam tyrannis in prouerbium cessisse ibidem dicitur. ad significandam autem huiusmodi potentiam manifestam litera Hebraica legit, לפני יהוה *lepanai Iehoua*, i. *coram Domino.*

Visa cerua] Quam tamen canes ἐλαφοι κωφες ἢ ῥινηλατοῦντες, id est, *incredibili ad inuestigandum sagacitate narium feram melius* inueniunt odorando, quàm cernendo, nisi malis *visa*, referre ad maiores canes καὶ πρὸς αὐτὸς ἀκύποδας, *& ad ipsos leuipedes* Gall. *Leuriers*, qui visu magis, quàm olfactu feras consectantur. Ita oculi sunt admodum illices ad concupiscendum in omni animantium genere, sic Terentius de Cherea. *Qui visa dumtaxat virgine, quàm impotenter cœpit ardere.*

Ex hac certè pernoctatione venatorum creditur venatio mirabiles animorum motus concitare: quæ præter reliqua oblectamenta etiam carissimum quicquid illos citò cogit obliuione delere. Huc spectat, quod Seneca lib. de vita beata contra voluptarios comparatè disputat.

Quemadmodum qui bestiarum cubicula indagat, & laqueo captare feras magno æstimat, & magnos canibus circundare saltus, vt illarum vestigia premat, potiora deserit, multúsq; officijs renunciat: ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit: nec voluptatem sibi emit: sed voluptatibus se vendit. Itaque proponitur Epodis 2. vt singulare remedium edacium curarum.

Quis non malarum, quas amor curas habet
Hac inter obliuiscitur?

Festus deriuat *Ceruus*, à κέρας vel ἀπὸ τῶν κεράτων *à gestandis cornibus*. Quæ quia sunt certis annis decidua putat Seruius in 12. Æneid sub initium περὶ τὸ κείρειν, à tondendo dicta. Hoc quidem Etymon mihi reuocat in memoriam, quòd Pindarus ceruam dixerit εὐδ. 3. Επωδ. 2. ὀλυμπ. χρυσοκέρων ἔλαφον θήλειαν, id est, *auricornem ceruam fœminam*, quum Aristoteles libro 3. cap. 2. *de part. animal. rationibus ostendat* fœminæ non esse cornua. Sophocles de hoc assentitur Pindaro, quum scribit ἔλαφον κεροέσσαν, id est, *Ceruam cornigeram*: à qua Telephus fuit nutritus, similiter Euripides in Iphigenia inducit Achæos tradentes Agamemnoni ceruam cornutam pro ipsius filia mactandam. Apud hunc ipsum legimus Herculem expugnasse ceruam, in quo quidem prælio non esset magna laus victoriæ, nisi cornibus armata fuisset. Præterea venatores solent parcere fœmellis propter subolem futuram: vnde ego hic conijcio Ceruam cornutã posse intelligi. sic Græcè τὸ ἵππος θηλυκῶς vsurpatur, Theognis, ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, vt ante fuit notatum pag. 8. Græci verò ἔλαφον ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν ἢ παρὰ ἕλκειν τὰς ὄφεις, *à capiendis vel ab infectandis serpentibus*: quod etymon vide apud Plutarch. libello de prudentia animalium. Hebræi denique suum איל aial ceruus deducunt ab אול *auil. aries vel planities*. Fidelibus] Hoc valet sagacibus & silentium agentibus in inuestigando: vnde σκύλακας, quasi χύλακας ἀπὸ τῆς ἐπισχεῖν τὸν ὑλακτὸν *ab inhibendo latratu* Græcè vocatur. Quamobrem Varro lib. 4. de lingua Latina à sagaci sensu certo & acuto docet catulum ita dici: idem tamen auctor similitudine docet alterum etymon, vt canere dicuntur, qui cornu aut tuba signum dant aliquod: sic canis canere dicitur, quum in custodia vel in venatione signum alicuius, interuenientis dat voce canorâ: quo referenda videtur hæc fidelitas, de qua sic Columella lib. 7. cap. 12.

Quis custos incorruptior?
Quis excubitor inuenire potest vigilantior?

Non autem ad Dominum: de eadem tamen fidelitate canum vide Plinium lib. 8. capite 40. & Cicero: lib. 2. de natura Deorum, vbi hoc leges *nos Elephantorum acutissimis sensibus, nos Canum sagacitate ad vtilitatem nostram abutimur*, quod verbum Budæus reddit Græco, καταχρώμεθα, id est, *multum abutimur*; non autem ὀλίγα χρώμεθα: *hoc est, perperam vtimur*. quanquam abuti possit intelligi, aliorsum vti, atque naturâ comparatum est; etiamsi non perperam, Item Theocrit. idyl. β. Huius præterea bestiæ pleniori est descriptio in libello de Iside & Osyride apud Plutarchum, qui dum narrat Sacerdotes Ægyptios & Pytagoreos doctrinam, & sententias suas obtegere solitos quibusdam inuolucris mysticis ænigmaticisq; literis & Hieroglyphicis animalium aliarumque rerum figuris, sic de figura Mercurij scribit *non quòd propriè Mercurius sit Canis, sed quòd vim & naturam ipsius referat in custodiendo fideliter, vigilando sagaciter, discernendo, inuestigando, & distinguendo amico ab inimico, noto ab ignoto; idq; testimonio Platonis illi Sacerdotes Aegyptij & Pytagorei Canem conferre solent cum sapientissimo quoq; Deorum.*

Est præterea non dissimilis Canum descriptio sub finem libri 2. de natura Deorum. *Canum verò tam fida custodia, tamque amans Dominorum adulatio, tantumque odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos?* Quamobrem Eustathius definit τὸ κύων ζῶον εἶναι φιλοδέσποτον, ἀπὸ τοῦ κυω, τὸ φιλῶ. Græci canem venaticum & leporarium vocant Lælapem ab impetu more turbinis procellosi faciundo. Hebræi צרצר *Zarzir* à succinctis præ tenuitate lumbis. Marsus] Hæc vox est primigenia pro deriuata marsicus aper, marci autem populi fuerunt Italiæ vicini Albæ, horum natio, vt Apulorum bellicosa fuit, amisit tamen strenuitatis gloriam sub Licinio Crasso, & Labieno à Medis deuicta, vt dicetur Ode 5. lib. 3. Hic autem tereres plagæ dicuntur, quòd chordis rotundis & oblongis infernè ac supernè constarent. Præterea τὸ plaga significans rete corripit priorem, sed vulnus & læsionem producit priorem, vt à Græco verbo deductum, πλήσσω, *cædo, vulnero*: vnde constat esse nomen homonymon à priori quidem notione, qua noster Poeta vtetur Epodis 2.

Aut trudit acres hinc, & hinc multâ cane
Apros in obstantes plagas. Pro irretit eos laqueis & retibus raris, *Lucretius* transfert ad decipulas amoris, quibus amantes capiuntur: inde quoque ad spatia & tractus cœli & terræ latissimos indicandum passim immutatum legitur, vnde plaga orientalis & occidentalis dicitur. recedit etiam sæpe à posteriori significatu, quod designat verbera & flagella, ad clades aliasq; iacturas notandum.

Rhet. Troposch.

hh METONYMIÆ modus potest statui è subiecto ad adiunctum, vt è possessore & habitãte significetur possessum & habitatum cœlum *Iouis* domicilium & patrimonium partitione regni paterni, qualis modus est initio Epist. ad Pisones *Siue receptus terra Neptunus* & lib. 2. Lucret. *Corpus acerbum Neptuni*: & Plaut. in Rud. *Credere se Neptuno* pro mari, qualem tropum agnoscit Seruius in Æneid. 6. vers.

Vestibulum ante ipsum primisq; in faucibus orci.

Deum posuit Plutona, pro loco vt *Iouem* pro æthere Horatius: *manet sub Ioue frigido venator*, id est, sub dio & Græcè ἐν ὑπαίθρῳ, vt dicetur Ode 3. lib. 2. qualem equidem eò etiam libẽtius hic agnosco, quam alium quemlibet: propterea quod ex hereditate Saturni liberis ipsius dispertita *Ioui* obtigit regio mundi suprema, vt constat ex indignatione Neptuni ad *Iouem* fratrem Ilyad. o. Ζεὺς δ' ἔλαχ' εὐρὺν οὐρανὸν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Iupiter sortitus est cœlum omni ex parte patens & apertum in æthere & nubibus, vt mare Neptuno ex hoc vers. lib. 1. Æneid. vbi Neptunus obiurgatis ventis se iactat magnificè de maris imperio sibi oblato.

Maturate fugam Regiq; hæc dicite vestro
Non illi imperium Pelagi sæuumq; tridentem,
Sed mihi sorte datum. Gall. *Il m'escheut en mon lot de partage.* Obtigit Plutoni obscura caligo, terra autem communiter omnibus & Dijs, & hominibus, & bestijs fuit relicta: ita Seruius 3. Æneid. vers. 116. ad hæc verba — *modo Iupiter adsit*, interpretatur aer, quasi diceret, *modo sit serenus* & hunc locum citat: quale etiam est illud 2. Georg.

Iam maturis metuendis Iupiter vuis, id est, Æris tempestas & varietas metuenda est. Item Georg. *Iupiter humidus austris, Densat erant quæ rara modo*, id est, aer: ideoque Ζεὺς ὑετιος καὶ ὑμαῖος vocatur hoc est, διυγρος, *humidus*, vt ab Apollonio libro 2. Argonaut. sub medium. Καὶ βωμὸν ποίησε μέγα Διὸς ὑετίοιο. *& aram extruxit magnam Ioui datori humoris.* vbi Scholiastes annotat ἕνεκα τῆς ὑμαδος ἐπεὶ αἴτιος γέγονε τῆς πνοῆς τῶν ἀνέμων. *Sic ab humiditate dicitur: quia est auctor spirantium ventorum:* quorum humiditas physicis est materia: quomodo etiam Scholiastes alter Theocriti interpretatur Idyl. θ. versum sequentem.

Χ' ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει ἄιθριος, ἄλλοκα δ' ὗεν.

Interdum Iupiter est serenus, interdum pluuius.

Hoc est Cælum est interdum serenũ, interdum plũuium vt Varro

vt Varro loquitur. Verba Scholiastæ sunt, τὸν διὰ λέγει, τὸν ἄπνον τῆς διὰ τοῦ ἀέρος, ἐν ᾧ συνάγονται αἱ νεφέλαι, id est, *Iouem dicit auctorem pluuiarum pro aere, in quo nubes coguntur*: ad cuius Scholiastæ interpretationem duplex est metonymiæ modus pro aere, & hoc pro imbre. Ita *sub Ioue frigido* valet, sub aere pluuio & frigido. Similis tropus est & phrasis lib. 3. Fastorum Ouidij,

Sub Ioue pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus è ramis frondea facta casa est.

Nam & Platoni dicitur aer θεὸς τὸ ἀεὶ ῥεῖν, *quòd semper fluat*, vel spiret, ἀπὸ τοῦ ἀεῖν, *flare*. Sed enim quum hunc Varronis locum ex Ennio considero.

Istic est is Iupiter, quem dico, quem Græci vocant
Aera qui ventus est & nubes, imber postea,
Atq; ex imbre frigus, ventus post, fit aer denuo.
Hæc propter Iupiter sunt ipsa, quæ dico tibi:
Qui mortales atq; vrbes belluasq; omnes
Iuuat: quòd hic omnes, & sub hoc, &c.

Quum, inquam, hoc considero, & descriptionem Empedoclis, quâ explicauit etiam Græcè naturas Deorum, vt Iupiter dicatur aer esse, non defuturos equidem prospicio, qui ex his conficere velint, nullum hic esse tropum, quum Iupiter sit aer ipse. Verùm illi animaduertãt quæso hæc omnia indicare variam immutandæ vocis *Iupiter* rationem hancque locutionem, *Iupiter est frigidus*, similiter esse modificatam (quam alij μυθολογικὴν malunt vocare) atque istam *ardet Vcalegon*, pro domus Vcalegonis ardet, & Ode 5. libri 3. *incolumi Ioue*, id est Capitolio, Iouis sede: Item illam Terentij in Phorm. Act. 5. Scen. 1. *Anus à fratre meo egressa est*, pro è domo fratris mei, Donato interprete, nullum tamen tropum notante, vt fere ipsi & Seruio meo est, quasi esset vtrique ignota eloquutionis tropicæ ratio, vt apparet in his Seruij notis super versic. Æneid. 5.

Olli seruia datur operum haud ignara Mineruæ, id est, ait hic Interpres, perita lanificij, cuius vsum *Minerua* creditur homines docuisse: atque ita nomen Deæ inuentricis, id est, causæ, pro re inuenta & effecta ponitur, nisi malis agnoscere in operum *Mineruæ* esse Synecdochen generis pro speciali lanificio. *Pallas* enim existimatur omnium fere artium inuentrix, sicut cum Deo dicetur in Oden 12. lib. 3. ad vers.

Tibi telas operosæq; Mineruæ.

Item hanc *sine Ioue aret*, (ἄτερ Διὸς, vt hic ὑπὸ Διὸς) *omnis ager*: id est, sine imbre: vnde iunct. Platoni pluuiales aquæ, ἐκ Διὸς ὕδατα καὶ καταβάσεις Ζεύς, sic immutatam, vt illam vulgatam.

Sine Cerere & Baccho friget Venus: illic Metonymiam quidem subiectorum pro adiunctis possessionibus, vbi Iupiter & Vcalegon putantur habitare, non autem illa condidisse, ne quis tam impiè loquatur præsertim de constructione Cœli cacodæmoni Ioui tribuenda: nec obstat, quod Æschylus in Promet. dicit ὦ Διὸς αἰθὴρ pro solio Iouiali. Hic in Cerere & Baccho eandem, sed causarum pro effectis & inuentis ab ipsis, pane vinoque. [ii] Præterea in *Venator & immemor* ad sententiæ clausulas leuiter incisæ auditur similis sonus per Epistrophen. In coniugis est Synecdoche generis pro specie, vxore, quia maritus dicitur etiam coniux. [kk] Synecdoche speciei pro sæuissimo quoque apro & crudelissimo: simili tropo dicit Virgilius libro quarto Æneid. *Hyrcanas tygres* & hic ipse Ode 23. huius libri *Getulum Leonem.*

Dialect.

8. ANTAPODOSIS est dissimilitudinis, id est, contraria redditio superiori protasi tam multiplici & varia inductione amplificatæ: vbi Poeta se longè aliud persequi præmium sui studij significat, atque homines illi superiores sunt sequuti. Sed vereor nequis ex eo quod mihi iam bisin editione priori exciderit verbum inductionis ex calamo, putet διὰ τὴν ἀντεμφωνησίαν, vt iam statim excuso præsenti ternione atque lecto accidit, illud argumentationis *Aristotelicæ* genus intelligendum, quo vniuersale aliquod axioma concludatur è pluribus sufficienter coaceruatis singularibus vel quum multæ partes colliguntur ad totum aliquod constituendum: quale foret, si docere velles Imperia non posse semper stare, Imperium *Assyriorum* euersum est; Illud quoque *Persarum*; Item *Medorum*; Item *Græcorum*; Postremò tandem illud *Romanorum* superioribus multò & diuturnius, longeque patentius euersum est. nullum igitur imperium potest semper stare præter illud supremi Iehouæ, Dei Optimi Maximi. Sed quum è septem singularibus nihil videtur, hic collectum vniuersale, imò verò postremum singulare, idque octauum de Horatio alijs septem præcedentibus dissimiliter redditum; huiuscemodi opinio è cogitatione illius æstimatoris euellatur, atque phrasis variâ inductione amplificata, quæ sonat ἐπαγωγικῶς πάντα ὀκτὼ παμένη, existimetur tam esse appositè vsurpata ad septemplicem protasin apertè docendam, quàm ad genus aliquod è multis specialibus collectis constituendum, quæ tamen collectio, velut partium, argumentatio non est, vt vulgò & falsò creditur, sed argumentum è distributione subiectorum ad distinguendum studia hominum: quæ si esset, eadem ratione distributio posset argumentatio vocari, quod nullus dum Philosophus vsu confirmarit. Sic ipse vsus fui nomine inductionis Ode 7. lib. huius in longa minorum protasi: vt lector postea intelliget: sic etiam sæpe in his notis vsurpo τὸ *Inductione personæ loquentis in prosopopœia.*

Hæc igitur Antapodosis cum potuisset apertius, & breuius è categoria subiectorum, vt superior protasis enunciari integrè, quòd ipse Poeta vnicè captus fuerit studio virtutis, cognitione rerum, ac in primis amore Lyricæ coronæ & appellationis & iam in delubris Musarum & templis Nympharum Syluestribus versatus sit, omnemq; secessum more Poetarum sibi delegerit: vt Ode 4. lib. 3. his versibus innuit:

Vester Camenæ, vester in arduos
Tollor Sabinos &c.

Vbi Poesis commodius excoli solet, id tamen meo iudicio feciisse videtur ποιητικώτερον, tum ex illis, tum ex adiunctis, & efficientibus, quòd tam feliciter iam eius studium procedere cœperit, vt primum Critici ederâ ipsum dignentur, & inter Deos referant: deinde Syluani, & Fauni, Musæ, Nymphæ & Satyri eundem extra communem hominum sortem suo fauore collocent: qualia de se prædicat Ode postrema libri 3. vbi à Melpomene poscit lauream, vt hic à Mæcenate.

— Sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphicâ
Lauro cinge volens Melpomene comam

Item Ode 3. lib. 4.

Romæ principis vrbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros.

Vbi etiam gloriam vi Lyricæ poeseos partam Melpomenæ refert acceptam, postremò postulat à Mæcenate *ὡς πρὸς τὰ ἀπάντων κειπκῶν ὄντ@ κειπκωτάτu* inter Lyricos adlegi, & sibi in colonia illorum statuã poni, librosque suos in regia Bibliotheca & forulis aliorum librorum Apollinis consecrari: vbi Euterpe tibiis, & polyhymnia fidibus ipsius carmina fuerint modulatæ, id est, vbi Musæ ipsi carminibusque ipsius fauerint. Quæ sint causæ ipsi poetæ futuræ, sine quibus idem nequeat voti compos fieri. Ad hæc Cicero tam incredibili cupiditate celebrandi in posteritatem sui nominis arsit, quàm hic Poeta, vt illud. L. Lucceij scriptis historicis illustraretur ac celebraretur. Sic enim scribit epist. 12. lib. 5. ad famil. *non me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit: sed etiam illa cupiditas, vt vel auctoritate testimonij tui, vel iudicio beneuolentiæ, vel suauitate ingenij perfruamur viui.* Erat autem hic L. Lucejus grauis ac nobilis historicus Romæ, ætate *Ciceronis*, à quo hic petebat res à se gestas in consulatu vsque ad reditum ab exsulio mandari literis, atque ita commendatione talis historici ac fidei historicæ nomen suum ad posteros propagari. Hoc Poetæ postulatum nititur more veterum poetarum, vt Plutarchus in vita Isocratis narrat de *Asclepiade & Theodecto Tragœdis* aliisque celebribus poetis, quibus positę sunt statuę in Eleusines & vetustate corruerunt, in quibus illa Homeri solius tum supererat, vt etiam Plinius scribit lib. 34. c. 5. de statuis. *Notatum*, ait, *ab Auctoribus est, L. Aetium Poetam in Camœnarum ædemaxima forma statuam sibi posuisse, quum breuis admodum fuisset.* Idem facere quidam *Fannius* Poeta ineptus agressus est omnium immeritissimò: quam ob rem Horatius illum Satyricè tractat, Satyra 4. lib. 1.

Gramm.

EDeræ] Sic loquitur, sine tropo tamen, Epist. 3. lib. 1.

—*seu condis amabile carmen*
Prima feres ederæ victricis præmia:

Poetæ quidem coronabantur edera: vel quod sacri Libero instar Bacchantium insaniant, qui à Pindaro *παῖς ὁ κισσοφόρ@* Ὀλυμπ. ὠδὴ. β. vocatur filius Semeles edera coronatus. Huic congruenter Plinius lib. 16. cap. 14. *ferunt primum omnium, Liberum patrem posuisse capiti suo coronam ex edera:* reliqua ibidem lege. Simile est huic illud Plutarch. lib. de Iside, & Oriside, Ἐπὶ δὲ τὸν κίττον, ὃν Ἕλληνες καθιεροῦσι τῷ Διονύσῳ, καὶ παρ' Αἰγυπτίοις λέγεται Χενόσιρις ὀνομάζεσθαι σημαίνοντες τὸ ὄνομα τ@, ὡς φασὶ φύτον Ὀσίριδος. *Præterea verò ederam, quam Græci consecrant Baccho, qui vt apparet semper iuuenis, ita hæc perpetuò viret: ferunt apud Aegyptios nomen habere Chenosiris significans plantam Osiridis:* & ob id Horatius eos velanos in arte vocat, ac præterea, vt malè sanos, adscribit liber Satyris poetas: vel quòd ederæ positæ, tanquam palmæ & præmia meritorum semper virescant, vt arbutus, ideoque carmina talem mereantur æternitatem. De hac coronæ donatione sic Thirsis Ecl. 7.

Pastores edera crescentem ornate Poetam
Arcades.

De hac quoque planta lege Theophrastum lib. 7. c. 7. historiæ plantarum. Dioscoridem lib. 2. cap. 210. Plin. lib. 16. cap. 34. Plutarch. lib. 3. probl. 2. vbi de eius viribus & caussa disputatur; cur poetis tribuatur. Etymon autem est Ode 36. huius libri.

Præmia.] Donatus in Eunucho, Act. 5. Scen. 9. scribit præmium esse fortium virorum, nec dari solitum, nisi post factum, id est, post meritum, *ὡς Ἡρακλέει τὰ δοθέντα μὲν ἆθλα μὴ τοῖς αὐτοῖς ἆθλοις, vt Herculi præmia data sunt post ipsius certamina.* Verus enim, iustus, honestus labor decoratur honoribus, præmiis & splẽdore: qualia putantur frondentia præmia vatum Laurus & edera, vt canit Statius lib. 5. Syl. 3.

Frontium] *frons* sic à Varrone notatur, vt sit binis oculis, tanquam fenestris quibusdam domus perforata: sed ab aliis Grammaticis, vt inde homo præ se ferat animi sui statum, vel hilarem vel tristem. Alia autem est ratio *τὸ μετώπου* vocis huic Latinæ respondentis notione, quæ dicitur quasi *τὸ μὴ τοὺς ὤπας*, quod valet *τὸ ὑπὲρ τοὺς ὤπας*, id est, *pars faciei super oculos*, vbi est *μετάθεσις αὐτὶ τοῦ ὑπέρωπον, τουτέστιν ὑπερώπιον, τὸ ὑπὲρ τοὺς ὤπας ὄν*, id est, *præpositio pro præpositione, hyperopon, quod est super oculos:* vnde *μετωποσκόπος*, id est, *frontispex* & facies inspector, ad mores hominum arguendos, qualis dicitur fuisse Zopyrus Physiognomon lib. de fato.

Gelidum nemus.] Quod videtur nominatim expressisse Epist. 1. lib. 2. *Vt studio maiore petant Helicona virentem.* nemus autem planè fluxit è Græco fonte *παρὰ τὸ νέμειν*, ac præsertim ab illa verbi notione, quæ vim pascendi notat. Græci enim inde *τὸ νέμος, εο@*, deflectunt & definiunt *τόπον σύνδενδρον καὶ νόμιον ἔχοντα*, *locum arboribus consitum & pascuum*, quod Homerus Iliad. λ vtitur sub medium libri

Ὠμοφάγοι μὲν θῆρες ἐν ὄρεσι δασκιάοισιν,
Ἐννέμεϊ σκιερῷ, *ipsum Lynces crudiuoræ diluniant in montibus & nemore opaco:* pro quo etiam dicitur *νέμος ψυκτήριον*. quod subitur refrigerationis caussa vel captandi frigus gratia: vnde Festus definit syluam amœnam. Non mihi placet notatio Isidori, qui à numine deflectit nemus, quamuis poetæ ipsum colant, vt locum musis sacrum: aliter Græcè nominatur *ἄλσος, ἕλ@, τέμεν@*, vox prima est Æolica, ideoque tenuatur, quamuis primigenium *τὸ ἄλλω, ἄλσω, ἐν ᾧ ἄλλονται τὰ φυτὰ* densetur. Differt autem *τὸ ἄλσος* ab *ἕλ@*, vt annotat Eustathius in vers. *ὀδυς. ιωτα*, Ἀζόμενοι. ἔχει δὲ ἄλσος δενδρήσεσι, i.

reuerentes. habitabat enim Polyphemus *in nemore arborifero.* Dicitur autem hic *δενδρῆεν ἄλσος*; vt in aliis Auctoribus; *κῆπ@ πολυδένδρε@ hortus multis arboribus consitus. Differentia horum confirmatur testimonio cuiusdam innominati, cuius interpretatio est, bibebat & hilariter agitabat, nulla die, nulla nocte intermissa, καὶ ὃς τὰ ἕλεα ᾤ, καὶ τὰ ἄλση νεμόμεν@*; i. colens *hortos & nemora*, definit autem *τὸ ἕλ@, τόπον πάντως ὑγρὸν καὶ πολυβότανον, καὶ οἷον φύειν καὶ βλέφειν καὶ σέλεα τὰ καὶ ἐτυμολογούμενα*, id est, *esse locum omnino vliginosum, & herbidum, & qui posset proferre iuncos & vluas; quæ hei bæ rationem sui nominis ducũt ex eo, quòd in nemore alta sint, spiritu denso in σ. verso, vt in ὗς sus, ὕσ@, super. de τέμεν@* dicetur, si Deus voluerit, epistola 6. lib. 1.

Nympharum.] Eustathius sub initium Odyss. α sic notat hanc vocem: Νύμφη συνῄρθαι ἐκ τοῦ νέον φαίνεσθαι, οἱόνει νεόμφη καὶ αἰολικῶς νύμφη, διὰ τὸ ἀεὶ νέαι φαίνεσθαι. id est, *nympha conflatur ex his vocibus, quasi* νεόμφη & *Aeolicè* νύμφη, *quòd semper appareant adolescentulæ:* Non admodum est dissimilis explanatio huius vocis apud Scholiasten Euripidis in Hecuba: Νύμφη ἡ ἄρτι εἰς γάμον ἐρχομένη ἢ πᾶς ποιητικῶς νυὸς λέγεται. νύμφαι καὶ τὰ ἀπὸ πηγῶν ὕδατα, καὶ οἱ ἔφοροι τόποι δαίμονες παρ' Ἕλλησιν. ἐνταῦθα δὲ νύμφαι ἁπλῶς, αἱ ἀΐδρεις ἔχουσι γαμικὰς, ἐνὶ δὲ ὀνόματι, θαλαμιδόμενοι, id est, *Nympha dicitur, quæ nuper adepta est nuptias, quæ etiam poeticè nuos vocatur sponsa. Nymphæ quoque dicuntur aquæ fontium, & harum præsides apud Græcos sunt Dæmones. Hic autem Nymphæ absolutè sunt, quæ viros habent, vno verbo coniuges.* Latini vertunt recens sponsam & nuptam, tanquam *νεόγαμον* diceres. Seruius in Æneid. 8. vers.

His

His posuêre locis, matrisq; egêre tremenda

Carmentis Nymphæ monita, &c. Annotat Nymphę maritæ dixit. Nã Græcè sponsa νύμφη dicitur. Hæc autem non vera Nympha fuit, sed vaticinatrix. Eandem quoque vocem sic definit scholiastes Theocriti Idyl. v. δαιμόνιά τινα, quibus addit, ὃν γυναικείῳ σχήματι, id est, *quædam sunt dæmonia & numina Deorum muliebri forma*, quę pro ratione locorum & studiorum, in quib. versantur, variè ducta habent nomina, vt ab aquis Najades & Hydriades vel ἐφυδριάδες, vt in Epigram. Hermocreõtis lib. 1. Epigramm. Græc. cap. 3. εἰς ἀναθήματα. Virg. Æneid. 8. vers.

Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus omnibus vnde est.

A quercubus Hamadryades: à piris vel mespilis Hamamelides: à montibus Orestiades: à pratis Limoniades: à fontibus Crenides: à nemoribus Alseides: à fluminibus Epipotamides: à pecoribus Epimelides: à nauigatione Pleiades & his similia.

Leues Chori, &c.] Triplex affertur ratio etymi *Chorus*, aut enim dici Etymologis videtur ἀπὸ τοῦ χαίρειν, q, etiã Plato affirmat lib. 2. de legibus fieri ἀπὸ τῆς χαρᾶς, i. *à lætitia*: quo spectat definitio eiusdem vocis, chorus est canentium & saltantium multitudo & corona, qualis instituetur Ode 4. proximè sequenti.

Iam Cytherea Choros ducit Venus, imminente Luna.
Iunctæq; Nymphis gratiæ decentes,
Alterno terram quatiunt pede.

Hęc notatio mihi probabilior videtur vel ea, quæ ἀπὸ τοῦ χώρου τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον, i. à loco cõplectente rẽ cõtentam, vel ea quæ deducit eandẽ vocem ἀπὸ τοῦ χεῖρ, χερὸς, χορὸς. i. *à manu iuncta*. Leues autẽ chori hic dicuntur ab agilitate atque celeritate corpora inter choreas circumagendi.

Satyris.] Plinius lib. 7. cap. scribit *Satyrum* esse animal humana facie, pernicissimũ in subsolanis Indorũ montibus, nec capi solitũ, nisi senio confectũ: vnde finxerũt deum esse syluarum: cui, vt Sphingi, idem lib. 8. cap. 54. affingit naturam mitissimam, quamuis poetæ tribuant eidem proteruitatẽ & petulantiam. Sed de Satyris legè Diodorum lib. 1. & 5. quos Grãmatici ita dictos putant, & maximè Theocriti scholiastes in postremũ 4. Idyllij distichon, à penis salacitate, & Veneris cupiditate, quæ Græcis est σάτυρ: idẽ arbitratur Satyros eosdẽ esse, qui Sileni & Panes vocantur: de quib. dicetur copiosius Sat. 1. lib. 1. Serm. si Deus voluerit. Interea tamen potes videre descriptionẽ cuiusdam satyri apud Plut. in vita Cornelij. Syllę sub finem, & rationẽ nominis in vita Alexãdri magni, de viso & capto per somniũ Satyro, quum Tyrũ Phœnicia vrbem oppugnaret: vnde vates prædixerunt fore, vt Tyro potiretur, interpretantes σὰ Τύρος: *tua est Tyrus*.

Miscent superis.] Hoc redditur Græcè, vt *euehit ad Deos*, μίσγει με τοῖς ἄνω, & Hebraicè מסך *massa: h.* quod est miscere, vnde *maßuch* mistũ. Verbũ miscere fluxit è Græco μίσγειν, τὸ κεράσαι, κιρνᾶν, ὡς οἶνον ὕδατι, i. *miscere aquam vino*, proprie dicitur: vnde aliò infinitè penè transfertur: sed verbum κέρασται ἀπὸ τῶν κεράτων, i. *à cornibus dicitur*, quibus homines prisci seculi bibebant. *Secernunt populo.*] i. separarant à populo: nam vt ipse monet Florum lib. Epist. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit vrbes,
Ritè cliens Bacchi somno gaudentis & vmbrâ.

Sunt huic Poetæ perusitatæ propositionum ellipses: sic Sat. 3. lib. 1. *Iniquum secernere iusto*: ad Pisones, *publica priuatis secernere*, quas Lucretius exprimit lib. 4. *à dubiis rebus apertas secernere*, more Oratoris: *Voluptatem à bono secernere*, lib. 2. de finibus. Sic etiam ipse Ode 3. lib. 3. Secernit Europam ab Afro.

Populo.] Hæc vox à πολὺς videtur deflexa per reduplicationem primæ literæ. Alij tamen ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν πολιτῶν, *à multitudine ciuium*. Populus definitur cœtus iuris consensu sociatus, & communione vtilitatis, sicut respublica, res populi, tanquam diceretur res populica, & concisè poplica & publica, tenui versa in mediam. b. vox autem Græca δῆμος idem sonans, quod Latina, ἐτυμολογικῶς. Definitur ab Eustathio in Iliad. A. ὄχλος τις χάων οἷς συνδεδεμένος, i. *quòd sit multitudo quasi colligata*. Vox autem Hebręa עם *ham*. dicitur ab obtegẽdo & sua multitudine superficiem terræ obscurando.

Polyhymnia.] Hæc Musa à copia cantilenarum: vnde illud: Ἁρμονίῃσι πάσῃσι Πολυμνία δῶκεν ἀοιδάς. *Polyhymniæ cantus omnes ad consonantiam suauem reuocauit*: Fulgentius non est audiendus, qui hãc vocem, Polyhymniam ducit ὀπὸ πολλῆς μνείας *à memoria rerum multarum*.

Tibias.] De Tibia dicetur in Epist. ad Pisones in versu

Tibia non, vt nunc, orichalco iuncta, Tubæque.

Verè autem Euterpe non cohibet Tibias, quum ne versus Lyrici poetæ committantur harmoniæ tibiali, nulli sit impedimento. Hæc siquidẽ Musa sic dicitur, q, ad delectandũ sit apta. Intelligatur igitur ex hac negatione, si nõ cohibet tibias, hęc affirmatio contrarij, si foramina tibiarum aperit ad sonũ edendum, vnde εὐτερπὴς, qui est facultate delectandi prędituς, ἀτερπὴς ἐς ἀκρόασιν, *qui est ineptus auribus oblectandis*. Creditur Euterpe ex hoc versu tibiis præesse.

Εὐτέρπη δονάκεσσι πολυθρέπτοισι λιγαίνει,
Euterpe calamis multitoris acute resonat.

In Lesboum refugit tendere &c.] Syntaxis est poetica, pro qua Cicero solet vsurpare, vt lib. 2. de oratore, *Pudore a dicendo & timiditate ingenua quadam refugisti*. Item lib. 2. ad Attic. *Dum recordationes fugio, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo: vtrobique enim non est similis*: hinc constructio, *dicere refugisti, & refugio admonere te*. Lesbos autem insula est, quæ prętet alias ciuitates Mitylenem habet Cratippi Peripateticorum Principis, Sapphonis, & Alcæi, vatum Lyricorum, patriam: illam quidem suauitatè modulandi decimam Musam Græci nominarunt; quos Catullus secutus dixit:

Ignosco tibi Sapphica puella,
Musa doctior.

Fuit autem Lesbos seminarium nobilium ingeniorum, vt prædictũ narrat, & Isocrates, primũ in Epist. π. μὲν τοὺς τῶν Μιτυληναίων ἄρχοντας ὁμολογῶ πάντες τῷ μὲν πόλιν ὑμῶν μισικωτάτην εἶναι, καὶ τοὺς ὀνομαστοὺς ἐν αὐτῇ τυγχάνειν παρ' ὑμῖν γεγενῆσθαι. *omnes prædicãt vestram ciuitatẽ cæteris præstare musica: & in ea natos esse viros huius artis peritissimos*. Deinde Eustathius in Periegesin Dionysij: *ferũt*, inquit, *post mortem Orphei caput ipsius loquutũ: hoc ideo fuit confictũ, quòd post Orpheum illic eloquentes viri essent futuri. Arion, Methymnæus, Pittacus, Alcæus & Sappho: sed huius, ait, nulla fuit postea æmula in Poësi: quod est mirandum*. Sed quid T. Flaminius scripsit in Alcæum, vide Plutarch. in ipsius vita.

Barbiton.] Barbiton reperitur triplici genere & Græcè & Latinè flexum, & in fœmin. gen. apud Ouidium Epist. Sapphonis ad Phaonem sub initium.

Flendus amor meus est. Elegi quoq; flebile carmen.
Non facit ad lacrymas barbitos illa meas, id est, nullum carmen lyricum meis lacrymis potest mederi. Potest autem hac descriptione declarari è lib. 4. Athenæi: τὸ δ' ἆρμα τῆς Ἀναχρέοντος, & è Theocrito πολύχορδον, Idyl. 15. ἢ μὴ δεινὸς ἀοιδὸς ὁ Κεῖος αἰόλα φωνέων
Βάρβιτος πολύχορδον, &c.

Nisi grauis Poeta Ceius, id est, *Simonides varia cantando barbito multis fidibus constante*. Acron tamen è lib. 7. Dionis scribit Barbitõ fuisse septichordum quomodo Pyndarus vocat Citharam ἑπτάχορδον φόρμιγγα, i. *Lyram*

septisonam, à septem sonis referendis & verbo κλυπεῖν, resonare Πυθ. β. vnde indicatur error eorum qui tribus tantum chordis illum tendi putarunt. Præterea barbitum Anacreonti ἐκ λύρας, idem est, quod ipsa Lyra, ἤγουν τὸ κρυόμενον ὄργανον μουσικὸν, *Instrumentum musicum, quod pulsatur plectro vel calamo, dictum quasi* βαρύμιτον, ὅτι βαρεῖαν τὴν φωνὴν καὶ τὸν φθόγγον ἀφίησι, *quod vocem remittat grauem & grauius sonet.* dicitur tamen à Græcis μελίφρων βάρβιτος & lib. 1. Epig. cap. ξ. ζ. Est quoq; Polluci τὸ βαρβιτίζειν αὐτὸν τοῖς λυείζειν καὶ κιθαρίζειν, & ἀπὸ μίτου deflexum creditur à filo, vt τὸ μίτρα capitis muliebris ornamentum, siue tænia, siue fascia, neque tamen semper est circumplexus capitis muliebris, sed militare quoddam armamentum, nonnullis lamina, inquit Eustatius, in versic. ἰλιαδ. δ. Μίτρης. δ. &c. non procul ab initio: vnde τὰ πολυμίτα sunt Polluci è Cratino indumenta multis ac subtilibus filis contexta, quæ Iuuenalis vocat *multitia* Satyr. 2. à carne permulcenda & resecanda, quales habentur vestes sericæ ac Byssinæ: è quo filo prius chordæ & nerui Lyrarum fiebant: sed postea ἀπὸ τῶν χολάδων ἠχλικῶν, *ex intestinis intortis & aridis factæ sunt*, sicut ex hypothesi Pythiorum apparet.

Inseres.] Aliquem inserere vatibus est illum cooptare in ipsorum Collegium & ordinem, vel eundem adscribere in illorum numerum nouenarium, qui his viginti versibus continetur.

Ἐννέα τῶν πρώτων Λυεικῶν πάτρην γενεήν τε
Μάθητε, καὶ πατέρας, καὶ διάλεκτον ἄθρει.
Ὧν Μιτυληναῖος μὲν ἑὸν γεραρώτερος ἄλλων
Ἀλκαῖος, πρότερος δ' ἦλθε Αἰολίδος.
Ἡ δ' ὅθι τῷ ξανθῷ πάτρην φωνήν τε δαείσα (aliàs
δυὼ δ' αὐτῷ.
Σαπφώ, Κλῃὶδος καὶ πατρὸς Εὐρυγύρης.
Στησίχορος Σικελὸς, πάτρη δ' οἱ Ἱμέρα ἔστιν,
Εὐφήμου πατρὸς, Δωρικὸς ἁρμονίην.
Ἴβυκος Ἰταλὸς αὖ ἐκ Ῥηγίου ἦν Μεσσήνης,
Ἡλείδα πατρὸς, Δωρίδα δ' ἡρμόσατο.
Παρθενίου δὲ πατρὸς, λιγυρὸς πάις Ἠπίου
Ἦεν ἄρα μελπόμενος Τηΐος, Ἀνακρέων.
Πίνδαρος ἠδ' ὁ Θηβαῖος, ἄτερ πατρὸς Σκοπελίνου
Δώριον ἀϊνήσας ἁρμονίην ἐπέων.
Ἦδε Σιμωνίδης Κεῖος Δωρισὶ λαλήσας,
Τὸν πατέρ' αἰνήσας ἐσθλὸν ἀριπρεπέα.
Ἰωνοδαμὴς καὶ Κεῖος ἔην γενεῇ μελοποιός, (aliàs Ἰωνοδαεὺς
Μήλων πατρὸς ἔπλετο Βακχυλίδης.
Ἀλκμὰν ἐν Λυδοῖσι μέγα πρέπει, ἀλλ' ἀδάμαντος
Ἐσθλὸς καὶ ἐκ Σπάρτης Δωρὶς ἁρμονίης, i. *Nouem primorum Lyricorum patriam & genus disce, ac patres & linguam cupidè considera: quos omnes Alcæus Mitylenæus honore anteit prior, sonorus Aeolicâ dialecto: Huic cum docta Sappho ne communis erat patriâ & lingua, matre Cleide atque patre Eurygyra: Stesichorus Siculiensis, ipsi patriâ fuit Himera, Euphemi filio, ac Doricè scienti: Ibicus Italus Regiensis aut Messenensis fuit ex Elide patre, & Dorice cecinit: Anacreon autem Teius Parthenij patris Eetiei filius suauis dulce modulatus est carmen: Pindarus Thebanus fuit, & Patre Scopelino natus, Doricâ Musâ vsus est in versibus pangendis. Atq; cum Simonides Cius Doricè sit locutus & patrem celebrarit, eum scito pietate insigne. Bacchylides Cius poeta ex æquo peritus de familia melicorum, Milonis patrui filius fuit. Alcman inter Lydos maximè floret Damantis filius & Spartanus fuit & Doricè modulatus.* Ex his autem verbis Petronij Arbitri sub initium Satyrici, *nondum Vmbraticus doctor ingenia deleuerat, quum Pindarus nouemq; Lyrici Homericis versibus canere tinnierũt*, nonnulli colligunt decem fuisse Lyricos. Præterea Galenus scribit de his in fine de functionibus partium humanarum, ἐπὶ τοῖς μελικοῖς ποιηταῖς, ὅς ἐνίοι λυρικὸς ὀνομάζουσι, id est, apud Melicos Poetas, quos nonnulli Lyricos nominant. Vnde possumus conficere Melicos & Lyricos esse eosdem Poetas; quod mihi firmatur etiam verbis Ciceronis initio libri de opt. gen. orat. vbi quinque Poematum genera facit, Tragicum, Comicum, Apicum, Melicum, Dithyrambicum, complexus nomine quarti *Lyricum*; Siquid tamen est discriminis, id potest è ratione vtriusq; nominis sumi. Lyricus enim poeta ipsiusq; opus ab organo musico nomen inuenit, vt Melicus à suauitate cantus, atque λυρῳδὸς καὶ κιθαρισὴς pro eodem dicitur, vt modò è Polluce probatum fuit, quãquam ex Ausonio Melicos & Lyricos modos appellante pangi potest μέλος, quod Lyra minime canat: ideoque latius patêre illud videtur Lyricis modis: sed ego illic puto ἓν διὰ δυοῖν, *vnum efferri per duo*. Superiores autem Poetę videntur sortiti translatè cognomen tam Latinum *vates*, quàm Græcum μάντεις ab afflatu & furore diuino in pręsagitione futuri: Quamuis enim *Varro* lib. 4. de lingua Lat. tradat τὸ vates dictum à versibus viendis, i. vinciendis, ipsius tamen Etymon creditur aptiùs muneri vaticinandi, si à fando deflexum fatemur, sicut cognosci potest ex hoc versu Ouidij lib. 9. Metamorphos: *Hæc vbi faticano venturi præscia dixit ore Themis.* Ex hoc Item Virg. Æneid. 7. *At Rex sollicitus monstru oracula Fauni fatidici genitoris adit.* Est hic allusio & alteratio quædã ad Faunum, à fando etiam dictum, vt *vates*, quasi fantes æolico digammate. Sic μάντεις ἐπιμολογοῦνται ἀπὸ τῆ μαίνεσθαι. ἐνθουσιασμένοι γὰρ οἱ μάντεις ἐμαντεύοντο, i. *notantur ex eo, quòd afflatu & furore diuino correpti futura prædicare soleant*, quemadmodum Σίβυλλα Ionicè atq; Æolicè dicitur αὐτὸ Θεοβούλη, i. *diuini consilij particeps. Inseres.*] Verbo eodem, sed alterius coniunctionis, Ouidius vtitur sub finem, 1. Metamorph. de Phaetonte sic loquutus: *Ede notam tanti generis, meq; asserе cœlo. Feriam vertice.*] Similis est phrasis lib. 7. Metam. Ouidij —*quo coniuge felix.*

Et Dîs thara ferar, & vertice sidera tangam. Pro qua Sallustius dicit in coniuratione, *Ciceronem ad cælum tollere.* Similem phrasin hyperbolicam vsurpauit Synesius in quendam gloriosum & arrogantem ἅπτος ἀρέσει τῇ κεφαλῇ τὸν ἡγεμόνα, *hic pulsat capite cœlum*, id est, ἡγεμόνων ἅπτεται πεφάτων. *Sidera.*] ex etymo huius vocis apud Varronem lib. 6. quòd ab insidendo vel subsidendo in mare, quum occidunt sidera, vt ἀστέρες ἀπὸ τῆ στηρίζειν, à *firmando* dicuntur, per i fidus scribendũ videtur: sed iuxta etymon vocis Græcæ stellæ tantum fixę, non vagæ intelligerentur. Quare Eustathius hic magis audiendus videtur, qui ἀστὴρ ἀπὸ τῆ ἄθειν, καὶ ἀποδύσει τῆ διχρόνε ἀστὴρ, deflectit à fulgendo diphthongi dissolutione & quasi interitu. Sed Etymologus aliter notat, ab ἵστημι, στήσω deduci στὴρ καὶ ἀστὴρ, ac definiri. ὁ μὴ ἱστάμενος παρὰ τὸ ἄστατον δρόμον. κυρίως δὲ τῶν πλανητῶν λέγεται, i. *quòd instabilem habeat cursum, dicitur autem propriè de planetis, errantibus q; stellis.*

Rhet. Troposch.

ii ME, Initio vtriusque membri reperitum facit Anaphoram. mm Hic per metonymiâ materiæ intelliguntur ederaceæ coronæ, quæ sunt adiuncta pro subiectis versibus poetæ, quorum spectata elegantia Poetam effert tantâ gloriâ & prædicatione, vt Critici iam Horatio statuam erigere parent, eumque in ordinem deorum adscribant. Enimuerò, lector, dum hæc verba *edera miscent me*, diligentius expendo, primum mihi incidit non tibi fortasis improbanda cogitatio metonymiæ *in Me* statuendæ pro adiuncto signo & statua, quam Poeta sibi in æde Camœnarum vel in templo Apollinis postulat erigi è blanditis Mæcenatis suffragijs, inter statuas Lyricorum Poetarum, vel certè sua poemata in regiam bibliothecam inter capsas

psas aliorum lyricorum referri: quali honore sibi negato irati poetæ concidebant suas chartas, vt ipse innuit Epist. 1. lib. 2. —*valeat res ludicra, si me*

Palma negata macrum, donata reducit opimum. De quo sic Iuuenalis Saty. 7.

Frange miser calamos, vigilatâ prælia dele,
Qui facis in parua sublimia carmina cella:
Vt dignus venias hederis & imagine macra.

Hoc fuit etiam solemne de repub. benemeritis & his, qui memorabile aliquod facinus patrauissent, statuam erigi, ne dum ipsis Poetis, vt Tyrannicidis, Harmodio & Aristogitoni Carthaginenses dicuntur fecisse: quod exemplum ab Arist. li. 2. Rhetoric. citatur. nn Synecdoche est mẽbri pro integris Poetis, & viris eruditis, quorum hederæ sunt præmia. oo Allegoria hyperbolica è metaphoris, quibus sensus & iudicium rebus inanimis datur: qualis fuit ante ad verba *euehit ad Deos*, vt obique est allusio ad prouerbium, ἐν οὐρανῷ εἶναι, *in cælo esse*, quod sonat aliquem summè felicem esse: ad quod etiam alludit illud Eclogæ 4. Virg.

Ille Deum vitam accipiet, diuisq; videbit
Permixtos Heroas. pp Synecdoche est altera, sed generis pro specie: Parnasso vel Helicone: ac præterea metonymia subiecti pro Diis Syluanis & Faunis, quos & Nymphas in secessu Poetæ cantant. qq Est hic quædam ἐπανόρθωσις, qua prius dictum audax corrigit, dum se Lyra sua Diis parem fieri prędicauit, quod nunc sibi dicit assumere cum bona venia & voluntate musarum: Sic tamen postea Ode 30. lib. 3. appellabit *lauream meritis quæsitam superbiam*, quam Ode 3. lib. 4. refert *Melpomenæ* acceptam. rr In Tibias potest notari metonymia materiæ pro fistulis, quæ initio solebant ex auium tibiis fieri, vt à pastoribus ex calamis. Potest etiam Synecdoche integri pro foraminibus tibiarum obseruari. Ita est gemini tropi concursus in vnam lexin. ss Allegoria est è Metonymiis pro carmine Alcaico & Sapphico tibia lyraque decantando. tt Metaphora videtur esse à re militari, vbi prælio victi aut inferiores viribus refugio quærunt sibi salutem, sicut constat è comment. Cęsaris 8. de bello Gall. *Magnæ felicitatis esse arbitrabatur, neminem ex cæde refugisse.* Item è Sept. Act. in Verr. Ciceronis *qui ex illo numero reliqui Syracusas classe amissa refugerant.* Hic pro recusare vel nolle inflare fistulas sumitur. Est prętera in *Barbiton* Synecdoche integri pro fidibus & chordis, è quibus in Gramm. diximus hoc Musicum instrumentum constare; quæ pulsatæ sonum referunt grauem pro ratione veriloquij in Gram. Græcè notati. uu Metaphora ab insitione plãtarum, quas Theophrastus scribit ἐγκεντρίζειν καὶ ἐμφυτεύειν, καὶ ἐμβάλλειν, ὡς ἅπαντες ἐπιμελοῦνται, vt *piros insitiuas*, vnde Virgilius in Tityro, *Insere Melibœe piros, &c.* quæ propria verbi significatio variis explicatur circunstantiis à iurisconsultis in coniunctis, ac prętertim in his ἐμφιτεῦσιν, ἐμφύτευσις, ἐμφύτευτα. Quo quidem tropo delectatur in primis hic Poeta: nam ita loquitur Od. 5. lib. 2.

—*Quem si puellarum insereres choro*, i. poneres inter puellas multas. Item Ode 25. lib. 3. *stellis inserere*, i. inter stellas ponere, quemadmodum ipse propriè loquitur Od. 3. lib. 4.

—*Dignatur soboles inter amabiles*
Vatum ponere me choros. Neque Latini solum hoc genere tropi familiariter vtuntur, sed etiam Græci, vt Homerus primum Οδυσ. ε.

Κάμμορε πῇ δή τοι ὧδε Ποσειδάων ἐνοσίχθων
ὠδύσατ' ὀκπάγλως, ὅτι τοι κακὰ πολλὰ φυτεύει. i.
Infelix, quid tibi adeò Neptunus terram concutiens
Succenset vehementer? quod tibi multa inserat mala.

Quem locum Scholiastes interpretatur simili tropo, sed aliunde sumpto ex ipso Homero, ὑφαίνειν δόλους, i. *texere dolos*, pro quo noster Poeta dicit Epodis 2. *tendere dolos*, vno verbo Græci δολοῦσθαι. *fallere.* Deinde Plato in Timæo dicit: πᾶς ψυχὴς σῶμα πᾶν ἐμφυτεύεσθαι, sic etiã Greg. continuato eodem tropo, πεπῆξθαι μὲν τῆς ἀγελαίας καλῶς ἐγκεντρισθεὶς εἰς τὸν καλλίκαρπον, i. *ex olea syluestri insitus est pater oleæ frugiferæ*, hoc est factus est Christianus ex Ethnico. xx Hyperbolica, est allegoria è perpetuis metonymiis subiectorum pro adiunctis versibus poetæ, qui ab omnibus vbique celebrantur ad immortalitatem vsque, quod Saty. 7. lib. 2. dicit, *tolli ad astra.* Et Ausonius Idyl. 8. in fine, vt hic.

Illum ego si cernam tum terq; quaterq; beatus:
Tunc ero bis consul: tunc tangam vertice cælum.

Talem hyperbolem Michael Hospitalius Franc. Cancellarius vsurpauit Epistol. 10. lib. 3. ad Carol. Lotharingium Card.

Quæ si pressa teres hominum vestigia paucis,
Ne dubita, maior veniet tibi gloria Cattis,
Maior & Ambrosiis: maior scriptoribus Afris,
Et clarum, ferias sublimi vertice cælum.

Sic Græcè τότ' ἐγὼ θεσπίων ἄψομαι πετάων, quòd etiam lib. 1. Æneid. de Cæsare dicitur.

Qui famam terminet astris. Virgilius quoque Eclogа 5. propriè enunciauit.

Fama super æthera notus. Itẽ Pindarus Εἰδ. α. Ολυμπ. Επῷ κωλ. 1γ. σοφίαν τοφίαν καθ' ἑλλαδας ἔοντα πιστῷ. *optat se sapientia Poetica vbiq; clarum & conspicuum esse inter Græcos.* Hac quidem omnia videntur alludere ad notationem nominis Horatiani, quod quidam putant ὁρᾶσθαι τὸ ὁρᾶσθαι inclinari: è quo manat ὁρατὸς, *aspectabilis, & spectatu dignissimus.* Sonat igitur elegans hæc hyperbole: Ἐγὼ πάντα χῶρον ὀφθήσομαι, ὡς λαμπρὸν ἄστρον, i. *apparebo conspicuus vt clarũ sidus, vbiq; terrarum.* Gall. *Ie deuiendray si grand que i'atteindray le ciel de ma teste*, Cest à dire, *Ma renommee montera iusques au Ciel.* Sic Virgilius de Varo à se prædicando.

Vare tuum nomen (———)
Cantantes sublime ferent ad sidera Cycni. i. Poetæ.

Non dissimili allegoria ab auibus Theognis iactat suo Cyrno vim carminum suorum vers. 246.

Σοὶ μὲν ἐγὼ πτερ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον
Πωτήσῃ χθονὸς πάσας ἀειρόμενος.
alas quidem tibi dedi, quib. immensum mare peruolabis,
terrámque totam sublatus; quam Allegoriam ipsemet altero post disticho sic explicauit:

Οὐδέ ποτ' οὐδὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέος, οὐδέ γε λήσεις
Ἀφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα, i.
Nunquam, ne mortuus quidem, perdes gloriam, neque latebis homines, i. non ignotus eris hominibus, immortali nomine semper ornatus: Quam nominis immortalitatem lege apud Theognidem pluribus amplificatam, & apud hunc Poetam in postrema Ode lib. 2. Vnde illud Ennij:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito viuus per ora virûm.

Ex his certè omnibus hyperbolicis dictis intelligimus Poetas suum etiam statum summè felicem omnibus prædicare.

Ode II. Ad Avgvstvm Cæs.

Theticum.

Quòd Dij grauiter irati Romanis ob cædem C. Iulij Cęsaris, atque iam satis magnas illius pœnas persecuti, precibus ac votis videantur placandi & mitigandi.

[1] *Iam satis terris niuis atque diræ*
Grandinis misit [a] *Pater: & rubente*
[b] *Dextera sacras iaculatus* [c] *arces,*
[d] *Terruit* [c] *vrbem:*
Terruit gentes, [2] *graue ne rediret*
[f] *Seculum Pyrrhæ, noua* [g] *monstra questæ:*
Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere Montes:
Piscium & summâ genus hæsit [h] *vlmo:*
Nota quæ sedes fuerat columbis:
Et superiecto pauidæ natarunt
Aequore damæ.
[3] *Vidimus flauum Tiberim, retortis*
[i] *Littore Hetrusco violenter vndis,*
Ire deiectum [k] *monumenta Regis,*
Templaq; Vestæ,
Iliæ dum se nimium querenti
Iactat vltorem: vagus & sinistrâ
Labitur ripâ (Ioue non probante)
Vxorius [l] *amnis.*
[4] *Audiet ciues acuisse* [m] *ferrum,*
Quò graues [n] *Persæ melius perirent:*
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara [o] *iuuentus.*
[5] [p] *Quem vocet Diuûm* [q] *populus* [r] *ruentis*
Imperi rebus? prece qua fatigent
[s] *Virgines sanctæ minùs audientem*
Carmina Vestam?
Cui dabit [t] *partes* [u] *scelus expiandi*
Iuppiter? 6 [x] *tandem venias, precamur,*
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.
7 *Siue tu mauis, Erycina ridens,*
Quam locus circumuolat & Cupido:
[8] *Siue neglectum genus & nepotes*
Respicis [y] *Auctor.*
Heu nimis longo satiate [z] *ludo!*
Quem iuuat clamor, galeaq; leues,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
9 [aa] *Siue mutatâ iuuenem figurâ*
[bb] *Ales in terris imitaris, almæ*
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris vltor:
[10] *Serus in cælum redeas, diuq;*
[cc] *Lætus interfis populo Quirini,*
Neue te nostris vitiis iniquum
Oeyor aura
Tollat. hîc magnos potiùs triumphos,
Hîc ames dici pater atque princeps:
Neu sinas [dd] *Medos* [ee] *equitare inultos,*
Te duce Cæsar.

Analysis Dialectica.

NVllas vnquam arbitror gentes fuisse tam barbaras, & extra leges mores q; proiectas, in quarũ animis non insita consignataque fuerit notio Deorum, à quibus crederent & virtutes hominum præmiis ornari, & vitia eorundem acerrimè vindicari: vndecunque notio illa ipsis emanasset, siue ab Hebræis, quod longè verissimum est Christianis, siue à Græcis, quod Ethnicis, vt ab Hesiodo in operibus: vbi benefactis præmium, maleficiis supplicium sic constituitur:

Οἵ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι δίδοσαν
Ἰθείας· καὶ μή ποι παρεκβαίνουσι δικαίης
Τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ
Εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἀργαλέον πόλεμον τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.

Qui ius tribuunt exteris & popularibus rectum: nec metas quidem iusti tantillum transiliunt, iis virescit ciuitas, & populi in ea florent. Pax verò iuuenum educatrix est per terram: nec vnquam ipsis pernicioſum bellum parat late videns Iupiter. Sic idem de supplicio sceleratorum.

Οἵτε δὴ ὕβριν τε μέμηλε κακὴ καὶ ὀφέλια ἔργα
Τοῖσδε δίκην Κρονίδης τεκμαίρεται εὐρυόπα Ζεύς·

qui verò in cogitatione & cura versantur iniuriæ alijs inferendæ, malorumq; operum, in hos Iupiter Saturnius meditatur pœnas: quas sigillatim potes è continuatis Poetæ versibus intelligere, atque tam Philosophos, quàm Poetas existimare cum Clem. Alexandr. fures esse Hebræorum. Verùm, rudis & imperita plebs, malitioſiq; assentatores de pœnis improborum perperam iudicant, ac peruersè interpretantur, vt hîc Horatius, qui scribit graues pœnas à Romanis iam persolutas propter necẽ Cæsaris, qui tam in Iouem fuerit contumelioſus, vt in Grammaticis mox ex Historicis apparebit. Hæc autem aquarum illuuies & fulminum iactus Virgilio videtur Romanis accidisse propter fraudem Laomedõtis, & ius vbique violatum, vt postea dicetur. Præstat Poeta quod Epist. ad Pisones tradit, *Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ:* docet cùm præsentem illuuionem commemorat. Delectat dum assentatur Augusto, & municipum suorum beneuolentiam captat.

Tales pœnæ hîc primùm memorantur: deinde remedia illis remittendis parantur. Ex eo autem Iouis ira se contra illos extulit, quod terribili iam fulmine ipsos & exteros perculerit: multa prostrauerit tẽpestate: deiecerit multa: denique sæua diluuie vastauerit. Hę autem pœnę, quas sic Iupiter à pop. Rom. repetiuit, primum declarantur parium collatione, quòd eadem orbis vastitas videatur imminere Romanis occiso Cæsare, quam ipsi tempore Pyrrhæ intellexerant contigisse, propter impiam Tantali & Lycaonis immanitatem in Deos & in filium ipsius Pelopem & Hospites: de quo Iustinus lib. 2. & Ouidius 6. Metamor. Pindarus tamen scribit Ολυμπ. εἰδ. α. causſam infelicitatis Tantalicæ fuisse furtum Ambrosiæ & nectaris Deorum: non illam commẽtitiam & fallacem Pelopophagiã. Huius autem comparationis protasis cõstat è duplici efficiente, intelligẽda ex his euentis, partim Ioue irato, partim Iliã grauiter offensa eiusdem cædis indignitate in genus suum factæ. Eam ob rem maritũ suum Tiberim sollicitauit ad patriã cataclysmo delendam & obruendam τὸ Τιβέριδ' ὡς κωλυομένην εἰς θάλασσαν ῥόμασιν αὐτὴν εἰς βάλλειν· *Tiberi velut impedito ne influeret in mare per ostia sua.*

Eadem propositio augetur loco maiorum tectè ac breuiter notato, quorum ea vis est, vt non solùm ciues

ues Romani terrore & metu concitati sint; verùm etiã longinquę & peregrinę gentes ac populi perterriti fuerint.

2 Apodosis est: tanto, inquam, metu inundationis affecit Iupiter Romanos & alios populos: quanto priscum Pyrrhæ seculum: vbi describitur calamitas illius priscæ eluuionis variis è ventis & conditionibus locorum mutatis.

3 Octo deinceps versus existimo ad protasin pertinere, vbi efficiens caussa exundationis exaggeratur altera adiuuante, in querimonia Rheæ & cæde Iulij Cæsaris posita.

Non equidem video, quorsum Poeta dixerit Iouem non esse approbatorem talis diluuij, quum eundem cõstituerit principem & auctorem huius vltionis: vtrum hominibus, vt Iupiter interdiceret priuata vltionem an, sicut quidam putant, vt esset solùm Ioui in animo terrere vrbem, non etiam perdere? Quòd equidem posterius magis probãrim, quum Iupiter hoc magni terroris supplicio videatur leuiora affecisse hominum peccata, vt à grauioribus illos sceleribus deterreret. Sed nõnulli malunt referre ad Iouem Capitolinum, non ad illum summum: qui Capitolinus metuebat suo Palatio ex huiusmodi eluuione: quale plerisque in locis singulæ penè hominum ætates viderunt contigisse: tu tamen videris: neque puto præcipuè eò referendum, vt Poeta magis gratificetur & assentetur Augusto, quum Ode tota bonaque pars reliqui poematis ad hoc tantùm facta videatur: vnde à Gallis nominatur, *le Poete courtisan*, quæ appellatio quid & quãtum apud illos valeat, versantibus in aulis Principum dicendum vel scribẽdum relinquo; quanquam Stephanus in Epistola de scholiis suis in hunc Poetam doceat esse in hoc Poemate, quod animos aulicorum iuxtà ipsi Poetæ concilier, atque illos ab eodem alienet. Maior quidem certè hîc fuisset gratificatio & assentatio, si ita dixisset: non solùm Rhea mortem abnepotis sui Cæsaris visa est vlcisci, sed Dij quòque acerbitatem illius & vlcisci & persequi voluerunt. Vnde perspicias quàm turpiter Poeta se contulerit ad assentationem, inclinato iam statu Bruti & iacente Reipub. fortuna post acceptam Philippensis pugnæ cladem: qui primo bonas partes defenderat, & vindices publicæ libertatis sequutus fuerat, vt liquet ex Od. 14. l. 2. & 7. l. 2. & 4. l. 3. Nactus est etiã præter miserum ipsius casum Mæcenatem eruditissimum assentandi magistrum, vel, vt Terentius loquitur, cepit ad eam rem magistrum improbum, qui gratiam Augusti solitus sit assentationibus sępè aucupari, vt Sen. l. 6. c. 32. de benef. scribit, quum *memorat Augustum pœnituisse se filiæ ob nobile nomen impudicitia consceleratũ relegatæ, illic sic quærentem. Horũ nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenas vixisset: cui subijcit Seneca: adeo tot habenti millia hominum duos reparare difficile est? cæsæ sunt legiones & protinus scriptæ: fracta classis, & inter paucos dies natauit noua: sæuitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumtis; tota vita Agrippæ & Mæcenatis vacauit locus. Quid putem defuisse similes, qui assumentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit quæri, quàm quærere? non est, quòd existimemus Agrippam & Mæcenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenij mos est in præsentium contumeliã amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum nõ est.* Meminit quoque talis assentationis Tacitus initio lib. 1. ab excessu Augusti: *Sed veteris populi Romani prospera vel aduersa claris scriptoribus memorata sunt: temporibus Augusti dicendis nõ defuêre decora ingenia, donec gliscente adulatione detererentur*, i. minuerentur.

4 Ratio est ex adiũctis ad eam protasin magis exornandam, quòd posteritas aliquando cõquestura sit, patriam tam insigni turpitudine notatam, & dedecore infamiaque opertam. Confirmatur querela posteritatis loco maiorum, quòd certè præstitisset arma Romanorum in aliena, quàm in propria viscera conuersa fuisse, vt Anchises 6. Æneid. præmonuerat de posteris suis,

Nec patriæ validas in viscera vertite vires.

Callidè Poeta ex efficiente caussa culpam tam raræ iuuentutis suadet conferendam in temeritatem maiorum, vt nullam illius partem Iupiter & Augustus videantur sustinere. Quid hoc est aliud, nisi tyrannidem intolerandam tueri.

5 Pars est altera Odes de medicina huic malo facienda, de quo *διαπορητικῶς* & perplexè deliberat: quòd videat remedia petẽda esse ab omnium deorum animis, qui fuerunt abalienati, & grauiter Cæsaris nece offensi, &, quod multo grauius est, qui tam graues plagas iam inflixerunt: vbi è subiectis & adiunctis summa Ethnicę religionis perstringitur: quod numen sit implorãdum: quæ precandi ratio sit instituenda: quis idoneus sacerdos expiationi sit deligendus. Non dissimilia Cicero portenta memorat Catilinar. 3. Romę contigisse, Cotta & Torquato Cos. quum nulla res, quæ ad placandum Deos pertineret, prętermissa est. Sic enim Ethnici solebant in publicis ac priuatis calamitatibus & ærumnis recurrere ad libros Sibyllinos, ad oracula Deorum, ad vates & sacerdotes suos, quo intelligerent, quibus flagitiis ac sceleribus offendissent suos Deos, & quibus modis hi placandi essent.

6 Post longam addubitationem confugit ad Diuos, quos sibi fore beneuolos & faciles sperat: atq; primùm deuocat Apollinem è forma descriptum: quòd eum nouerat Romanis semper opem tulisse, vt Augusto in bello Actiaco contra Antonium, & maioribus ipsorum Troianis, Hectori, Æneæ, vt scribitur *Ιλιαδ. ο, π, ρ.*

7 Vocat deinde Venerem Romanæ gentis alteram parentem, & è circumstantiis duorum Deorum Cupidinis & Ioui declaratam.

8 Implorat posteà Martem, vt genus suum miseratus iuuet. Locus autem est ex effectis & subiecta voluptate strepitus bellici, politorum armorum, & aspectu crudelissimi cuiusque militis, vnde precibus videtur reuocari à Poeta.

9 Postremò precatur Mercurium, quẽ definit è procreãte caussa, & similitudine cum iuuene ad auxilium veniente, rogatque, vt nomen Augusti vsurpet, & ita res Romanas tractet & tueatur: vel cõtrà Augustus idipsum diu præstet in terris: quod ille in cælo: vbi videtur Poeta per assentationem alludere aut ad fidem antiquitatis, quę credidit consuetudinem olim Diis cum hominibus intercessisse, & illos vitiis horum terras reliquisse, aut potiùs ad cognationem vtriusq;. Nã Maiæ Mercurij matri è Ioue fuit soror Electra, quæ è cõpressu Iouis Dardanum peperit, & hic genuit Erichtonium: hic quoq; Assaracum: hic etiam Capim, vnde Anchises Æneæ pater. Ea est series maiorum Augusti & generis cognatio cũ Mercurio, quã Poeta nũc Cęsari assętatur.

10 Altera precatio è diuersis dissentaneis, vt non redeat in cælum Augustus, sed in terris æternam degat vitam, atque de hostibus imperij Romani triumphet, illorum insolentia, iactationeque repressa.

Enarratio Grammatica.

QVidã *τὸ Iam satis* interpretantur *ἑλληνιστικῶς, καὶ ἑρωτηματικῶς* pronunciant, *iámne satis terruit?* quàm rectè, tu videris. Congruẽter autem huic loco Virg. sub finẽ 1. Georg. digreditur in mortem Iul. Cęs. nõ dissimili assentatione huius, quũ scribit signa deplorasse & vindicasse illius obitum: quæ recẽsentur à Plut. in vita Cę-

saris & ab Appiano lib. 4. de bellis ciuil. ab Ouidio in Metamorph. sed Virg. assentatio callidior videtur, quum dicit.—*Satis iampridem sanguine nostro*

Laomedonteæ luimus periuria gentis:

partim, quòd caussam tot malorum, quorum Auctor fuerat Cæsar, referat ad periurium Laomedontis, qui pactâ instauratorum Pergamorũ mercede, quæ diuerat Hercules, fraudauerat Apollinem & Neptunum cuius perfidiæ pœnas illi postea repetierunt à posteritate: partim etiam quòd caussam bellorum ciuilium tribuat sceleribus hominum ad vtriusque Cæsaris excusationẽ, id est, ad obtegendã talibus inuolucris & Iulij & Octauij tyrannidẽ, & tetrã detestabilemq; publicæ libertatis oppressionem; sic ille de posteriori caussa.

Quippe vbi fas versum atq; nefas tot bella per orbem. &c.

Niuis.] Isidorus inclinat τὸ *nix* à nube & nebula, & hęc ab obnubendo, id est, operiendo terram: quo videtur Maro alluisse 4. Æneid. *Nix humeros infusa, &c.* Ninx ninguis à verbo Ninguit. Luc. 6.

—*vbi in campos albas descendere ningues*

Tabificis subigit radiis sol omnia lustrans. & paulò pòst. *At glaciem dissoluit, & altis montibus altè*

Extructas ningues radiis tabescere cogit.

Vox Græca χιών, nix definitur à Suida τὸ ἐκ νέφους πεπηγὰς ὑγρὸν· *humiditas è nubilo concreta:* Sed Eustath. in periegesin annotat, ὅτι τὸ χίνα ἐριῶδες ὕδωρ, ἀστείως οἱ παλαιοί φασι, τὸ σοφὸν βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐκ δόντος αὐτοῖς, ὅ τε εἰπὼν, δι-δόντος χίνα αὐτὸν ὡσεὶ ἔριον, *veteres festiuè describunt niuem, vt ea sit aqua lanea, sapiente rege Dauide occasionem ipsis dante quum dixit: dante suam niuem tanquam lanam* Psal. 147. Quę quomodo fiat, vide Aristot. de mundo, & in meteoris. Ratio vocis est Eustathio ἰλιαδ μ, ad hemistichiũ—Νιφάδες δ' ὡς πίπτον ἔραζε: i. *Lapides cadebant in terram instar confertæ niuis.* χιὼν ἀπὸ τοῦ χέεσθαι, quòd facilè liquescat. Hebræi verò שלג *scheleg, ab eo, quòd niteat,* & sit conspicua: nec ab exymo abludit vox Latina nix, quanquam Festus ὄνομα τοῦ νεόν, à nouitate deflectere videatur.

Diræ.] Grando vocatur dira: quòd ab irato Deo de cęde Iulij Cæsaris præcipitata sit: sic enim Festus scribit eam à Deo velut natam & θεοχόλωτον. Ita Seruius in Æneid. 6. vers.

Vnde hæc ô Palinure tibi tam dira cupido?

Hanc vocem interpretatur, ex Deorum ira veniens, aut magna, vt sua cuique Deus sit dira cupido.

Grando.] Sic dicitur à forma granorum, Græcè χάλαζα, estque νέφος πεπηγὸς καὶ πῆξις ἢ ἄνωθεν ἐν τῷ ἀέρι ὑδατώδους ἀτμοῦ διαῤῥιφὲν θέσει, καὶ κλονεχθὲν ὑπὸ πνεύματος, *grando est concretum nubilum & concretio superna humoris in aere aquei huc atque illuc in terram disiecta, & a vento detrusa:* de qua ibidem plura.

—*Misit.*] Pro demisit de cælo & aere, quod Græcè dici potest, ἄνωθεν καὶ χαλάζης καθῆκεν ἀπ' ἐρανοῦ ἢ ἀφ' ὑψηλοῦ, vt Georg. 1. dicitur: *imbrem demittere cælo.*

—*Rubente.*] Iupiter iratus fingitur κεραυνοφόρος καὶ πυρακέραυνος, *gestans fulmen & eo gaudens:* ideoque Ouid. dicit: *vibratum iaculabat fulmen,* & Phædra Hippolyto:

Quod ventant proaui (Iouis) *fulmina torta manu.*

Item Virg. libr. 1. Georg.

Ipse pater media nimborum in nube coruscat
Fulmina molitur dextrâ. idem Æneid. 4.
—*An tegenitor, quum fulmina torques,*
Nequicquam horremus?

Ex eo quidem definitur fulmen πυροφόρον Διὸς βέλος, *pennigerum Iouis iaculum,* & notatur sic à Festo, vt à fluore, vel potiùs fulgore flammæ nomen inuenisse videatur: vnde Pindaro διθ. θ. Ολυμπ. φοινικοπτέρυγας dicitur. Verumtamen Arist. li. de mundo scribit fulmen non diuinis, sed naturalibus caussis niti, atq; definit è natura ignea & violenta & ex attributione celeritatis: τὸ ἀπεφθὲν ἀναπυρωθὲν βιαίως ἄχρι τῆς γῆς διηθέον κεραυνὸς καλεῖται. i. *Quod fulserit inflammatũ, & violenter in terram vsque cursim illisum fulmen vocatur:* paullò aliter Socr. in nebulis Aristoph. rogatus à Strepsiade: τί γάρ ὅτι κεραυνὸς; *quid est fulmen?* Σοκρ. ὅταν εἰς τὰς νεφέλας ἀνεμος μετεωρισθεὶς καταπλεισθῇ ἔνδοθεν αὐτὰς, ὥσπερ κύστιν, φυσᾷ. κἄπειθ' ὑπ' ἀνάγκης ῥήξας αὐτὰς ἔξω φέρεται σὺν ῥοιζῳ διὰ τὴν πυκνότητα ὑπὸ τῆς ῥάβδου καὶ τῆς ῥύμης αὐτὸς ἑαυτὸν κατακαίων. i. *quum sublatus ventus inclusus fuerit in nubes, tanquam vesicam, eas inflat: deinde quum vi easdem diruperit, foras erumpit ventus citatissimo gradu propter densitatem stridore & impetu seipsum exurens & absumens.* Dio scribit fulminante Ioue C. Cæsarem protulisse ex Iliad. φ. hoc hemistichium luctatoris, i. Aiacis ad Vlyssem Antagonistam: Ἢ μὲ ἀνέρ' ἢ ἐγώ σε· *aut me cõsice, aut ego te.* Quod Lucian. postea vsurpauit in Dialog. Cratetis & Diogenis de Aristea. τὸ Ομηρικὸν ἐκεῖνο εἰώθει ὁπλέγειν, ἢ μ' ἀνάτεῖ' ἢ ἐγώ σε. Illud Homericum solebat itidem dicere, *vel me sursum tolle, aut ego te.* De eodẽ sic Sen. l. 1. de ira in fine: *C. Cæsar iratus cælo, quod obstreperet Pã omimis, quos imitabatur studiosiùs quam spectabat: quodq; commissatio sua fulminibus terreretur prorsus parum certis, ad pugnã vocauit Iouem & quidẽ sine intermissione Homericum illum exclamans versum:*

Ζεῦ πάτερ, ὅττι σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

O Iupiter pater, nullus Deorum alius est te perniciosior: quanta demẽtia fuit! putauit autem sibi noceri, nec à Ioue quidẽ, posse: aut se nocere etiam Ioui posse. Non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandum cõiuratorum animos addidisse: vltimæ enim patientiæ visum est eum ferre, qui Iouem nõ ferret. Hic profectò non equidem credere dubitarẽ tales fuisse Romę terrores, ac potiùs eosdem, qui scribuntur ab Orosio sub natalem Iesu Christi Domini nostri ibidem contigisse. Vrbem Rom. ait, prodigiis magnis & inusitatis terruit, & Domini nomen abdicare coegit Augustum Imperatorem, qui priùs bellis ciuilibus totum orbem terrarum turbauerat, vt solus regnare posset. Differunt autem inter se fulminei iactus: τοῦ δὲ κεραυνοῦ οἱ μὲν αὐθαλώδεις, *è fulminibus quædam dicuntur fuliginosa,* καὶ φολόεντες, *& fumosa:* οἱ δὲ ταχεῖς διάπλοντες, *alia vero citò micantia:* ἑλικίαι δὲ οἱ γραμμοειδῶς φερόμενοι, *alia etiam feruntur in specie lineæ:* σκηπτοὶ δὲ ὅσοι κατασκήπτουσιν εἰς τι, *septa dicuntur, quæcunq; fulmina illisa sunt in aliquid.* Inde sumuntur à Festo tres manubiæ, minimæ, maiores, & his ampliores. Hęc autem fulminum genera videtur Seruius sic distinguere in hunc locum lib. 1. Æneidos.

—*O qui res hominumq; Deumq;*
Aeternis regis imperiis & fulmine terres.

Errant, inquit, *qui primum ad Deos, secundũ ad homines referunt: sed maioris potestatis est idem posse circa Deos, quod circa homines. Terres, &c.* nam fulminum alia terrent: aliæ afflant, vt: *fulminis afflarit ventis:* alia puniũt, *vt: Vel Pater omnipotens adiget me fulmine ad vmbras:* alia prędagiunt, vt:

De cælo tactas memini prædicere quercus.

Sed de fulmine lege Sen. li. natu. quæstion. & de generibus ac nominib. ipsorũ. Prętera Festus explicat hanc manubiarũ tripartitam diuisionem: sed vim verbi minimè notat, q. alij scribunt esse Tusculũ & à spoliis hostium translatum ad fulmina Deorum & vim indicãdam. Itaque Ianus Douza lib. 3. c. 2. Præcidan. ad Arbitrum in verb. a *Sed postquam optima fide partiti sumus manubias,* propriè ac signatè, ait, Manubię enim à manu Etymon suũ sortitæ, quasi spolia dicas furtim aut per vim, hoc est, per latrocinia, seu rapinas quęsita, &c. Cic. Orat. 6. l. 1. in Verr. *Dubitamus quid iste in hostium præda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit?* Vnde meliùs deflecti putandũ est ἀπὸ τοῦ μανύειν τὴν τοῦ Διὸς βίαν, *ab indicanda Iouis potentia,* quàm à Latina notione. Ex his autem rubræ creduntur solùm esse Iouis, sed albæ & nigræ

nigræ Palladis & aliorum deastrorum: de quibus lege Alexan.ab Alexandro & Plin.l.2.c.31.de generibus fulminum,& c.52.de nouem Diis fulminantibus. Ad extremum ratio vocis Græcę κεραυνὸς est ex Eustathio παρὰ τὸ καίειν καὶ ἄυειν ab incendio populante.

Iaculatus.] Græci hoc verbum,*iaculari* exprimunt per βάλλειν καὶ ἀκοντίζειν, vt, ἢ φάραγγα ἀκοντίζω,*fugientem iaculor*, peto,ferio. Theocritus Idyl.6. altero etiam vtitur:

Βάλλει τοι Πολύφαμε τὸ ποίμνιον ἡ Γαλάτεια
Μάλοισιν.

Petit ô Polypheme gregem tuum Galatea malis.

Terruit.] Τὸ terrere Græci per φοβεῖν exprimunt. Thucyd.li.8. Οὔτε ἄνεμός ἐστιν ὅπως ἐφόβησεν, τοῦτ' ὄζει, οὔτε ἐπέσχεν, ἐξέπληξε, *stupore perculit, obstupefecit.* Mentes nostrę huius Dei operum cognitione, ad mirabilem eius sapientiam, potentiam, bonitatem & prouidentiam concelebrandam excitantur. Vide Psal.104.108.

Vrbem.] Seruius in 1.Æneid. scribit, *Vrbs* dici ab orbe: quia antiquitus in orbem vrbes fiebant, vel ab vruo, parte aratri curua: quo sulcus in designando vrbis loco ducebatur: vnde in Andromeda Ennij vruare est circumdare,ait Festus.

Terruit gentes.] Hic Romani ciues non secus opponũtur gentibus,atq; ciuis & peregrinus,vt Verrina 6. *Scitote neminem neq; seruum,neq; liberum, neq; ciuem, neq; peregrinum, qui illud signum auderet attingere.* In, *terruit gentes*, quidam putant Ellipsin τῶν *metuentes*, vt locus sit aptior particulæ *ne*,quòd participium est in *terruit* inclusum, pro timere fecit parem aquarũ illuuiẽ, quę accidit seculo Pyrrhæ. Quasi verò Terentius inepte hanc substruxerit aliis verbis:sicut in Andria Act.1.Scen.3. *Te obtestor,ne abs te hanc segreges*:ad quẽ modum rectè dici putem,terreo canes iactu lapidũ, ne propiùs accedentes me mordeant, quanquã τὸ *ne* dicit hic apertiùs finem, quàm illud literæ Horatianæ, quod sit explico: Iupiter terruit gentes reditu cataclysmi ætate Pyrrhæ olim immissi.

Pyrrhæ.] Hæc nata est ex Epimetheo & Pandora & postea matrimonio iuncta Deucalioni nato è Prometheo & Clymene: qui vterq; coniux propter diluuium recepit se in iuga Parnassi mõtis altissimi,vel Lycoris: de quo sic Iustinus lib.2.in Dialectica citato: *Temporibus Amphitruonis regis Athen. aquarũ illuuies maiorem partem populorum Græciæ absumsit: superfuerunt, quos refugia montiũ receperũt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionẽ ratibus euecti sunt: à quo propterea genus hominum cõditum dicitur.* Eius quoq; eluuionis descriptio est 1.Metamor.quę creditur Eusebio & Hieronymo accidisse Cecrope Athenis regnãte, quo tempore Moses eduxit Hebræos ex Ægypto anno mundi 3677. idem asseuerat Isidorus, qui tres recenset eluuiones:sed hęc nõ vniuersalis fuisse, & tantùm dicitur Thessaliã tres menses occupasse. Tacitus sub finem li.1.Annal.Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis,plana vrbis stagnauerat:relabentẽ secuta est ædificiorũ & hominum strages. Igitur cẽsuit Asinius Gallus,vt libri Sibyllini adirentur;renuit Tiberius, perinde diuina humanaq;obtegens:sed remediũ coercendi fluminis A.Capitoni & L.Aruntio mandatum. Dio.4. li. 57.auctor est non duob. tantum eam curã commissam, sed quinque viros etiam à Tiberio cõstitutos. Huic negotio præfecerat pridem Augustus curatores Riparũ, & aluei Tiberis.Suet.c.37.Iulius Capitolin⁹ sub M.Antonino, *quæ multa ædificia diruit, multa submersit animalia, & famẽ ciuibus intulit.* Titus Liuius li.44.Decad.3.Plut. in vita Othonis alias, quales nonnulli proferunt è Xenophonte in æquiuocis; vt vna fuerit nouem mensium tempore prisci Ogygis;altera vnius mensis ætate Herculis & Promethei Ægyptiorũ; tertia duorum sub Ogyge Attico; quarta triũ in Thessalia sub Deucalione; quinta sub Proteo Ægyptio diuersis ætatib.quę tamen coniungi hîc videntur, si Protea intelligimus regẽ Ægypti fuisse:de quo Epist.1.li.1. sed ego malo intelligere Deum marinũ & pastorẽ squamosi pecoris qui ab Homero ἅλιος γέρων,*i.senex marinus* vocatur,vt mox dicetur. Prętera Pindarus refert originem Locrorum ad Deucalionem & Pyrrham carmine 9. Olymp. Epimythiũ autem fabulæ de Deucalione auctore reparati generis humani significat homines à ferina vita traductos eloquentiâ Deucalionis ad cultum vitæ humaniorem.

Quum Proteus.] Hic fuit Deus Carpathij maris, de quõ 4.Geogr.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus magnum qui piscibus æquor.

Item pastor belluarum marinarum, de quo ibĩdem.

Armenta & turpes pascit sub gurgite phocas.

Idem Theocritus Idyl.1.

Ὡς Πρώτευς φώκας καὶ Θεὸς ὢν ἔνεμε.

Proteus licet Deus esset,pauit phocas. De Proteo vide Eustathium in lib.Odyss.δ.ad versum: Πάντα γὰρ γινόμενον. Finguntur autem Dij marini priori parte equi, posteriori pisces.De eodem vide Diodorum lib. 3. Sunt præterea Phocæ,si nescis,vituli marini:qui spirant & dormiunt in terra,vt scribit Plinius lib.9. cap.7.& Aristoteles lib. 2.historiæ animal.

Omne pecus.] Seruius citat hunc versum in hunc 440. primi Æneid.

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

vbi pecus sic definit: *vt sit omne animal, quod humanâ linguâ & effigie caret.* Ex hoc loco & sequentib.voce *pecudis* possunt intelligi animalia tam terrestria,quàm aquatilia.Pro his Virgil. dicit, *Neptuni armenta*: Plautus, *pecus squamosum*,& *Neptuni pecudes* & *Nerei pecus.*

Egit visere.]Hellenismus est:ita enim loquitur Sophocles in Οἰδιπ. Τυραννὶ ποικιλῳδὸς σφὶγξ τὰ πρὸς ποσὶ σκοπῶν μεθ' ἁμᾶς τὰ φανῇ, πρόσσυγος: *Sphinx variè canens quæ ante pedes sunt,missis obscurioribus, nos compulit considerare:* qualẽ etiam reperias Phorm. Act.1.Sce. 2. versu 23. *visne eamus visere?* qualem apud Propert.Elegia 1.lib.1.

Ibat & hirsutas ille videre feras.

qualem denique Ode 26.huius libri.

Non ego te frangere persequor: pro egit, vt viseret, & non persequor, vt frangam: vel ad videndum, considerandum, frangendum. Illius autem significatus est hoc Virg.hemistichium in Tityro:*hanc protinus æger ago:* sed paullò pòst,*vidimus ire deiectum*, dicit Latinè.

Vlmo.] Videtur hæc arbor nomen habere ab vliginosis & humidis locis, vbi lætiùs nascitur.

Columbis.] Ἀκυρον esset & impropriũ, nisi necessitas interueniisset: quia columba domestica ἐν δένδρῳ ἐφίζει, *non sedit in ramis arborũ*, Gall.ne se perche point: sed φάσσα ἢ φάττα, palumbes syluestris: à quo genere confessus Gall. *Ramier* nominatur. Genera τῆς περιστερᾶς vide in scholiis Eustathij in Odyss. μ. vbi vnum reperies nomine βύρσα sic à trimiditate dictũm. *Cõtumbus* autẽ videtur vox facta à Græca κόλυμβος significante vrinatorem & natatorẽ, quorum gestum referunt passis ad solem alis super tectum columbi:à quo etymo non multùm abludit illud Isidori, quòd ad singulas conuersationes mutent colores. Varro li.3.c.7. à colluminib. villarum quib.insidẽt.

Pauidæ damæ.] Virg.ad finem 3. Georg. dicit *timidos damas, ceruosq; fugaces*, vbi Seruius citat hunc locum propter varietatem generis. Natasse dicuntur damæ in æquore superiecto, id est, in aquis maris terræ superfusis.

Flauum.]Hunc colorem Agellius lib. 2. cap.26.dicit è tribus aliis constare: viridi, russo & albo. Virgilius tamen vocat frondes olearum flauas,& Cererem flauam, arua flaua. Ex eo autem colore qualiscunque fuerit, Ti-

beris turbidus è limo videtur intelligendus: quod Virgil. innuit. 7. Æne. quum hunc colorem existere dicit Tiberi è rapidis vndis & multa arena flaua.

—Hunc inter fluuius Tiberinus amœno.
Vorticibus rapidus & multâ flauus arenâ.
In mare prorumpit.

Vbi Seruius annotat flauum esse proprium Tiberis epithetum: dicitur tamen Æneid. 8. initio cęruleus Tybris, i. altus & profundus, nec exitum illius naturalem esse, nisi circa Hostiam.

Tiberim.] Nomen creditur inuenisse à Tiberino rege Albanorum, vel Tiberi rege Tuscorum, vt scribit Festus: hîc tamen color non bene conuenit cum periegesi Dion. Θίμβεις ἐλιῶδ᾽ ὧν & καθαρὸν ῥοὸν εἰς ἅλα βάλλει.

Θίμβεις ἰὼβρότης τοταμὸς βασιλῆτ᾽ & ἄλων.

Thimbris decurrens limpidum fluentũ in mare demittit,
Thimbris pulchrifluus aliorum fluuiorum longè princeps.

In quem locum Eustathius scribit Tiberim quondam fuisse Albulam vocatum, sed postquam in hoc est mortuus Tiberius rex nomen ex ipso accepisse. Consule scholiasten: quod Seruius improbat in Æneid. 8. vers. *Tum reges, asperq; immani corpore Tybris:* ita per syncopen pro Tyberis docet eum dici ἀπὸ τῆς ὕβρεως, *ab iniuria:* nam amabant maiores, vbi aspiratio erat T. ponere. vide ibidem reliqua & in vers. Æneid. 3. *Si quando Tybrim vicinaq; Tybridis &c.*

Retortis.] Id est, repulsis in suum caput & in suam scaturiginem à mari Tusco & Tyrrheno, in quod Tiberis sese exonerat, quod Græci dicunt ἀναῤῥεῖν & ἀναῤῥᾶν χωρεῖν, refluere, retrò properare. Nihil autem hîc est necesse τὸ *retortis* sumi ἐνεργητικῶς, vt vult Linacer. pro quo dicit Ouid. in Epist. Oenones ad Paridem.

Quum Paris Oenone poterit spirare relictâ,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
Panthe retro propera, versaq; recurrite lympha:
Sustinet Oenonem deseruisse Paris.

Præterea de exundatione Tiberis vide Plinium li. 3. vbi scribit talem eluuiem esse potiùs diuinam præsagitionem, quàm perditionem.

Littore Hetrusco.] Si verum censet Seruius in hunc vers. Æn. 11. *Hetrusciq; duces equitumq; exercitus omnis.* Etymon Hetruriæ, vt Hetruria dicta sit, quòd eius fines tendebãtur vsq; ad primam Tiberis ripam, quasi ἕτερον ὅρον, debet scribi διὰ τῆς δασύτητος prima syllaba. Vt autẽ ripę sunt fluminum, sic littora maris ex hoc Ouidij: *pro ripis littora pulsant*, & littus sit Seruio in 12. Æneid. omnis terra aquis vicina, aquis, inquam, siue fluuialib. siue marinis. Itaq; discrimen ripæ & littoris non obseruatur, vt hîc vides Hetruscum littus pro ripa; vt hæc pro littore Ode 27. lib. 3.

Aequoris nigri fremitum & trementes Verbere ripas.

Monumenta.] Monumẽtum dicitur, quicquid est scriptum ac factũ memoriæ caussa, ait Varro li. 5. de lingua Lat. vbi quanq̃ legitur monimẽtum, rectâ tamen analogiâ videtur potiùs deflexum à moneo do, vt documẽtum à doceo, quàm monimentũ: nec discrimen Seruij inter hęc, vt alterum sit rei, alterũ memoriæ, hîc potest habere locum, quũ vtrumq; sit nota vtriusq;, i. admoneat nos de vtroq;, sicut è Cicerone notabitur Sat. 8. li. 1. nec multò magis eiusdem notatio ad finem 12. Æneid. vers. *Ille oculis postquam sæui monumenta doloris*: propriè, ait, *monumentum ab eo dictum est, quòd mentem moueat*, vt Epist. 7. ostendemus ex Agellio. Eadem certè, si esset ita, ratio valeret in documentum, leuamentum, munimentum, ac similis inclinationis aliis. Quædam etiam huius syzygiæ per analogiam concisam efferuntur, vt momentum à moueo, & fomentum à foueo: nam quę per i scribũtur, ferè sunt coniugationis tertiæ aut quartæ, vt detrimentum, lenimentum, molimentum: pro quib. etiã vsurpantur in eadem notione lenimen, molimen.

Templaq;.] Hæc vox à tuendo dicitur Varroni lib. 6. de ling. Lat. & cælum ita est vocatum, quòd nobis primò fuit propositum ad aspectum

Vestæ.] Hęc fuit Rheę filia ex Pindaro, & custos ignis sacri: cuius vocis ratio petenda est à Cicerone lib. 2. de legib. & 2. de natura Deo: *Nomen Vestæ*, inquit, *à Græcis est profectum, qui illam vocãt* Ἑστίαν *cuius vis ad aras & focos pertinet.* Plato tamen in Cratylo docet Ἑστίαν dici ἀπὸ τοῦ οὐσίαν vel ἐστίαν, ab essentia rerũ omnium. Idem ex aliorũ sententia tradit etiã dici ὡσίαν παρὰ τὸ ὠθῦν, q. princeps caussa rerũ sit τὸ impellere, ἢ ἰέναι, fluere, nec consistere. Verũ Grãmatici Latini alterũ afferunt etymon è Sipontino, qui à vestitu eam volunt dici, quòd Vesta, i. terra, variis plantis & rerum imaginibus vestiatur. Alij denique, vt Ouid. lib. 6. Fasto.

Stat vi terra suâ: vi stando Vesta vocatur.

Seruius in Æneid. 6. vers.

Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus Orci,

Vestibulum ait etymologiæ non habet proprietatem, vt scribit Varro, sed fit pro captu ingenij: dicitur enim, quòd vestiat ianuam; alij à Vesta dictum volunt: nam illi ianua consecrata est; alij, quòd nemo illic sterit: in limine enim solus est transitus: vt enim vesanum, non sanum, sic vestibulum, non stabulum.

Iliæ.] Ilia fuit filia Numitoris regis Albaniæ, & mater Romuli, quę Rhea & Syluia dicta est, & in ripa Anienis fluminis in Tiberim defluentis sepulta: ideoque credita nupsisse Tiberi, & apud eum nimium conquesta de nece Cęsaris. De hac muliere varia est historia apud Liuium, Plutarchum in vita Romuli, & Dionysium lib. 1. De hac Virg. 1. Æneid.

—Donec Regina sacerdos,
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Dum iactat.] Donatus in Heautontimorumenon Act. 3. scen. 3. ver. vlt. *aliquòmihi est hinc ablegãdus, dum parit Philumena*, annotat τὸ *dum* valere aliàs *dummodo*, aliàs *donec*, nũc *quàm diu*: sed per nullum horum potest hîc commodè explicari. Rectè quidem pro *interea dum* aut tunc, quũ: vt Galli interpretarentur, *pendant que, ou bien, lors que le Tibre trop indulgent aux exceßiues pleintes de ſa femme Ilia touchant le meurtre de Cæſar, luy promet auec grande iactance qu'il la vengeroit, nous viſmes comment les fleuues* sic etiã explicandus alter locus Terentij in Heaut. Act. 5. Sce. 5. vers. 14. *Hæc dum incipias grauia sunt, dumq; ignores: vbi cognôris, facilia*

—Lors que tu viens à commencer ces choſes & que tu ne les entens pas, elles te ſont difficiles: mais les ayans entendues, elles te ſeront aiſees. Amnis vagus Græcis dicitur Ποταμὸς πλανώμενος, ἢ ἀλαλήμενος. Epitheton Vagus refertus ad varios amnis tortuosi reflexus & sinus. Sic lib. 1. Ode 34. *vaga flumina.* & lib. 2. Ode 14. *Cocytus errans.*

Sinistrâ.] Hoc ideo dicitur, quia ripa vergens in potiorem Vrbis partem est sinistra.

Ioue non probante.] Puto Græcos hoc interpretari, ὑ σῶ Διὶ, ἢ μὴ Διὸς μέτα, vt Sophocles in Aiace, *Ioue nolente.*

Vxorius.] Vxorius propriè dicitur de eo, quod est vxoris, vt, res vxoria lib. 3. de Offic. *dos vxoria*, item Epist. 2. li. 2. ad Domitium C. Solini, Sidonij Apoll. *Abitaci ſumus: nomen hoc prædio: quòd quia vxorium, patrio mihi dulcius*: sed vt sumitur hîc, definiendus est, qui, nescio, quâ animi impotentiâ perdiderit ius & maiestatem mariti, quæ sunt illi data in vxorem: Gen. 3. nec hæc debet sibi arrogare potestatem marito imperandi ex 1. ad Timoth. cap. 2. γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός, mulieri non permitto auctoritatem sibi vindicare in virũ: quod Hebręi dicunt בעל *maschal*, vt est cernere Iesa. 3. de muliere populo imperatura per malũ omen. Ideoq; reprehendun-

tur

tur Ægyptij ab historicis Geographis, maximeque à Pomp. Mela. lib. 1. cap. 9. quòd finerent fœminas tractare forum & negotia: viros autem curare domos & pensa. Dicitur autem Græcè γυναικοκρατούμενος, vel ἐν γυναικοκρατίᾳ ὤν, *qui est in potestate vxoris*, nec quicquam audet mutire, nisi, quod vxori fuerit cordi: quo modo loquitur Aristot. lib. 2. πολιτικ. η. ἄλλως τε καὶ συγχώσει γυναικοκρατούμενοι: *Præsertim si viri sub imperiũ & potestatem mulierum subiuncti sint.* Quales Plutarch. in vita M. Caton. scribit: Romanos fuisse ipsius ætate, περὶ δὲ τῆς γυναικοκρατίας διαλεγόμενος πάντες (εἶπεν) ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχομεν· ἡμεῖς δὲ, πάντων ἀνθρώπων· ἡμῶν δὲ, αἱ γυναῖκες. *Cato disserens, de mulieribus omnes, inquit, homines mulierib. imperant, nos omnibus mortalibus, nobis mulieres.* Quales etiam Titus Liuius lib. 34. de lege Oppia. Mercurius talem Æneæ indulgentiam in Didonem reprehendit lib. 4. Æneid.

— *Pulcramq; vxorius vrbem Exstruis*, vbi Seruius hunc locum citat. In prima autem syllaba (Ui) necesse est transferri ad superioris versus pedem postremum *bant'u.*

Audiet.] Fluxit hoc verbum è Græco ἀυδᾶν, quod Eustathius ιλιαδ. Α. interpretatur τὸ ἀνθρωπίνως λαλεῖν, ὡς ἀυδὴ, οὐκ ἁπλῶς ἡ τυχοῦσα φωνὴ, ἀλλ' ἡ ἀνθρωπίνη. γίνεται δὲ παρὰ τὸ ἀύω, τὸ φωνῶ καὶ δέω, τὸ δεσμῶ. ἀυδὴ ἡ συνδεδεμένη καὶ ἐναρμόνιος, οἱ ἔνεναδρος φωνῆ, id est, *sic loqui, vt vox hominem sonet, sicut* ἀυδὴ *non est solum vox vulgaris, sed humana, vt Philopappus Hyralthopitaliorum de pronuntiatione Linguæ* Græcæ pag. 22. Iam docuit ex ipsomet interprete: verbum autem τὸ ἀυδᾶν ἀπὸ τοῦ ἄυω, quod est loquor & δέω, vincio, vt ἀυδὴ, *sit vox colligata & concinna, & velut articulata*, quæ est, vt alius quilibet sonus, subiectum, vel, vt alij loquuntur, obiectum ipsius auditus; cuius proprium esse dicitur, vt audiatur.

Ellipsis est hîc coniunctionis colligentis, *quare iuuentus audiet:* quæ rara dicitur, ὅτι μὲν πόλεμος λέγεται κυροφθόρος, ὡς εἰρήνη κυροτρόφος, *quia bellum est internecio iuuentutis, vt pax eiusdem conseruatrix.* Quale bellum fuit inter Pompeium & Cæsarem: Augustum & Brutum: Cassium, Antonium, vt prætermittam bella contra exteros perpetua.

Quò graues Persæ.] Quos ita puto appellatos vel propter genus armaturæ grauis, vel propter cæsum Crassi exercitum: sed malo intelligere περὶ τῶν ἱππέων καὶ πεφραγμένων ὅπλοις, *de equitibus & equis vndiq; ferro munitis.* Persæ autem cognominantur à Perse Iouis & Andromedæ filio è 7. historiarum lib. Herodoti: è Stephano tamen de Vrbibus à Perse Medeæ filio: præterea lib. 6. Plinij, *Persarum regna, quæ nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria Persicum & Hyrcanum Caucasiis attolluntur iugis.* Idem Strabo affirmat lib. 11. quum scribit, Persas inferiores esse Parthis, ideoque regi horum adhærere innixos. Quin potiùs ex historia Orosij nomine Parthiæ intelligi Assyriam, Persida, Mediam & Arachosiam.

Quem vocet Diuûm.] Non ab re fuerit hîc annotare discrimen τῶν Diuus & Deus, Diua & Dea, Seruius in hûc vers. lib. 5. Æneid. vers. 45.

Dardanidæ magni genus alto à sanguine Diuûm.

& lib. 12. vers. 139.

Diua Deam, stagnis, quæ fluminibusq; sonoris: scribit Diuûm & Deorum sæpè à Virgilio poni indifferenter, quanquam sit discretio, vt Deos æternos dicamur. Diuos autem ex hominibus factos, quasi qui diem obierint, vnde Diuos & Imperatores dicimus: sed Varro & Attejus contrà sentiunt, dicentes diuos perpetuos: *Deos, qui propter sui consecrationem timentur, vt sunt Dij maiores,* Deus autem vox Latina, & vt idẽ ait, deflectitur ἀπὸ τοῦ δέος à timore, quòd omnis religio sit timor. Vide de Latinis etymis Festũ.

Similis est ellipsis coniunctionis, pro, *quem igitur vocet?* Placent huic Auctori ἀσυνδέτα κῶλα: quo breuitatis genere notatur Sallust. à Phauorino philosopho lib. 3. c. 1. apud Agelliũ, vbi appellatur subtilissimus breuitatis artifex, cùm propter crebras aliarum partium ellipses, tum maximè propter defectus coniunctionum vel potiùs conuinctionum ad exemplum Græcorum, à quibus hæc pars orationis dicitur συνδεσμος. Contrà Sueton. scribit cap. 86. in August. πολυσυνδέτα huic placuisse: *qui coniunctiones sæpius iterare non dubitabat, quæ detractæ afferant aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.*

Imperî ruentis.] Res Romanæ videbantur ciuilibus discordijs ruere in interitum ac perniciem: in quo periculo versata est diutiùs nostra Gallia, atq; adeò versatur hodie heu in tanto, quantum quies publica, bonorumq; consensus minimè requireret.

Fatigent.] Hoc verbo vis importuna & vehemẽs precantis significatur, quod Galli interpretarentur *ennuier quelqun de multitude de prieres, ou par multitude de prieres le poursuiure sans cesse.* vt ex his Lucretij versibus lib. 4. poscentibus à Dijs subolem vi precum & victimarum apparet:

Vt grauidas reddant vxores semine largo,
Ne quicquam Diuûm numen, sorteſq; fatigent.

quod est impiè dictum à Poeta omnia ad rerum secundas causas, nihil ad Deos primos omniũ auctores referente, more Epicuri: pro quo etiam Cicero dicit, *fatigare votis*, atq; hic ipse Epist. 9. lib. 1. *prece cogere.* Idem Cic. *vos etiam atq; etiam imploro & appello sanctissimæ Deæ.* Idem auxilium Dei implorare & fatigare precibus.

Virgines sanctæ.] Seruius in hunc versum Eclogæ 6. *Ah virgo infelix &c.* & subijcit: *nam Phasiphaë tã mater erat Phædræ, Ariadnes & Androgei: virgo*, vt παρθένος; etiam de corrupta potest dici, ac virginem à viridiori ætate scribit, nominari, vt Eustath. Odyss. λ. πάρθενον, ὅτι ἐτέρητι τῇ θηλάσαι ἤρωα θηλάζειν, *quod priuata sit facultate lactandi.* Basilius tamen Magnus lib. περὶ τῆς γραμματικῆς γυμνασίας sic bifariam notat τὸ πάρθενον, ἢ διὰ θέσιν, ἤγουν παρατρέχειν τὴν παιδικὴν ἡλικίαν, ἢ διὰ τὸ θανατοῦν τὸ πῦρ τῶν παθῶν, id est, *quòd prætergressa sit ætatem puerilem; aut quod occupata sit in restinguendis affectuum incendiis.* Hebræi denique virginem innuptam vocant עַלְמָה *Hhalemah* ex eo, quòd sit occulta & ignara rei coniugalis, & à congressu virorum subducta.

Præterea virgines Vestales intactæ & integræ annos triginta manebant, quorum singulæ decades destinatæ erant certis quibusdam muneribus, vt Seneca lib. de vita beata: *Virgines Vestales annis inter officia diuisis, discunt facere sacra & cum didicerunt, docent* qua de re lege Dionysij librum secundum. De modo autem virginis Vestalis capiendæ, & sacris initiandæ lege li b. 1. cap. 12. Agellium. Tribuitur hîc sanctitas Vestalibus ex eo, quòd præcipuè cultui Deastrorum consecratæ essent. Sanctitas lib. 1. de natura Deor. à Cicerone definitur *scientia colendorum Deorum:* primâ tamen Philipp. sumitur inde translatum pro summa & singulari probitate: *quod in iuuentute habemus illustrius exemplum veteru sanctitatis.*

Cui dabit partes.] Sic in epistola ad Piso: partes mandare alicui, & tribuere est munus demandare & potestatem facere delendi malum, quod Romani dederant.

Expiare scelus.] Græcè dicitur τὸ ἁγνίζειν, ἢ ἁγνισμὸν τῶν διὰ τὴν συνδυασμὸν, ἢ τὸ μίασμα καὶ καθαρμὸν καθαίρειν. Hîc autem ratio deligendi sacrificũ ideò habetur quòd ad sacra & ad expiationem non pateret aditus flagitiosis & sceleratis, vt notum est è vita Thesei apud Plutarchum de Hercule, qui sacris Eleusynes mysterijs, nisi

priùs benè purgatus, non potuit initiari: de eodem etiam Hector admonet Hecubam matrem Iliad. 3.

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μῆτερ,
Μή μ' ἀπογυώσῃς, μένε δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι,
Χερσὶ δ' ἀΐπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἄξομαι, οὐδὲ θεμὶς κελαινεφεῖ Κρονίωνι
Αἵματι, καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον ὄρχεσθαι. id est,

Noli proferre mihi vinum mellitum veneranda mater,
Nec me potius enerues, roboris verò & virium obliuiscar:
Manibus illotis Ioui libare ardens vinum
Vereor, neq; vllo modo fas est nubes atras cogenti Saturnio
Sanguine & puluere pollutum vota facere,

Æneas quoq; patrem Æneid. 2. de eodem admonet.

Tu genitor cape sacra manu patriosq; penates.
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero:

Hesiodus denique idem docet sub finem operum & dierum. Μηδέποτ' ἐξ ὕπνου Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γάρ τοίγε κλύουσιν ἀποπτύουσι δὲ τ' ἀρὰς.
Nunquam manè Ioui libet nigrum vinum
Manibus illotis, neq; aliis immortalibus:
Non enim illi exaudiunt, sed respuunt preces.

Iupiter.] Latini sic notant hanc vocem, quasi diceres patrem iuuantem, vt Græci τὸ Ζεὺς ἀπὸ τοῦ ζῆν quòd vitæ credatur auctor, & Aristoteles eò huius etymi assertor appellatur, qui dixerit Δία καὶ Ζῆνα καλεῖσθαι, ὅτι δι' αὐτὸν ζῶμεν quòd per eum viuamus, vt Ode 1. iam prænotatum fuit.

Candentes humeros.] Quidam legunt *candenti* & putant tolerari sine synalœphe litteræ h sequentis. Nubes autem candens definitur à Mario Seruio, quæ semper cum Dijs est, eaque amicti sunt, quum in terras propitij descendunt.

Apollo.] Ratio huius vocis petenda est è Cratylo Platonis, vbi pro quadruplici illius potentia, totuplex, si ita loqui licet, notatio aperitur, ac 1. Satur. Macrob. cap. 17. repetitur, vt aliorum Deastrorum. Item 1. Metamorphoseos. Vnde pastor Virgil. dicit *eris mihi magnus Apollo:* qui hìc pro vate dicitur augur κατὰ μαντικήν: ab eo enim augur dicitur, quod aues gerunt & faciunt inter volatum, aut cantum aut pastum: inde & Seruius in vers. Æneid. 5. *Augurio monstrum, &c.* declinat augurium quasi augerium. Ex hoc etymo facilè cognoscas nihil opus esse Apollini inspectione auium ad vaticinandum.

Erycina.] Venus sic dicta ab Eryca vrbe Siciliæ: & hęc ab Eryce filio Bœoti & Veneris, vt vult Scholiastes Theocriti in ἅδυλα. vel ab eiusdē regionis monte flexo similiter ἔρυξ, κος: vbi templū erat eius cultui dicatum.

Ridens.] Hoc à Græcis ductum est, à quibus Venus dicta est φιλομμηδὴς amans risus: sed ex altera orthographia nascitur etiam aliud etymon: vt quū in Theogonia scribitur, φιλομμηδὴς ἢ φιλομμειδὴς metri gratiâ, quod Heliod. interpretatur ὅτι μηδέπω ἐξεφάνθη, *quòd è genitalibus Saturni in lucem prodierit.*

Iocus.] Ouid. facit Iocum & Cupidinem Veneris filios. 4. Fasto. vt dicetur Ode 19. lib. 1.

Nepotes.] A Græco deflectitur νέπους: quod propriè valet ἄπους *pedibus carens:* deinde translatè sumitur pro eo, qui non est generis pes, seu basis & fundamentum, sed ἐκφύσημα, appendix quædam: aliter ἀπόγονος: reuera tamen Eustath. in vers. Hom. Odyss. λ.

Ἀμφὶ δὲ μιν φῶκαι νέποδες καλῆς ἁλοσύδνης
Ἀθρόαι ἀΐσσουσι πολιῆς ἁλὸς ἐξαναδῦσαι,
Sed circum Protea vituli marini natalis suboles
Pulueri maris, densi dormiunt è cano mari egressi.

Scribit ex opinione quorundam νέποδας φώκας notari παρὰ τὸ νέειν, ὅπερ δηλοῖ νήχεσθαι· ἵνα εἴπῃ φῶκαι νεξίποδες, *à natando cirrhis ac pinnis loco pedum.* at quoniam nepodes phocæ putantur τὰ τῆς θαλάσσης τέκνα, *filij maris,* νέπους τροπικῶς κατά τινα γλῶσσαν καλεῖται ὁ ἀπόγονος, *e quadam dialecto translatum nepos inde vocatur.*

Respicis.] Verbum est commiserationis, vt Epist. Penelopes ad Vlyssem, *Respice Laertem, &c.* & Terent. Act. 1. Scen. 1. Heauton. *Nullum remotis tempus: neq; te respicis,* vt etiam Donatus innuit in Andr. Act. 5. Scen. 6.

Me in tuis secundis rebus respice, id est, misereat te mei, dum felix es. Sunt, ait, qui felicitate elati ne respicere quidem velint amicos: & respicere est retrò aspicere. Respicere igitur is dicitur, qui miseretur afflicti, & hic cognoscere præsentem, à quo subleuatur.

Auctor.] Festus scribit hanc vocem esse communis generis apud antiquos, nullâ tamen exempli appositione, quam postea expleuit fidelis castigator ipsius è 12. Æneid. vbi Iuno de se ira loquitur:

— *Auctor ego audendi:*

quod alijs exemplis tam Græcè, quàm Latinè illustrat: nec minorem certè diligentiam doctissimus Germanus Valens adhibuit, quū in illud Virgilianum scripsit eandem vocem in neutro inueniri 10. Æneid.

Italiam petijt fatis auctoribus.

Et eandem generis communionem habere locūm in verbalibus Græcis & Latinis. Huc accessit ratio orthographiæ & duplicis etymologiæ: qui enim vocem deflectunt ab augeo, eam sic notant, *auctor:* qui verò ab αὐτουργός, id est, opifex, & qui per se facit aliquod opus, deriuant, scribunt, autor: qui præterea ab αὐθέντης, scribunt per aspirationem, author. Seruius in priorem locum 12. Æneid. mauult inclinare τὸ *auctor* ab auctoritate, quàm ab augeo: quàm rectè, docet satis inclinamentum vocis *auctoritas* ab *auctor.* Non desunt denique, qui illam deducant ex illo Pythagoræ dicto, αὐτὸς ἔφα. Ad duos superiores huius vocis & Grammaticæ scrutatores aggregato etiam Francisc. Horomannum, qui doctè diligenterque vim eiusdem vocis obseruauit, & vnde deflexa esset, ostendit in orationem pro A. Cæcinna: *Auctor,* (inquit) *dicitur, à quo quis auctoritatem, id est, jus Dominij in rem quampiam accepit, declinatum vocabulum ab auctionibus, in quib. ei, qui plurimum auget, res addicitur, & ex ea auctione atq; adiectione sua auctoritatem sibi in rem emtam comparat: quam quidem sententiam Grammaticorum testimonio & nota illa Valerij Probi, quâ Veteres vtebantur AVC significāte auctorem tuetur. Huc addit e lib. 55. Dionys. tantam vim huius vocis, quæ est Dionys. ἀνεξάντλητος, esse, vt vno verbo Græcè nequeat reddi.* Vnde mirum videtur, cur nonnulli ex hac Epist. 6. li. 10. ad famil. gradatione: *Talem igitur te esse oportet, qui te Senatui, bonisq; omnibus auctorem, principem, ducem præbeas,* cōstituant incrementum orationis, vt primum minus secūdo, & hoc minus tertio significet. Sed de hoc generis Romani auctore sic Cic. Philip. 4. *Legio Martia mihi videtur diuinitus ab eo Deo traxisse nomen, à quo populum Rom. generatum acceperimus.*

Quem iuuat clamor.] Magna est vis in clamore militum & clangore tubarum ad commouendū ignauos & ad hostes perterrendum: quibus Cato maior vsus Ætolos fudit, vt scribit Plutarchus in ipsius vita.

Satiate ludo longo.] Pro hac syntaxi dicit Terent. in Heauto. Act. 4. Scen. 8. *tu propediem ipsius obsaturabere,* i. satietas filij te citò capiet Menedeme. Vis Martis hic exprimitur more Heliodi, Ἄρης ἀκόρητος τῶν πολεμικῶν. Idem canit, Ἄρην ἄπον πολέμοιο, quem nulla capit belli satietas. Vnde huiusmodi impetu ducuntur trahunturque, dicuntur Ἀρηΐφιλοι, οἱ πολεμικοὶ, καὶ οἱ φιλοῦντες τὸν Ἄρη.

Galeaq; leues.] Quas Hom. Iliad. π. vocat κόρυθες λαμπουσας, *fulgentes tum colore, tum expolitione*, vt leues à λᾶος, quod est tam politum, vt vix posset retineri, ἰῶτα uerso in vau, vt fit ouum ex ὄον. Ita leue remanet sine diphthongo longum tamen. Vt autem galeæ sunt Varoni à galero 3. de lingua Latina, (vbi tamen meliùs Ioseph. Scaliger deflectit γαλέαι ἀπὸ τῆς γαλῆς, à pelle felina, vt κυνέαι, à canina, λυκέαι, à lupina, è quibus galeæ fiebant) sic κόρυς, à κάρη, à capite, quòd ab vtroq; tegatur & defendatur caput.

Acer vultus.] Hæc singularia, acer vultus Mauri peditis & hostem cruentum videntur Seruio significantiora pluralibus, acres vultus Maurorum peditum in hostes cruentos, sicut ille annotauit in vers. Æneid. 6.

Eripui his humeris, medioq; ex hoste recepi, plus est, ait, quàm si ex hostibus dicat: ex hoste enim generaliter dicitur: ex hostibus partem ostendit, vt terram quum dicimus, significamus elementum: terras verò, singulas partes. Dicitur autem vultus à volendo, atque cum in solo homine sit voluntas, vultus quoque in eodem solo, vt Græcum πρόσωπον dicitur: cuius nomine Aristoteles 8. cap. Hist. animal. & c. 1. l. 3. de partib. Animal. complectitur totam faciem, non solum vultum. Idem τὸ πρόσωπον ab actione ipsius nominat, quod solus homo antè prospiciat, & vocem emittat. Ex hoc autē truci, rigido & terribili vultu, Mauri significantur fortes, & ad militiam apti. Sicut Vegetius li. 1. c. 6. de militum delectu habendo præcipit, vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligas. Quibus enim sunt dura corpora, stricti artus, minax vultus, maior animi vigor adest. Inter homines minus aptos ad militiam ponuntur, piscatores, aucupes, dulciarij, omnes deniq; tractantes ad gymnasia pertinentia.

Iuuenem.] Ita Tityrus vocat Augustum iuuenem: sed pro ratione ætatis aut tacitæ querimonię dicitur Epist. ad fam. 28. lib. 10. *Egregius puer Cæsar*, & 7. lib. 11. per correctionem *adolescens, vel puer potius.* Vt Velleij lib. 2. & Taciti l. 13. licet videre, qui scribunt Cæs. Augustum agere ætatis suæ XIX. annum.

Ales.] Cic. lib. 1. de diuinat. alludit ad etymum huius vocis: *Eadem efficit in auibus diuina mens, vt tum huc, tum illuc volent alites:* vnde Poetis dicitur Mercurius πτερόεις, καὶ ἀβυσσόπλαγξ vt Virg. Æneid. 4. vers. 239.

——*Primùm pedibus talaria nectit*
Aurea quæ sublimem alis siue æquor a supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Filius Maiæ.] Maia fuit Atlantis filia è Pleione Nympha, & Mater Mercurij è Ioue, de qua sic Virgilius 1. Æneid. ——*Ex Maia genitum demittit ab alto.*
Videtur tamen hoc dici ab Horatio διὰ τῆς ἀντιπτώσεως, pro, ô fili Maiæ: quam vocem Eustathius putat dici ἀφ' ὃ τὸ μαίεσθαι, *à quærendo* παθητικῶς καὶ ἐνεργητικῶς: quod est ob. tetricis, nutricis & auiæ, pro quibus sumitur hæc vox.

Patiens vocari.] Helleniſmus est & Græca Syntaxis dare verbis transitiuis rectionem absolutorum, vt: seruus patitur vocari Dominus, pro Dominum: sic Aristophanes μανθάνεις, ὃς φησιν εἶναι, *cognoscis, quem dicit esse:* sic quoq; Catull. *Phaselus ille, quem videtis hospites,*
Ait fuisse nauium celerrimus.

Cæsaris vltor.] Spartianus scribit in Ælio Vero: *Cæsarem vel ab elephanto, qui lingua Maurorum cæsa dicitur, in prælio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctiss viri putant dictum: vel quia mortuæ matris ventre cæso natus sit, &c.*

Serus redeas.] Alius est Helleniſmus in, *serus redeas*, cuius similes sunt Ode. 27. lib. 3. Epistolâ ad Quintium, & ad Torquatum, & qualis est ille Homericus Iliad. α. χθιὸς ἔβη, *hesternus iuit*, pro ἐχθὲς ἔβη, *iuit heri.* Ita hìc dicetur ὄψιος ἀπὸ χωρῆς, *serò discedas* vbi sunt antimeriæ, id est, nomina pro aduerbijs: qualis est etiam Epod. 16.

——*Vespertinus circumgemit vrsus*, pro vesperi. Item Georg. 3. *Nec gregibus nocturnus obambulat*, id est, noctu. Seruius in versum, lib. 1. Æneid.

Limosoq; lacu per noctem obscurus in vlua.
Delitui. vt in versu 8. Æneid.
Nec minùs Aeneas se matutinus agebat.

scribit hoc genere loquendi rem temporis transferri ad personam, & honestam esse locutionem. Item Thucydides lib. 8. καὶ ἐπεσπεσόντες τῇ Ἰάσῳ αὐφνίδιοι εἶρξαν· & *Iassum aggressi repentini expugnant* pro repētè, quales quoque antimerias in hoc poeta passim reperias.

Latus.] Hæc vox respōdet Græcæ λαῖτος, quę Hesychio esse ἀκίνδυνος, incolumis, integer & hilarus: quanquam Grammatici Latini deflectāt à latitudine mentis, quæ diffundi videtur, quum efficitur gaudio: Ità Esaiæ cap. 60. vers. 5. dicitur ורחב לבבך *vrachab lecabech. sed dilatabitur cor tuum:* pro quo Paulus ad Corinth. c. 6. v. 11. dicit, ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται· *cor nostrum dilatatum est.* Dolore & periculis impendentibus cor solet arctari, & constringi, vnde Greg. Nazianzenus τὴν λύπην vocat δεσμὸν τῆς καρδίας, dolorem cordis vinculum, quod soluitur læto liberationis nuncio, & cor tam in singula membra tam vitales quam animales spiritus diffundit.

Populo Quirini.] Vide 2. Fastorum, cur dicatur Quirinus, de qua voce iam dictum est prima Ode.

Te iniquum vitiis, &c.] Illorum turpitudine offensum & iratum.

Ocyor.] Hanc vocem eiusq; coniugata mutuati sunt Latini à Græco ὠκὺς, id est, celer.

Ames triumphos.] Post Philippensem pugnam & Siculam egit Romæ duas ouationes: triduo autem post Dalmaticam, Actiaticam & Alexādrinam tres ibidem triumphos, de quibus Seruius in vers. Æneid. *at Cæsar triplici, &c.* ad finem libri: & Sueton, in Augusto. Augustus tres egit Triumphos. nam primo die triumphauit exercitus, qui Antonium vicerat, secūdo qui Dalmatas, tertio ipse cum Alexandrino triūpho ingressus est. Sed discrimen triumphi & orationis, huiusq; notationem discę à Plutarch. in vita Marcelli sub finem & Agellio lib. 5. ca. 6. addam tamen eam, quam adfert Scholiastes Theocriti in εἰδυλ. 17. quum definit, quid propriè significet θρίον, τὸ τῆς συκῆς ἐπὶ φύλλον, ἀφ' ὃ τὸ εἰς τρία διαιρούμενον εἶναι, θρίον καὶ τρίον ἀπ' ἄκρου δὲ τῇ θριαμβῳ ὀνόμασεν· οἱ γὰρ παλαιοὶ πομπὴν ποιοῦντες φύλλα συκῆς ἐφέροντο τῇ πομπῇ καὶ ἔβαινον. *Thrion, inquit, est folium ficus: quod in tria dissectū sit, & scribitur trion & thrion* (Scholiastes tamē Aristopha. sub initium Ranarum ad vers. Ἀλλ' ἀπολέσαιμ' ἄρ &c. post medium comæd. Equitum ad vers. ὃ τοῦτον ἄνερ &c. constanter per θῆτα scribit θρίον: quos certè locos ad vocis huius notionem leges) *vnde triumphus etiam nomen inuenit* (quanquam Isidorus originem à Latino deflectit, vt dicetur Od. 2. l. 4.) *veteres enim in agenda pompa suspendebant folia ficus, & ita instructi incedebant*, qui præibant canentes: qualis descriptio triumphalis Pompę ferè narratur à Plut. in Romulo, qui fuit principium posterorum triumphorum, deuicto Acrone Cæcinēsium rege. Hic triumphandi mos à Dauide ad alias Gentes deductus est, hic enim Romanos longè antecessit. Triūphi eius pompam describit Psal. 68. v. 18. 19. Item c. 4. Epist. ad Ephes. videmus eā fuisse Typum Christi ascendentis in cælos Diabolo & Morte triumphatis per ipsius resurrectionem. Pub. autem Valerius Publicola postea primus fuit Romę Cons. qui de Tuscis deuictis triumphauit & vectus quadrigis in Vrbem ingressus est, vt scribit Plut. in ipsius vita. De definitione huius vocis, dicetur si Deus voluerit, Od. 2. lib. 4.

Potiùs ames.] Id est, malis & magis cupias dici. *Pater atque.*] Suetonius in vita Augusti pop. Roma. consensu Senatus scribit salutasse ipsum, patrem patriæ, & Ouid. lib. 2. Fast. *Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen*

Hoc dedit: hoc dedimus nos tibi nomen eques &c.

Appianus lib. 2. refert Cicer. meruisse primum omniũ hoc cognomen suppressa Catilinę coniuratione Iuuen. Satyr. 8. Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Plin. lib. 7. salue primus omniũ Pater patriæ appellate. sed fausta nomina ponuntur à Sueton. in Caligula ca. 3. quum in funebri pompa Tiberij populus hunc appellabat acclamatione, sidus, pullum, puppũ & alumnum.

Princeps.] Princeps dicitur, quasi primum caput, vt quũ Cicero dicit, *illius ciuitatis facile princeps* expositione Donati in Andr. Act. 4. Scen. 3. v. 5. *facilè hîc plus mali est, quàm illic boni: τὸ facile* aduerbium confirmantis est pro liquidò, certò, manifestò, vt hoc sit obiter dictum.

Medos equitare inultos.] Videtur hoc verbum hîc sumendũ pro eo, quod Græci dicere solẽt ἐπαγάλλεσθαι πολέμῳ καὶ ἀπόπτῃ ἢ καλαβρεῖν τὰς Ῥωμαίους, ἢ εἰς αὐτὰς ἐλάυνειν, & Galli exprimere, *brauer les Romains & leuers oster le pris.* Præterea inultos sumtum παθητικῶς valet, impunitos: quod hîc puto intelligendum de merentib. equo publico: Gallicè *de la cheualerie & degent d' ordonance.* Agell. lib. 18. ca. 5. scribit hoc verbum *equitare* inclinatum è vocabulo equitis, ac dici solitum tam de homine vtente opera equi, quàm de equo sub homine gradiẽte, vt eques de equo lib. 3. Georg. *Equitem docuêre sub armis.*

Insultare solo, & gressus glomerare superbos. Locũ autem 10 Æneid. *Cernis vt insultent Rutuli:* Seruius interpretatur, per cauillationem irrideant, vt hîc equitare. Hos autem duos versus postremos Galli interpretãtur, *ne permets, Cæsar, que les Medois se brauent des Romains soubsta conduicte, que tune t'en reuenges.* verbum Hebraicum הִדְבִּיר Hitcib sic accipitur Psalm. 66. v. 12. cuius interpretatio Latina est, *fecisti mortalem hominem equitare* super capita nostra, id est, in ditionẽ vilissimi cuiusq; nos subegisti.

Explicatio Rhetorica.

GEnus carminis est dicolon, tetrastrophon, cuius tres primi quique versus sunt hendecasyllabi, Sapphici, pentametri, catalectici è choreo, spondeo, dactylo, & duob. choreis, quartus è dactylo & spondęo.

[a] Synecdoche generis in qua est ἐξοχήν pro Ioue summo ad fontem & principium rerum conditarum Ethnico more indicãdum. [b] Metonymia efficientis causę pro iactu fulminis & rubicundo, quo firmissima quæq; diruuntur. [c] Synecdochica est periphrasis Capitolii & sacrarum ædium: erant tamen etiam in priuatis ędibus Sacraria, peculiari Deo consecrata loca, vel sacris rebus custodiendis destinata; vt in Verrem est videre: *erat apud Neium sacrarium, &c.* & apud Suetonium in Augusto. ad verba, *natus est in regione Palatina,* & in Tiberio: *Codicillos è sacrario Augusti protulit.*

[d] Hæc repetitio verbi & concursus literæ caninæ diritatem tempestatis & fragorem cæli exprimit per anadiplosin eiusdem soni in fine præcedentis sententiæ & sequentis principio. [e] Metonymia primùm subiecti pro vrbanis & oppidanis. Hic tropus alijs verbis enunciatur à Festo in versu Ennij:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu,

metonymia, inquit, tropus, quum ab eo, quod continet significatur id, quod continetur: aut contrà ab eo, quod continetur, id quod continet: vt quum dicitur, epota amphora vini. Deinde Synecdoche generis pro ciuibus Romanis quibus gentes opponuntur, vt τὰ ἔθνη τοῖς πολίταις.

[f] Metonymia est rei subiectæ pro casib. & euentis, quæ fuerũt ætate Pyrrhæ. [g] Per metaphorã dicitur à reb. quæ præter naturam accidũt, vt ascensus piscium in montes & arbores, qualis est eluuio Tiberis inusitata & monstrosa. [h] Synecdoche speciei, pro, constitit in arboribus: in pecus verò est Synecdoche generis pro aquatilibus. [i] Synecdoche est partis pro toto maris Hetrusci alueo in capita sua; id est, in flumina & fontium scaturigines refluente, æstuque aquas retrudente sursum in Tiberim. [k] Alia synecdoche, sed generis pro Palatio & regia Numæ Pompilij: quemadmodum Sueton. appellat in Octauio cap. 76. vbi Augustus sic loquitur: *dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ Dyrrachinæ comedi:* vbi Beroaldus Regiam Numæ, Sabellicus domum regis sacrorum interpretatur: in regione vrbis octaua Pontifex maximus vt in loco publico: habitabat, sicut virgines Vestales.

[l] Idem tropus ac præterea metaphora in vxoris à coniugibus pro Tiberi nimium indulgenti & dedito affectibus vxoris Rheæ. [m] Metonymia est materiæ pro armis inde factis. [n] Synecdoche speciei pro quibusque populi Rom. hostibus, in quos imminentia pericula imprecatione transferuntur. in audiet est Anaphora. [o] Altera metonymia, sed adiunctæ ætatis (quia iuuenta est propriè ætatis, vt iuuentus personarum) pro iuuenibus. Eodem tropo vsus est Virgil. initio 8. Æneid. sæuitque Iuuentus Effera; abstractum pro concreto, seu adiunctum pro subiecto per Metonymiam. [p] Ἀπορία est in dubia interrogatione & deliberatione singularis personæ. [q] Συνεκδοχικῶς populus dicitur pro Romanis. [r] Sumtum ab ædificiis ruinam & casum minantib. [s] Συνεκδοχὴ generis pro Vestalibus. [t] Metaphora ab actoribus fabularum.

[u] Synecdoche generis octaua pro sceleste, nefaria, & impia nece Cæsaris. [x] Soluitur superior addubitatio subiectione quatuor Numinum, quæ hîc tot singularibus apostrophis deuocantur per disiunctionem metu futuræ inter eos æmulationis. [y] Vocat συνεκδοχικῶς Martem Romuli parentem. [z] Ironia est, alijs antiphrasis, quum inde longissimè lusus absit: quia è dissentaneo significat rixas ciuiles & diuturnas discordias, quæ sunt res minimè iocosæ & ludicræ, humanis præsertim ingenijs, sed Barbaris solùm: quale fuit illud Antonij Philippicis 8. & 13. qui deliciarum causâ jubebat Corylam & Varium & loris cædi à seruis: quod illi ludus erat, vt crudelissima quæq; deliciæ. Ita Mars obiurgatur à Ioue Ἰλιαδ. ε. ad finem quod semper ipsi lis esset grata & bella & iurgia in ver. αἰεὶ γάρ τοι ἐρ.

[aa] Hoc vocabulum ter initio sententiæ repetitum facit epanaphoram. [bb] Metaphora est ab auibus ad Mercurium indicandum, qui synecdochicῶς nominatur ex genere pro specie. [cc] Metonymia effecti pro efficiente populum Romanum lætum è tristi propter detrimẽta belli ciuilis quod Græcis dicitur ἀφρόσυνον εἶναι καὶ ἀφρονεῖν. In *hic* iterato per Anaphoram mirum est πάθος Horatij diuturnam Cæsaris præsentiam & vitam optantis cum summis ac diuinis honoribus coniunctum: sed talis optatio magis videtur principem onerare, quàm honestare, ex illa Ciceronis exclamatione, Philipp. 8. *O Dij immortales, quàm magnum est personam in Republica tueri principis! quæ non animis solùm debet sed etiam oculis seruire ciuium.* [dd] E specie sicut antea graues Persę, intelligit omnes imperij Romani hostes & maximè Orientales, Parthos, Medos & Persas per Synec. [ee] Metaphora est ab insolentia victorum qui vt Crisantas ille Xenophonteus lib. 4. Pædiæ, putant se peritiâ equitandi ποτηνὲς ἔσεσθαι, *volaticos fore:* vbi tamen exemplar Basileense 1569. è typographia Thomæ Quarini, sic habet, Κῦρος μὲν οὕτως εἶπε. χρυσάντας δὲ σωφρονέων αὐτῷ ὧδ' ἔλεξεν· ἀλλὰ ἐγὼ μὲν οὐφη, οὕτως ἐπιθυμῶ ἱππεύειν μαθεῖν

μαθεῖν, ὡς νομίζω, εὖ ἱππάζεσθαι γένωμαι, ἀνδρώπους πλουσίους ἔσεσθαι, est, Cyrus sic factus est. Chrysantas autem ipsi consentiens / sic est loquutus. Equidem ait, adeo equitandi artem discere cupio, vt existimem me fore volucrem si eques factus fuero.

Ode III. in Virgil. Athenas navigantem.

Theticum.

Virgilio salutem, incolumitatem, & reditum à Dijs precatur: deinde incredibili amici desiderio, metuque naufragij inuentorem artis nauticæ facit reum impietatis.

1 Ie[a] te[b] Diua potens Cypri,
[c] Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumq; regat pater,
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Nauis, quæ tibi[d] creditum
Debes Virgilium: finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
2 Et serues [e] animæ dimidium meæ.
3 Illi [f] robur & æs triplex
Circa [g] pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit[h] præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec[i] tristes Hyadas, nec[k] rabiem Noti,
4 Quo non arbiter[l] Adriæ
Maior, tollere seu ponere vult freta.
[m] Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
[n] Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia?
10 5 Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen [o] impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
6 Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas!
[p] Audax [q] Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus [r] intulit!
7 Post ignem æthereâ[s] domo
Subductum, [t] macies & noua febrium
20 Terris incubuit[u] cohors:
Semotiq; prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor!
8 Nil mortalibus arduum est,
Cælum ipsum petimus stultitiâ: neque
Per nostrum patimur scelus
30 [x] Iracunda Iouem ponere fulmina.

Analysis Dialectica.

1 Didicerat Poeta non solùm ab Hesiodo & sapientibus ὅτι δεινὸν ὄζῳ θανεῖν μετὰ κύμασιν miserum esse mori in fluctibus, καὶ ὅτι πίσυρ γῆ' ἄπιστον δὲ θάλασσα, fidam esse terram: sed mare infidum καὶ μᾶλλον τέτταρες δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεὼς, τοσοῦτον ἔφη, τῷ θανάτῳ τοὺς πλέοντας ἀπέχειν. Anacharsidem vbi intellexisset nauem quatuor digitos esse crassam, dixisse nauigantes tantundem distare à morte. Postremò Biantem ὅτι ὁ πλοτικὸς μήτε ἐν τοῖς τεθνηκόσιν ὢν, μήτε ἐν τοῖς βιῶσι, quòd qui nauticam exercet nec in mortuis, nec in viuis censendus sit. Sed multis etiam experimentis id compertum habebat. Eam ob rem Geiarotes Archyppus:

Εἶπε ταῦθ' ἱέσσιν ὦ φίλα τέκνα μάκελλαν
Καὶ τὸν ἀροτῆρα τῶν στέρξατε μοι βιότων.
Μὴ σφαλερῆς αἰνεῖτε πόνον ναυτιλίης καμάτων
Καὶ βαρὺ ἀπειρῆς ναυτιλίης κράτος
Ὅσσων μητρυιῆς γλυκερωτέρη ἔπλετο μήτηρ,
Τόσσων κλῆρος πολίης γαῖα ποθεινοτέρη.

De his liberos admonebat: O cari liberi ligonem
Et vitam aratro deditam amate.
Ne laborem suspiriis plenam infidi maris laudetis,
Et illum grauem damnificæ nauigationis.
Quantò (enim) mater est dulcior nouercâ,
Tantò est terra optabilior mari cano.

Lib. 1. Epigram. cap. 15. εἰς ναυτιλίαν. Ideò non est mirum, si Deorum opem, quibus est imperium in mare, Poeta imploret amico in tanto vitæ discrimine. Vt autem Horatius optat hîc bonam, faustam, felicem, & fortunatam nauigationem Virgilio: sic Epodis 10. naufragium imprecatur Mæuio.

Itaque è superiori periocha perspicimus Oden legitimè bipartitam esse, vt pars altera precationis, esse videatur altera exsecrationis.

Prior quidem mihi videtur constare comparatione similium, quæ hoc legitimo ordine disponatur & expleatur: ô nauis, quæ tibi creditum debes Virgilium, quemadmodum precor, vt eum reddas incolumen Atticis finibus & oris: sic te Venus, Castor, Pollux, & Æolus ad id præstandum regant, atque à naufragio defendant.

Protasis est simplex secundo loco in litera è categoria relatorum, quorum vi sic enthymematicè concludi potest: Tibi creditus est Virgilius, & incolumitas illius tuæ fidei commissa: eum igitur debes nobis saluum reddere.

Apodosis est loco priori, eaque quadruplex è quatuor causis efficientibus secundæ nauigationis antè memoratis.

2 Ætiologia precationis ex adiuncta singulari ipsius beneuolentia erga Virgilium, τὸν ἐπιβάτην, vectorem.

3 Pars est altera Odes tanquam appendix quædam, composita in primum auctorem nauigij, quem nimiâ animi confidentiâ ductum Poeta exsecratur impotentiâ desiderati amici.

Propertius Eleg. 5. lib. 3.

Natura insidians Pontum substrauit auaris,
Vt tibi succedat vix semel esse potest.
Terra parum fuerat, fatu adiecimus vndas,
Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere Penates,
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?

Apud Epictetum nauis dicitur hospitium vbilibet, nauta verò vitæ mortisque contemtor, & cliens vndæ. Infinita tamen humanæ vitæ commoda homines ex arte nautica sibi compararũt: vnde valdè suspicor sublato Virgilij desiderio Poetam magis ceciniſſe hoc admiratione tantæ rei adductum, quàm detestatione. Totus hic locus ἀποθετικὸς vel potiùs σωπμένως sic disputari & judicari potest: *Quando mare hominibus est peruium contra Dei præscriptum, & ipsius prouidentiam in hominibus tuendu maximè occupatam; frustra est ab eo secretum & sciunctum à terra:* antecedens est verum: est igitur etiam consequens. Argumentum autem huius argumentationis sumitur ex adiuncta diuinæ institutionis contemtione: assumtio præcedit adiunctis & effectis illustrata, quòd primus auctor nauigandi ingenti magnitudine animi & firmitate fuerit: quem Græci μεγαλήτορα solent vocare: quòd omnia maris pericula, Syrtes æstuosas, sequitiem ventorum impauidè subierit: mortem denique neglexerit: quòd rem maximè fragilem durissimæ & sæuissimæ commiserit.

4 Huic assumtioni descriptio Noti interijcitur è patium collatione, quòd nullus sit ventus eo vehemẽtior in mari Adriatico: vel clariùs, quòd tã vehementer sæuiat in nauigantes Adrianum mare, quam qui maximè: deinde ex aduersis, quòd nullus ventus plus valeat, siue ad tempestates sedandas, siue ad easdem concitandas.

5 Propositio quatuor versibus proximè sequentibus continetur.

6 Prosyllogismus est, & approbatio assumtionis ex inductione triplicis eiusdem impietatis per quoddam incrementũ Deo factæ à Prometeo, Dædalo & Hercule, quibus Deus, vt reliquis mortalibus, solam terram reliquerat & destinauerat colendam, satisque voluptatum continentem & ipsis suppeditantem, eosq; quàmdiu in terra futuri essent, prohibuerat ascensu ad superos & aera descensuque ad inferos & ima. Vnde perspicimus nullam hîc esse à proposito digressionem.

7 Furtum Prometei declaratur ex efficiente grauissima, quòd ex eo tanquam è fonte genera morborum & malorum fluxerint omnia.

8 Temeritas hominum explicatur ex eorum factis Deo & naturæ è diametro aduersantibus: nam, vt canit Pind. ὠδ. 1.

Ὁ χάλκεος ἕρκος ἅπαντ' ἀμβατὸς αὐτοῖς.

Aereum cælum nunquam potest ab ipsis ascendi, id est, non possunt ipsi fieri immortales in vita.

Enarratio Grammatica.

SIC te.] Sic retexẽda est Syntaxis verborum: *O nauis, quæ tibi &c. Diua potens regat sic te, &c. vt reddas, &c.* Eustathius τὸ ναῦς notat ἀπὸ τοῦ νάειν, τὸ σωρεύειν, ab aceruã dis seu colligendis illic multis. Vel πεφὸ τὸ νέειν, νήσω, ῥέειν. νήχεσθαι, κολυβᾶν, fluere, natare, & vrinare: vnde νηῦς, vt ναῦς, à priori deflecti videatur. Notatio posterioris flexa videtur ab Hebræa אֳנִי *Honi* à Radice אָנָה *Hanah* id est, natauit. Non mihi probatur ratio Isidori, qui nauem dictam putat, quòd rectorem gnarum & peritũ requirat. Hebræi ab impulsu tam remigum, quam ab impetu ventorum vocant אֳנִיָּה *onijach* Grammatici præterea multum variant de vi huius particulæ, *sic* hîc statuenda: quum alij dicant eam esse adiuuantis, alij precantis, alij per conditionem optantis, alii similiter comparantis, alij denique fidem facientis: quale est illud, *ita me Dij ament*: quod Græci pronunciant, ὥπως ἄν με θεοὶ φιλήσωσιν. Quatum opinionum penultimam sequuti sumus in superioribus Dialecticis, vbi suppleuimus ellipsin notæ quæ solet adhiberi protasibus similium: qualis est ellipsis, & contracta similitudo, atque figura pari optatione pronunciata Eclogâ 9.

Sic tua Cyrneas fugiant exanima taxos:
Sic, cythiso pastæ distentent vbera vaccæ.

Hîc gemina est apodosis, cui vnica protasis, quam ita explemus, satisfacit: quemadmodum tu mihi benè cupis, sic apes tuæ temperent ab arboribus venenatis: & sic vaccæ pascantur puris ac suauibus plantis. Similis est cõtracta comparatio initio 10. Eclogæ ad verba, *Sic tibi cum, &c.* hoc modo perficienda, vt nobis fauebis: sic aquas puras marinas habeas.

Potens Cypri.] Hoc videtur sumtum ex Euripide.

Μόνον σὺ μοὶ λέοι ποινᾶ Κύπρις πότνια.

Græcum tamen per conuenientiam partium, Latinum per rectionem earundem efficitur. Ita Virgilius, *potens tempestatem*, id est, habens imperium in tempestates: Æneid. 3. vers. 528.

Dij maris & terræ, tempestatum q; potentes: sed magis est redditionis Græcæ expressa imitatio, quæ est in Bacchis eiusdem:

Πενθεῦ κρατοῦντ' Θηβαίας χθονὸς, & in Oedip. Tyran. Sophoclis initio: κρατοῦντ' χώρας ἐμῆς. *Pentheu potens terræ Thebanæ, Oedipus potens regionis meæ.* Nomen Cyprigenia tantùm pertinet ad ipsius natale solum. Venus autem credita est Dea & Planeta nauigantibus salutaris, vt constat è verbis Neptuni apud Virg. Æneid. 5.

Fas omne est Cytherea meis considere regnis.

& Propertium.

Dea orta mari mare præstat eunti.

Ideoque & ad sidus & ad numen Deæ potest referri: & dicitur Aphrodites vel Aphrogenea, & Cytherea & Cyprigenia: quorum omnium rationem repete è Theogonia Hesiodi. Quamquam autem Venus dicatur Κυπρογενὴς, quòd in Cypro genita sit, probabilior tamen est Theologorum sententia, qui opinionem Historici *Iustini* lib. 18. sequuti tenent eam illic instituisse professionem meretriciam, vt mulieres ab ea instructę facerent copiam sui omnibus ad littus Cypridium appellentibus: quam vbi puellæ diu confecissent, illas imitatæ dotem inde sibi collegerunt vxoriam. Quamobrem Eustathius & Phornutus Homeri interpretes ad Etymon Cypridis spectantes sic dictam censent, ὅτι κυεῖν πείζουσι, τυτίσι παρέχουσα τοῖς γυναιξὶ τὸ τὲ κυεῖν δυνάμιν, id est, *quod facultatem concipiendi mulieribus subministraret.* Huic non dissimile est, quod Strabo scribit lib. 8. *in fano Veneris Corinthi fuisse plures, quàm 1000. sacrorum famulas meretrices.* Eodem pertinet illud Act. 2. Scen. 2. Adelph. *quæ porro Cyprum, nisi eò ad mercatum veniam, damnum maximum est*, quòd ibi sit celebris mercatus, vnde dixit Ode 1.

Numquam dimoueas, vt trabe Cypriâ.

Ratio tamen primi nominis φυσικῶς intelligenda est, quod generatio fiat è calore & humore: quò spectat Epigramma lib. 1. cap. νζ. vbi sic de se loquitur nauis,

Ἡ ναῦς ἀπ' ἔργων Κύπριδος γεμφθεμένη,
Πρὸς τὸν γενάρχω πόντον ἦλυθον Θεὸς.

Ego nauis ex operibus compacta Cypridis Deæ veni ad mare generis auctor.

Huc accedat, Cyprum Insulam olim Ceraſtin vocatam ab asperitate promontoriorum, quæ scopulis, velut cornibus assurgerent, vt Cyprum dictam Eustathio in Ὀδυσ. θ. διὰ τὸ ἐξ Ἀφροδίτης τὸ κύειν πέφευθαι, ὅ ἐστι ποιεῖσθαι, ἢ περαιοῦσθαι, *quia Venus maturitatem concipiendi, & grauiditatis & partus afferat.*

Fratres.] Castor & Pollux, qui existimantur διὰ τῆς ἐπεξηγήσεως, *per adhibitam explanationem* clara sydera quibus Catullus dedicat phaselum, *seq; dedicat tibi Gemelle Castor & gemelle Castoris.* Alterâ circumlocutione declarantur

rantur ab aliis Poetis Latinis, Theramnæi & Therapnæi à Theramne & Therapne Laconię vico, vbi nati sunt: aliâ etiã Ode 12. huius libri, *pueri Ledæ* è compressu Iouis, quorum Castor est Homero Iliad. γ. domitor equorum, alter est pugil cestuum peritus. Ferunt autem Neptunum his potestatem iuuandi supplices naufragos fecisse: quòd dum viuerent, à barbaris, pyratis, nefariisq; prædonibus mare liberassent: vnde Plutarcho in Numa dicuntur Διόσκουροι ἄνακες, ἀπὸ τῆς περὶ δεινῶν ἀνακόπτεσθαι, à depulsione molestiarum: de quibus sic idem scriptor libello de oraculorum defectu: Οἱ Τυνδαρίδαι τοῖς χειμαζομένοις βοηθοῦσιν, ἐπερχόμενοί τε μαλάττοντες βίᾳ τὸν πόντον, ὠκείας τε ἀνέμων ῥιπὰς ἐκπίπτοντες αὐτοὶ καὶ συγκινδυνεύοντες, ἀλλ' ἀφανῶς ἐπιφαινόμενοι καὶ σῴζοντες. quod sic reddidit Turnebus: *Tyndaridæ tempestate iactatis opem ferunt, aduentu suo statim violentiam ponti præcipitesq; ventorum flatus mulcentes: quum haudquaquam vnà naufragent & periclitentur, sed salutares hospites superueniant:* qui tametsi ambo Διόσκουροι dicuntur à Poetis plerisque, nihilominus tamen à Pindaro Νεμ. εἰδ. α. inducitur Iupiter sic cum Pollvce loquens: ἐοὶ μοὶ ὑός.

Τόν δ' ἔπειτα πόσις πατέρμα
Θνητὸν ματεὶ τᾷ πιλάσας ἔσαχ' ἥρως.

id est, *tu mihi es filius, sed istum, quum vir heros admouisset semen mortale matri tuæ, constituit*, pro genuit. Ex hoc quidem loco intelligimus Ledam è cõpressu Iouis, quem Poetę prætexunt ouo, peperisse Pollucem & Helenam immortales: sed è concubitu Tyndari mariti simili oui figmentò (hic tamen poeta scribit Sat. 1. lib. 2.

Castor gaudet equis: ouo prognatus eodem
Pugnis. i. Pollux, qui olim Polluces, sicut Varro lib. 4. de lingua Latina, non vt hodie Pollux. Plaut. in Bacchid. Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules) edidisse Castorem & Clytęmnestram mortales. Quum autem Pollux vidisset fratrem in prælio contra Athenienses occubuisse, Iouem rogauit, vt communicatâ ipsius immortalitate cum fratre permitteret vtrumque alternatim viuere & mori, ait Virg. Aeneid. 6.

Sic fratrem Pollux alterna morte redemit.

Ideo Pindaro dicitur Πυθ. ια. de vtroque in fine,

ἅτε τὸν Ἰφικλείδαν
διαφέρει Ἰόλαον,
ὑμνητὸν ἐόντα καὶ Κάστορ' βίαν,
σύ τ' ἄναξ Πολυδεύκες, υἱοὶ Θεῶν,
τὸ μὲν παρ' ἅμαρ ἕδραισι Θεράπνας, τὸ δ' οἰκέοντες ἔνδον Ολύμπ. id est,
Quæ (χάρις Διώνυμος, τετέσιν ἐφημία) Iphiclidem Iolaum famæ honestas illustrem facit, & fortem Castorem;
Teq; o Rex Pollux, filij Deorum,
Alternis diebus sedes Therapnes,
Habitantes intra Olympum.

Hunc quidem locum Nicolaus Sudorius in suprema Parlamenti Paris. curia Consil. Regius sic fecit Latinum & metricum,

Hæc vna (fama) *Iphicli progeniem plagas*
Differt per omnes cantibus & modis:
Hæc Castorem commendat orbi
Cæstibus indomitum cruentis:
Fratremq; gyris mobilem equestribus,
Vtrumq; summo cœlicolûm satu
Prognatum, & alternis colentem
Aethera frugiferasq; terras.

Therapne fuit patria Castoris & Pollucis in Laconica. Præterea hic locus est velut periphrasis illius Homerici, Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι· ἄλλοτε δ' αὖτε τεθνᾶσιν, i. *Interdum viuunt interdiu: Interdum rursus occidunt.* Paullò tamen aliter narratur hæc fabula à Scholiaste Iliad. γ. suprà citato, vbi etiam appellatur Pindarus. Sic igitur quod illic pluribus dicitur, paucioribus cõprehendam: Castor & Pollux vocati sunt à suis cognatis Ida & Lynceo filiis Apharei ad cohonestandum ipsorum nuptias cum Phœbe & Ilaeira filiabus Leuciipi quas cupidine incensi Tyndaridę rapuerunt: vnde conflictus exstitit, & Castor interfectus fuit ab Ida: quem postea Iupiter iratus sustulit fulmine caduco, optionemq; dedit Polluci, vtrum mallet solus frui immortalitate, an alternis diebus viuere cum fratre: posterius elegit. Itaq; Castor interdum est apud superos, & Pollux apud inferos: interdum contrà hic apud superos, ille apud inferos. Hoc quidē mihi depromtum videtur ex Odyss. λ. vbi Vlysses narrat, quæ apud inferos vidit:

Καὶ Λήδην εἶδον τὴν Τυνδαρέω παράκοιτιν,
Ἥ ῥ' ὑπὸ Τυνδαρέῳ κρατερόφρονι γείνατο παῖδε,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.
Τὼς ἀμφὼ ζώους κατέχει φυσίζοος αἶα.
Οἱ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
Τεθνᾶσιν· τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἴσα Θεοῖσι.

Et Ledam vidi Tyndari vxorem, quæ ex eo binos sapientes liberos peperit, Castoremq; equorum domitorem & strenuum pugilem Pollucem: hos ambos viuentes alma tellus detinet, qui etiam sub terra hoc honore ornati à Ioue modò viuunt, modò vicissim moriuntur, id est, alternis diebus: quem honorem sortiti sunt æqualem Diis. De his vide Pindarum Ode 11. Pythiorum & Nemeorum Od. 10. De hoc ouo vide prętera 6. Metamorph. ad hunc versum: *Fecit olorinis Ledam recubare sub alis:* item Athenæum lib. 2. Plutarchum lib. 2. Συμπο. Quanquam autem plerique censent duo fuisse oua quorum iam diximus exclusionem; Pausanias tamen in Laconicis, Hyginus, Lucianus, Scholiastes Lycophronis, ac complures alij scriptores vnũ fuisse ouum affirmant, & geminum dici propter binos vitellos: vnde sunt editi fœtus vtriusq; sexus bini, quemadmodum scribit Aristoteles li. 6. Hist. animal. de geminis vitellis, τὰ δίδυμα, ἐξ ὧν δύο ἔχει λεχύθους. Idem scribit Plinius li. 10. cap. 54. *Quædam gallinæ omnia gemina pariunt oua, & geminos interdum excludunt pullos.* Hoc equidem existimo per Epimythium referendum esse ad astrologiam, i. ad naturam vtriusq; sideris, ex quo scimus constitui signum in Zodiaco nomine Geminorum, tantę amplitudinis, vt occasum vnius statim excipiat alterius ortus. Sic Seruius interpretatur hãc vtriusq; mortis vicissitudinem sexto Aeneidos, quę verissima est ratio horum siderum per vices viuentiũ & intereuntium: quorum alterum constat octo stellis, alterum decem: qua de re vide Pliniũ lib. 2. Plutarchus libello περὶ φιλαδελφίας refert hanc fabulam ad fraternã beneuolentiam simulacris Spartę testificatam. Vide locum statim initio libelli.

Helenæ.] Seruius in vers. Aeneid. 8.

Huic mõstro Vulcanus erat pater, &c. videtur subnotare etymum Helenæ. Est quidem Hesychio ἑλένη, λαμπὰς δετὴ, *fax in fasciculum colligata*, ἀπὸ τοῦ ἕλω dicta, à splendore & calore. Cuius rei gratia comparatur à Luciano cum Venere, ἑλένη κατ' ἐδὲν ἐλάττων Ἀφροδίτης, *Helena nulla in re inferior Venere.*

Ventorum pater.] Qui hunc locum interpretantur de Aeolo, nituntur cõsilio & auctoritate principum poetarum Homeri & Virgilij. Ille quidem Odyss. κ. appellat Aeolum τὸν ταμίην ἀνέμων præfectum ventorum, & quasi diceres, promum & condum, quem Ouid. 11. Metamor. ideo sic circumloquitur:

Quod Pater Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos. hic verò Iunonem facit cũ Aeolo sic loquentem primo Aeneid.

Aeole (namq; tibi Diuûm pater atq; hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Videtur tamen Diodorus li.6. cap.3. τὸ μῦθον huius fabulæ hîc enodare & explicare, vt ex obseruatione ignis Aeolus Physicorum præstantissimus in Aeoliis insulis consueuerit hominibus prædicere, qui venti futuri essent: vnde habitus fuit potens ventorum: de quo potes etiã legere lib.3. Plinij. Qui verò ad aliam physicæ rationem spectant, patrem ventorum existimant dici de Neptuno, qui propterea Græcis dicitur ἐνοσίγαιος καὶ μοχλίδης cõcutiens terram & ipsius concussor, ἀπὸ τὸ ἐνῶσαι πλῶ γῆ, *quòd succutiat terram tridente agitationeq; aquarum*: ex quo succussu creditur venti & terræ motus concitari. Aliter tamen sentit Aristot. de origine ventorum & meteororum: vbi docet illos è vaporibus terræ procreari, quos tribuit in duo genera, vnum humidũ, quod in pluuiam vertitur: alterum siccum, vnde venti generantur. Eustathius in hunc versum Iliados primi:

Τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἰεὶ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

His autem ventum secundũ immisit procul abigens Apollo. partem sequitur vnam opinionis Aristoteleæ Homerus, imò verò ipse Philosophus sequitur Homerum: λέγει ἅπαντας· φύσιν δ' ἀνέμου διδάσκει, ὃς ἐξ ἰκμάδος ὕδατος ἀτμιζομένης ὑπὸ ἡλίου γίνεται· διὸ καὶ ἐν ἄλλοις φησὶν, ἀνέμων μὲν ὑγρὸν ἄνεμον· ὑγρότης γὰρ ὑλικὸν ἀνέμου ἅπαν. *Sic dicit Homerus: docet autem naturam venti qui è vapore aquarum exhalante vi solis gignitur. Itaq; alio loco dicit Homerus, vis humida ventorum spirantium: humiditas enim suppeditat materiam, ex qua generatur ventus* ex nubibus: vnde erumpit, vt Iliad.β. dicitur

——τοὺς μὲν τ' Εὖρός τε Νότος τε
Ὦρσ' ἐπιβὰς πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων·

Quos quidem fluctus Eurus & Notus excitauit erumpens è nubibus patris Iouis. Ortum venti motibus aquarum quidam tribuunt. His positis, idem Philosophus li. de mundo definit ita ventum: ἄνεμος ἐστὶν ὅταν πολὺ ἀὴρ πολὺς ῥέῃ καὶ ἀθρόος, ὅτιπερ ἄημα καὶ πνεῦμα λέγεται. Λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα ἢ ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία· i. *ventus nihil est aliud nisi multus aer confertim fluens, qui etiã spiritus dicitur. Aliter etiam spiritus dicitur essentia in plantis & animantibus omnes peruadens corporis partes animando & procreando.* de origine, natura & numero ventorum vide Senec. natural. quæstion. Ab his omnibus dissentiunt Poetæ, atq; maximè è Græcis Hesiodus, qui in Theogonia quatuor tantùm ventos, vt Homerus facit, Astræi & Auroræ filios:

Ἀστραίῳ τ' Ἠοῖ ἀνέμους τέκε κυδιανείρη
Ἀργέστην, Ζέφυρόν, Βορέην τ' αἰψηροκέλευθον,
Καὶ Νότον· *Astræo Aurora peperit Ventos valentissimos, Argestem, Zephyrum & Boream celeriter vias suas cõficientem & Notum.* Hæc profectò Philosophorum & Poetarum dissensio valde incertam de prima venti origine philosophiam reddidit: etenim nemo dum Philosophus fuit; qui vnde ventus oriretur, atq; vbi motu tantæ velocitatis sedato, conquiesceret, deprehendere potuerit. Sed nos sacræ literæ hac de re non laborioſiùs disquirenda longè certiores faciunt, Iohann.3.cap. Euangelij: *Ventus, quò vult, spirat, & sonum eius audis, sed nescis, vnde veniat & quò vadat.* Hæc sunt verba *Iesu Christi*, Domini nostri *Nicodemum* docentis regenerationẽ hominis esse ἀκατάληπτον ἐστὶ τῷ μὴ δύασθαι καὶ ἀδυνάτου, cõtrà quàm magister ille Israeliticus putabat: idq; Christus ei demonstrat triplici similium collatione, primâ, vt flatus aerius in quamlibet orbis regionem liberè fertur: sic *Spiritus cælestis ac diuinus*, quem vult, afflat & regenerat, sicut constat è cap.13.v.11. apud Matthæum, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.* alterâ, vt sonum venti audimus, eiusq; flatum sentimus: sic afflatum Sancti *spiritus* reddentis spiritui nostro testimonium, nos esse filios *Dei*, & clamantis in nobis, *Abba, Pater*, sentimus. Tertiâ, quemadmodum ignoramus, vnde ventus oriatur, & quò tendat, vbiq; cõquiescat: sic non possumus percipere modũ inspirationis diuinæ, neq; rationem regenerationis: quod tamen minimè decet nos sic admirari, vt id putemus aut incredibile aut falsum, præsertim quum res naturales, qualis est ventus, ab homine verè ac perfectè comprehendi anima & mente nequeant. Eadẽ similitudinis ratio est cap.11. Ecclesiastę v.5. *Quemadmodũ ignoras, quæ sit via venti, & quæ via ossium in vtero grauidæ: sic ignoras opus ipsius Dei, quâ viâ faciat hæc omnia.* Item Esdræ cap.4. lib.4. ostenditur ἀδιάλειπτον id sciri posse. Vnde restat homines tantùm probabilem illius scientiam habere. Præterea nõnulli ex hoc versu Iliad.λ. ——ὡς ὁπότε Ζέφυρος νέφεα συφελίξῃ
Ἀργέσταο Νότοιο βαθείῃ λαίλαπι πίπτων.

Veluti quum Zephyrus nubes dispulerit, celeris Noti procelloso turbine verberans. existimant Argestem esse epithetum Noti, qui & λευκόνοτος ab humida albedine dicitur, non proprium cuiusquam venti nomẽ, eoq; magis hoc persuasum habent: quòd ab Homero solùm memorantur hi quatuor regionum venti: Notus, Boreas, Eurus, Zephyrus, & maximè Odyss.ε. vbi Neptunus tempestate quatit Vlyssem.

Ὡς εἰπὼν σύναγε νεφέλας ἐτάραξέ τε πόντον
Χερσὶ τέλαιρ' ἀνέλων· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων· σκυτο δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' ἐξ οὐρανόθεν νύξ.
Συνὰ δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαὴς,
Καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Sic loquutus cõtraxit nubes, & pontum turbauit tridenti manibus prehenso omnes variorum ventorum procellas concitauit: nubibus contexit terram simul & mare. Nox è cælo terræ incubuit, vnà Eurusq; Notusq; decidit & Zephyrus grauiter spirãs, Boreasq; serenus ingentem fluctum prouoluens. Reflatus quatuor principum ventorum pulcrè Musæus describit:

Μαψαμένων ἀνέμων, Ζεφύρῳ δ' ἀντέπνεον Εὖροι,
Καὶ Νότοι ἐς Βορέην μεγάλας ἐφέηκαν ἀπειλάς.

Quum venti decertant inter se, Eurus aduersus Zephyrum spirat, & Notus aduersus Boream magnas tactat minas: ideoq; δυσαὴς Homero dicitur, *grauiter spirans.* Hoc imitatus est Virg.1. Aeneid. Quibus quatuor ventis ætas posterа intermedios addidit, vt Plin. scribit lib.2.cap.47. Equidem libẽter illis assentior in descriptione illius venti: quamuis Hesiodus, Aristoteles, Strabo, & Agellius illum ventum esse agnoscant, & horum postremus interpretetur Latinè Caurum, *Gall. Galerne*: eumq; spirare ab occasu æstiuo versus Aquilonem. Vndecunque autem spiret dicitur lib.1. Epigr.cap. εἰς ναῦν ἄγιον,

Ἀργέστης ὅτ' ἔδυσε τεὴς ἔσπερ.

quùm Argestes demersit nauis carinam: sed ex intermediis violentissimi sunt Africus & Caurus, deinde his oppositi Vulturnus & Aquilo, vt primus quarto, & secundus tertio reflare videatur, vt Ptolom. lib.8.cap.8. Quadrip. operis scribit. Plerique deniq; Physici affirmant ventos omnes naturâ calidos & siccos, sed alias imbibere qualitates pro temperatione locorum, quæ solent perflare. Macrob. tamen scribit li.2.ca.5. in somn. Scip. *Auster in origine suagelidus est: sed quia per flammam torridæ Zonæ ad nos commeat, admixtus igni calescit, & qui incipit frigidus, calidus euasit.* vide illic reliqua, ita vt συμβεβηκότως alij fiant modò frigidi, alij modò humidi &c. sic Africus erit humidus calidus, Aquilo siccus frigidus, à plagis calidis & frigidis: sic Caurus frigidus humidus: Vulturnus calidus siccus, à locis sic habitis.

Præter Iapyga.] Ita dicitur Aeolus dedisse Vlyssi Zephyrum secundum, reliquis ventis in vterem inclusis ad vers. δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν in initio Οδυσ.κ. De Iapygia & Iapyge vento lege Seruium in vers. Aeneid.11. *Victor Sargani condebat Iapygis agris.* Et in hemistichiũ lib.8. ad fi-

ad finem: *Vndè & Iapyge ferri:* vbi citatur hic locus & hęc notantur: Vento, qui de Apulia flans ad orientem ducit: sed pro vētos alios obstringere. Homerus dicit ibidem κεῖθεν δεῖν τὰ κέλλια πρὸς ἠῶ τε ἀέλιόν τε. Iapygem autem præcipuè ventum excipit ab obstrictu, qui spiret ab occasu hyberno per Apuliam: (cuius regionis pars etiam Iapygia dicitur) secundus in Atticam nauigantibus: hæc autem pars, vt Iapyges populi nominati sunt ab Iapyge filio Dædali. *Iapyga* Agell. lib. 2. cap. 22. propemodum Caurum existimat, huncq; esse Argesten priùs affirmauerat: quod si ita est, cur Argestes aduersus Aquilonem, & Iapyx aduersus Eurum dicatur flare, quum Eurus & Zephyrus è diametro opponantur, tu videris, Lector.

Finibus reddas.] Sic loquitur Virg. de Dædalo sub initium 6. Aeneid.

Redditus his primùm terris tibi Phœbe sacrauit:

Vbi Seruius citat hunc locum, & explicat, quasi de alieno elemento, id est, de aqua redditus terræ elemento hominum maximè hospitali: citat etiam hunc eundem lib. 2. Aeneidos ad hunc versum 260. *Reddit equus, &c. quasi debitor:* neq; tamen magni ad sensum interierit, cum vtrolibet construas. *finibus Atticis*, cùm verbo ne *debes*, & tunc mutāda erit ratio distinctionis: an cū *reddas.*

Incolumem.] Incolumis dicitur, qui velut ædificium stat innixum suo columine & fundamento, manet integer in suo statu: ideoq; plus significat, quàm *saluus & viuus*: incolumitatis enim nomine status hominis vniuersus comprehenditur: vnde Cicero Epist. 9. li. 4. ἐπεξηγηλικῶς vitam & fortunas ei subiicit: *Tuum est consulere temporibus, & incolumitati & vitæ, & fortunis tuis.*

Animæ dimidium.] Hoc sumtum est è doctrina Pythagoræ & ab Aristotele vsurpatum, qui interrogantibus, quid esset amicus, respondit, μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν ἐνοικοδομημένη; aptè quidem ad exprimendam arctæ beneuolentiæ coniunctionem, summamq; voluntatem, studiorum & sententiarum consensionem inter amicos. Quos postea ideo docebimus dictos ab æqualitate animorū, quæ respondet huic dimidio animæ. Præterea si quem veteres amicum volebant designare verum, & integrū, vt dimidium animæ sic alterū me prędicabant, vt Aristot. 2. Ethic. Μέγα δ' ἐστὶν, ὡς φάμεν, ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ· permagnum quidem est, vt vulgo fertur, amicus alter ego: quod Cic. vsurpauit 9. Epistolar. famil. ad Cęs. Vide quā mihi persuaserim te esse me alterum. Idē plura in Lælio. Sic autem loqui solemus de his quos erga nos optimè animatos, summeq; nobis intimos esse prędicamus. Est præterea in tota hac sentētia *Amicus est alter ego*, Tropus Metaphora, non in voce alterutra, quanquam hæc alter sæpè pro similis & idem vsurpatur: vt in 7. Verr. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem, cum luxuria ac nequitiā, tum etiam imperio putaret, id est, similem Verri. Sic cum laudamus alicuius eloquentiam, affirmamus eum alterum aut Demosthenem, aut Ciceronem, id est, similem Oratoribus illis. Valet ergo, quod Græci dicunt, πρεῖ καὶ φύλαττε, ὃν σὲ χρὴ ἔχειν ἢ ὡς καρδίας φίλῳ, *serua, quem ex animo amo.* Anima est vitæ Seruio, & animus consilij: hic tamen pro illa sumitur. Aeneidos 10.

Vnâ eademq; vtâ sanguisq; animusq; sequuntur.

Commisit, &c.] Hic video quod Donatus annotauit in And. Act. 3. Sce. 3. obseruatum & in Eunu. Act. 5. Scen. 2. *committimus quæcunq; magno periculo, volumus esse seruata ignotis, vt commendamus notis:* addit tamen idem interpres in Adel. Act. 2. Sce. 1. *non committet hodie vnquam, herum vt vapulet*, id est, perficiet: sed propriè hoc de illicitis & puniendis facinoribus dicimus.

Ratem primus.] Epigram. Greç. lib. 1. cap. εἰς ναυπλίαν, sic detestatur auctorem nauigij,

Τόλμα, νεῶν ἀρχήγε· σὺ γὰρ δρόμον ὑγρὸν ἔπεμπες
Καὶ ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρέθισας,
Οἷον ἐπικλήνῳ δόλιον ξύλον, οἷον ὑπῆκας
Ἀνθρώποις θανάτῳ κέρδεϊ ἐλεγχόμενον;
Ἦν ὄντ' μερόπων χρύσεον γένος, εἰ δὲ πρὸς ἕρσε
Τηλόθεν ὡς ἀΐδης πόντ' ἐπέβλεπε. id est,

O audacia, quæ fuisti dux prima nauis: tu enim viam maris monstrasti, & animos hominum cupiditate lucri commouisti. Quales dolos è ligno struxisti? qualem quæstum morte conuincendum immisisti hominibus? esset profecto aureum genus hominum, si tam longè à terra mare spectaretur, quàm Orcus, id est non cerneretur. Ita naurę dicuntur audaces, qui currunt per omne mare Satyrâ 1. lib. 1. De primis autem inuentoribus nauis lege septem primos versus cap. 14. Sapient. Salo. & Plin. li. 7. c. 56. & Diodor. l. 6. Hic Neptunum auctorem, ille Philostephanum, alij Danaum, alij Erythram Regem, alij Troianos & Mysios, alij Lydios affirmant fuisse. Sed lōgæ nauis Iasona vel Paralum: vt Erythreos biremis ex Demosthene: Amoclem Corinthium triremis ex Thucydide: Carthaginienses quadriremis ex Aristotele: Nesichthonem Salaminiū quinqueremis: Aeschylus etiam in Prometheo inducit ipsum Prometheum gloriantem de multis artibus à se inuentis in cōmodum hominum, in quibus ponit naues, quas vocat currus nautarum. Aliquot nauiū appellationes leguntur apud Agellium lib. 10. ca. 25. Nos autem Christiani credimus Deum nauigij architectum (vt vniuersitatis) docuisse patriarchā Noeum illius fabricationē ante memoriā omnium istorum. Ratis autem fuit initio genus nauigij fragilis, compage tantùm trabium compactilium cōnexum: cuius Etymum in 1. Ode explicatum fuit, vnde reperes. Præterea *pelagus* vox Greca est ἀπὸ τοῦ πλεῖσθαι γῆς ὄν, *quòd procul sit a terra*: Latinè altū & æquor. Ouidius sic loquitur, cōmittere ratem vento, & credere pelago. De Africo vento vide Oden 1.

Aquilonibus.] Hic ventus propter celeritatem spirandi deflectitur ab aquila, vel propter colorem aquilum, id est aqueum & subfuscum, subnigrum ab effectu, vel quòd ex alto incumbens mari vndas ipsius nigras faciat premendo, vel quòd tales efficiat homines horrore suo. Ab efficientia quoq; Boreas dicitur Græcè ἀπὸ τοῦ βοᾶν, a prestanda cibi appetentia vt ipsius αἰθρηγενὴς epithetum quòd inducat serenitatem: ideoque Latinè nubifuga. Hunc flare inter septentrionem & exortum solstitialem scribit Seruius in 1. Georg. è lib. 11. Plinij: sed de illius vi lege lib. 6. Metam. ad versum: *Apta mihi vis est*, ad finem lib.

Tristes Hyadas.] Fuerunt Atlanti duodecim filiæ ex opinione Musæi: quarum quinque Hyades dictæ ἀπὸ τοῦ ὕειν, à pluendo. Ideoque tristis valet, pluuiosas. Ob id Virg. ad finem Aeneid. 1. vocat Hyadas pluuias ὑητὰς: quam notationem ignorantes Latini, vt Plin. scribit lib. 18. c. 26. & Agell. lib. 13. cap. 9. & Cic. lib. 2. de natura Deor. Hyades vocarūt suculas, quòd more suum luto gaudere videantur, ὗς enim est sus. Hæ verò Hyades, mutatæ sunt in quinque stellas, & positæ à Ioue in fronte Tauri: ac reliquę septem in tergo eiusdem signi. Pleiades dictæ sunt ἀπὸ τοῦ πλεῖν, à nauigandi tempore indicando: Latinè Vergiliæ à vere, quæ 12. stellæ cum 20. aliis signum Tauri formant. Οἱ δὲ περὶ Πλειάδων καὶ Ὑάδων λόγοι τοιοῦτοι, sed de Pleiadibus & Hyadibus hæc Eustathius verba facit sub finem Ἰλιαδ. σ. vbi forma clypei exprimitur, quorum interpretatio Latina satis tibi sit, ô Lector. *Atlanti Iapeti filio & Aethræ filiæ Oceani fuerunt duodecim filiæ, vnusq; filius Hyas: quem in Lycia venantem serpens necat, cuius immodico luctu quinque e filiabus mortuæ inter astra relatæ sunt, ac de nomine fratris agnominatæ. Idem postea septem aliis accidit, quæ quòd plures essent, quàm septem*

Pleiades dictæ sunt, aut à Pleione matre ipsarum, aut à pluralitate ipsarum conserta & more acinorũ inter se propinquæ, aut à Pleione, i. anno qui completur Pleiadum reuolutione quotannis. Quidam Pleiades, pro Peliades dicunt.

Arbiter.] Pro quo dicet Ode 3. lib. 3. *Neque Auster Dux inquieti turbidus Adriæ.*

Syntaxis est διὰ τῆς ἐν ἰωσμῷ, qui debet reddi Latinè Dominus, rector, & potens, vel concitandi, vel tranquillandi maris: sicut Cicero dicit, *Arbiter iudiciorum:* & Ouid. *arbiter imperij,* & ipsemet Ode 7. lib. 2. *arbiter bibendi,* qui Varroni est Modiperator, & Ciceroni summus in poculo: de quo magisterio dicitur Ode sequenti.

Adriæ.] Adria fuit vrbs sita inter Illyricos & Venetos: de qua lege apud Plutarchum in Camillo: vnde mare Adrianum nomen inuenit, cùm ventis aliis importunum, tum maximè Noto, παρὰ τὸ νοτίδα dicto; quòd æstuosâ humiditate pascatur: vnde Notus vdus 10. Epod. nominatur, νότος ἔφυδρος καὶ ὑγρὸς, καὶ διερός: hoc tamen postremũ dicitur solum de humore superficiali: affertur tamen aliud etymon πρὸς τὸ νεῖν, ὑγρὸν βλάπτειν· ὅτι ὁ μὲν ἄνεμος βλαπτικός ὄντι τῶν καρπῶν καὶ σωμάτων, quòd & fructus & corpora lædat atq; corrumpat, τὰ τε σήπῃ, putrefaciat.

Tollere seu ponere.] Hic *tollere* est commouere, excitare, sicut ponere est sedare, placare, componere, & temperare: illud fluctus attollendo ex imo: hoc flatus remittendo & moros fluctus componendo. Pro his Virgil. vtitur lib. 1. Aeneid.

Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos.

pro sedare & concitare. Supplenda autem est hìc ellipsis disiunctiuæ prioris *seu*, ante verbum tollere, quæ sapit hellenismum: qualis est Odyss. λ. in fine: *ἢ ζώει ὅγ' ἢ τέθνηκε, non tibi stati dicam, viuátne ille, an sit mortuus.*

Freta.] Fretum dicitur communiter de Oceano & Mediterraneo: sed æstus solùm de priori: præterea Grammatici tradunt illam vocem dici ab vndarum feruore per translationẽ, quasi ferta vel ferueta. Ideoq; hic Poeta freta æstuosa, vt alij maritimos æstus, appellat propter propinquitatem littorum, & maris angustias: vnde πορθμὸς Græcè dicitur fretum, & definitur ab Eustathio, ὁ στενὸς πόρος τῆς θαλάσσης. Hesych. ἀμφίγειος θαλάσσα, τὸ πορθμὸν, ἐκατέρωθεν ἔχουσα ἤπειρον διῆκειμένην, *angustus traiectus maris, hoc est, mare vtrinq; habens terram adiacentem.* Deflectitur autem πορθμὸς παρὰ τὸ περάω, à transeundo, quando est neutrum.

Gradum.] Significat aduentum vel genus vel periculum mortis, quæ tribus modis oppetitur, ex opinione philosophorum; vel fato, cui omnia Stoici subiiciunt: vel casu, id est, fortunâ, cui etiam Epicurei referunt accepta omnia: vel generali semine, cui eadem Pythagorei tribuunt. Herodianus lib. 2. de morte Commodi Imper. agnoscit quidem primã mortis caussam, sed addit: aliàs non vna, inquit, eademque cunctis hominibus mortis caussa, sed aliæ aliis, cunctæque tamen ad eundem tendentes vitæ finem.

Siccis oculis.] Pro eo Lucanus dixit sicco lumine: & 2. Aeneid. Virgilius, *temperare à lacrymis:* & 4. eiusdem, *num lacrymas victus dedit?* & Plaut. in Pseud. *siccoculus denique fuit. Oculus* autem ab occulendo Grãmatici tradunt dici: quòd ciliciis tectum lateat: sed Græcè ὄφθαλμος, ὄμμα, ὄψις, ὀπωπὴ, pro eodem παρὰ τὸ ὁπτεύειν δύναμιν, *à facultate videndi nominantur.*

Monstra natantia.] Sic pisces appellat prodigiosæ formæ, quales narrantur in historia Iobi, *Leuiathen & Behemoth.*

Scopulos infames.] Id est nautis pertimescendos, fulguritos & malè ominatos propter naufragia: quibus ἐπεξηγητικῶς subiungit *Acroceraunia.* Seruius in Æneid. 1. interpretatur *scopulos*, eminentia saxa, & bifariam notat, aut à speculando Latinè, aut tegmendo nauium ἀπὸ τοῦ σκεπάζειν Græcè.

Acroceraunia.] Hoc nomine editissimi montes Epiri in Adriam producti notantur: quòd sæpè, vt proceræ quercus fulmine tangantur, sicut Eustathius in hunc versum Dionys. periegès. annotauit, ἄχρι κολώνης ἀρέων' ἠλιβάτων, τὰ κεραύνια κικλήσκουσι, *vsq; ad præruptos montes, quæ vocant Ceraunia,* quòd crebra illuc decidant fulmina: de quibus vide Pompon. Melam & Strabonem lib. 11. vbi describit Albanos, qui habitant inter Iberos & mare Caspium. Efferuntur etiam per Dialysim *alta Ceraunia* eiusdem notionis primo Georgico. vers. 332.

Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
Deiicit.

Hìc Virgilius διαλύτως dicit, quod Horat. σωθέντως, quod schema ἐλέγετο τοῖς παλαιοῖς διάλυσις ἢ μεταπτῶσις, ὡς ἐν πόλει ἄκρη αἰπὺ σωθέντι ὀνόματι τῷ ἀκροπόλει, καὶ λαμπρὰ πέτρα, κενὴ δόξα, &c. *quæ figura dicebatur à veterib. dissolutio & transformatio, vt in arce summa vocibus duabus, prò acropoli, voce vnâ & alba petra, & vana gloria,* pro coniunctis vocibus, si Latinus sermo illas pateretur. Hæc Eustathius in Homerum. Conflatur autem hæc vox ex ἄκρος & κέραυνος summum fulmen. Pindarus Nem. ϛʹ. ϛτροφ. γ. sic describit ἀκροκεραυνία,

—— Θέτις δὲ κρατεῖ
Φθίᾳ· Νεοπτόλεμον δ' Ἀ-
πείρῳ διαπρυσίᾳ,
Βαιόταν, τόθι πρῶνες ἔ-
ξοχοι καλάκεντα,
Δωδώνα θεμὸν ἀρχόμενοι,
πρὸς Ἰόνιον πόρον, id est,
—— *Thetis verò dominatur*
In Phthia: Neoptolemus autem
in lata Epeiro:
ubi cacumina edita posita sunt;
quæ pascunt boues, à Dodona incipientia
usque ad Ionium meatum.

Significant autem οἱ πρῶνες montis eminentias ad vertices, ait Eustathius in lib. Ιλιαδ. μ. ex Pausania, ὅς φησι τὸ πρῶνες γίνεσθαι ἀπὸ τοῦ πρῶσθαι ἀπὸ τοῦ πίρωσθαι, id est, ab adscensu superando,

Oceano.] Oceanum Solinus scribit cap. 36. à celeri collectione nominari, quod Eustathius cõfirmat Ιλιαδ. ξ. τὸ δὲ Ὠκεανὸν λέγεσθαι ἀπὸ τοῦ ὠκέως νάειν, *à celeriter fluendo, vel à celeri collectione aquarum tanquam à νάω, σωρεύω, aceruo & accumulo.* Non est admittenda Isidori altera notatio deflectentis eandem vocem à κυάνεος: multoque minùs interpretatio, *ut cælum purpureo colore nitet, Oceanus, quasi* κυάνεος. Neque enim quum cælum est ἀνέφελον, *nullis obducitur nubibus,* est purpureum, sed cæruleum: Gallicè, *bleu, pers & asuré.* De Oceani descriptione lege Dionys. Perieg. & Plini. lib. 2. cap. 68. Melæ lib. 3.

Si tamen.] Cruquius hæc interpretatur per particulas Græcas εἴ περ, ἤ ἐπειδή περ, *siquidem, quandoquidem vel quia:* quod equidem non improbo, præsertim quum Seruius ita videatur interpretari vers. Aeneid. 1.

Si, tibi signa, pios respectant numina, &c. si, ait, valet siquidem per hunc nostri Poetæ citatum. Idem interpres censet τὸ *si* accipiendum in vers. Georg. 1. *Liber & alma Ceres, &c.* & 5. Aen. *Si concessa peto:* vtrobique explicans, *siquidem,* addensque, nam τὸ *si* modò confirmantis est. Sed alij παρελκόντως accipiunt τὸ *tamen:* nisi malis, *si tandem,* quod mihi placet minùs. Postquã igitur homines impij trãseunt maria, quæ sunt ordinatione diuinâ hominibus vitanda, frustra Deus videtur à terris illa secreuisse: quæ secretio improbatur, si τὸ dissociabili, per, *valde sociabili,* ad rerum procreationẽ explicetur: quod tamẽ doctioribus relinquo accuratiùs examinandum.

Vada.] Vadum est locus aquarum, quâ peruadere licet, vt Cæsar dicit: *Rhodanum vado certis locis transiri posse*, Gallicè, *Passer à gay & à pied*: & sic periculosus est locus nauigantibus: vnde illa Virgilij, *illiditq; vadis*. Item *in vada caca tulit*. Sic Græcè τόπος ἔχων βραχέα, καὶ ἢ βραχυτέχνα dicitur Latinè, *locus & terra habens breuia*, vt vertit Virgil. 1. Æneid. *in breuia & Syrtes vrget*: & decimo: *& breuibus se reddere saltu*: quibus naues quum impactę subsidunt, dehiscunt & illic pereunt. Ita Thucydides: διὰ τὰ βραχέα μὴ πλωτὰ propter vada non est nauigabile.

Gens humana.] Pro quo etiam dicitur gens hominũ, & natio hominum, pro, genus hominum vel humanũ: & illud gens ἀπὸ τοῦ γίγνομαι, quod valet idem, quod familia & natio: sic *ruit* ἀπὸ τοῦ ῥύειν, quod est ἕλκειν, trahere, seu cum impetu ferri & furere cupiditate: quomodo loquitur Cicero lib. 2. ad Attic. Epist. 16. *Quum Sampsiceramus se omnium sermonibus sentiet vapulare, & quum has actiones ἀναγεέπτους videbit, ruere incipiet, id est, furere it a cunde*: sic locus Gallicè redditur: *route sorte d' hommes se precipitent en meschanceté*. Eustathius ἰλιαδ. β. paulò ante catalogum nauium annotat in hunc versum,

Ἠΰτε μυάων ἀδινὰ ῥέθεα πολλά, id est,

Velut muscarum frequentium gentes multæ.

κατὰ χρῆσιν ὧν hîc τὸ ἔθνος dicitur de *muscis*, vt apud Oppianum de *apibus & piscibus*. & apud Homerum ἔθνεα χηνῶν, καὶ γεράνων καὶ κύκνων καὶ μελιττῶν passim leguntur. Sic nos quoq; obseruauimus apud Virgil. 4. Georg. *gens* Græco respondens dici de apibus & apud Columellam. Interpres ille firmat talem vocis abusum notatione ipsius: quòd τὸ ἔθνος sit dictum ἀπὸ τοῦ ἔθους; quæ vox dici non soleat de rationis expertibus. Ille tamen abusus non displicuit Aristoteli lib. 8. cap. 1. Ethic. φύσει τ' ἐνυπάρχειν ἔοικε πρὸς τὸ γεννητικὸν τοῦ γεννήσαντος, καὶ οὐ μόνον ἐν ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ ἐν ὀρνέοις, καὶ ἐν τοῖς πλείστοις τῶν ζώων, καὶ τοῖς ὁμοεθνέσι πρὸς ἄλληλα, καὶ μάλιστα τοῖς ἀνθρώποις. ὅθεν τοὺς φιλανθρώπους ἐπαινοῦμεν· ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐν ταῖς πλάναις, ὡς οἰκεῖον ἅπας ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ καὶ φίλον, id est, *Naturâque inesse (amicitia) videtur iis, qui genuerunt, erga id, quod genitum est: & non solum in hominibus, verùm etiam in auibus, & in plurimis animalibus & iis, quæ sunt eiusdem generis inter se, & maxime hominibus: vnde humanos viros, id est, pronos ad alios consilijs & studijs iuuandos laudamus. videre etiam posset aliquis in erroribus quoque, quàm propinquus & accommodatus sit omnis homo homini.*

Nefas.] Grammatici sic distinguunt fas à jure, quòd illud per Deos liceat, hoc per leges: vtrumque Virgilius geminat 1. Georgico.

—— *Festis quædam exercere diebus*
Fas & iura sinunt.

Nefas autem, quod nullo modo licet per Deos, vt Ethnici loquuntur.

Iapeti.] Hic è Cælo & Terra natus suscepit è Clymene quaternos liberos; Atlantem, Menoetium, Prometeum & Epimetheum, vt scribit Hesiodus in Theogonia: vnde Græcis creditus est vetustissimus omnium hominum: sed Christianis vnus è posteris Adami, & tertius appellatione, sed origine primus, Noei filius qui propterea Iapetidæ quasi Iaphetidę sunt nominati. Ex illis quatuor tertius ignẽ surripuit Soli auxilio Minervæ. De hac fabula potest legi Hesiod. Theog & ipsius Scholiast. vnde discе etymum Iapeti duci ἀπὸ τοῦ ἰέσθαι καὶ πέτεσθαι. quomodo Eustath. in ἰλιαδ. α. ἢ ἐφ' ἁρπυίας σφᾶς λέγεται Ἰαπετὸς ἀπὸ τοῦ ἰέσθαι καὶ πέτεσθαι, *a volucri missione*: quanquam hic initio eiusdem α notet ab ἰάπτειν, τὸ ἄγαν βλάπτειν. Vide etiam Lucian. lib. 1. in Prometheo & Dialog. sequente. Denique οἱ πάνυ γέροντες λέγονται, Ἰαπετοὶ, Κρόνοι, Τιθωνοὶ· *qui sunt admodum senes, dicuntur Iapeti, Saturni, Tithoni.* Iaphethus autem filius Noachi dictus fuit à radice pathah, flexit & blanditiis suasit.

Audax gens.] Seruius initio Æneid. 8. notat hoc epithetum vlurpari solitum à Virgilio, quoties vult ostendere virtutem sine fortuna. quod dicit καλὰ τῷ ἐξηγητῇ, per explanationem. Aeneid. 9. *Audacem ad Turnum*, 1. fortem sine felicitate. Aeneid. 12. *Quod Venus audaci Nymphæ*, eodem sensu. Ideo dicitur Iapetus ab Hesiodo ἀγκυλομήτης, *vafer*, & ab Aeschylo αἰπυμήτης, *homo sublimis consilij, homme de haute & hardie entreprinse*. Præterea hîc *gens* & *genus* valent filium & progeniem, vt Anna Aeneid. 4. nouum hospitem Æneam vocat: *Deûm genus*: & 10. eiusdem,

Vigilásne Deum gens Aeneas?

Hæc audacia pleniùs explicatur lib. 1. Epistola 1.

Impiger extremos curris, &c.

Ignem.] Isidorus ignem putat dici ex eo, *quòd nihil gignet, sed quicquid rapit, absumat.*

Aetheria.] Ellipsis est prępositionis, vt 3. Aeneid. *puppes subductæ littore sicco*, pro, e domo & è littore, vt Cicero loquitur ad Quintum fratrem: *de circulo se subduxit*: vel per casum dandi. Idem 2. Tuscul. *subduc cibum vnum diem Athletæ: louem Olympicum implorabit.* Donatus in Eunucho Act. 4. Sc. 7. *& tum eo clam subduxti te mihi*, explicat, te furtim subtraxisti mihi. Et Plautus in Curcul. *quum dormisset, ei subduxi annulum*, id est, occultè ei detraxi. Huc adde ab *æther* deflecti potiùs aetherius, more Græcorum αἰθέριος, quàm æthereus: quam fabulam repete, vt iam dixi, ex operibus & diebus eiusdem Poetæ, eiusque epimythium intelligendum esse de inuentione astrologiæ. disce à Seruio & à Platone in Philœbo de Inuentione Logicæ.

Macies.] Hæc sumta sunt ex eodem Poeta: qui narrat è furto Promethei, & imprudenti cupiditate fratris Epimetei in accipienda à Pandora pyxide & aperienda omnia malorum genera in genus humanum emanasse: vnde canit,

Πλείη μὲν τὴ γαῖα κακῶν, πλείη δ' ἁλὸς ἐστί.

Plena est terra malorum, plenum etiam mare.

Incubuit.] Σπείρει καὶ τὸ πλῆθος τῆς πυρετῶν ἐφόρμησε τῇ γῇ, καὶ αὐτῇ νοσήματα πολλὰ ἐπέσκηψε: valet hîc inuasit, occupauit: vt lib. 1. Aeneid. *venti incubuêre mari*, id est, per vim irruerunt & violenter inciderunt. Hæc certè necessitas est Græcis μοῖρα ὀλοή. Sic Odyss. γ. descripta,

Ἀλλ' ἤτοι θάνατόν μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύσαντα ἀλωλκέμεν ὀπποτε κῆδε
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι πεπρωμένος θανάτοιο.
At verò mortem communiter omnibus æquam
A dilecto homine neque Dij depellere possunt:
Quam funesta dies fati iam iam vrget acerbi.

Erasmus fecit hos versus Latinos in prouerbio: *ne Dij quidem à morte liberant*: sed postremi apertior est sensus sic: Quandocumque dira necessitas mortis longum somnum afferentis corripuerit.

Cohors.] Cohors dicitur vel à cohortando, vel à coercendo τοὺς ἐπίοντας *irruentes*, vel potiùs παρὰ τὸν χόρτον, fœnum, quòd fortasse iacerent sępiùs in herba sub dio cohortes militares: vnde λόχοι Græcè dicuntur ὅτι κεῖνται οἱ λοχῖται, *quòd qui sunt in insidiis, iacent*: de quibus Polybius mentionem facit nullam, loquens solùm de legione & manipulis. In decem autem illis legionis cohortibus quatuor erant militum genera: velites, hastati, Principes & Triarij, & cuique cohorti terni manipuli: est autem pars legionis: sed non satis constat è varia descriptione legionis quota sit. Nam Hesychius & Suidas circumscribunt τὸν λεγεῶνα, τοῦτ' ἐστὶ τὸ σῖφος ἐκλεκτὸν, *delectum agmen hominum* sex millibus, sexcentis, sexaginta sex: vel tantùm sex millibus: quod posterius sequitur Vegetius, & in legione decem cohortes no-

minat, quem ſuperhac re conſules lib.2.cap.6. & Modeſtum. Varro tamen duodecim millibus quingentis, licet ipſe lib.4.de ling. Latina deflectat τὸ miles, à mille, quòd trium millium primò legio fiebat, ac ſingulæ tribus, Tatienſium, Ramnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant. Aliter Feſtus ex Aelio notat miles quum à mollitia κατ' ἀπόφασιν dictũ putat, eò quòd nihil molle, ſed potiùs aſperum quid gerat. Sed Plutarchus è tribus millibus peditum & trecentis equitibus illam conſtituit. In ſumma ſunt Centuriæ ſexaginta in legione, manipuli triginta, cohortes decẽ, ex Agellio lib.16.cap.4. Græcè autẽ cohors dicitur σπεῖρα è ſinuoſo volumine, ac definitur τάγμα καὶ πλῆθος στρατιωτῶν, *ordinata multitudo militum.* vnde σπεῖρα στρατηγὶς, cohors Prætoriana: quæ conſtabat ex electa militum manu familiarium ducis, qui pugnantes circa eum non annumerabantur legioni nec in haſtatos, vel principes, vel triarios tribuebantur, nec legatum habebant vt legiones, ſed præfectum, ſicut nonnulli arbitrantur. Hic tamen μεταφορικῶς ſumitur, ſæpiùs poſtea κυρίως, vt cohors Gigantum, Vlyſſei, cohortes feſſas abdidit oppidis.

Neceſsitas.] Hæc Poetis creditur Dea & mater Parcarum, ſed Philoſophis Fatum: de quo Cic. in libello de ipſius nomine: ſignificat homines ſua impietate & temeritate lethalibus morbis opportunos eſſe, atque è vita celeriùs exire, quàm priùs. Hæc autem obitus celeritas notatur verbo corripiendi, qualis eſt feſtinatio Aeneæ lib.1.Aeneid.

—*arcumq; manu celere, telaq; ſagittas*
Corripuit.

Et Pamphili in Hecyr. Act.3.Scen.3. *corripui illicò me inde*, id eſt, ait Donatus, raptim ingreſſus ſum: ſimplex quoque rapere, eſt accelerantis verbum. Cicero lib.7.ad familiares Epiſt. 7. *Eſſedum aliquod ſuadeo rapias, & ad nos quàm primùm recurras.*

Dædalus acra.] Expertus vacuum aera quaſi ſedem alienam, vt auium propriam. De Dædalo vide Diodor. lib.5. vbi ὄπιμόδιον talium pennarum adhibetur & Lucian. de Iconibus. Ouid.8.Metamor. de hoc etiam Virgil. initio lib.6.Aeneid.

Dædalus, vt fama eſt, fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis gelidas enauit ad Arctos.

Vbi quoque Seruius citat hunc noſtri Poetæ locum. Et certè huius vocis etymon aptè conuenit ingenio & artificio viri. Grãmatici enim deflectunt ἀπὸ τοῦ δαίειν, τὸ γινώσκειν à cognoſcendo, vnde Δαίδαλος, & literæ δ pleonaſmo Δαίδαλος.

Aera vacuum.] Hoc epitheton non ſatis propriè dici videtur de aere, ſed multò conuenientius de æthere, vt facilè perſpicies ex Εἰδ.α. Ολυμπ.στρόφ.α.

Μηκέθ' ἁλίᾳ σκόπει,
ἄλλο θαλπνότερον
ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον
ἑρήμας δι' αἰθέρος, id eſt,
Ne iam (anime mi) *ſole contempleris*
Aliud ſplendidius aſtrum lucens
Interdiu per vacuum æthera.

Hic præter inſtitutum obſeruari poteſt obiter τὸ αἰθὴρ, fœm. eſſe generis. Scholiaſtes quoque rationes huc affert, cur æther dicatur vacuus & deſertus, ὅτι μὲν ἡ θάλασσα ἔχει τοὺς ἰχθῦς· ἡ δὲ γῆ τὰ τετράποδα καὶ τὰ ἑρπετά. ὁ δὲ ἀὴρ τὰ πτηνά. ὁ μέν τοι αἰθὴρ, πυρώδης ὤν, οὐκ ἔχει, οὔτε πλησιάζει ἀυτῷ ζῷον ἐν τῷ ἀσφαλεῖ. ἢ ὅτι μὴ ἔχει νέφος. οὐ γὰρ σωίζεται εἰς θερμασίαν, ἢ ὅτι μὴ φαίνεται οἰκούμενον. ἢ ὅτι πρὸς ὑμᾶς ἔρημος διὰ τὸ ἠσύχιον καὶ ἔρημον, id eſt, primùm, *quòd mare quidem piſces habeat. Terra quadrupedes & reptilia. aër volucres. at verò æther, quum ſit ignitus, non habeat; neque ad ipſum appropinquet tutò vllum animal: deinde quòd non recipiat nubes. neque enim in caliditatem coaleſcant. Tertiò, quòd non videatur habitari; aut quòd ad nos, deſertus eſſe propter ſummam tranquillitatem & ſolitudinem:* ibidem quiſque poteſt legere alias rationes. Quod Pind. dicit ἐν δ.α.στροφ.α. Ολυμπ. ἑρήμας δι' αἰθέρος, *per vacuum cælum nullum ſole aſtrum lucet ſplendidiùs.*

Perrupit.] Vltimam breuem extendit per cæſuram.

Acheronta.] Acheron eſt Straboni lib. 8. flumen alluens Pylum vrbem Achaiæ. Plin. tamen l.3. eſt aliud eiuſdem nominis flumen Calabriæ, & ſumitur pro fluuio inferorum in Cocytum eructante arenam: cuius Charon eſt cuſtos & portitor. Huius pleniorem habes deſcriptionem à Seruio in verſ.107. 6.Aeneid. & veriverbium à priuatione gaudij: malunt tamen alij dici ὡρὲ τὸ ἄχος ἐντεῦθεν ῥέειν, *quòd inde fluat dolor.*

Herculeus labor.] Hic fuit ex duodecim vndecimus ex cap.2. lib.5. apud Diodorum Herculi imperatus ab Euryſtheo. Ἡρακλέους δὲ πόνους putant fato quodam accidiſſe, ἐπεὶ ἐν τῷ πατρὶ ἐγένηθη, *quòd eſſet quartâ natus lunâ:* vnde poſtea, naſci ſidere & aſtro Herculis, abiit in prouerbium: de quibus vide etiam initium lib.3. Lucretij: *Auſus ſe credere cælo Inſuetum per iter*, de Cerbero ab inferis ad ſuperos educendo, de quo Virgil. Aeneid. 6. & Homerus Iliad.ε.

Nil mortalibus.] Hæc vox Latina *mortalis* nonnihil ad Hebræam vi notionis accedit *henoſch*, quâ ſignificatur perpetua hominis ærumnoſa conditio propter mandatum Dei à primis parentibus violatum: vnde mors in omnem illorum poſteritatem inuaſit: ſic γεννητὸς vſurpatur abſolutè, cui opponitur ἀθάνατος: Muretus affert è lib.5. Oppiani fine ſimilem ſententiam:

Ὡς οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον, ὅ τ' ἐνὶ γαίῃ
Μητιὴ καμεῖν, ὑπὸ κόλπον ἂν' ἁρόεντα θαλάσσης, *Nihil eſt tam difficile, quod homines non contendant efficere arte, ſiue in terra matre, ſiue per ſqualidum maris receſſum.*

Arduum.] Hanc vocem, quæ reſpõdet Græcæ τὰ ἀφόρητα, Agellius lib.4.cap.15. ex loco Salluſtij in hiſtoria Catilinæ rectè declarat: *Arduum Salluſtius non pro difficili tantùm, ſed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant: quod eſt cùm difficile, tum moleſtum quoq; & incommodum & intractabile,* id eſt, manibus non facilè tractatur: cuiuſmodi ſunt ardentia omnia: quæ videntur comprehendi voce Græcâ Oppiani ἀμήχανον, *quod nullâ fabricâ & artificio expugnari poteſt:* qualem Patroclus queritur eſſe Achillem, Ἰλιαδ.π. Σὺ δ' ἀμήχανος ἔπλευ Ἀχιλλεύ, τῷ τέ σε μήτηρ. Euſtathio δυσπειθὴς καὶ ἀπάλωτος ἱκετείαις· τὸ nullis machinis potes ſuperari, ac potiùs tua ira neſcit parere conſilio & precibus expugnari.

Cælum petimus.] Vtrolibet referatur, vel ad Phaetonta, cuius temeritatem & imprudentiã Ouid.2.Metam. & hic Ode 11.lib.4. deſcribit: vel ad Gigantas, quod eſt veriſimilius: de quibus Diodorus lib.1.& Virgilius, *Vt coniuratos cælum reſcindere fratres.* Significatur tanta hominum impietas & temeritas, vt vetita ſemper appetant, & altiora humanis viribus aggrediantur: vnde adigunt Iouem eò iratum, vt illos ſæpè fulminibus perterreat & de cælo tangat. quod Pindarus πυθ.γ. exemplo *Aeſculapij & Chironis* medicorum docuit; quibus quòd tentaſſent mortuos vitæ reddere, exſtinxit animam ſupplicio fulminis: vbi ſalutaris præſcribitur hominibus ſententia, ὅπι χρὴ τὰ ἐοικότα φρονέοντα θνατὸν θαμίζειν, μαστεύειν θνατοῖς φρεσὶ, γνόντας τὸ παρ' ποδός, οἵας ἐμμεν αἴσας, id eſt, *quòd oporteat nos homines quærere ac petere à diis immortalibus conuenientia humanis ingeniis, ſcientes ex eo, quod eſt ante pedes, cuius ſortis & conditionis ſimus.*

Fulmina iracunda.] Id eſt, fulmina irati Iouis. Rectè Grammatici diſtinguunt iracundum ab irato: quòd hic interdum concitatur irâ, aliqua de cauſſa; ad quam tamen

men non est naturâ procliuis: ille verò naturâ est ad iram propensus: etiamsi nullam nunc ipsi concites: sed quum, vt Geta ille Terentianus loquitur Act. 3. Scen. 2. Adelph. *Ita ardeo iracundiâ, nihil est, quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam, vt iram hanc in eos euomam omnem:* quum, inquam, iracundus irritatur & concitatur, dicitur Græcè παροργίζεσθαι, quod notat quandam iræ exsuperantiam: qualem à se Cic. auertit Philip. 8. *nam me tecum iracundè agere dixisti solere. non est ita: vehementer me agere fateor: iracundè nego.* Hæc exsuperantia iræ est Græcis παροργισμὸς & μανία, vt dicetur pòst Ode 6. Quid autem distet ira ab iracundia, Seneca docet comparatè lib. 1. de ira: *Sic*, inquit, *vt ebrius ab ebrioso, timens à timido:* cui assentitur Cicero Tusc. 4. quum scribit inter ebrietatem & ebriositatem interesse. Itaque iratus, ebrius, timens, significant aliquem sic interdum συμπεπτωκότως affici: contrà hæc: iracundus, ebriosus, timidus ad idem πεφυκότως naturâ procliuem esse, etiamsi hic non irascatur.

Per nostrum scelus.] Enallage est præpositionis pro, propter nostram impietatem Iupiter nequit moderari sua flagella.

Explicatio Rhetorica.

1. GEnus metri est dicolon, distrophon, cuius prior versus est Glyconius, è spondeo, choriambo, pyrrichio, vel è spondeo & duobus dactylis: posterior est Asclepiadeus in 1. Ode definitus.

a Quidam agnoscunt hîc apostrophen: quod ad rem absentem, id est, nauem sermo transferatur: sed absentia rei animatæ vel inanimatæ non distinguit, quod cum bona illorum venia dictum sit, hanc figuram à reliquis: nihil enim interest huius formæ, résne adsit, an absit: ad quam fiat sermonis auersio: modò ad aliud, atq; institutum fuerat, oratio auertatur: quam quidem differentiam quum ab hac Ode perspiciamus abesse, nó videtur hîc talis figura, præsertim initiò, statuenda: vbi tamen esset toleranda, vt in prima Catilinaria statim in procœmio: *Quousq; tandem, &c.* si quemadmodũ à patribus, ad quos in Senatu oratio dirigenda erat, orator ad Catilinam sermonem auertit: ita hoc loco auersio sermonis fieret ab aliquo ad nauem. Itaque vt apostrophe hîc retineatur, nos dicemus orationem fuisse conuersam à Nauarcho ad ipsius nauem loquentem, tanquam ad personam. Hoc figmentum videtur sumtum ab Orpheo, qui ita finxit nauem disertam. Sic Cic. pro Mil. iam oratione multum progressâ: ad res mutas & inanimatas sermonem auertit: *Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor.* Hoc quidem videtur pugnare, quadã ex parte cum enarratione Eustathij in hunc versum Ιλιαδ. δ. Οὐδέ σέθεν Μενέλαε θεοί, &c. vbi τὸν μὲν ἀκροατὴν ἀφεὶς, πρέψας δὲ τὸν λόγον πρὸς τὸν τῆς ἱστορίας Μενέλαον, id est, *auditore dimisso & sermone ad Menelaum historiæ (subiectum) conuerso*, hæc tradit de apostrophe, quæ, omissis Græcis, sic interpretor: Apostrophæ fiunt apud Homer. ad personas memorabiles: semel quidem in Οδυσ. ad Eumæum domino (suo) carissimum: sed in Iliade variè ad quoslibet alloquio dignos per sermonis auersionem. Non enim ad primũ quemque censet grauissimus Poeta conuertendum esse sermonem, vt passim (in ipsius poemate) apparebit. Plutarchus in vita Homeri confundit hanc figuram cum tropo, quum scribit speciem esse apostrophes in hac sententia Poetæ:

Nescires, vtrùm Tydides iunctus adesset, pro quilibet nesciret: vbi est synecdoche speciei pro genere. In vtroque hoc loco cum figura potest agnosci hyperbolica allegoria è continuatis metaphoris, vbi rebus inanimis tribuitur actus & anima, qualis est 4. Eclog.

—*nec nautica pinus*
Mutabit merces.— unde Quintilianus lib. 8. tradit miram oriri sublimitatem orationis.

b Hîc allegoria est synecdochica, id est, è continuatis synecdochis, vbi tres ponuntur notiones communes pro rebus propriis ac definitis, Venere, Polluce, Castore, & Aeolo, quò plus grauitatis habeat oratio.

c In repetenda initiò hac particula fit anaphora: neque propter similitudinem in Dialecticis notatam desinit esse hîc exclamatio Poetæ optantis & precantis.

d Allegoria est à mutuantibus vel fœneratoribus.

e Metonymia pro vita inde profecta.

3 f Allegoria est metaphorica tum à durissima quercu, tum ab ære ad ἄλκιμον ἦτορ, magnitudinem animi & audaciam primi nautæ indicandam. Neque mihi placet interpretatio de ære sumto pro pecunia vel lucri cupiditate: vt ab vsurariis translatum videatur, & auaritia sit inuentrix nauigationis, quamuis Manilius dixerit: *nihil audere relictum: Quæstus naufragio quæritur.* Omnes quidem incendimur ad quoduis acre studium, graueque periculum spe vel lucri vel gloriæ: sed nisi ipsi fuerimus φύσει σιδηρόφρονες, animo ferreo, immaniq; audaciâ maximè naturâ communiti, facilè terroribus cedemus, ac mortis metu frangemur. Illud autem *triplex*, valet tantùm ad intendendam animi vim. Teneamus ergo allegoricõs sumenda esse: cuiusmodi est illud Ιλιαδ. β.

—χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη
Aeneum mihi cor erat: & aliàs: σιδήρεος & ἔνδοθι θυμὸς· *ferreus intus animus*: & χάλκεον Ἄρεα, *Martem æreum*: vt *decertantem*, à militia, pro resistentem.

g Metonymia est subiecti pro animo, cuius sedes est in pectore, sententiâ Epicureorum.

h Sumitur per Metonymiam effecti pro efficiente, id est, præcipitante & omnia deiiciente.

i Metonymia effecti pro efficiente *homines tristes tempore pluuioso.*

k Metaphora est à rabidis bestiis pro impetu vehementissimo & citatissimo procellæ.

4 l Synecdoche speciei pro quolibet mari: & in *freta* metonymia subiecti pro aquis marinis & fluctibus, vt Aeneid. 5. *freta spumant*, id est, aquæ maris.

m Aporia est & addubitatio: dissimulata tamen sine subiectione negatè intelligenda: magni enim est animi & excelsi non conturbari, neq; commoueri aspectu tot periculorum marinorum, turbinum, fluctuum, Charybdis, Scyllæ, Syrtium, scopulorum, vadorum, teterrimarumque voraginum: sed imperterritum atq; impauidum permanere & durare.

n In *qui* iterato est anaphora.

5 o Videtur metonymia effecti pro efficiente & impio inuentore nauigij, qui violauit institutionem diuinam: sic tropus tollet ἀκυρολογίαν verbi *transiluit.*

6 p In *audax* est iterata anaphora.

q Synecdoche est speciei: nam è speciali notione Iapeti, qui creditus est olim hominum vetustissimus, vt in Grãmaticis iam dictum est, omnes homines impiè se gerentes intelliguntur.

r Ἐπφωνηματικῶς hoc tristichon pronunciandum in detestationem humanæ temeritatis: est præterea periphrasis Promethei, Græcè Ιαπετιονίδης.

s Altera est metaphora à domiciliis hominum ad orbem solis, vel potiùs ad cælum ipsum notandũ: vnde ignis subductus est furto, *prins en cachete.*

t Metonymia est effecti pro morbo maciei efficiente, qualis est ἑκτικὸς πυρετὸς, hectica febris.

u Vox est sumpta à re militari pro multitudine in fi-

nita, quomodo sumitur, *agmen aquarum immensum.* libro 1. Georgic. vt *τὸ incubuit*, à pullitie quæ fit incubatu auium, quo fouentur oua, & inde tandem excluditur multiplex pullorum fœtura.

x Iracunda fulmina dicuntur per metaphorâ ab animato affectibus prædito ad inanimum illis vacuum.

Ode IV. Ad L. Sextivm Consvlarem.

Theticum.

Sextius duabus inuitatur rebus ad sumendum diem vitæ hilarem, salubri amœnitate veris ac illius breuitate.

1 *Soluitur acris* a *hyems gratâ vice veris & Fauonî.*
b *Trahunq; siccas* c *machinæ carinas:*
Ac neq; iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni.
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Lunâ:
Iunctæq; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede: dũ graues Cyclopum
Vulcanus ardens vrit d *officinas.* (*to,*
2 e *Nunc decet aut viridi nitidũ caput* f *impedire myr-*
Aut g *flore, terræ quem ferunt solutæ.*
Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, siue malit hœdum.
3 h *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas*
Regumq; turres, ô beate Sexti.
4 *Vitæ* i *summa breuis spem nos vetat inchoare lõgam.*
5 *Iam te premet* k *nox fabulæq; manes,*
Et l *domus exilis Plutonia:* 6 *quò simul mecâris,*
Nec regna vini sortiere talis:
7 *Nec tenerum Lycidã mirabere, quo calet* m *iuuentus*
Nunc omnis, & mox virgines n *tepebunt.*

Analysis Dialectica.

1 POeta fuit in ea hæresi, quâ summum hominis bonum in voluptatibus dum fluxa & caduca ipsius vita agitatur, perfruendis ponendum putarit. Itaque Sextium hortatur hac Ode vt se maturè, quia breuitas humanæ vitę non manet cuiusquam negligentiam, lætitiæ ac hilaritati dedat. Huius autem cohortationis princeps ratio est ex efficientibus, paribus tamẽ enuncianda: cuius ea vis est sic breuiter comprehendenda: Quum omnia vere nouo se reficiunt & recreãt, tu idem facito. vel aliquantò clariùs: quãdo passim audis & vides omnia tam animata, quàm inanima sensu percipere, sibi hanc temperati cæli vsuram dari ad delectationem, quâ se non sinunt priuari: tu quoq; hac suauitate auræ animum tuum oblecta, metumque mortis oppetendæ tibi adime, omnemque cunctationem consilij præsentis abiice. Protasis octo versibus amplificatur: quorum primus continet temperatam cæli affectionẽ, vt caussam, cur mercatores accingant sese nauigationi: pecus gestiat è stabulis exire ad pascua; durus agricola solum exercere vomere presso; Venus, Nymphæ, Gratiæ choros ducere, & saltare.

2 Apodosis est in his quatuor versibus illustrata: quę sic enthymematicõs iudicatur: Quum tibi omnia nunciant voluptatem. & hanc sibi arripiunt: quin tu igitur eâdem frueris in floribus nectendis, conuiuiis agitandis, sacris faciendis, & genio lautè curando?

3 Altera, sed multiplex, parium comparatio ad leuandam Sextio opinionem de longitudine vitæ, quòd communis & dubia moriendi necessitas æquali vi reges inuadit, & incautos opprimit, atque priuatos: quòd etiam æquali diuites atque pauperes, quòd firmos atq; debiles, quòd deniq; sapientes atq; insipientes. Quare illi suadet ne fiduciâ diuturnitatis fallacis spernat præsentem voluptatem. De hac moriendi æquali necessitate sic Phocyllides fecit,

Πάντες ἴσον νέκυες· ψυχῶν δὲ Θεὸς βασιλεύει.
Κοινὸς χῶρος ἅπασι πένησι τε καὶ βασιλεῦσιν.

Omnes pariter æqualiterq; moriuntur: sed Deus animos regit. communis locus omnes manet tam pauperes quam reges ex qua efficientia Græcis dicitur Θάνατος ὁμοίως, ὅτι ἢ πᾶσιν ὁμοίως φυσικὸς ὄλεθρος ἢ πᾶσιν ὁμοίως καὶ φύσιν ἐπέρχεται· *vel quòd omnibus ex æquo tanquam onus grauis perferenda sit, vel eosdem æqualiter aggrediatur.* quali ex vi etiã χῆρες ὁμοίως Iliad. Λ. nominatur. De hac quoq; mortis æquabilitate sic Plin. li. 19. cap. 4. *Etiámne herba aliqua diuitiis tantùm nascitur? Nemo sacros Auentinosq; mõtes & iratæ plebis secessus circumspexerit? Mors enim certè æquabit, quos pecunia superauerit.* De vi mortis in exæquandis hominum conditionibus sic Achilles differit cũ Antilocho apud Lucian. in dial. de nomine ipsorũ inscripto, μετὰ νεκρῶν ἢ ὁμιλία, ἢ ὅπερ τὸ καλὸς ὀκεῖνο, ὦ Ἀντίλοχε, ὅτε μὴ ἰσχὺς πάρεστιν, ἀλλὰ κείμεθα ἅπαντες ὑπὸ τῷ αὐτῷ ζόφῳ ὅμοιοι, καὶ κατ' ἀδὲς ἀλλήλων διαφέροντες, i. *inter vitæ muneribus functos par est conditio, neq; illis forma, neq; corporis vires supersunt. ô Antiloche, nos simul omnes in iisdem tenebris pari modo iacemus. nihilo alij ab aliis differentes.*

Similis est collatio in Trinummo, vbi Philto senex ita Lesbonicum adolescentem alloquitur,

Semper tu hoc facito Lesbonice, cogites,
Id optimum esse, tute vti sis optumus.
Si id nequeas, saltem vt optumis sis proximus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, & abs te peto;
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo:
Dei diuites sunt, Deos decet opulentia
Et factiones: verùm nos homunculi,
Salillum animæ, qui quum extemplo amisimus,
Æquè mendicus, atque ille opulentissimus
Censetur censu ad Acheronta mortuus. Paulò autem aliter Isocrates ad Demonicum, τὸ μὲν τελευτῆσαι πάντων ἢ παραιρούμενη κατέκρινε· τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴσον τοῖς εὐδαίμοσι ἡ φύσις ἀπένειμε, i. *fatalis necessitas morte damnauit omnes. sed honestè mori, vt proprium præstantibus viris natura tribuit;* id est, Deus. Tales profectò sententias valde argumentosas sæpè monuimus, atque sæpius etiam monendum putamus, è doctrina Hebræorum profectas. Nam de his primum Rex & Prophera Dauid fecit Psalmos, 49. & 82. præter cæteros: deinde filius ipsius Salomon ita cap. 7. Sapientiæ, suum & ortum & exitum è vita pariter æqualiterque cum ortu & interitu hominum reliquorum comparat: *Natus, ait, ego communem aerem hausi & in eiusdem naturæ terram delapsus, primam aquè, ac omnes vocem flebilem edidi; in fasciis educatus atque cunis. nullus enim rex aliud habuit nascendi primordium. Vnus omnium in vitam introitus, & idem inde nos manet exitus.* vnde facilè perspicias falsum & mendax commentum poetarum, maximeque Pindari Olymp. ιδ. ἰῶτα in fine, qui cecinit,

—ἄ, τε

— ἅ τ' ἀϋσθλὰ Γανυμήδει θάνατον
ἄλαλκε, σὺν Κυθερηΐδι, id est,
— qui (flos ætatis & formæ)
Inuerecundam à Ganymede mortem
Depulit Veneris fauore.

qui raptus est in ordinem Deorum ob præstantiam formæ, & ita factus immortalis, cui tamen repugnat mors Sarpedonis, vnde Iupiter eum non potuit vindicare. Ιλιαδ. π.

4 Locus est ex aduersis ἐνθυμηματικῶς cõclusus. Summa est & certissima humanæ vitæ breuitas, & quod est multo grauiùs, ἡμεῖς ὁπότε ἀρχόμεθα ζῆν, τότε ἀποθνήσκομεν, id est, *quum primum viuere incipimus, tunc morimur.* vnde ὁ ἄνθρωπος καλεῖται ὠκύμορος καὶ παχύπολις. Quod si cui fortè datur diu viuere, quantò id longius prorogabitur, tantò ille propius accedet ad mortem. Idem igitur recordetur subinde illud Platonis in Axiocho, παρεπιδημίαν τινὰ εἶναι βίον, id est, *peregrinationem quandam esse hanc vitam.*

Quod idem sonat, atque τὸ ξύπλος, id est, *senex aridus,* pruriginosus, quasi supereresset ipsi pellis tantùm exsucca, qualis est λεπίς, id est, anguina vernatio & senectus serpentis, eiusdemque pellis squamosa; quam angues exuunt quotannis vere, atq; id dici volunt παρὰ τὸ ξύειν, à radendo & scalpendo. Vox autem *decrepitus* id videtur adsignificare; quòd per hanc senex versari in dubio vitæ existimetur, ait Nonius Marcellus. Nam creperum notat dubium & anceps, vt *bellum creperum,* cuius exitus est anceps & dubius, apud *Lucretium. Donatus* tamen in Adelph. act. 5. scen. 8. ad verba, *atque anum decrepitam ducam?* sic vocem notat in tertia interpretatione eiusdem, *aut decrepitam dixit, cui sæpe moribundæ crepuerit planctu familia,* id est, clamauerit. Indidem oritur τὸ crepusculum pro luce dubia, siue vespero, Græcè ἀμφιλύκη. Eam ob rem Epictetus sapienter admonet senem, cap. 12. per parabolam, ἐὰν δὲ γέρων ᾖς, μηδὲ ἀπαλλαγῆς ποτὲ τῶν πλοίων μακρὰν, μήποτε τὸ κυβερνήτου καλοῦντος ἐν ἴσῃς, id est, *Si verò senex fueris, nunquam te remoueas longius à nauigio, id est, ab instituto vitæ philosophicæ, deficias, quum gubernator* (Deus) *in illud reuocabit te:* quod Seneca hic vlurpat epistol. 26. *Inter decrepitos me memora & extrema tangentes.* Ex his videtur senectus, velut occasus vitæ, atque vox *senex* dici, quasi seminex, Græcè, ἡμιθανὴς. *Gallicè demi mort.* Vox autem Græca Latinæ respondens, γέρων ἐπιμελοῦνται ἓξ τρόποις, id est, notatur sex modis, sed duos nunc tantùm exponam. Prior est παρὰ τὸ εἰς γῆν τὸν γέροντα ὁρᾶν τῇ κεκυφέναι, id est, *ex eo, quòd propter curuationem corporis defixos humi oculos habeat,* πλησίον ὄντα θανάτου καὶ τάφου δεόμενον, id est, *& morti sit proximus, ac sepulcrum requirat;* vnde Latini eum Silicernium vocarunt. Altera huic affinis est παρὰ τὸ τῆς γῆς ἐρᾶν, id est, *quòd terram expetere videatur.* nõ est ergo illius diuturnitas nobis exspectãda.

5 Complexio proximi enthymematis augetur minorum collatione, quod argumenti genus agnoscere malo, vt quæstio de Sextio requirit: quia facit eum cæteris propiorem morti, magisq; capularem. Dixi equidem, ait Poeta, nobis omnibus non esse sperandum vitæ longæ terminum, quamuis parcè ac sobriè actæ, sed tibi ô Sexti præcipuè affirmo eundem minùs esse exspectandum, qui iam videaris γηραιὸς καὶ τῆς αὐαγκαίας ἐγγὺς παρεσκευάσθαι, καὶ γλυκέσι τυμβογέρων, καὶ ὀπτήκης οὐδῷ· *esse senex, ac diei fatali proximus, atque silicernium & in limine senectutis.* Non est quidem huius collationis vlla hîc apposita nota, sed quum dicitur, nullâ spe diuturnitas vitæ præsumenda; id profectò minùs Sextio, quàm cæteris faciendum suadetur tali argumento, præsertim quum videamus continenter subiici, *iam te premet nox,* quod Græci dicunt, ἥκει σοι ἀναγκαία τῆς πλείστης σοι ὥρας· *quum tibi valdè instet finis vitæ:* quam quidem propinquitatem Galenus libr. 5. de sanitate tuenda designat hac voce πέμπλος, & Lycophron σάρ.

6 Sextius iam spe longioris vitæ deiectus inuitatur rursus ad præsentem voluptatem, argumento dissimilium: quòd ille possit in hac vita frui gaudio & lætitiâ, arbiter conuiuiorum & compotationum creari, solus Lycidâ potiri: non sic his omnibus à morte frui licebit.

7 Eódem à diuersis vocatur: non amabis postea Lycidam, sed iuuenes ac puellæ eum summo amore prosequentur. Me quidem hîc & in aliis locis vehementer pudet talis pæderastiæ, quæ ὅπερ παρὰ τοῖς φύσει ἀσκεῖται ab omnibus silentio, ac multò quidem magis à Christianis prætereunda videtur, nec pluribus explicanda: dabis tamen mihi, caste Lector, facilè veniam huius interpretationis & similium: quum intelliges illas huc à me adhibitas fuisse, non studio approbandi, sed vehementer detestandi & improbandi, vt & postea plenius ostendam: interea tamen ausim equidem affirmare, nihil esse tam vitio simile, quàm est hæc inuitatio Poetæ ad prauas voluptates, similis adulatorib. illis, quos ante omnia docet Plutarch. ἐν παντὶ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς sub finẽ, à consuetudine adolescentium remouendos: ζῴου δὲ ἄλλο βδελυρώτερον, οὐδὲ μᾶλλον ἐν βαθρου ὑπηρετικὸν τοῖς νεότησι, ὡς ἡ τῶν κολάκων· *nullum est hominum genus adulatoribus pestilentius: neq; quod citius iuuentutem in perniciem det præcipitem:* vide ibidẽ prauas illorum cõsilia & confer cũ multis locis huius Poetę: tu inde perspicies hunc auctorem cum summa cautione vt complures alios legendum.

Enarratio Grammatica.

1 *Ad L. Sextium.*] Fuit L. Sextius Bruti perstudiosus, & in locum Augusti, vbi hic se cõsulatu abdicârat, anno vrbis 730 subrogatus, vt Dio & Sigonius in fastis scribunt. Muretus tamen annotat eum gessisse cõsulatum cũ Cn. Calpurnio Pisone anno ab V. C. 721.

Soluitur.] Annuâ vicissitudine veris iam appetentis Zephyriq; spirantis & æquali temperie cæli laxantur, quæ rigore frigoris constricta fuerant & gelu obrigueranr. Vis huius venti declaratur Georg. 2. v. 330. & lib. 1. Metam. v. 107. Gratæ autem vices veris sunt propter temperiem calidam & humidam rerum omnium procreatricem: vndę Grammatici putant vtramq; vocem ver ac Venus inuenisse nomen: quòd ab illis omnia proueniant & nascantur: quod quidem etymon Græco τῷ ἔαρ congruit ab ἵημι emitto: quia tum terra edit omnia. Varro tamen paullò aliter notat ver: quòd tum virẽre incipiunt virgulta & tempus anni vertere se, nisi quòd Iones dicunt βῆρ fortasse ἀπὸ τοῦ βλύειν: quod non est dissimile etymo priori.

Fauoni.] Apocope est vel potiùs crasis gemini ij in vnum. Dicitur autem hic ventus Latinè à fauore vt Græcè ζέφυρος, quasi ζωηφόρος ἢ τὸ ζῇν φέρων, quòd eo flante vita quodammodo reddatur terræ. Alij tamen παρὰ τὸ ζέειν à feruore flectunt vtrumq; tam Græcum quàm Latinum. Græcè dicitur etiam ὁ χελιδονίας, ου, à Plinio lib. 2. c. 47. Fauonium quidem ad septimum cal: Martij chelidoniam vocant ab hirundinis visu. Idem à Plin. l. 16. dicitur genitalis spiritus mundi, & à Lucr. genitabilis aura Fauonij, id est, γόνιμος.

Machinæ.] Machinas hîc vocat phalangas & trabes rotundas, quib. naues vel subducuntur ad littus & nauale: vel inde deducuntur deuoluunturq; in mare, σκάλη νεωλκὸς φάλαγγες, φαλάγγια, ὁλκοὶ ἢ ἕρμαῖα μακρά. Iliad. β. Instrumẽta helciarij, phalanges, puluini, lora quib. helciarius (quo nomine Martialis vtitur pro eo, qui in portũ, & hinc in aridã subducit & deducit naues) munus suũ trahen-

trahendi nauigia exsequitur. Mitto translationem vocis machinæ ad dolos significandos, vt Græcæ μηχανῆς, vnde Latina fluxit, ad technas & fraudes. Tempus autem commodum & incommodum nauigationi designatur ab Hesiodo lib. operum & dierum, post ortum & occasum Vergiliarum, id est, ab ineunte vere vsque ad autumnum est cómodum: toto autem interiecto tempore incommodum.

Carinas] Carina est alueus & ima pars nauis, dicta Græcè δρύοχος καὶ τρόπις: illud quidem ἀπὸ τοῦ πάνυ δρυΐνου εἶναι, *quòd e materia quercina constet*: hoc verò à Grammaticis, vt carina Latinè, minimè notatur: nisi quod Isidorus tradit dici à currendo, quasi currina: sed definitur ab Hesychio τὸ κατώτατον τῆς νεώς: quæ etiam est quibusdam στέγη: tropin tamen Martialis lib. 12. vsurpat pro poculo vomitum post balnea excitante: vbi de capratore alienæ cœnæ Menogene loquitur.

Ac neq;.] Hōc Græcè dici potest, καὶ μήτε νοῦν τὸ βόσκυμα χαυεῖν τοῖς ἐπαύλοις.

Gaudet.] Gaudere videtur fluere à χαίειν, Gallicè *s'esgayer*.

Prata, &c.] Vlpianus de verborum significatione docet hanc vocem esse dictam, quòd ad percipiendum ipsius fructum se paret per se, nec ad id illi sit opus aliâ re, nisi solâ falce. Vox autem Græca λειμὼν ab Eustathio definitur τόπος εἰς ὃν ὕδωρ λείβεται, *locus, in quem aqua diffunditur & destillat*, pro quo riguo loco vulgò etiam dicitur βιβάδιον ἢ λείβηθρον.

Pruinis.] Dicitur Isidoro à πῦρ, quasi purina, quòd frigus, vt ignis, vrat. Eidem ros à δρόσος: sed Arist. lib. 2. de mundo distinguit glaciem à pruina, *Quòd glacies sit aqua conferta à serenitate compactilis: pruina verò sit ros concretus, ac veluti ros semiconcretus seu pruina rosida. Ros est gurtula humida labens tenui concretione tempore serenitatis*, Dicta Festo quòd fruges ac virgulta ineunte præsertim vere, perurat liquefacta: sed puto πῶϊ ἔρσῃ esse rorem non ita concretum.

Iam Cytherea.] Hesiod. in Theogonia Venerem scribit sic dictam, ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις, id est, *quòd appulerit Cytheris*. Sunt autem Cythera oppidum, & mons in Creta: de quibus sic Virgil. 10. Aeneid.

Est Paphos, Idaliumq; mihi, sunt alta Cythera.

Paullò tamen aliter Eustath. in Dionys. periegesin vers. 499. Τὰ Κύθηρα, &c. *Cythera Insula est ad Cretam retinens etiam nunc appellationem. Causa autem, cur Venus vocetur ex Hesiodi sententia Cytherea, est: quia Cytheris appropinquauit.* Alij contrà παρὰ τὸ κρύπτειν *ab occultando*: ὅτι κρυπτόμενον ἔχειν ἐν αὐτῇ τὸν πάσης ἐρωτικῆς φιλίας ἐξηρτημένον κεστὸν ἱμάντα, *quòd cestum omnis amoris cingulum dependens habeat in se ipsa occultum*. vnde nomen hic ἀκύδυρον pro eo, quod omnis venustatis & elegantiæ videtur expers, quo vtitur Cic. Epist. 32. lib. 7. *Tanta fax est in vrbe, vt nihil sit tam ἀκύδυρον quod non alicui venustum esse videatur*. i. ciues tam hebeti sunt ingenio, vt invenusta putent venusta.

Imminente lunâ.] Ex hoc attributo temporis quidam intelligunt diurnas & nocturnas choreas arbitris remotis. Quod hîc Venus ducere choros dicitur; illos Dianam exercere canit Virg. li. 1. Aen. v. 503. more Græcorum, ἄγειν χορὸς, & Georg. 4. *agitare choros*. Luna dicitur Ciceroni 2. de nat. Deor. à lucendo, vt Græcè σελήνη quasi σελασίννοια, ὅτι σέλας φέροντες, καὶ ἔννουν ἔχει ἀεί, *quòd lucem & nouam & veterem semper habeat*, discedens à coitu, nouam; ad eundem veniens, veterem. Plinius vocat Lunam, molle & nocturnum sidus, & tenebrarū nocturnarum remedium. Tertullian. solatium noctis.

Gratiæ decentes.] Numerātur tres Charites ab Hesiodo in Theogonia: quē Plutarchus est secutus in libello περὶ τοῦ ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι· *quod maximè decet philosophum cum principibus disputare. Nihil tantum parit gaudij, quantum beneficentia. Sapiens autem ille erat, qui Gratias ita nominauit; Aglaiam, Euphrosynem, Thaliam. Lætitia enim & hilaritas amplior est & purior in beneficium conferente. Quamobrem multi sæpè suffunduntur pudore, quum beneficium accipiunt: semper autem gaudent, quum beneficium præstant.* Illis tamen tribus additur à quibusdam *Peitho*: pro tertia alij Pasithaen reponunt: quas Iupiter ex Euryne suscepit & posteritas etiam Eteocleas vocauit, propterea quòd Eteocles primus omnium sacris illis coluerit: vt Scholiastes Theocriti scribit idyl. in scripto ipsarum nomine χάεσσα ad hunc versum sub finem: Ὦ Ε' τοκλήαι χάεσσες θεαὶ αἱ Μινυείου· Ὀρχόμενον φιλέοισαι. *O Gratiæ deæ Eteocleæ: quæ Minyeum Orchomenum Thessaliæ oppidum amatis.* Ε'τοκλέης συγατέρας ἔφη τὰς Χάεσσας διὰ τὸ Ε'τοκλέα τὸν Κηφισοῦ πρῶτον ἱδρύσασθαι· *Eteocli filias Theocritus appellauit Gratias, propterea quòd Eteocles filius Cephisi primus illis sacra fecit.* de Gratiarū laudib. inter alios lege Pind. ode 14. Ολυμπ. Præterea Sene. 1. de beneficiis 3. ait Charites esse Veneris comites: ex quo loco discas, quare tres sint: addunt alij eiusdem & Bacchi filias fuisse.

Quatiunt] His verbis, *terrā quatere alterno pede, ter eandem pede pellere, libero pede tellurem pulsare* significatur vel forma saltationis, vel eiusdem numerus, vt Virgilius loquitur, *ludere in numerum* qui locus est in Sileno:

Tum verò in numerum Faunosq; ferasq; videres
Ludere: tum rigidas motare cacumina quercus.

Sic Odyss. θ. ad cantum Demodoci, —Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ κῆρος
Προθῦσαι ἴσαντο δαίμονες ὀρχήθμοιο
Πέπληγόν δὲ χορὸν θεῖον ποσὶ. —
Iam puberes saltationis periti iuuenes saltabant,
Et quatiebant pedibus diuinum solum.

Sic Græcè li. 12. ca. μς. εἰς μέθυ dicitur λακτίζειν χορὸν, *calce grauare saltationis locum*. Apertior est saltationis forma lib. 1. Argonaut. Apollo. ad vers. 2. Ἐφιδ', ὡς τ' ἠίθεοι. Φοίβῳ χορὸν, vbi quinq; versus & hemistichion cōsumuntur, quorū est interpretatio: Argonautæ sic ad citharam Orphei aquam maris insaniente remis secabant: vt iuuenes, qui choros agitant Apollini vel Delphis, vel in Ortygia vel ad aquas Ismeni fluuij Boetici, numerosè citatis pedibus quatiunt solum vna serie ad Citharam circū aram, vbi obiter notes, τὸ ῥίπτειν τὸ πέδον πόδα τοῦτον idē sonare atq; στοιβαρόπερον πῶϊ γῶϊ ποσὶ πάσειν, τύπτειν, κρότειν, *vehementius terram ferire pedibus alternis, verberare & pulsare.*

Cyclopum.] Varia est apud scriptores Cyclopum origo: primùm Hesiodus scribit in Theogonia eos cælo & terrâ natos.

Γείναλο δ' αὖ Κύκλωπας ὑπερφίαλον μένος ἔχοντας
Βρόντην τε Στερόπην τε καὶ ἀργικέραυνον Ὄρανον
Οἵ Ζηνὶ βρόντην τ' ἔδοσαν τεύξαί τε κεραυνόν· Ὄντινα.

Genuit autem Cyclopas fortissimum cor habentes & Brontēn & Steropen, & Argen violento animo præditum, Qui Ioui tonitru ministrarent, & fulmina pararent: illa sunt Cyclopū nomina, quorum ratio simul cum descriptione munerū redditur à subministrando Ioui tonitru, quod Brontes sonat: fulmine, quod Steropes: fulgetro celeri, quod Arges σκηπτὸς, raptim emicans & decidens: hoc posteremum aliter nominatur à Marone lib. 8. Aeneid.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesq; Steropesq;, & nudus membra Pyracmon.

Quod vltimū nomen certè tractum ab incude & ighe est: quòd faber ille nunquā ab incude calente discedat fatigatus. Nam ἄκμων concisè dicitur ab ἀστρηλικῶ & κάμνω fessus: quod solet integrè pronunciari ἀκάμων, quia nullis ictibus contundentium grauetur & fatigetur. ab Ouidio etiam 4. Fast. Aemonides vocatur. Alij deinde volūt Cyclopes fuisse Neptuni filios ex Amphitrite, & in Creta primū ferrariā exercuisse: quū tamē Homerus scribat

scribat fulmen Iouis à Vulcano fieri in cælo. Alij denique dicunt illos fuisse populos Siciliæ barbaros atque immanes prædatores: qui postea Leontini dicti sunt, vt Eustathius in Odyss. ι & κ. in quo posteriori lege fabulam Cyclopum, & Plinium lib. 7. cap. 2. & lib. 3. cap. 8. Notatio autem Cyclopis paullò post nomina loco Hesiodi citato subiicitur.

Μουῶ δ' ὀφθαλμὸς μέσῳ ἐπέκειτο μετώπῳ
Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' σφέων
Κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἐὴς ἐνέκειτο μετώπῳ.

Vnus autem oculus in media situs erat fronte: asciuerant inde cognomen sibi, quòd in ipsorum fronte, instar circuli, oculus insideret: vnde conflatur vox Κύκλωπες è duobus κυκλόωπες in vnum contractis. Itaque penultima extenditur & naturâ & crasi: vnde possent etiam μονῶπες vocari: quales in Scythia memorantur fuisse Arimaspi nomine linguæ patriæ, ex *Ari*, vno, & *Maspo*, oculo, de quibus lege varias Mureti lect. lib. 12. cap. 8.

Vulcanus.] Vulcanum discimus è Theogonia Hesiodi filium Iouis & Iunonis fuisse, & Aglaiam Gratiarum natu minimam duxisse vxorem: alij tamen affirmant Vulcanum fuisse Cæli & Vestæ filium, ac Veneris maritum. Verùm illam Theogoniam Iouis, Palladis, Vulcani, Iunonis, Vestæ quidam referunt εἰς τὸ πῦρ μέλεωροσκοπικῶς καὶ φυσικῶς, ad considerationem rerum sublimium & naturalium: nam ex Ouidio intelligunt Vestam nihil aliud esse, nisi meram flammam. Eidem est tellus Vestaque numen idem. vnde vapores crasi excitantur, quos Iuno, id est aer, recipit: receptos Vulcanus paullatim extenuat: extenuatos Iupiter, id est æther, incendit: vnde fulmina & fulgetra existunt. Pallas autem, quæ creditur è cerebro Iouis nata, puriorem & subtiliorem ætheris partem occupat. Vulcanum etymo Latino Seruius in lib. 8. Æneid. dici putat, quasi Volicanum, volitantem per aerem, qualis est ignis è nubibus erumpens, & fulgur inde cadens: ad quod alludit fabula de Vulcano in terras præcipitato à Ioue propter deformitatem. Ratio autem τοῦ Ἥφαιστος est Phurnuto ἀπὸ τοῦ ἅπτειν, ab incendendo ducta: vt etiam Latinè Mulciber, à demulcendo & molliendo ferro. Sed Plato in Cratylo putat τὸν Ἥφαιστον dici à præfectura lucis.

Myrto.] Hæc planta Veneri est sacra, vt apparet ex Eclog. 7. *Formosæ Myrtus Veneri:* & Romæ fuit myrtea Venus. Huic autem sacra, vel quia plurima nascitur in littore maris, è cuius spuma fingitur nata Venus: vel quia muliebribus morbis medetur, vt Seruius etiam annotauit in vers. secundo Georg. *-solido Paphiæ de robore myrtus.* Ex ea, sicut etiam ex aliis floribus ad excitandam voluptatem coronas suadet necti, & conuiuarum capiti imponi, fortassis etiam πρὸς τὸ πίνειν οἰνοφλυγίαν, ad violentiam abigendam. quod Dioscorides tamen fructus eius epoto succo tribuit. Myrtos autem vox est Græca facta, sed lingua communi μυρσίνη, Attica, μυρρίνη dicitur: de qua lege Theophrast. lib. 1. cap. 5. Dioscoridem libr. 1. cap. 156. vbi quoque dicitur ὁ ἐκ τῶν μύρτων χυλός, *succus viridium myrtorum.* Ode tamen 29. huius libri dicetur pulla myrtus, id est, subnigra μέλαινα. Præterea Suidas scribit, ὅτι μυρρίνας ἐστεφανοῦντο οἱ ἄρχοντες. De his quoque Plinius lib. 15. cap. 29. & 25. scribit, quantium quondam, *quin & triumphātium* è myrto coronam, & Romæ ante ædem Quirini myrtum duplicem fuisse, alteram patriciam, alteram plebeiam, mirabiliter Reipub. motus secutas, vt patribus vigentibus, patricia: contrà plebeiis potentioribus, plebeia vigeret: vnde interpres Aristoph. & Suidas appellant μυρρινηφόρους, τοὺς τῆς ἀρχῆς ὀρεγομένους, *imperium affectantes.*

Lucis vmbrosis.] Quos Plutarchus vocat in Numa νάπας σκιερὰς. Varro lib. 5. de lingua Latina scribit lucos à luce dictos, propterea quòd ignis sacrificiorum illic sæpè solitorum, illam arborum opacam densitatem illustraret; amissa enim luce, id est libertate cultus Lucarium festorũ institutus est: quum Romani victi à Gallis & fugientes in prælio ibi se occultarunt, ait Festus. Ideo à Græcis definitur λόχμη σύμφυλ & τόπος ἢ κρύφιος ἢ δασείαν ὕλην ἔχων, ὥστε ἐλλοχᾶσθαι· *locus consitus vel occultus arborum densitate, vt illic in insidiis deliteſcas.*

Fauno.] Faunus dicitur à Dion. Halicarnasseo fuisse rex Aboriginum è Marte & Romæ cultus, vt Pan in Arcadia, tanquam patriæ Deus, & Poetis amicus: alij tamẽ putant Faunos eosdem esse Latinis, atq; Satyros Græcis: sed horum Patrem Picum fuisse ex Mar. 7. Æn. initio: illorum verò Saturnum. De Fauno & Pico lege Plutarch. in Numa. Præterea Aristot. auctor est hæc numina; Nymphas, Satyros, Faunos, Panas, & huiusmodi tantùm mille annos viuere. Faunos autem à fando dictus est Varroni lib. 6. de ling. Latin. & Seruio in Æneid. 7. vers. *Hunc Fauno & Nympha, &c.*

Poscat agnam.] Quidam legunt *agnâ & hœdo*, ac repetunt ex antecedente: Immolari sibi agnâ siue hœdo poscat, neq; id sine auctoribus: primùm Virgil. *Quum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.* Deinde Varrone lib. 5. de lingua Lat. *Flamen Dialis agnâ Ioui facit.* Immolare est Festo molâ, i. farre molito, & sale inspersam hostiam sacrare, quæ tum velut macta, i. magis aucta dicebatur: qual. Cic. 2. de nat. Deor. Pithagoram vti solitum cum in Geometria quiddam noui inuenisset.

Tabernas.] Hoc videtur sumtum ex Ode 7. Neme. Pindari, ἀφνεῦσι πενιχρόν δαπάτε φέρεις σῶμα νέονται, *tam dines: quàm pauper ad tumulum mortis tendunt:* Tabernæ autem sunt tuguria humilesq; casæ ex asserculis constructæ quibus clauduntur & teguntur. De hac voce sic Donatus in Adel. Act. 3. Scen. 3. vers. —*Credo abductum in ganeum aliquò*— Veteres ganeum meretricum tabernam dixerunt ἀπὸ τῆς γῆς, τέτεσι τῆς γῆς, *quòd ipsa sit in terra,* non vt cœnacula superiùs: vnde & taberna quasi trabena metathesi literæ r, à validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt. alij malunt dici à tabulis. Vlpian. de verborum signif. vt notatio sit à materia qua clauditur taberna.

4 *Vitæ summa.*] Sic adulatores illi apud Plutarchum in Dialecticis citatum vitam definiunt: σύγμα χρόνου πᾶς ὁ βίος & ὅτι· *punctum temporis est tota hominis vita:* quod licet verissimum sit, non eo tamen esset abutendum ad violandam cuiusque existimationem.

5 *Fabulæ manes.*] Manes definiuntur animæ corporibus solutæ, quæ nondum sortitæ sunt μετεμψύχωσιν Πυθαγορείκὴν, id est, *migrationem in alia corpora,* ex sententia Pythagoræ. Ideoque sumuntur interdum pro sepulcro, vt Satyr. 5. Persij, quæ bona ex parte est imitatio huius loci:

Indulge genio: carpamus dulcia, nostrum est
Quod viuis: cinis & manes & fabula fies.
Viue memor lethi: fugit hora: hoc quod loquor, inde est.

Interdum etiam pro pœnis inferorum. 6 Æneid. &c.

Quisq; suos patimur manes. Sic Cic. 1. Tuscul. & pro Cluentio, & 4. Catil. vt hîc Poeta, existimat sermonem de pœnis inferorum & manibus fabulam. Itaque hæc locutio valet fabulosos manes, & est antimeria ac potiùs antithesis substantiui pro adiectiuo. Dicuntur autem manes quibusdam, quòd per omnia manent & permeent. Idem affirmat Seruius Aeneid. 5.

Aggeritur tumulo tellus, &c. Manes sunt animæ, quæ egressæ corporibus nondum alia intrant corpora. Sunt autem maximæ & dicuntur per antiphrasin: nam manum bonum; vnde & mane dictum, vt Eumenidas: Parcas, bellum, lucem. Alij manes ducunt à manando:

nam animabus plena sunt loca inter lunarẽ circulum & terram, vnde defluunt. Alij manes Deos infernales putant. De quibus lege Lilium Gregorium Syntagm. 6. Histor. Deorum. Plato quoque in Phædone extremo & 1. de Rep. μύθους περὶ τῶν ἄδου dicit: hic tamen εἰ βεβαίως μὲν, ἀλλ' ἐνδεικτῶς, μὴ ἀληθεῖς ὥσι, *ne fortè sint vera.* Sed non dubito, quin hic Philosophus agnouerit supplicia sceleratis & impiis post mortem constituta esse, quorum facit prænunciam senectutem in lib. posteriùs citato, vbi Cephalus monet eum, qui ad ipsius vitæ statum processit: εἰωθότα μὲν ἀναλογίζεσθαι ἤδη καὶ σκοπεῖν, εἴ τινά τι ἠδίκηκεν· ὁ μὲν ἐν ἀρχαίοις ἑαυτὸν ὢν τῷ βίῳ πολλὰ ἀδικήματα, καὶ ὥσπερ ὕπνων, ὧν τοὺς πολλοὺς, θαυμάζει ἐγειρόμενος, δειμαίνει, καὶ ζῇ μετὰ κακῆς ἐλπίδος· τῷ δὲ, &c. *solitum reputare secum & animo versare, si cui aliquã fecerit iniuriam: quod quum se comperit id sæpiùs in vita admisisse, more puerorum è somno identidem excitatus exterreretur, vitamq; tolerat, mala spe fluitans:* sicut Homerus & omnes Tragici poetæ iudicarunt: quod certè Christianis est prorsus omnino indubitatum: neque ego his assentior, qui dicunt fabulam hic pro, vero sermone sumendum, quamuis à fando inclinetur.

Domus exilis.] Respicit ad manes & vmbras, εἴδωλα & spectra mortuorum, quæ sunt inania, & exilitate sua sensum fugiunt & nullum occupãt locum. Ita Homerus sæpè dicit, δῶμ' Ἄϊδος, ita Virgil. lib. 6. vers. 269.

Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,
Perq; domos Ditis vacuas & inania regna.

Sed interpretatio Iani Douzæ mihi potior videtur, quàm aliorum interpretum, qui talem Plutoniæ exilitatem & angustiam referat ad frequentem mortuorum descensum in Orcum: vnde tartara redduntur angusta, vt canit Papinius: quanquam manes ἀσώματοι, ὡς τὰ νοητὰ, *vt res, quæ mente solùm percipiuntur:* Ideoque Homerus ἐν νεκύᾳ. id est, in postremo Odysseæ lib. vocat ἀμενηνὰ τὰ τῶν ἐν ἄδου εἴδωλα, *vmbras manes & spectra leuia, euanida & imbecilla,* quæ citò deficiunt: sic idem ἀμενηνοὺς ὀνείρους, *leues somnos.* Opponitur autem *exile pleno,* & à tenuitate inarum dicitur, vnde ἀτρεκέως κῶς ilia flectuntur: quæ sunt propriè filamenta chartæ minutâ & fibræ, Græcè ἶνες.

6 *Simul.*] Hæc simplex particula temporis est, familiaris Horatio, Terentio, Lucretio, Virgilio, pro qua utuntur sæpiùs Oratores cõiunctâ, simul atq;, vel simul ac. Cæsar tamen 4. Cõment. *Nostri simul in arido constiterunt, suis omnibus consequutis, in hostes impetum fecerunt.* & Cicero Epist. 18. lib. 6. ad familiares: *Simul accepi à Seleuco tuo literas, statim quæsiui à Balbo per codicillos, quid esset in lege.* & lib. Acad. *simul tibicen inflauit, carmen agnoscitur.* & 3. de finibus: *simul autem cepit intelligentiam.* Hîc igitur simul idem valet, quod simul ac, aut simul atque, id est *quum primum, vt primùm, statim vbi migraueris & sensim perueneris in Plutonis.*

Non sortiere.] Id Græcè, οὐ τάξῃ ἀναγαλίζεται ἀρχποσίας, *non consequeris iactu talorum magisterium conuiuij,* vel non constituêris, nec deligêris arbiter & summus magister bibendi, id est, non licebit frui tali principatu & voluptate. Arbiter autem conuiuij Græcè dicitur μέγιστος συμποσιάρχων, & talia conuiuiorum regna Cicero in dialogo de senectute vocat magisteria, & à maioribus scribit esse instituta: quem locum sic Gaza Græcum fecit: ἐμὲ γὰρ τοῦ συμποσιάρχου διαφαίνοιτο πρὸς τὸ πρόσωπον σωτελαγμένα. Creabatur autem talis magister, rex, arbiter, moderator, vt Varro loquitur, iactu talorum: cuius quidem ludicræ potestatis erat præscribere conuiuis, quantum quisq; potionis, quoque modo temperandum, adhiberet. Mulieres etiam ad hanc regiam dignitatem deligebantur, vt apparet ex illo Plauti in Persa, ad Ancillam,

Do hanc tibi florentem florenti, tu hic era dictatrix nobis.

Deinde Catulli ad puerum τὸν οἰνοχόον,

Minister vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Vt lex postumiæ iubet magistræ.

Huius postumiæ magistræ legis καὶ συμποτικῆς Plinius meminit lib. 14. ca. 12. de vini obseruatione. Sed formam huius regni Plutarchus in apophthegmatis Laconicis initiò clarè exprimit: Ἀγησίλαος ὁ μέγας ἐν δὲ τῷ πότῳ τότε λαχὼν συμποσιάρχης, ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος τοῦ οἰνοχόου, πότον ἑκάστῳ προσφέρῃ· εἰ μὲν πίλυς οἶνος δεῖ προσκιδνάμενον, ὅτου ἕκαστος αἰτεῖ· εἰ δὲ ὀλίγος, φησὶν, ἐξ ἴσου δίδου πᾶσι· *Magnus ille Agesilaus inter compotationem & cœnam sorte arbiter conuiuij delectus, quum interrogatus fuisset à pincerna, quantum cuiq; conuiuæ infunderet vini: si multum est illius parati, respondit, quantum quisq; poscet, infunde: sin parum est vini, impertito æqualiter omnibus.* Meminit huius conuiualis magisterij Siracid. cap. 32. sed tectè. De hoc iactu Veneris vide Oden 7. li. 2. Plutarchum in Catone Vticensi, & Tullium lib. 7. de Diuinatione, Plautum in Asinaria.

7 *Tenerum.*] Plinius lib. 2. cap. 3. sic describit corpus tenerum: Quod est leuitate continua lubricum, quale est illud Lycidę adolescentis adhuc impubis & imberbis: cuiusmodi etiam apparuit illud pueri nudati à veneficis Epodis. ſ. Hinc vox Græca τέρην pro eo, qui facilè atteritur, emollitur & domatur.

Tepebunt.] Hoc verbum mediũ est inter calere & frigere, vnde non potest sumi pro secundo, nisi ἀκυρῶς vel translatè, vt à Plauto: homo factus est tepidior, i. ignauior, segnior & remissior. Qui autem exponunt; virgines frigidiores erunt, quàm vt Sextium senem calefacere possint, parum animaduertunt Horatium modò hoc posuisse, vt P. Sextus iam in domum Plutonis descenderit: vbi non licet neque frui tali magisterio conuiuij, nec amore talis pueri. Sic Græcè χλιαρὸν mediũ est inter ὑπόζεσον καὶ ψυχρόν. Ideoq; vocatur ἀνώφελον καὶ μέλαχρον, quòd tepidum & egelidum ita sit temperatum, vt neque feruidum, neque frigidum sensu percipiatur.

Explicatio Rhetorica.

CArmẽ hoc est Dicolon Distrophon, primus quisque versus est Dactylicus, Archilochius, Heptameter, acatalecticus, constans è quatuor primis pedibus, vel Dactylis vel Spondæis sine discrimine, vt in versu Heroico: deinde è trib. Trochęis, vel Spondęo vltimo. Secundus verò quisq; est Archilochius cõstans è penthemimeri iambica, id est, ex Iambo vel Spondæo & syllaba, deinde è tribus Trochæis, vel Spondæo vltimo. Aliter descriptũ hoc metri genus inuenit Cruquius in Codice Blandiniano, vt sit tricolon, cuius primus versus est Alcmanius dactylicus tetrameter acatalectus quatuor pedibus cõstans, postremo tantum dactylo, reliquis dactylis, & spondeis mistim; alter trochaicus Ithyphallicus est, constans dimetro bracchycatalecto: tertius est similis secundo superioris descriptionis: vt

Soluitur acris hyems gratâ vice
Veris & Fauoni,
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

qualem totius odes habebis rationem, si è primo quóq; versu superioris dicoli tres trochæos finales resecueris, & hoc modo ordinaueris.

a Hyems hîc dicitur per metonymiam rei subiectæ pro frigore huic anni parti adiuncto & pro summo rigore: ac rursus ipsum frigus, pro corporibus ab eo constrictis, quæ laxantur & dissoluuntur veris aduentu.

b Tribuitur inanimis per metaphoram, quod animatis esset conuenientiùs tribuendum.

c Synecdochicῶς è genere significantur phalanges: est enim machina quælibet fabrica & machinamẽtum ad quam-

ad quamlibet molem vel deiiciendã,vel quolibet modo dimouẽdam:sed in *Carinas* ex mẽbro integra nauis.

d Videtur duplex tropus: prior enim est synecdoche generis pro specie:quia officina est locus,vbi quodlibet opus efficias: sed hîc intelligenda est præcipuè æraria vel ferraria officina,quã Homerus vocat Odyss. θ.propriè. Βῆ ῥ' ἰὼν ἐς χαλκεῶνα——Vulcanus *perrexit ire in officinam cusoriam.*

Dicitur etiam τὸ χαλκεῖον. Posterior tropus est metonymia loci pro operis & fabris, quos Vulcanus vrget, vt instent operi, hoc autem modo verbum vrendi interpretor per metaphoram: quanquam ego quidem posse etiam sumi propriè videam.

e Hæc vox in principio vtriusque sententiæ repetitur per anaphoram.

f Sumtum videtur à pedicis,quibus feræ implicantur & excipiuntur: latiùs tamen transtulit Donatus. in And. Act.3. Scen. 5. Pamph. *me tuis consiliis miserum impeditum esse?* D. *at iam expediam. Expeditus est propriè,ait,qui ita pedes habet illigatos, vt progredi non possit:sed hîc ad negotium retulit, id est, transtulit, & bene ad impeditum, expediam retulit*, id est, opposuit: hic verò ad redimicula capitis transtulit.

g Synecdoche singularis pro plurali,qualis est:acer Romanus pro acres,& hîc pro floribus.

h Metonymia effecti ad significandam efficientem, quæ pallidos homines reddat. Sic Seruius interpretatur Georg. 1. *Pallidus Orcus.* Pluton Deus inferni dicitur pallidus,quia pallidos facit:sic 8 Æn. *securi laticcs.* Præterea est μεγαλοπρέπεια ad mirandam Sextio opinionẽ, quam de vita longa habebat. Reliqua autẽ verba huius versus videntur allegoriam constituere ex metaphoris ab hostibus sumtam: qui fores ædium tam magnificarum,quàm humilium casarum confringunt ad dominum illarum opprimendum. Sensus igitur erit: mors perinde inuadit & interimit diuites atq;pauperes:quibus omnib. sine discrimine ac peræq; est occumbendũ.

i Hoc etiam traductum à ratiocinatoribus,qui addendo,subducendo,multiplicando,& partiẽdo summam tãdem faciunt multarum partium, ac breui spatio carthæ comprehendunt. Eodem tropi genere, aliunde tamen sumto Pindarus Πυθ. ὠδ. ν. ad finem notat vitæ breuitatem,quum homines vocat ἐφημέρους, καὶ σκιᾶς ὄναρ, *vnius diei & vmbræ somnium.*

k Simili metaphorâ nox pro morte dicitur, cuius nox & somnus sunt quædam imagines, qualis est illa Ode 28.huius libri.

Nos omnes vna manet nox, Et calcanda semel via lethi.
Virg. *In æternam clauduntur lumina mortem.*

l Synecdoche generis pro Orco tanquam carcere perpetuo.

m *Iuuentus* per metonymiam ætatis adiectę pro subiectis iuuenib.qualis fuit antè Od.2. *audiet rara iuuentus.*

n Hoc verbum est translatum à balneis temperatè calidis, pro,' qui nunc à iuuenibus amatur, & paullò post exitum illius ex ephebis amabitur à puellis.

Ode V. Ad Pyrrham.

Theticum.

Deplorat & lamentatur miseram amantium Pyrrham sortem & statum, à qua ipse,vt ab atra voragine ereptus, donaria suspendit Neptuno maris Deo.

Quis [1] [a] *Vis multa gracilis te puer in* [b] *rosa*
Perfusus liquidis vrget odoribus
Grato Pyrrha sub [c] *antro?*
Cui flauam religas comam
Simplex [d] *munditius?* [2] [e] *heu quoties fidem*
Mutatosq; [f] *Deos flebit,& aspera*
[g] *Nigris* [h] *æquora ventis*
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus [i] *aureâ:*
[k] *Qui semper vacuam,semper amabilem*
Sperat, nescius [l] *aurę*
Fallacis! [3] *Miseri,quibus*
Intentata nites: [4] *me tabulâ sacer*
Votiuâ paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris [m] *Deo.*

Analysis Dialectica.

Hæc Ode instituta est ad præscriptum nostri Poetæ de materia & argumento Lyricorum maximè proprio, quod traditur in Epistola ad Pisones: *Musa dedit fidibus, &c.* & *Iuuenum curas, & libera vina referre.* Theticum autem eiusdem demonstratur loco effectorum,& ita concluditur: amantes Pyrrham sunt miseri: Quidam adolescens illam amat: Horatius quoque idẽ fecit: vterque igitur horum est miser. Huius argumentationis assumtio præcedit bipartita, de adolescente priùs,ac de Poeta posteriùs: Prior quidem pars variis adiunctis, subiecto & effectis amplificatur: quòd adolescens gracili & junceo corpore sit, sertis roseis redimitus:oleat vnguenta: candore flauæ comæ capiatur: illam in loco amœno amplectatur, ὅθ' ἐν πανὶ αἰτειάδι λιπαρὸν πάλλιον, vt *huic forte esset oblectamento:* Quæ circũstantiæ huius adolescentis deberent plurimum valere ad adaugendum & firmandum Pyrrhæ animum in ipsum: quod dum non fit,immanitas & perfidia mulieris notanda fuit.

2 Hinc remotâ & allegoria & affectu exclamationis legitur complexio. Iam superiora argumenta fuerunt voluptatis & lætitię, sequentia sunt tristitiæ eodẽ tamen pertinentia: q, hic amator prorsus omnino deiectus priori spe perpetui & constantis amoris, fidei & humanitatis in se, queretur aliquando mulieris inconstantiam,perfidiam & sęuitiam. Sed ea solet esse amantium miseria, sicut Thrato Terentianus dicit de se Eunuch. Act.5.Sc.9. vt quantò minùs spei est, tantò magis ament, ac sæpè ad insaniam vsque perpetuam adigantur,quod nusquam exemplis caret.

3 Est hîc sententia propositionis de miseria Pyrrham amantium.

4 Pars altera assumtionis est de Poeta, qui mores & technas meretricias expertus, & deinde iam seruatus Diis persoluerit donaria liberationis. Poeta non tam profectò studuit hîc sanare vulnera turpia amoris, quàm Pyrrhæ meretricis, quî cum priùs sibi fuerat consuetudo, perfidiam vindicare. Veruntamen demus, institutionis nostræ gratiâ, illud magis, quàm hoc propositum ipsi fuisse: vt vagos concubitus, sicut ipse loquitur, improbaret: summa quidem certè φιλοκαλία καὶ φιλανθρωπία est hominis tali periculo iam defuncti, alterum ab eodem & à turpitudine fortiter arcere, in quo priùs ipse fuerat versatus:fert enim natura, vt eis

faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur. At quoniam hîc agitur de Venere illicita & damnosa, valdè erit, meo iudicio, ex vsu adolescentię, quid profani scriptores præter sacros, Mosen, sapientem Salomonem secundo & quinto Prouerbiorum, & D. Paulum de honesta & turpi mulierum consuetudine senserint, dicere. Sic igitur Mysonius in his quæ scripsit de Venereis: Χρὴ δ' τὸς μὴ λυφῶντας, ἢ μὴ κακὸς μόνα μ' ἀφροδίσια νομίζειν δικαία τὰ ἐν γάμῳ, κ' ὅτι ἡδέσει παιδῶν σωτήρια τελούμενα, ὅτι κ' νόμιμά ἐστιν. Τάδε ἡδονὴν ὑπερβάλλοντα ψυχὴν ἄδικα κ' παράνομα, κἂν ἐν γάμῳ ᾖ. Συμπλοκὰς δ' ἄλλας αἳ μὲν κ' μοιχεῖαν ἀθεμιτώτατα, κ' μετειώτερα τούτων ἥδεν αἱ πρὸς ἄρρενας τοῖς ἄρρεσιν, ὅτι παρὰ φύσιν τὸ τόλμημα· ὅσαι δὲ μοιχείας ὀκτὸς ἔσαι πρὸς ἡλικίας εἰσὶν, ἐστερημέναι τῶ γίνεσθ κ' νόμων, κ' αὐτὰ πάσαι ἀίχεσι, αἴσχε πρόσθεν δ' ἀκολασίαν. id est, *Illos quidem qui nec nimis voluptarij, nec improbi sunt, solam illam Venerem existimare iure concessam oportet, quæ est in coniugio, & admittitur liberos procreandi caussâ, essęq; legitimam. Eam verò, quæ inanem voluptatem venatur, iniquam & illegitimam esse, etiamsi admittatur inter matrimonio coniunctos. Alij præterea concubitus, qui adulterio committuntur, omnino sunt contra ius & æquum, multoq; sunt his tetriores, qui fiunt, quum masculi in masculos sua libidine exardescunt: quòd nefandum sit ausum contrà naturam. Item quicunque coitus præter adulterium committuntur cum mulieribus, non fiunt secundum legem, & omnes hi sunt etiam fœdi ac turpes, qui per intemperantiam admittuntur.* Eodem spectat γαμικὸν ἀφήγημα Plutarchi libel. sic inscripto. Διὸ δεῖ μάλιστα τούτῳ χρῆσθαι μετ' ἀλαβείας τὸν ἄνδρα κ' τὴν γυναῖκα, πῶς ἀνίερον κ' ἀθέμιτον πρὸς ἑτέρους ἀγνοοῦντας ὁμιλῶν, κ' μὴ πείροντας, ἐξ ὧν ἥδεν αὐτοῖς φύεσθ θέλουσιν, ἀλλὰ, κἂν γένηται καρπὸς, αἰσχύνονται κ' ἀποκρύπτουσι. *Quare virum & vxorem in primis oportet piè & religiosè coniugio vti, & se castos integrosq; seruare ab illicita & prophana cum aliis consuetudine nullamque sementem facere, ex qua nolint fructum nasci, qui si fortè editus fuerit, est pudori, & occultatur à satore. &, quod superat immanissimæ cuiusque belluæ rabiem, sæpè necatur.* Hæc quidem certè doctrina religioni Christianæ valdè est consentanea. Itaque caste Lector, hanc libidinis fœditatem, cæteraq; flagitia à Deo deprecare more Syracidæ, cap. 23. κοιλίας ὄρεξις κ' σωματασμὸς μὴ καταλαβέτωσάν με, κ' τῇ ψυχῇ αἰδεσθῆ μὴ παραδῷς με τὸν οἰκέτην σου· ne me corripiant appetitus ventris & concubitus: nec animæ impudenti permittas me seruum tuum. Quòd si fortè plura requiris consilia, Cic. lib. 7. ad famil. Epist. 26. Gallo è Stoicorum sententia δυσυπτικὰ πάθη, scribit morbos esse edacitatis, δυσεικὰ δ' intemperantiæ turpioris: quod quidem posterius sic fertur Sophocles detestatus, quum interrogatus, vtrum rebus Venereis operam daret, Dij, inquit, meliora: libenter enim istinc tanquam à Domino agresti, profugi: quod Plutarch. vsurpauit contra Epicurum lib. 20. *Quòd nemo possit iucundè viuere secundum ipsius sectam,* ἃ τὰ, ὡς τὰ μὲ πρὸς Σοφοκλεῖ διανοούμενος ἀσμένως ὀκφυγόντι τῶν ἥδονῶν τούτων, ὥσπερ ἄγριον κ' λυττῶντα δεσπότην, i. *non eadem Epicurus de consuetudine mulierum sentiebat, quæ Sophocles, qui hanc voluptatem, vt agrestem & furiosum dominum fugerit ac oderit libenter, quam si odisset & fugisset Epicurus, non incidisset in stranguriam, & dysenteriam è quibus cùm se laborare quereretur, à Stoicis vituperabatur.*

Enarratio Grammatica.

Pyrrham.] Hoc certè scortum non videtur dissimile illi vetulo scorto apud Aristophanem in Pluto.

Ὡς δ' τόνος, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ γεραΐδιον,
Ὡσπερ λεπὰς, τῷ μιεργάτῃ πρόσοιχεται·

quod ita vertit Paroimiographus:

Iupiter, quàm fortiter, concbæ modo,
Isthæc anicula adhæret adolescentulo. Idem sic vertit quidam,

Deus bone, quàm pertinaciter hæc anicula
Huic luueni adhæret non secus, ac lapidi ostreum!

Hoc autem nomen Pyrrhæ videtur à colore ductum, quem Latini modò fuluum, modò rutilum, modò rufum & flauum interpretantur & Platonis verba reddunt in Timæo pag. 167. Πυῤῥὸν δ' ξανθὸν κ' φαιὸν κεράσαντι γίνεσθ, φαιὸν δ' λευκοῦ τε κ' μέλανος, i. *rufus quidem color fit ex mixtione flaui & fusci: sed fuscus ex albo & nigro.* Sic Plinius mauult reddere πυῤῥὸς per rufum, quàm per fuluum: vnde sunt hæc Eustathio παρώνυμα Ιλιαδ. Α πυῤῥόθριξ, πύῤῥιχος κ' πυῤῥότειχος, cui est κόμη αἰθὴ, συγγενῶς ἔχουσα πυρσοῦ, vel vno verbo, πυῤῥοκόμης, id est, *fulua coma & flammea*: qualis propè videtur Lycophroni κόμαιθος, id est, *cui flaui sunt crines.* Qui autem sunt ἄζαν πυῤῥοὶ, id est, *in excessu huius coloris*, ab Aristotele existimantur πανοῦργοι, id est, *astuti & fraudulenti*; de quo leges φυσιογνωμονικὰ huius Philosophi; nisi fortè malis nomen tractum è prouerbio, ἐπὶ κακὸν, εἰς πύῤῥαν, *Si quid mali acciderit, in Pyrrham auertatur*: quòd certè imprecationis genus solebat, vt lethale telum intorqueri in *Pyrrhæos*, qui ciues erant ciuitatis Pyrrhæ in *Lesbo* Insula, inuidiosi maximè apud omnes finitimos, vt quod aliæ gentes sibi euenturum pertimescerent, id à se in hostes suos deprecatione repellebant: sic vicini imprecabantur Pyrrhæis mala sibi imminentia. Ex huiuscemodi coloribus & aliis & vitiis corporis *Martialis* lib. 2. ludit *Zoilum.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Quis puer.] Quidam malunt hîc legere, qui puer, atque simpliciter citra interrogationem, sicut versus nonum & decimum sequentes, enunciare: sed cur ego lectionem vulgarem malim, è Rhetoricis pòst accipies.

Gracilis.] Hoc epithetum à quibusdam pro tenero, impubi ac molliter educato. Ego verò hîc agnosco, & rectè quidem, vt mihi videtur, propriam illius notionem, quòd pueri & puellæ, quamdiu augescunt, vi nativi caloris humorem depascente, vt plurimum, graciles sint & iuncei: sensim autem paullò habitiores fiant, posteaquam naturalem, commodam & iustam corporis attigerint staturam. hic tamen gracilis habitus deductione cibi aliaque curaturâ sæpiùs quæritur puellis industriâ & diligentiâ matrum, vt Chærea dicit Eunuchi Act. 2. Sc. 3. v. 21.

Haud similis virgo est virginũ nostrarum, quas matres studẽt
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles fient
Siqua est habitior paullò, pugilem esse aiunt: deducunt cibũ
Tametsi bonâ est naturâ: reddunt curatura iunceas.

Puer.] Quum sit impubes & à puritate dictus Isidoro puer, hîc κατ' ἐξοχὴν habetur pro adolescente adultiori ætate & ad militiam Veneream aptiori. Seruius in 5. Æn. *incedunt pueri, pariterque* annotat, non quidem, vt nos hîc catachresin, sed hæc: aut poeticâ licentiâ confundit ætates, vt modò pueros, modò iuuenes dicat: Cicero tamen videtur distinguere nomen pueri & adolescentis, Philip. 4. *Laudo, laudo vos, Quirites, quum grauissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potiùs.* Ita in Epist. Cornificij lib. 12. ad famil. Cęsar. Octauianus agens vndevicesimum annum nominatur puer, quum scribitur: *puer egregius præsidium sibi primum, & nobis, deinde summæ Reip. comparauit:* Paulus de Verborum significatione tradit nomen pueri ad tria pertinere, ad ætatem, sexum, conditionem. Sed de ratione adolescentis nostras lege notas in Saty. 9. ad verba *simul ac adoleuerit ætas.*

In rosa.] Ita Cic. tales Verris delicias Orat. 10. notauit, *in lectica puluinus erat pellucidus, Melitensi rosa fartus: ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo, reticulumq; ad nares sibi admouebat tenuissimo lino, minutis*

maculis

maculis, plenum rosæ, Ita quoque delicias Thorij Epicureis in rosâ potantis facit similes lib. 2. de finib. Ita denique Tuscul. 5. vt puto, *non vult videri dicere M. Brut. in rosa vel in viola.*

Odoribus.] Hęc vox deflectitur à præterito medio ὄδωδα verbi ὄζω, *odorem spiro*: sed variè huiusmodi odores explicantur. Quidam enim interpretantur de vnguentis Venerem excitantibus & tetrum membrorum halitum depellentibus: quibus non modò corpora scortantium, sed lecti etiam perungebantur, vt Catullus fecit:

——Cubile clamat Sertis ac Syrio fragrans oliuo.

Alij de vnguento liquido: quod posterius vox Græca τὸ μύρον indicat, ἀπὸ τοῦ μύρειν dicta: quę Græcis Grammaticis valet τὸ χέειν ἢ τὸ ῥέειν, quod est fundere, liquefacere, & fluere: confirmatur etiam hæc notatio his locutionibus, μύροις ἀλείφειν, λούειν, συγχεῖν τὴν κεφαλὴν ἢ τὸ σῶμα, *vnguentis liquidis perfundi, ablui, inungi caput & corpus*, delibutum esse: crassa autem vnguenta improbari videntur in Epist. ad Pisones, vt ingrata, vbi sic scribitur:

Et crassum vnguentum & Sardo cum melle papauer Offendunt. Vide Plin. lib. 12. cap. 3. de Luxuria vnguentorum, & de primo eorũdem vsu apud Romanos. Sunt quoque Plinio vnguenta sicca ex odoribus siccantibus, quę vt scribit, diapasmata vocantur, & à quibusdam definiuntur aspergines, de quo genere Martialis lib. 1.

Quid quod olet grauiùs mistum diapasmate virus.

Neque verò diapasmate solùm corpus inspergitur: sed in potionem inditum ad varios vsus etiam imbibitur. Quanquam autem Paullus Æginęta dicit catapasmata & diapasmata sumi pro eodem, Oribasius tamen hoc interesse sic docet inter hæc & empasmata, quòd hæc adhibeantur in sudoribus coercendis, & in alia digestione, & dissolutione corporis per halitum compescenda, in epidermide scarificanda, vel pruritu excitando: catapasmata verò conspergendis vlceribus conueniunt. Postremò diapasmata valent ad emendationem fœrentis animæ grauisque halitus de corpore vniuerso exspirantis: ideoque solent præcipuè illini fœminibus, alis, & inguinibus graueolentium.

Vrget.] Propriè hoc verbum dicitur de corporibus, quæ mole aliquâ & onere premuntur, vt 3. Æneid. 5. v. 578. *Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus*

Vrgeri mole hac, &c. pro quo dicet ἐμπικῶς Sat. 2. lib. 1. *alienas permolere vxores*, quod Græci dicunt μύλειν ἢ ἐλαύνειν, vt prius καταπίνειν.

Antrum.] Antrũ & spelæa migrarunt è ciuitate Græca in Latinam: τό δὲ ἄντρον ἢ τὸ σπήλαιον τοῦτο διαφέρουσιν: quia illud sit locus subterraneus naturâ sic factus & abditus: hoc verò fit cauerna artificio facta: vnde videtur τὸ σπήλαιον ἢ ὁ σπήλυγξ definiri ὑπόστεγον, id est, *suffossio ad imas vsque radices, vel specus suffossus & subcauatus*: quo vtitur vocabulo *Dioscorides* lib. 5. cap. 106. de cæruleo pigmento, διεισιόμενοι κατά τινας σπηλαιώδεις ὑποσκαφὰς τῆς θαλάσσης, id est, *subcauatos specus maris inuenitur.* Non puto tamen hoc discrimen vbique obseruari. Huic autem communi vtriusque definitioni aptissimè conuenit etymum vocis, *ganeum*, quam sic Donatus in vers. 5. Act. 3. Scen. 3. ——*cedo abductum in ganeum* notauit in Adelph. *Veteres ganeum meretricum tabernam dixerunt*, ἀπὸ τῆς γῆς, τοῦτ' ὅτι τῆς γῆς, *quòd ipsa sit in terra, non vt cœnacula superiùs.* Idem sentit in Heaut. Act. 5. Scen. 4. Hinc deducitur Ganeo, qui meretrices sequitur. Ita Festus: sic Homerus canit Circen in specu habitantem: sic Apollo apud Pindarum εἰδ. Θ. στροφ. ε. Πυθ.

Αὐτίκα δ' ὁ μεγαρων
Χείρονα φρασίνεπε φωνᾷ,
Σεμνὸν αὐδῶν φιλυείδᾳ,
Προλιπὼν, θυμὸν γυναικὸς
Καὶ μεγάλαν δώμασιν
Θαύμασον &c. i.
Confestim autem ex ædibus
Chironem euocauit (Apollo)
Sic, ô Phyllirida, nobili (tuo) antro
Relicto, animos puellæ (Cyrenes)
Magnumq; robur admirare.

Homerus Ἰλιάδ. meminit vrbis cuiusdam nomine Ἀνηγών; quam ipsius Interpres scribit nominatam ex eo, quòd illic sint loca αἰπεινώδη, τουτέστι σπήλαια ὠδὴν ἢ ὑπόνομα, i. *cauernosa, speluncis plena & cuniculosa.* Hinc meretrices dicuntur αἰπειάδες, αἱ πόρναι αἰπεῖαι φιλοχωροῦσι, *quæ libenter versantur in antris.*

Flauam comam.] Forma Lucretiæ commendatur hoc colore Romæ in Fastis:

Forma placet niueusq; color flauiq; capilli,
Quiq; aderat nulla factus ab arte color.

Videtur autem Horatius in voce Pyrrhæ quodammodo alludere ad fictum meretricis nomen: τὸ μὲν πυῤῥὸς, τὸ ἐρυθρὸν (vt ruffus equus, ὡς ἵππος πυῤῥὸς vnde Pyrrha) ξανθὸν δέ τε ἢ φαιῷ κεράσει γίγνεται· φαιὸν δ' ἐκ λευκοῦ τε καὶ μέλανος, i. *color Pyrrhus conflatur è mixtione flaui & mustellini: hic autem ex albo & fusco*, ait Plato in Timæo.

Cui religas.] Id est, in cuius gratiam: vel, cui vt placeas, tu te simulatâ modestiâ comis?

Simplex munditia.] Quidam hoc interpretantur ex illo Terentij: *annus est, dum se comunt*, vt bonam diei partem traducant in cultu ornatuque corporis: alij putant intelligendum de mediocri, inculto, simplici, minimeque exquisito vestitu, quo illa erat contenta: cuius munditia laudatur interiecta inter elegantiam curiosam, & agrestem negligentiam: sed tamen hi, dum ita exponunt, non vident, quàm hæc maximè pugnent inter se, meretricem esse & modestiam colere: cuius quidem repugnantię quidam certi homines talem expositionem similitudine quadam Ironiæ tuentur: vt è simplici ornatu mundam simplicitatem simulante fallax & subdolus intelligatur animus: quæ simulandi ratio non etiam poterit obtegi expositione illorum, qui dicunt ornatum simplicem & mundum quibusdam esse multò gratiorem: fortasse nixi auctoritate Terentij in Phorm. *Virgo pulcra, &, quod magis diceres, nihil aderat adiumenti ad pulcritudinem*, & hoc ipso videbatur ornata, quòd ornamenta negligeret, &, vt vulgò dicitur, *bene olere, quia nihil oleret.* Tu, Lector, delige tibi, quod horum malueris: mihi quidem Ironicum magis probatur.

Aspera nigris æquora ventis.] Hæc habent quandam εὐγχυσιν, confusionem: videtur enim concinniùs dicendum: æquora nigra ventis asperis, vt πόντος ἢ κῦμα μέλαν, *pontus & fluctus niger* apud Græcos. Pro hoc Virg. lib. 3. Æneid. vers. 25.

Et glacialis hyems aquilonibus asperat vndas. Quo modo autem plana & lęuis superficies maris reddatur aspera, potest agnosci ex libello de coloribus: Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὕδωρ μέλαν φαίνεται, ὅταν τραχυνθῇ, καθάπερ ἡ τῆς θαλάττης ῥέπει· διὰ γὰρ τὴν τῆς ὀπῳφαείας τραχύτητα ὀλίγων καὶ ἀμυδρῶν προσπιπτόντων καὶ διαπωμένων τῶν φωτὸς τὸ σκιῶδες φαίνεται· *similiter autem & aqua nigra apparet, quando aspera fit, vt in æstu maris: nam propter asperitatem superficiei, quum pauci radij incidant, ac lumen diuellatur, quod vmbrosum est, nigrũ videtur:* euenit autem contrà, quum radij solares à lævore ac planitie superficiei reflexi aquam efficiunt lucidam illustrãdo. Agellius li. 3. c. 30. è libris problematũ Aristotelis docet

Austro flante mare cæruleum fieri: Aquilone, obscurius, atriúsque: propterea quòd Aquilo minùs mare perturbat: omne autem, quod tranquillius est, atrum esse videtur. Denique color maris apparet pro ratione venti mouentis.

Insolens.] Ponitur hîc absolutè pro inexperto & imperito blanditiarum meretriciarum & fraudum. Præterea in syntaxi huius vocis dicitur insolens belli, iniuriæ, malarum artium, qui non est his assuefactus: aliàs pro arroganti & superbo.

Vacuam.] Potes ita explere ellipsim: vacuam ab omni alio riuali & amatore non occupatam.

Aura fallacis.] Aura hîc pro vento, vt Virgilius dicit, *auras aspirare*, & Lucretius *impelli ventis*: Gallicè *agité de vents*. Fallere autem Varroni à fando deflectitur, vt fallacia verbis & ore fiat, vt dolus re atque factis: est igitur hîc fallacis, mutabilis & inconstantis: malo tamen vel cum Iosepho Scaligero παρὰ τὸ φήλης deducere *fallax*, vt fallo παρὰ τὸ φηλῶν, ἀπάτῳ, *à decipiendo* (κυείως μὲν ὁ φήλης ὁ ἥδη σκληρὸς καὶ πάρωρος· ὁ δὲ ὄψιν πεπάσεως ἔχων, ἄωρος ὃ ὧν καὶ μήποτε φήλης πὴς ἔστι ὁ ἀπατῶν καὶ ψαδόμενος πίων ὄψιν εἰς βρῶσιν. Hæc annotauit Scholiastes in comœdiam Aristophanis de pace sub finem ad hæc verba chori, πόντε φήλης' ὁρῶν οἰδάνοντα, *hanc ficum aspiciens turgentem. Propriè igitur ficus adhuc dura & intempestiua, præ se quidē ferens maturitatis speciē, est tamen immatura, ne qua ficus aliquādo fallat aspectum mentiendo ad vsum decerpta.* Hic ergo fructus maturitatem ementitus dedit his tam Græcis, quàm Latinis vocibus fallacię vsum,) vel cum aliis deflectere, ἀπὸ τῦ σφάλλειν, quod est euertere, &, vt quis aberret ac frustretur, efficere.

Intentata.] Id est, non spectata & cognita, vel potiùs, artes ipsius & technæ nondum satis exploratæ. Aliàs gladij intentati, mors intentata, ab intento frequentatiuo, verbi intendo.

Tabulâ.] Ellipsis est præpositionis in, vt sit, paries sacer indicat me suspendisse vestimenta vuida in tabula votiua potenti Deo maris. Qui autem fuerant erepti ex aliquo ingenti periculo, vel labore vel metu defuncti, aliquod insigne suarum miseriarum monumentum consueuerant illi Deo, (vt gladiatores gladios, pugiles cæstus, serui catenas, nautæ naufraga nauigia, equites lanceas & equos cataphractos, pueri bullam Penatibus & Laribus, sumentes togam virilem, virgines nupturę puppas, Veneri,) indumenta sua tanquam anathemata & donaria Deo seruatori consecrare in ipsius templo vel alibi, sicut Virgilius Æn. 12. scribit.

Fortè sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hîc steterat, nautis olim venerabile lignum:
Seruati ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti Diuo, & noua suspendere vestes.

sicut hic ipse Poeta Sat. 1. lib. 2. — *Quo fit vt omnis*
Votiuâ pateat veluti descripta tabellâ Vita senis —
Hîc vuida, valet humida & madida. In hac autem votiua tabula suos casus depictos videbant, qui ex voto periculis erepti fuissent.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est tricolon tetrastrophon, cuius primi quique bini versus sunt Asclepiadei; tertius Pherecratius è spondeo, dactylo, spondeo; quartus est Glyconius, de quo 3. Ode, & de duobus primis in prima.

a Est ἀναλοίνωσις per dialogismum cum Pyrrha: ex qua postquam interrogando & consultando intellexit pulchrum esse adolescentem, qui tum ipsius esset amator, sortem illius quàm maximè per exclamationē miseratur, vt ad meretricias artes inexperti. Hæc duplex orationis conformatio non mediocrem adiungit Odæ gratiam: vnde mihi videtur lectio vulgata retinenda, vt genus dicendi magis παθητικὸν καὶ ποιητικὸν.

b In rosa primùm est metonymia materiæ pro vnguento è rosa facto: deinde multitudinem rosarum & florum bene olentium ex vnitate per Synecdochen intelligit.

c Synecdoche est generis pro ganeo, lupanari & scortorum prostibulo.

d Iam obiter monuimus in Grammaticis hoc sermonis genus εἰρωνικῶς melius explicari posse

e Exclamatio est cōmiserantis, & subiectio interrogationis, tanquam diceret: heu quoties ille flebit, qui te nunc fruitur.

f Synecdoche generis pro Venere & Cupidine, qui initio fauent amatoribus, sed ad extremum aduersantur: vnde Lucanus:

O faciles dare cuncta Deos, eademq; tueri difficiles.

g Metonymia effectorum est pro efficientibus cælum nimbosum, tenebricosum & noxium. Simili tropo Homerus dicit: μελαίνας ὁδοὺς, ὡς ᾅδου μέλαινας, quòd, vt Eustathius ait: καταγόσιν εἰς σκότον, *detrudunt in tenebras & mortem.*

h Allegoria est è continuis Metaphoris, per similitudinem maris tempestate commoti cum periculosis artibus meretricis, moribusque prauis Pyrrhæ, vnde qui potest emergere, solet dicere cum Chærea Terentiano Act. 5. Scen. 9. Eunucho: *Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo*: vbi notat Donatus, *bene in tranquillo: quia mari & tempestatibus amicæ mobilitas & instabilitas comparatur*, & hunc Poetæ locum subscribit. Longè autem aliter Poeta prædicit huic adolescenti euenturum, atque Phædriæ euenit, quum ipse tandem Pyrrhæ animum in se posteâ sentiet superbiâ exacerbatum: quod, vt inexpertus amator, vehementer mirabitur.

i Metaphora à metallo omnium maximè pretioso & cupito, pro carissima, pulcerrima & omnium mulierum liberalissima: vel quæ referat speciem & integritatem aurei seculi. Simili tropo Synesius epist. 23. Græcè dicit: τὰ παιδία χρυσᾶ. Item ἦθος χρυσοῦν, ἔπη χρυσᾶ, *pulcros liberos, eximios mores, aurea carmina & diuina.* Denique Ἀφροδίτη χρυσῆ, *aurea venus.* Sic aurea Phœbe. i. pulcra Seru. 1. Georg. Sic Pindarus περὶ π. Ολυμπ. certamina vocat χρυσοστέφανα, pro χρυσοστέφανα. non enim ex auro, sed ex oleastro coronæ nectebantur.

k Anaphora est in, *qui*, repetito.

l Continuatur eadem allegoria de variabili amore scorti, qualis est ventus suo flatu sonum vocis referens, iuxta etymon *fallacis* superius:

m Synecdoche est generis pro Neptuno maris Deo.

Ode VI. Ad Agrippam

Theticum.

Suadet res Agrippæ præclaras à Vario Poeta, non à se, describendas esse.

a *Scribêrit*

1 a *Cribêris Vario fortis & hostium*
Victor, Mæonij carminis b *alite,*
Quam rem cunq; ferox nauibus aut equis
c *Miles te duce gesserit,*
2 *Nos, Agrippa, neq; hæc dicere, nec grauem*
d *Pelleidæ* c *stomachum cedere nescij,*
Nec cursus f *duplicis per mare Vlyssei,*
Nec g *sæuam* h *Pelopis domum,*
Conamur, tenues grandia: 3 *dum pudor,*
Imbellisq; Lyræ Musa potens vetat
Laudes i *egregij Cæsaris & tuas*
Culpâ deterere ingenî.
4 k *Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ*
Dignè scripserit? aut puluere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
l *Tydidem superis parem?*
5 *Nos conuiuia, nos prælia virginum*
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus, 6 *vacui: siue quæ* m *vrimur,*
Non prater solitum leues.

Analysis Dialectica.

1 PRæcipuum suasionis argumentum videtur è loco dissimilium sumtum, quod tu potes hoc modo enũciare & iudicare: Varius est idoneus Poeta rebus Heroicis ac grandibus scribendis: Horatius tenuis est, nec eiusmodi, qui id præstare conetur & possit: Varius ergo id dignè scribere aggrediatur. Hæc est summa huius Od. Quod autem Hor. profitetur hic non sibi esse par ingenium magnitudini Victoriarum à Cęsare & Agrippa partarum, vt illas dignis queat versibus celebrare, sed has partes modestè Vario mandandas suadet: equidẽ inde variam facio coniecturam, aut Agrippã subindicasse id se velle, & Horatium, postquam idem subolfecisset, προαναπλήρωσιν quadam anteuertisse mandatum & postulatum, aut ad præceptum modestiæ respexisse: quo quidem monentur omnes, vt quantò quis virtute aliquâ præstiterit aliis, tantò summissiùs se gerat: aut veritatem exercitationis suę, vt quibus in rebus exercitatus est quisque maximè & versatus, in eas incumbat studiosè, sicut rectè Aristoph. in fabula Vespis præcipit: ἄριστα πεποιηκὼς ἀνὴρ ἐν οἷσιν τέχνῃσιν. *Quam quisq; nouit artem, in ea se exerceat.* Sic Cic. lib. 1. Tuscul. Græcum versum fecit senarium iambicum Latinum: quam prę-cipiendi rationem ipse Auctor sequitur hic reuera. & in Epist. 1. lib. 2. ad Augustum consilio.

Nauem agere ignarus nauis timet: abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.

Sicut etiam in Epistola ad Pisones præscribit,

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Ita ferunt Virgilium fecisse, quòd, quum numine Musarum nondum plenè afflatus inchoasset res præclarè ab Albanis regibus gestas, illud onus, vt suis viribus impar & intolerandum, deposuerit. Pari examinatione virium Propertius Augusti gesta celebrare majestate carminis Heroici lib. 3. Eleg. 7. Męcenati hortanti,

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.

recusauit: aut deniq; voluisse splendorem & amplitudinem rerum à Cæsare & Agrippa gestarum illustrari hac dissimilitudine vtriusque Poetæ, & eâdem operâ maiestatem & sublimitatem orationis Varianæ simul prædicari: quod postremum mihi videtur magis probandum.

Protasis comparationis tetrasticho priori continetur, vbi Varius describitur ex adiuncta maiestate styli Homerici, & è subiectis siue in bello nauali, siue in terrestri describendo.

2 Antapodosis hæc constat ex distributione triplicis materię similis huic præsenti, quam non ausit suscipere scribendam. Hic obiter Augustum & Agrippã & res ab vtroq; gestas facit pares principib. Gręcorum, Agamemnonis, Achillis, Aiacis, & claris ipsorum factis, non sine magna vtriusque laude: Qualis fuit Ilias de implacabili ira Achillis, & Odyssea de erroribus vagæ nauigationis, quos pertulit Vlysses, in militiam proficiscens, & inde domum rediens: non tamen constant satis errores profectionis, vt illi reditionis: qualeseti-am fuerũt Tragœdiæ de crudelitate Tantali & posteroru, cùm à multis Græcis, tum etiam ab ipso Vario scriptæ.

3 Ætiologia est huius ἀντιπαποδόσεως ex efficientib. causis duabus, pudore & Musa lyram suam moderãte, quę suâ imbecillitate veretur tantum munus cantandi prę-clara Cæsaris & Agrippæ gesta sustinere. Ita Cic. in Orat. pro P. Quintio modestè magis, quàm verè vires ingenij sui extenuabat: nam quantæ fuerint, vt illę nostri Poetæ, omnibus notum, testatum & manifestum erat.

4 Existimo octo sequentes versus, vbi collatio parium continetur, Prosyllogismum quẽdam & approbationem esse superioris dissimilitudinis: q, ita esse Lector facilè iudicabit, si remoto schemate pronunciet, & quod interrogatio postulare videtur, subiiciat sic: non minùs Poeta bonus, qualis est Varius, res Heroicas & sublimes dignè scribet: quàm ego amatorias & humiles canam. Propositio horum parium dilatatur, alterâ distributione triplicis materiæ de laudib. Martis, Meriones, Diomedis: quibus facta vtriusque Cæsaris & Agrippæ stylo videntur exæquanda.

5 Apodosis eiusdem declaratur diuisione argumenti è subiectis in conuiuia, cõpotationes, saltationes, iocos, & pugnas adolescentum & puellarum incruentas quibus decantandis suũ stylum & operã locaturus est.

6 Approbatio redditionis est ex efficientibus cantus: quæ sunt abundantia otij, & vsitata amandi leuitas atque inconstantia.

Enarratio Grammatica.

AVgustus, vt initio li. 1. Cornel. Tacitus narrat, *M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ & victoriæ socium geminatis Cõsulatib. extulit: mox defuncto Claudio Marcello generum sumsit.* Ab eodẽ Historico citatur oratio Senecæ, quâ Neroni studuit persuadere, vt sibi liceret omnem fortunam resignare, vbi hæc fit mentio Agrippę & Męcenatis: *Atauus tuus Augustus M. Agrippæ Mitylenense secretum, C. Mæcenati Vrbe in ipsa velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorũ socius, alter Romæ plurib. laboribus iactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, præmia acceperãt.* Eundem describit C. Vell. Paterculus 2. Vol. præcipuâ scientiæ militaris laude. *Præfectus est*, inquit, *M. Agrippa nauali bus certaminib. atq; exercitationibus, virtute nobilissimus, labore, vigiliâ, periculo inuictus, parendiq;, sed vni, scientissimus: aliis sanè imperãdi cupidus, per omnia extra dilationes positus, consultisq; facta adiungens.* Res ab hoc gestas lege apud Appianũ l. 5. de bel. ciuil. Oros. l. 6. c. 15. de quo vide etiam Suet. in Augusto c. 63. & Dion. l. 48. vbi dicitur M. Vipsanius Agrippa: in qua voce Gręcè reddenda ὐιψάνιος non βιψάβιος, vtitur diphthõgo, non β, quo nõ potest Græcè sic exprimi sonus τοῦ vau, vt Hebraicè & Latinè, sicut Apologeticum Hural thospitaliorum pro

vetere ac germana linguę Græcę pronunciatione rectè docet. Prętерea Plinius scribit Agrippā inuenisse nomē ab ægro ac difficili partu: sed generalius idē dicit Agellius li. 16. c. 16. & paulò aliter: *Agrippæ sunt appellati vocabulo ab ægritudine & pedibus.* Reliqua ibi lege de forma situs & editionis in lucē: Idem in Polyhist. Solin. c. 4. ac prętерea in Agrippa exemplum felicitatis, nō tamen inoffensæ. Huc accedat quod Sen. Epist. 94. scribit: *M. Agrippa vir ingētis animi, qui solus ex his, quos ciuilia bella claros potentesq; fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, se multū huic debere sententiæ, Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabūtur. hac se aichat, & fratrē & amicū optimū factū.*

Scribēris. Quidam hic legunt *dicēris Vario, &c.* Et certè ad rem Heroicam appositè: tum quia materia Epicorū Poetarū propria hic memoratur: Imperator, Dux, Miles, Classis, Equus, Victoria. Ita hoc verbum aptè exprimit illud Græcum αἰσιν, & ἔπος, magniloquū, & vt Horat. alibi loquitur, Epos forte: tum etiam quia Virg. eo vtitur li. 2. Georg. initio ad vers. *Cui non dictus Hylas puer?* atq; adeò simili Antiptosi, sicut Seruius annotauit, & ad confirmādam talem syntaxin hoc principiū assumsit, pro, à quo? & à Vario. Cuius canendi nobilis artifex Varius erat Homeri æmulus: non tamē improbo, *scribēris*, quo hic ipse in simili materia vtitur, vt *scriptor belli Trojani* ab eodem Homerus dicatur. Atque quanto amore & Horatium & Varium amplexus sit Augustus & amplissimis muneribus auxerit, sic Epist. 1. lib. 2.

At neq; dedecorant tua de se iudicia, atq;
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusq; Poetæ.

Hîc similis est αὐτόπτωσις pro, dilecti à te, huic, *scribēris Vario*, pro, *à Vario*, vt quidam legunt in casu dandi: non autem est hellenismus, vt quidam putant, Æneid. 1.

Per medios miscetq; viros, nec cernitur vlli, id est, ab vllo. Prætерea notitia nostri Poetæ fuit Mæcenati operâ horum duorum, vt ipse scribit Sat. 5. & 6. li. 2. Sermonū:

—Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius dixêre, quid essem.

Hunc quoq; Varium Virg. semper appellat Varum, vt Ecl. 9. *Nam neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinna*
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Hîc tamen Seru. legit Vario, quē dissimilitudine artis distinxit à Quintilio Varo: quòd hic dux quidā fuerit belli pro Imperio in Germania, sed infeliciter, sicut Dio & Suet. in Augusto scribunt: hic 25. c. & c. 31. in Caligula. Idem refert principatum Augusti clade Varinâ memorabilem factum: quomodo hic Caligula detestabilis Imperator optabat suum celebratū iri aliquâ insigni vel exercituum cæde, vel fame, vel pestilentiâ, vel incendiis, vel hiatu aliquo terrę: quòd inuidebat populo Romano prosperitatem rerum sub suo principatu. De Varo quoque duce, sic canit Virg. in Sileno:

—Namq; super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella.

Ille verò fuerit Poeta: qui Virgilio superstes correxit ipsius opera iussu Augusti. Vterque tamen tam Varius, quàm Varus hoc cognomen traxit à cruribus incuruis. Cinna quoque fuit, vt hoc inseram obiter, Poeta æqualis vtriusque & Catulli amicus: de quo hic postremus fecit: *Smyrna mei Cinnæ nonam post deniq; messem,*
Quàm cœpta est, nonamq; edita post hyemem.

Smyrna autem fuit Poema scriptū de Historia Cinnarę & Myrrhę, annos nouem elaboratum ab hoc Cinna: quod tamen sibi non placere Catullus ostendit propter summam ipsius obscuritatem, ideoque illud cōparat cum Cyclica Thebaide Antimachi, qui bellū Thebanum altissimè longissimeque repetiuit, vt scribitur ad Pisones. Similem in Poemate Cinnæ obscuritatem Martial. lib. 10. Epigram. ad Sextum notauit:

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte iuuat?
Non Lectore tuis opus est. sed Apolline libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sanè mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine Grammaticis.

Scribēris fortis & victor.] Posset dici & δουλικῶς, *fortis victor hostium*, nec, q. permulti sint fortes, qui nunquā victores fuerūt, impediet, quin Agrippa & suo & fortunę bono cumulatus sit. Parum quidem vsitata est coniunctio substantiui cum adiectiuo. Vsitatior, scribēris fortis & victoriâ potitus, nisi in fortis velis τὸ vir subintelligi.

Victor.] Quia paullò antè Corn. Tacitus obtulit Agrippam in societatem Augustanæ victoriæ: possumus hîc intelligere victorem hostium, de quib. triumphos egit Augustus in Grammaticis Odes 2. huius memoratos.

Mæonÿ.] Męonia est eadem, quæ Lydia, regio minoris Asiæ: cuius Smyrna creditur natalis ciuitas Homeri, vnde versus Mæonius pro Homerico ponitur.

Quam rem cunq;.] Siue hanc lectionē retineas, siue illā Mureti, *qua rem cunq;*, pro quacunq; regione miles strenuè pugnando Agrippa imperante victoriam reportârit, Tmesis est: πάθημα quidem & affectio Grammatica in sectione dictionis cōiunctę, nō autē Rhetorica figura.

Ferox miles.] Hoc potiùs ad elationem animi, quàm ad feritatem & crudelitatem est referendum, cui opponitur ignauus. Miles dicitur Isidoro à millenario numero: quia initio Romulus mille conscripserat. Festus aliter notat ex Ælio: sed Isidori notationē magis probo.

Nauibus & equis &c.] Pro his Salust. dicit in Coniurati: *Populus Romanus mari atq; terra præclara fecit:* Admonet me hic locus esse hîc legēdum potiùs *qua res cunq;*: quia pro illustribus factis πανδυνικῶς sæpiùs Latini dicunt res gerere, vt Epist. 17. ad Scæuam.

Res gerere & captos ostendere ciuibus hostes. item: *res gestas scribere regum*, Epist. ad Pisones: item lib. 2. Epist. 1.

Cæsaris inuicti res dicere ἐνικῶς verò, vt plurimum pro bonis ac fortunis vt Satyrâ 3. lib. 2.

Si malè rem gerere insani est: contrà, benè, sani:

& eiusdem, *seruare rem tuam, rem præclaram stringere, obtimare rem patris* & similia: quòd si quando reperiatur in singulari pro memorabili facinore, habet secum epithetum. Li. 7. ad famil. M. Marium scribit de iudicio & condemnatione in L. Munatium Plancum Bursam, *Quamobrem iubeo valdè gaudere te: magna res gesta est.*

Nos Agrippa, neq; conamur tenues dicere hæc, &c.] Poeta non his verbis subiicit ἐπεξηγητικῶς, nempè aut scilicet. *grauem stomachum, &c.* quod rarissimè obseruies in Auctoribus puræ Latinitatis, vt aliàs notatum à nobis fuit: quod Gallicè interpreteris, *nous n'entreprenons, Agrippa, estans de petites forces à escrire & parler de ces grandes choses, & promesses.* Hîc prætерea notanda est vis verbi, *conari*, quod vsurpatur in re difficili, quæ ad exitum non facilè perducitur, vt ex Oratore Ciceronis cognoscitur: quod nos conamur, Demosthenes perficit. Quemadmodum vsurpatur Epist. 5. lib. 4. ad famil. *Hoc genus consolationis neque propinqui & familiares sine lacrymis conari queunt*, id est, institutum perficere illis non licet per Iustitiam. Ita Donatus in Andr. Act. 1. Scen. 5. notat hoc verbo summam quidem voluntatem aliquid agendi, ostendi, sed effectum desiderari, ideoque leuiùs esse conari, quàm facere.

Pelidæ.] Peleus fuit pater Achillis, vnde ipse Pelides denominatur, & mater eiusdem Theris.

Stomachum.] Hæc dictio è Græca facta est Latina, & ἐστομειστικῶς deflexa ἀπὸ τὸ στόμα, vt ab ore fit osculum: simili

simili quoque diminutione στόμον Græci dicunt, quod videretur tamen dicendum, στομάπον, vt σωμάπον· sed quoniam vox ista variè sumitur, animaduersione longiori videtur opus esse.

Discere igitur licet ex Anatomicis, vel, vt loquitur Tertullianus Latinè, prosectoribus corporum, ventriculum habere ora duo: quorum superius dicitur stomachus & à Medicis distinctiùs ad vitandam huius nominis amphibologiam, οἰσοφάγος· quòd cibum & potionem in ventriculum deferat. Vnde cum plerisque demiror etymon illud eiusdem vocis ab Aristot. lib. 3. de partibus animalium cap. 2. notatum; quòd ἀπὸ τῆς μήκους καὶ τῆς στενότητος vocari tradidit, *à longitudine & angustia.* Estque totum illud spatium inter fauces & ventriculum: sed ratio vocis non complectitur hanc definitionem. Huius autem Oesophagi pars superior ad gulam & fauces etiam stomachus vocatur, sicut pars eiusdem inferior annexa ventriculo, quae etiam nomen καρδία sortita est: quòd summâ conspiratione cuius libet affectionis consentiat cum corde & cerebro, per duos neruos magnos à sexta coniugatione cerebri: vnde Medici præcipitem lapsum omnium virium humanarum appellant συγκοπὴν στόμαχικὴν, quae etiam καρδιακὴ vocatur & eâ laborantes καρδιακοὶ; vt Satyrâ 3. li. 2. sub medium:

Non est cardiacus, Craterum dixisse putato.

Quò mihi pertinere videtur illud Donati in Adelph. Act. 4. Scen. 5. vers. 21. *Animo malè esse*: animo malè fieri, ait, dicitur, quum ictu alicuius mœroris perculsus animus non sustinet corpus, sequiturque ruina membrorum. Idem lapsus virium potest è metu nasci, vt idem Poeta dicit ibidem, sed Act. 4. Scen. 4. v. 3. *Membra metu debilia sunt, animus timore obstupuit:* quam quidem ventriculi affectionem Trallianus lib. 7. cap. 11. docet nasci de morsu & viru prauorum humorum, quos ferè gignit ἀπεψία, eruditas. Hinc sunt illę phrases Gallicæ, *tirer du cœur, releuer le cœur, la poictrine est cheute:* quales sunt etiam Latinæ, laborare stomacho, esse ægro, languenti, lasso stomacho. Quas tamen posses interpretari de infirmitate ventriculi, qui stomachi nomine notatur, & ita sumitur à Sereno in his versibus:

Qui stomachum regem totius nunc corporis esse
Contendunt, vera à niti ratione videntur:
Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contrà eiusdem firmantur cuncta vigore.

Sed pro superiori parte ad fauces accipitur Ἰλιαδ. ρ. ad versum:

Ἀτρεΐδης Μενέλαος ἐπηύξατο Διὶ πατρὶ
Ἀψ δ' ἀναχαζομένοιο καὶ ἀμφὶ στόμαχον θέμεθλα
Νύξ', ὅθι δ' οὐτήσας ἔρυσε βαφὴν χαλκὸς ἐπῖσω.

Atrides Menelaus Iouem patrem precatus retrocedentis imas stomachi partes punctim confodit, & forti manu incubuit confisus: quod Eustathius interpretatur στόμαχον νῦν φησὶν, ἀντὶ τοῦ τῆς κοιλίας στόμα, κατὰ τὰς ὕστερον, ἀλλὰ τὸν λεγόμενον βρόγχον πρὸς τὰ τῶν λαιμῶν ἔσχατα· *nunc stomachum dicit non ventriculi os, vt posteriores dicunt, sed gulam circa gutturis extrema,* vt versus sequens indicat, quò cuspis ferri dicitur perrigisse teneram ceruicem ex aduersa parte. Sic Ilia γ. dicit: πέμνει στομάχους ἀρνῶν, *incidit iugula agnorum.* Præterea στόμαχος μήτρας καὶ κύστεως, id est, *os vteri & vesicæ dicitur,* sicut etiam τὰ τῶν ποταμῶν στόματα καὶ στόμια dicuntur ἀπὸ τῶν ἀμβολῶν εἰς θάλασσαν, *ora fluuiorum pro ostiis & exitibus in mare.*

Habes, Lector, quot modis stomachus & primigenium sumantur: addam tamen etiam translatè à fastidio ciborum sumi pro voluntate & iudicio: vt lib. 7. ad famil. Epist. 1. *Ludi erant apparatissimi, sed non tui stomachi.* Gallicè, *les ieux & iouistes estoint certainement de grans frais, mais non tels que vous vouldries selon vostre goust.* Inferius autem os ventriculi ab Anatomicis πυλωρὸς nominatur: verùm tam superius, quàm inferius os ventriculi est reuera propages perpetua: ad quam videtur Cicero lib. 2. de nat. Deor. & Celsus lib. 4. cap. 1. respexisse, quum τὸν στόμαχον τὸν τῷ οἰσοφάγῳ ἄνωθεν εἶναι putarunt. Itaque ex his facilè perspicies non inutilem fore huius partis descriptionem, ad intelligentiam Homeri & tropi huius: *grauis stomachus Pelidæ,* Epistola plena stomachi, mouere, facere, erumpere stomachum. Sic Cic. Epist. 9. lib. 1. ad famil. loquitur, *vt mihi stomachum facerent:* vbi Commentarij habent annotatum, *iram commouerent: locus pro locato: stomachus enim iræ sedes est.*

Perobscurè tropus hîc notatur, atque ratio eius reddita est falsa, vel Platone alijsúe Physicis testibus, quî constituerunt cor iræ sedem, vnde facultas irascendî dicitur θυμοειδές, vt Ode 13 seq. apparebit. Hic autem grauis stomachus est interpretatio vocum Græcarum μῆνις ὀλοὴ οὐλὴ, quam Phocyl. sic definit:

Ὀργὴ δ' ἐστὶν ὄρεξις, ὑπερβαίνουσα δὲ μῆνις·

Ira est cupiditas vlciscendi incitata ratione aduersâ: Sed bilis nullum constituit modum effrænatæ cupiditatis. Ideoque μῆνις à Stoicis ὀργὴ παλαιουμένη, quod Cicero videtur interpretari, *inueteratum odium,* καὶ ὀργὴ διήμονος, *ira permanens,* pertinax, vt Virgilius, *memor ira:* alia est Aristotelis definitio: ἐστὶν ὀργὴ τοῦ αἵματος ζέσις περὶ τὴν καρδίαν· *feruor sanguinis circa cor:* qualis fuit illa Iunonis in Troianos & Achillis in Agamemnonem: eam ob rem deflectitur ἀπὸ τοῦ μένειν, vt Eustathius definit in Ἰλιαδ. initium cuius aliquot notas sic interpretor, sciendum est, ait, apud Homer. hæc quatuor nomina θυμὸς, χόλος, μῆνις, κότος dici de hominibus irritatis iraque concitatis, quorum duo prima & ὀργὴ sunt, multa eiusdem notionis nomina, eorundem poterit Lector ethyma singulorum inde discere, vbi interea tibi propono τὸν κότον definitum & notatum ὅτι μὲν κότος ὁ ἀπὸ θεοῦ ἄνευ φυλακτικῆς καὶ πολυετὴς, ἀφ' ὃ τὸ κεῖσθαι, οἷον ἀποκεῖσθαι· *vt cotus sit ira mente reposita, siue diu reseruata, à residendo dicta:* atq; idem planiùs facit in versum Iliad. π. sub initium:

Μὴ δὲ μὰ γὲν ἔτος γε λάβοι χόλος, &c.

Huiusmodi gradatione, εἰ μὲν ὁ χόλος ἀπράκτου, πολλῷ πλέον ὁ κότος, καὶ ἡ μῆνις τὰ μείζω κακά· *si primum est detestandum; secundum multò magis, tertium longè maximè,* quæ est, ὀργὴ κρυφαία καὶ κακὰ βυσσοδομοῦσα, *ira latens & mala profundè cogitans.*

Cedere nescij.] Sic Virg. 12. Æneid. vers. 528. de Ænea & Turno præliantibus loquitur:

—— *Rumpuntur nescia vinci.*

Pectora, &c. vbi hic locus à Seruio citatur. Hoc autem videtur interpretatio τοῦ ἄπικτος καὶ ἀμήχανος, ἀσκληροτράχηλος, quod Hom. tribuit Achilli, propterea quòd nec verbis, nec arte, nec malis flecti & madefieri poterat ferreus eius animus, ὅθεν τὸ μὴ πέγγειν, ὅπερ ἐστὶν ὑγραίνειν, quod est madefacere & mollire, sicut meminimus priùs Od. 3. in *arduum.* Physici, quum de affectuum differentijs scribunt, quibus animalia commouentur, rationem quandam afferunt, cur Achilles tam implacabilis iracundiæ fuerit, vt Lucret. lib. 3.

Sed calidi plus est ollis, quibus acria corda
Iracundaq; mens facilè efferuescit in ira:
Quo genere in primis vis est violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumq; gementes:
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Eam ob rem cum hac fera Ἰλιαδ. υ. Achilles comparatur.

Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο λέοντος
Σίντης, ὅντε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν·

Achilles autem contrà ex altera parte tubeat, velut leo noxius,

quem viri occidere parant. Sed de vehementia huius iræ vide Iliad. α. & de eiusdem minis in Apollinem Iliad. χ. atque præterea de ratione illius excidendæ animis hominum, aut certè refrenandæ, impetuque eiusdem inhibendo lege lib. 3. Senec. de ira, & lib. 4. ca. 5. Ethic. ad Nicomach.

Duplicis.] Vlysses dicitur duplex quòd versutus & subdolus esset, aliud corde gestans, aliud ore proferens: quod illi Sœcus Ιλιαδ. λ. magnæ vertit laudi:

Ὦ Ὀδυσεῦ πολύμητι, δόλων ἄρ' ἦδε πόνοιο·

O clarissime Vlysses, quem nulla tenet satietas fraudum & laborum. In hoc autem versu τὸ ἦτε est casus vocandi, quem Eustathius interpretatur ἀκόρεστε δόλων ἠδὲ πόνοιο. id est, *qui non satiatur dolis & labore:* quomodo *Mars* dicitur Homero, Ἄρης ἄτος πολέμοιο. id est, *Mars insatiabilis bello.* Huius autem dolosum ingenium Nestor memorat Telemacho ipsius filio Odyss. γ.

Ἔνθ' ἔπις πότε μῆτιν ὁμοιωθήμεναι ἄλλην
Ἤθελ' ἐπεὶ μάλα πόλλον ἐνίκα δεῖος Ὀδυσσεὺς
Παντοίοισι δόλοισι πατὴρ τεὸς·

Ibi nemo vnquam se voluit conferre solertiâ & consilio cum hoc, quia varietate dolorum & fraudum cæteris pater tuus antecellebat. quomodo lib. Æneid. 2. dicitur *inuentor scelerum* Vlysses. Quamobrem Eustathius scribit in Ὀδυσ. μ. αὐτὸν πασιμέλοντα καλεῖσθαι ὃς πᾶσιν ἀνθρώποις ἐλέγετο μέλειν διὰ ὃς, οἷς δόλος id est, *ipsum Pasimedonta vocitatum, qui propter dolos quibus instructus erat, curas omnibus hominibus graues iniicere dicebatur.* De eodem vide, quid Pallas Odyss. γ.

Præterea Solon è calliditate huius captauit occasionem cum Pisistrato Tyrannidem affectante iocandi: quum hunc fecit longè inferiorem illo arte dolos consuendi, vt scribit Plutarchus in vita Solonis. Hac tamen perspicientiâ & mentis agitatione solertiaque Vlysses non sic prospexit malis futuris, vt eorum expers esse potuerit: imò tot & tanta pertulit, vt pòst in prouerbium, sicut illa Herculis abierint: vnde Theognis:

Μή μ' ἐκακῶν μέμνησκε· πόσους θανάτους τοὶ, δῖα τ' Ὀδυσσεύς·

1. *Ne mihi in memoriam reuoca mala: iisdem certè affectus sum, quibus Vlysses.* Huius autem amicitia valdè erat dubia, & ex consilio Theognidis cauenda. Ita Græcis διπλοῦς ἀνὴρ dicitur, vt iisdem aliter ac clariùs, δίψυχος, cui opponitur ἁπλοῦς, vir candidus, quem etiam ijdem, vocant ὁμόψυχον.

Ὅς ἕτερα γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, ἄντε ἐτεῖος
Δῆν', Κύρν' ἔχθιος, ἢ φίλος ὤν.

Qui in vnam linguam habet mentem diuisam, ille est molestus & grauis est amicus, illumq; præstaret esse inimicum, quàm huiusmodi amicum.

Hîc operæpretium videtur veriloquia duorum Græcorum Heroum, Achillis & Vlyssis adscribere studiosis ex Homero & ipsius Scholiaste Eustathio: quia sæpiùs hîc postea occurrent hæc nomina: Hic pag. 12. editionis Basil. 1560. ἅτως ἐπιμολογεῖ τὸ Ἀχιλλεύς· ὅτι δὲ ἐκ τοῦ χλὴ παφυπομάζεται ὁ Ἀχιλλεύς, προφέρεται εἰς μαρτυρίαν καὶ ὁ Εὐφορίων, λέγων· ἐς Φθίην χλὴ κατῆλθε πάμπαν ἄγουσ', τόνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα σημήξαντο· τοῦ δὲ χλοὸς ἡ χρῆσις καὶ παρὰ Ξενοφῶντι, ὡς ἔνθα φησὶ στρατώτας ἀπελθεῖν πολλοὺς τοῦ στρατοπέδου διὰ χλόην. Eustathius sic notat vocem *Achilles. Quòd autem Achilles dicatur à chilo*, id est, *alimento, in testimonium profertur Euphorion dicens: in Phthiam descendit nullo* (illic) *cibo sumto, eam ob rem Myrmidones eum nominarunt Achillem. Huius etiam vocis Chilos vsus est apud Xenophontem vt vbi dicit milites discessisse e castris propter defectum alimenti Cerealis:* sed dicitur nutritus à Chirone medullis cerui nis & ouium pinguedine. Hoc niti potest auctoritate Pindari Ode. γ. Nem. vbi dicitur Achilles cursu equis celeribus anteuertisse, ac Κτείνοισ' ἐλάφους αὐδὲ κῶας δολίους δ' ἐρεχέων. id est, *interfecisse ceruos sine canib. dolosisq; septis:* vnde paulò antè dicitur ἴσος ἀνέμοις & apud Homerum πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, vel coniunctim ποδώκης vocatur. Alij putant etiam eundem posse dici παρὰ τὸ ἄχος τοῖς Ἰλιεῦσιν εἰσοίσειν, *ex eo quòd Ilienſibus mœrorem allaturus esset.* Mihi prior ratio magis probatur. Quod autem gemino λ. scribatur, nihil erat necesse, quum in *Chilos iota* sit longum, vt ibidem videre poteris. Ratio autem nominis Vlyssei sic redditur Odyss. τ. vers. 405.

Τλώη δ' ἄνθ' Αὐτολύκοιο ἀπαμείβετο, φώνησέν τε·
Γαμβρὸς ἐμὸς, θυγάτηρ τε, πίθεσθ' ὄνομ', ὅ, τι κεν εἴπω
Πολλοῖσιν γὰρ ἐγὼ ὀδυσάμενος τόδε ἵκανω
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν.
Τῷδε δ' Ὀδυσσεὺς ὄνομ' ἔσσεται ἠπεδανῶπις.

Hanc autem (Eurycleam) rursus alloquitur dicens: vos, gener meus & filia, ponite nomen quodcunque dixero, (nepoti) multis enim ego inuisus huc venio & viris & mulieribus in terram multipascuam: huic autem nomen esto, veritatem ipsius præseferens.

Hæc verba sunt Autolyci aui Vlyssis, quum volebat Euryclea vetula persuadere infantem Vlyssem de nomine ipsius aui vocandum Autolycum: sed maluit ob euentum παρὰ τὸ ὀδύσσειν nominandum: quòd ipse adueniens sibi odium & iram omniũ conflasset; quò Scholiastes addit, ὅτι ὁ Αὐτόλυκος ἐν κλεπτοσυνῇ ἐπισημότατος ἦν, *quia nobilissimus fur erat.*

Vlyssei.] Vlysseus refert speciem finis & pronunciationis Græcæ Ὀδυσσεύς, Ἀχιλλεύς, sicut Nereus, Peleus, Orpheus, quorum genitiui sæpè desinunt in ει monosyllabum: vt Eclog. 5. Virg.

Carminibus Circe socios mutauit Vlyssei.

In hac tamẽ Ode diphthongus ει metri causâ dissoluitur in dissyllabian: sed idem sub finem lib. 4. Georgicõn διουλλάβως effert integram vocem.

Inferias Orphei Lethæa papauera mittes.

De huiusmodi fine nominum sic Seruius Æneid. 8 versic.

Arma rogo, genitrix nato te filia Neri.

omnia, inquit, quæ in *eus* exeunt hodie, apud maiores in *es* exibant, vt Nereus, Neres, & genitiuum in *is* mittebant: sed quia plerunque *s* in Latinitate detrahitur, remanebat, *i:* hinc *Thetis est filia Neri* & immitis Achilli, quemadmodum dicitur vers. Æneid. 1.

Troas, reliquias Danaûm, atq; immitis Achilli.

Vbi annotat interpres: Achilli pro Achillis vsurpatum est, nec mirum apud Latinos bifariam terminari huius nominis & similium partium casum: quum apud Græcos idem ipse trifariam exeat λέως communiter, λεῦς, Ionicè λέως Atticè. Quomodo autem diphthongi αι & ει atque aliæ proferendæ sint Græcè, ex Apologetico Huralthospitaliorum pro veteri ac germana linguæ Græcę pronunciatione cognosce, vt modò de β & vau monuimus.

Sauam.] Propter quam sæuitiem Iupiter immisit diluuium tempore Pyrrhæ: sicut fuit in Dialecticis Odes 2. notatum: vnde iam videtur immanitas Pelopidarum in prouerbium abijsse, & ad rei alicuius atrocitatem notandam adhiberi multis in locis à Cicer. ac inprimis lib. 7. ad famil. Epist. 30. ad Curionem: *Ego verò iam te nec hortor, nec rogo, vt domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio, & aliquò peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.*

3 *Laudes.*] Apparet è definitione huius vocis, quæ sit ipsius vera notio: ἔπαινος ἐστὶ μαρτυρία τινὸς ἀπ' ἀρετῆς, ἢ λόγος ἐμφανίζων ἀρετήν, *laus est testimonium alicuius de virtute datum, vel sermo illustrans virtutem.* Etymon autem vo-

cis

cis *laus*, est quibusdam à prisco verbo Æolico λαύω, cuius coniuncta remanserunt adhuc ἀπολαύω, ἀπαπολαύω, συναπολαύω, fruor, obiter fructum capio, vnà fruor; alij verò deducunt à λαὸς, quòd laus sit consensus populi & prædicatio de virtute alicuius. Et certè virtus ipsius; actio nullum percipit fructum laude & honestâ commemoratione meliorem.

Deterere.] Hoc valet, extenuare, eleuare, diminuere, quod esset amplificandum, excolendum, magnique; faciendum: quemadmodum sumitur l. 2. Hist. Corn. Tac. si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis & comessationibus & Principis imitatione deteritur. Pro hoc dicet postea, Ode 3. lib. 3.

Quo Musa tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

quod Græci dicunt ἐλαττοῦν πρὸ ἢ ἐξυβρίζειν: contrà μεγαλύνειν, extollere; & προστιθέναι πρὸ, augere laudem.

4. *Tunicâ tectum.*] Altera est interpretatio vocis χαλκοχίτων, ærea tunica, pro, armis æreis, lorica ærea, quibus, vt tunicis, milites teguntur: sic Iliad. β. Ἀχαιοὶ λέγονται χαλκοχίτωνες· *Achiui dicuntur loricati*, æreque armati: vbi præterea χάλκεος redditur, adamantina tunica. Est autem adamas gemma pellucida ac velut lapis durissimus, & indocilis frangi & domari: vnde videtur ἀδὰμας τὸ μὴ δαμᾶσθαι dici, qui nō possit domari. Simili etymo Hebræi notāt suum אלמאס *almahs* quòd omnes lapides conterat & pertundat: ipsius tamen adamantis tam indomita durities dicitur cruore hirci vel leonis calido ita remollescere, vt rumpi tandem queat. Dionysius in Periegesi è subiecta regione & adiuncto splendore sic describit: ἀδάμαντα πάντα παμφανόωντα Ἐγγύθεν ἀθρήσειας ὑπὸ φυγοῦς Ἀγαθύρσοις· *adamantem pellucentem propè cernas sub frigidis Agathyrsis.*

Nigrum.] Hîc intelligo puluere indecoro & luto nigro in media pugna sordidatum & oblitum, vel, vt alij volunt, Æthiopem.

Merionen.] Hic appellatur Iliad. μ. bonus famulus, qui Idomeneo venit obuiam, de cuius virtute vide ibidem elogium Idomenei: Iliad. quoque 7. dicitur patruelis Idomenei.

Tydidem superis parem.] Pallas passim apud Homerum fauet Diomedi, maximeque Iliad. ε. vbi, sicut aliàs, vocatur δαίμονι ἶσος, θεοείκελος, ἢ θεοῖσι, pro θεοσδμῆς, ἀντάλαντος θεοῖς· par, similis, dijs æqualis pondere: quod Horatius vertit superis parem.

Conuiuia.] Cicero in Epist. 24. l. 3. ad famil. & in Catone Maiore anteponit notationē huius vocis Latinæ, à coniunctione vitæ, notationi Græcæ συμποσίου, à compotatione, vel à combibendo tanquam diceretur combibium: σωσίπατρα quoque dicuntur quæ Latinè vocantur sodalitates, & sodalicia frugalia. Vnde etiam Hebræi suum משתה *mischtheh* denominarunt. Adhæc è verbo bibendi significatur σωμεκδοχικῶς integrum conuiuium, vt cap. Geneseos 43 v. 34. & Esther cap. 1. v. 15. & c. 7. v. 1.

Vacui.] Explenda est hîc Ellipsis disiunctiuæ: cantamus, siue quia cessamus otiosi, nullisque negotijs sumus impediti: siue quòd consuetâ leuitate amamus. Hoc sensu distinguendum est post *cantamus*. Quidam tamen legunt, siue quid vrimur.

Non præter solitum.] Dicitur Græcè, μὴ παρὰ τὸ εἰωθὸς, quòd est *nō præter morem meum*, & affirmatè, κατὰ τὸ εἰωθὸς, *pro meo more.*

Explicatio Rhetorica.

1 METrum est dicolon, terrastrophon, tribus primis versibus Asclepiadeum, & quarto Glyconicum.

a Hîc intelligitur, *tu*, quod certè sumendum est per metonymiam efficientis, pro rebus præclarè ab eo gestis, partisque victorijs, quę scribentur à Vario pro ipsarum dignitate.

b Metaphora est ab auibus ad sublimitatem ingenij Variani celeritatemque carminis Homerici & stylj elegantiam indicandam, cuius auspicio & imitatione fama hominis optimè descripti celerrimè latissimeq; funditur ac dissipatur, vnde ἔπεα πτερόεντα dicuntur ab Homero: sed de hac vi carminum repete, quæ nos annotauimus ex Theognide in Rhetoricis Odes primæ huius libri.

c Per synecdochen dicitur pro militibus plurimis. Ita synecdochicῶς Virg. Georg. 3. comparat Afros Pastores cum Romanis militibus,

Non secus ac patrijs acer Romanus in armis.

Sic Tropicῶς dixerat vers. præced. *Armentarius Afer.*

2 d Altera est synecdoche, sed generis, pro Achilles.

e Duplex est hîc metonymiæ modus: prior subiecti ad bilem adjunctam, quę prauâ corporis affectione vel redundat per Anastomῶsin è suis cholodochis in ventriculum & inania spatia: vel acceptâ iniuriâ & animi perturbatione inflammat spiritus incitatiori cupiditate vlciscendi, vnde ira existit, atque ita rursus metonymia est causæ ad effectam fortitudinem significandam. Alij malunt agnoscere hîc μετάληψιν, transsumtionem, quæ fit à prioribus ad posteriora, vel contrà: ac potius cum aliud ex alio transsumitur, & de vnico verbo deducitur. Hic quidem adnotari potest idem prorsus, quod Ramus in vers. Georg. 1. sub finem adnotauit.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.

Hîc per metonymiam incolas, & per synecdochen significat populos Orientis, sic in vno verbo Tropus est duplex, & Metalepsin videlicet à Quintiliano propositam magis quam explicatam continet. in Germania quoque duplex est Tropus, Metonymia & Synecdoche.

f In *duplicis* metaphora est à corporibus πρὸς τὰς δίχα θυμοὺς ἔχοντας *ad eos, qui habent animum diuisum.*

g In *nec* repetito est epanaphora.

h Alia est metonymia subiecti pro Tantalo & posteris eius impijs ac sceleratis, de quibus obiter dictum est in Grammaticis Odes 2.

i Metaphora est à sacrificantibus, qui excipiunt è grege, quod seorsim saginatum destinent aræ: vt eximius porcus è numero aliorum eximitur ad vsus dominorum. Donatus in Act. 1. Scen. 1. Hecyræ. Egregius tamen à re militari potest transferri ad eum, qui iam ordinem ducere & illi præesse: contrà, gregarius qui neutrum præstare potest. *In detereret* metaphora notari potest ab his qui terendo aliquid extenuant; & comminuunt. pro quo Cic. lib. in Verr. Altero eiusdem simplicis coniuncto vtitur, ne obteri laudem Imperatoriam criminibus auaritiæ velitis.

k Aporia est per interrogationem, sine subiectione; quæ explenda est ad amplitudinem materiæ indicandam: Nemo est omnino prorsus omnium hominum, nisi ingenio diuino & incredibili præditus fuerit, qui res Cæsaris & Agrippæ præclarè fortiterq; gestas possit dignè scribere.

l Synecdoche generis pro Diomede Tydei filio.

m Nota est metaphora ab igne, pro, amamus.

Ode VII. ad Munatium Plancum Consularem.

Theticum.

Planci animum conatur commendatione patriæ Tiburtinæ curis leuare, & à mæstitia vitæ ad hilaritatem traducere.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem,
Aut Ephesum, bimarisue Corinthi
Mœnia: vel Baccho Thebas, vel Apollinè Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus vnum opus est, intactæ Palladis [b] vrbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Vndiq; decerptæ [c] frondi præponere oliuam:
[d] Plurimus in Iunonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesq; Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ.
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio & Tiburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.
[a c] Albus vt obscuro detergit nubila cælo
Sæpe Notus, neq; [f] parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæq; labores
Molli, Plance, mero: [3] seu te fulgentia signis
[g] Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis vmbra tui. [4] Teucer Salamina patremq;
Quum fugeret, tamen vda Lyæo [h].
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ,
[i] Sic tristes affatus amicos.
[5] Quò nos cunq; feret melior fortuna parente,
Ibimus, ô socij comitesq;.
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro:
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam [k] tellure nouâ Salamina futuram.
O fortes peioraq; passi
Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

Analysis Dialectica.

1 Pars huius Odes prior disputatur minorum collatione: vbi duodecim ciuitates, iudicio multorum amœnitate quantumlibet insignes, longè Tiburi postponuntur, atq; minoris illarum habitus, quàm temperies Tiburtina æstimatur.

Hæc protasis continet argumentum, quo sequens arguitur apodosis, id est, quæstio. Nouem autem versus consumuntur in protasi comparationis explicãda, per inductionem tot ciuitatũ impariter cum Tibure comparatarum: sicũt tres proximi deinceps versus in apodosi restituenda: Interiecta est tamen breuiter in hac protasi tam longa primùm illustratio Thebarum & Delphorum è suis causis, Baccho & Apolline: deinde adiungitur comparatio altera, sed maiorum, præsenti aduersa, de excellentia Athenarum præter cæteras ciuitates ob Mineruam & ab ea inuentam, illicq; primùm natam oliuam, quâ magis amplificatur prior comparatio. Si enim Athenæ præstent cæteris ciuitatibus bonitate ac vbertate plantarum, & ciuitas Tiburtina ipsas Athenas non solùm præstantiâ plantarum, sed rerum etiam aliarum excellentium copiâ superet; certè longè plurimi facienda est.

Videntur primi nouem versus Odes præ se ferre quandam similium speciem: sed quum animaduerti decimum & vndecimum versus, vbi debuit esse finis protaseos talis comparationis, enunciari per negationem patium & inde protasin minorum institui, malim hæc notare, quàm illa, & loca impariter, quàm personas dissimiliter, conferre.

2 Altera est pars Odes, quæ constat integrâ similitudine Munatium cohortante ad iucundissimè viuendum, positis omnibus curis atque tristitiâ de statu Reipublicæ & suo tam mutabili. Quemadmodum, inquit, auster cælum sæpe serenat: nec semper pluuiam fundit: sic tu amœnitate Tiburis ac lætis conuiuijs mentem tuam recrea & refice, nec te mœrore & curis confice.

Hîc te, lector, moneo, vt consideres vel ex hac vna sola Ode, quàm fœcundissima & vberrima sit categoria comparatorum ad quiduis dilucidè ac perspicuè explicandum: quam Græci vocant τόπον τῶν συμβλητῶν ἢ τῶν συγκειτῶν· neq; hanc vbertatem hîc solùm ac in cæteris Poetis tam Latinis, quàm Græcis poteris obseruare, sed in omnibus ferè alijs etiam scriptoribus reperire: propterea quod illa, præsertim si ratione sumta est, rem propositam ad ipsos sensus admoueat, ac penè in animi conspectum ponat: de cuius facultate & vsu sic Demetrius scribit: Αἱ παραβολαὶ τῇ δεινότητι οὐκ ἐπιτήδειαι διὰ τὸ μῆκος οἷον τὸ ἄστρον δὲ κύων γεννᾷ καὶ ἄπορον ἀπροσδόκητον ὅτι κάστορα φέρεται. κάλλος γὰρ καὶ ἀκρίβειά τις ἐν τῇ εἰκόνι ἔνεστι· ἡ δὲ δεινότης σφοδρόν τι βούλεται, καὶ συντομον, καὶ ὀντυθεν πλήγματι ἔοικε· id est, *comparationes non grauitati sunt orationis accommodatæ longitudinis gratiâ, exempli causâ: vt canis generosa, & tamen inexperta, fertur temere in caprum: apparet enim in his venustas & perspicuitas quædam: sed grauitas requirit vehementiam quandam & breuitatem & cominus ferientibus similis est.* In hoc autem *Demetrij* exemplo desideratur apodosis parabolæ: quæ cernitur apertè in altero *Senecæ* epist. 59. *Inuenio imagines, quibus siquis nos vti vetat, & poetis illas solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse: apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi, qui simpliciter & demonstrandæ rei causâ eloquebantur, parabolis referti sunt.* (Huiusmodi fuerunt sermones Syrorum & Palæstinorum, vt D. Hieronymus testatur, & lectio sacrorum Bibliorum profitetur) *quas ego parabolas existimo necessarias, non ex eadem causa, qua poetis, sed vt imbecillitatis nostræ adminicula sint, & vt discentem & audientem in rem præsentem adducant.*

Deinde his subijcitur exemplum parabolicum Sextij cu-

tij cuiusdam Philosophi *mouit me imago ab illo posita*, id est, hypotyposis parabolica & subiectio, *ire quadrato agmine exercitum, vbi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum: idem, inquit, sapiens facere debet: omnes virtutes suas vndique expandat, vt vbicumque infesti aliquid oriturr, illic parata præsidia sint, & ad nutum regentis sine tumultu respondeant.* Hæc parabola est è collatione parium, reliqua complectuntur amplificationem comparationis, ex vtraque ipsius parte, quam poterit lector videre.

Verùm qui volet in hoc genere argumenti excellere, tenenda est ei mutarum rerum scientia, inprimisque naturalium: quæ ex omnibus comparabilibus propiùs ad sensus humanos accommodentur. Quod autem hîc te, lector præmoneo, id non sine illius doctissimi ac diligentissimi interpretis Eustathij exemplo me facere iudicabis ex ipsius Scholijs in hos versus ιλιαδ. ε.

Ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς ἀλωάς, id est,
Vt autem ventus differt paleas in latis areis.

Hæc comparationis σύγκρισις plenè ac integrè absoluitur sex versibus hunc continenter sequentibus: quos tibi legendos & iudicandos relinquo: vbi Scholiastes hæc annotauit ἀεὶ γὰρ ὡς πολλάκις ἔφαμεν, πολυμάθειαν καὶ ὀξυδορκίαν ἀγχινοῦ ἔχει παραβολαί, id est, *semper enim, vt sæpenumero diximus, comparationes Homericæ multijugem habent disciplinam & scientiam, nec exiguam vtilitatem:* sed ijsdem præposuit hãc admonitionẽ, cuius est interpretatio, *considera porrò, vt more Agricolæ loquatur in parabola, & tempus & artem subscribens frumenti ventilandi:* quò spectat expositio singulorum verborum tibi etiam legenda: cuius rei exemplum vnum & alterum præter Homericum tibi pro multis & innumerabilibus alijs proponam: primum è Plutarcho in vita Pompeij, qui non secus animum virtutemque bellicam Metelli iam senio relanguescentem atque remissam incendit suo aduentu: atque ferunt æs fusum & fluens emollire ac liquefacere, facilius igne ipso, æs alterum ipsi vicinum & adhuc frigidum & durum.

Alterum è primo libro 1. Epigramm. de Amphitheatro Martialis: vbi eadem minorum contentione, quâ præsens Ode, ædificia, quæ vnquam antiquitati miraculo fuerunt, ostenduntur & magnificentiâ & dignitate artificij cedere amphitheatro Domitiani Imperatoris. Simili quoque argumento Callimachus, sed contractiori, extulit templum Dianæ Ephes. hymno tertio.

Κεῖνο δέ τοι μετόπισθε τεὸν βρέτας ἐρυθίμεθλον
Δωμήθη· πάντων δ' ἔπι θαυμότερον ὄψεται ἠὼς.
Οὐδ' ἀφνειότερον ῥέκεν Πυθῶνα παρέλθοι.

Deinde circa illam Dianæ statuam latissimum exstructum est templum quibus nihil aurora spectabit diuinius, nec opulentius, vt facilè Pythona Delphicum superet.

3 Apodosis cõfirmatur loco subiectorum; vt quodcunque vitæ genus Munatius sequetur, publicum, aut priuatum; vrbanum, aut rusticum; meminerit semper se iucunditati dare.

4 Eadem apodosis, vel potiùs ἀνταπόδοσις, amplificatur exemplo, quod tractatur loco diuersorum, de quibus dictum est in Dialecticis Odes primæ. Hoc autem argumentum apertiùs sic enunciatur, & ἐνθυμηματικῶς concluditur: etsi Teucer summam contraxisset tristitiam ex odio in se paterno propter inultam fratris sui necem; suum tamen mœrorem vino suaui, conuiuioq; hilari cum amicis depulit: tu igitur tuam mœstitiam similibus remedijs depelle.

5 Cohortatio Teucri ad socios nititur primùm maioribus quod à fortuna plus studij atque fauoris, quàm à Telamone patre sit habiturus, itaque hîc deferendus & illa sequenda. Item adiunctis, quod socij & comites ipsius ducem habeant strenuum: in eosque bene animatum: deinde testimonio diuino, quòd tutò possint fiducia oraculi diuini se committere mari.

6 Postremò breui comparatione maiorum: quòd multò grauioribus periculis iam defuncti sint ijs, quæ posteà erunt ab ipsis subeunda.

Ex hoc argumenti genere Phœnix studet ιλιαδ. ι. ἀπο placare iratum Achillis animum, *Dij*, ait, *ipsi quorum virtus, honor & potentia maior est, precibus ac libamentis placantur: tu ergo præbeas te nobis precantibus Græcis omnibus æquum & placabilem, qui sis multò illis inferior.*

Hîc Eustathius annotat τὸ δὲ ἐπιχείρημα τοῦτο ὂν τῆ μείζονος εἰλῆφθαι, id est. *Hæc argumentatio sumpta est è collatione maiorum*, per ignoratam aut certè neglectam argumenti Syllogismiq; distinctionem.

Enarratio Grammatica.

Ad Munatium Plancum.] Hunc Munatium Plancum patriâ Tiburtem constat, primùm ex Epist. ad familiar. & è lib. 2. Velleji Paterculi sub medium, secutum partes Octauij post cædem C. Cęsaris: deinde ad Antonium se conuertit.

Inter hunc apparatum belli Plancus non iudicio recta legendi, neque amore Reipublicæ aut Cæsaris (quippe hæc semper impugnabat,) sed morbo proditor, quum fuisset humillimus assentator reginæ & infrà seruos cliens, quum Antonij librarius, quum obscœnissimarum rerum & auctor & minister, quum in omnia, & omnibus venalis, quum ceruleatus & nudus, caputq; redimitus arundine & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in conuiuio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur, dictitans id probatum à Cæsare, cui ille ignouerat. Hunc mox auunculum Titius imitatus est, haud absurde Coponius vir prætorius grauissimus & Pub Silii socer, quum recens transfuga multa ac miranda Plancus absenti Antonio in Senatu obiiceret: multa, inquit, mehercule, fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres. Ex eo hic Plancus, à planis pedibus dictus, (sunt enim Plancæ Festo tabulæ planæ, quas Galli interpretantur, *des planches*, olim palancæ dictæ, vnde Iosepho Scal. videntur inclinari à Græco Phalanges: hinc *Planci nominati sunt*, quasi πλατύποδες) tædio variabilis sui status, & desperatione redeundi in gratiam variè afficiebatur: Quare commotus Poeta ad hanc illum consolandi rationem se contulit.

Præterea è lib. 1. annal. Taciti discimus eundem obijsse legationem Senatus ad Germanicum post mortem Horatij & Augusti, ipsiusque vitam valdè periclitatã seditione legionum Germanicarum ad Rhenum.

Cæterùm hic Plancus in Aldina editione Numantius appellatur; Turnebus lib. 14. cap. 17. Aduersa. in veteri libro Numacium se scriptum reperisse testatur: à Dione tamen Munatius nominatur: quam scripturam germanam esse arbitror. Duxit hic Munatius colonias Rauricum prope Basileam, & Lugdunum in Gallia, vt ex inscriptione Caietæ ad Turrim Rolandi patet.

Laudabunt.] E duodecim locis vbique & poematis & historijs amplissimè celebratis ac descriptis Rhodus insula Lyciæ occurrit prima: cuius topographiam repete à Strab. lib. 14. & Diodoro lib. 6. c. 3. Pind. εἰδ. ζ. Olymp. Hom. ιλιαδ. β. in catalago nauium, quæ Insula fuit à Turcis occupata die Natali Domini Anno 1522. & sic dicta quod odoriferis rosetis, ὀσμώδεσι ῥόδοις abun

daret, vel à Rhodo Veneris & Neptuni filia, quæ quia facilè illustratur à sole propter apertum & planum mare, dicitur clara, nisi forte malis respicere ad nominis rationem ῥόδον, rosam. Quòd autem illa tam facilè perfundatur luce solis, testatur Solin. cap. 17. *Nunquam*, ait, *ita cælum nubilum est, vt in sole Rhodos non sit.*

Mytilenen.] Hæc fuit vrbs in Lesbo insula, cuius mentio facta est in Grammaticis Odes 1. de qua præterea vide Pompon. Melam & Diodorum lib. 6. cap. 16. & Dionys. de Situ orbis, & ipsius Scholiasten Eustath. Grammatici notant etiam numero multitudinis inflecti ex Oration. contra Rullum. Huc accedat huius vrbis definitio è varijs lectionibus Anton. Mureti, quam fatetur accepisse de pastoritijs scriptis cuiusdam Longi nondum in apertum prolati: Πόλις δὲ Λέσβου ἡ Μιτυλήνη μεγάλη καὶ καλὴ· διειλῆσθαι γὰρ αὐτὴν ὑπεισρεόντος τῆς θαλάττης, καὶ κεκόσμηται γεφύραις ξεστῆ καὶ λαμπρῷ λίθῳ. ὁμοίως ἐπόλιν ὁρᾷν, ἀλλὰ νῆσον· *Mytilene est vrbs Lesbi magna & pulcra: est autem distincta Euripis maris influentis, & pontibus lapidis candidi & politi, existimaueris te non vrbem, sed insulam videre:* vnde Eustath. suprà citatus ibidem notat Lesbum Pentepolin insulam de nomine huius vrbis interdum significari: quam si cum Venetijs conferas, valdè appositum respicies exemplar.

Aut Ephesum.] Hæc ciuitas fuit Asiæ minoris, & regia Ionum, vt scribit Strabo lib. 14. & Iustin. lib. 2. dicta παρὰ τὸ ἵεσθαι, διὰ τὴν ἡδονήν. id est, quòd se relaxarit & voluptatibus indulserit, aut à propinquiori syzygo ἔφεσις, id est, *remissio & mollities.* Pausan. in Achaic. scribit eam ab Epheso Cyclopis filio conditam. Strabo contrà ait eam conditam ab Androcho Codri filio. Ælian. à Maleo, vide lib. 8. cap. 5. Vbi celebre fuit templum Dianæ, de quo in Actis Apostolorum, & in Plin. lib. 36. cap. 14. vbi magnificentiæ vera admiratio exstat, quam ibidem leges.

Bimarisue.] Corinthus sortita est nomen à Corintho Maratonis filio, dicta etiam olim Ephyra, Heliopolis & Pagè: quam Cic. pro lege Manil. vocat *lumen totius Græciæ*: & lib. 1. de Diuinatione, Corinthum nominat modò vrbem, modò oppidum. πόλις Bimaris est interpretatio epitheti ἀμφιθάλασσος: quia est illic Isthmus Peloponnesi, id est, terra angusta mari gemino, Ionio & Ægæo intercluso, vel locus est qui alluitur vtrinque pelago: huic opponitur πορθμὸς significans angustias maris inter duas terras; qualis est Traiectus Caletanus inter Galliam Belgicam & Britanniam: & fretum Gaditanum inter Africam & Hispaniam; & fretum inter Italiam & Siciliam. Pind. Ὀλυμπ. 9. Isthmum vocat πύλας Κοίνθε portas Corinthi, in qua terra sita est Corinthus, & Achaiæ attributa: imò verò creditur ipsius caput, & vtrumque mare suburbijs, Lechæo & Cenchreis conterminum facilè ex Acrocorintho arce, quæ loco editiore exstructa imminet vrbi, prospectatur. Habes periegesin huius vrbis sub finem Agrariæ 2. apud Cic. Sic Auson. Eidyl. 26. tali epithetο post nostrum Poetam affecit Corinthum de locis agonum:

Isthmia Portuno bimaris dicat alta Corinthus.

Vox autem Græca Latinæ respondens, vsurpatur à Xenophonte in comparatione vrbis Atheniensis cum insula bimari: καὶ μὴν ἐκεῖνό γε ἴσον, ὅμως ὥσπερ νῆσος πᾶσιν ἀνθρώποις ἔμοιγε δοκεῖ τις, ὧν δεῖται καὶ ὑποπέμπεται ἃ βούλεται ἀμυθήτως ἀσφαλῶς· *quamquam vrbs Athenensis non est circumflua, tamen vt insula, ventis omnibus ad se aduehit ea, quorum eget, & exportat, quæ vult: est enim mari cincta: sic δι' ὅταμος πόλις, quæ Varroni est interamna, vrbs gemino flumine circumflua:* de qua Strabo lib. 8. & Solin 7. præterea Pompo. Mela. Sic Lucas. cap. 27. Act. Apost. vers. 41. scribit de quodam maris gemini loco, περιπεσόντες δὲ εἰς τόπον διθάλασσον, ἐπέκειλαν τὴν ναῦν, &c. *delati autem in locum bimarem, nauem illiserunt.* Tales certè portus, quàm sint appulsu difficiles, indicat paræmia, de qua Epist. 17. ad *Scæuam: Non cuiuis homini contingit, &c.*

Thebas.] In Bœotia Thebas collocant Plinius lib. 4. & Diodorus 2. Pompon. tamen Mela lib. 1. cap. 9. illas numerat inter clarissimas Ægypti vrbes, idque confirmat auctoritate Homeri Iliad. 9. Idem sentit Eustath. in Dionys. periegesin, vbi annotat nouem Thebas recenseri, & hanc esse marinam.

Delphos.] Delphi fuerunt ciuitas in Parnasso monte Phocidis à Strab. l. 9. & Iustin. l. 14. Rectè Festus tradidit epithetum *Insignis* esse commune laudis ac vituperij, vt hic est prioris, & Ode 12. huius lib. *insigni Camœna*, *insignis Homerus*, Epist. ad Pisones sub fin. *insigne Præsidium* Od. 1. lib. 2. Posterioris est Satyr. 1. lib 2. *Insignis tota cantabitur vrbe.* quale est lib. 1. de leg. Cic. *Prauitates corporis* per, *insignes.* illud pro infamis, hoc pro turpes.

Tempe.] Tempe fuerunt loca amœna in Thessalia, quæ Peneus amnis interfluit, vnde Virg. 4. Georg.

Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe.

De quibus lege Ælian. l. 3. ca. 1. de varia historia, & Plin. lib. 4. cuius verba quia situm loci velut sub aspectum subijciant, est operæpretiũ hic subscribere. *In Thessalia Peneus est fluuius claritate ante cunctos, ortus iuxta Gomphos, interq; Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens, quingentis stadijs dimidio eius spatio nauigabilis, in eo cursu Tempe vocantur quinq; millium passuum longitudine & ferme semiugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextrâ lauaq; leniter conuexis iugis: intus vero luco viridante allabitur Peneus viridis amœnus circà ripas gramine, canorus auium concentu.* Item de Athenis lege Iustin. lib. 2. Est autem ἄπλωτον τὸ Tempe Latinè, καὶ πληθωπικὸν μόνον, & ita definitione declarantur à Scholiaste Callimachi in Hym. Deli: Τέμπη, αἱ στενώτατοι, διεκβολαὶ τῶν Θεσσαλίας ὀρῶν· *Tempe sunt traiectiones & exitus angustissimi montium Thessaliæ, per quos fluit Peneus.*

Vnum opus.] Id est, qui in hoc vno elaborant, vt celebrent Athenas: vel, vt Terentius loquitur, *quibus id negotij solùm datur*, vel id solùm curandum videtur, vt Athenas carmine immortalitati consecrent. *Opus* dicitur ἀπὸ τοῦ ἔργειν, *à curando & tractando*, & ita distinguitur ab opera, vt hæc sit actio & persona ipsa, quæ opus peragit: opus sit finis & fructus operæ, auctore Donato in Heauton.

Intactæ.] Tres tantùm Deæ creduntur Veneris expertes; Pallas, Diana & Vesta.

Palladis vrbem.] Id est, Athenas: cur autem Pallas potiùs Athenis, quam in insula Rhodo sedem collocârit, rationem vide apud Pindarum ἐν τῇ ε. Olymp.

Vndiq;.] Τὸ *vndiq;* valet *vndecunq;* frondes aduectæ sunt. Præterea hanc lectionem sum sequutus:

Vndiq; decerptæ frondi præponere oliuam.

Vt perspicies è genere argumenti priùs notato.

Oliuam.] Oliua proprium est Palladis inuentum, (lib. tamen 3. de nat. Deorum Aristæus Apollinis filius dicitur inuentor Oliuæ) omnibus studiosis charum, vt ipsum oppidum Athenæ, qui omnibus arborum frondibus oleaginam præferunt. Hæc Planta Plin. lib. 16. ca. 4. nec cariem neque vetustatem sentit, quin eam ducentis annis, durare inter arbores conuenit vt eodem lib. cap. 44. scribit.

In honorem.] Hæc videtur vox dicta ἀπὸ τοῦ ὄνησιν, ab adiumento. Magnus semper honos Iunoni fuit ab Ethnicis delatus, quod Ioui ὁμόφρονος, maiestate proxima, esset vtpote & soror & vxor.

Aptum equis Argos.] De Argo lege Plin. lib. 4. Strabo. l. 8. qui hanc vrbem equis alendis cõuenientem ponit in Achaia,

in Achaia, ideoque Hippum nominat: Græci verò ἱππόβοτον, altricem equorum: de qua vide etiam Iliad. γ. versu 75. Interpres Virgil. in v. Aeneid. 4.

——*vbi maximus Atlas,*

Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum. dum explicat quemadmodum Atlas sustinet axem humeris suis coniunctum, non insignitum, vel vt alibi vicinum, notat vocem πλῶ *aptum* dici ab eo, quod est ἅπτεσθαι, vt sit vrbs Achaiæ maximè idonea tractandis & alendis equis: quod mihi tamen parum credibile videtur, quum ipse in scholiis Eustathij in periegesin Dionys. legam τὸ Ἄργος ὀνομασθῆναι τὸ δίψιον, διὰ τὸ μὴ πολύυδρον εἶναι· *quod aquis non multum scateret*, ideoq; nec pabuli copiam, nec facilem aquandi, & commodam suppeditari potestatem. vide ibidem pleniorem Soli Argiui descriptionem ad versum:

Ἄγχι δ' Ἀργείων ἄρπος, &c. Seruius citat hunc locum ad vers. Aen. 8. *Ille vrbem Argiripam patriæ cognomine gentis.* Diomedes fuit de ciuitate quæ Argosippion dicitur, & quod Homerus Ἄργος ἱππόβοτον, id Horat. dicit aptum equis. Hîc in Apulia condidit ciuitatem, quam de nomine patriæ suæ appellauit, & Argosippion dixit: quod nomen postea vetustate corruptum, & factũ vt ciuitas Argiripa diceretur, quod rursus corruptum Argos fecit. Est tamen Arpas in Campania, vnde Cic. Arpinas cognominatur.

Mycenas.] Mycenæ fuerũt finitimæ Argo, & epithetum, *dites*, interpretatur Græcum πολυχρυσοῦς.

Me nec tam patiens.] Nonnulli fortasse minùs probabunt argumentum hîc notatum: quia Seruius in hoc distichon lib. 7. Aeneid. sub finem,

Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

docet *istas particulas non ad prælationem esse positas, sed ad exæquationem:* quod in simili exemplo Sallustij repetit apertiùs, licet inuerso partibus: *Quam quisque pessimè facit, tam maximè tutus est: est hîc*, inquit, *exæquatio, non comparatio.* Sed enim hæc Seruij annotatio mecum facit: quia nomine exæquationis paria significãtur, quæ sunt de genere primo comparatorum: cuiusmodi sunt Aeneid. 4. in descriptione famæ:

Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri:

id est, fama enunciat æqualiter pariterque vera, atq; falsa: bona atque mala. Ex hoc nunc primum equidem intelligo, non temerè Seruium fuisse notatum à Ramo in vers. 1. Georg.—*sæuit toto Mars impius orbe,*

Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ.

ad hunc modum: Seruius autem nescio quam Rhetoricam & Logicam nobis ostendit. Sanè sciendum, ait, Translationem hanc esse non comparationem, quæ si ponatur in fine vitiosum est. Fallitur in vtroque Seruius. Comparatio enim est non Translatio. sic apertius enuncianda: Quemadmodum quadrigę tanto feruntur impetu, vt auriga cohibere nó possit: ita omnes populi, Martis quodam ardore adeo inflammati sunt, vt Imperator Octauius retinere nequeat. Quadrigæ igitur populos: aurigę Imperatorem comparatum intelliges. nec quia præsens comparatio est in fine ideo vitiosa est, interdum enim res sequitur, simile præcedit, vt in 5. Ecl. *Vt Baccho Cereriq;, tibi sic vota quotannis Agricolæ faciant.* Aliquando contrà, vt 1. Georg.—*sic omnia fatis*

In peius ruere ac retrò sublata referri,
Non aliter quàm qui aduersos vix flumine lembum.

Sed quum paria negantur, non tam, non tot, non ęquè, & similia, fiunt tum minora, vt in hac Ode: vnde sublatâ negatione haberes paria: quorum sensus esset: tantũ me afficit habitatio Tiburtina, quantum habitationes oppidanæ alibi afficiunt suos ciues.

Lacedæmon.] Lacedęmon fuit in Laconia, aliter Sparta dicta, de qua Iustin. lib. 3. & Tuscul. lib. 2. vbi patientia exponitur de rigore disciplinæ à Lycurgo traditæ.

Lariſſæ.] Lariſſa est Straboni lib. 9. vrbs Thessaliæ, vnde Lariſſæus Achilles, quæ priùs dicebatur Argos Thessalicum.

Percussit.] Pro hoc etiam Terentius dicit, perculsit illicò animum. Gallicè, *il me fit soudain esbahir.*

Campus.] Varro lib. 4. de ling. Latin. ex eo campum dici putat, quòd ex agro plano primùm fructus capiebant: sed verius est etymon Iosephi Scaligeri, qui hanc vocem flectit ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, à flexu equorum & quadrigarum certantium in circo plano & hippodromo: qui est velut æquor terræ.

Opimæ.] Epithetum *opima* interpretatur Græcum πίονα, gleboſa, fertilis ac dives. Hanc tamẽ vocem Plutarchus in Romulo sic notat: Opima spolia dicta sunt, auctore Varrone, quòd diuitias, opes appellent. Rectiùs mihi videtur ab opere: *Nam quum manu suâ dux ducem interficiens ipse decus parit, permittitur ei opima spolia consecrare.*

Domus Albuneæ.] Id est Tibur, quod oppidum fuit in Sabinis à tribus Argiuis fratribus; Tiburto, Catillo, & Cora conditum, & sic à natu maximo denominatum: de quo sic Seruius in Aeneid. 7. versu,

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt:

de Græcia tres fratres venerunt ad Italiam; Catillus, Cora, Tiburnus (sic meliùs scribenda, quàm Corax & Tiburtus, quid im censent) hi simul omnes vnam fecere ciuitatem, & eam de fratris maioris, (pro natu maximi) nomine Tibur appellauerunt, licet & alias fecerint singuli. Ibidem paullò antè ad versum *Tela nouant &c. Tibur superbum* appellatur: quod Seruius bifariam interpretatur: aut, inquit, nobile, aut per transitum tetigit illud, quod aliquando, quum à senatu auxilium poscerent, Tiburtes sub commemoratione beneficiorum, hoc tantùm à senatu responsum acceperunt: *superbi estis.* Quod oppidum sicut Prænestę & Tusculum Strabo li. 3. ponit in conspectu Romæ. Facit autem in Genitiuo Tiburtis & Tiburis: quorum priore vtitur Cic. lib. 2. de Orat. *in Tiburti fortè assedimus ego & M. filius:* & ibidem: *Villam in Tiburte habes.* Videtur tamen vsurpari epitheticῶς, vt Suetonius in Caligula cap. 21. *Inchoauit aquæ ductum regione Tiburti:* Sic Tiburtem agrum Liuius dicit, & Horatius Satyr. 6. lib. 1.

Quum Tiburte viâ Prætorem quinque sequuntur
Te pueri, &c.

Præterea fuit Catullo fundus in cõfinio Sabinæ ac Tiburtis regionis, vbi dicit *se conualuisse è grauedine & tussi morbis in Sextiana oratione audiendâ contractis. Quare refectus maximas tibi grates ago, inquit ad fundũ suum.* Indeadiectiua Tiburtius & Tiburtinus exiſtunt, vt est l. 7. Aeneid. ad versum iam citatum.

Albuneæ.] Hæc fuit Nympha & Dea Tiburte culta. Item fons eiusdem nominis, dictus ab albæ aquæ decursu, etiam Leucothea iuxta ripas Anienis: de qua vide 7. Aeneid. ad hunc locum:

At rex sollicitus monstris, &c.

Præceps.] Hoc propriè dicitur de eo, quod in caput ruit; vnde transfertur ad quiduis deorsum latum.

Albus notus.] Interpretatio est, τὸ λαμπρόν τε, quod siccus & Argestes, id est, purus & candidus Auſtroque vehementior sit. Albus autem inclinamentũ habet à Græco, ἀλφὸς, quod est idem, atq; λαμπρὸς Hesychio, densâ literâ in mediam versâ, vt in *Alpes* in tenuem, vt dicetur Ode 4. lib. 4.

Sapiens.] Est σημεῖα pro sapienter, vel, si sapias, vel, vt sapias.

Labores.] Curas, molestias & dolores, vt Græci dicunt πόνους.

Molli mero.] Intelligit vinum defæcatũ potioni maturum, nec asperum: quod Græci dicunt οἶνον ἁπαλὸν, cui opponitur τὸ σκληρὸν.

Fulgentia signis.] Plin. l. 10. c. 4. quando legionum signa esse cœperint, scribit: aquilam Romanis legionibus C. Marius in secundo Consulatu suo propriè dicauit, erat & antea prima cum quatuor aliis, lupi, minotauri, equi, aprique singulos ordines anteibant. Paucis antè annis sola in aciem portari cœpta erat: reliqua in castris relinquebantur. Marius eam totùm abdicauit.

Teucer.] De huius nomine Paccuuius appellauit Tragœdiam, *Teucer*, vbi Telamon huic grauiter irascitur, sicut scribit Seru. in hunc vers. l. 1. Aeneidos:

Atque equidem Teucrum memini, &c.

Vt etiam Antonius refert lib. 2. de Orat. & Iustinus lib. postremo. Ille veritus iratũ patrem Telamonem, quòd mortem Aiacis fratris sui ab Vlysse interfecti non vltus esset, fugit in Cyprum, vbi condidit Salamina vrbem de nomine patriæ suæ: qua etiam de re nunc audi Vell. Paterculum, initio voluminis prioris: *Teucer non receptus à patre Telamone ob ignitiem nõ vindicatæ fratris iniuriæ Cyprũ appulsus, cognominem patriæ Salamina constituit.* Atq; in primis funebrem Isocratis oratione in laudem Euagoræ, vbi præter cætera ad hanc historiã pertinentia hoc narratur: *Teucer Achillis & Aiacis cognatione dignus, & nullo Græcorum aliorum inferior, postquam in expugnanda Troia strenuam operam nauârat, Cyprum aduectus Salaminem condidit nomine patriæ prioris et impositio, eamq; familiam quæ nunc regnat, reliquit. Tanta igitur est Euagoræ a maioribus accepta præstantia: vrbe autem sic condita, Teucridæ regnum initio tenuerunt, &c.*

Quum fugeret.] Seruius citat hunc locũ in vers. Eclog. 1. Virgil. *Nos patriam fugimus*, vt ostendat τὸ *fugere* plus esse, quàm τὸ *relinquere*: quò libet addere illustrationis gratiâ, quia illud ἀκοντὶ, inuitè, hoc ἑκοντὶ, sponte fieri sæpiùs solet: huc ampliùs addo, vt τὸ φεύγειν καὶ φυγὴν significent sæpiùs exulare & exsulium: ita videtur hîc vterque locus explicandus.

Vda Lyæo.] Voces Λυαῖος, καὶ Λύδιος, καὶ Λύσιος propriè dicuntur de Baccho è Plutarchi lib. 1. Sympos. Probl. 1. εἰ ὁ πάντων μὲν ὁ Διόνυσος Λύσιός ἐστι, καὶ Λύδιος, μάλιστα δὲ τῶν γλώττης ἀφαιρεῖται τὰ χαλινὰ, καὶ πλείστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσιν, i. at verò quum Liber pater omnium maximè Lysias est & Lydius, (id est, liberator: quod alij Græcè dicunt, ὅτι τοὺς ἀνθρώπους λύει μελεδώνων καὶ δυσφροσύνων· quòd homines curis & ægritudinibus liberet) maximeq; soluat habenas linguæ, summamq; libertatem loquelæ indulgeat. Seneca lib. de tranquillitate cap. 15. sic de ratione huius vocis agit, *Liber non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini: sed quia liberat seruitio curarum animum, vegetioremq; & audaciorem in omnes conatus facit.* Præter hoc etymon & alia, quę Etymologistes affert, quidam è Pausania proferũt Bacchum fuisse Λύσιον, quòd Thebanos à Thracibus vinctos soluisset: sed Plutarchus alio libro Συμποσ. scribit Lysium ex hac efficientia nominatum: ὅτι τὸ δυλοχρεπὲς καὶ ἄπρεπὲς καὶ ἄπιστον ἐξαίρων καὶ ἀπολύων τὴν ψυχὴν ἀληθείᾳ καὶ παῤῥησίᾳ χρῆσθαι πρὸς ἀλλήλους δίδωσι· i. quòd animo eximat, quicquid illic est seruile, trepidum & malè fidum. & hominibus potestatem faciat verè ac libere inter se agendi. Vox autẽ Latina *Liber* è veteri scriptura Loiber etymum duxit Iosepho Scaligero ἀπὸ τῆς λοιβῆς· à libatione, & hæc παρὰ τὸ λείβειν· à fundendo & stillando. Alludit autem ad prius etymon etiam Plutarchus in libell. περὶ τῆς ἀοργησίας, *de iracundia reprimenda*: Οὕτως ἔστε γάμου, ἔστε φιλία μετ' ὀργῆς ἄνευ λόγου, ἀλλὰ χωρὶς ὀργῆς καὶ μέθη καθόν ἐστιν· ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ νάρθηξ ἥμερον ποιᾷ τὸν μεθύοντα· ἂν μὴ περιχυθῇ μανὸν ὁ θυμὸς ἀμίσθου καὶ μαινόλλου αὐτῷ λυαίου, καὶ χορείᾳ ποιήσῃ τὸν ἄκρατον, id est, *ita neq; nuptiæ, neq; amicitia, quum adest iracundia possunt tolerari: sed quum iracundia abest, ebrietas est etiam res, quæ facile toleratur. Ipsa enim Dei*, hoc est, *Bacchi ferula est punitor hominis ebry satis idoneus, nisi iracundia adiuncta Dionysium efficiat è liberatore & chorearum præsule crudelem & furiosum.* Præterea vis Bacchi cognoscitur ex his cognominibus, qualem hic versus apud Athenæum illam arguit:

Πάσας δ' ὀκ καρδίας ἀνίας ἀνδρῶν ἀλαπάζει:

Omnes ex animis hominum mœrores exinanit: & apertè etiã ex his epithetis: χαιδότης, *lætitiæ dator*; χαιδοτης, πολυγηθὴς, *multum lætificans*; ἐγερσίγελως, *excitans risum*; παυσήρ λύπης, *sedator doloris*: quæ lib. 2. de legib. Platonis insigni sententiâ comprehenduntur, vt πολυπαίγμων, *Bacchus multi ioci & ludi*; ἡ τῆς δυσθυμίας λήθη, *obliuio tristitiæ.*

Tempora.] Descriptio huius partis erit Ode 9. sequenti ad verbum *canities*: & ratio vocis Latinæ est, quòd hæ partes prodant sua macritie & albedine tempora & annos.

Populeâ.] Populus est arbor in tutela Herculis ex victoria, quam retulit ex Cerbero: vnde Herculea dicitur Aeneid. 8. v. 275. Hæc autem corona non tam ad lætitiam, suppresso de exsilio dolore, indicandam, quàm ad spem vultu sociis simulandam, vt illi etiam bene sperarent. Præterea vox, *corona*, è Græco χορὸς, significante canentium & saltantium turbam, videtur deducta, quasi in celebritate dari, ferè soleat corona: nisi tamen malis ἀπὸ κορώνης ducere, quæ vox præter alias notiones παρὰ τὸ ἑλίσσειν καὶ ὑπικαμπτόμενον σημαίνει, i. quicquid facilè flectitur & est in flexum: licet hodierna scriptura non nihil repugnet priori, & Festus alteram addat à Latino quasi cohonoranda. Adhæc Hesychius tradit πῶμα κορώνης εἶδος στέφανος, esse genus coronæ.

Tristes.] Quia socij ipsius relinquebant inuiti patriam suam.

Parente.] A pariendo dicitur parens: quanquam autem τὸ πίκλειν propriè dicitur de sexu muliebri, vt τὸ ἄρσεν, de virili; Homerus tamen Iliad. ζ. dixit:

Αὐτὰρ Γλαῦκος ἔπικλεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην:

Verùm Glaucus genuit inculpatum Bellerophontem: vt hîc dicitur Telamon peperisse, id est, genuisse Teucrũ, quum ipsius vocatur Parens.

Certus promisit.] Donat. in Heaut. Act. 4. Scen. 4. distinguit ita polliceor & promitto: vt illud magis sponte: vnde *Cicero* dicit, *offerre se & vltrò polliceri.* Idem, *benignè ac liberaliter polliceri.* Hoc quidem discrimen, sicut verbi *recipio*, potest cõfirmari locis hisce *Ciceronis*, priori ex epistola ad Atticum, *de æstate polliceris vel potius recipis.* Posteriori ex Epist. ad famil. *Quæ tibi promitto ac recipio sanctissimè obseruaturum:* vnde apparet τὸ *recipio* quid augustius & sanctius illo vtróque confirmare; Sic Græca ὑποχεῖσθαι καὶ ἀναδέχεσθαι eiusdem cum Latinis notionis: hoc fiat rogando: vnde constat Teucrum oraculum Phœbi scisciando rogasse. Epithetum τὸ *certus* videtur alludere ad etymum τὸ *cortina*, quod Seruius notauit in Aeneid. 5. ad verba: —*adytis cortina reclusis:* qui locus est, vnde oraculum exit, dictus, vel quia tripos Apollinis Pythonis corio tectus est: vel quia ibi sunt certa responsa, quasi certina: vel, quod est verius, quia illic cor vatis tenetur.

Tellure, &c.] *Cicero* lib. 3. de natura deorum declarat his verbis, quid tellus sit, *Iam si est Ceres à gerendo (ita enim dicebas) terra ipsa dea est, & ita habetur. Quæ est alia tellus, nisi Rhea?* Iraque Seruius in 1. Æneidos ad vers.

—*ac magno telluris amore*
Egressi optata potiuntur Troes arena.

annotat, *tellurem pro terra posuit, quum tellurem Deam dicamus, terram elementum, vt plerumque Vulcanum & Cererem*

ponimus

ponimus pro igne & frugibus. De templo huius Deæ Cicero lib.3. Epist.1. ad Qu. Fratr. mentionem facit, *Reddita etiam mihi est peruetus epistola, sed serò allata, in qua de æde Telluris & de Porticu Catulli me admonebas.* Eadem dea dicitur etiam Ops, Cybele, Rhea, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, id est, *quòd ex ea fluant omnia.*

Salamina.] Salamis erit ambigua propter Homonymiam τῆς Salamis in Attica, quæ vicina est Aeginæ & huius nouæ in Cypro, de qua dubitabitur, an cedere debeat superiori.

Pectora.] Talis est cohortatio 1. Aeneid.

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

vbi pro eo, quod Virgilius dicit:

Quò fata trahunt retrahuntq; sequamur.

hîc dicitur:

Quò nos cunque ferat fortuna, ibimus.

quæ videntur depromta ex Ὀδυσ. υ.

Τέθλαδι δὴ κραδίη καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔθλης, id est,

Obdura, ô anime, & quondam grauiora tulisti.

quæ sunt in prouerbiis posita ad animos hominum malis fractorum facilius cotroborandum spe leuiorum.

Vino.] Intelligendum est de potione vini aliquantò meracioris, non de immodico illius vsu: vnde inducitur obliuio rerum omnium, ac memoriam exstinctam furor sæpiùs consequitur.

Pellite curas.] Festus ducit vocẽ ab eo, quod vrat cor: sed Scaliger filius scribit à cœra & cœrare pro curare fuisse in vsu: ideoque ἀπὸ τῶν κόρων, κοῖος, à satietate dici.

Iterabimus æquor.] Hoc potest referri ad idem mare remetiendum, quod præmensi fuerant ad bellum proficiscentes, vel negatâ terrâ ad iterum nauigandum.

Explicatio Rhetorica.

1 METrum est dicolon, distrophon, cuius primus quisq; versus est hexameter, Archilochius, secundus tetrameter Phalisicius, quatuor pedibus constans, vltimo semper spondeo.

a Libenter hîc agnoscerem ἐναλλαγὴν temporis: vt esset locus συγχωρήσεως figuræ, tanquâ Poeta diceret: laudent alij suam quisque regionem: Ego verò laudabo Tiburtinam, & cæteris anteponam omnibus. Non dissimili figura videtur Pindarus cecinisse ὠδ. α. Πυθ. Ὀλβίαι Λακεδαίμων, μαχάεσσα Θεσσαλία, &c: *Celebrent alij felicitatem loci vtriusque ob præclaram Herculis posteritatem: ego instituo Apollinis & Aleuadarum celebrabo Pellineum propter Hippocleam cursorij certaminis victorem.* Non diuerso schematis genere, sed negato Martial. primum lib.1. Epigram. pronunciauit.

b Synecdochica est Periphrasis Athenarum, αὖθις κατ' ἐξοχὴν λέγον τὴν ποτὲ κληθεῖσαι ἄξυ, ὡς νυῦ πόλιν Κωνσταντίνου πάλιν· ex Eustathij in Periegesin Dionysij, vt à Terentio in Eunucho Act.5.Sc.6.vers.17. *An in æstu venit?*

c Duplex est Synecdoche, primùm singularis pro, frondibus, deinde partis pro omnibus arboribus reliquarum vrbium oliuæ postponendis.

d Synecdoche est vnitatis pro multitudine, id est: plurimi dicunt Argos latis spatiis patêre ad cursum equorum, vt Iunoni gratificetur, cui carissima fuit hæc vrbs, sicut Mycenæ & Sparta è Theocriti Idyl.a. & Iliad.δ. Non ego tamen interpretationem eorum improbandam puto, qui sine tropo explicant *τὸ plurimus*, pro eo, qui se totum tradit Iunoni celebrandæ & colendæ, vt Cic. 4. Acad. quæstionum dicit, *multus in eo fuit*, & hic ipse Epist.1. lib.1. *Omnis in hoc sum*, pro, totus huic rei incumbo.

2 e Metonymia est effecti pro, nubes albicantes efficiente & agitante.

f Metaphora est ab animalibus grauidis.

g Metonymia est subiecti, vt vmbra Tyberis, pro, vel militiæ, vel domi fueris, id est, siue in bello, siue in pace. in *seu* iterato est Anaphora.

h Alia Metonymia efficientis pro vino. Idem est tropus Aeneid.9. v.337. de iuvene Surrano. qui

—multo iacebat
Membra Deo victus.

id est, Baccho: & in hoc est primùm Synecdoche generis pro specie: deinde metonymia inuentoris pro re inuenta, vino, per Metalepsin.

i Præparatio est ad prosopopœiam, quâ inducitur Teucer cohortans comites suos ad tolerantiam reliqui laboris. Modus est metonymiæ primus, quo causa efficiens ponitur Ethnicorum more atq; opinione pro effectis; qui sunt meliores successus futuri. Ita Græci sæpè τὸ τύχη vsurpare solent, ὡς ἡ τῆς Πειλάμις τύχη, ἀντὶ τοῦ ἄπτε ἀτυχήματος, id est, *pro rebus ipsius vel aduersis vel secundis.*

k Synecdoche est generis pro Cypro.

l Exclamatio est exhortantis comites ad iter audacter ingrediendum.

Ode VIII. Ad Lydiam.

Theticum.

Ex odio prætermissæ campestris exercitationis, quâ priùs flagrabat iuuenis Sybaris, & ex insueta eiusdem latitatione apud Lydiam scortum, Poeta coniectat illum ardere amore, & ita perire.

Lydia a *dic, per omnes* (*mando*
Te Deos oro, Sybarim b *cur properes a-*
Perdere: cur apricum
c *Oderit* d *campum,* c *patiens* f *pulueris* atq; g *solis*
Cur neque militaris
Inter æquales equitet: Gallica nec lupatis
Temperet h *ora frenis.*
Cur timet flauum Tiberim i *tangere? cur* k *oliuum*
Sanguine viperino.
Cautiùs vitat? neq; iam liuida gestat armis
Brachia, sæpè disco,
Sæpè trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet? vt marinæ
l *Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiæ*
Funera: ne virilis
Cultus in eadem & Lycias proriperet cateruas.

Analysis Dialectica.

1 PErexigua hîc obseruari possunt Dialectica: diligenti quidem percontatione Poeta quærere videtur è Lydia etiam iurando addicta causas cur Sybaris, quum æstus, frigoris, variique laboris patientissimus solitus sit videri, tamdiu tamen absit à campestribus ludis, iuuenilibusq; ac ingenuis concertationibus, quæ sunt, ὡς γεγυμνάσιαλα, & præludia virtutis atque gloriæ aliquando futuræ, vt Strabo scribit lib. 10. de

Pyrrhicâ saltatione armata: ὧν φασὶν ἄσκησιν πρὸς νέων ὅπλων τὰ σφαιρωτικά· *quam dicunt esse exercitationem iuuenum ad virtutem militarem:* sed nihil petitioni subiicitur. Sola enim scorti facta (illa tamen scortatoris ἀπροφαλικῶς) pronunciantur. Nam Lydia dicere potuisset: Sybaris est impatiens huiusmodi exercitationum ac imperitus: itaque

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:

Ad Pisones:

Ne spissa risum tollant impune corona.

Cui Poeta respondet contrà: est omnium istorum patientissimus & scientissimus. Quod si ἀγυμνάστως magis probes explicandum, facta iuuenis poterunt enunciari disparatè. Hæc enim repugnantiam habent: facilè laborem ferre, æstum pati, scienter equitare, luctari, natare, & has exercitationes odisse: illa, inquam, facta proponuntur, & finis ἀνασκήσεως καὶ ἀγυμνασίας vrgetur, καὶ ἡ τῆς ὡς στρατείας ἀποδρασις ἐλέγχεται, id est, ac velut detrectatio militiæ redarguitur; cuius labores fideliter suscepti, ac fideliter aditi solent victores verisimè nobilitare; proponuntur, inquam, nullâ illorum redditâ ratione, præterquam quòd ad hæc verba, *vitat cautiùs sanguine, &c.* est collatio minorum, vbi Sybaris iuuenis dicitur minùs timere venenũ viperinum, quàm luctationem campestrem, quasi cum spe simul vincendi, abiecisset certandi etiam cupiditatem. Atque præterea sub finem Odes adhibetur breuis similitudo, quâ hic Sybaris comparatur cum Achille, in genere quidem latitationis, sed quæ argumento causę finalis confirmatur longè diuerso ab altero fine. Thetis enim aliò spectauit in occultando inter puellas filio, atque hæc Lydia mulier libidinosa. Siquidem illa per somnum acceperat Achillem interiturum, si ad bellum Troianum proficisceretur: ideoque malebat illum remanere domi per totam vitam inglorium, quàm illic occumbere honestâ morte decoratum: sed honestius est consilium huius Lydiæ silentio dissimulari, quàm interpretatione coniecturali patefieri & illustrari: tantum ex his collige, quod initiò propositum fuit, Sybarim perditè amare iudicio Poetæ anteriastæ. qui multò fecisset honestius, si talibus diris mulierem libidinosam deuouisset, quales epistolâ 95. Senecæ legas in alias mulieres eiusdem notæ, *Libidine verò*, ait, *nec maribus cedunt, pati natæ. Dij illas Deæq; malè perdant! adeo peruersum commentæ genus impudicitiæ viros ineunt!*

Itaque videtur suadere, vt dimittatur ad honestas exercitationes, ad consuetudinem virorum ætate grauium, & consilio auctoritateque præditorum, à quorum similibus fuerũt olim instituta hæc exercitationum genera: ideoque ab illorum consiliis nunquam discedere debeat, sicut docet è Simonide Plutarchus:

Νέοις δὲ ζηλωτέον τὰς γέροντας,

Ἀθηλῷ ἵππῳ πῶλῳ ὡς ἅμα πρέχειν, id est, *iuuenes decet imitari senes, vt ablactatum hinnulum adhærentem equæ concurrere.* Potest etiam, vt obiter hoc dicatur, hæc vox ἄθηλος, aliter explicari, atque depulsus ab vbere, & significare lactis appetentem: vbi tum τὸ α, erit ὀπιπαπόν: sed verior est præcedens expositio: quia pulli recens depulsi, non desinunt adhærere lateribus equarum, & cum his ire. Natiua tamen notio est, ὡς ἂν γονὰς χωρὶς θηλῶν καὶ μαστῶν· *vt qui papillis vberum nunquam labra admouit.*

Enarratio Grammatica.

Lydia dic.] Sic Virgilius Ecloga 3.

Dic mihi Damœta &c.

ex imitatione Theocriti, εἰπέ μοι ὦ Κορύδων τίνες αἱ βοαί; quod verbum Donatus in Hecyr. Act. 3. Scen. 2. ad verba, *quid fuit tumulti? dic mihi. Dic*, ait, *verbum est instantis audire & curiosiùs interrogantis:* quemadmodum hîc explicandum puto. Per te quidem certè mihi licebit, credo, lector, si hanc Oden, vt quintam huius libri, interpretari de impotentia animi Horatiani, qui non poterat ferre Sybarim riualem potiores habere partes apud Lydiam, & ab hac se turpiter excludi: quanquam videatur hanc impotentiam obtegere inuolucro cuiusdam doloris de pernicioſa, libidinosaque iuuenis mollitie. Dum enim Lydiam vrget Satyricè de causſa, cur tamdiu ille lateat deses apud ipsam, satis apertè declarat magnum famæ detrimentum ex hac mollitie & segnitie huic futurum, ac tantùm non illi obiectare, quod est Satyrâ 2. lib. 2.

—— tibi quidnam accedet ad istam
Quam puer & validus præsumis, mollitiem? seu
Dira valetudo inciderit, seu tarda senectus:

Lydia,] Est cognomẽ è regione libidinosissima (singulari tamen clementiâ & misericordiâ Deus fuit in mulierem huius regionis cognominem Act. Apostolorum cap. 16.) qualis Ode 25. huius, hæc meretrix notatur & exagitatur: cuiusmodi etiam ferè cognomen sibi mulieres parùm honestæ asciscunt: quòd sæpiùs patriâ suâ eiectæ turpitudine vitæ coguntur viuere in aliena: vnde nominatur à Græcis πόρναι ἀπὸ τοῦ πέρνᾶν· quòd suam mercem expottent venum extra patriam: qualis Chrysis Terentiana creditur fuisse, quæ ex Andro commigrârat aliò. Lydij autem videntur originem trahere à *Lydim* vno ex filiis Mizraim, & hîc à Camo filio Noei. Præterea Eustathius in periegesin Dionysij tribuit Lydiis partes primas prauitatis, Ægyptiis secundas, Caribus tertias, vnde sunt illi in prouerbium traducti ad congressum malorum cum malis notandũ,

Λύδοι πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
Τριτοί δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι, id est,
Lydi improbi, secundi ab his Aegyptij,
Tertij denique Cares omnium perditissimi.

Quòd autem *Aegyptus* tota, & in ipsa maximè *Canopus*, domicilium sit omnium libidinum & impuritatum, legatur Senecæ epistol. 51. & Cosmographia *Stabonis*: αἱ δὲ Λυδαὶ πορνεύεσθαι πᾶσαι λέγονται· *omnes autem mulieres Lydiæ dicuntur esse scortatæ & prostibula.* Vnde Athenæus sic de iisdem scripsit, Λυδῶν γυναῖκες ἀφεταὶ εἰσὶ τοῖς ἐντυχοῦσιν, id est, *Lydorum vxores cuiusuis libidini expositæ sunt & patent.* Vnde Aeschylus in Persis sub initium Lydios appellat ἁβρογιλαίτας, & Anacreon Λυδοπαθεῖς αὐτὶ τοῦ ἡδυπαθεῖς· *delicatam, mollem & voluptariam vitam degentes.*

Sybarim.] Hac peregrinâ voce intelligendus fortassis videtur Telephus ille ἀτραγηλος Ode 13. huius libri ad idem scortum; & quidem valdè accommodatum est cognomen, vt Lydia: quia notabilis est libido, insatiabilis mollities Lydorum ex Athenæi lib. 12. accommodatum, inquam, ad mollitiem, luxuriam & voluptatem iuuenis notandam, quibus Sybaritæ præter alios populos credebantur olim liquescere ac fluere, vt scribit Plutarchus in vita Pelopidæ & Athenæus lib. 12. & prouerb. Μελιτταῖον κυνίδιον· *Melitæus catellus* indicat, nostris temporibus aptissimũ in tanta hominum mollitie & amore catellorum. Hinc Συβαριτικὴ τράπεζα καὶ συβαρίζειν· *mensa deliciis ac luxu redundans*, & his supra modum diffluere: vnde Prouerbium: Sybariticum ferculum prodiit, cuius meminit Lampridius in Heliogabalo: *Sybariticum missum semper exhibuit ex oleo & garo, quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt.* De his populis sic Strab. li. 6. Τοσοῦτον δ' ἀπηύξησαν διὰ εὐνομίαν ἡ πόλις αὕτη τὸ πλέον, ὡς τετρακόσια μὲν ἔθνη ὑπ' αὐτὴν ἐποιήσατο, πέντε δὲ καὶ εἴκοσι πόλεις ὑπηκόους ἔσχε· τειάκοντα δὲ μυριάσιν ἀνδρῶν ὅτε Κροτωνιήταις ἐπολέμησαν, ἐνῆν μέν τοι πρόφασις καὶ ὕβρεως τινὸς ἀδικημα-

νίαν δ' πασαν ἀφηρέθησαν ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα· ἐλθόντες γὰρ τὴν πόλιν ἐπήγαγον τὸν ποταμὸν, καὶ κατέκλυσαν· id est, *Hæc vrbs Sybaris tam præstanti ac florenti fortuna maiori ex parte vsa est, vt quatuor vicinis nationibus imperitârit, atq; quinque ac viginti vrbes habuerit in sua ditione. Trecenta autem hominum millia in Crotoniatas eduxit: luxu tamẽ & contumeliâ perdiderunt totam felicitatem dies 70. oppressi à Crotoniatis, qui Cataclysmo fluminis immissi, captam obruerunt vrbem.* Ita certè vsu venire solet, vt iisdem rebus, in quibus homines peccarunt, sæpiùs pereant. Vide plura de Sybaritis in Scholiis Eustathij ad hunc versum Dionysij, Δειλαίη Σύβαρις &c. in Periegesi.

Amando.] Similis est in Hecyra intentio criminis Actus 5. Scen. 1. versu 17. quo Laches senex accusat meretricem Bacchidem: *meum receptas filium ad te Pamphilum, &c.* Valet hîc, *amando*, blandis & fallacibus technis meretricum alliciendo.

Properes perdere.] Quæ & quanta sit perditio comes amoris, lege in Mercatore Plauti ad versum: *Sed amori accedunt etiam vltra hæc, quæ diximus.* &c. Hoc diceretur per Supinũ cum altero motus verbo, more Terentij, *cur eas perditum:* sed est vsitatum bonis Latinitatis auctoribus tribuere verbo *properare*, infinitum: vt Terentio in Phorm. Act. 5. Sce. 6. vers. 5. *properat illum inuenire.* Item Cic. in Somnium Scipion. *Quid moror in terra? quin huc ad vos venire propero?* &, *rem deducere in iudicium properat*, lib. 1. ad Atticum Epist. 11.

Apricum campum.] Od. proximè antecedente campus definitus & notatus fuit, quem Græci vocãt πέδιον περισύλλογον, δήλιον, περίσκεπον, vel τόπον ἀλεεινὸν, cui opponitur ψυχεινὸς, vt Seruius definit sub initium libr. 5. Æneid. ad verba,

—— *& apricis statio gratissima mergis.*

locum sole gaudentem, & illum notat ἄνδα ψύχους, & Aeneid. 2. dicitam de homine, *vt apricos meminisse senes* Persius, quorum ætas vix media regelatur æstate, vt loquitur Senec. epist. 67. dicitur etiam de loco, vbi citatur hic locus. Sed Festus propiùs ἐτυμολογεῖ ἄνδα φείκης, quasi ἀφείκης, sine frigoris horrore: vnde Aphrica dici videtur. Quare Parrhasius in artem Poeticam malè ducit ab aperiendo. Fuit autem hic campus ab initio Tarquiniorum, sed his expulsis consecratus est Marti, atq; inde postea Martius vocatus. Agellius tamen lib. 6. capit. 7. scribit, Tarratiam virginem Vestæ lege Horatiâ plurimo in honore fuisse, ipsique ius & potestatem exaugurandi & nubendi factam munificentiæ ac beneficij gratiâ: quòd campum Tiberinum siue Martium populo Romano cõdonasset: quò populus comitiis centuriatis mense Februario conuocabatur, atq; Idus Martiæ dies erant solennes Magistratibus ineundis. Ibi etiam iuuentus Romana omni exercitationis generi se dabat. Eam ob rem Cic. l. 1. de Offic. *Ludendi etiam est quidam modus retinendus, vt ne nimis nos profundamus, elatiq; voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditat autem Campus noster & studia venandi, & honesta exempla ludendi.* Quem Campum Martium Strabo lib. 1. ita describit: *Magnam ornamentorum partem Campus Martius continet, quæ præter ea, quibus sua sponte ac natura abundat, aliis etiam ex arte & industria ornamentis atq; insignibus instructus est. Etenim admirabilis magnitudo Campi tum Equitia, id est, Ludos Curules, & alias Equestres pugnas suppeditet; locum tamen tam multis Pilâ, Circo, Palestraq; sese exercentibus vacuum relinquit. Opera autem, quibus cinctus est, solum herbis consertum omni tempore anni, collium denique vertices Theatri speciem & ornatum ad alueum vsque fluminis præ se ferentes spectaculum præbent ita amœnum, vt ægrè ac inuitus ab eo abscedat.*

Patiens.] Non dissimiliter huic dicit Marius apud Sallustium: *hyemem & æstatem iuxtà pati & humi requiescere,* χαμαικοιτεῖν. Vocem autem *campus*, Ode 7. antè notauimus & Græcè & Latinè.

Militaris.] Vt militandi peritum decet: potest etiam antimeria esse, pro militariter, vt inquit Liuius, vel instar equitis militis, vel militarem in modum: quemadmodũ pleráq; epitheta sumuntur apud hunc Poetam.

Equiter.] De scientia equitãdi vide quid dicat lib. 4. Pædiæ apud Xenophontem Crisantas.

Gallica.] Strabo lib. 2. ex Eratosthene scribit Galliam olim Gadibus fuisse terminatam, aut certè à Celtis pleráque Hispaniæ nunc dictæ loca vsque ad Gades detenta: vnde Gallithia nomen adhuc retinuit, sicut Portugallia: sed de pernicitate Gallicorum equorum, qui proptereà dicuntur concepti vento, lege Iustinum lib. vltimo, & Plinium 8.

Nec lupatis.] Lupatum est genus fræni ad similitudinem dentium lupinorum: quod etiam lupus dicitur: priori Virgilius 3. Georg. vtitur:

—— *Namq; ante domandum*
Ingentes tollent animos, prensiq; negabunt
Verbera lenta pati, & duris parêre lupatis:

posteriori Ouid. 4. de Tristibus:

Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

Xenophon lib. de re equestri facit duo genera τῶν χαλινῶν, frænorum: ἔστι δὲ χαλινὸς τὸ ἐμβαλλόμενον τῷ ἵππῳ τοῦ στόματος σιδηροῦν ὄργανον· Est enim fræna instrumentum ferreum, quod in os equi inseritur, cuius lora dicuntur ἡνία καὶ ῥυτῆρες, habenæ, Gallic. *les Resnes*, à trahendo, vt χαλινὸς ἀπὸ τοῦ χαλᾶν, à laxando. τούτων δὲ χαλινῶν ὁ μὲν λεῖος τὰς ἔχας ἀμφοτέρας ἔχει· ὁ δὲ ἕτερος τὰς μὲν ἔχας κυβεῖς καὶ παχείας· τὰς δ' ἐχίνους, ὀξεῖς· id est, *alterum frænorum est politum & leue, prægrandes orbiculos habens: alterum verò habet quidem orbiculos & graues & breues: sed asperos instar aculeatorum herinaceorum:* qui orbiculi siue circuli dicuntur à Platone lib. 3. de Legib. φάλια, καὶ ζωμοὶ sumuntur pro moderamine ferocientium animorum, ὃς δὲ τρίτος σώτηρ ὑμῖν ἔτι ἀπαρχῶν καὶ συμφορᾶν ἀρχὴν ὅσον φάλιον ἐνέβαλεν ἀνθ' ἡμῶν τοῖς ἐφόροις δυσάμιν· *Sed tertius vobis seruator animaduertens etiamnum principatum luxuriantem & feruescentem, illi fræna orbiculatum, velut equo ferocienti inseruit potestatem Ephororum, qui apud Lacedæmonios erãt Regibus oppositi.* quod posterius existimo esse lupatum: quo equi tracti dicuntur Græcè λυκοστόμοι: de quibus lege librum 2. συμπος. Plut. quæstione 8. Insignis est fræni periphrasis apud Pind. Ολυμπ. ειδ. 15. ἀντιστρ. 4. quod Minerua dedit Bellerophonti, ad feritatem equi Pegasi domandam, cũ appellatur χρυσοδαμασίφρων, i. *aurum feros animos domans.*

Flauum.] De hoc colore repete annotationem in Grammaticis Odes 2.

Sanguine viperino.] Venenum viperæ propter acerrimum ipsius calorem est præsentissimum: vnde Ouid. 2. de remedio, Elegia,

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum.

Mas autem vipera Græcis est ἔχις, fœmina ἔχιδνα. Quæ verò symptomata morsum eius cõsequantur, vide Dioscoridem lib. 1. cap. 10. Hanc Grammatici Latini putant dici à vi pariendo. Nam vipera fœmina vbi mista est coniugi, eum occidit, atque vicissim fœtus viperini matrem sui partu: de quo vide Oden 4. lib. 3. Hæc tamen sententia videtur αἰνιγματώδης apud Lycophr. (quale iudicandum est totum huius Poema propter tropos, variasq; ex his allegorias) nisi Isacius Tzetzes hoc reddidisset: sic & Clytemnestra Agamemnonem, & Orestes Clytemnestram marrem occiderunt.

Oliuum, &c.] Ab oliua deflectitur oliuum, vt ab olea oleum. Thucydides scribit lib. 7. Lacedæmonios fuis-

se primos, qui certaturi corpora mudarunt, propalamq; se exuentes, oleo vnxerunt; quum olim etiam in Olympiaco certamine Athletæ subligacula circum pudenda habentes pugnarent: vbi Scholiastes annotat, τὸ ἄχλιον λίπα Ὅμηρος· ἐπιδεικτικῶς λέγει, ὡς λιπαρὸν αὐτὸ τῷ ἐλαίῳ. Huius autem vsus & effectus ab Eusebio lib. 4. demonstrationum Euangel. ostenditur. Ἔλαιον πάσης ἀμιγὲς ὑγρᾶς ὕλης φῶς λιχνικόν. πόνων διεγερτικόν, καμάτων ἀπαλλακτικόν, τὸ ἧπαρ ἐπιλαμφθὲν φαιδροποιόν· φῶς δίκλινῶς ἀποξύλεον τοῖς μύξμαρυγαῖς, διαυγῆτε καὶ λαμπρὸν ἧπαρ αὐτῷ χεωμένων ἐκ πλευρῶν τῶν ὄψιν, id est, *Oleum omnis humidæ materiæ expers auget aciem oculorum; laboribus medetur; fatigationem & lassitudinem exigit è corpore; inunctos eo alacres reddit; instar lucis emissum facit vibrantem fulgorem: reddit faciem vtentium eo pellucidam & splendidam.*

Liuida.] id est Græcis, ἐκφέρει βεβρόνας ὑποπίους· decolorata, subcruenta, ponderosa armorum compressione: qualia sunt membra è graui contusione & ictu baculorum, Gall. *meurtri & terni de coups.* Hæc propria est huius vocis notio è Seruio in versu Æneid. 6:

——illæ remis vada liuida verrunt.

id est, nigra: nam liuidum, i. inuidum, non nisi apud neotericos inuenies, vt apud Lucanum, & per correctionem, licet Ouidius dixerit: *Liuor edax*, quò licet addere ex Satyra 4. libri:

Liuidus & mordax videor tibi.

Hic color residet ferè in corporibus militum graui armaturâ grauatis relictus; quos Græci vocant βαρεῖς ὁπλίτας, & Latini milites statarios. Item dicimus racemos liuidos; qui incipiunt induere se colore purpurascente. Gall. *retirant à la couleur d' vne chair meurtrie.*

Armis.] Eustathius duobus locis docet veritatem huius vocis: prior est in hunc versum Iliad. α:

Ἀρσάντες κατὰ θυμὸν, ὅπως ἀτάξιον ἔσται·

Statuentes præmium quod animo æqualiter respondeat.

testimonio, ait, veterum Aristarchus densat τὸ ἄρσαντες, λέγων ἐξ ἀπῆ ῥηθέντα τὸ ἄρμα· *dicens ex ipso ἄρμα ortum esse:* Sed Herodian. tenuat, tanquam ab ἄρω, ἄρσω Æolico futuro, quod est *apto* & *accommodo.* Posterior autem locus est in hunc versum Iliad. β.

Εὖ δὲ πιφ ἄρματ' ἀμφὶς ἰδῶν, πολέμοιο μεδέσθω·

Vt accurate quisque circumspiciat arma, curetq; belli apparatum. ὅπ δεῖ τὰ ἅρματ' λέξις καὶ ὅπῃ ἕπεται λέγεται, καὶ ὅπ Ῥωμαϊκὸν τοῦτο, καὶ ὅπ διὰ τοῦτο οὐδὲ ὁμωνυμία ἐντεῦθεν γίνεται, διὰ τοῦτο παλαιοὶ σοφοί. ὅπως εἰδῆται δὲ ἧπλωρὸ βασιλεὺς παραινεῖ· id est, *Quòd autem vox currus etiam de armis dicatur, & sit Romana & Latina, nec ideò fiat inde vlla nominis cõmunitas in diuerso significatu, planum faciunt vetustissimi quiq; sapientes. Rex autem hortatur milites ad suscipiendam armorum procurationem.* Festus contrà dici arma putat ab armis, i. humeris, quòd inde scutũ, gladius, pugio, sica dependeant, quibus pugnatur cominus, sicut eminus telis.

Disco.] Definitur discus, qui etiam Græcè dicitur σόλος, τὸ σφαιροειδὲς· *quid rotundum, vel ferreum vel lapideũ, vel æneum:* quod, quum in auras sic iactum viribus & arte fuisset loro & à mento circumnexum, vt intra limites designatos decideret, τὸν δισκοβόλον, iaculatorem brabeio nobilitabat. E iactu disci crepitus edebatur aere cedente, cuius auditu discipuli auocabantur ab auditione Philosophorum, qui in locis vicinis profiterentur: de quo Cicero lib. 2. de oratore queritur; *auditores Philosophorum audire discum quàm Philosophum malunt.* reliqua ibidem leges. Satyrâ 2. lib. 2. iactus disci ponetur inter quatuor exercitationum genera ad versum,

Seu te discus agit, pete cedentem aera disco.

Id autem περὶ τὸ δίκειν, ὅθεν ὅτι τὸ βάλλειν. quo quidem verbo vsus est Pindarus Ολυμπ. ἰῶτα ἀν πς. 4.

Μᾶκος δ' Ἐνικᾶς ἔδικε πέτρᾳ

κρέα κυκλώσας ὕπερ ἅπαντας,
καὶ συμμαχία δόρυσσιν
παρέθηξε μέγαν, id est,
Sed longè Eniceus proiecit lapidem
discum, rotatâ manu supra omnes;
& sodalitio tumultum
commouit magnum.

Ex vtroq; verbo δίκειν καὶ βάλλειν eiusdem notionis Fab. Quintil. τὸ δισκόβολον, donauit iure Latinæ ciuitatis. Præterea in discus τὸ σῶμα πλειονάζει, aliunde, atque ex ipsius origine, profectum, fortasis ἀπὸ τοῦ δισκεύειν, *iaculari discum:* cuius inuentorem Pausanias narrat in Corinthiacis Perseum fuisse. Eadem sphæra vltra scopum missa præmium etiam ferebat. Hoc ludi genus à Græcis Romani accepetant; cuius certamen habes Iliad. ψ. sub finem, vbi sic prædicat inter alios Aiax:

Τὸ τεῖ μὲν αὖτ' ἐρρίφθη μέγας Τελαμώνιος Αἴας,
χειρὸς ὑπὸ σπουδῆς καὶ ὑπὲρ θαλερὰ σήματα πάντα.

Tertiò autem magnus Telamonius Aiax eiaculatus est discum prævalidâ manu, & omnes præcedentium metas exsuperauit. Ille autem victus est à Polypœta. Simile certamen habes Odyss. θ. vers. 186. vbi Vlysses inducitur disci iactu superans Phæacenses: de quo disci iactu lege Lucianũ in Anacharside & Ouidiũ lib. 1. Metamorph. Hanc autẽ disci definitionem & notationẽ inuenies in Scholiis Eustathij ad vers. lib. 2. Iliad. sub finem: δίσκοισι πέρπουλα, &c. præterea disci eiaculatio in aerem sic exprimitur à Propertio rotatione:

Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Hyacinthus dicitur exstinctus iactu disci, quem ab ipso missum Boreas retorsit in eum indignatus; quòd hic puer magis Apollinẽ, quàm ipsum amaret, de quo lege Seruium in Palæmone Virgil.

Iaculo.] Sextus casus est caussæ, pro, qui laudatur, nobilitatur, & celebratur propter victoriam talis iactus expeditè missi. Hîc autem expeditò valet celeriter & valdè proiecto.

Filium Theridis.] Delituit Achilles in Gynæceo Lycomedis apud Scyrum vnam insularum Cycladum: de quo lege Eustath. Iliad. α. & η. vbi reperies caussam & speratæ & tutæ latitationis in eo, quòd esset δισσὸς καὶ γυναικομόρφωτος, ὡς ἢ ἐν τῷ Λυκομήδους παρθενῶνι, ἀγνοηθῆναι ὅπ ἦν ἀνήρ. Laudatur Cleander Aegineta εθλ. η. ἰσθμ. ὅπ

Ἦλθ' οὐκ ἄπειρον ὑπὸ χει-
μῶ καλῶν δάμασε, id est,
Pubertatem præclaris quòd factis
atque exercitiis traducendam
coegerit, non autem in latibulo
ignauè ac libidinosè exegerit. quæ profectò exercitatio multas ipsi victorias illustres, Pythiacã, Nemaicam, Isthmiacam, Megarensem, Epidauricam peperit. Hic solet esse fructus immortalis ἧς φιλοπόνων.

Sub funera.] Præpositio hęc ferè denotat temporis & loci circumstantiam cum accusandi casu, vt, sub Galli cantum, sub aduentum. Valet igitur hîc, quum caperetur consilium de exitio Troianorum, & iam apparatus belli exercitusque conscriberetur.

Lycias.] Lycij fuerunt populi Troianorum σύμμαχοι, quorum rex Sarpedon opem illis ferens à Patroclo est occisus. Geographi faciunt Lyciam Asiæ regionem & Pamphiliæ finitimam. Ad hæc Grammatici tradunt è Vegetio cateruam esse propriè Afrorum, & constare sex millibus militum, Phalangem autem esse Macedonum, legionem Gallorum.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est dicolon, distrophon, cuius primus quisq; versus est Anacreontius è Choriambo &

bo & Bachio constans, id est, ex breui & duabus longis. Secundus est Alcaicus ex Epitrito secundo, id est, primâ, tertiâ, & quartâ longis, & secundâ breui: deinde duobus Choriambis & Bachio.

a Κοινωνία, sine tamen responsione & expeditione rei propositæ & quæsitæ: huic communicationi semper coniuncta est sustentatio, licet nihil maius vel minus subiiciatur exspectatum. Exclamatio quoque est ironica per oblectationem Veneris, Cupidinum, ioci & similiũ, qui synecdochicῶς hîc è genere intelligũtur.

b *Cur* repetitum initio membrorum constituit Epanaphoram.

c Εἰρωνικῶς intelligenda sunt: quòd, quum videtur ipsum laudare, tamẽ ipsum, vt effœminatum; maximè vituperet, dum dicit, cur abhorret ab iis, quibus iuuenes reliqui, ac ipsemet nuper, delectantur maximè, vt à lucta, palæstra, equitatione, natatu, disci iactu, cestu & similibus studiis ac exercitationibus ad disciplinã militarem perneccssariis?

d Synecdoche generis pro Martio campo, quem Ἄρειον πέδιον Græci dicunt.

e Latet hîc quædam μεγαλάλειψις falsæ causæ, cui respondet Poeta εἰρωνικῶς· eum non esse impatientem æstus, nec insuetum laboris, nec ignarum militiæ, licet abstineat campestribus exercitiis: quæ certè omnia intelligenda sunt per allegoriam è continuatis ironiis.

f Metonymia est adiuncti pro subiecta lucta, vt sequens oliuum indicat, quo luctaturi ante exercitationem perungebantur, non quòd vires oleo augerentur, sed quòd corpora, aut potiùs ipsorum articuli diutiùs laborem perferrent, nec lassitudinem sentirent: sicut Alexander lib. 1. problemat. 119. scribit. Ita enim priùs emollita erant tutiora multò aduersus aut rupturam, aut luxationem, lassitudinem, aliámue noxam. Idem sentit Lucianus Dialog. περὶ γυμνασίων: ac præterea de vsu pulueris, quo vncti conspergebantur, ne lubricæ manuum comprehensiones fierent, vt alibi notauimus, nec venti in corpora motu aperta sese insinuarent, vnde Lucanus cecinit:

Auxilium membris calidas infundit arenas.

quum de Hercule & Anteo loquitur. Idem Martialis lib. 7. Epigram. in Philænim, quam scribit ludere harpasto & flauescere haphe, quod sic Ouidius interpretatur describens luctam Acheloi cum Hercule: 1. Metamorphos.

Inque vicem fuluæ tactu flauescit arenæ. & Plin. lib. 35. c. 11. Ab huiusmodi Athletarum apparatu Seneca sumsit, quod ἀλληγορικῶς scribit epistol. 58. de sua Bajis Neapolim profectione, *Totum Athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. à Ceromate nos Haphe excepit in Crypta Neapolitana*, id est, post oleum & vnguentũ arenâ conspersi sumus in cauerna Neapolitana. Præterea Plutarchus in vita Alexandri de facultate olei hoc scribit, πόνων ἀρωγὴ ἔλαιον ἀνθρώποις ὑπὸ Θεοῦ δίδοται, id est, *oleum datur hominibus à Deo, vt eos à defatigatione laborum defendat.* Idẽ dixit in notis Gramm. Eusebius paulò antè. Plutarchus tamen aliò spectare scribit consperfionem pulueris lib. de primo frigido, vt calor corporum refrigeraretur, atque sudor inhiberetur. Vsus autem prior magis probatur Medicis.

g Metonymia est causæ pro effecto calore, ne fiat ἡλιόθλιπτος ἢ ἡλιόκαυστος: *solibus perustus membra.*

h Synecdoche est membri pro integro, id est, pro Gallicis equis.

i Alia synecdoche, sed generis est, pro, cur timet natare, quod iuuenibus probro vertebatur olim, vt Suetonius de Caligula narrat in ipsius vita cap. 54. *Atque hic tam docilis ad cætera, natare nescit.* Vnde Græcum prouerbium, μήτε νεῦε, μήτε γράμματα ἐδίδαξαν, *neq; natandi peritiam, neque litteras didicit.*

k Metonymia est adiuncti pro subiecta palæstra & lucta, quæ oleum requirunt vel ceram oleo subactam: vnde fit τὸ κήρωμα vnguentum luctaturis aptum, tanquam diceret, cur vitat luctationem vnctus oleo ab aliptis? Paulò autem secus Diuus Ioannes immutauit, τὸ χρίσμα, in epistola 1. capite 2. versu 20. Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα, *At vos vnctionem habetis ab illo sancto (Christo) profectam, & nostis omnia.* Vbi vnctio effectus ponitur μετωνυμικῶς pro vngente Spiritu sancto, ostendens eundem Spiritum illustrare fidelium animos, & in eosdem veram Dei notitiam ingerere, motusque voluntati eiusdem consentaneos excitare.

l Alia quoq; Synecdoche generis pro Achille Thetidis filio.

Ode IX. Ad Thaliarchvm.

Theticum.

Thaliarchum docet, quibus rebus impedimenta voluptatis superaturus sit, quò vi hyemis & frigorum inuitatur quisque.

1a *Ides vt altâ stet niue candidum*
Soracte: nec iam sustineant onus
Syluæ b *laborantes: geluq;*
c *Flumina constiterint* d *acuto:*
2c *Dissolue frigus, ligna super foco*
Largè reponens: atque benigniùs
Deprome quadrimum Sabinâ,
O Thaliarche, merum diotâ.
3 *Permitte Diuis cætera: qui simul*
f *Strauêre ventos* g *æquore feruido*
h *Depræliantes, nec cupressi,*
Nec veteres agitantur orni.
5o *Quid sit futurum cras, fuge quærere: &*
Quem fors dierum cúmque dabit lucro
Appone. 4 *nec dulces amores*
Sperne puer, neque tu choreas:
Donec virenti i *canities abest*
k *Morosa: nunc &* l *campus, & areæ*
Lenesq; sub noctem susurri
Compositâ repetantur horâ.
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo,
6o *Pignusq; dereptum lacertis,*
Aut digito malè pertinaci.

Analysis Dialectica.

NE tibi videar, ab instituta iam honestate abductus hoc Thetico, velim interpreteris hanc voluptatem paullò secus, atque Epicurus. Quanquam, si verum est eam Epistolam, quæ inscribitur Herodoto,

ipsius esse, illic metitur more Stoicorum vim & naturam voluptatis indolentiâ corporis & tranquillitate animi, vt homo ita vtrinq; bene affectus posit sapienter perspicere, quæ sint expetẽda & quæ fugienda: non autem eam æstimat, vt multi putant, ex libidine & intemperantia nitentis mensæ, famosiq́ue stupri. Verùm demus eum in voluptate felicitatem hominis collocasse: huius tamen disciplinæ non videmus Poetam ita addictum & consecratum, quin liberè colat & sequatur aliorum Philosophorum disciplinas & sententias: de quo sic ipsemet Epist.1.lib.1.hæc iactat,

Nullius addictus iurare in verba magistri:

quam quidem libertatem philosophandi animaduertimus hîc retineri: vbi prior pars Odes producta vsque ad hæc verba, *nec dulces amores, &c.* est è disciplina Stoicorũ, qui definiunt ac circumscribunt vitam Sapientis vacuitate doloris & curarum, prouisioneq; futuri neglectâ, & adhibito semper virtutis studio.

1 Quatuor autem primi versus Odes continent descriptionem temporis hyberni ex illustribus subiectis & adiunctis, alto monte, syluis albescentibus candore, magnitudineq́ue niuium, denique concretione fluuiatilium aquarum, quæ magno sunt voluptatibus impedimento.

2 Quia ex axiomate Medicorum, contraria contrariis sanantur, hæc cohortatio constat ex aduersis frigore & calore, contractè sic conclusis & iudicatis: Tu, ô Thaliarche, iam contraxisti intolerabile frigus, eoq́ue vehementer adstrictus es: illud ergo extrinsecus luculento foco, & intus veteri vino dissolve ac depelle. Quanquam autem visus sit sensus omnium acerrimus, non videtur tamẽ certior index frigoris ipso tactu, quũ membra corporis tremulo frigore quatiuntur & horrescunt: sed fingamus adolescentẽ minùs illo vri, fortassis tum aliud agentẽ: vnde Poeta necesse habuerit illũ prouocare ad statum præsentis temporis inspiciendũ.

3 Mordaces sollicitudines de conditione futuri sunt etiam grauissima hilaritatis impedimenta, & supra vires humanas. Itaque prouisio posteri temporis Diis ac fortunæ permittenda est, nihilq́ue est, quòd eo nomine tantoperè animum suum Thaliarchus excruciet, si res suas illis commendauerit. Hoc argumentum est è loco efficientium tranquillitatẽ animi: Dij enim pro ipsorum arbitratu cælum & tempora moderantur: vnde Poeta multò rectiùs hîc videtur de prouidentia diuina sentire, quàm Satyr.1.lib.1.ad hæc verba:

— credat Iudæus Apella:

sed turpissimo fine iubet ita curam futuri abigendam, vt illam postea conferat adolescens in amorem, qui res est plena solliciti timoris. Quidnam est hoc aliud, nisi euitatâ, vt aiunt, Scyllâ, incidere in Charybdin? Longè aliter Christiani sentiunt, qui ex Euangelio didicerũt ita omittendam esse miseram de crastino sollicitudinem, atque instituta nostra & consilia prouidentiæ diuinæ commendanda, vt regnum Dei inprimis quæratur, vnde nobis, quæ petimus, accessura sint omnia.

4 Adhuc Poeta sustinuit personã Stoici, nunc merum Epicurum agere videtur, dum inuitat rursus adolescentem ad lasciuiendum & animo obsequendũ ex adiunctis & subiectis: dum flos ętatis, dum locus, dum personæ & tempus sinunt, id est, dum iuuenis est, nec dum sentit incommoda ętatis ingrauescentis, quod sanè non satis verecundè & honestè fit à Poeta, quum ista ætas sit nimis propensa ex sese ad libidinem & intemperantiam. Vult enim hoc modo id, quod nõ suo tempore factum fuerit, colligere, neque expetendum, neq; postea conficiendum. Talibus voluptatis illecebris Tibullus lib.1.Eleg.1. se suosq́ue sodales excitat ad ætatem iuuenilem in deliciis conterendam: vnde Cicero in Catone Maiore scribit stupra & adulteria, omneq́ue tale flagitium existere,

Interea dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit
Dicere nec cano blanditias capite.

Sed tales tam breuis vitæ suauitates sapiens Salomon ironicâ quadam concessione sic primum videtur suadere initio capitis 12. Ecclesiastæ, iuxta nouam interpretationem, *Lætare, iuuenis, in iuuentute tua, & te exhilaret animus tuus diebus iuuentutis tuæ; perge denique in viis animi tui & aspectibus oculorum tuorum.* Deinde seriâ & verâ epanorthosi & dissuasoriâ reuocat eundem πρὸς τὸ μελανοεῖν, id est, *ad resipiscendum*, & ad sanctius vitæ institutum maturè capiendum. *Sed cognosce fore, vt propter hæc omnia Deus ipse adducturus te sit in iudicium: amove ergo indignationem,* (id est, peccatum μετωνυμικῶς, quo Deus ad iram prouocatur) *& auerte malum à carne tua. Nam iuuenta tua, vt ortus ipse, est vanitas, quæ instabilis est, ac citò euanescit.*

Enarratio Grammatica.

O *Thaliarche.*] Poeta videtur hoc nomen vel innouasse, vt sæpè alia, vel ad illud iam huic adolescenti inditum Oden accommodasse. Valet enim quasi diceres, θαλείας ἄρχοντα: *principem & arbitrum læticonuiuij:* vel simpliciùs dicitur τοῦτο τὸ ἄρχειν τῆς θαλείας: *quòd præsit conuiuio*, quod Terent. dicit in Eunu. Act.3. Scen.4. *Chæream ei rei*, id est, *cõuiuio symbolico, præfecimus:* quod Donatus interpretatur, συμποσιάρχην fecimus, alio nomine ἀρχιτείκλινον: qua voce θάλεια Hesiodus vtitur in operibus & descriptione aureæ ætatis:

Τέρποντ' ἐν θαλίῃσι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων.

Delectabantur homines conuiuiis omnium malorum expertes. ἐκ δὲ τῆς τε θαλείας καὶ τῆς ἄτης γίνεται σωματικὴ ἀταθαλία, ὅσα λέγεται ἢ ἐν θαλείαις ἁμαρτία· ἡ μὲν ἐκ τῆς παροινίας δὲ διαχυμένων πυκνόα, id est, *peccatum & vitium è violentia epulantium ortum*, teste Eustathio initio Odyss. de sociis Vlyssis, ad vers.

Αὐτοὶ γὰρ σφετέρῃσιν ἀταθαλίῃσιν ὄλοντο, id est,

Ipsi enim, quòd se cibis & poculis ingurgitassent, perierunt.

Quod etiam firmatur testimonio Athenæi, ἄτη δὲ παρήγετο ἀπὸ τοῦ ἄτειν, τοῦ βλάπτειν καὶ τρώσκειν, id est, *à lædendo & vulnerando*, vt apud Hesiodum, νήκεστον ἄλγος ἀέθλῃ αὐτὴ ἔπεστι, id est, pro, *Insanabiliter vulneratus est*, hoc est, ἀθεραπεύτως· nec solùm ἄτη ἐν ἔργοις, ἀλλὰ καὶ ἐν λόγοις habet locum; vt ex verbis *Achillis* in Agamemnonem,

Πηλείδης δ' ἐξ αὖτης ἀτηρύοις ἐπέεσσιν, id est,

Achilles autem contumeliosis verbis Atridem alloquutus est.

Soracte.] Mons est quibusdam Hirpinorum in Flaminia: aliis Phalisconum: aliis denique Sabinorum: hanc autem dubitationem videtur tollere locus Plinij lib.7. cap.2. *Haud procul vrbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.* Hic mons videtur similis rigido Niphatæ monti, de quo erit Odes 9. lib.2. Ille autem fuit sacer olim Apollini: vide Virgil.2.Aeneid. & Seruium ibidem:

Et sancti custos Soractis Apollo.

& in fin. lib.7. Æneid. vers.696.

Hi Soractis habent arces:

& ad finem lib.11. ad vers.

Summe Deûm sancti custos Soractis Apollo.

Narrant

Narrant historiæ, Syluestrem Episcopum Romanum huc se propter tyrannidem & crudelitatem Maxentij Imperatoris anno CCCXIV. recepisse conseruandi sui causâ, indeque Romam rediisse mortuo hoc Tyranno & Constantino Magno imperante.

Vt stet, &c.] Hîc τὸ *vt* exprimit modum & formam Soracteæ stationis, sicut apud Terentium mores hæc loquentis, *Scis, mea consilia vt tibi credam omnia. Gallicè, tu sçais, comment ie me fie en toi de tous mes aduis, secrets & entreprinses.* Verbum autem standi interpretor, rigeat frigore & horrescat, & ingenti mole niuis albicans procul videatur. Donat. tamen in hunc locum And. Terent. Act. 4. Sc. 2. v. 18. *per me stetisse, vt credat*, explicat pro, *esse*, & ita accipiendum confirmat exemplo Virgilij: *desertaq; montis Stat domus*: sed addit, aliter plenum esse, vt idem Ecl. 7. *stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ*, cui astipulatur Seruius. Addit præterea, aliter horrere: *stant lumina flamma*: & Lucilius, *stat sentibus fundus*, id est, horret, & ita Nonius Marcellus interpretatur. Sic deniq; stare dicitur quicquid firmè fixum hæret, vt Aeneid. 6. *Stet Marpesia cautes.* Odys. δ. de Vlysse, ὅδ' ἑστάθη ἦύτε πίτνη ἤμπεδον· sed ille, *vt petra stetit firmiter*, quod aliter Græcè, ὁ σφίλλεθ', μήτε καταπίπτῃ. Verùm quomodo fiat χίων, *nix*, vide apud Aristot. lib. de Mund. & in Meteor. & apud Suidam, vt præmonuimus in Gramm. od. 2. huius lib. Est autem hæc descriptio hyemis desumta ex Alcæo, vt è libro 10. Athenæi est videre.

Syluæ.] Hæc vox facta videtur ab ὕλη, spiritu denso (in s) vt sus ab ὗς, & *super* ab ὑπὲρ *sudor* ab ὕδρως, vel ὕδωρ.

Laborantes.] Permutatione verborũ sensus erit paulò clarior, vides, vt, quum syluæ nequeant tantum niuis onus sustinere, rumpantur.

Acuto.] i. e. acri, sæuo, penetrabili: sic dicit χίων ὀξεία.

Foco.] Grammatici hanc vocem ducunt à fouendo igne & nutriendo, vel potiùs, vt Festus tradit, à calefaciendo, homines ad ipsum desidentes. Sic Ouidius lib. 6. Fast. ab effectis notauit,

At focus à flammis, & quod souet omnia dictus.

quem Græci interpretantur ἑστίαν, quâ vtitur Homerus Odys. ζ. sub finẽ, quum Nausicaa sic Vlyssem alloquitur,

Ὦ ξεῖν' ἦ μάλ' ἔοικας ἀμύμονι μειλιχίῃσι
Μητέρ' ἐμὴν· ἡ δ' ἠῶθεν ἐπ' ἠγάρ' ἐν πυρὸς αὐγῇ
ἧλακάτᾳ τροφόεσσ' ἁλιπόφυρα,

id est,

Quàm citissimè vlterius è regia perge, vt venias
Ad matrem meam. Hæc autem desidet ad focum
In splendore ignis, pensum versans purpureum.

Huc addit interpres τὸ ἑστίᾳ dici de foco terræ propinquo, qui hodie vocatur etiam βαύνος, hinc βάναυσος, id est, *fornacarius*: sed quum τὸ ἑστίᾳ est destinata sacrificiis, παρὰ τὸ ἕζεσθαι τὸ ἔχειν ἀέρας, id est, *deflexum est à precibus ibi fundendis.*

Ligna reponens largè.] Iubet ligna lignis astruenda & superaddenda ad frigoris depulsionem. Vox autem *lignum* dicitur Varroni lib. 5. de ling. Latin. ab legendo, quòd in agro caducum legatur, & in focum feratur: quod hîc dicitur, *dissolue frigus largè reponens super foco ligna*, lib. 7. ad famil. Epistol. 10. *camino luculento vtendum censeo*, effertur.

Benignius.] Largiùs, Græcè ἀφειδέως, tanquam diceres, sine parsimonia. Est hîc imitatio Alcæi, qui dicit ἔγχεε, κίρνα παλαιόν· *infunde, misce craterem vini veteris.*

Deprome.] In hoc verbo, *deprome dyotâ*, non est ellipsis præpositionis *de*, vt vinum tanquam è dolio vel cado hauriri iubeat, sed præpositionis *in*, vt sit sensus: hauri è dolio vinum in dyota, quod est vas hauriendi, sicut vrceus, hydria, cotyle, cantharus, amphora, cyathus; nõ recondendi, vt è Polluce perspici potest.

Merum quadrimum.] Sic alibi dicit *bimi patera meri, equa trima.* Plin. tamen vinum quinquenne non quinquimum. Præterea Sueton. scribit Augustum quadrimum amisisse patrem, id est, quum quatuor solùm annos natus esset.

Merum.] Merum propriè est, cui nihil est admixtum alieni liquoris, vnde transfertur ad alia, vt mera libertas, meræ nugæ, quibus nihil est seruitutis & veritatis admixtum. Aetas autem illa vini plurimum valet ad bonitatem ipsius indicandam.

Dyotâ.] Hæc vox conflatur è duabus Græcis, quasi δύο ὦτα, duas habens ansas: sic amphora quasi ἀμφοτέρωθεν φερομένη· *quòd vtrinque gestetur.* Itaq; ex hac coniunctione videretur scribendum Dyota, quanquam viri docti malunt per i, deflectentes credo, vel ex δῖς vel διὰ, quòd velut διὰ πλείω ὦτων, per aures capiatur & feratur: quã quidem vocis rationem Eustathius confirmat Odyss. β. sub finẽ: οἵδε ἀμφιφορῆες κεκλιμένοι ἦσαν, ἀμφοτέρωθεν φερόμενοι, ὅθεν ἄμφωτοι, δίωτοι. Præterea dicitur ἀμφιφορεὺς καὶ ἀμφορεύς. sic caprarius Idyl. α. Theocriti κισσύβιον ποτήριον, vocat ἀμφῶτις, & Scholiastes interpretatur τὸ ἀμφοτέρωθεν ἔχον ὦτα πολλά· *quod habet vtring; ansulas quasdam.* Hesychius alterum altero explicat, dicens: ἀμφῶτον, δίωτον· ἑκατέρωθεν ὦτα ἔχον. Quantum autem capiat amphora disce è libro Budæi de asse, vbi, si bene memini, dicit illam capere octauam dolij Parisiensis partem. Interpres tamen Gallicus Plinij videtur amphoram conuertere quadrantal lib. 14. cap. 14. id est, 48. sextarios, quos capit amphora ex Festo. Huc addam de inflexione huius vocis, quod Grammaticus antiquissimus Iulius Romanus obseruauit, eam facere casum gignendi pluralem *amphorarum*, quum per se & absolutè vsurpatur: sed quum construitur cum epitheto numeri, *amphorũm*, vt Epist. 15. l. 12. ad famil. *nauium onerariarum minor nulla erat duum millium amphorũm.*

Permitte cætera.] Hæc vox posterior à quibusdam μονοδόγγως scribitur, ego verò rectiùs scribendam διφθόγγως puto, vt ipsius origo apertior fiat. ea siquidem conflatur ex Καὶ ἕπεσ contractione, vbi τὸ ε potiùs ac facilius elidi, vt in aliis solet, quàm αι.

Simul.] De vi huius aduerbij iam dictũ est in Grammaticis Odes 4.

3. *Strauêre.*] Quod Græci dicunt ἐπαῦσὰν πάντα οἱ θεοὶ κατισόρεσαν τὰς ἀνέμους τῆς κυμαινούσης θαλάσσης· *simul atq; Dij ventos æstuantis maris strauerunt & pacauerunt.* Ita Homer. Odyss. ε. Ἔπλωρ ἐξοτίρεσεν δὲ θεὸς μεγάλητα πόντον·

Deus strauit vastum pontum.

Feruido.] Id est, æstuoso & procelloso.

Cupressi.] Κυπάρισσος dicitur Homero Odyss. ε. δ' ὠδύς καὶ ἄσπετος, arbor suauis odoris, ob id Varro existimat eius arboris lignum adhiberi solitum in rogis mortuorum, ne dum cadauera cremarentur, odore tetro afficerentur nares circumstantium. Hinc adde quod Festus tradit, Cupressum ideo in tutela Ditis patris fuisse, quòd eius rami excisi non renasci soleant, sicut nec defunctorum cadauera. Est & vermibus minimè obnoxia, nec cedit oneri: funesta tamen credita est olim; quòd inferis esset consecrata: vnde 3. Aeneid. atra vocatur:

Cæruleis mœstæ vittis atraq; cupresso. cui hoc nomen putant inditum Poetæ ab amasio Syluani Cypariisso, & filio Telephi: sed Grammatici tradunt dictam Cupressum ἀπὸ τοῦ κύειν πλείονας τοὺς ἀρχέμονας· *quòd pares ramos gestet & pariat:* vnde cupressi vocantur ὀρθόκλωες: quæ videntur nouum aliquem fructum polliceri, sed frustra: vnde prouerbium, Fructus cupressi, pro verbis, magnificisque promissis, sed inutilibus: vnde appareret & error Seruij, qui in vers. 3. Aeneid. *Aëria quercus, aut conifera Cypariss*, notat: conus dicitur fructus Cupressi.

Obser-

Obseruabis interea Virgilium integrè vsurpasse vocem Græcam *Cyparissi*, & ibidem leges fabulam illius. Ad priorem nominis rationem illud Virgil.1.Georg. videtur pertinere: *Et teneram à radice ferens. Syluane cupressum.* Facta est autem hæc vox Latina per Syncopē duarum mediarum vocalium ypsilo verso in *u* Gallicolatinum, quod sonat vt υ Græcum in *gubernator*, à κυβερνήτης, & in *Cumæ* ἀπὸ τῆς κυμάτων, *ab vndis.* υ enim Latini in *u* sæpiùs vertunt, vt scribit Seruius in v. Aen. 3.

Huc vbi delatus Cumæam accesseris vrbem.

sicut Huralthospitalij fratres in apologetico pro veteri pronunciatione Græca notarunt. De Cupresso lege Theophrastum lib.1.de causis Plant.& Plin.li.16.

Orni.] Ornus est arbor gracilis & procera, cortice albo, ideoque ventis exposita, atque ὠθεῖ τὸ ὀρύσσειν à concitando dicta. Quidam censent esse genus fraxini syluestris folio latiori. De qua Columella c.16.de arborib. Hanc Hebræi vocant אֹרֶן *horen*, & non admodum dissimilem Cedro faciunt, & aptum arcis fabricandis. אָרוֹן *haron* est arca ex ligno orni facta.

Fuge quærere.] Pro quo diceret Orator, fuge inquisitionem euentus futuri.

Quem sors cumquè.] Tmesis est, de qua alibi.

Lucro.] Hæc vox à luendo, id est, soluendo deflectitur, quum quis ampliùs soluit, quàm quanti priùs emerat, qui vendit, ait Varro lib.4. Pro hoc Terent. dicit Phorm. Act.2. Scen.1. deputare in lucrō.

Dulces amores.] Seruius in verba, *non ille oblitus amorem* Æn.5.annotat *amores* pluraliter, non nisi turpitudinem significare: ideoq; sæpiùs habent hic epitheta eódem spectantia, lasciuos, incestos, id est, insanos: ita Cic. pro Cælio *turpissimorum amorum fœdera quotidiè ferire:* idem tamen dixit li.1.de Offic.& 2.de finib.bon.& mal. *Si sapientia videretur, ardētes & admirabiles amores excitaret sui.* Græci quoque vsurpant πληθωρικῶς ἐρωτας pro quibusuis desideriis & cupiditatibus rerum, vt Pindarus vers. poster. Νεμεῶν· ἀπροσίκλωρον δ' ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι, id est, *acerrima est insania desiderio persequi ea, quæ assequi nequeas.*

Donec virenti.] Id est, Donec iuuenis es, non autem senex morosus ac difficilis. Hîc τὸ *donec* post sententiā negatam denotat consequentiam *infiniti temporis.* Hîc tamen non prorsus omnino videtur sententia negata præcedere; quia τὸ *nec sperne* pronuntiatur μειωλικῶς, ad vim ipsius verbi magis tollendam, quàm simpliciter, minuendam; atque adeo ita inuerti, donec iuuenis es, consectare voluptates, & his perfruere: *Gallicè, durant, ou cependant, que tu es ieune, &c.* & sic finiti temporis erit. Præterea Theocr.Idyl.14.scribit, canitiem primùm apparere in temporibus hominum:

— ἀπὸ κροτάφων πολιοῦμαι
Πάντες γηράλεοι καὶ ὀπωρινῶ ἐς χρόνω ἕρπει
Λευκάνωρ ὁ χρόνος· ποιεῖ τι δεῖ οἷς γόνυ χλώρων.

id est, *à temporibus omnes incipimus canescere, ac deinceps progressus temporis canos afferens in mentum serpit. Itaque aliquid faciendum est iis, quibus vigent genua ætasq; floret.*

Epithetum autem hominum canescentium est Græcis πολιοκρόταφος. Præterea Eustathius circumscribit κρόταφον, τὸ μεταξὺ ὀφθαλμοῦ, ὥτος καὶ κορυφῆς, deflectitque ἀπὸ τοῦ κωλύειν ταφον, *quod est inter oculum, aurem & verticem à prænunciando sepulcra dictum.* Hæc descriptio & veriuerbium vocis Græcæ longè anteponendum est vtríque, quod affert Isidorus in explicandis his partibus capitis Latinè: cur autem

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

ait Virgil.lib.5.Æneid.vers.416. Alexand.Aphrod.lib. 1.probl. sic ostendit, ὅτι ὡς ὀλιγοπλεῖστον, οὐ τιὔδηρ αἱ πολιαὶ ἄρχονται, πρῶτον εἶναι τὰ ἐμπροσθια τῆς κεφαλῆς πρὸ ὀπισθίων, ὑγρότερα καὶ φλεγματικώτερα, *quia, vt plurimum, inde tani incipiunt: propterea quòd anteriores capitis partes sunt posterioribus humidiores & magis pituitosæ.* Huc adde, quòd tempora duo habeant ossa totius Cranij tenuissima & infirmissima. Eam ob rem Hebræi partem illam capitis appellant רָקָה *Racah*, à tenuitate carnis. Cur autem hominibus tempora priùs canescant, quàm partes aliæ corporis, lege lib.5 c.4.de Generat. Animal. Etymologicon notat sic: κροτάφους dici, ὅτι κρόοισι, τοῦτ' ἐστὶ παλλόμενοι οἷον κρόταφοι, quod palpitantes agitent pulsum euidenter ex assiduo arteriarum motu, tanquam tempora dicerentur coniuncta, Græcè παρὰ τὸ κούειν καὶ τοῦτ' ἐστὶ ἁφᾶν, à pulsando & tactu.

Morosa.] Morosus potest describi, cui quod deberet placere, solet displicere; aut cui mos est plus, quàm decet, ab aliquo exigere; aut qui grauatè fert, quod esset molliter & moderatè ferendum, quæ significandi ratio potest cognosci vel ex ipsius epitheti coniunctione cum altero Satyr.5.lib.2.

Difficilem & morosum offendet garrulus.

& Ciceronis, *vsq; adeò difficiles & morosi sumus:* vel ex hac descriptione Donati in Hecyr. Act.4.Scen.2. mores primùm sunt senum, vnde senectus morosa & morosi homines, qui sui cuiusdam moris sunt, citra tamen prauitatem, qui Græcè possunt dici ἀστελξίνοοι.

Susurri lenes.] Susurrus ψίθυρος definitur ἦχος λεπτός, *sonus tenuis*, cuiusmodi est tacita collocutio amantium, cui præesse dicitur ψίθυρος Ἀφροδίτη, *susurratrix Venus:* tales susurros Græci vocant ὀάρους, vt lib.4.Epigram. τερπόμενον νυχίοις ἠϊθέων ὀάροις, *oblectatum nocturnis adolescentularum confabulationibus:* hinc verbum τὸ ὀαρίζειν, quo vtitur Homerus sub initium Iliad. χ. inducens Hectorem ita secum loquentem,

Οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης
Τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠϊθέός τε,
Παρθένος ἠϊθέος γ' ὀαρίζετον ἀλλήλοισιν.

nullo quidem modo licet à quercu, neque à petra cum Achille confabulari, vt virgo adolescens q;, inter se colloquuntur.

Sub noctem.] Nox dicitur, quòd oculis noceat, vt Seruius notat in Æneidos 1. Eustathius quoq; in Ὀδυσ. ξ

Κείμεθα· νὺξ δ' ἀρ' ἔπλθε κακὴ, Βορέαο πεσόντος, id est,

Iacuimus: nox autem aduenit mala, Boreâ delapso,

annotat; νὺξ χθὲς τὸς παλαιοὺς ὀνομάζω, νύσσω, νύξω, ἀποβολῇ τοῦ ω. ἀντιφραστικῶς δὲ λέγεται, ἢ μὴ νύσσουσα εἰς ἔργον, ἀλλὰ μᾶλλον καταπαύουσα, id est, nox ex opinione veterum oritur à verbo νύσσω, νύξω, quod est exstimulo, incito, amotione ω magni è futuro. dicitur autem per antiphrasin, quòd non inciter ad opus; quin potius ab eodem auocet homines. Definitur quoque ἡ τῆς ἡλίου στέρησις καὶ σκότος τοὐναντίον ἡμέρᾳ, id est, *priuatio Solis & caligo diei contraria:* sed prior definitionis pars Christianis nō probatur: quibus Moses notum & testatum cap.1.Gen. reliquit, lucem exstitisse ante Solem. Si pro Solis dictum fuisset, lucis priuationem, quæ fuit ante Solem conditum & lunam, rectiùs definiretur.

Compositâ.] Id est, destinatâ & constitutâ, Gallicè *l' heure assignee.* In hunc locum Eustathius citat Herodotum; qui serenitatem pronuntians dicit, *ventus remisit se & fluctus stratus est. Clydon ventus dormit, atque tum anchoræ sunt velut cubilia nauium.* Confer scholia Græca cum his Latinis.

Proditor.] Id est, index abditæ puellæ.

Digito.] Id est, digito non satis firmiter annulos, armillas & chirothecas retinentē, itaque nihil necesse hîc fuerit verbo auellendi violento vti, vbi hæc omnia non pertinaciter retinentur. Talis est Eclog. Virgil. 3. lusio Galatheæ puellæ:

Malo me Galathea petit lasciua puella, &c.

Expli-

Explicatio Rhetorica.

METrum est tricolon tetrastrophon, cuius duo primi quique versus sunt iambici, Alcaici, constantes duobus iambis, vel iambo & spondeo cum cæsura, deinde duobus dactylis; tertius est Archilochius, hypercatalecticus è spondeo, iambo & spondeo, iambo cum cæsura; quartus est Pindaricus è duobus dactylis totidemque choreis.

a In quatuor primis versibus quidam, fortassis addu- 10 cti verbo videndi, vt Od. 1. l. 2. *audire magnos tam videor duces.* agnoscunt hypotyposin: quam è Cicerone 3. de Oratore illustrem explanationem, rerumque, quasi geruntur, sub aspectum penè subiectionẽ appellant: quam etiam Quintilianus similiter describit: *Illa verò sub oculos subiectio tum fieri solet, quum res non gesta indicatur: sed, vt sit gesta, ostenditur, nec vniuersa, sed per partes: alij nominãt informationem rei & exemplar: alij euidentiam, cuius exemplum proferunt è 4. Verrina: Ipse inflammatus scelere venit in forum: ardebãt oculi, totoq; ex ore crudelitas emicabat:* vbi primùm 20 videtur homo graphicè describi euidentib. adiunctis, quæ deinde videntur enunciari illustrissimâ allegoriâ è continuis metaphoris eiusdẽ generis: sunt enim tres omnino sumtæ ab igne elementorũ vtilissimo, ex quibus vltimis si putas exemplar hominis cõcitati subiici sub aspectum, falleris, etiamsi gratia sermonum ab hoc oratore dicatur viuax: quia non tanta vis est vnius elocutionis, sed huiusmodi subiectionem rei gestæ maiori ex parte sibi vendicant illustria argumenta, è quibus constant. Itaq; illa sermonis viuacitas, & hæc illustris 30 explanatio partim elocutioni, partim illustribus argumentis dispositionisq; legibus est tribuenda: nec quicquam priuatæ præceptionis videtur contineri.

b Metaphora ab animalibus, quæ propriè dicuntur laborare, vt sensu & motu prędita: vnde affectus oriuntur. Itaque hîc valet, syluæ grauatæ & oppressæ pondere niuis.

c Metonymia subiecti pro aquis fluuialibus gelu constrictis, quod propriè dicitur lib. 1. Epigram. Græc, c. κγ. Ἐ ζρυ Θρηϊκίης χρυμῷ πεπεδημένον ὕδωρ, *aqua Hebri Threicij colligata gelu & glacie*, vbi etiam ξυικῶς dicitur, ἐς ποταμὸν λαγαρὸμενον, pro, aqua fluuij per gelu subsidente.

d Eodem metonymiæ modo Virg. dicit 1. Georg.

Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

ubi ex effecto efficiens significatur à Virgilio expressa, id est, pungat, mordeat & penetret.

e Sumtum è rebus colligatis & constrictis, pro depelle, arce, defende corpus tuum à frigore.

f Sumtum quoque à corporibus, quæ propriè labefiunt, & eiiciuntur, pro, sedauerunt, cõposuerunt, coercuerunt: paullò secus Virgil.

Placidi strauerunt æquora venti.

g Synecdoche generis pro plano mari, quod priùs æstuabat & irascebatur: nam æquor est planities quælibet.

h Sumtum est etiam à re militari, pro, concitantes tempestatem, sicut dicit Ode 1. luctantem Africum, & tertiâ, decertantem aquilonibus.

i Canities est metonymiæ modus, quo ex adiuncto significatur homo senex morosus.

k Alter modus metonymiæ est effecti pro efficiente morosos, difficiles senes, pro eo, dum ætate flores.

l Arbitror hîc esse Synecdochen generis pro campo Martio: qualis est in *pignus*, pro annulis & armillis, cæterisq; Pericheiris & circummanualibus & circumbrachialibus ornamentis.

Ode X. Hymnvs in Mercvrivm.

Theticum.

Hîc primùm quis & quantus sit Mercurius: deinde quid idem valeat, decantatur.

M[1]*Ercuri facunde, Nepos Atlantis,*
Qui feros [a] *cultus hominum recentum*
Voce [b] *formasti catus, & decoræ*
More [c] *palæstræ.*
Te canam, magni Iouis & Deorum
Nuncium, curuæq; Lyræ [d] *parentem:*
[e] *Callidum, quicquid placuit* [f] *iocoso*
Condere furto.
Te, boues olim nisi reddidisses,
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, [g] *viduus pharetrâ*
Risit Apollo.
Quin & [h] *Atridas duce te superbos*
Ilio diues Priamus relicto,
Thessalosq; [i] *ignes, & iniqua Troiæ*
Castra fefellit.
Tu pias lætis [k] *animas reponis*
Sedibus, virgaq; leuem coerces
Aureâ turbam, superis [l] *Deorum*
Gratus & imis.

Analysis Dialectica.

AD ostendendum, quis & quantus sit Mercurius, 50 vt propositi pars fuit prior, hęc ex adiunctorũ & factorum loco desumta, facundia; palæstra, gratia apud Deos superos & inferos, illustris conditio nunciandæ cæteris voluntatis Diuinæ spectant. Nec verò tibi sit mirum, quòd hîc minimè obseruem discrimen, quod Cic. statuit inter Thesin & Hypothesin, & hanc de nomine prioris nunc appellem propositũ; vnicam enim argumentorum inuentionem agnosco cõmunem cuiuslibet quæstionis specialis vel generalis explicandę, siue illa versetur in lite, siue in deliberatione, siue in 60 laudatione, siue denique in qualibet orationis parte particuláve minuta, sicut iam initio dialecticorum in Od. 1. huius lib. monuimus. Ad eandem quoque priorem partem referendum est, quòd Mercurius ortus sit à Ioue summo, & à proceriſsimo illo Atlãte, auo ex matre Maia, qui tantam cæli molem humeris suis dicitur sustinere. Hanc tamen fabulam Plato in extremo Phædone improbat: quòd nihil sit robustius mente Diuinâ: Ratio autem huius ortus est è causis procreantibus. Præterea ad posteriorem eiusdem propositi partem referenda sunt argumenta reliqua, sic in litera Poetæ perturbata & confusa, vt notis numerorum distingui nequeant, sicut iam antè factum est, ac pòst fiet: sunt inquam è categoria partim efficientiũ, partim factorum eruta: primum, quòd Mercurius sit auctor & magister Musicæ, præter cæteras artes, theologiam, mathematicas, astrologiam, philosophiam, diuinationem. Descriptio Mercurij lib. 4. Æneid. non abludit ab hac, his versibus comprehensa,

Omnia Mercurio similis vocemq; coloremq;,
Et crines flauos & membra decora iuuentæ.

In

In hunc locum *Seruius* bis appellat hunc poetam, primũ in *vocemq́*: quia orationis est Deus: qualem *D. Lucas* refert *Lystrenses* existimasse *D. Paulum* cap. 14. Act. Apost. *Dij in specie Hominum descenderunt ad nos; & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium: quòd is esset dux sermonis. Horatius, Mercuri facunde. Incoloremq́ & crines flauos addit, ideo & perustus & flauus Mercurius introducitur: quia satis vicinus Soli præter cæteras stellas.* Deinde, *in membra decoræ iuuentæ. quia palestræ Deus est.* Horatius, *voce formasti catus & decoræ more palestræ.* Præterea quòd homines à feritate agrestique immanitate vitæ traduxerit ad humanitatem & cultum honestiorem: quòd miseriam & res afflictas hominum adiumento & solatio erexerit, & subleuârit: quòd denique hoc munus obeat descriptum à Virg. 4. Aeneid.

Tum virgam capit, hâc animas ille euocat Orco
Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit.
Dat somnos adimitq́ & lumina morte resignat.

Hæc sunt depromta ex vers. 47. Ὀδυσ. ε. repetito in ω. eiusdem operis.

Εἵλετο δ' ῥάβδον τῇτ' ἄνδρων ὄμματα θέλγει,
Ὧν μὲν θέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

ubi leges allegoriam facultatis, quâ hæc Mercurialis virga valet, atq; τὸ θέλγειν ἢ τὸ κοιμίζειν σεμνικὸν εἶδος τοῦ νήφειν, ὡς τοῦτο μὲν ἐναντιῶσθαι τῷ ὑπνώοντας ἐγείρειν. præterea vers. 1. Iliad. μ. 297. Scholiastes ἐπιμολογεῖ τὸ ῥάβδῳ λέγεσθαι ὡς ἀπὸ τοῦ ποιεῖν ῥᾷον βαδίζειν ἢ ῥαπίζειν, *quod facilius incedere aut ferire facit.* Itaq; ex his rationũ generibus poeta conficit Enthymematicῶς, Mercurium dignis versibus celebrandum: cuius complexionis vis cernitur in his versibus,

Te canam magni Iouis, & Deorum, &c.

Enarratio Grammatica.

Mercuri.] Hæc Ode à quibusdã inscribitur etiam hymnus, ob dignitatem, credo, materiæ hîc decantandæ: vtriusque vocis rationem habuisti in Ode 1. huius lib. Hodie *Mercurius* facit casum vocandi per *e abiecta us*, sed olim per *e Mercurie, Virgilie, Sallustie.* Ita Liuius Andronicus in Odyssea.

Neq; enim oblitus sum Laertie noster. more Græcorum, qui κλητικῶς Κορνήλιε vocant à Κορνήλιος. Sed de genere huius deastri conuenit Homero cum Hesiod. Ille in hymno de laudibus huius sic fecit,

Ἑρμῆν ὑμνεῖ μέσα Διὸς καὶ Μαίαδος υἱόν,
Κυλλήνης μεδέοντα, καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου
Ἄγγελον ἀθανάτων ἐριούνιον, ὃν τέκε Μαῖα.

Mercurium carmine celebrat musa Iouis & Maiæ filium, Cyllenes montis curatorem & Arcadiæ pecore abundantis, nuncium immortalium valde vtilem, quem peperit Maia.

Sic quoque alter in Theogonia,

Ζηνὸς δ' ἄρ' Ἀτλαντὶς Μαὶη τέκε κύδιμον Ἑρμῆν
Κήρυκ' ἀθανάτων.

Ioui autem filia Atlantis Maia peperit illustrẽ, Mercurium præconem Deorum: vbi lege mythologiã Iohan. Diacon. Tzetzæ, quam attigimus in præfatione ad Lectorem. His persimile referunt parua scholia in Homerũ Ιλιαδ. Ω. Ζεὺς ἐρασθεὶς Μαίας τῆς Ἀτλαντίδος λαθὼν ἥρας, ἐμιγη. ἡ δὲ ἔγκυος γενομένη ἐν Κυλλήνῃ τῇ Ἀρκαδίας Ἑρμῆν ἐγέννησεν. ὅστις ὅπου θυμίαν ἔχει τὸ κλέπτειν. ὅτι καὶ Ζεὺς κλέψας τὸν ἥραν, ἐμίγη Μαίᾳ, καὶ ἅμα τοῦτο μετὰ τὴν ἀδελφῶν αὐτῆς λαθὼν ὑφείλετο τὰς ἐδῆτας· γυμναὶ δὲ οὖσαι, ἠπόρουν τί σχέσωσι, γέλωτα δὲ διὰ τοῦτο Ἑρμῆς κινήσας ἀπέδωκε αὐταῖς τὰς ἐδῆτας· ἔκλεψε δὲ καὶ τὰς Ἀπόλλωνος βοῦς ἡ ἰσχεία παρ' Ἐρχομενίοις, id est, *Iupiter captus amore Atlantidis Maiæ clam Iunone cum illa concubuit; quæ grauida facta Cyllenæ vrbis in Arcadia genuit Mercurium ingenio ad furandum procliui. propterea quod furtim Iupiter insciâ Iunone mixtus fuerat Maiæ; atque tandem dum mater cum sororibus se lauaret, clam surripuit earum vestes: illæ autem cum quid agerent perplexè dubitarent, post risum inde motum ipsis vestes reddidit. furatus est etiam boues Apollinis, cuius rei historia est apud Eratosthenem.*

Eos sequitur Virgilius 4. Aeneid. & similiter canit,

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit. Licet autem è Diodori li. 1. & 6. ca. 15. discere tres Mercurios fuisse, & eorum potestates, item è natura Deorum apud Ciceronem quinque, à quibus repetes omnium inuenta: quæ tamen ferè tribuunt Poetæ huic Atlantidæ. Præterea ratio nominis Latini Mercurij est, quòd quasi medius currat ab vno ad alterum, vt internuncij solent. Illud tamen Festus mauult à mercibus, quibus præest, declinari, sicut ipse iactat in Amphitruone Plauti: *Nam vos quidem id iam scitis concessum & datum mihi esse ab Dijs alijs, nunciis præsim & lucro:* vnde dicitur ἐμπολαῖος, ἢ ἀγορᾶς, τῆς καπηλείας προεστώς, negotiator & artis institoriæ præses. Vnde putatur Latinè dici Mercurius, quòd merces habeat curæ, ad cuius rationem quadrat appellatio Aegyptiorum Thoit, id est forensis. Græci verò τὸ ἕρμαιος ab interpretatione dici volunt, vt dictum fuit in præfatione huius operis, sicut διάκτωρ, vel διάκτορος à transmittendo nuncio: quod posterius accedit propiùs ad rationem Latini priorem.

Nepos.] Etymon huius vocis iã Od. 2. fuit enucleatũ.

Atlantis, &c.] Hæc vox ἐτυμολογεῖται Ὀδυσ. α. ab Eustathio, δῆλον δὲ ἐκ τοῦ Ἄτλας λέγειν, ἢ παρὸ τὸ τέρπειν τὸ μὴ τάλας εἶναι, ἢ ὅτι πολίτικῶς, ὡς πολύτλας. εἰ δὲ ἐκ τοῦ ἀτελεχαμμάπτου ἀπὸ τοῦ τάλας ὁ Ἄτλας, παρείρηται μὲν εἰπεῖν, ὁ πάντη ὢν ἀτύχητος, i. cõstat τὸ Atlas dici aut priuationis, quòd expers fuerit miseriæ aut intentionis gratiâ, quòd multa sit passus. *Quod si per inuersionem lueræ α τάλας fiat ἄτλας, affectatum quidem nimis diceretur, non tamen vanum omnino.*

Feros cultus.] Quòd scribit homines barbaros & agrestes à Mercurio fuisse informatos ad humanitatem, id Cic. li. de inuent. & 1. de Orat. tribuit eloquẽtiæ. Verùm si Mercurius est primus eloquentiæ auctor, quod ab hac fit, id certè ab illo fieri quodammodo videbitur, & iure vindicari: vnde λόγιος, vt à palæstra & ab aliis generib. ἀγώνιος. Præterea Cæs. li. 6. de bell. Gall. narrat, *Druidas maiores nostros Deum maximè Mercurium coluisse; huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc viarũ atq; itinerum ducẽ: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasq́ habere maximã vim arbitrãtur: post hunc Apollinem.*

Recentum.] Sic Poetæ vsurpant ferè contractè, *legentum fallacum, cælestum,* pro *legentium, fallaciũ, cælestium.* Appellat autem Poeta homines recẽtes vel ab ipso statim exordio generis humani, vel ab ipsorum natalitia hora: in quam astrologi putant planetas summum habere imperium: sed Mercuriũ eo esse temperamento, vt non admodum immutet illud, in quo inciderit, si in benignum, benignus erit, si in contrarium, huiusmodi fiet. Ptolomæus tamẽ scribit eum infundere iis sapientiam & eloquentiam, in quos incidit. Præterea huius planetæ domicilium est partim in geminis, partim in virgine, qui rarò sub aspectum venit: propterea quòd ferè radiis solaribus occultetur, & hanc occultationem tribuunt furtis ipsius: verùm de hoc satis.

Catus.] Quidam è Varrone interpretantur acutum & subtilẽ, & è Seruio ingeniosum, nó sapientem: id q; deflectunt παρὰ τὸ καίειν, vnde segnem dicimus contrariũ, quasi sine igne; catum, i. ardentem, festinantẽ & ingeniosum. Hæc Serv. in v. Aen. 1. *Instant Tyrij, &c.* Latini à cauendo, qui nouit cauere & prouidere aliis, cautus, & ũ sublato catus, vnde Cato credit nominatus. Hominis autem cati est quædam descriptio in Pseudulo Plauti,

Bene vbi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit malè.

Palæ-

Palæstra.] Hæc vox Græca ex vsu facta est Latina, quam Græci παλαίστραν, vt alteram paronomastam παλαιστὴς, vtramque flexam ἀπὸ τοῦ πάλλω, *à lucta* & hæc ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *ab agitando & quatiendo*: quę exercitatio pars tantùm erat τῆς γυμναστικῆς, vt Plut. scribit l.2.Symp.Probl. 4. Ἔν τόπον, ἐν ᾧ γυμνάζονται πάντες οἱ ἀθληταὶ, παλαίστραν καλοῦσι, τῆς πάλης τὸ σῶμα κινουμένης τὸ ὀφῶτον, εἶτα καὶ τῆς αὔδης ἐφάψασθαι ἐμπεφυκυίας; Gall. *on appelle palestra le lieu, où s'exercent tous ceux, qui combatent à corps nud, combien que le ieu de la luicte, de toute ancienneté, luy ait donné le nom, & l'a touſiours retenu auſsi bien pour les autres exercices, qui ont eſté inuentez, & ſont venus en vſage depuis.* Vide ibidem alia etyma, quæ præsenti longè pòst habeo. Nomen autem Palęstra Terent. transtulit ad Lenonis domum, in qua est exercitus amator assiduè.

Iouis & Deorum.] Hîc non possum agnoscere vllam dictionis figuram, vt Porphyrio annotauit: & vers. 103. Æneid. 8. confirmauit.

Amphitryoniadæ magno, Diuisq; ferebat,

Vbi Seruius tantùm annotat: satis peritè: nam quum cuiuis Deo sacrificaretur, necesse erat pòst ipsum etiam reliquos inuocari. Ideo autem nequeo λέξεως σχῆμα hîc agnoscere: quia hæc *nuncius Iouis & Deorum*, non versantur in soni dimẽsione, aut in eiusdem repetitione. Præterea, si quid esset hîc elocutionis, ad tropos referẽdum videretur: quorum tamẽ nullum in his vocabulis animaduerto, sed tantùm speciei & generis permixtionẽ: in qua quum species antecedit, id videtur interdum κατ' ἐξοχὴν fieri: corrigi tamen generis subiectione, vt hîc & initio Pluti apud Aristoph. Ζεὺ καὶ Θεοί. idem quoque sentiendũ de antecessione generis; vt Iliad. li. 13. initio. —Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσε. *Postquam Iupiter Troianos & Hectora ad naues perduxit.* Quod si dixisset noster Poeta simpliciter, *Iouis*, & ex hac specie genus Deorum intelligeretur, vt Seru. sæpè notat τὸ *Auster* pro quouis vento & contrà τὸ *ventus* pro Austro; tum synecdochen agnoscerem: vel contrà, si Deorũ tantùm scriptum fuisset, & ex hac multitudine vnus Iupiter fuisset notatus; tum alterũ eiusdem tropi modum statuerem: sed neutrũ separatim positum est: aut si qua est deniq; sententiæ conformatio, nomine caret apud me: apud Homerum tandem inueni Ὀδυσ. ν. vers.

Ἡ δὲ μάλ' ὀσφαλέως θέεν ἔμπεδον ἠδὲ κέλευθον,
Κίρκος ὀρεσσιτύποιεν, ἀλαφρότατος πετεηνῶν. i.
Valde autem tutò nauis currebat, neq; accipiter
Circius sequutus fuisset celerrimus auium.

Hîc interpretis notę sunt huiusmodi, ὁ δὲ Κίρκος εἶδος ἱέρακος, καὶ σύγκειται τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ κίρνημι, καὶ νῦν κίρνον φασὶ βολῆς, ὡς καὶ ἐν τῷ βάρος παῦρον καὶ σὺς Κάπρειον, id est, *Circus est species accipitris* (sicut falco eiusdem ab vnguibus recuruis & rostro instar falcis nominatus) *& genus constituitur etiam nunc cum specie ratione comprehensionis, vt in hoc, bos taurus, sus aper:* quam Hermogenes vocat tomo primo σχῆμα orationis & sententiæ. Hîc autem ἡ φασιβολὴ definitur ab Eustathio ἰδέα λόγου, & ab Hermogene λόγου ἐμφασιβόλου, id est, *genus orationis & oratio eleganter vestita.* τὸ γὰρ φασιβάλλειν διχαλαμβάνεται, id est, bifariam sumitur, vt interdum significet τὸ φασιλὰ τιθέναι, id est, *eximia ponere*; interdum quoque φασιὰ ἐμβάλλειν, id est, *excellentia induere*, vt apud eundem interpretem in versum priori loco citatum. vt apud Eustathium in versum Homeri citatum: vbi hoc loquendi genus communi nomine aliorum sic vocatur: ὅτι σώνδεσι τῷ πιπτῷ ἐμφωνεῖν κατ' ἐξαίρετον ἰδίᾳ τῷ Τρώων τὸν Ἕκτορα, ὡς καὶ νῦν ἐν τῷ Τρωάς τε καὶ Ἕκτορα, id est, *quòd Poetæ sit familiare ac penè domesticum pronunciare*, vt præcipuum ac eximium quid, Hectorem separatim à Troianis, vt nunc in hoc versu: quale etiam est illud Euangelij Marci 16. ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ· *verùm abite, dicite discipulis ipsius, & Petro.* Similiter loquutus est D. Luc. c. cap. 9. v. 36. de Tabitha puella, Act. Apost. αὕτη ἦν πλήρης ἀγαθῶν ἔργων καὶ ἐλεημοσυνῶν, ἂν ἐποίει, i. *hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis, quas præstabat.* Hoc autem dicitur, nõ quidem, quòd misericordia extra bona opera esse videatur, (*quæ est ægritudo animi ex rebus aduersis alterius cõcepta*) sed quòd aliquid aliud præstantius aliis operibus præ se ferat. Est enim generosi animi & magnifici, atque adeò Deum opt. Max. imitãtis miseros iuuare & afflictis prodesse. Itaque Cicero præcipuâ laude Cæsarem ornauit in Orat. pro *Ligario* nomine affectus huiusce modi. nulla, inquit, de tuis virtutibus plurimis nec grauior, nec admirabilior misericordia est. Ratio autẽ huius locutionis pẽdet è toto habitu rei narratę, vnde facilè coniicias qua mente species generi, vel cõtrà genus speciei subiiciatur. Nõ dissimilis videtur sententia Æn. 6. —*Quæ regio Anchisen? quis habet locus?* vbi Seru. annotat: Bene generalitatem & speciem requirit, vt posset faciliùs inueniri: nam locus in regione est. Idem obseruauit Eustath. in vers. Ιλιαδ. Α.

ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
ἢ καὶ ὀνειροπόλον, i.
Verum age, aliquem vatem interrogemus
Aut sacerdotem, aut somniorum coniectorem.

Quum hæc annotat sic in Latinum versa. *Mantis est genus; ipsius species sunt, Enthusiastes*, id est, *numine afflatus, sacerdos, & interpres somniorum.* Sic quoque idem in Ὀδυσ. quum genus dixisset plantam, subiecit species sic, *non planta, non ficus, non vitis, non oliua.* & quæ deinceps.

Nuncium.] Huius vocis ratio est Varroni ἀπὸ τοῦ νέου, à nouis rebus ferendis: aliis à *nouitius* Latino idem sonante.

Lyræ parentem.] Vt Homerus canit in hymno citato: sed sacra historia Genes. 4. tribuit Iubali inuentionem Musices & Organorum musicorum omnium, quę Græci his vocibus comprehendunt ψαλτικὰ καὶ πνευματικὰ, eaque digitis & flatu pulsant.

Condere.] Hellenismus est, quomodo diceretur Græcè δεινὸς κρυπτειν· *te solertem esse in occultando furto per iocum:* sed Orator pro Cluentio dicit, callidus ad fraudem, nõ callidus fraudare, & Plaut. in Trucul. callidus ad quęstum, nõ callidus lucrari. Cic. l. 3. de nat. Deo. distinguit ita versutum & callidum, vt simul notet vtrumque. *Homo sine dubio versutus & callidus. Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: Callidos autem quorum tanquam manus opere. sic animus vsu concalluit.*

Furto.] Hæc vox inclinatur Labeoni à furuo, i. nigro, quòd in occulto & obscuro illud committatur: aliis ἀπὸ τοῦ φέρειν, ὡς φῶρ, ferre, vt fur ab auferendo, sicut aliàs fuit annotatum.

Te, boues.] Mercurius abegerat clàm pecus Admeti regis negligenter seruatum ab Apolline: qui quum vulnus infligendum sagittâ Mercurio minaretur, pharetram perdidit, quã astu præstigiatorio abstulerat Mercurius: vnde risus pro pœna & minis ortus est Apollini. Per similem iocum dicitur subduxisse matri & sorori suis vestes, dum hæ lauarent se, & occuluisse: vnde spectantibus mouit risum. Fabula narratur aliter 2. Metamorph. Tibul. quoque l. 2. Eleg. 3. de illo canit:

Pauit & Admeti tauros formosus Apollo

& lib. 3. sic inducitur loquens:

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas.
Non est in vanum fabula ficta iocum.

Vide præterea de eodem Pausaniam in Achaicis, & Callimachum hymno εἰς Ἀπόλλωνα.

Per dolum.] Τὸ *dolus* creditur ortum à prisco themate δέλειν, quod est δελεάζειν, fallere & inescare, ac maximè à

præterito medio Ἄδλα, vt λόγ & ἀλλοῖα· paullò tamen aliter Donat. in Eun. Act. 3. Sc. 3. notat, vt illud dicatur à lædendo, id est, minuendo. Nam & δόλ & Græcè læsio dicitur & dolones, tela quædam bellica, quibus dolosè aliquem petimus. Virg. 7. Æn. v. 664.

Pila manu, sæuosq; gerunt in bella dolones.

Isidorus aliter notat eandem vocem lib. 5. etymol. cap. 37. ac priùs definit, vt *dolus sit mentis calliditas ab eo, quòd deludat. Aliud enim agit, & aliud simulat.* Petronius Arb. existimat sic notandam. *Quid est Iudicis dolus? nimirũ vbi aliquid factum est, quod legi dolet*, id est, legem violat.

Terret.] Hic enallage temporis est pro, dum Apollo minaretur tibi ictus sagittæ propter surreptas boues.

Quin & Atridas.] Hoc quoque memoratur Iliad. ω. & ab Alceo, vt scribit Pausan. in Achaic. sed de variis particulæ, *quin*, modis connectendi sententias lege Agel. l. 17. c. 13. & Donat. in Terent.

Ilio Priamus.] Seru. Æn. 1. *Atq; equidem Teucrorum, &c.* scribit Herculem redemisse Priamum à vicinis hostibus, vnde dictus est à πείαμαι, emo. Sed Eustath. ex Lycophrone refert eum sic vocatum ideo, quum priùs diceretur ποδάρκης, i. *valens pedum celeritate:* quia raptâ ab *Hercule Troiâ. Hesione* soror ipsum, ἐπρίατο καλύπτρας γωναικείας, ἀντὶ ἀπολυθῆναι αἰχμαλώτου ὑπὸ Τελαμῶνι, i. *redemit capitis integumẽto muliebri, quũ à Telamone abduceretur captiua.*

Reponis & coerces.] Vir. 4. Æn. v. 242. vim horum verborum sic aliis exprimit duobus ex Hom. Ὀδυσ. ε. ad v.

Ὡς ἔφατ' οὐδ' ἀπίθησε διάκτορος Ἀργειφόντης, &c. quæ ferè reperias eadem Ιλιαδ. ω.

Tum virgam capit: hâc animas ille euocat Orco
Pallentes: alias sub tristia tartara mittit.

id est, Mercurius facultate caducei sui potest, vbi vult animas mittere alias ad inferos, alias ad superos reducere, vnde dicitur Græcè νεκραγωγὸς καὶ νεκροπομπὸς, καὶ πομπαῖος, καὶ ψυχοπομπὸς, & ab aurea virga, χρυσόῤῥαπις· quę virga est Latinis caduceus: à Græco tamen inclinamento factum κηρύκειον, ρ in δ. & subiunct. ι abiectâ, quasi caruceus, & hoc à κήρυξ: hoc quoque à γηρύειν pro φθέγγεσθαι, λέγειν, *voce aliquid exprimere.* Huius caducei descriptionem lege l. 1. Thucyd. in Scholiis pag. 18. editionis Henrici Stephani: cuius quidem definitionem nunc proponã: eiusdem autem vsum & finem iis relinquam, quib. suppetet copia libri. Κηρύκιόν ἐστι ξύλον ὀρθὸν, ἔχον ἑκατέρωθεν δύο ὄφεις περιπλεγμένους καὶ ἀντιπρόσωπους πρὸς ἀλλήλους κειμένους ὅθεν εἰώθασιν φέρειν οἱ κήρυκες μετ' αὐτοῦ, id est, *caduceum vel caduceum est bacillus rectus, habens vtrinq; duos serpentes implicatos, aduersâ facie sitos, & se mutuò spectantes: quem caduceatores consueuerunt secum gestare. Pindarus* Ολυμπ. Θ. tribuit etiam *Plutoni* πῶ ῥάβδον, quum memorat hunc restituisse *Herculi, Cerberum* ab inferis educere volenti ex mandato Euristhei; quem tamen *Hercules Plutone* repulso eduxit. verba Pindari sunt στροφ. β. Ibidem,

Οὐδ' Ἄϊδας ἀνὴ
νήτων ἔχε ῥάβδον
βρότεα σῶμα δ', ἅ κατάγει
κοίλαν πρὸς ἀγύιαν
θνασκόντων, i. *nec Pluto*

Immotam tenebat virgam, quâ deducit mortalia morientium ad cauum vicum corpora.

Sed munus vtriuslibet Mercurij & Plutonis sic quidam distinguũt, vt ille hac vtatur virgâ ad animas ducendas & reducendas. Pluto eâdem ad corpora. Vt autem meliùs intelligatur Deorum & hominum conciliatio inter se vi eloquentiæ Mercurialis, ex vsu tibi fuerit, Lector, adscribere fabellam Aristidis non illepidam & è prima centuria Chiliadis 2. adagiorum depromtam, quam scripsit aduersus Platonem in defensionem Rhetoricæ: atque prætermissâ literâ Græcâ tantùm tibi proponemus interpretationem Latinam breuitatis caussâ. *Initiò quum essent homines nati, magnus inter hos ac cætera animantia tumultus erat, perturbatiq; super terram: propterea quòd non possent inuicem vti sese: nec enim vllares intercedebat, quæ illos conciliaret: verùm, qui potentiores erant, inferiores opprimebant; neq; satis erant idonei, vt reliquis animantibus resisterent, omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliisq; in re ab aliis vincebantur, veluti ab vniuerso genere volucrum celeritate: vnde factum est, vt, quod dicit Homerus Pygmæis accidisse à gruibus, id tum temporis passim à robustioribus ceteris paterentur mortales. Rursus quantum ad vires attinebat, longè superabantur & à leonibus & ab apris aliisq; compluribus: atq; hunc in modum silentio peribant. Iam verò quoad munitionem ornatumq; corporis, non coruis modò sed etiam cochleis cedebant, neq; cuiquam ex ipso suppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus. Itaq; quum ad eum modum interiret genus hominum, ac paullatim dilaberetur, Prometheus, vt semper hominum est studiosus orator, ascendit in cælum mortalium nomine, non ille quidem missus ab eis: neque enim dum id temporis legatos vllos erat cernere, sed ipse vltroneus abiit. Ad id Iupiter partim in gratiam Promethei, maximè qui iusta postulare videretur: partim negotio apud se considerato, filium suum Mercurium Iupiter iubet ad homines descendere adducentem secum Rhetoricam. Edixit autem, vt eam mortalibus impertiret, non, quemadmodum Prometheus ex æquo sensus reliquaq; corporis membra, perinde quasi pecuniam theatralem dispertiens, vt omnes ex æquo Rhetoricæ participes essent, non aliter, atq; oculorum, manuum & pedum, sed vt præstantissimos quosq; ingenioq; generosissimo & indole potentissima præditos deligeret, atq; his demum munus hoc impertiret; vt pariter suam ipsorum & aliorum incolumitatem tueri possent. Porrò postea quam Rhetorica iam ad mortales peruenisset, cùm negotium, quod habebant cum bestiis molestissimum, licebat effugere: tum verò desierunt inter se simultates exercere reperto commerciorum initio: digressi è montibus, alij in aliam orbis partem, iungebantur: principio quidem sub Dio viuentes: pòst autem, vbi verbis inter se communicassent, ciuitatem condiderunt, & distributi sunt, non quemadmodum antea temerè, verùm in ordines & belli duces, tum principes tum reipub. statum sanctis legibus instituerunt, Diis munera cœperunt offerre, primitias auspicantes ab oratione, quibus nunc quoque vel maximè gaudere Deos consentaneum est: quandoquidem hinc contigit, vt primùm Deos esse cognosceremus. Hinc deinceps ita creuit Homo, vt qui initio debilis fuerat atq; inualidus, postea in altum tolleretur: quique antea pro nihilo habitus ac despectus erat, deinceps factus est omnium quæ sunt in terra dominus, cui ius esset, quibus vti liberet non alio propugnaculo sibi parato, quàm oratione.* Sic Aristides. Est aliquid simile in Protagora Platonis, in speciem quoque lepidissimæ fabulæ.

Duc te.] Quomodo Mercurius deduxerit Priamum in castra Græcorum sic Hom. narrat v. 334. Iliad. ω.

Ερμεία, (σοὶ γάρ τε μάλιστά γε φίλτατόν ἐστιν
Ανδρὶ ἑταίρεσθαι, καὶ τ' ἔκλυες ᾧ κ' ἐθέλῃσθα)!
Βασσ' ἴθι καὶ Πρίαμον κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
Ὡς ἄγαγ' ὥς μήτ, ἄρ τις ἴδῃ, μήτ' ἄρ τε νοήσῃ
Τῶν ἄλλων Δαναῶν πλὴν Πηλείωνά θ' ἱκέσθαι.

Mercuri, (nam tibi est pergratum Priamum comitari, & exaudisti quemcunque voluisti) age abi & Priamum ad cauas Græcorum naues sic ducito, vt nemo aliorum Græcorum aut videat aut cognoscat, antequam peruenit ad Achillem. vers. 477. post illos.

Τὸν δ' ἔλαθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας.

Priamus magnus dicitur *ingressus, nec cognitus.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile Odes secundæ.

Metonymia est adiuncti pro ipsis hominibus

bus incultis & agreſtibus ad humanitatem informatis à Mercurio.

b Hic Metonymiam agnoſco cauſſæ, pro, facundâ oratione inde formatâ.

c Eſt hic meâ ſententiâ ſynecdoche partis, pro toto gymnaſio, cuius ſunt è Vitruuio & Hieronymo Mercuriali multæ partes, in quibus palæſtra numeratur ſexta: vbi non eſt ſimile veri, homines initio inſtitutionis Mercurianæ ſolùm ad luctationem eruditos fuiſſe: ſed in prima potiùs ante omnia diligenter exercitatos in variis diſciplinarum generibus: hîc enim exedra Philoſophorum, Mathematicorum, Medicorum & Rhetorum ad porticum gymnaſij erat fita.

d Metaphora ab auctoribus animalis ortus, pro inuentore Lyræ: qualis eſt, *parens fortunæ meæ*, i. auctor.

e Sumtum eſt à partib. corporis facilè callum contrahentibus, ad animum, qui, tanquam manus opere, aut planta pedis itinere, artibus & vſu rerum occalluit: ſimili tropo D. Paul. eſt vſus Epiſt. ad Rom. c. 11. v. 7. οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, *reliqui autem occalluerunt*, pro, cor aliquot Iudęorum obduruit, & obſtupuit: vel mens eorum fuit excæcata apiſtiâ & incredulitate.

f Synecdochica eſt periphraſis præſtigiarum ioci cauſsâ, non furti.

g Metaphora à muliere ornata marito, vel contrà, vt ratio vocis indicat, quòd vidua dicta ſit, à viro diuiſa: quem tropum ſi Seru. animaduertiſſet, hunc Poetam non accuſaſſet improprij ſermonis: ſcribit enim ad hunc verſ. Æn. 8.

—*Multis viduaſſet ciuibus Vrbem.*

Virgilium propriè locutum: quia hoc verbum quum nomine fœminini generis conſtruxit: Horatius contrà dixit abuſiuè & ſatis incongruè in genere maſculino, *Apollo viduus*. Leuis certè & inepta eſt reprehenſio: vtrobique enim eſt illuſtris translatio: qualis eſt Od. 9. huius libri.

Et ſoliis viduantur orni,

pro, ſpoliantur & priuantur.

h Synecdoche ſpeciei pro genere Græcorum, q uos latuit profectus & ingreſſus Priamus in ipſorum caſtra, vnde abſtulit cadauer filij ſui Hectoris, vt eſt Iliad. ω.

i Metonymia adiunctorum, & in *caſtra* ſubiectorum, pro latuit vigiles & cuſtodes caſtrorum & tentoriorum Theſſalicorum, qui ignem habebant, & quorum dux erat Achilles, Gallicè *les gardes & ſentinelles du camp des Grecs eſtant deuant Troye ne ſçeurent rien de l'entrée de Priam en leur camp.*

k Synecdoche eſt generis ad manes ſignificandos: vt in *lætis ſedibus*, pro campis Elyſiis, & in *virga* pro caduceo: ex quibus omnibus conſtituenda eſt Allegoria.

l Videntur quibuſdam hæc verba interpretari prouerbium κεῖν & ὁ Ερμῆς. Et quia hoc ſententiæ genus videtur vt plurimum niti priori parte elocutionis Rhetoricæ de tropis, dicemus. hoc adagio ſignificari per metonymiam cauſſæ pro effecto, ornatam orationem conciliaſſe homines Diis & aliis inter ſe.

Cuius etiâ nomine poteſt intelligi multiplex ipſius poteſtas, in cœlo, in terra, & in Orco, tam in exſequendis Deorum mandatis, in negotiis hominum curandis, & in iiſdem ad mercaturam maximo & ampliſsimo fœnore faciendam perducendis, quàm in ſedibus denique camporum Elyſiorum aſſignandis piorum Manibus. Quidquid enim de ipſius poteſtate narrant hiſtoriæ & fabulæ; poteſt ad hæc tria reuocari capita.

Ode XI. Ad Leuconoen.

Theticum.

Curioſam futuri conquiſitionem prorſus mittendam, atque pro hac Genium lautè curandum.

1 *V ne quæſieris (ſcire nefas) a quem mihi, quem tibi*
Finem Dî dederint, Leuconoe, nec b Babylonios
c Tentâris d numeros, vt meliùs, quicquid erit pati:
2 *Seu plures c hyemes, ſeu dederit Iuppiter vltimam:*
3 *Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus f mare*
Tyrrhenum: 4. g ſapias, vina liques: & ſpatio breui
Spem lõgam h reſeces: dum loquimur, fugerit i inuida
Ætas: k carpe diem, quàm minimùm credula poſtero.

Analyſis Dialectica.

Etſi Poeta videtur hortari mulierem ad voluptates perfruẽdas, vnde Epicureus & liber omni neceſsitate fati iudicatur: aliquod tamen admiſcet cum ea Stoicum dogma, de cura futuri ſtatus & fatalis euentus abiicienda. Ita ſemper retinet Philoſophandi libertatem, vti in Dialecticis Odes nonæ monuimus.

1 Theticum autem, quòd minimè ſciſcitandum ſit, quo quiſque natus fuerit fato, quid ipſi euenturum, & quandiu ſit victurus, demonſtratur loco diuerſorum: quorum hęc prior pars, in qua quęſtio videtur eſſe, amplificatur primùm ex adiuncto, ὅτι ὄφελος τὸ μέλλον ἀκριβῶς εἰδέναι, quod eſt Pindaro ἔπιθ. 1. Πυθ. τὰ δ' εἰς ἐνιαυτὸν, ἀτέκμαρτον ἀνθρώποις *quæ poſt annum euentura ſint, nullis ſignis poſſunt prouideri*: nec ſcientiâ futuri comprehendi, nec illius notio in animis informari poteſt ex diuina ordinatione, ſicut dicetur Od. pen. l. 3.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſâ nocte premit Deus,
Ridetq; ſi mortalis vltra
Fas trepidat.

Vnde fruſtrà videtur è libris Platonis ὁ τῆς μαντικῆς ὅρος, i. *definitio Manticæ accerſita*, Μαντικὴ, θεωρητικὴ τοῦ ὄντος ᾗ μέλλοντος ζῴου ἄνευ τοῦ, id eſt, *Mantica eſt ſcientia inſpiciendi, quod eſt, atq; futurum eſt animali mortali & caduco*: ὅπερ ὁ τὸ μέλλοντος τυφλὸς ὤν. ait Plutarchus in Solone. De huiuſcemodi autem imbecillitate mentis humanę in pręſagitione futuri clariſsimè fecit Pindar. ολυμπ. 12.

Σύμβολον δ' ἔπποις ὀπιχθονίων
πιστὸν ἀμφὶ θοᾷ ἔριδος ἔσ—
σομένας εὗρον ἀνθρώπων.
σᾶμα δ' ᾧ μελλόντων τετύφλονται φρένες, i.
Signum autem fide nemodum terreſtrium
dignum de rebus futuris
diuinitus conſequutus eſt; Sed de his
quæ habentur conſilia, ſunt cæca & incerta.

Quod ex euentis contrariis probatur, dum ſubiicitur.

πολλὰ δ' ἀνθρώποις ἔλπὶς γνώμαν ἐπ—
ἔμπαλιν μὴ τέρψιν, i.
Multa enim hominib. eueniunt præter opinionem (ἀνέλπιστα)
Iniucũda. Hic τὸ ἔμπαλιν τέρψιος valet ἐναντία τῇ τέρψει,

Qualibus euentis scatent Historię. Quid enim Pompeio, quid Catoni, quid Ciceroni, quid denique ipsi pòst Cæsari præter spem euenerit, nemo est, qui possit ignorare.

Deinde tali maiorum comparatione: tolerabiliùs est & multò leuius semel perpeti sine diuturna perturbatione animi cæcum quemlibet euentum, μάλιστα μὲ ἄφυκτον, quàm præscitum quotidie summo cum metu ac mœrore exspectare: οὐδὲ γὰρ ὅπου χαλεπὸς ὅρμος, ὥστε πολλοὶ ἤδη παρέλαβον τὸ ἔργον, οἱ μὲ ἐννυὶ χειμαζόμενοι, ἀπειμείναντες καταδῦναι τὼ ναῦμ, ἀλλὰ πρότερον αὐτὸς ἐπισφάξαντες: *metus enim adeò molestus est, vt plerique rem, quam metuunt, ipsimet præcipiant & præoccupent, vt qui iactantur tempestate, non exspectato naufragio se iugulent prius*, sicut Diogenes dixisse fertur. Itaque sibi quisque id proponat, de quo Cic. Epist. 4. l. 6. ad famil. admonebat Torquatum: *Equidem mihi omnia propono, nec vllum est tantum malum, quod non putem impendere: Sed quum plus in metuendo mali sit, quàm in illo ipso quod timetur; desino: præsertim quum id impendeat, in quo non modò dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit.* Quòd si τὸ, *vt pati*, explices per Hellenismum pro, *quatenus*, aut, vt melius patiaris & facilius feras; argumentum erit à fine, tractato tamen comparatè.

2 Protasis augetur distributione quadam euentus ex adiunctis, qui à Ioue siue tardior, siue ocyor futurus sit, facilius perfertur ignoratus, quàm prouisus.

3 Hìc apodosi fidem facit ex effectis euentus præuisi, qui iamiam frangit ac debilitat eum, in quem cecidit.

4 Posterior est pars diuersorum sic redintegranda & prior repetenda: quòd non quærenda sit ratio euentorum ex Chaldæis, hariolis & fatidicis: quod Cicero lib. 2. de Diuinatione confirmat, *Chaldæis, ait, in prædictione & notatione cuiusq; vitæ ex natali die minimè credendum esse, idq; ex disputatione Eudoxi apertè docetur.* Sed Genius omni voluptatum genere curandus: quæ explicatur adiunctâ prætereuntis ætatis celeritate. Ideoque occasio voluptatis arripienda est, & spes longæ vitæ resecanda. Non est huic dissimile consilium Theognidis.

Ημῖς δ' ἐν θειλίῃσι φίλον κατὰ θῶμεθα θυμὸν,
Οφρ' ἔτι περ πολῖς ἔργ' ἐράτεινα φέρῃ·
Αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεθ' ἄγλαθ' ἥβη,
Οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεθ' ὁμοιοτέρη.

Nos verò festiuis conuiuiis oblectemus animum, & in posterum suauis voluptatis fructum ille ferat. Nam subitò, vt cogitatio, præterit flos ætatis, neq; cursus equorum velocior est. cuius ratio postea subiicitur.

——Οὐ γὰρ ἀνὴβᾶν
Δὶς πέλεται πρὸς Θεῶν.

neque enim pubescere bis datur à Diis. Lucianus tamẽ in dialogo Plutonis & Mercurij scribit Eucratem quẽdam senem, τὸν ὑπὸ λυσσῶμενον τὸ γήρως, ὥσπερ Ἰόλεως, ἀνήβῃται, id est, *exutâ senectute è repubuisse more Iolai.* Quod Ouidius narrat factum precibus Herculis ad Deos lib. 9. Metamorph. sub medium,

Ora reformatus primos Iolaus in annos.

Sed hæc sunt Poetarum commenta & figmenta minimè credenda. Itaque quod Euripides in Alcestide præcipit, teneatur:

Τὸν καθ' ἡμέραν
Βίον, λογίζε σὺν· τὰ δ' ἄλλα, τῆς τύχης.

quòd hodie viuis, deputa tuum: catera fortunæ. Hanc autem Poetæ cohortationem possumus primùm breuiùs & apertiùs è Seneca sic contexere συλλογιστικῶς. *Quod times, venturum est, aut secus: si secus; frustra ergo vexaris: si venturum est, tum satis tandem dolebis, quum adfuerit tribulatio.* Deinde ex Agel. l. 14. toto c. 1. & maximè sub finem. *Phauorinus, inquit, deterrere volens & depellere adolescentes à Genethliacis istis, & quibusdam id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos pollicentur, nullo pacto adeundos consulendosq;, huiusmodi argumentis concludebat: Aut aduersa, inquit, euentura dicunt, aut prospera: Si dicunt prospera & fallunt; miser fies frustra exspectando: si aduersa dicunt & mentiuntur; miser fies frustrà timendo: si vera respondent, eaq; sunt, non prospera; iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. Si felicia promittunt, eaq; euentura sunt; tum planè duo erunt incommoda, & exspectatio te spei suspensum fatigabit, & futurũ gaudij fructum spes tibi iam defloruerit:* nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. Huc refer Paccuuianum illud, *Nam si qui, quæ euentura sunt, præuideant, æquiparent Ioui.* Hi certè loci proximè accedunt ad illum D. Matth. c. 6. de vitanda immodica sollicitudine futuri, μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς· ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς: *ne sitis igitur solliciti de crastino: nam crastinus dies sollicitus erit de rebus suis: sufficit diei sua vexatio.* Tutissimum autem nostrarum sollicitudinum perfugium D. Petrus monstrat. c. 5. Epist. 1. πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψαντες ἐπ' αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν: *conjicite in Deum omnem vestram sollicitudinẽ: nam illi cura est de vobis,* qui quum crastinum dederit, facilè etiam à se vno pendentibus necessaria dabit ad vitam tuendam. Huc addè, quòd ipse Poeta docet sub finem Epist. 2. l. 2. ad tranquillitatem animi & vitæ felicitatem plurimum valere, si quis

Somnia, terrores Magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaq; Thessala ridet.

Enarratio Grammatica.

1 TV ne quæsieris.] Hæc sententia simpliciùs & pleniùs potest sic enunciari: ne Leuconoe scisciteris sollicitè ex fatidicis diem suæ & Horatianę mortis: sed illi satis sit in diem viuere securè: quod dũ monet, Epicureum videtur agere, qui omnia temerè ac fortuitò fieri, omnem efficientiam fortuitis atomorum declinationibus tribui, (vt disputatur in libello Cic. de Fat. & Plutarc. contra Coloten de eo, *quòd ne viuere quidem iucundè quisquam possit è secta Epicuri.*) nullam deniq; à præsenti vita voluptatem fore purabat. Illa quidem ineptè & fatuè dicuntur: hoc verò impiè, vt nihil inter hominem, atque quadrupedem interesse videatur: vnde est illud hemistichium cuiusdam Poetæ: *pereat, qui crastina curat:* τὸ γὰρ αὔριον τίς οἶδεν; *Quis enim, quod cras futurum est, nouit?* quærit Anacreon: ὅπου τὸ μέλλον ἄδηλον· quia quod futurum est, non cadit sub comprehensionem sensus humani. Idem affirmat Euripides in Alcestide, τὸ τῆς τύχης γὰρ ἄφαντες οἱ πρόβησεται. κἄστ' ἐ διδακτὸν οὐδ' ἁλίσκετ' τέχνῃ· *cæcus rerum euẽtus ipsum anteibit, qui nec doctrinâ, aut arte comprehenditur:* quia illa futuri præsensio, si est certa, vt Ethnici putabant, nihil affert aut ad boni adeptionem, aut ad mali declinationem: quod apud Cic. l. 3. de nat. Deor. ita cõfirmatur: *Effugere enim nemo id potest quod futurum est, sæpè autem ne vtile est quidem scire, quid futurum sit: miserum enim est nihil proficientem angi nec habere ne spei quidem extremum: nihil igitur iuuat, nec quicquam affert ad cauendum, scire aliquid futurum, quum id certò futurum sit.* vnde ẽ. Od. 9. *Quid sit futurum cras, fuge quærere.* Videtur autem hæc vox Leuconoe dicta à candore mentis quã ἡ μαντικὴ solet facilè in captionem & fraudem inducere. Eam ob rem meritò Poeta illam prohibet adisu ad fatidicos & vates, ne quid ex illis percontatione quærat de longitudine & breuitate vitæ, ipsiusque euentis: sapienter credo admonitus diuino carmine Sibyl.

Οὐδὲ τὰ Χαλδαίων τὰ πρόμαντα ἀστρολογοῦσιν,
Οὐδὲ μὲ ἀστρονομοῦσι· τὰ γὰρ πλανᾶ πάντα πέφυκε.

Neq; in Chaldæorum prædictionibus versentur, (omnia) Nec scientiam astrorum tractent: solent enim fallacia esse

Sapien-

Sapienter quoque Phocylides ἐν γνωμικῷ·

Φάρμακα μὴ τεύχειν μαγικῶν βίβλων ἀπέχεσθαι.

Venena ne pares: à magicis libris abstineas: Talem Sen. l. 14. Ep. 94. percontationem insimulat vanitatis. *Quid me, inquit, interrogas, quando natus sim? an inter iuniores adhuc censear? habeo meum diem. Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus: sic in minore temporis modo potest vita esse perfecta: ætas est inter externa: quamdiu sim, alienum est: quandiu autem sim vir bonus, meum est: hoc à me exigo, ne velut per tenebras ætatum ignobile emetiar: vt agam vitam, nõ vt præteruehar. Quæris quod sit amplissimum vitæ spatium? vsq; ad sapientiam viuere: qui ad illam peruenit, attigit non longissimum finem, sed maximum.* Rectum quidem certè est Poetę consilium, si perinde moderata esset pars consilij altera: nos enim sacri Prophetæ ab huiusmodi percontationibus abducunt, & interdicto Leui. cap. 19. & exemplo regis Manassæ, & totius Israelis, Esaiæ, cap. 47. deterrent. Plutar. quoque in vita Marij sub finem exemplo cuiusdam Octauij, quem nimia hariolorum, Chaldęorum, cęterorumque diuinorum fiducia, virum alioqui bonum, perdidit. Marius contrà, quia huiusmodi homines non audierat, seruatus fuit, homo cætera immanissimus & sceleratissimus. In vita tamen Syllæ memoratur prædictio Chaldæorum de ipso vera, quò potest accedere illud Suet. in Domitiano c. 14. *cui adolescẽtulo Chaldæi prædixerant annum, diem vitæ vltimum, horam etiam & genus mortis: quare pauidus semper atq; anxius minimis etiam suspicionibus præter modum, commouebatur:* & certè quæ aut temerè, aut astutè vera dicunt, præ cæteris, quę mentiuntur, pars ea non sit millesima. Itaque tam variabiles prędictionum casus & euẽta nobis reddere debent illarum scientiam incertam, dubiam, & ancipitẽ: præsertim quum quod sequitur tempus, sciri non possit, vt nec præterita reuerti: ideoque fugienda nobis τὰ ἀφεμάντα; vel sine expresso sacrarum literarum interdicto; nitentibus solùm humano: quod Romani sunt sequuti, vt Suet. in Oct. cap. 31. & in Tiberio 36. scripsit: quanquam hic posterior vsus est opera Thrasylli, totusque ab huius prædictionibus pependit, vt idem historicus refert in ipsius vita cap. 69. *Circa Deos ac religionis negligentior, quippe addictus mathematicæ, persuasionisq; plenus, cuncta fato agi.* Idem narrat Historia Dionis lib. 57. sed paulò clariùs, *Porrò Tiberius*, ait, *etsi Thrasyllo assiduè vtebatur, ac singulis diebus vaticinia accipiebat, tamen re accuratè consideratâ, quum aliquando per somnum iussus esset cuidam argentum dare, hominem interemit: quòd intelligeret sibi per magicam artem Dæmonem immissum fuisse. Reliquos omnes Astrologos, Magos, aut quicunque alio quopiam modo diuinationes exercerent, exteros necauit. Ciues, etiamnum negleeto priore edicto, quo prohibitum fuerat vsu harum artium omnibus, qui in vrbe essent, consequebantur.* Tiberius tandem sperans ad id tempus, quòd Thrasyllus prædixerat, sẽ victurum, neq; medicos consuluit, neque victus ratione mutauit. Ita deceptus ab hoc Astrologo spe longioris vitę, sensim tabescens mortuus est, vt in fine l. 58. eiusdẽ narratur. Et certè si quis esset ex hora natalitia præsagiendi locus è planetis & signis de euentis hominibus futuris, primordia fœtus potiùs inspicienda viderentur, quo planetâ & quo astro ille conciperetur: nã principatus planetarum asserunt elucere maximè in conceptione hominum, vt Saturni in primo illius mense, & iterum in octauo: sicut Iouis in secũdo & nono: Martis in tertio: sed reliquorum principatus repete ab astrologorum libris; Inspiciẽdum quoque magis esset, quibus in vtero modis fœtus afficeretur, quàm in partu consensio signi & horoscopi obseruanda: cui profectò non tanta vis esse potest, vt, primis materiæ prolificæ affectionibus omnino deletis, nouas infanti inducat, sicut Agell. l. 4. c. 1. suprà citato ostendit aduersum istos, qui sese Chaldæos seu Genethliacos appellãt: vbi Phauorinus philosophus inducitur quęrens ex illis, quî cõueniret ipsorum obseruatio, *quum aliud stellarum agmen foret, quo primùm tempore conciperetur homo in vtero matris: aliud postea, quum in decem mensibus proximis in lucem ederetur.* Lege ibidem reliqua huius Philosophi argumenta contra sycophantias Chaldæorum. Tacitus idẽ quoq; videtur innuere lib. 6. recensens varias philosophorum opiniones de fatali necessitate. *Contrà*, inquit, *alij fatum quidem congruere rebus putant: sed non è vagis stellis, verùm apud principia & nexus naturalium caussarum.* Hæc quidem propositio mihi videtur niti distinctione affectionis cęlestis, quam ipsimet astrologi ac medicus Auicenna sequuntur: quum ex Aristot. lib. 2. de generat. animal. asserunt in aere fieri qualitatem occultam, vt rerum procreatricem, sic earundem corruptricem, eamque proficisci è syderibus: quanquam hęc per se nihil dant mali; ἀλλὰ συμβεβηκότως è vaporibus prauis, qui cælum sic afficiunt. Vnde perspicis, vtris culpa, caussaque tristis lætisque euẽtus assignanda sit; planetísne, an caussis aereis. Atqui illa conceptionis & hora & affectio nullâ, quamlibet accuratâ, inspectione obseruari potest: restat igitur, vt hæc prędicendi futuros casus ratio conuincatur vanitatis. Prætermitto, quod certum est, dicere, signa mutasse locum ab ætate Ptolomæi, & quòd sic ipse tradidit de Iudæis, Syris, & Idumæis, è diametro pugnare cum fide & experientia historiarum, quæ narrãt Syros per simplicitatem naturæ ad seruitutem natos, vt constat è Poetis etiam omnis generis: Iudæos ad religionẽ; Idumęos ad mollitiem, quę obiecta est à Cicerone Manibus Pompeij, *qui putabat cum Syris ac rege Nabathæorum sibi rem esse.* Ptolomæus contrà, quia hi tres populi subjicerentur his signis; Arieti, Scorpioni, & planetæ Marti, eos audaces & impios falsò pronunciauit. Hic autem Astrologus Thrasyllus dicitur Iuuen. Sat. 6. σωφρονίζειν suа prædictione prohibuisse quandam vxorem iugali comitatu mariti.

——quæ castra viro patriamq; petenti,
Non ibit pariter numeris reuocata Thrasylli.

Idem historicus in Vitellio scribit: *Hic imperator nullis erat infensior, quàm veraculis & Mathematicis.* Præterea Tac. l. 17. sic mathematicos describit: *genus hominum, inquit, potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra vetabitur semper.* Idem historicus scripserat li. 2. Annal. *Senatusconsς. factum esse sub Claudio de mathematicis ex Italia pellendis, è quorum numero L. Pituanius de saxo Tarpeio deturbatus est.* Miramur certè hunc, qui aliis solebat prędicere futura, non sibi præsensisse & cauisse euentum huiusmodi exitium. Sic Esaias antè citatus, quum interitum monarchiæ Babylonicę denunciaret Babyloniis, exprobrabat his huiusmodi sapientes & diuinos vates, qui illum neque tunc præuidere, neque quum pro foribus adesset, possent vllo modo auertere. Huc accedit Seneca, qui illos facetè in ludo de morte Claudij Cæsaris notauit: vbi inducitur Clotho vna Parcarum Senecæ roganti ita respondens: *patere Mathematicos aliquando verum dicere, qui C. Cæsarem, postquam princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Gal. Ils le portent tous les ans & tous les mois en terre: & tamen non est mirum, si errant, qui Mercurium præsidem mendaciorum colant, ac, ne offendant, rariùs vera dicunt.* Sed omnium sapiẽtissimè acutissimeque D. Augustin. de ciu. Dei, Posidonium Stoicum Panętij discipulum dissimilitudine geminorum confutauit. Sic enim ille. *Cicero scribit Hippocratem nobilissimum Medicum reliquisse scriptum quosdam fratres, quum simul ægrotare cœpissent, eorumq; morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos suspica-*

tum: quos Posidonius Stoicus multum Astrologiæ deditus eadem constitutione astrorum natos, eademq; cõceptos solebat asserere. Ita quod Medicus pertinere credebat ad similliman temperiem valetudinis. Hoc Philosophus Astrologus ad vim constitutionẽq; siderum quæ fuerat, quo tempore cõcepti natiq; essent. In hac causa multò est acceptabilior, & de proximo credibilior cõiectura medicinalis. Quoniam parentes, vt erant corpore affecti, dum concumberẽt, ita primordia conceptorum affici potuerunt; vt consequutis ex materno corpore priorib. incremẽtis, paris valetudinis nascerentur. Deinde in vna domo eisdem alimentis nutriti; vbi aerem & loci positionem & vim aquarũ plurimũ valere ad corpus vel benè vel malè accipiendũ testatur medicina. Eisdem etiã exercitationib. assuefacti tam similia corpora gererent, vt agrotandum eodem tẽpore eisdemq; causis mouerentur. Cõstitutionem cæli ac siderũ, quæ fuit, quando concepti, siue nati sunt velle trahere ad istam ægrotandi parilitatem, quũ tam multa diuersissimi generis animalia diuersissimorum affectuum & euentuũ eodem tempore in vnius regionis terra eidem cælo subdita potuerunt concipi & nasci, nescio cuius sit insolentiæ. Nos autẽ nouimus gemmos nõ solùm actus & peregrinationes habere diuersas, verum etiam dispares ægritudines perpeti: qua de re facillimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates, diuersis alimentis & exercitationibus, quæ nõ de corporis temperatione, sed de animi voluntate veniunt, dissimiles eis accidere potuisse valetudines. Porrò autẽ Posidonius vel quilibet fatalium siderũ assertor, mirum si potest hîc inuenire, quid dicat, si nolit imperitorum mentibus in eis, quas nesciunt, rebus illudere. Quod enim conantur efficere de interuallo exigui temporis; quod inter se gemini, dum nascerentur: habuerunt propter cæli, particulam, vbi ponitur horæ notatio, quam Horoscopum vocant: aut non tantũ valet, quanta inuenitur in geminorum voluntatib. actib. moribus. casibusq; diuersitas: aut plus etiam valet, quàm est geminorũ vel humilitas generis eadẽ, vel nobilitas, cuius maximã diuersitatẽ non nisi in hora, quâ quisq; nascitur, ponũt. ac per hoc si tam celeriter alter post alterum nascitur, aut eadẽ pars Horoscopi maneat; cuncta paria quæro; quæ in nullis possunt geminis inueniri. Si verò sequentis tarditus Horoscopum mutat, parentes diuersos quæro; quos gemini habere non possunt. Frustra igitur affertur nobile illud cõmentum de figuli rota; quod respõdisse ferunt Nigridium hac quæstione turbatũ: vnde & figulus appellatus est. Dum enim rotam figuli vi, quãtâ potuit, intorsisset, currente illâ bis numero de atramento, tanquam vno eius loco summâ celeritate percussit: deinde inuenta sunt signa, quæ fixerat motu desistente, non paruo interuallo in rotæ illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta cæli rapacitate, etiamsi alter post alterum tantâ celeritate nascatur, quãtâ rotam bis ipse percussi, in cæli spatio plurimum est. Hinc sunt, inquit, quæcunque dissimillima perhibentur in moribus casibusq; Geminorum hoc figmentum fragilius est, quàm vasa, quæ in illa rotatione fingũtur. Nam si tam multum in cælo interest, quod constellationib. comprehendi non potest, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat; cur audent cæteri, qui gemini non sunt, quum inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud secretum pertinent; quod nemo comprehendere, & momentis notare nascentium? Si autem talia propterea dicunt in aliorum genituris; quia hæc ad productiora spatia temporum pertinent. Momenta verò illa partium minutarum, quæ inter se possunt habere gemini nascentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus Mathematici non solent consuli. Quis enim consulat, quando sedeat; quando deambulet; quomodo vel quid prandeat? numquid ista dicimus, quando in moribus, operibus, casibúsque Geminorum plurima plurimúmque diuersa monstramus?

Hactenus Augustinus, cuius etiam in libro alia multa disputantur aduersus Astrologos non minus eleganter, quàm verè ac grauiter; quòd stellæ nec à se, nec à Deo talem habeant potentiam, vt animos nostros vi suâ vel ad vitia vel ad virtutes cogant, totumque Mathematicorum fatum acutissimis ac verissimis argumentis accusat & damnat: quò potest accedere D. Pauli disputatio ex cap. 9. ad Rom. de fratribus geminis Esauo & Iacobo diuersè prædestinatis. Quod etiam irridet Persius Sat. 6.

Geminos, Horoscope varo,

Producis Genio——id est, *intorto & diuerso ingenio ac naturâ*, qui quales cæli affectiones, qualia vitæ primordia communiter sortiti fuerant, talia profectò eiusdem euenta, tales etiam mores & vitæ terminos consequi debuerant: ἀλλὰ ταῦτα οὐκ ἀντικολέθησαν ἀλλήλοις, id est, *hæc non se mutuò consequuta sunt*: nõ secus, ac si vellem è communi, &, si ita loqui liceret, contemporanea internecione ingentis exercitus; quem Xerxes aduersus Athenienses eduxerat, conficere, omnes illius milites communem habuisse in horoscopo & hora natalitia signorum & astrorum consensum; ὅσπερ ἅπαντες ἔπεται, *quod non continuò sequitur*, imò neque prorsus omnino per naturam fieri potest. Eodem argumento vtitur Cicero lib. 2. de diuinatione. *Ego autem*, ait, *etiam hoc requiro: omnesne, qui Cannensi pugna ceciderunt, vno astro fuerint? exitus quidẽ omnium vnus & idem fuit. Quid qui ingenio atq; animo singulares nascuntur, nũ astro æquè vno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles nascantur? at certè nemo similis Homeri.* Itaque quũ τὸ μὴ ἀποτελέσματα, ἢ τὸ κατὰ τὸ ἀμιγὲς σῆμα σημεῖον ἢ τὸ κατὰ πλῆν κεκρῖσθαι σῆμα ἕτερον, id est, *quum, inquam, effectus, siue qui nullo signo est mixtus, siue qui particeps est temperationis astrorum*, reperiantur inter se contrarij sub eodem horoscopo, & sub iisdem signis in similibus subiectis; constitutio certè astrorum & cæli affectio videtur mihi proculdubio ad eum rerum vsum tantùm valere, quem nos Moses, & quem alij Prophetæ & Apostoli docuerunt, vt ex Ieremiæ 10. per Dei mandatum nihil nobis metuamus à cælestibus signis, quæ gentes impiè formident, atque ea referamus, quò prophani scriptores, maximè Hesiodus in poemate operum & dierum, & Virgilius in Georgicis vtramque accommodarunt. Plato quoque in libello, *an virtus doctrinâ paretur*, Socratem inducit docentem, bonos viros perinde fieri tales afflatu diuino sine artis & naturæ ope, atque vates & fatidicos. Quocirca quod Chilon monet, μαντικὴν μὴ ἐχθαίρειν, *vaticinandi artem odisse noli*, putarem equidem de illo instinctu diuino intelligendum. Sed me fœda & impia Arabum Magorum religio inde reuocat, qui nullos præstantes Magos, nisi quos à filio mater, aut à patre filia, aut à fratre soror compressæ parerent, euadere putarunt: sicut Xanthus in Magicis memorat, & Clemens lib. 3. στρωμ. confirmat. Herodotus quoque & Strabo, Λέγουσι δὲ μάγους μὴ θάπτεσθαι, ἀλλ' ὀρνέοις προτιθέναι ἢ κυσὶν ἑαυτούς, id est, *Magos non sepeliunt, sed alitibus depascendos permittunt. Magis quoq; pro more & instituto regionis licet cum ipsorum matribus consuetudinem habere:* quò pertinet etiam hoc Ouidij distichon:

In quibus & nato genitrix & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato crescit amore.

Quem morem vt nefarium, Catullus rapuit in detestationem & imprecationem.

Nascatur Magus ex Gelli matrisq; nefando
Concubitu, & discat Persicum haruspicium:
Nam Magus ex matre & gnato gignatur, oportet,
Si vera est Persarum impia religio.

Quo autem loco Cicero huiusmodi homines habuerit, lib. 1. de diuin. apertè indicatur: *Contemnamus, inquit, etiam Babylonios, qui ex Caucaso cæli signa scrutantes numeris & motibus stellarum cursus persequuntur.* Eundem vide de iisdem etiam li. 2. suprà citato: ac præterea Diod. Siculum de Chaldæis in Syria, quàm hi cognitione astrorum, solertiaque ingeniorum antecelluerint.

Postremò

Postremò Lucret. lib.5. de Babylonica & Chaldaica doctrina. Plutarchus denique libel. de sera numinis vindicta scribit, diuinæ sapientiæ opus esse præscire è genitura infantium similitudines perturbationum & affectionum, priusquam apertis commotionibus illi in nefanda erumpant scelera. Præterea creduntur Astrologi ex eo dicti ab Hebræis, quòd crepusculis obseruarent cælum ad diuinationem: ideoque à veteribus soliti nominari Reicophantæ: pro quo ineptè ad talem obseruationem, scribitur lib. 6. cap. 26. Plinij Græciophantæ tam in exemplaribus Latinis, quàm Gallicis. Sed de his satis.

Scire nefas.] Valdè laborant interpretes in hac verborum syntaxi assignanda. Ex his enim quidam *nefas*, cuius propria est notio, quod per Deos fari vel fieri οὐκ ἐνδέχεται, ἀδύνατον, construunt cum infinito *scire*: quemadmodum Virgil. dicit, *dissimulare nefas*, & hic ipse Ode 24. huius libri, *Quicquid corrigere est nefas*. Cicero item *dictu nefas* pro, non licet, vel est impossibile: atque tum sic explent ellipsin verbi & prouocabuli, *quod: ne quæsieris, quod, vel quia, scire nefas est & impossibile.* Alij verò construunt infinitum cum, quæsieris, quomodo sæpè Poeta vt Epodis 2. *omnem relegit idibus pecuniam: Quærit calendis ponere*, & Cicero aliquando loquitur, *Quæris scire, quid sentiam:* Virg. 6. Æn.

— *Quære doceri,*
Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunáue mersit.

& ita verbum est συμβουλευτικὸν ἢ ἀποτρεπτικὸν, quod explices per illud Ouidij coniunctũ, ne inquiras in meos annos nec in tuos, id est, ne consulas Genethliacos de termino nostræ vitæ, quemadmodum Græci etiam vsurpant τὸ ζητεῖν, pro velle studere & conari, vt Plato, ψυχὴ ζητεῖ εἰδέναι τί: *animus studet & conatur scire aliquid:* vt etiam Sophocles in Οἰδιπ. Τυράν.

Ζητῶν τὸν αὐτόχειρα τῦ φόνυ λαβεῖν, *quærens ipsum cædis auctorem comprehendere*, pro conans: vt denique Isocrates Epist. 8. ad Mitylenæos, Δέδοικα, μὴ λίαν ἄπορον δόξω, καὶ ἀδύνατον, ζητῶν διεξελθεῖν πλείω τὰ μέγεθος παρ' ἀνδρῶν, &c. *Veritus sum, ne nimis ineptus & curiosus viderer, si res magnitudine tantas obtinere studerem à viris, quibus nunquam aut sermone, aut familiaritate coniunctus fui:* separant, inquam, alij nefas, & includunt rectè quidem illi, sed non satis: addendum enim fuerat hoc sensu interiectionem esse exsecrantis, aut indignantis: qualis est illa Ouidij Metam.

Isset. O, indignum: scelerato profuit ara.

Illa quoq; Terentij est irascentis: *Quid tua, malum! id refert?* Vtraq; explicatio tolerabilis est. Addam ad extremum, auctores vsurpare has loquendi formulas, *ne quæsieris, fuge quærere* antè Ode 9. *noli quærere, quid vis? nunquid vis? quid quæris*, quid amplius vis? Epod. 17. quum quid alijs non satis explicatè nos commemorare, aut ab alijs audire grauatè significamus.

Finem.] Supple, vitæ vel viuendi, pro quo Lucretius dicit *finem vitæ & laboris facere & statuere.*

Babylonios.] Ciuitas Babylon scriptis omnium celebratissima propter amplitudinem, fuit olim caput & metropolis Chaldæorum & Mesopotamiæ & Assyrię finitima, & à Nemrodo condita: Græci tamen volunt, illam à Semiramide constructam fuisse, atq; inter illos Dionys. in Periegesi ad vers. Πρὸς δ' Νότον Βαβυλῶν, &c. quos Propertius secutus, cecinit.

Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solido coctum cingeret aggere opus.

Sed quibusdam videntur malè rationem temporum subducere διὰ τῦ ἀναχρονισμῦ. Legimus tamen vnam Babylonem in Assyria sitam lib. 4. Reg. c. 17. Item cap. 25. eiusdem libri: alteram in Chaldæa Nemrodi regiam, de qua Plinius. lib. 6. cap. 26. Strabo lib. 15. & 16. Herodotus lib. 1. Pomponius Mela. lib. 1. Ptolomæus lib. 5. cap. 20 & 6. cap. 26. Tertia Babylon dicitur proxima Ægypto in finibus Arabiæ iuxta Heliopolin, Arabicè Chairus, nunc Alcayr, quam Ptolomæus tabulâ tertiâ Africæ vocat Babylin, quæ omnes à commixtione & confusione sunt nominatæ. Babel enim, vnde Babylon sortita est appellationem sui, fit ex *Ba*, venit, *Bel*, confusio & ignominiosa nota, quæ iusto Dei iudicio inusta est posteris Noei Dei contemtoribus in illa turris Babylonicę superba constructione, Genes. 11. vers. 4. Quantum verò Babylonij excelluerint in Astrologia, vide locos Ciceronis proximè citatos, atque illum in primis libr. de Fato, vbi P. Ramus scribit Chaldæos philosophos fuisse Assyriorum, qui habitarunt ad confluentem Tigris & Euphratis, hos Mathematicarum artium inuentores esse, historia sacra testatur, vt constat ex Iosepho, qui scribit ab Adamo, Setho, veteribusque Patriarchis inuentas, & à Noeo duabus ingentibus columnis, ne diluuio perirent, impressas & consignatas, tandem per Abrahamum traditas Ægyptijs. hoc idem videtur Cic. confirmare, cùm lib. de Diuinat. Chaldæos recenset primos inuentores Astrologiæ. Principio Assyrij, vt ab vltimis authoritatem repetam, propter planiciem, & magnitudinem regionum, quas colebant, cùm cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motusq; stellarum obseruauerunt, quid cuique significaretur memoriæ prodiderunt. qua in natione Chaldæi non ex gentis vocabulo nominati, diuturna obseruatione siderum putantur effeciisse, vt prædici posset, quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset. Diodor. quoque Siculus scribit, Chaldæos summam habuisse Astrologiæ intelligentiam, dum ait: hoc quidem posset quis decenter affirmare Chaldæos omnium omnino hominum in Astrologia optimè versatos esse, propterea quod in eam cognoscendam plurimum studij & operæ contulissent. Diogenes apud Laertium lib. 6. Gubernatores, Medicos, & Philosophos sapientissimos iudicabat: cùm autem videret somniorum Interpretes, coniectores, vates, & huiusmodi generis alios, vel qui gloriæ aut diuitijs inhiarent, nihil stultius esse existimauit. Vnde per numeros Babylonios discs Mathematicos numeros & Astrologicos esse intelligendos, quorum ratione fatidici de termino euentisque rerum & hominum inquirere solent: lege denique lib. 5. Q. Curtij de gestis Alexandri Magni, quomodo Magi, Chaldæi & Babylonij, processerint obuiam Alexandro Babyloniam ingredienti.

Vt melius.] Varia quoque est interpretatio horum verborum, vbi nonnulli constituunt alteram sententiam, & ellipsin verbi *possis*, hoc modo explent, *& τὸ, vt*, declarabit caussam finalem hoc sensu. *quatenus autem possis melius pati, quicquid euenerit, liques vina, reseces spem, &c.* Sic enim τὸ *vt pati*, Græci efferunt, ὡς ὅτ' πᾶν τὸ συμβησόμενον βέλτιον φέρειν, *quatenus, quicquid ceciderit, melius ac facilius feras*, construentes ferè τὸ ὡς cum verbis infinitis. Simili syntaxi & notione dicitur lib. 1. Epig. cap. 1.

Εἶπε κασιγνήτη κρατερὸς ἵνα θῆρας ἐγείρῃ·
Ὅσσον ὅτι φαῖσι μερόπων δέμας —

Dic, Apollo, Dianæ sorori, vt acres excitet feras:
Quatenus leuiter attingant corpus hominũ venantium.

alij sumunt idem, *vt*, pro tanquam; alij absolutè, *vt melius*, pro, existẽte meliore: Prętereà ὑπερβατικῶς quidam referunt, *vt*, ad *sapias*, & hoc verbum dicunt valere idem, quod cogites, mediteris de quolibet casu melius ferendo; alij per interrogationem, vel per exclamationem interpretantur, pro quàm, vel, *ô quanto melius est!* quem-

admodum sæpissimè particula, *vt*, sumitur à Terentio, *vt præter spem euenit! vt falsus animi est!* alij denique videntur accipere *vt*, quale est in hac Ciceronis sententia, *vt in quoque erat auctoritatis plurimum.* Gallicè *selon qu'vn chacun auoit de credit & d'estime*: sic hoc loco, *vt melius est pati, quicquid erit, selon qu'il est meilleur d'endurer tout euenement soit tost ou tard.* Nihil certè horũ mihi videtur omnino improbandum, quum vis argumenti vbique retineatur, depromti, credo, de eo, quod Silenus à rege Mida & captus & interrogatus τί ποτέ ἐστι βέλτιον τοῖς ἀνθρώποις καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον; διαγελώμενος εἶπε. *Quid esset hominibus melius, & quid omnium maximè expetendum? Δαίμονος ὀπίπονος καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθε λέγειν, ἃ ὑμῖν ἄριστον μὴ γνῶναι, μεταγνόιας γὰρ πῶν οἰκείων κακῶν ἀλυπότατος ὁ βίος.* *O Genij ærumnosi ac grauis fortunæ semen temporarium, quid me cogitis dicere, quæ vobis melius esset nescire? nam in summa omnis molestiæ vacuitate viuit, qui sua ignorant mala.* Hoc à Plutarcho memoratur ἐν μυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον, *in oratione de consolatione ad Apollonium.*

Hyemes.] Sic videtur scribendum ἀπὸ τοῦ ὕειν flexum: ab humo autem & imbre vel ab hiando ductum, requirit scripturam hiems, vt dicetur Epod. 13.

Quæ nunc.] Lectio codicis Blandiniani, quam Aldus & Iac. Cruquius protulit, valdè mihi probatur, vt τὸ *qui* lectum intelligatur de Ioue, pro tempestate quæ ad scopulos frangat mare, id est, fluctus.

Debilitat.] Debilitare dictum videtur, vt *debilis* ex eo, quod de suo habitu & statu concidit, & tam de corpore quàm de animo dici potest.

Pumicibus.] Pumex est Plinio lib. 36. cap. 21. lapis spongiosus trium generum, Virgilio latebrosus, Ouidio multicauus, qualis solet fieri assiduo fluctuũ motu & percussione, quæ scopulis infixa sæpiùs illos cauat. Valet autem pumex ad corpora læuiganda, & ad libros expoliendos, quod propriè Athenæus lib. 12. pronunciat per verbum Κατακισσηρίζειν, vel etiam constat ex vltima lib. 1. Epist. ad librum.

Scilicet vt prostes Sostorum pumice mundus.

Item ex epigrammate Catulli primo libri primi. ad Cornelium Nepotem. De hoc etiam lege Theophrastum lib. 5. cap. 125. & lib 9. cap. 18. Historiæ plantarum. Hunc autem Græci vocant κισσηρίν ac definiunt αὐχμηρὸν πόντου τρῆμα τετηκότα, καὶ τραχὺ ἠχάλεον, ἢ γλαφυρὸν, κοίλιον καὶ σποδιώδη πέτρην· *aut lapidem maris squallidum, multis foraminibus pertusum, & asperum, aut lapidem varium, cauum, cauernosum*, deflectuntq; ἀπὸ τοῦ κίειν, ὃς περ ὅτι θοινίδιον σιτοφάγον, *Vermiculus erodens frumentum.*

Mare Tyrrhenum.] Hoc nomen inuenit mare inferum à Tyrrheno filio Atyos Heraclidæ & regis Lydiæ, qui retento Lydo altero filio sibi in regnum successuro, dimisit Tyrrhenum cum Colonia ad nouas sedes quærendas, qui tandem, post longam nauigationem, in Tusciam siue Hetruriam appulit, regionem Italiæ inter flumina Macram, & Tiberim: à quo mare illud vicinum est nominatum, hodieque Tuscum & inferum mare vocatum, atque incolæ Thusci, ἀπὸ τοῦ θύειν, vnde prima litera videtur detranda. Hæc notatio est Seruij in Æneid. 8. in vers.

Tyrrhenúsque tubæ, &c.

Sapias.] Est hîc Elliptis discretiuæ, *sed, autem*, explenda: alij tamen connexiuam, *si*, supplent: vt Prisc. lib. 18. alij supplent verbum, fac, sapias & liques: quod eum sapere putent, qui bonam temporis partem in epulas & voluptates conferre solent; ego verò contrà illam malo suppleri, sicut vis argumentorum videtur postulare, vt copulatiuæ. &

Liques.] Id est, bibas: hoc autem verbum potest referri vel ad consuetudinem vini transfundendi & percolandi in vas aliud, vt defæcatius ac liquidius, minusque nocens esse, ac diutius seruari possit integrum: vel iocosè ad præsentem per Oesophagum tanquam per infundibulum haustum, dum bibituris proponitur.

Spatio.] Hæc vox fit è Græca Dorica στάδιον, pro stadio, quam nonnulli sic dictam volunt ἀπὸ τῆς στάσεως; propterea quòd Hercules spatio 200. pedum, vel vt Plinius metitur lib. 2. cap. 23. passuum 125. confecto vnico spiritu constiterit: qui passus 125. efficiunt Agellio pedes 600. alijs aliquanto plures; quos numeres 625. Suidas autem è stadijs septem & dimidio milliarium constituit: quâ ratione milliarium è mille passibus, vnde nomen sumsit, non constabit; videtur quoque Plutarchus idem ferè sensisse. Nam in Gracchi vita milliarium, ait, è stadijs esse paulo minus, quàm octo, quum ex octo integris constare debeat; si modò in stadio passus fuêre 125. in milliario mille.

Præterea in spatio breui est ellipsis τῆς vitæ: notandum quoque idem vocabulum esse ablatiuum causæ, cuius impulsu resecanda est Leuconoæ spes vitæ longioris, vt loquor à λόγος: quanquam Varro noter aliter lib. 5. dum è Chrysippo tradit eum loqui, qui suo loco quodque verbum sciens ponit, & ita dici ab loco putat: Verùm mi Varro, ista verbi cuiusque apta collocatio nonne iudicij & rationis est, quæ Græcis dicitur logos? quod quum ita sit, teneamus etymum ab hoc, quàm ab illo, verius esse.

Carpe diem.] Hoc Græci videntur exprimere, ἐφημέρια φρονεῖν, *diurna cogitare*, id est, in diem viue: sicut Homerus loquitur Odyss. φ.

Νήπιοι, ἀφρονέως τοι ἐφημέρια φρονέοντες,
Stolidi & agrestes quotidiana tantùm scientes.

Vnde καθημερόβιοι dicuntur, qui non exparato, sed præsentibus contenti viuunt, de futuris minimè solliciti: Hanc phrasin sic Catullus loquens cum Lesbia expressit, *dum viuimus, viuamus*, neque longè in posterum prospiciamus futura.

Est autem hæc cohortatio ad voluptates perfruendas Epicurea in breuitate præsentis vitæ exhilaranda, sine spe æternæ ac futuræ. *Sapientius Seneca Epist. 62. Lucilium docebat: id ago, vt mihi instar totius vitæ sit dies quisque, nec me Hercules, tanquam vltimum rapio: sed illum sic aspicio, tanquam esse vel vltimus posit: ante senectutem curaui, vt bene viuerem: in senectute, vt bene morerer: bene autem mori, est libenter mori.*

Carpe.] Hoc verbum videtur inclinatum à Græco καρπὸς *fructus*, ideoque dici propriè de fructibus plantarum: quomodo loquitur pastor ille Virgilianus.

Carpent tua poma nepotes.

Vnde transfertur, vt *decerpo* coniunctum, ad alia infinita, vt hîc ad præsens tempus, cuius quum datur vsura, arripienda est, vt fructus fugaces.

Credula.] Quàm minimam habens fiduciam temporis sequentis: in penultimo autem versu Odes pro *fugerit*, quidam legunt, *diffugit ætas*, cuius pars alia citò excipit aliam: vt adolescentiam pueritia, illam iuuentus, hanc ætas constant, hanc denique senectus.

Explicatio Rhetorica.

1 METrum est Alcaicum, monocolũ, pẽtametrum, è spondeo, tribus choriambis & pyrrichio.

2 Hæc anaphorica eiusdem soni & vocis repetitio initio membri iucunda est auribus.

b Ex hac hominum specie intelligendum est vniuersum vatum & genethlialogorum genus.

c Hoc verbum est ab his translatum, qui de qualibet

libet re, vel loco incerti dubium explorant, aut pedum & manuum tactu, aut alio corporis sensu, aut instrumento, vt nautæ altitudinem aquarum conto : quod hic est appositè dictum ad dubia, incertaque fatidicorum promantia & præsagitiones.

d In *numeros* est μετωνυμία efficientis, pro effectis prædictionibus, quæ colliguntur numeratione motuum & spatiorum, quorum abijcienda est cura cuique iucundè ac quietè viuere volenti.

e Est hîc tropus duplex: in primis synecdoche mẽbrorum pro pluribus annis integris, vel vnico præsenti anno; hoc enim significat *τὸ vltimam*. Itaq; plures hyemes habendæ sunt pro pluribus annis : posterior est metaphora, vbi vltimus annus, tanquam tempestas & fluctus quidam, reputandus est, quo abrumpitur tenuissimum vitæ filum: quę quidem translatio, præsertim continuata in verbis sequentibus, illustriorem facit allegoriam: quæ, quia omnis metaphora est contracta similitudo, sic enunciatione videtur explicanda : vt fluctus maris ad littora & scopulos illisi, videtur debilitari atque frangi: ita compages hominis, quando Ioui visum est, in puluerem resoluitur. Non autem erit huic è metaphoris allegoriæ locus, si pro, *quæ vltima hyems*, legas *qui Iupiter debilitat*.

f Metonymia est subiecti pro vndis ac fluctibus maris, sicut in *pumicibus* synecdoche pro littoribus fluctifragis, atque scopulis vndas frangentibus, vnde illa nomen habent ἀκτὴ Græcum ἀπὸ τοῦ ἄγειν dictum, id est, à frangendo; quia fluctus maris littoribus allisi diffringi solent, ipsaque littora crebro vndarum illisu repercussa debilitantur. Sic Ode 14. lib. 2.

Fractiq; rauci fluctibus Adriæ. id est, frustra carebimus periculis & naufragijs, qua sæpè mare Adrianum secantibus accidunt.

g Hoc proferendum est per exclamationem optantis, *sed vtinam sapias & vina liques!*

h Sumtum est à corpore ad animum, quòd propriè resecari potest, vt quum varices C. Mario secabantur 2. Tuscul. Simili tropo Liuius dicit, abscindere omnem spem, & Seneca lib. 1. de Beneficijs, *si spes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi* : Idem lib. 2. ca. 5. eiusdem operis, *aquiore quidam animo ferũt præcidi spem suam, quàm trahi*, pro quibus Cicero, adimere & auferre spem, depelli & decidere de spe.

Imò verò idem actione tertia in Verrem simili translatione & verbo, quibus Seneca vtitur, *id fum assequutus, vt vnâ horâ, quâ cœpi dicere, reo pecunioso, profuso, perdito spem iudicij corrumpendi præciderem*. Idem Liuius, *ne spem reditus præciderent sibi* Gallicè *oster l'espoir de retour*.

In spatio. Idem tropus est, sed à dimetientibus terras & locorum distantias, quemadmodum propriè sumitur Epistolâ 7. lib. 1. de Ithaca, *qui locus neque planis est porrectus spatijs*, & apud Ciceronem, *duo vel tria facere spatia inambulatione*, ad breuitatem temporis indicandam transfertur : vnde Cicero dicit spatium vitæ ; spatium temporis. Terentius Phor. 44. 20.

Spatium quidem tandem apparandis nuptijs,
Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.

Transfertur etiam ad rationem administrandæ Reipub. immutatam notandam, sic in Lælio coniunctum, *deflexit enim iam aliquantulum de spatio, curriculóque consuetudo maiorum*.

i Metaphora est ab animato ad inanimum ; cui tribuitur affectus, quasi per inuidiam ætas aliam ætatem celeriter truderet, qualis est 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas.

k Existimo translatum à plantis & à florilegis, qui tempus obseruant maturè decerpendi fructus, ac legendi flores caducos, qui negligentiam legentium non manent : ideoque pro hoc Seneca dicit loco Gramat. citato, *tanquam diem vltimam rapio*.

Ita dies videtur modificata pro his rebus siue commodis, siue incommodis, quas præsens quisque dies solet afferre. Itaque *carpe diem* valet, fruere præsentis diei commoditate mox abiturâ. Inde quoq; dicetur Od. 17. lib. 2. *carpere iter comites parati*.

Ode XII. ad Avgvstvm.

Theticum.

Augustum, cui præcipuè desponsa & destinata erat laudatio huius Odes, aggregat ingenio solerti ad commendationem Deorum, heroum, illustriumque virorum.

1 a *Vem virum aut heroa lyrâ vel acri*
Tibiâ sumes celebrare Clio?
b *Quem Deum? cuius recinet iocosa*
Nomen c *imago,*
2 *Aut in vmbrosis Heliconis oris,*
d *Aut super Pindo, gelidóue in Aemo?*
Vnde vocalem temerè insequutæ
Orphea siluæ,
e *Arte maternâ rapidos morantem*
Fluminum lapsus, celeresq; ventos
Blandum, & auritas f *fidibus canoris*
Ducere quercus.
3 *Quid priùs dicam solitis* g *parentis*
Laudibus? 4 qui res hominum ac Deorum,
h *Qui mare & terras, variisq; mundum*
Temperat horis?
5 *Vnde nil maius generatur ipso,*
Nec viget quicquam simile aut secundum:
6 *Proximos illi tamen occupauit*
Pallas honores.
7 *Prœliis audax neq; te silebo*
Liber, & sœuis inimica k *virgo*
Belluis: nec te metuende certâ,
Phœbe, sagitta.
8 *Dicam &* l *Alciden puerosq; Ledæ:*
Hunc equis, illum m *superare pugnis*
Nobilem: quorum simul n *alba nautis*
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor :
Concidunt venti, fugiuntq; nubes :
50 *Et minax (quòd sic voluêre) Ponto*
Vnda recumbit.
9 o *Romulum post hos prius,* p *an quietum*
Pompilî regnum memorem, an q *superbos*
Tarquinî fasces dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum & Scauros r *animæq; magnæ*
Prodigum Paulum superante s *Pœno,*
Gratus insigni referam Camœnâ,
Fabriciúmque.

Hunc, & incomtis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum[t] *Lare fundus,*
Crescit occulto, velut arbor, æuo
Fama[u] *Marcelli: micat inter omnes*
Iulium sidus, velut inter[x] *ignes*
Luna minores.
[10] *Gentis humanæ*[y] *pater atque custos,*
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data: tu secundo
Cæsare regnes.
[11] *Ille seu Parthos Latio imminentes*
[z] *Egerit iusto domitos triumpho,*
Siue subiectos Orientis oris
Seras, & Indos:
[aa] *Te minor latum reget æquus orbem:*
Tu graui curru[bb] *quaties Olympum:*
Tu parùm castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Analysis Dialectica.

LOcus est è distributione triplici materiæ ad laudationem propositæ, quæ cernitur præcipuè vel in viro, vel semideo, vel polytheia maximè prædicanda, vbi potes obseruare rem diuerso, & alio ordine explicari, atque proposita fuerat, *οἷον μὲν τὸ ἀνάπαλιν εἰπεῖν ἔστι, qualis inuersæ methodi & ordinis ratio valde quidem est infrequens:* toleranda tamen in poetis, qui malunt mouere & delectare lectorem, quàm docere. Omnis ferè materia Lyricorum cernitur in hac Ode: sicut præcipitur Epist. ad Pisones.

Musa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

2 Altera est distributio è triplici subiecto, qui sit ad hanc laudationem maximè idoneus locus: vbi Orpheus factis tribus hyperbolicis describitur, quòd rebus inanimis, sensu motuq; carentibus, animam, suauitate cantus sui, inspirauerit.

3 Equidem hîc suspicor ordinem rei propositæ inuersum *κατὰ τὸν ὑπερβατὸν* excusari: liberum tamen sit cuique hanc coniecturam probare, vel meliorem submistrare, vbi soluitur dubia deliberatio, maiorũ collatione, quòd laudes Iouis vsitatæ & solennes anteponendæ sint omnibus aliorum.

Hymnus Callimachi in Iouem nititur eodem rationis genere statim ab initio. *Ζηνὸς ἔοι πτερὰ ἄλλο θεοὶ ἀοιδῆσιν ἀείδειν, Λώϊον; Quid in sacris Iouis præstet aliud cantare, quam ipsum Iouem?*

Idem ostendit Pindarus per contentionem parium, Rapsodos quos Nemeor. β. vocat Homeriadas, solitos facere, dum initium *τῶν ἐπέων ῥαπτῶν* à Ioue sumunt. Idem & amplius habet hoc Hemistichium.

Ἐν τοι μὲν λήξω σεῦ δ' ἄρξομαι.

Huic legitimo restitutum ori fini, atque Eclog. 8. à Virgil. sic conuersum. *A te Principium,* (erit vel sumam) *tibi desinam.*

4 Amplificatur proxima comparatio insignibus factis, & operibus Iouis; quæ sumuntur ex admirabili administratione vniuersitatis, vbi partes Stoicorum contra Epicureos apertè tuetur.

5 Dilatantur rursus ipsa Iouis opera duplici comparatione minorum ac dissimilium, quòd nihil maius generatur ipso, vel omnia sunt ipsi inferiora, vt summus sit, quo nihil est superius, & ex omnibus vniuersitatis partibus nulla sit cum ipso conferenda, *ὅτι μήτε ἀρχὴν, μήτε τέλος ἔχει, quòd neque principium, neque finem habeat.*

Ex his igitur efficitur principium huius Musæ merito à Ioue sumendum esse.

6 Locus est è diuersis. Quanquam, inquit, nullus est Ioui vel similis vel secundus, Pallas tamen proximum illi tenet gradum honoris.

7 Ad tres reliquos Deos; Bacchum, Dianam & Apollinem sermonem auertit, quos ex adiunctis fortitudine, crudelitate, terrore in feras describit.

8 Ex his verbis intelligitur transitio quædam à Dijs ad heroas, quos hîc numeres ad 14. & Herculem quidem primum sine epitheto, secundum verò, qui geminus, partim è studio equitatus & pugillatus, dum vterque erat in vitâ: partim è facultate sedandi tempestatem, postquam inter sidera relatus est, definitum, ac præterea è decreto diuino, quia sic visum est superis.

9 Rursus cadit in prærogatiuam deliberationis de laudibus heroum Romanorum, (de quibus sic honorifice loquitur Sallust. in coniurat. statim post orationem Catonis: *Mihi constabat paucorum ciuium egregiam virtutem cuncta patrauisse, eóque factum, vbi diuitias paupertas, multitudinem paucitas superaret.*) quæ dubia consultatio valet plurimùm ad Augusti superstitis commendationem, nec dum herois: Romulum nulla re insignitum præterit: & Numam insignit tranquillitate regni: & Sext. Tarquinium intolerabili arrogantiâ imperij: Catonem Vticensem mortis nobilitate: Regulum & Scauros relinquit *ἀσημάντους*. Paulum Æmilium ornat alacritate profundendæ animæ in summo Reip. discrimine: Quum Aristot. describit *μεγαλόψυχον*, magnanimum, Ethic. lib. 4. cap. 3. vult eum virtutibus esse præditum omnibus, tradens eum in his administrandis sic feliciter sẽgerere, vt caput non soleat suum obijcere paruis crebrisque periculis, sed graues tantum casus ingentiaque pericula subire, animoque grandi sustinere, quæ sua videantur persona digna. Fabricium, Curium, & Furium Camillum incredibili patientiâ paupertatis: M. Claudium Marcellum comparat cum arbore: qui mortuus etiam honore floruit decoratus, cũ ab alijs, tũ vel ab hoste Annibale, qui ob id dicitur agere æuum occultum, & ita nomen illius videtur immortalitati cõsecratum. Paræmiographus ad vsum Prouerbij *σπεῦδε βραδέως*, *Festina lentè*, ostendendũ, apponit exemplum famæ Marcellinæ, quæ paulatim ipsi accreuit, non præpotè affectata, sed tacito temporis progressu vires cepit. Simili comparatione Diuias filius Megæ cursor, celebratur à Pindar. Ode 8. Nem. Αὔξει τοι σ' ἀρετὰ, χλωρὸν —

ἔρανον ἐρίσας ὡς ὅτε δένδρον ἀέξοι,
σοφοῖς ἀνδρῶν ἀρεθέντα ἐνδικέοις
Τὲ καρδὸς ὑχρὸν αἴθερα. Augescit virtus, & per sapientes viros & per ritus iustos elata, sicut quum arbor surgit per rores facientes gramina, & arbores viresciré ad liquidum æthera.

Postremò Iul. Cæsarem dicit sic prælucere illis omnibus, vt Lunam cæteris minoribus, planetis, cuius similitudinis pars vtraq; constat è minorum collatione. Simili argumẽto Pentesilea celebratura Quinto Smyrneo, quòd sic alijs præluceret.

Ὡς δ' ὅτ' ἄρ' ἐρανὸν ἔρχῳ ἐν ἀστερόεντι σελήνη
Ἐκπρέπει, vt candida luna cælũ latũ illustrat inter astra.

Idem dicitur de Hespero in Isthmijs, sicut Muretus annotauit.

notauit. Grande quidem ἀχαριστίας crimen ab omnibus iudicaretur silentio hic à me præteriri encomium illud Michaelis Hospitalij Franciæ Cancellarij, quod ipse non ita pridem scriptum reliquit de virtute illustrissimę illius Margaritæ Valesiæ sororis Henrici II. Regis, idque è genere comparat. parium lib. 2. epist. 2. ad eandem. Quum tam Encomiastes, seu laudator, quam laudata dignissimi sint, qui in memoria bonorum, & honorifica mentione inter homines versentur frequenter, inprimisque inter domesticos, quorum equidem vnus fui conuictor postremos quinque annos dum Cancellarius vixi, & ab obitu eiusdē alios septem. Itaq; ille de eadem & de se ipso sic scripsit.

Me paruum atq; humilem, vix fama & nomine notum
Iudicio surrexe tuo dignumq; tuarum
Esse habitum cura longo tam tempore rerum,
Quanti Virgo, putas, quantum mihi laudis ab illo
Acceßisse die, quo me Regina vocasti?
Nam si principibus placuisse quibuslibet amplum, &
Magnificum est: quid ei Regis quæ filia, Regis
Et soror est? quæ tam reliquis & lumine mentis
Præstat & ingenij, quam Luna minoribus astris?
Hoc magnum satis vsq; satis, nimiumq; videri
Debuit! hoc fretus contemnere cætera possum.

10 Conuertit tandem orationem ad Iouem, quem describit tandem primum ex procreante causa, & addita fataliter ipsi cura conseruandi Cæsaris.

11 Eundem deinde collatione parium, quòd Cæsar gubernaturus sit terram, Iupiter autem cælum: protasis huius comparationis dilatatur, quasi distributione terrestris dominationis, vt apodosis duobus Iouis factis. Cuiusmodi encomium assentatione huic simili affinxerunt olim poetæ Alexandro, contra ipsius modestiam, vt scribit Plutarch. lib. de fortuna Alexandri, vbi ærea ipsius statua sic fingitur Iouem alloquuta è quadam pari conditione dominandi.

Γᾶν ἐμοὶ πάθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' ὀλύμπου ἔχε·

Terram, ô Iupiter, mihi asserо: tu cælum teneto,

Quid Martialis quum nihil eorum, quæ sunt, honore cum Deo conferri debeat: ille tamen epigrammatis suis facit Domitianum falsò ac impiè ipsi parem honore sanciendarum legum & administrandarum.

Enarratio Grammatica.

Quem virum, &c.] Non placet quibusdam hæc epigraphe *ad Augustum*, quòd non fuerit ad eum scripta, sed in eius laudem tantùm decantata. Itaq; malunt inscribere *in Augustum*, & legere, *sumus*, ad imitationem hymni Pindarici, quàm *sumus*. Quum autem à viro virtus, aut contrà nomen habeat ductum, siue à viribus & vigore vtrumq;, non vnum quemlibet de multis vulgarem & plebeium, ὡς τὸν τυχόντα, quem solet primum fors offerre: sed strenuum hominem, singulari & contestatâ virtute prędituм intelligendum decet, qualem omnis assentatio sibi & alijs fingit. Præterea vox vtraque Latina, *vir & homo*, nominis notatione distingui videntur, sicut Hebraica, גבר, איש *geber, isch:* ab אדם *Adam.* & אנוש *Aenosch.* nam איש *isch* ad Græcum ἰσχὺς, i. *robur suum*, vel vt ad successaneum, demisit, & gebber suam virtutis exsuperantiam ad *vir* per aphæresin, vt *Adam* vim terræ ad hominem: & Ænosch ad morbos: quem Scholiastes Homeri Iliados β. scribit Æolico pleonasmo τὸ β. dici βροτὸν, quasi ῥοτὸν, atque τὸν ἄνθρωπον definiri ῥέῤῥον, id est, *hominem fluxum, caducum, momentaneum & morbidum.*

Itaq; sacræ literæ sæpius Ben Adam vsurpant pro homine abiecto & plebeio, vt Ben Isch pro viro, qui valet auctoritate apud populum per synecdochicam periphrasin: sed Græca ἀνὴρ καὶ ἄνθρωπος planè consentiunt ad descriptionem Ouidij lib. 1. Metamorph. prius, ὁ ἄνω ἀνὴρ, *de cælo delibatus*, quòd *hunc diuino semini ne fecit opifex rerum:* posterius, ὁ ἄνω τρέπων ὤπα, *sursum vertens vultum*, ἢ ὁ ἀναθρῶν, ἃ ὄπωπε, id est, vel à consideratione eorum, quæ vidit, vt iam attigimus in præfatione prælectionum.

Os homini sublime dedit cælumq; videre
Iußit, &c.

Videtur hic Poeta desumpsisse hoc è Timæo Platonis, qui tribuit oculis hunc finem, vt nos contemplati operâ ipsorum cælestes motus, ratos & constantes, componamus mentis nostræ cognatos motus, errantes & vagos hac ratâ constantiâ: qui Timæi locus videtur *Petrum Ramum* admonuisse, vt lib. 3. capite 4. commentariorum de Religione sub finem scripserit, *solum hominem erigi, & ad cæli, quasi cognationis domicilijq; pristini aspectum excitari: quòd illinc fatus & decursus est animorum nostrorum, illuc aspiratio & recursus.* De ijsdem Aristoteles scribit cap. 10. lib. 4. de partibus animal. Item 2. cap. eiusdem lib. Cicero quoque lib. 1. Tuscul. & 2. de Diuinatione.

Sed Galenus lib. 3. de vsu partium videtur per cauillationem interpretari sententiam Platonis de vi mentis; quum Plato de sensu oculorum apertè loquatur. Hæc quoque Ode imitatio est Pindarici ὕμνου 2. Ολυμπ.

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα
Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;

O hymni citharæ dominatores, quem Deum, quem Heroem? quem virum celebrabimus?

Horatius hîc ordinem personarum à Pindaro iustè ac piè seruatum inuertit, quem tamen postea in explicatione, quasi agnoscens erratum, sequitur: sed hanc ordinis inuersionem, nonnihil pensat incrementum orationis, & ita facit, vt materiæ dignitas eluceat magis. De hac autem rei propositæ inuersione, quam nonnulli hysterologiam malunt vocare, quòd memoriam Lectoris vel auditoris magis, quàm rectus ordo, iuuet, Satyr. 7. lib. 2. dicetur Deo fauente.

Et certè non possum, vt liberè loquar, quod sentio, ijs assentiri, qui exspectant ex hac inuersione adiumentum suæ memoriæ, quum perspicuum sit ex eadem induci obliuionem rei ordine recto tam propositæ.

Heroa.] Quid Heros sit potest intelligi è Zenone ac Pythagora apud Laertium lib. 7. & 8. Ille Heroas vocat animas sapientum corporibus solutas, quibus hic dicit aera plenum esse, easque Dæmonas & heroas existimat.

Idem sentit Philo de mundo. Hesiodus autem in operibus vocat.

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἱ καλέονται

Ἡμίθεοι, id est

Genus virorum heroum est diuinum, qui vocantur etiam Semidei: itaque heros definitur apud Lucianum, ὃς μητὲ ἄνθρωπός ἐστι, μητὲ θεὸς, ἀλλὰ σωματοφόρητόν ἐστι. *Qui neq; homo est, neq; Deus, sed est vterq;.*

Eôdem pertinet locus historiarum de Ilia apud Dionysium: *& quum media quædam inter genus diuinum, & humanum natura sit, quam sustinet gens Dæmonum* (vt hic auctor loquitur, *gens humana ruit*) id est *ex qua constant Dæmones ex hominib. & diis admixtum, genus heroum esse ortum.* Ouid. vocat heroas bis Deos, & Catullus & Plautus. De his quoque vide Plutarchum lib. de defectu oraculorum, & libel. de Iside & Osiride. Præterea idem Philo censet, eos, quos Græci heroas Dæmonas appellarunt, à Mose Angelos vocari.

Ratio huius vocis à Platone in Cratylo notatur, ἀπὸ τῶν ἔρωτος, quòd Heroes, nati sint à Dijs & Deabus amore mortaliũ captis, vel viciſsim à mortalib. captis amore Deorum & Dearum, vnde fuit diuinũ genus ab Heſiodo: alij deflectunt ἀπὸ τοῦ εἰρεῖν, τὸ λέγειν, ὅτι σοφοὶ ἦσαν καὶ ῥήτορες *ab eloquentia & ſapientia*: alij ἀπὸ τῆς ἔρας, *à terra*, quòd partim eſſent ſumti à terrenis hominibus: alij ab aere, quem incolunt. Auguſtinus deniq; ab ἥρας Iunone aeris Dea. Δαίμων autem, (vt illud obiter notem) modò ſumitur pro Deo, modò pro genio, modè pro fortuna ſiue bona, ſiue mala. Heſiod. in explicanda ætate aurea, docet homines illius ſeculi *mori, tanquam ſomno ſopitos, ſed poſtquam hoc genus terrâ eſt obrutum, illi ſunt Dæmones magni Iouis conſilio boni in terris verſantes, cuſtodes mortalium.* Videtur etiam conſentaneum τὸ Θεὸς ἐνταῦθα ἐτυμολογεῖσθαι, quod Plato in Cratylo ſcribit ἀπὸ τοῦ θέειν, à currendo per ignorantiam Ethnicorum notatum: idem Plutarch. aliquantò fuſiùs explicat lib. περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος, ὥσπερ τοῖς Θεοῖς πᾶσιν ἀπὸ δυοῖν χαμαιμάτων τὸ θεατὸν καὶ τὸ θέοντον δεῖν ὄνομα κοινὸν οὕτω τὴν Θεὸν ταύτην ἀπὸ τῆς ὄψεως ἅμα καὶ τῆς κινήσεως, Ἶσιν μὲν ἡμεῖς, Εἶσιν δὲ Αἰγύπτιοι καλοῦσι. *Quemadmodum Dijs ac Deabus omnibus commune eſt nomen à vocabulis duobus, aſpectabili & currente: ſic tam nos, quàm Aegyptij, hanc Deam (Iſin) à ſcientia ſimul & à motu vocamus.* Latini autem cenſent τὸ Deus ἀπὸ τοῦ δέος, à metu nominatum: De voce Θεὸς vide Damaſcenum. His locis, puto tibi ſatisfactum, Lector, in vi & natura Heroïs & Dæmonis, & in etymologia Dei perſpicienda, & diligenter notanda. Verùm à Chriſtianis Dæmon pro ſpiritu impuro & noxio Diabolo ſumitur, ac multò ſæpiùs ſic vſurpatur Dæmonium in ſacris litteris, vt Hebraicè שד Sched pro malo ſpiritu: Deut. cap. 32. v. 17. dicto à perdendo: à Platone ibidem dicitur Dæmon quaſi δαήμων à præterito δεδάημαι, à doctrina & ſcientia ἀπὸ τοῦ δαῆναι, quod eſt docere & diſcere: alij tamen ἀπὸ τοῦ δαίεσθαι, quòd diſtinctus ſit & diuiſus ab hominibus.

Quamquam Baſilius nos inde videtur aũocare, τῆς ψυχῆς νόσημά ἐστι, τὸ κακῶς καὶ ἀκριβῶς ζητεῖν περὶ Θεοῦ. id eſt, *morbus animi eſt male & curiosè de Deo quærere.* Huius autem vetitæ inquiſitionis ratio reddi poteſt ex ignorata nobis ad plenum natura cæli aut vnius ſideris; Ideoque temerè ipſi conabimur in hac ingenij obtuſi imbecillitate auctorem vtriuſque animo & cogitatione comprehendere: de quo Ethnici etiam admonuerunt Chriſtianos. Hîc Philetas poeta audiatur,

Θεὸν νόμιζε, κἢ σέβου, ζήτει δὲ μή·
Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τὸ ζήτει ἔχεις. id eſt,
Deum eſſe crede, & cole: ſed non quære.
Nihil enim plus habueris, quàm inanem inquiſitionem.

Sed noſtras Pictauienſis Epiſcopus Hilarius, de hoc ſanctius ſcripſit lib. de Trinitate, *Deus religione intelligendus eſt: pietate profitendus eſt: ſenſu verò non eſt perſequendus, ſed adorandus:* Neq; eſt hîc, quòd cum Baſilio aut Hilario dicamur pugnare, naturam Dei quærentes, quam ſcimus ἀκατάληπτον: ſed ſcrutamur tantum etymologiam vocis & nominis: quæ dum quæritur, eſſentia quidem rei, vis & natura inueſtigari videtur; ſicut Lector intelligere poteſt ex etymo τοῦ ὀνόματος & Græci & Latini nominis ſub finem paginæ 2. præfationis. Ex quo autem ſcripſi locum Baſilij Magni ſuperiorem, incidi in alterum eiuſdem Doctoris, qui eſt ſub initium tractatus περὶ γραμματικῆς γυμνασίας; quem mihi ſuggeſsit D. Lebæus Batilius Diuoduri Mediomatricorũ æquus & literatus Præceptor literarum, literatorumque perſtudioſus: vbi Doctor ille Magnus tria notat etyma vocis Θεὸς ſic percontando: Θεὸς πόθεν ἐτυμολογεῖται; παρὰ τὸ θεῶ, τὸ καταυδάζω καὶ ποιῶ ὕμνους ἀπὸ πάντων τοῦ ποιητοῦ, καὶ τῆς τῶν πάντων καταυδῆς αἴτιος. ἢ παρὰ τὸ θέω, τὸ βλέπω, ὁ πάντων ἐπόπτης. ἢ ἀπὸ τοῦ θέω, τὸ τρέχω, παντα χοῦ παρὼν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν· καὶ τρέχει ὁ Θεὸς; οὐχί· ἀλλὰ πάντη καὶ παντα χοῦ παρέστι καὶ τὸ πᾶν πληροῖ· καὶ ὥσπερ τὸ πᾶν ὅλον. id eſt, *Theos vnde verſus habet ſuum?* à verb. ſignificante ædifico & facio. Is eſt vniuerſitatis cõditor, & talis opificij auctor, vt ab eodẽ etiã ſonante inſpicio, vt qui ſit inſpector omnium, aut ab eodem valente curro, vt qui vbique adſit, & omnia compleat. Currit ne Deus? nequaquam, ſed paſsim & vbique adeſt, complet enim vniuerſitatem, eſtq; ſuper omne quod eſt,

Lyrâ vel acri.] Hæc muſica organa diſtinguuntur ſonitu, qui tibiæ eſt acrior, quàm lyrę: huius inuentum tribuitur Mercurio, qui quum pedem in aridam teſtitudinem, ſic Varroni dictam, quòd teſta tegatur, impegiſſet: animaduertit ſonũ reddi ex neruis illius ſiccitate intenſis: quòd tamen paulò aliter narratur contigiſſe in hymno Homeri ad Mercurium: vnde cœpit poſtea lineas chordas intendere Lyræ, cui Apollini datæ (vnde fraterna Lyra dicitur Ode 21. huius libri) pro lineis chordis neruęæ ſeptem annexę ſunt: ex quo à Pindaro ἑπτάτονος, & ab eius interprete ἑπτάμιτος eſt vocata. Deinde octauam chordam Ariſtoteles ſcribit additam, reſeruato nomine illius, quæ priùs media erat, poſtea in honorem nouem muſarum lyra dicta eſt nonichorda: quibus annumeratus Apollo decachordum confecit. Quidam putant Lyram appellari quaſi λύτραν, quòd ea Apollini data fuerit, ὡς τὸ λύτρον, vt pretium, quo redemit iram illius ob ſurreptas boues.

Sumes celebrare.] Poetica ſyntaxis eſt pro oratoria, *ſumes & ſuſcipies celebrandum:* ita loquitur Epiſt. 3. lib. 1.

Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?

Clio.] Κλείω vna fuit è nouem Muſis, de quibus vide Heſiod. in Theog. vox autem dicta eſt παρὰ τὸ κλείειν, à celebrando, ad quod etymum alludit Poeta, vt Virg.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.

Heliconis.] Strab. l. 6. collocat hunc montem in Aonia parte Bœotiæ conterminum Phocydi & Muſis ſacrum; Pauſanias in Bœoticis ſectionis 302. & 303. ſic hunc deſcribit montem, ὁ δὲ Ἑλικὼν ὀρῶν τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι ὄν τοῖς μάλιστά ἐστιν, ὅσῳ καὶ δένδρων ἀνάπλεως, καὶ οἱ τῆς ἀνθράκρυ θάμνοι παρέχονται τὸν παντα χοῦ καρπὸν ἥδιστον. id eſt, *Helicon montibus, qui ſunt in Græcia, omnibus præſtat bonitate ſoli & arborum crebritate, in eo portulacæ frutices paſsim longè ſuauiſſimi ſaporis fructum ferunt.* De eodem vide illic reliqua. Quem Seruius facit alterum Parnaſsi verticem, vt Citheronem eiuſdem alterum: alij dicunt duos Parnaſsi vertices, Cyrrham aut Cyrphin ſeu Nyſam: ſed Herodotus in Vrania ſcribit vnum Thitorea; alterum Hyampeum vocari, de quorũ altitudine ſic Ouid. 1. Meta. *Mons ibi verticib. petit arduus aſtra duobus Parnaſſus.*

Pindo.] Pindus eſt quibuſdam mons Arcadiæ: alijs verò Theſſaliæ, vt Æmus. Euſtathius tamen in vſic. Dionyſ. vbi deſcribitur pontus Euxinus, ſtatuit τὸν Αἷμον πρὸς τῷ πόντῳ τῷ Εὐξείνῳ κείμενον *Aemum ponto Euxino adjacentem.* Idem in verſum:

Ταῖς ὑπερφαίνονται κορυφαὶ χιονόδεος Αἵμου
Θρηϊκίης, i. *his imminent vertices Aemi Thracij niuoſi*

eſt Æmus, ait, mons Thracius, dictus ſic ab Æmo rege Scytharum ſine aſpiratione.

Vnde.] Hoc aduerbium eſt loco relatiui ὅθεν Græcum ſæpiſsimè, pro è quib. locis quemadmodum Pindarus inſtituit ᾠδὸς β. Νεμ.

Ὅθεν περ κἢ ὁμηρίδαι,
Ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πολλὰ ἀοιδοὶ
ἄρχονται. id eſt,
Ex quo poetæ Homeridæ
Sutiles verſus ſuos, vt plurimum,

Incipiunt

Incipiunt, ducto à Ioue principio.

post hæc Scholiastes supplet alteram redditionis particulam,

ἐντεῦθεν καὶ ἕτερος ὁ ἀνὴρ, &c. i.
ex eodem etiam hic vir Timodemus
sumit initium certaminum & suæ victoriæ.

Vt autem Lector intelligat, qui sint *Homeridæ*, illi obiter annotabo, quod de his interpres tradit. *Homeridæ* primum dicuntur propriè παρωνυμικῶς, qui genus suum ab Homero traxerunt: Sed postea ἐπικῶς pro recitatoribus versuum Homericorum, quos Athenæus vocat l.14. c. 7. ὁμηριστὰς. alterum τὸ *vnde* sequēs eandem vim relationis habet: q̄ vetus *Horatij* interpres *Porphyrio* refert disiunctim aut ad Iouem, aut ad mūdum. Posterius equidem malo, vt intelligatur nihil è mūdo produci maius ipso Ioue. Posset etiam Ætiologicum pro, quare, vel, quali cantu, idque melius.

Temerè.] i. αὐτομάτως vltrò, προφανῶς, εἰκῇ, inopinatò sine manifesta caussa, sed modo admirabili & incomposito.

Orphea.] Orpheus dicitur à Pind. ἐν Δ. Πυθ. ἀπὸ κωλ. ιδ.

Ἐξ Ἀπόλλωνος ἁ φορ—
μικτὰς ἀοιδᾶν πατὴρ
ἔμολεν καλὰν κιθαριστὰν Ὀρφέα, i.
Ex Apolline autem
Citharœdus carminum pater
Accessit bene laudatus Orpheus.

De vi autem cantus Orpheici, sic Virg. 4. Georg.

Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.

Pro hoc, *Orpheus moratur lapsus rapidos fluminum arte maternâ* Virgil. dicit μεταβαπτῶς, *flumina mutata requierunt suos cursus carmine pastorum*, i. inhibuerunt cursus Eclog. 8. Vnde vocalis hîc dicitur, i. canorus. De eadem vi vide etiam Diodorum l.5. & epimythium ad Pisones sic interpretatur, quia à cędibus & victu fœdo sylvestres homines deterruit Orpheus: *ob hoc dictus est lenire tigres, rabidosq; leones.* Hunc natum ex Apolline & Polyhymnia dicit Pherecydes: sed Herodotus ex Oeagro & Polyhymnia. De hoc quoque vide Apollonium & Plutarchum de Musica & Virgil. l.4. Georg. quem scribit natum è Calliope & Oeagro. Lucian. dial. de Astrol. scribit Græcos nihil de Astrologia audiuisse ab Æthiopibus, nihil ab Ægyptiis, sed ab Orpheo Oeagri & Calliopes filio illam primùm omnium accepisse: de quo vide plura in Bœoticis Pausaniæ.

Arte.] Hæc vox videtur deflexa Festo, vt artifex, ab arctando, quòd vtriusque vis cernatur in operibus aptè conuinciendis, sicut etiam Diomedi, *quòd ars arcto præcepto singula definiat, & veluti vias quasdam ostendat:* sed aliis ab ἀρετὴ, vt Donato per syncopen in Act. 1. Sc. 1. Andriæ: idque apertiùs in Eunucho Act. 5. Sc. 2. ad verba, *solertem dabo:* vbi *solers*, quasi totus ex arte, ὅλος ἀρετῆς, dicitur: aliis ab ἄρης, à Marte & natiua notione valet idem, quod robur & fortitudo. Verior tamen mihi videtur ratio τοῦ Ἄρης, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀἴρειν λέγεσθαι, ad cuius cognationem accedit etymon nominis Hebraici אַרְיֵה *harjeh*, Leo ab אָרָה *harah*, i. *ab eo, quod occidit atq; discerpit:* Ita Mars, Ἄρης, qui per mutuas cædes tollit homines. Ad eam autem τῆς ἀρετῆς notationē, quòd à robore ac fortitudine dictum sit, videtur sententia Cleobuli Lindij in Diog. Laertio ex oppositis cōstituta referri, ἀρετῆς οἰκεῖόν ἐστι κακίαν μισεῖν· τὸ γὰρ κακὸς σύζυγον κακίας λέγεσθαι ἀπὸ τοῦ κάζεσθαι· ὅπερ ἐναντιόν ἐστι τοῦ ἐσθλὸν εἶναι καὶ ἱερῶς ἢ ἀνδρείως τὸ, ὅσα ἀεὶ σὺν μάχῃ. i. *virtutis proprium est vitium odisse: cacos* enim habet cum *cacia* coniugationem, & ex eo dicitur, quod à pugna recedit; cui opponitur τὸ firmiter consistere in eadē: quod circumloquimur, fortiter se in prælio gerere. Itaque Eustathius iii vers. Ιλιαδ. λ. interpretatur κακὸς, τὸς δειλὸς. i. *timidos & ignauos*, vt ἀγαθὸς ἀνδρείους, *fortes & strenuos.*

Οἶδα γάρ, ὅτι κακοὶ μὲν ἀπίχουσι πολέμοιο
Ὅς κ' ἀπὸ σεῖο δύηται μάχῃ ἔνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ
Ἑσσάμενα κεφαλῇφι νεὼ ἔμμεναι, ἠὲ βαλεῖν, ἠὲ βαλὼν ἄλλον, i.
Scio enim, quod ignaui quidem recedunt à pugna:
Qui verò strenuus est in prælio, hunc omnino oportet
Consistere firmiter, siue feriatur, siue feriat alium.

Ab eadem quoque origine (vt de hoc etiam obiter moneā) deducitur ἀρετὴ, vt Latinè virtus à viribus: malunt tamen nonnulli τὸ ἀρετὴ deflectere per metathesin ab ἐρατὴ, i. amabilis. Quid verò, si ars, vt arx, ab arcendo deflectamus? quod Festo videtur tractum à Græcorum magistratu, quem illi ἄρχοντα vocant, penes quem ius erat continendi & prohibendi: qualis est vis cuilibet arti, vt Moschop. definit, τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρὸς τὸ τέλος εὔχρηστον ἀφ' ἑνὸς τοῦ βίου, quam Cic. l.4. Acad. & Quintil. l.2. c.17. sub fin. interpretantur, *artem esse compagem & constare è multis animi perceptionibus cōsentientibus* (pro quo malè apud Quint. legitur *præceptionibus*) *exercitatione comparatis ad finem vitæ vtilem*: & certè hæc definitio mirè consentit cum etymologia τέχνης in Cratylo Platonis, quæ, quasi diceretur ἐχνοῦ significat mentis habitum aut coniunctionem ipsius cum intelligentia mentis. Sed hoc veriuerbium, vt nimis subtiliter excogitatum, quibusdam videbitur: ideoque à τεύχειν aut τίκτειν à fabricando & pariendo deflecti putatur, ac definiri ἡ περὶ τεύχειν ἐπιστήμη, i. scientia quid struendi: quam certè rationem firmat Scholiastes Aristoph. in Pluto ad versum τέχναι γὰρ πᾶσαι, &c. Τέχνη λέγεται καὶ μηχανὴ καὶ ὁ δόλος· ἀφ' ἧς καὶ τεχνάζομαι, i. ars est aut ingeniosa excogitatio & dolus, vnde ducitur hoc verbum, quod sonat τὸ μηχανεύεσθαι καὶ δολοῦσθαι.

Maternâ.] Musicam didicerat à matre sua Calliope.

Blandum ducere.] Similis syntaxis helleniſmo superiori *callidum condere*, pro, qui sciat blanditiis carminum arbores ducere, quò velit, quum Grammatici doceant, maximeque Don. in Adelph. Act. 3. Sc. 3. *ducere* de motu volūtario dici, sicut *abducere* de coacto. Hîc quercuum ductus per suauitatem cantionis videtur coactus, non voluntarius.

Auritas quercus.] Hæc vox dici ex eo videtur quod è quercu Dij gentium quærentibus oracula redderent, vnde δρῦς ἀχερσιὰς, vt apparet è l.16. c. vltimo Plinij de mysteriis Gallicæ magiæ.

Viget.] Festo dicitur à vi agendo, sed in his rebus, quę celerrimo concitatoq; animo ad bonam *tendunt* frugē.

Secundum.] Propriè est, quod nullo cuiusquam rei interpositu & interiectu sequitur, & alteri adhæret. Hîc tamē videtur signare æqualitatem, sed ferè negatā. *Proximum* autem habet semper spatium non longè interiectum: quod facilè perspicias ex his Ciceronis locis. l.4. Epist. 9. ad Attic. *Mihi salus tua tanta curæ est, vt Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim.* Item l.1. Epist. 13. *Non possum ego non aut proximè, atq; ille, aut etiam æquè laborare.* Item l.10. Epi. 25. *Mihi crede, proximam Planco laudem consequutus es. Sed in Bruto maius exprimitur spatium vē verborum, duobus summis Philippus proximus accedebat; longo tamen interuallo proximus.* Hac verborum accessione vis dictionis naturalis angustius significandi augetur.

Pallas.] Fingitur nata è cerebro Iouis: quod vox πεπαλένεια indicat, cuius prior pars πέπω linguâ Æolica sonat caput, quod quidem verius est etymum quàm à Tritone palude Africæ: ideoque nihil habuit admixtum humani. Ratio autem est vocis ἀπὸ τοῦ πάλλειν δόρυ vt *vibranda & quatienda hasta*, vt Seru. in 1. Æneid.

Quippe vetor fatis: Pallásne exurere classem.

notauit, & Venus Epigram. li.1.c.λη. tribuit Palladi hastam & scutum.

Σὸν δόρυ καὶ σάκος ὄζῳ· ἐμὸν δὲ τὸ μῆλον ἀραχεῖ. *Tua est hasta, tuus est clypeus: meum autem est illud malum.* (*iudicio Paridis*) Hæc vocis melior videtur ratio; quàm quę affertur aut à Pallene insula, vbi nutrita fuit, aut ab occiso Pallãte, ex quo Bellona vocatur: quomodo loquutus est Theocritus εἰδυλ. ιξ. ὄπτασάμενος δόρυ πάλλειν, *peritus torquendæ hastæ.* Vox autem Latina, Minerua, dicitur Festo flecti à bene monendo, vel à minitando armis Cornificio, sicut in lite cum Neptuno ita victrix fuit. Hæc certè ratio Cornificij videtur respicere ad amplã scuti descriptionem; quo metus & terror intuentibus cõcitatur. Ιλιαδ. Ε. ad vers. Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα δυσαπόεσσαν, i.

Circum autem humeros posuit ægidem fimbriatam.

Cuius quidem scuti μυθολογίαν interpres sic explicat. ἤτοι διὰ τὸ πάνυ ὁμοίους τὰ πολυτρόπους φρονήσεως ἐνδυνήματα, i. *per hæc variarum rerum simulacra scuto Pallidis insculpta vis fabulæ arguit varios prudentiæ effectus.* In reliquis autẽ huius loci notis accuratè legendis non suam perdet operam lector. Prior quidem notatio spectat ad Græcam: nam ἀθηνᾶ videtur dicta quasi ἠθηνόη, *Dei intelligẽtia:* vel ἠθονόη, quasi νόησις ἐν τῷ ἤθει *intelligentia sit in moribus.* Nec mihi placet ἀθήνη dici quasi ἀθήλη *quod non sit lactata.* Posterius autem etymon τὸ *Minerua*, respicit ad τὸ Pallas. Sed cur tacemus verba Platonis in Crat. de Palladis etymo? τοῦτο μὲ τοίνυν ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὅπλοις ὀρχήσεως ἡγούμενοι τεθῆναι, ὀρθῶς ἂν, ὡς ἡμεῖς, ἡγοίμεθα· τὸ δὲ πᾶ ἢ αὐτὸν ἢ τοι ἄλλο μετεωρίζειν, ἢ ἀπὸ τῆς γῆς, ἢ ἐν ταῖς χερσὶ πάλλειν τε καὶ πάλεσθαι, καὶ ὀρχεῖν καὶ ὀρχεῖσθαι καλοῦμεν. *Hoc certè nomen Pallas, ab illo in armis gestiente motu si impositum existimemus, rectè, vt opinor, impositum iudicauerimus: nam seipsum, vel aliud quidpiam sursum vel è terra, vel manibus tollere, dicimus illud mouere & moueri, & exsilire & exsiliri.*

Liber.] Describitur Bacchus à Diod. l. 5. & Latinè dicitur Liber, eâdem ratione, quâ Græcis Λυαῖος *Lyæus*, de quo iam annotatum est Ode 7. huius libri: quidam tamen ex antiqua scriptura *Loiber* coniectant deflecti παρὰ τὸ λείβειν, vt ibidem fuit dictum.

Virgo.] Diana fuit filia Latonæ & soror Apollinis ex Ioue, sicut est in Theogonia & initio Theognidis: de qua etiam vide Diod. l. 6. & Cic. de nat. Deor. sic dicta ἐκ Διὸς, *à Ioue*, sicut dies, vel quòd noctu diem efficiat: alij quasi diuiana, quòd venatores per syluas errare faciat: alij denique à Dea & Iana, quo nomine olim vocabatur luna, fecerunt Deianam: sed probabilius est etymũ ἀπὸ διαίνειν τὸ βρέχειν, ab humectando & irrigando, vnde πολύμαστος, dicta quasi *multimamma* omnium nascentium animalium nutrix.

Certâ Phœbe.] De peritia Apollinis in sagittis neruo pellendis vide Iliad. α. & 1. Metamorph.

Nostra tamen certa, sed certior vna sagitta,

quæ nunquam aberrat ab ea, in quod dirigit petitionem: vnde Ouidio dicitur telum non vitabile. Veteres scribebant sagicta, quòd eam à sagaci ictu dici vellent, ait Pierius in 10. Æn.

Dicam & Alcidem.] Lege Diodorum li. 5. de genere & gestis Herculis, & Epigramma Virg. de duodecim laboribus ipsius.

Puerosq; Ledæ.] Hellenismus quidam est, quomodo dicitur ὁ τῆς Ἀφροδίτης παῖς, *filius Veneris* de Cupidine: quomodo etiam Ouid. loquitur in Elegia lugubri Tibulli.

Ecce puer Veneris fert euersamq; &c.

& Virg. Æneid. 2. *Ascaniusq; puer, &c.* pro filius: vbi hunc locum citat Seruius. Itaque παῖδε Λήδης, filij Ledæ. Castor & Pollux dicuntur etiam Διὸς κοῦροι: de quibus repete annotationem, in Grammaticis Od. 3. huius lib.

Hunc equis.] Hic versus est interpretatio illius quem cum aliis citauimus ad Oden dictam ex Ὀδυσ. λ.

Κάσσαί θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα

Pugnis.] Pugnus è compressu digitorum efficitur & eo pugnatur; vnde pugna, vel ab hac pugnus dicitur Donato: sed Festo à punctione & percussione vt *pugil.*

Quorum stella.] Dictum est in Grammaticis Od. 3. l. 1. Castora & Pollucem esse sidera, quorum alterum octo stellis constat; alterum decem: quomodo igitur ἐνικῶς hoc vtrumque sidus stella nominatur? vt etiam in Ibin de Castore & Polluce dicitur è castigatione Iosephi Scaligeri.

Stella Leoprepidæ quum fuit æqua viro.

In Castorem enim & Pollucem Simonides Leoprepides hymnum scripserat. Ego existimo numerum vnitatis in *stella* respicere signum Geminorum, quod cõstituitur vtrôque, & est tantæ magnitudinis, vt occasus vnius continenter excipiatur ab ortu alterius & videantur vnum signum: pro quo καταχρηστικῶς hîc stella dicitur, ex discrimine vtriusque in Od. 2. lib. huius Grammaticis notato.

Defluit saxis.] Quod hîc dicitur per cõiunctionem *defluit saxis*, Cic. enuntiat per disiunctionem, *de manibus arma fluunt.*

Humor agitatus, &c.] Aqua saxis per concretionem adhærens & illuc agitatione maris & ventis appulsa, defluit inde sidère Geminorum aduentante.

Concidunt venti.] Ἡ νηνεμία καὶ γαλήνη γίγνεται: sic pro *vndæ recumbit* ἀκύμονα καὶ γαλήνιον ἅπαν τὸ πέλαγος: & Virg. lib. 8. vers. 87. de Tiberi.

Tacitâ refluës ita substitit vndâ Mitis in morem stagni, &c.

Romulum.] De his omnibus Romanis principibus vide passim historias Liuij & vitas Plutarchi, ne diutiùs hîc immoremur.

Superbus.] Est originis Græcæ tanquam ab ὑπὲρ βίας diceretur, suprà omnem vim positus.

Fasces.] Quidam putant hîc Iunium Brutum intelligendum, qui Sexto Tarquinio expulso & ipsius collegâ L. Tarquinio moto magistratu, solus est potitus fascibus: alij malunt Tarquinium Priscum, & ita, *superbos* in meliorem partem interpretantur pro magnificis & claris. Ego autem magis probo sententiam eorum, qui intelligunt priorem, de quo sic Virg. Æneid. 6. sub finem.

Vis & Tarquinios reges animamq; superbam
Vltoris Bruti fascesq; videre receptos?

Et eiusdem historiam narrat ibidem Seruius. Præterea de securibus aliisque insignibus magistratus sic Plut. in Romaicis quæst. 82. *Cur Prætorum fasces colligati feruntur appensis securibus? an id signo est iram magistratus non debere esse in procliui & solutam? an solutio fascium, quæ paullatim fit, moram aliquam iræ iniicit & cunctationem, & nonnunquam fecit, vt sententia de supplicio exigendo mutaretur? iam quum vitiorum alia sint sanabilia, alia insanabilia, virgis corrigebantur, quæ emendari poterant; securibus secabantur immedicabilia.* Hi autem regum fasces priùs fuerant Hetruscorum regum insignia, quum duodecim lictores sibi præire iuberent, duodecim fascibus virgarum, & totidem securibus illis inuolutis septos, vt si quis rei capitalis damnatus esset, primùm spoliatus cederetur virgis, deinde securi percuteretur: præterea hæc insignia, sicut sellam Curulem, togam & prætextam, Tullius Hostilius 5. Romanorum rex ab Hetruscis ad reges Roma. transtulit.

Catonis nobile lethum.] Laudatur hoc genus mortis à Cicerone li. 1. de Offic. & epistolâ ad Papyrium Pætum, de quo etiam Appian. 2. bellorum ciuil. Copiosè præterea Sen. in disputat. de Prouident. vbi post hæc ipsius verba, *Non video quid habeat in terris Iupiter pulcriùs, si conuertere animum velit, quam vt spectet Catonem, iam partibus non se-*

non semel fractùs stantem, nihilo inter ruinas publicas rectum. Cato sic inducitur cum animo suo loquēs. Licet omnia in vnius ditionem concesserint, custodiātur Legionib. terræ, classib. mœnia, Cæsarianas portas miles obsideat: Cato quà exeat habet. Vna manu latam libertati viam faciet ferrum istud etiam ciuili bello purum & innoxium. Bonas tandem & nobiles edet operas. Libertatē quam patriæ non potuit, Catoni dabit. Aggredere animę, diu meditatum opus, eripe tę rebus humanis. l.1.c.15. de tranquil. vitę: laudatur inquam à vulgò ἀποφονία, vt à magnitudine animi profecta: sed contrà D. August. l.19. de ciu. Dei c.3. docet mortem iunioris Catonis miserrimam fuisse: quòd impatientiâ Cæsarianæ victoriæ de Pompeio sibi manus cruentas attulerit: atque adeo Poeta ille meliùs, quàm sapientes plerique, cecinit de Trasea, & consummato Catone, eorum ἀποφονίαν meram esse animi mollitiē ac imbecillitatem: itaq; canit,

Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.

Regulum.] De hoc. Od. 5. l.3. & Cic. de Off.1. & 3.

Scauros.] Familia Scaurorum Romę floruit Reip. administratione, in primisque M. Æmilius ille Scaurus Consul cum M. Cæcilio Metello: Deinde alter M. Æmilius Scaurus Hortensius: de quibus præter historias consule etiam Chronica: de iisdem etiam l.1. de Oratore & in Bruto, & pro Fontēio. De alterutroque Plut. etiam in l. de Fortun. Roman. scribit, *Aemylium Scaurum ex humili loco, & obscuriori genere natum, hominem nouum, à fortuna euectum ad Ordinis senatorij principatum fuisse.*

Paullum.] De P. Æmilio ad Cannas victo. Liu. l.22. qui hic vocatur prodigus animæ, quòd vitam contemsit, omneque ipsius periculum neglexit pro Repu. Item de Fabricio l.3. de Off. & Plut. in Pyrrho. De eodem sic Senec. c.3. de Prouiden. *Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum à Rep. vacauit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quàm cum diuitiis gerit? quod ad focum cœnat illas ipsas radices, & herbas, quas in agro purgando Triumphalis senex vulsit? Quid ergo felicior esset si in ventrē suum longinqui littoris pisces & peregrina aucupia congereret? si conchylijs superi atq; inferi maris pigritiam stomachi nauseantis erigeret? si ingenti pomorum strue, cingeret primæ formæ feras captas multa cæde venantium?* Præterea Agell. l.1. c.14. vt de Curio in Catone maiore. Huic *Curio* contrarios ostendit Cic.2. Catil. cōiuratos postremi generis fuisse, quum scribit, *Quos pexo capillo nitidos, imberbes, aut bene barbatos videtis, &c.* His verbis mollities quædam vitę flagitiosę, ac vitiosæ notatur; contrà, illis nostri poetæ durities eiusdem, incultæ quidem & aridæ, honestæ tamen, sicut celebratur hoc pentametro.

Fine coli modico forma virilis amat.

Item Plin. de viris illustr. ac præcipuè de Furio Camillo.

Sæua paupertas.] Id est aspera & laboriosa, quæ protulit & aluit hos tres fortissimos viros cultu exigui agri & auiti, domicilioque conueniente, nec sumtuoso. De sæuitia paupertatis vide Plutarch. lib. περὶ φιλοπονίας, & eundem lib. quæstionum Rom. quæst. 51. quæ quum variis epithetis describatur, κακὴ πενία, χαλεπὴ, ἐλαμένη, ac præterea definiatur à Theophrasto Epist. 241. δυσνιθέπτον θηρίον καὶ δύσκολον ὃ δίκην ἕλκοις τοῖς κεκτημένοις ἐμπλέκεται, id est, *fera nullo modo regenda & ad facilitatem reuocanda, quæ vlceris instar, quos semel occupauit, eos illaqueatos & irretitos tenet.* Idem de eadem Epist. 29. φιλοπονηθὲς κακὸν, ῥᾳδιομόσιον, κατηφὲς, πρὸς λύπην ἀπαράμυθον: *est malum familiaritatis vix dissolubile, traducens hominem vitæ inerti, putibundum, insolabiliter dolentem:* quum, inquam, variè notetur, illud quoque Theognidis mirè arguit paupertatis sæuitiam.

Ἀργαλὴ πενίη ἀνθρώποισι κεδνήνη δμοίως
Σῶμα καταρρύπτει καὶ νόον ἠμετέρους·
Αἰχρὴ δ' ἐκ ἐθέλοντα βίη καὶ πολλὰ διδάσκει,
Ἐσθλὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ κακὰ ὁππάζομενον.

Ah improba paupertas, cur meis incumbens humeris corpus suffundis pudore mentemq; nostram! turpia me fugientem summâ ope & multa doces bona ab hominibus edoctum.

Cum Lare.] Augustin. lib.9. de ciu. Dei scribit animas mortuorum Dæmonas esse & ex hominibus fieri familiares Lares, si domi illæ sunt tranquillæ & quietæ: sin omnia commiscent terroribus atque turbis, sunt Laruæ siue Lemures: boni autem illi Lares creduntur præesse Penatibus: de quibus lege Timæum Plat. Cic. de vniuersitate, Lactant. lib.1. cap.20. Macrob.1. Saturn. Fuit autem antiquorum superstitiosa hæc pietas, vt non solùm de cœna Lari libarent: sed primitias etiam fructuum eidem offerrent: quod tamen Tiresias suadet Vlysi postponendum esse obsequio senis diuitis captandi, vt est videre Saty.5. lib.2. Hos autem domesticos Deos veteres vocabant patrios, non quia essent patriæ aut vrbis, sed quia familiæ ac generis præsides, vt Virgilius:

Dij patrij seruate, domum seruate nepotem.

Fama Marcelli.] Fama vox Græca est φήμη παρὰ τὸ φάναι à dicendo & vulgando: vnde definitur rumor ἀδιάστατος καὶ ἀμφίλογος *& intortus & anceps*, per ora hominum volitans: sed hic pro magna virtutis Marcellinæ opinione, certa & æterna existimatione. Id enim valet æuum, tanquam τὸ ἀεὶ ὄν. M. Claudius Marcellus fuit filius Octauię sororis Augusti, qui puer obiit, cuius Virg.6. Æn. mortem luget. Fuit etiam alter Marcellus, qui fudit Annibalem ad Nolam ciuitatem, & ab eo postea occisus, de quo vide Plut. & lib.4. Accusa. in Verrem, sicut de astro Iulij Mœrim Virgilij.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. quod Plin. & Suetonius scribunt, cometen apparuisse in Septentrione dies septem, quamdiu Augustus ludos publicos Iulio Cæsari consecrabat. Vnde Iulium sidus apparet ἄκυρον, vt ex etymo τὸ sidus in Gram. li.1. ad verba: *ser tam. sidera vertice.*

Velut arbor.] Operę pretium est intelligere vim huius vocis, præsertim quum tot parabolæ inde sumantur, sicut aliquot ex his in dialecticis ostendimus. Isidorus illam declinat, vt herbam, ab aruis quòd *terris adhæreat vtrumq; innixum fixis radicibus.*

Saturno.] Cic.2. de nat. Deor. scribit Saturnum appellatum, quòd saturetur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus: quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur: qui Deus & Græcè χρόνος, & est idem χρόνος, temporis spatium. Alij putant vocem peregrinam, aut Tuscam, aut Syriacam, aut ortam à σατεῖν & ex σάτυρος facto: sed verior est vocis ratio apud Lactant. l.1. c.12. vbi Saturnus dicitur Cælo patri abscidisse genitalia: quæ Græcis sunt σάδη: ex quo Satyri, quasi Saturni vocati sunt à libidine diffluente & soluta, de quibus Od.1. huius & postea Sat. 1. l.1. copiosiùs.

Latio.] Seruius in vers. Æn.8. *composuit, legesq; dedit, &c.* Virg. Latium vult dici, quòd illic Saturnus latuit: Varro autem Latium dici putat, quòd latet Italia inter præcipitia Alpium & Apennini; estque Seruio Latium duplex.

Parthos.] Hi Augusto rerum potito reddiderunt signa militaria, quę Crassus & Antonius ab illis victi perdiderant: de quo lege Oros. l.6. c.21. & Paterculum volumine posteriori.

Imminentes.] Id est, ruinam minitantes Romanis: ita ἐπικεῖσθαι dicuntur hostes, pro instare, vrgere & premere,

vt Cicero loquitur: *imminent duo reges toti Asiæ*, pro, parati sunt ad dandam exitio Asiam.

Egerit.] Post redditionem signorum illos vicit Augustus per Ventidium Bassum, & de his egit triumphum.

Seras.] Seres populi sunt Æthiopiæ, vbi vermes texunt fila tenuissima ex foliis procerarum arborum, vnde fit pannus sericus & holosericus: ideoque Virg. 2. Georg. v. 120.

Quid nemora Aethiopum molli canentia lanâ
Velleraq; vt foliis depectant tenuia Seres,

Idem testatur Plin. lib. 6. cap. 17. *Primi sunt hominum qui noscantur, Seres lanicio syluarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem.* Idem Marcellin. l. 23. sentire videtur. Sub finem lib. verba eius sunt, *Agunt autem ipsi quietius Seres armorum semper & præliorum expertes, vtq; hominibus sedatis & placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti. Cæli apud eos iucunda salubrisq; temperies, aeris facies munda, leniumq; ventorum commodissimus flatus, & abunde syluæ sublucidæ: a quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris, velut quædam vellera molientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt: mentesq; sub tegmina, conficiunt sericum, ad vsus antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine vlla discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Quumq; ad coemenda fila vel quædam alia fluuium transierint aduenæ, nullâ sermonum vice propositarum rerum prætia solis oculis æstimantur.* Itaque sericum ex arboribus, vt Byssus è terra more lini gignitur, quæ Philostratus non distinxit lib. 2. Ideoque à Iusto Lipsio Imperitiâ notatur lib. 2. Annal. Corn. Taciti.

Indos.] De his triumphauit solus Bacchus, vt scribit Diod. Alexander tamen & Nerua Traianus idem meruerunt.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile Odes. 2. huius lib.

[a] Quidam hîc agnoscunt σπείαν & addubitationem: sed quia hanc figuram Rhetores definiunt, quum aliquis secum solus deliberat; hîc equidem potiùs statuo τὴν ἀναλοίνωσιν: cuius quidem artificio vitatur suspitio assentationis, & occasio insinuationis in laudes Augusti arripitur. Vbi Poeta consultando communicat cum sua Musa genus argumenti, quod tractaturus sit, quemadmodum Pindar. εἰδ. β. Olymp. quam potissimum materiam versu tractare debeat: quod tamen dum videtur modestè, ac velut aliud agens aggredi, decantatis priùs Deastrorum & heroum, virorumque illustrium laudibus, tantâ effert gloriâ Cæsarem, vt propemodum Ioui illum faciat parem. Est præterea in his vocibus, *virum, heroa, Deum*, allegoria ex varia metonymia efficientium, pro memorabilibus singulorum factis, rebusque præclarè gestis: vbi alij interpretes notarent tertium amplificandæ orationis modum per incrementum: quia priore maius aliquid bis sequitur.

[b] Anaphora est.

[c] Synecdoche est generis pro specie. Si quis enim ex te quærat, quid sit Echo; aptè respondebis: est imago & similitudo vocis redditæ. Verum animo & cogitatione non possum satis complecti, quibus argumentis formam sonoris exprimas: atque in hanc dubitationem adduxit me Epigramma 13. Ausonij de Echo ad pictorem.

Vane, quid affectas faciem mihi ponere, pictor?

Vbi quid sit Echo, & vnde orta facilè discres, & à quibus & quot, vocalis imago possit edi, Epist. 25. Auson. ad Paulinum suum, cuius initium est:

Quarta tibi hæc, &c.] Vbi tandem Echo pictorem monet, ὡς θεὶ ἀδυνάτῳ, tanquam de re impossibili, de abiicienda cura effingendi atque exprimendi penicillo imaginem sui, *At si vis*, inquit illa, *similem pingere, pinge sonum.* Idem Ouidius lib. 3. Metamorph. tentauit explicare ad vers. *Vox manet &c.* Sed Plinius lib. 2. cap. 45. clariùs καὶ φυσικώτερον hoc facit, *Montium vero flexus, crebriq; vertices, & conflexa cubito, aut confracta in humeros iuga, concaui vallium sinus scindunt inæqualiter inde resultantem aera: quæ caussa voces etiam multis in locis reciprocas facit.* Ita quoque loquitur Varro de apibus quum ἤχους appellat sonorum imagines, id est, bombos & murmur; quo velut musicâ aures personat. ita permutantur obiecta sensuum, vt loquuntur Physici: nam Od. 1. l. 3. sapor dulcis propriè dicitur, sed Epod. 5. sonus dulcis translatè.

[d] In *aut* bis repetito anaphora est.

[e] Synecdoche est generis pro Musica vel Poetica, quam didicerat à matre Calliope.

[f] Metonymia caussæ est pro modulatione.

[g] Alia est synecdoche, sed generis pro Ioue, si retinetur lectio, *parentis*: sin *parentum*; erit speciei pro quibussuis maioribus.

[h] In *qui* repetito alia est anaphora.

[i] Alia est synecdoche, sed partis pro alternis totius anni temporibus: vel pro eorundem vicissitudine varia per Metalepsin. Est præterea in *variis* metaphora à coloribus, cuius ratio Sat. 6. lib. 2. in Rhetoricis ad verba, *cœnâ variâ*, reddetur: sed hæc varietas videtur referenda ad diuersas qualitates temperamenti, quæ cernuntur in partibus anni, vere, æstate, autumno, hyeme. Est quoque in *neq; te, nec te*, metonymia causarum pro rebus ab his fortiter gestis & memorabilibus factis.

[k] Synecdoche est generis periphrastica pro Diana; quę non expressè dicta intelligitur ex genere & adiuncto descripta.

[l] Similis est tropus pro Hercule Alcæi nepote, patris Andromedæ, Persei & Amphytrionis: quanquam alij referunt ad vim vocabuli ἀπὸ τῆς ἀλκῆς à robore: similis est tropus in *pueros Ledæ* pro Castore & Polluce filiis ipsius. Sic Pindarus Ὀλυμπ. α.

Κελαδεῖν Κρόνου παῖδα, pro,
Celebrent Saturni puerum, i.

Iouem; quem quidem tropum alij nominare solent μετάφρασιν, i. circumlocutionem proprij nominis.

[m] Sumtum est à viatoribus, qui montes & vias superare saltu, id est, supergredi & transcendere dicuntur, ad victorem cuiuslibet difficultatis aut rei indicandum.

[n] Metaphora à candore corporum ad significandum Castorem & Pollucem fuisse nauigantibus propitios & salutares.

[o] Repetitur idem genus deliberationis cum superiori de celebrandis Romanorum principibus, quod propriè potest exprimi per epithetum, quo Seneca vtitur, *superbificos.*

[p] In *an* ter repetito est Epanaphora.

[q] Metonymia est effecti pro efficiente hominem superbum: sicut in nobile, pro nobilitante virum sic morientem. Sed quia secum de hoc consultat dubitâs, σπεῖα videtur agnoscenda & constituenda, vt in quarto tetrasticho, *Quid prius dicam solitis, &c.* cuius notationem silentio prætermisi.

[r] Metonymia est proximę contraria, vbi caussa pro vita effecta ab anima ponitur.

[s] Synecdoche est singularis pro plurali, Pœnis & Carthaginiensibus. Metonymia caussæ pro insigni carmine à Musa dictato, vel certè, quòd ea videtur afflasse Poetæ. Sic in Epist. 1. li. 1. vers. 1, sumitur, *primâ & summâ tamen à*

camœnâ. Sed propriè sumetur Ode 4. lib. 3. *vester, camœna, vester &c.*

t Per metonymiam adiuncti pro subiecta domo dicitur, quomodo Od. 29. l. 3. à Poeta sumitur, *paruo sub lare*, id est, sub angustis ædibus, quomodo etiam à Sallustio in coniuratione: *nobis larem familiarem nusquam vllum esse.*

u In *fama Marcelli*, est paranomasia ἢ παρέχουσι, quæ duæ voces similitudine alicuius syllabæ sub diuersa notione leuiter inter se sonant, vt Catil. 1. *pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi*: sic Od. 6. l. 4. *Dauniæ defende decus.* De hac dictionis figura ipsiusque generibus vide plura in Apologetico Huralthospitaliorum pro veteri ac germana linguæ Græcę pronunciatione è scholiis Eustathij in v. 403. Iliad. a. & ex Hermogene.

x Sumtum est ab elemento noto, pro, stella præluceat cæteris planetis.

y Periphrasis Iouis per synecdochen generis.

z Sumta est allegoria à pastoribus, qui equos & alias bestias & pecora præ se agunt.

aa In, *te & tu* bis repetitio est polyptoton & anaphora.

bb Allegoria est, pro, tu cælum conturbabis & fulmine lucos pollutos incendio perdes.

Ode XIII. Ad Lydiam.

Theticum.

Quòd ab amatore inhumano, quantacunque dignitate formæ præstet, Lydia debeat citò animum abalienare, & ad Poetam in perpetuum amandum conuertere.

Q[1] *Vum tu Lydia Telephi*
Ceruicem[a] *roseam*, [b] *cerea*[c] *Telephi*
Laudas brachia, [d] *væ meum*
Feruens[e] *difficili bile tumet iecur.*
Tunc nec mens mihi, [f] *nec color*
Certâ sede manet: g humor & in genas
Furtim labitur, arguens
Quàm lentis penitus[h] *macerer ignibus.*
Vror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ: siue puer furens
Impressit[i] *memorem dente labris notam.*
Non, si[k] *me satis audias,*
Speres perpetuum, dulcia barbarè
Lædentem[l] *oscula, quæ Venus*
[m] *Quintâ parte sui* [n] *nectaris* [o] *imbuit.*
[2] p *Felices* [q] *ter & amplius,*
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimoniis,
Suprema citius soluet amor die.

Analysis Dialectica.

GRauissima est Poetæ querela de Lydia, profecta è commendatione formę Telephinæ, vnde, tanquam è caussa procreante acerbus dolor exstitit Poetæ: quòd ipsum Telepho riuali posthabuerit in amore: quæ res sibi tolerabilis videretur, nisi huc malum accederet alterum ex fœdato Telephi dentibus & vnguibus corpore illius & laniato: cuius gemino ac præcipuo dolore se angi profitetur. Vt autem prioris doloris caussa est in præsenti laudatione formosi Telephi: sic posterioris in aspectu corporis Lydiani liuore decolorati, ex qua posteriori caussa consulit Lydiæ, vt se totam abalienet ab hoc tam barbaro amatore: & ratio consilij sic concludi potest ex aduersis: quòd nunquam perpetuus & constans amator futurus sit, qui summam mulieris lenitatem iniquâ asperitate compensat: Telephus acerrimo morsu & laniatu suauitatem amicæ Lydiæ barbarè compensauit: vbi inuidiosè detorquet Poeta ludicras amantis morsiunculas in acres & asperos morsus: nam mordicare labra in osculando est vehementiùs Venerem incendere, quod faciunt columbæ aues Veneri sacræ suis rostris: non autem lædere. Sic ex hoc Elegiaco Tibul. lib. 1. Eleg. 7. rem esse discimus. *Tum succos, herbasq; dedi, queis liuor abiret,*
Quem facit impresso mutua dente Venus.

Itaque hoc Horatius mentitur, vt riualem in odium vocet amatæ: non est igitur (ex inuidiosa interpretatione Poetę querentis de suo riuali priores apud meretricem partes habente) speranda & exspectanda amoris inde constantia neq; id præsertim exspectare debet ea, quæ abhorret omnino ab omni vitæ acerbitate.

Tollatur hinc schema, & simpliciter oratio pronuncietur; manifestum habebis consilium Poetæ, de voluntate Lydię à Telepho furenti & inhumano amatore abalienanda, & in alterum, i. in se lenem & humanũ immutanda, si bene beateque viuere cupiat. Ratio autem consilij petitur è locò comparatorum, quod summa felicitas amantes moderatos & concordes tam diu consequi soleat, quam diu ipsi sint in vita mansuri: sed hæc copula, Horati, non potest inter scorta & scortatores esse in perpetuum irrupta, vt te Bacchis Terentiana poterat docere in Heaut. Act. 2. Sc. 4. *Quippe formâ impulsi nostrâ nos amatores colunt. Hæc vbi immutatâ est, illi aliò suum animum conuertunt*: quod tamen Ode 25. huius libri te ostendet minimè ignorasse.

Enarratio Grammatica.

AD *Lydiam.*] Zelotypica sanè est hæc Ode, vt ex hac definitione Ciceronis Tuscul. 4. apparet: *Obtrectatio autem est ea, quam Zelotypiam intelligi volo, ægritudo ex eo, quòd alter quoq; potiatur eo, quod ipse concupierit.* Sed de ratione huiusmodi muliebrium appellationũ monuimus Ode 8. huius libri ad eandem, & de nomine *Sybaris* valdè accommodato ad mollitiam iuuenis arguendam. Nescio nunquid simile dici possit hîc de Telepho. est sanè mihi magna coniectura hunc illum esse Sybarim illic à nobis notatum. Est tamen probabilius quibusdam hũc esse Telephum, qui fuit seruus nomenclator mulieris & vnus è coniuratoribus Augusti, sicut in huius vita cap. 19. Suetonius scribit. Fuit quidẽ præterea Herculi filius huius nominis. Sed de similitudine morum vtriusque nihil possum affirmare: scio tãtùm ab hoc fuisse ἕλκος πλέφειον pro vlcere maligno, inueterato, nec facilè cicatricem ducente, à quo non discrepant huius amatoris mores.

Ceruicem.] Vt Latini Grammatici deflectunt hanc vocem à via cerebri, sic Græci ἀυχένα φασὶ τὴν ἀυχμὸν à siccitate & duritia. Αὐχὴν autẽ scribitur τὸ μεταξὺ κεφαλῆς καὶ ὤμων, *pars interiacens inter caput & humeros.* Etymologicum definitione declarat ἀυχένα, τὴν κατάξηρον τόπον τοῦ σώματος. locum corporis per aridum. Atq; præter etymon superius dici tradit φασὶ τὸ ὀχῶ porto, vnde ὀχὴν sustentaculum, καὶ ἀυχὴν, ἐφ' ᾧ ὀχεῖται ἡ κεφαλή. cui caput innixum sustinetur: cui voci ferè respondent Τράχηλος καὶ δέρη, quo posteriori vtitur Hom. Iliad. γ. sub finem.

Καὶ ῥ' ὣς ἴδε δῖον ἐνόησε θεὰς πόθεν ἀγλαὸν εἶδος.
Στῆθός τ' ἰμερόεντα, καὶ ὄμματα μαρμαίροντα.

Vbi ergo Helena cognouit perpulcrum Veneris collum, pectoraq; desiderabilia, & oculos fulgentes: Intelligitur propriè pars colli anterior, cuius infima dicitur ὑποδαιδαλεῖς, quæ solet torque & monilibus cingi: pro Græco dicitur hîc, & 1. Æn. *rosea ceruix:* sed Latina dictio tantùm significat posterius collum, aut posteriorem partem colli, sicut Don. illum definit in Heaut. Act. 2. Sc. 3. ad locum *euersas ceruices tuas, vbi origo est omnibus neruis,* vnde homo duræ ceruicis dicitur, quasi indomabilis & quasi duri capitis & duræ mentis: contrà euersæ ceruicis homo, pro domito & flexo ad quiduis: sed pars anterior colli dicitur λαιμὸς, via primum vocis ac spiritus per asperam arteriam, deinde per orsophagum, cibi ac potionis; quę nunc vocatur, modò gula, modò guttur, modò fauces, modò iugulum: posterior autem est via cerebri quâ medulla, i. continuata substantia cerebri per foramina vertebrarum spinæ continenter delabitur, impertiens reliquis corporis partibus neruos: vnde sensus & motus fiunt.

Rosea.] Celebratur hîc ceruix rosea non è rosa Milesia, quæ nimis est purpurea, quodamq; modo ardet, nec ex ea, quæ albescit; sed ex ea, quæ ex vtraque trahit permixtè decorem: qualem infectores vocant incarnatum colorem, vbi rubor sanguinis penitus albo est perfusus.

Cerea.] Pro hoc Græcis coniunctim dicitur λευκοβραχίων, habens candida brachia, vt quis dici generatim posset, ἀγλαόγυιος *pulcris membris præditus*: est autem hîc ellipsis copulatiuæ, pro, ceruicem & brachia.

Va.] Quidam explicant per Græcum οὖε, quod est Suidæ ἀπειλὴ βραδυνόντων καὶ ἀνοιγῆναι κελευόντων, id est, *comminatio tardantium & aperire iubentium:* sed interpretatio non quadrat: hæc verò meliùs per οἰὰ dolorem denunciant.

Difficili bile.] Id est, implacabili, χαλεπῇ sæuâ. Gall. *le cœur s'esmeut de cholere implacable, & ma couleur est fort variable.* Bilis dicitur Græcè χολὴ pro humore corporis tantùm; sed præterea vtraque vox & Græca & Latina ὀπὶ τῆς ὀργῆς pronunciatur: Aristoph. initio Ranarum de Baccho ad famulum, πάνυ γὰρ ἔς' ἤδη χολὴ, *admodum acri iam sunt percitus irâ,* vel calido sub pectore mascula bilis intumuit in Poesin. Item Virg. Æn. 8. vers.

Hîc verò Alcidæ Furiis exarserat atro Felle.

Vbi Seru. notat, quo irascimur secundum Physicos, vt splene ridemus.

Iecur.] Ακυρολογία est pro corde, vnde Poeta cognoscitur parùm diligens obseruator fuisse facultatum naturalium. Nam poterat didicisse à Platone sedem iræ esse in corde, vnde vis irascendi dicitur, θυμώδες, καὶ τὸ ὀργιστικὸν: libidinis verò in hepate, vnde facultas concupiscendi dicitur τὸ ὀπιθυμητικὸν: meliùs obseruauit Hom. Iliad. 1.

Αλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χολῷ, quod Cic. vertit,
Corq; meum penitus turgescit tristibus iris.

non est ἄκυρον Æn. 8. huic dissimile.

Hîc verò Alcidæ Furiis exarserat atro
Felle dolor.

Neq; tamen hoc tam improprium videretur, quàm nonnulli putarint, si κύστιν χολῆδόχον flauæ bilis, (quæ facilè animi commotione incenditur, vnde citò ira excitatur) *esse receptaculum,* non atræ bilis, intelligerent: itaque non planè exponerem hîc, *atro,* per nigrum: sed per *subnigricantem,* qualis fit, qui ira exardescit; bilis enim atra vix incenditur, sed facilè sudat.

Nec mens.] Hæc vox φρὴν μένος dici putatur quasi à vi & robore.

Humor.] Hîc lacrymæ & fletus è compresso vi doloris sanguine notantur.

In genas.] Plin. lib. 11. c. 37. scribit malas esse homini infra oculos, quas prisci genas vocabant, Græci τὰ γενεῖα, à gignendo barbam, vt mala à forma & colore mali.

Furtim.] Id est, clàm & occultè & me inuito, quia lacrymarum erat aliis ignota caussa.

Arguens.] Id est, indicans, Gal. *descouurant & faisant paroistre,* quomodo sumitur Epist. 19. lib. 1. ad Mæc.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,

Gall. *Homere monstre bien qu'il aime le vin en le louant si fort.*

Lentis ignibus.] Id est, languidis, vt ait Plin. pro diu hęrenti, & longo diuturnoque cruciatu, quomodo dicitur amor lentus, & Græcè πῦρ μαλθακὸν Od. 19. l. 3.

Impressit.] Plaut. in Pseud. ponit inter blanditias amantium in teneris labellis molles morsiunculas. Idem Catul. Epig. ad seipsum; *quem basiabis? cui labella mordebis?* quòd quum fecisset Telephus δηκτικώτερον, insimulatur hîc ab Horatio riuali, sæuæ, insulsæ, ac illepidæ amationis.

Labris.] Ex annotatione Donat. in Eunuchum Act. 2. Sc. 3. v. 44. *demissis labiis: Labra sunt superiora; labia inferiora:* labra Lydiæ fuerunt morsu Telephi fœdata. χεῖλος Græcum pro vtroque sumitur.

Si me audias.] Id est, si mihi fidem habeas & meo consilio credas: quomodo Cic. loquitur 2. Epist. lib. 2. fam. *nunquam laberis, si te audies,* id est, si teipsum in consilium adhibeas, nec te aliorum consilia auferant.

Non sperres.] Qui distinguunt hæc exspectare & sperare, dicunt in exspectatione nullam inesse dubitationem, in spe aliquam: ita dubitanter cecinit Od. 5.

Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat.

Et 37. sequenti de Cleopatra, *quidlibet impotens Sperare.* Manifestior est differentia ex Epist. 5. l. 7. ad Famil. ad Cęs. *Cœpi velle ea Trebatium exspectare à te, quæ sperasset à me.* Non dissimile his est, quod Virg. cecinit Æn. 1.

At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

Id Seruio est timere, qui, quòd speremus bona, timeamus autem aduersa, putat abusiuè dictum. Item quod Homerus Ιλιαδ. Π. ad vers.

Πᾶσιν δὲ εἴνδη θυμὸς, ἐκίνυτο δὲν δ' φάλαγγες
Ελπόμενοι ἆρα ναῦσι ποδώκεα Πηλείωνα
Μνησάμεν' ἐκ πολέμοιο, φιλότητα δ' ἐλέσθαι, i.
Omnibus commotus est animus: turbantur etiam phalanges
Suspicantes apud naues, celerem Pelidem,
Iram quidem abiecisse, & amicitiam recepisse.

Interpretis notę sunt hîc superioribus illis Donati & aliorum Grammaticorum ferè similes, Σημαίωσαι δ' ὡς οὐκ εἰ μὴ οἱ μεδ' Ὅμηρον σημείονται πῶς ἐλπίδα μὴ ἂν ὅτι κακῶν προσδοκίας λέγειν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἐλπόμενοι, ἐνταῦθα ὅτι χώων ἐρρέθη μὴ ἐχόντων καρδοκίαν ἀγαθῶν τινος, i. *Nota verò, quòd quamuis posteritas Homeri obseruat spem dici de malorum exspectatione: Ecce tamen verbum* ἐλπόμενοι *de Troianis nullam habentibus boni cuiusquam exspectationem hîc dictum est* (suppleatur) è reconciliatione *Achillis* cum Agamemnone, aliisq; Græcis. Vnde Pindarus *Nemeor. 11.* canit spem inanem habere futilem exitum. verba illius sunt Επωδ. γ. in parenthesi, ——(κενεαν δ' ἐλπίδων χαῦνον τέλος) quæ sic à Scholiaste explicantur, τὸ τέρεσιν, ἐαν ἐλπίσω τὰ ἀδύνατα, κενὸς ἔσομαι· ἢ ὅτω, ἢν ὃ ματαίων ἐλπίδων ἀσθενὴς καὶ ἀβέβαιος ἡ ἔκβασις, i. *Hoc est, si sperauero impossibilia, vacuus & vanus ero, vel sic, vanæ spei euentus instabilis & inualidus.* Tanti potest esse, quod Scholiastes Thucydidis initio annotauit ad verba, καὶ ἐλπίσας μεγάλα ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προκεχυμένων, id est, *& sperans bellum Peloponensium & Atheniensium fore magnum, &* (alio-

rum

rum) ante gestorũ maximè memorabile. hoc modo τὸ ἐλπίσας οὐμόνον ὅτι ἀγαθῶ, ἀλλ' ἁπλῶς ὅτι τῆς τῶ μέλλοντος ἐκβάσεως λέγεται, id est, *verbum* τὸ ἐλπίζειν *non solum de bono dicitur, sed simpliciter etiam de futuro euentu, qualiscunq; fuerit.*

Perpetuum.] Donatus in And. Act. 5. Scen. 5. ad versum. *Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,* sic distinguit hoc Epithetum à *perpetuum. Inter perpetuum & sempiternum hoc interest, quòd sempiternum ad Deos, perpetuum propriè ad homines pertinet:* posterioris, quod propriè sonat continuationem, vt *biennium perpetuum* in Hecyra, vt hîc, sed exemplum est prioris in loco primùm citato Terentij.

Ladentem oscula.] Sæpiùs translatè sumitur hoc verbum *ladere* pro quauis iniuria, siue dicto, siue facto, illata, vt prologus Eunuchi: *studeat minimè multos ladere* & Cicero lib. 1. Epistolarum fam. *quos tu Reip. causà læseras:* sæpiùs, inquam quàm propriè pro vulnus infligere, vt hoc loco: ὁπέρ ὅτι δακνῶν σφικλῶς τὸ χεῖλος, *quod est strictè mordere labrum,* & Homero sub finem Ὀ δυσ. α. Οὐδὲ ἐν χείλεσι φῦναι αὐτὴ τὸ ἐμπλακῆναι δηλιχῶς καὶ μετὰ δαγμῶ, *labra cum morsu immiscere more iratorum canum.*

Quintâ parte.] Ad intelligẽtiam huius partis, quinq; amoris illecebræ, quas vocant è Donato in Terentium lineas & gradus numerãtur; aspectus, colloquiũ, tactus, osculum, concubitus: sic Phędria Act. 4. Scen. 2. Eunuchi: *si non tãgendi quidem copia est; eho ne videndi quidem erit. si illud non licet, saltem hoc licebit; certè extrema linea amare haud nihil est.* hîc extremam quidem interpretantur primam, id est, visum, & interpretationem confirmant loco Plauti, *ab extremo narrare incipiam,* id est, ab initio: alij verò de mysterio Pythagorici quinarij, qui à Pythagoreis dicitur γάμος, *nuptialis:* de quo vide Plutarchum in libell. de Ei. Sed de hac arte nimis, & plùs quàm decet Christianum.

Nectar.] Τὸ μὲν νέκταρ, ὡς δ' ἀμβροσίᾳ sic ab Eustathio vers. Ιλιαδ. α.

φυσιόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρατῆρος ἀφύσσων, id est,

Fundebat (Vulcanus) omnibus dulce nectar ex cratere hauriens describitur. τὸ δὲ νέκταρ καὶ ἡ ἀμβροσία πίνεται τῇ ποιήσει, καί εἰσιν ὀνόματα τροφῆς θείας, ἰῶ καὶ αὐτῶ οἱ ποιηταὶ οἴδασιν, ὡς μυσοτροφεῖς· τὸ μὲν νέκταρ ὅτι ὑγρᾶς καὶ ἀναλογούσης οἴνῳ, διὸ καὶ οἰνοχοεῖσθαι εἰρηται. ἡ δὲ ἀμβροσία ὅτι ξηρᾶς· ἐτυμολογεῖται δὲ τὸ μὲν νέκταρ ἀπὸ τῶ κλῶ, τὸ κλῶμαι καὶ τὸ νεστρικὸν, οἱονεὶ τὸ ἄκλητον, ὁ οὐδενὸς συνιστᾶ γίνεται κλέαρ, ἤτοι κλῆμα. ἡ δὲ ἀμβροσία ἀπὸ τῶ α στερητικῶ καὶ τῶ βροτὸς, ἰῶ ἀβρὸς ἔχει βροτὸς, i. *nectar autem & ambrosia sunt in poesi efficta nomina potionis & cibi diuini: quæ etiam ipsa poetæ norunt, vt Musarum alumni: nectar quidem de liquido etiam respondente vino: ideoq; dictum fuit nectar. ambrosia verò de sicco, ratio quoque vocis, nectar redditur è particula* ne *privationis & acquiro siue possideo, tamquam id esset, quod nec acquiri; neque possideri queat ab vllo homine: sed ambrosia ex α etiam privativa & βροτὸς,* id est, *homo, qui non potest illâ frui, & quum eâ vescitur, fit immortalis* ὅτι οἱ Θεοὶ ἐν τῷ νέκταρι καὶ ἐν τῇ Ἀμβροσίᾳ τὸ ἄφθιτον θέσαν, ἤγουν τὴν ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν, id est, *in nectare & ambrosia immortalitatem posuerunt,* vt Pindarus canit Ολυμπ. α.

Præterea Athenæus sub initium libri secundi scribit ex Ibico Poeta Lyrico τὴν Ἀμβροσίαν τῆ μέλιτος καθ' ὁπόταν ἐννεαπλασίαν ἔχειν γλυκύτητα, τοστέον τὸ μέλι λέγων ἔννατον εἶναι μέρος τῆς ἀμβροσίας καλὰ τὴν ἡδονὴν, id est, *ambrosiam habere dulcedinem mellis noncuplò auctiorem, quam mel, dicit; Illud intelligit nonam esse partem voluptatis, quæ est in ambrosia:* quâ, vt nectare, Poetæ adumbrarunt similitudinem diuinitatis; idq́ue Hesiodus maximè, quum poeticè scripserit; à Dijs facta esse omnia, sed immortalia ea, quę nectar & ambrosiam gustassent, mortalia autem ea, quæ non gustassent.

Copula irrupta.] Quod Homer. Iliad. ι. dicit: δεσμὸν ἄῤῥηκτον *insolubile vinculum* & coniunctionem irruptam, quæ coniugum discordia non dirimitur.

Supremâ die.] Id est, vltimâ die, qui casus auferendi pendet à comparatiuo, *citiùs,* vt sit, citiùs supremâ die, id est, citiùs, quàm mors venerit.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile tertiæ huius libri.

[a] Translatio à floribus rosæ, pro, pulcram: nisi veris respicere ad morem coronantium conuiuia & ipsos conuiuas, vt Tibullus cecinit:

Et capite & collo mollia serta gerat.

Tunc enim ceruicem roseam diceremus, rosis ornatam propriè: sed hæc proprietas careret formæ Telephinæ commendatione, quam manifesto refert translatio: ideoq́ue præstat hanc retinere, vt indicem natiui non fucati coloris: sic, roseas genas & labella Gallicè *vermeilles.* Hoc Epithetum Seruius vers. 406. Æneid. 1.

Dixit & auertens roseâ ceruice refulsit.

Explicat per, *pulcra:* quam Homerus dicit, vt antè fuit, Iliad. γ. θέειν καλέα δειρὴν, καὶ ῥοδόχροον.

[b] Similis tropus in cera, sed à fictoribus, qui è cera effingebant pulcerrimas imagines, & in atrijs statuebant siue ad lenitatem, siue ad proportionem, siue ad flexibilem mollitiem, siue ad candorem hanc formam referas: nam & Seruius sic bifariam interpretatur Eclog. 2. *cerea pruna* vel cerei coloris, vel mollia, citans hunc locum.

[c] Epanodos est, eiusdem soni repetitio in medio & fine.

[d] Exclamatio est exsecrantis commendationem Telephi riualis, sicut interpretatur Donat. Act. 2. Scen. 1. Andriæ, vel dolorem inde denunciantis.

[e] Metonymia est effecti pro bile efficiente difficiles & sui impotentes, quos incendit.

Feruens, &c. Metaphora est ab igne, quam *Cicero* lib. 1. Epist. 9. ad famil. *Lentulum* expressit per verbum exardeo, *Quum me non lacessentem læsisset, exarsi iracundia.* Idem in *Verrem, exarsit iracundia & stomacho.*

Bilis enim commota gignit iracundiam & igni est similis, vt ab eo profecta, vel potiùs à feruore sanguinis enata, sicut animus spirabilis ab aere, humor ab aqua, soliditas à terra enasci dicuntur à Physicis, vt scribit Cicero lib. 2. de natura Deorum.

[f] In *nec,* bis repetito anaphora est, vbi illa animi impotentia declaratur.

[g] Synecdoche generis pro sanguine & ipsius spiritu, vel pro sudore.

[h] Ego hîc puto metaphoram esse à corpore ad animum: nam macerare est fame & inediâ corpus tenuare: quo remedio sæpè dissoluitur amor vel certè mitigatur.

Sed præcipuum illius remedium prouidit Phædria Act. 1. Scen. Eunuchi.

Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.

Sic enim ex illo Socratis efficiebat, τὸ μὲν πῦρ ἀέρι, τὸν δ' ἔρωτα ἡ συνήθεια ἐκκαίει, *vt ventus, ignem, sic consuetudo amorem incendit:* si consuetudo conciliat amorem; solitudo dirimet. Sed quia talis macies exsistit præcipuè è mordacibus curis, ego libentiùs talem hîc statuo tropum.

[i] Metonymia est primum pro efficiente, quæ nos inducit in memoriam iniuriæ, quo tropi genere dicit Virgil.

— *Saua memorem Iunonis ab iram.*

Deinde metaphora à præditis mente ad eiusdem expertia.

k Videtur hîc metonymia causæ pro effectis monitis, ac consilijs datis.

l Hoc equidem puto συνεκδοχικῶς sumendum, vt hoc ex oscillo & ore paruo, tanquam ex integro membra quædam alia intelligantur, labra & lingua, quæ inter osculationem non tam morsu læduntur, quàm titillationibus suauiter afficiuntur. Hæc autem oscula, vt hoc ὡς πάρεργον, & extra locum, interijciatur, aliàs sumuntur pro basijs & suauijs, quanquam Donat. Eunuch. Act. 3. Scen. 2. illa sic distinguat, vt prima sint officiorum, altera pudicorum affectuum, postrema libidinum & amorum. Seru. Æneid. 1.

Oscula libauit nata, &c.

Ita distinguit: osculum est religionis: suauium voluptatis. Prioris exemplum est Ode 5. lib. 2.

Fertur pudicæ coniugis osculum.

Posterioris Eunuch. *O Thais meum suauium.* Pro his autem tribus Græci vsurpant τὸ φίλημα, nec distinguunt, nisi ratione partium, quibus oscula diuiduntur, χείλεσι, παρείαις, ὀφθαλμοῖς. Neque verò amantes modò amoris sui testandi gratiâ amasijs oscula figere soliti; sed etiam officij cuiusdam & vrbani cultus indicium fuit, peregrè aut aduenientes aut abeuntes, imò in salutatione & occursu quotidiano obuios quosuis vel modicè dũtaxat quos suauijs excipere aut dimittere. Eiusmodi autem oscula ori, genis & oculis imprimebant. Quamuis etenim manus quoque osculari moris fuerit; eum tamen honorem solis potentioribus, tanquam demissionis notam; & propriè ferè dominis à seruis, delatum constat: neque falluntur, qui à candidatis magistratum ambientibus istud natum autumant. Vilissimi & plus quàm seruilis ritus fuit genua & pedes principũ osculis afficere. Sed de officiosis illis osculis vide Lipsi 2. Electorum cap. 6.

m Quidam statuunt hîc synecdochen finiti pro maxima parte.

n Sumtum à potione Deorum ad mellitam Veneris voluptatem indicandam.

o Translatum quoq; ab infectoribus lanarum.

p Exclamatio admirantis concordiam amantium.

q Synecdoche finiti, pro maximè felices.

Ode XIV. ad Brvtvm.

Theticum.

Brutum dehortatur à prælio redintegrando in Augustum & Antonium, copijs Cassij profligatis.

1a *Nauis, referent in mare te noui*
*Fluctus,*b *ô quid agis? fortiter occupa*
Portum, nonne vides, vt
*Nudum*c *remigio latus,*
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæq; gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Aequor? non tibi sunt integra lintea,
d *Non Dii, quos iterum pressa voces malo.*
2 *Quamuis Pontica pinus,*
*Syluæ*c *filia nobilis,*
f *Iactes & genus & nomen inutile.*
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit. 3 *tu, nisi ventis*
Debes ludibrium, caue.
4 *Nuper sollicitum quæ mihi tædium,*
Nunc desiderium, curaq; non leuis,
Interfusa nitentes.
Vites æquora Cycladas.

Analysis Dialectica.

Poeta, qui aliquando fuerat Tribunus militum sub Decimo Bruto, dissuadet ei bellum renouandum aduersus Cæsarem August. victo iam cornu sinistro, cui præfuerat Cassius, & desperatione rerum sibi ipsi mortem conscíuerat. Argumenta verò huius dissuasionis sunt è loco causarum efficientium & adiuuantium, sed negatorum, petita, & ita disponenda & iudicanda: Cui omnia desunt ad vsum belli necessaria tam diuina, quàm humana, eum summa ope niti decet vt cum hoste pacem sibi constituat: Bruto hæc desunt omnia: (hæc assumtio constat nauis distributione ex adiunctis, vt ipsius membris ad pugnam naualem necessarijs, cuiusmodi sunt mali, remiges, antennæ, funes, naues, vela: has nauigij partes Cicero lib. 3. ad Q. Fratr. sic enumerat: *quid in nauigio tam necessarium quàm latera, quàm carina (aut potiùs guberna pro gubernacula,) quàm prora, quàm puppis, quam antenna, quàm vela, quàm mali, quàm reliqua? quæ tamen hanc habent in specie venustatem, vt non solùm salutis, sed etiam voluptatis causâ inuenta esse videantur.* Item æquor, venti: quæ tamẽ omnia pono in adiuuantibus causis belli naualis hîc desideratis: desideratur etiam fauor Deorum, vt princeps & absoluta causa, θεὸς γάρ τοι ἄτερ Θεῶν, *nihil enim fit sine Dijs*) concilianda est igitur Bruto pax cum hostibus Octauiano & Antonio.

2 Huic complexioni (fortassis dubiæ) respondetur è loco diuersorum: Quamuis L. Iunius Brutus vnus è tuis maioribus hoc publicæ libertatis studio insignis & vindex, oppressorque iustissimus tyrannicæ dominationis Tarquinium Superbum regno euerterit, & Rempub. in libertatem vindicârit: Dij tamen & Nauarchi non tam magnum facinus & memorabile tibi pollicentur.

3 Ad eandem dissuasionem profertur alia ratio ex adiuncta vitæ, fortunarum, & libertatis publicæ iactura, nisi pacem fecerit.

4 Eôdem spectat hæc ratio è loco parium sumta, & ad perpetuum ipsius studium in ducem suum testificandum: Tantum mihi nunc curæ ac sollicitudinis affert salus Reipub. quanto me afficiebat quondam tædio labor militiæ pro vtroque susceptus: ex quo efficere videtur, vt talis sollicitudinis gratiâ Brutus seruet se & publicam libertatem per compositionem, vitatâ ciuili discordiâ.

Hinc ego conijcio Poetam tum hanc Oden cecinisse, quum iam captus in castris Augusti seruabatur, in cuius & Mæcenatis tandem gratiam receptus est postea: Satyrâ tamen 6. lib. 1. nullum talis gratiæ sibi casum facit auctorem:

Nulla

Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, post hunc Varius dixêre quid essem,
Vt veni coràm. cætera vide ibidem.

Enarratio Grammatica.

O Nauis.] Quia hæc Ode perpetuis constat tropis, nihil est, vel certè perexiguum, quod ad Grãmatica pertineat, tantùm monebo legendam esse diligenter vitam Bruti apud Plutarchum & alios Historicos de prælio Philippensi inter Augustum, Brutum, & Cassium commisso.

Occupa portum.] Portus à Iurisconsultis definitur locus conclusus & tutus, quò importantur merces, & inde exportantur: eaque nihilominus statio est conclusa & munita. Itaq; valet, sta in tuto, nec te committe ventis & æstui in alto. Seru. 2. Æneid.

Nunc tantùm sinus & statio male fida carinis:

Distinguit ita stationem & portum, vt illa sit, vbi naues ad tempus stant, & plagia dicitur: hîc verò vbi hyematur.

Nudum latus.] Id est, cornu sinistrum defensoribus destitutum. Est enim remigium in defectu venti secundi, velut auxilium Triariorum laboranti aciei in terrestri pugna est.

Africo.] De hoc vento repete annotationem in primam Oden.

Antennaq;.] Antenna est lignum in summo malo situm per transuersum, vnde vela dependent: Isidorus tribuit huic voci etymon, quod tribuendum fuerat turrigeris Antemnis, vrbi Italiæ benè muratę, & dictæ, quòd amnis eam præterfluit, & quasi ante amnem positæ: affinitas vtriusque vocis Antennæ & Antemnæ, hunc etymologicum fefellit & eum arguit non intellexisse Seruium in Æneid. 7. ad vers.

Ardea Crustumeriq;, &c.

cui surripuit omnes ferè suas Origenes, quòd illa pauca Seruiana, quæ habemus, satis indicant: vt verbi gratiâ est descriptio mali in vers. 487. Æneid. 5.

Ingentiq; manu malum de naue
Sergesti.

Quòd autem aliquis hîc diceret Antennas sic ante mare poni, vt illam vrbem ante fluuium per metaphoram, nescio cui probari possit. Inferior autem pars mali πέρνα, media πάχνη, summa κορυφή. Antenna quoque dicitur κέρας· quam quidem vocem Lucan. lib. 8. & 10. fecit Latinam, vt Valerius Flac. lib. Argonaut. Ceruchum, pro qua Virgilius dicit cornua, Græcè dicitur τὸ κέρας καὶ ἡ κεφαλή, & coniunctione mali & Antennæ ἰσοκεφαλία. Sicut κεράχος γίνεται παρὰ τὸ κέρας καὶ τὸ ἔχειν. id est, *quod habeat cornua.*

Gemant.] Hoc verbum propriè sumitur in hac sententia Cic. pro Planco: *Iſtam virtutem veniet tempus, quum grauiter gemes & lugebis:* hinc ad inanimata transfertur: vt gubernacula, naues, cymba nimis onusta dicuntur gemere. Alieno quidem loco hoc dicitur, sed quia tota Ode est allegorica & paulò ab hoc diuersa, nihil penè hîc separatim relinquitur Grammaticum.

Durare.] Hoc verbum μεταβατικῶς ἢ ἐνεργητικῶς sumitur pro perferre & sustinere impetum: ita Plautus in Pseud. *cor dura*, pro animum obfirma: sic Satyr. 4. lib. 1.

Durauerit ætas
Membra animumq; tuum.

Ita Seruius explicat vers. Æneid. 8.

Vitam oro, patiar quemuis durare laborem.

durare, inquit, est sustinere, & hunc locum citat. aliâs ἀδιαθέτως, neutro modo, absolutè & per se, vt Adelphorum Act. 4. Scen. 2. vbi Syrus seruus verberatus loquitur, *Non, hercle, hîc quidem durare quisquam, si sic sit, potest,* id est, permanere & perseuerare in domo Demeæ.

Carinæ.] De carina dictum est in Grammaticis Od. 4. huius libri.

Imperiosius.] Id est, mare multò vehementius, quàm illi resistere possis. Post *quamuis* intellige *tu nauis existes pinus.* id est, è pinorum lignis facta, vel ex earundem arborum pice illita & picata iactes &c. Quod autem Ode 1. huius lib. dictum est, insulam Cyprum, ac præcipuè vrbem eiusdem Temessam εἶναι χαλκοφόρον, id est, esse æriferam, idem hîc dicendum videtur, πᾶν πολυπαγὴς χώραν εἶναι πιτυόεσσαν, id est, *ponticam regionem esse piniferam:* vnde naues picatæ atque pice illitæ vocantur: quomodo Eclog. 4. *nautica pinus:* vbi *P. Ramus* notat metalepsin duorum troporum.

Puppibus.] Puppis & prora sic dicuntur à partibus nauis, illa quidem à posteriori, hæc à priori vt Isidorus tradit. Et certè vox hęc vtraq; videtur è Græco fonte fluxisse, si notis Eustathij credimus. Ille quidẽ in vers. Ιλιαδ. β. τῷ δ' ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι id est, *Huic autem simul naues sequebantur duodecim rubris proris* διὰ μίλτου τὰ τῶν νεῶν ἔμπροσθεν βάπτειν τὰ εἰς ὀφθαλμόν: ἅπερ πρῷραι λέγονται, ὡς ὂν τὸ πρόορᾶν, χρωζόντων τῶν δύο τοῦ εἰς ῳ μίγα. i. e. *anteriores nauium partes inficiuntur minio ad ornatum; quæ prorę dicuntur, tanquam à prospiciendo, commixtis duobus paruis o in ω longum:* si etiam credimus notis posteribus eiusdem interpretis in Ιλιαδ. Ε. vbi cędes Pandari memoratur. πρυμνὸν δὲ ἔχαπον, ὡς ἀπὸ τοῦ πέρας, πρῶ, πρύω, πρυμνὸν καὶ ὃν συγκοπῇ πρυμνόν· ἔστιν καὶ νηὸς πρύμνα, βαρυνομένου αὐτοῦ πρὸς διαστολὴν τοῦ πρυμνὸν ἐχέτω. id est, *sed prymnon sonans extremum (dicitur) tanquam peras, id est, finem & termino, as, finitum & terminatum per syncopen: vnde nauis etiam puppis grauitona ad distinctionem τοῦ πρυμνὸν sonantis extremum.*

Tu, nisi.] Si vis te, fortunasque tuas & libertatem Reipublicæ seruare, ne te ampliùs credas temeritati, fortunæ, nisi velis naufragium facere, ventisq; ludibrio, i. e. esse turpiter vinci. Syntaxis autem est, tu Brute, caue redintegrare prælium nisi fato es destinatus ludibrijs aliorum ducum.

Debere ludibrium.] Gall. *si tu ne veux que les vens se mocquent de toy.* Phrasis est autem è Græca deprompta, vt in nebulis Aristoph. Εἰπερ τὸν ἄνδρ' ὑπερβαλεῖς καὶ μὴ γέλωτ' ὀφλήσεις, *si quidem virũ vinces, nec risum debebis.* Item Chrysostomus, ποσῷ τῷ πλείω τὴν γέλωτα ὀφλισκάνουσι παρ' ἡμῶν, *tanto maiore irrisione digni à nobis judicantur,* sic ὀφλισκανειν ἄνοιαν καὶ μωρίαν. Demosthenes dicit Olynthiacâ primâ, quod est in crimen amentiæ & stultitiæ delabi. Lucianus dicit γελοῖα πάσχειν. id est, *ludibrium pati.*

Nuper sollicitum.] Tu Brute μοι μικρῷ βάρος καὶ προσκλὴς, νῦν δ' τὴν σκέθρον ἐπιῶν, id est, *mihi magno tædio fuisti,* quum sub te pugnabam pro Reip. libertate: nunc verò dum absum, curâ me & desiderio conficis. Itaq; vita pericula & ciuiles discordias: quidam tamen referunt τὸ *nuper sollicitum tædium* ad id tempus, quo Cæsar victo Pomp. summam Reip. singulari dominatu tenebat. Est autem hîc oratio Elliptica, sic explenda: tu, o nauis, quę mihi eras nuper tædium sollicitum, & nunc es desiderium & cura non leuis, consulo tibi, vt vites, &c. Vnde manifestum est τὸ *nuper* non de momentis & horis, sed de diebus & mensibus dici, sicut tradunt Grammatici: quare Donat. inter eos Eunuch. prolog. ad tempus huic aduerbio certum attribuendum, hoc annotauit. *Nuper ex illis verbis est, quæ veteres propter ambiguitatem cum adiectione proferebãt: nam nisi adderet nunc nuper: hoc nuper, olim, pridem & iam significasset:* valet igitur hic paulò antè & memoriâ recenti, quòd Græcè dicitur ἄρτι, ἀρτίως, καὶ νεωστὶ, aut προσφάτως, ἐξ ὑπογυίου, πρὸς μικρῷ, *è propinquo, & ante paruum tempus.*

Inter fusa Cycladas.] Cyclades Insulæ dicuntur Plin. l.4.c.12. quòd sitæ sint in orbem, qui est Græcis κύκλος, quarum nomina lege ibidem & apud Melam. lib.2. & Strabo. Diomedes notat in hunc locum Virgilij & in Scholiis Eustathij in Periegesin Dionysij ad vers. Δῆλόν ἐκυλώσαντο, &c. Seru. dissentit à Plinio in ratione Cycladicæ notationis, quum scribit in vers. Æneid.3.

Sparsasq; per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.

sparsas, ait interpres, quia nullo continentur ordine, vt Stœchades, quæ ἀπὸ τῆς στοίχου, i.e. à serie ac dispositione, ideoq; rectæ sunt: Cyclades verò non ideo dicuntur, quia in rotunditate sunt: sed quòd longo ordine eas circumire necesse est, vel propter promontoria, vel quia naturale est, vt concitatiora sint maria vicinitate terrarum, quas constat quendam ex se anhelitum emittere. Hîc equidem suspicor Seruium deceptum, qui Stœchadas, quæ sunt insulæ maris mediterranei ab ora Ligurum ad Malliam vsq; dispersę, acceperit pro Sporadas, quæ sunt Eustathio non procul à loco suprà citato insulæ, vt Cyclades in Ægæo, cum ob alias fortasis causas, tũ vel maximè propter discrimen Cycladum: nam illæ nõ sibi locum habent definitum, sed velut passim dispersæ sunt. Diomedes notat in hunc locum Virgil.

Vrbs antiqua fuit Carthago Italiam contra,

esse Anastrophen, i.e. inuersionem præpositionis, pro, contra Italiam, i.e. è regione: sed quum præpositiones, coniunctione faciunt vnum verbum & rectionem seruant, non ego dixerim tum esse Anastrophen: quam fortasse quidam hîc agnoscunt propter verbum interfundo inusitatum, præterquam in hoc deriuato.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile Ode 5.

[a] Quanquam magna est controuersia inter Rhetoras & Interpretes de ratione huius allegoriæ intelligenda; non equidem tamen diutiùs immorabor opinionib. illorũ inter ipsas conferendis & ponderandis: siue enim ad Remp. siue ad Sextum Pomp. siue ad Brutum illam referas, nihil intererit ad rationem tropi continuati. Sunt enim vbique perpetuæ metaphoræ, quarum, sicut reliquorum troporum, cõcursu allegoria conficitur, quam Quintilianus interpretatur inuersionem. Sed hęc interpretatio vim & naturam continuati tropi nõ satis exprimit. Quum igitur allegoria sit continuatio cuiuslibet tropi; quam Rhetorica Taleį perspicuè & distinctè per singula troporũ genera tractant; ex ratione tropi definienda est; ex quo constat. Hæc autem fit ex perpetuis metaphoris: definiatur ergo vt metaphora, quæ est tropus, quum è simili simile significatur. Neque hæc tropi continuatio nomen inuenit ἀπὸ τοῦ ἄλλο ἄγειν, vt nonnulli putant, *quod aliò ducat*: sed ἀπὸ τοῦ ἀλλοδοξεῖν ἄλλο, καὶ τὸ καταγγέλλειν ἄλλο: *quòd aliud dicat, aliud intelligat*. Atque vt me breuiter explicem è tanta continuatione translatorum verborum, quæ reprehenditur à Cicer. de Oratore 3. vt ea, quæ dicemus intelligantur, non productis ijs, quæ similitudinis causâ ex aliis reb. transferuntur, i. non nimis longâ allegoriâ, sunto hæc: nauis, fluctus, mare, portus, latus, malus, Africus, antennæ, funes, carinę, æquor, Imperator, lintea, Pontica pinus, filia Syluæ nobilis: sunto, inquam, hæc modificata ad significandum Brutum, nouam discordiam ciuilẽ, bellum, pacem, Cassium mortuum, exercitum vulneratum, pugnam crudeliter cõmissam, vexilla, rectores militum, aciem, turmas, acre prælium, integra agmina, auxiliũ è Ponto, nauale, progeniẽ ex L. Iunio Bruto, matrem Seruiliam sororem Catonis Vticensis.

[b] Exclamatio est admonentis.

[c] Duplex est tropus: prior effecti pro remigibus: alter Synecdoche singularis pro remigiis.

[d] Anaphora est. In *Dijs* est synecdoche generis pro Neptuno, Æolo, Castore, Polluce & Venere maris potentibus; quorum imagines, vt aliorum tutelarium in excelsum aut proræ aut puppis collocabãtur, tanquam in Lararium, & sacrarium.

[e] Metaphora ab animantib. pro arbore nata in sylua Pontica copiosissima. [f] Procatalepsis, vbi occupatur à Poeta, quod Brutus obijcere posset, subtidiũ fore sibi. Est præterea in *iactare* metaphora à corpore, vt iactare caput, brachia, collum, &c. ad animum, vt iactare ingenium, virtutem, genus & proauos, pro gloriâ & prædicatione efferre, magnificè laudare & ostentare.

Ode XV. Vaticinium Nerei.

Theticum.

Ode est excidij Troiani prænuncia, vbi Nereus Deus marinus inducitur prædicens Paridi, ex violato iure hospitalitatis Lacedæmone exitium Troiæ futurum.

[a] *Pastor quum traheret per freta nauibus*
Idæis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, vt caneret fera
Nereus fata: [2] *malâ ducis* [b] *aui domum,*
[2] *Quam multo repetet* [c] *Græcia* [d] *milite,*
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
[3] [e] *Eheu quantus equis! quantus adest viris*
Sudor! [f] *quanta moues* [g] *funera Dardanæ*
Genti! [4] *iam galeam Pallas & ægida*
Currusq; & [h] *rabiem parat.*
[5] *Nequicquam, Veneris præsidio ferox,*
Pectes cæsariem: grataq; fœminis
Imbelli citharâ carmina diuides.
[6] [k] *Nequicquam thalamo graues*
Hastas & calami [l] *spicula Cnosij*
Vitabis, strepitumq;, & celerem sequi
[7] *Aiacem: tamen heu serus* [m] *adulteros*
Crines puluere collines.
Non [n] *Laertiaden exitium tuæ*
Gentis, [o] *non Pylium Nestora respicis?*
Vrgent impauidi te Salaminius
Teucerq;, Sthenelus sciens
Pugnæ: siue opus est imperitare equis,
Non auriga piger: Merionem quoq;
Nosces: ecce furit te reperire [p] *atrox*
[q] *Tydides melior patre.*
[8] *Quem tu, ceruus vti vallis in altera*
Visum parte lupum, graminis immemor,
[9] *Sublimi fugies mollis anhelitu,*
Non hoc pollicitus tuæ,

[10] *Iræ*

10 Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisq; Phrygum[r] classis Achillei.

Post certas [s] hyemes vret [t] Achaicus
Ignis Iliacas [u] domos.

Analysis Dialectica.

1 EX hac prædictione πᾶν ἐνάβατον, id est, mali consequentis, Nereus videtur restitutionem Helenæ persuadere velle: cuius vatis personam sic Poeta adumbrat priùs quàm imponat, vt in hac vaticinatione adhibeat diligentem præparationem: in qua statuimus partem carminis priorem, quæ constat præcipuè ex descriptione Paridis, facto Nerei & fine, vt positis vētis stratoq; mari, faciliùs carmen audiretur & à nauigante Paride meliùs intelligeretur. Quod autem Helena vi nō sit abducenda, ex efficiente, nisi mauis ad augurium, vt ad testimonium diuinum referre argumētum, sic demonstratur & iudicatur: Quicquid Dijs hominibusq; improbantibus fit, infeliciter auctori cedit: raptus huius mulieris fit per vim: Paridi igitur malè cedet & futurus est exitio & regno Priami & coniugio vtriusque. Vis propositionis & assumtionis, quia tam Dijs & hominibus nota erat, quàm quod notissimum, prætermissa est. Ideò vates in complexione, parte altera carminis, illustranda præcipuè insistit.

2 Huius raptus effecta sunt, quòd ille nobilitatem totius Græciæ in Paridem & Priamum concitaturus sit, & armaturus: quæ postea coniurabit de rescindendo vetere Priami regno.

3 Alia sunt eiusdem causæ eventa, vnde cogentur tam homines, quàm bestiæ infinitos & duros labores subire, & populus Troianus extrema pati omnia.

4 Neq; solùm valebit raptus ad hominum concitationem, sed etiam ad Deorum animos tibi infensos & inimicos reddendos, vbi quædam latent diuersa.

5 Nereus respondet obscuræ spei, & exspectationi cæcæ, è qua suspensus & incertus Paris videbatur pendere, præsens & certum ipsi exitium impendere, nihilque eidem propugnacula & præsidia Veneris profutura, nihil etiam thalamum aduersus tela Idomenei, & celeritatem Aiacis Olei profuturum, quæ sunt argumenta è loco adiunctorum.

6 Argumentum est è diuersis: Non vitabis nec declinabis petitiones & ictus sic iaculantiū & persequentium, sed concides tandem aliquando, licet serò.

7 Rursus deterret Paridem à flagitio è subiectis, quòd ipsi res futura sit cū fortissimis hostib. atq; decertādum cum septem principibus, quorū Aaiax, Vlysses & Nestor maximè sunt gnari prudentissimiq; rei cuiusliber prouidendæ feliciterq; administrandæ: quatuor autem reliqui Teucer, Sthenelus, Meriones, Diomedes virtute incredibili exercitationeq; in armis.

8 Formidinem Paridis, quâ percelletur conspecto Diomede, declarat comparatione similium valdè illustri: nihil enim ceruis, damis, leporibus videtur timidius & fugacius viso lupo vel leone.

9 Hic est apodosis cōparationis explenda: Sic Paris fugiet visum Diomeden: ob turpitudinem talis fugæ obiurgatur ab Hectore, Ιλιαδ. 5.

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε γυναιμανὲς, ἠπεροπευτὰ.

Infelix Pari, forma præstantissime, effeminate, deceptor.

& approbatur ex adiuncta interclusione spiritus & animæ orta ex implacabili terrore & cursu concitatiori. Vnde illud Helenes consilium apud Ouid. planius fiet.

Apta, magis Veneri, quàm sunt tua corpora Marti:
Bella gerant fortes: tu Pari semper ama.

10 Postremò prænunciat extremam Troiæ ruinam productum iri ad annum vsq; decimum, cuius quidem dilationis ira pertinax Achillis causa futura est, quæ videtur hic clarius per rationem diuersorum enuntianda, expletis hic illorum notis quanquam excidium Troiæ propter discordias Principum aliquot differatur annos, tamen vrbs excideturtandem, completo passerum numero, id est post decennium augurio Calchantis.

Enarratio Grammatica.

1 *Pastor.*] Hæc appellatio nos videtur remittere ad somnium Hecubæ, quod ipsi, dum Parim in vtero gestaret, accidit, sibi visum fuisse, sicut Tull. de diuinat. scribit, per somnium parere ardentem facem, quo somnio perculsus Priamus Apollinem consuluit, vt doceret, quid illud portenderet: respondit Apollo: puerum, qui post illa tempora nasceretur, exitio fore Troiæ & Pergamo, si eum nutriret. His addūt auctores cæreri, Priamum mandasse seruis, vt simul atq; infans editus esset in lucem, eū statim exponerent in Ida primis quibusque feris ad prædam: sed matris φιλοστοργίᾳ seruatum clàm & traditū cuidam pastori in nutritionem cum ipsius liberis. Quid autem grandi iam ætate progressus fecerit, discè è li. 1. Herodot. & veritatem fabulæ è libell. D. Chrysost. ad Ilienses: vbi dicitur Paris Helenam legitimè accepisse à Tyndaro in vxorē, atq; Græci nullâ iniuriâ lacessiti feruntur bellum Troianis intulisse, sed prædandi spe, & pressi summâ victus inopiâ in Græcia direptionem Ilii frustrà tentasse: quæ omnia ex diametro pugnant cum Homero. Ille priùs cognomen sibi inuenit, sicut Grammatici docent, ὅτι τὸ παρῆνεν, quòd mortem præterierit: posterius verò, Ἀλέξανδρος ὅτι ἀλέξει: quod verbum si διαβατικῶς accipias, vt in ἀλεξίκακος καὶ ἀλεξιφάρμακον, depellens malum & venenum; dicitur à propulsandis viris: si verò sumas ἁπλῶς; ab ijdem iuuandis.

Traheret.] Aptissimo verbo vtitur ad vim raptionis notandam.

Heleuen.] De cuius genere dictū est in Grammaticis Od. 3. *Ingrato otio.*] Dixit, quia ventos quiescere est contra illorum naturam, ideò displicet eis otium.

Obruit ventos.] Idē valet, quod illud prius, *strauit ventos*, & vim flatuum represit, & mare solutum pace ventorum, Gallicè *Il a rendu la mer calme.*

Cancret fata.] Id est, vaticinaretur & prędiceret. Senī notat statim initiò Æn. 4. Hoc verbum esse sermonis polysemi, id est, multa significantis: aliàs laudo, vt Od. 2. *Semideos reges q; canit, &c.* aliàs diuino, as, vt hîc: aliàs canto, vt Od. 11. 3.

Mouit Amphion lapides canendo.

Nereus.] Hæc persona fingitur appositè ad hanc vaticinationem: vbi perspicimus ex Hesiod. illius descriptionem in Theogonia.

Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο πόντος·
Πρεσβύτατον παίδων ἀτὰρ καλέουσι γέροντα
Οὔνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια μήδεα οἶδεν·

Pontus procreauit Nereum mendacii nescium, sed veracem natu maximum filiorum: ideò autem senem vocant, quòd non aberrat à dicendo & placidus est, neq; est æqui immemor, sed iustè & placidè consulere nouit. Vbi paulò antè dixerat sterile pelagus genuisse pontum: vnde pro mari sumitur à Callimacho εἰς διὰ χεῦμα συμφέρεται Νηρῆι· Fluuius defertur in mare, & ab Ouid. in Epist. Deianiræ:

Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Quà latam Nereus cærulus ambit humum.

Apollodorus quoque de Nymphis Nereum (quem ta-

men,nõ vt Heſiodus Tethyos, ſed Terræ filium fuiſſe memorat) vaticinationis peritum facit: ideoq́ue nihil eſt neceſſe pro hoc reponere Protea è lib. 2. Herodoti eâdem facultate præditum: vt Glareanus videtur legere velle. Quid appoſitius poteſt fingi ad perſuaſionem huius prædictionis? hic antiquitatis nomine Orpheo celebris eſt in Argonautis & à Virgilio grandæuus vocatur, & ab Euſtathio in Iliad.α notatur, ſicut νῆσυ,καὶ ναῦς καὶ νῆσος· à νέειν, νήσειν· *anas & nauis,inſula ab innatando & immergendo*, vt *auis* ſequens ab incerto viarum tenore, *quaſi per auia volitans.*

Malâ aui.] Sic Homerus Iliad.α.

— μηδέ μοι οὖτε
Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλοι·
Ne ſis ipſa mihi in ædibus auis mala.

De ratione auſpicij faciendi ab aui & alite dicetur Od. 27.l.3. Sic ipſe Ode 6. & ſæpè alibi, vſurpat alitem pro omine infauſto,inauſpicato. Dicitur autem *auis*, vt alibi *claſſi*, pro aue & claſſe.

Coniurata.] Sic Virg.cum infinito iungit *fratres coniurati cælum reſcindere*: ſed Orator dicit pro Milone,coniurare de interficiendo. Salluſt. tamẽ dicit in oratione M.Catonis: *Coniurâre nobiliſſimi ciues patriam incendere.*

Funera] Pro hoc Virgilius dicit, *ſæua dare funera cogitat*, pro, interitum afferre. Hanc vocem Seruius in verſ. Æneid.1.

Incenſi,& noctem flammis funalia vincunt.

Sic notat: funera dicuntur, quòd funes incenſos mortuis præferebant.

Genti Dardanæ.] Primigenium eſt vocabulum pro declinato, & ab eo orto, Dardaniæ, cuiuſmodi in hoc Poeta poſsis multa obſeruare.

Pallas.] Quia hæc Dea creditur præſes pudicitiæ, & caſtitatis, dicitur etiam vindex flagitij & iniuriæ.

Aegida.] Ægis Seruio in hoc verſ. 8. Æneid.

Aegidaq́; horrificam turbatæ Palladis arma.

eſt munimentum pectoris æreum, in cuius medio caput Gorgonis erat: propria tamen ſignificatio eſt pellis caprina,quâ fingitur Iupiter indutus: quòd nutritus fuiſſet ab Amalthea capra, ideò ſæpè Homero eſt αἰγίοχος, ἀπὸ τῆς αἰγὸς καὶ ὀχῆς· *quia capra eum aluit*, vel ἀπὸ τοῦ τὴν αἰγίδα ἔχειν, *quia tenet & geſtat* αἰγίδα, id eſt, *loricam.*

Nequicquam Veneris.] Hic locus ſumtus eſt ex Iliad. γ. ad hunc verſum:

Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τότε δῶρ' Ἀφροδίτης,
Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.

Non tibi proderit cithara, neq; dona Veneris, neq; coma, neq; forma, quum in puluere miſtus iacebis. Vtriuſq; Deæ ita Iupiter Iliad.ε. diſtinguit munera:

Οὗτοι, τέκνον ἐμόν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα.
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο·
Ταῦτα δ' Ἄρηϊ δῶκε, καὶ Ἀθωὴ πάντα μελήσει.

Non ſunt, mea filia, permiſſa tibi bellica munera. Quin tu tracta grata opera nuptiarum, hæc autem Mars celer & Pallas curabunt omnia.

Ferox.] Non ius diſtinguit ferus à ferox, vt illud de ſæuitia, hoc de fortitudine. Itaque non eſt Epithetum immanitatis & crudelitatis, ſed animi magni, acris & elati, vt *ferox miles*, ſuprà Ode 6. Item Ode 32. infrà, *ferox Alcæus*, dicitur: *ferox Latium* Ode 35. *Roma, Hector:* vnde Cicero geminat: *ferocem & arrogantem facit indulgentia:* Item, *infirmitas eſt puerorum: ferocitas iuuenum: grauitas conſtantis iam ætatis.* Hic tamen auctor Medeam appellat ferocem in Epiſt. ad Piſon. cuius nota eſt crudelitas in fratrem, in patruum viri & filios, nec minùs illa Catilinæ & conſciorum coniurationis ex oratione M.Catonis in Salluſt. *Quantò vos attentiùs de Publ. Lentulo atq; de cæteris deprehenſis ſtatuetis: tantò coniuratis omnibus animus infirmior erit: ſi pauſillum modò vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt.* Hìc tamen debet τὸ *feroces* explicari, quibus fient animi maiores impunitate captorum: ſic equus ferox dicitur generoſus 4. Æneid.

Fœminis.] Fœmina ereditur dicta à fœtu procreãdo.

Citharâ imbelli.] Id eſt, neſciâ belli & ad bellum ineptâ: quæ nihil bellicum ſonare poteſt, ſed omnia pacifica & voluptaria: ſic lib.7. de legib. apud Platonem: Σπόλεμος Μοῦσα. Cithara autem ἐν τοῖς ὀργάνοις τίθεται, quæ fidium intentione pulſata ſonant, eamq́; Cic. de natu. Deo. à forma dictam ſcribit; ab ea pectoris, credo, quæ eſt carinata, & ob id ab Hippocrate cithara vocata. Huius etymon notabitur Ode 24. proximè ſequenti ex Euſtathio in Ιλιαδ.Γ. ſub initium; vnde videtur hic locus depromtus: qui verſus ſic incipit,

Οὐκ' ἄν τοι κίθαρις &c. id eſt,
Non tibi profuerit citharæ.

Quæ verba ſunt Hectoris Paridem obiurgantis.

Carmina diuides.] Diuidere carmina eſt aptè neruos pulſare & modulatè ita canere, vt cantus in gratiam ſingularum mulierum diſtribuantur: vbi quædam videtur alluſio ad metrum: quod ὁ ῥυθμὸς τὸ μείρεσθαι, τὸ μερίζεσθαι, dicitur à diuidendo.

Thalamo.] Thalamus vox eſt Græca, aliter dicta ὀνυμφών, ῶνος, cuius propria notio eſt Scholiaſtæ Pindari ἐδδει. 1. Ὀλυμ. ſic deſcripta: Θάλαμος κυρίως ἐστὶν οἶκος, ἐν οἷς κατακλίνονται αἱ νυμφευόμεναι, ὅτε θάλλουσι τῇ ἡλικίᾳ συνέρχονται γάμῳ· καταχρηστικῶς δὲ νῦν ὅλας τὰς οἰκίας, θαλάμους εἶπεν ὁ Πίνδαρος· id eſt, *Thalamus eſt propriè domus vbi includuntur nuptæ, quum ætate florentes* (quod aliter dicitur Græcè: πέπειροι, ἀκμάζουσαι, ὀργῶσαι πάρθενοι· *maturæ, florentes ætate & viri appetentes*) *virgines connubio iunguntur*, (inde conflatur ὀπιθαλάμιον ἆσμα, quod idem valere nonnulli putant, atq; ὑμέναιος τοῦτ' ἔστι Euſtathio in Iliad. σ. ſub finem ad Hemiſtichium: Πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει· *magnus ille multus excitatus eſt.* Quanquam hîc, ἐχρημάτισε δὲ τὸ πολὺς ὑμέναιος, ὡς τὸ πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει· *translatum eſt hoc ad ſtrepitum indicandum*, vt interpretatus ſum. Definitur autem ὑμέναιος à Scholiaſte, γαμήλιος ᾠδή. fitq́ue dictio hæc ab ὑμὴν, quòd perinde ſonat Polluci atq; ἀείδειν, vel ᾠδὴ τὸ ὁμοῦ ναίειν τὰς νυμφίους, quòd ſimul ſponſi habitent. Reliquum ſcholiorum conuenit cum annotationibus Don. Adelph. Act.5. Scen.7. & Seruij ſub finem Æneid. lib.1. *ad inconceſſos hymenæos, &c.*) *per abuſionem autem*, id eſt, per Synecdochen ſpeciei pro genere *nunc Pindarus appellat omnes ſimul domos: ὅταν ἅλσος θαλάμων φασὶ τὸ πλῆθος τῶν οἰκιῶν τῆς ἄστεως τῆς πόλεως· quum nemus thalamorum dicit multitudinem ædium, hoc eſt, ipſam vrbem.* Euſtathius autem hanc vocem deflectit ᾠδὴ τὸ θάλαπτω, quòd illic coniuges velut calefiant & foueantur. Valeat igitur ratio Iſidori à Thalamone duce declinãtis, quæ vim non exprimat dictionis. Transfertur etiam ad cellas apium à Virg.4.Georg.

Poſt vbi iam thalamis ſe compoſuêre.

Cnoſſij.] Cnoſſos vel Gnoſsia fuit vrbs Cretæ & regia Minois, vbi naſcebantur calami apti ad ſagittas conficiendas.

Celer ſequi.] Celeritas Aiacis eſt in tribus poſtremis verſibus Iliad.ξ. Helleniſmus eſt Poetæ vſitatus. Dicit enim poſtea Ode 12. lib.3. *Celer excipere aprum.* & Od.6. l. 4. *Celeremq́; pronos vertere menſes*, & Epiſt.20. l.1. *iraſci celerem*, pro quo orator diceret, celer ad perſequẽdum, excipiendum, vel in perſequendo. Græci dicerent: ταχὺς ἀκολουθεῖν ἢ ὀξὺς ἐπιδιώκειν, ἢ δεινὸς δρασκῆναι ἐπὶ ἀκολουθῶν. Eſt autem celeritas in pedibus, vt vis in manibus.

Tamen heu.] *Tamen* aduerbium hîc temporis, pro tũc vel tandem, non diſcretiua coniunctio.

Seruus collines.] Græcè ὑψηλολοφεῖς τὰς πέτρας αὐτῆς. Eſt autem

autem Antimeria pro ſerò, de quo genere phraſeos dictum eſt in Grammaticis Odes 2. *Collinere* hic eſt polluere, pollues tuos crines luto.

Crines.] Propriè ſunt mulierũ, qui diſcernuntur vittis, & Feſto dicuntur ἀπὸ χρίσεως, à diſcretione, διαχρίσεως. Cæſaries autem eſt virorum, à cædendo, vt ipſos decet.

Laertiadem.] Patronymica, *Laertiades, Menœtiades, Talthybiades*, non habent τὸ α in penultima redundans, vt reliqua in des, à rectis in ιος, hoc eſt ius, ſed naturale: neque enim quod ad primũ attinet, ſolùm dicitur Laertes, ſed etiã Laertius apud Sophoclem, vt annotat Euſtathius initiò Iliad. α. pag. 10. & 11, editionis Baſil. anno 1560. Εἰσὶ δέ τινα εἰς δης παρωνυμικὰ φύσει τὸ α ἔχοντα ἐν τῇ παραληγούσῃ, οἷον τὰ ὀκ τῆς διὰ τὸ ιος χωρὶς ὀνομάτων, Ταλθύβιος, Ταλθυβιάδης, ἕ παρώνυμοι οἱ παρ' Ἡροδότῳ Ταλθυβιάδαι, Μενοίτιος Μενοιτιάδης, Λαέρτιος Λαερτίης Λαερτιάδης· διαφορεῖται γὰρ τοῦτο καὶ ὁ μόνον Λαέρτης λέγεται· ἀλλὰ καὶ Λαέρτιος, ὡς δηλοῖ καὶ Σοφοκλῆς· *Sunt præterea quædam patronymica in Des, quæ naturâ habent α in penultima, vt propria nomina quæ desinunt in ius, vt Talthybius gignit Talthybiades, de cuius nomine dicuntur apud Herodotum Talthybiadæ, vt à Menœtio, Menœtiades, ſic Laertius, Laertiades: diuerſum eſt enim hoc nomen, nec ſolùm Laertes dicitur, ſed etiam Laertius, vt apparet è Sophocle.* Vide plura de ratione Patronymicorum ibidem. Neſtor dictus eſt Pylius à Pylo vrbe Peloponneſi occiduæ. Hoc autem diſtinctionis gratiâ cõſultò addendum putaui: quia in eadem regione Strabo ſcribit duas eiuſdem nominis vrbes eſſe ſitas. Quis autem fuerit *Neſtor*, diſce ex deſcriptione ipſius Ιλιαδ. Α. de Teucro notas reuiſe in oden 7. & de Sthenelo Campanei filio lege Ιλιαδ. Δ. verſ.

Τὸν δ' υἱὸς Καπανῆος ἀμείβετο κυδαλίμοιο, i.
Ei autem filius Campanei reſpondit illuſtris.

Reſpicis.] Verbum hîc eſt conſiderationis; non commiſerationis, vt ſæpè aliàs, & maximè in Heauton. *Non te reſpicis.* & 1. Epiſt. Ouid. *Reſpice Laertem.*

Sciens pugnæ, &c.] Interpretatio eſt verborũ Phœnicis Ιλιαδ. τοῖα ad Achillem per ſyntaxin vtrobique ſimilem adiect. partic.

Ἦμαλι τοῦτο σ' ὀκ φθίης ἀγαμέμνονι πέμπε
Πήτοος, ὄπω εἰδὼς ὁμοίϊα πολεμοιο, id eſt,
Die illo, quando te ex Phthia Agamemnoni miſit
(Peleus) infantem, nondum ſcientem & peritum prælij
omnibus æque pernitioſi.

Imperitare equis.] Id eſt regere bellatores equos & currus quadriiugos. Gallicè *Conduire*, vt legionibus & gentibus imperitare. Saty. 6. l. 1.

Reperire.] Gall. *Il en rage qu'il ne te trouue pour te perdre.* Non eſt hîc verbum fortunæ, vt lib. 1. Metamorph. *Tu non inuenta reperta es, &c.* ſed conſilij & propoſiti, vt notat Don. in Hecyr. Act. 1. Sce. 1. verſ. 1. *Perpol quàm paucos reperias meretricibus &c.* Non reperitur, niſi quod quæritur. Non quæritur, niſi quod præſto non ſit. Locus autem hic videtur deſumtus Mureto è Phœniſsis de Etheocle & Polynice, qui, vt ipſemet interpretatur in variis lectionibus, τὸ μῦρῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰέναι δόρυ· *haſtam furentes mittere alter in alterum:* ſic lib. 1. Metamor. *Manus impia ſauit exſtinguere nomen Rom. Cæſareo ſanguine.*

Nerionem &c.] *Homerus* hunc facit parem *Marti* virtute bellicâ, ad verſ. Ιλιαδ. β.

Μηριόνης τ' ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ, i.
Merionesq; æqualis Marti virorum interfectori.

qui cur niger dictus ſit ode 7. huius lib. vide ibidẽ cauſam. hîc τὸ *noſces Nerionem* videtur interpretatio verſus Ιλιαδ. σ. de *Achille*,

——ὁρμηθεὶς σὺν τεύχεσιν ἠὲ νύπος αὐτὸν
γνώσεται, i. *Impetu facto cum armis, probè quis ipſum cognoſcet.* Id eſt, experietur ſuo malo: quod poſtea ode 7. libr. 2. exprimetur per verbum *ſentiendi.*

Atrox.] Hæc vox declinationẽ habet à Græca ἄτρωξ, quæ valet ἀτρώξιμος ἢ ἄτρωκτος, *qui non eſt veſcus & edulis, ſed crudus & acerbus*, vt Non. explicat illud Næuij: *Atrocia protecerunt exſta miniſtratores*, i. *cruda*, ὠμὰ τὸ βρῶσιν.

Tydides melior patre.] Fortitudo Diomedis ita celebratur à Virgilio lib. 1. Æneid.

——ô Danaũm fortiſſima gentis
Tydide, vbi, quamuis laudis bellicæ locum Achilles primum inter Græcos tenuerit, Aiax ſecundũ, Diomedes tertium: huic tamen tribuitur primus; quod quidam referunt vel ad rationem Gentis: quia primus fuit Theſſalus, ſecundus Græcus, tertius Danaus; vel ad imitationem Homeri; à quo paſsim appellatur Διομήδης ἴσος καὶ Θεοείκελος, quod Horatius interpretatur ode 6. huius lib. *Tydidem ſuperis parem.* Hoc quoque ſumtum eſt ex Iliad. Η. vbi Sthenelus Diomedis comes reſpondet Agamemnoni accuſanti ignauiam Diomedis in prælio committendo, ſe & ipſum Diomeden eſſe patribus meliores, id eſt, fortiores: vbi tamen Sthenelus αἰθυνπικῶς loquitur,

Ἡμεῖς τοι πατέρων μὲν ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι·

vbi maiores diſsimiliter comparantur cum poſteris: *nos*, inquit, *multò eſſe maioribus noſtris præſtantiores iactamus & gloriamur, quàm tu.* Locus ſumtus eſt ex initio Iliad. γ. vbi Paris, animaduerſo Menelao, & ad monomachiã comparato, pauidus ſe recepit in turbam ſuorum, vt ceruus vel capra fugit leonem.

Graminis immemor.] Pro hoc Virgil. Eclogâ 8. dicit, *Immemor herbarum* propter metum.

Sublimi anhelitu mollis.] Id eſt, languidus & fractus è difficultate reſpirandi, quæ gignitur fugâ concitatiorî & feruore vehemẽtiori, quum è latere petitur imo ſpiritus, vt loquitur Epod. 11. ſublatâ in altum ceruice, & ore ad auram exhauriendũ, quum ducuntur Ilia, & attrahitur ab alto ſpiritus, vt loquitur Virgilius tertio Georgico. Idem valent verba Græca φεύγειν καὶ φυγὴ, δῆλον ὅτι σωτόνως τρέχειν καὶ ὁρμητικῶς ἁραμεῖν, καὶ σωτόνος ἁρμός.

Pollicitus.] Ellipſis eſt ſubſtantiui Helenę, apud quam tam magnificè priùs de ſua virtute & animi magnitudine dixerat. De verbo polliceri lege Donatum in Act. 3. Scen. 5. Andr. & Act. 4. Scen. 4. Heauton. vnde diſces hoc ſpontè fieri, vel in auctione locum ferè habere, ac dici quaſi plus liceri, vt loquitur Vlpianus. Gallicè *priſer plus.* promittere autem rogatu.

Proferet diem.] Sic Cic. loquitur l. 13. ad Atticũ, & Ter. Act. 2. Sc. 1. v. 32. Andr. *Saltem aliquot dies profer*, i. *proroga, produc, differ, protrahe aliquot dies, dum proficiſcor aliquo.*

Achillei.] Caſus eſt gignendi à priſco recto *Achilleus*, quo Cic. vſus eſt Ep. 5. ad Brutum l. 1. ſic Vlyſſeus pro Vlyſſe. Interpretes autem Homeri tradunt Achillem dici παρὰ τὸ τοῖς Ἰλιεῦσιν ἐπενεγκεῖν ἄχος, τουτέστι λυπεῖν· ἢ ἀπὸ τοῦ μὴ θηλεῖν χείλεσι θηλῆς, id eſt, *quòd affecerit triſtitiâ Ilienſes, aut quòd labris non tetigerit mammam*, i. lacte & minimè nutritus fuerit. Repete ex Ode 6. huius aliud etymum.

Achaicus.] Huius quoq; vocis rationẽ iidem interpretes ſic reddunt: Xuthus Aeoli filius è Creuſa Erechthei filia & in uxorem ducta ſuſcepit binos liberos, Ionem & Achaiũ, quorũ alter Ion Athenas condidit: Achaius autem cæde in conſanguineum patratâ, venit in Theſſaliam, & factus regionis dominus, appellauit ſubditos de ſuo nomine Achaios. Ita Græci, qui habitarunt in Hellade, communiter Hellenes ſunt vocati ab Hellene Iouis filio. Primi ita dicebantur in Theſſalia homines, non tamen omnes, ſed hi ſoli, qui ex vrbe Hellade orti erãt. Poſtea verò quàm Hellen, ac ipſius liberi magnam ſunt cõſecuti potentiam, ab ipſo ſunt omnes vocati Hellenes, id eſt, Græci.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile sextæ. Quidã existimant hanc Oden compositam fuisse ad imitationem Bacchilidis Lyrici Poetæ, qui Cassandram Priami filiam fecit sæpè vaticinantem excidium Troiæ: vbi ego suspicor mendosè scribi Protheum pro Nereo: alij verò referunt ad intelligentiam allegoricam de M. Antonio & Cleopatra: qui spretâ Octauiâ Augusti sorore, & vxore suâ, illam adiunxit sibi vxorem, & bellum cum Octauiano gessit vtrique exitiosum, vnde videtur hîc deterreri. Ego verò quia non animaduerto, qui similitudines singulorũ inter se conueniant, malo hîc agnoscere prosopopœiam: ad quã primus quaternio est quidam apparatus cum specie quadam prolusionis: deinde fingitur vox & oratio Nerei: cuius quidem persona decorè suscipitur, sed non æqualiter deponitur: ideò videtur imperfecta talis figura.

[a] Quidam hîc agnoscunt τὸν διασύρμον è consilio Iul. Rufini, figuram, quâ persona eleuatur & irridetur. Ego autem malo synecdochen, quâ è genere significatur species, quæ tam ad laudem, vt Philosophus & Orator, pro Platone & Demosthene vel Cic. quàm ad vituperium: vt latro ille, parricida, impius, scortum nobile, pro certis quibusdam tali crimine notatis, vt hîc Paris inter pastores educatus perfidiâ in hospitem.

[b] Metaphora est ab augurali disciplina: vnde infinitæ loquutiones aliæ sumuntur ad significandam rem vtrolibet modo casuram, vt Xenophon lib. 2. Παιδ. vocat ἀετὸν ἄσιον, auspicatam aquilam. Sopho. init. Οἰδιπ. τυρ. dicitur Thebanis παρέχειν τύχῃ ὄρνιθι αἰσίᾳ· *præbere fortunam aui fausta:* contrà dicitur inauspicatò aliquid fieri, quod fit, ἀπαισίοις ὄρνισιν ἢ δυσοιωνίστοις.

[c] Metonymia est subiecti pro Græcis ducibus & ipsorum copiis.

[d] Synecdoche vnitatis pro multitudine militum & ingenti exercitu.

[e] Exclamatio est commiserantis, vbi res futura tam illustri explanatione sub oculos subiicitur, vt iam quasi geri videatur: de qua figura dictum est in Rhetoricis Odes 9. (dant.

[f] In *quantus & quãta* est polyptoton, quòd variè ca-

[g] Metonymia est adiuncti pro subiecto: funus enim propriè denotat pompam & exsequias quibus conestantur corpora hominum mortuorum: sed hîc pro morte ac pernicie sumitur.

[h] Sumtum est ab animantibus rabidis, pro, irâ percitâ te vnum perdere cupit.

[i] Procaralepsis est, quâ resecatur spes Paridi de subsidio Veneris ipsi futuro.

[k] In *nequicquam* bis repetito est anaphora, ad certiorem fidem.

[l] Synecdoche partis pro tota sagitta. Spiculũ enim propriè est mucro sagittæ.

[m] Adulteros dicit crines, quòd alliciant & attrahãt mulieres in adulterium.

[n] Alius est modus synecdoches generis pro Vlysse Laertis filio, qualis est in *gentis tuæ*, pro Troianis.

[o] In *non* anaphora est,

[p] Translatum est à fructibus esui immaturis, qui sunt acerbi & insuaues ad sæuitiem Diomedis & crudelitatem notandam.

[q] Synecdoche generis pro Diomede.

[r] Metonymia est subiecti, quâ intelliguntur dux & ipsius milites, qui erant caussa producendi belli in *decennium.*

[s] Alia synecdoche, sed membri pro integro anno, imò pro decennio.

[t] Synecdoche est pro tota Græcia irata, quæ incenderet Ilium expleto passerum numero ex auguratione Calchantis: quanquam videretur hîc Agamemnon & Menelaus præcipuè intelligendi: quia Achaici fuerunt, & in Achaia regnarunt, cuius Argos & Mycenæ principes habitæ sunt ciuitates.

[u] Metonymia est subiecti, pro, Ilienses Troianos perdet: potest etiam κοιλίαις pro ædes Ilij, ex illo Penelopes: *Troia iacet &c.* & Hectoris, 2. Æneid.

Nate Deâ, te his eripe flammis.

ODE XVI. PALINODIA AD PVELLAM.

Theticum.

In puellam se scripsisse contumelioſos versus quadam animi impotentiâ confitetur, quibus retractatis studet in gratiam cum ea redire, ex apophthegmate Solonis, ἀδικουμένοις φιλάττειν, cum his, quibus iniuriam feceris, in gratiam redi.

[1a] *Matre pulcrâ filia pulcrior,*
[b] *Quem criminosis cúnq; voles modum*
Pones iambis: siue [c] flammâ,
Siue mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æquè: [d] non acuta
Sic geminant Corybantes æra:
[e 2] *Tristes vt iræ: quas neque Noricus*
[f] *Deterret ensis: nec mare [g] naufragum,*
Nec sæuus ignis, nec tremendo
[h] *Iuppiter ipse ruens tumultu.*
[3] *Fertur Prometheus addere principi*
[i] *Limo coactus particulam vndique*
Desectam, & insani leonis
[k] *Vim stomacho apposuisse nostro.*
[4] *Iræ Thyesten exitio graui*
Strauêre: & altis vrbibus vltimæ
Stetêre caussæ, cur perirent
Funditùs, imprimeretq; muris
Hostile [l] aratrum exercitus insolens.
[5] *Compesce [m] mentem: me quoque pectoris*
Tentauit in dulci iuuenta
[n] *Feruor, & in celeres iambos*
Misit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia: dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, [o] animumq; reddas.

Analysis Dialectica.

[1] POeta vitio quodam amoris maledictis iambicis offenderat puellam, nomine, vt quidam volunt, Cratidiam, vel Tyndaram, vel Tyndaridem: cuius animum sibi nunc recolligere hîc parat, priori vituperatione in præclaram ipsius laudationem conuersâ: vt videantur tales iræ quædam amoris redintegratio, & ingenium

ingenium Poetæ iocularium & ad quiduis flexibile. Conciliatio autem gratiæ primùm notatur collatione minorum, quæ vt ſumma laus priori vituperationi opponitur: grauiter enim ſic priùs in eam dixerat:

O matre turpi filia turpior. Summa vis ineſſe videtur in hac vtraque collatione, & vituperationis, & laudationis, ad exaggerandam vel turpitudinem, vel pulcritudinem, cùm illa vtraque procreatum affirmetur procreanti cauſſę multò præſtare. ratio autem hæc amplificandi aliquid eſt perinſignis, qua vſus fuit Virgil. Bucol. 5. παραμυθητικῶς,

Formoſi pecoris cuſtos formoſior ipſe.

Cuius palinodia & ſententia huic omnino cõtraria eſt,

O matre pulcrâ filia pulchrior.

Aptiſsimum quidem certè argumentum eſt, quo contrarium contrario ſanatur: neq; vllâ re magis animum talis ſexus abalienatũ permulcere poſsis, quàm commendatione pulcritudinis & venuſtatis, vt Ouid. lib. 1. amorum tradit ad verſ.

Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos,
Et teretes digitos, exiguumq; pedem.

Hæc ratio confirmatur liberâ confeſsione factæ contumeliæ quæ à Dialecticis ponitur inter argumenta ab arte remota. Quum igitur Poeta liberam permittit poteſtatem iratæ puellæ, vel incendendi, vel demergendi tales iambos, vt illorũ memoria prorſus omninò deleatur, profectò dat manum, & indignè à ſe factũ profitetur. Deinde eadem cõciliatio explicatur cauſsâ per vim & neceſsitate efficiente, quæ ſic diſponitur & concluditur: Quod quis facit neceſsitate coactus, non iudicio, nec voluntate, nec conſilio ductus, placabilitatem meretur: Poeta iambos ſcripſit in puellam irâ incenſus, & animi impetu concitatus, quibus apud ſe non eſſet: placabilitatem igitur puellæ meretur. Propoſitio deſideratur, ex his tamen locis elicienda: *Triſtes vt iræ &c. & iræ Thyeſten &c.* quæ poſſet approbari teſtimonio Ariſtot. 3. Ethicorum cap. 2. *Quæ per iram fiunt minimè videntur electione fieri*, id eſt iudicio & voluntate: item admonitione Phocylidis: Ὅστις ἑκὼν ἀδικεῖ, κακὸς ἀνήρ· ἀλλ' ὃστ' ἀνάγκης, Οὐκ ἐρέω τὸ πᾶν, *Qui conſulto iniuriam infert, malus eſt vir: ſed qui neceſsitate, non hunc appello malum omnino.* Quin imò hoc etiam genere cauſſę per animi commotionem agit Demoſthenes cum Midia, quâ confutatâ illum conuincit contumelię de induſtria, dataq́ue operâ factæ. Aſſumtio huius argumentationis eſt ad hæc verba: *Me quoque pectoris*, &c. quæ variè illuſtratur: primùm è loco minorum, quorum eſt ſola protaſis ad verba, non Dindymene, ſine apodoſi, facilè tamen intelligenda hoc modo; Cybele, Apollo, & Bacchus, minùs concitant mentes ſuarum ſacerdotum, Phœbadũ, Mænadum, & Baccharum ad implacabiles inimicitias, exciſiones, inflammationes, depopulationes rerum publicarum: quàm impetus animi & feruor cordis me ad ſcriptionem iamborum commouit. Eâdem deinde collatione diſsimilium augetur, cuius protaſis eſt ad, *non acuta*, & antapodoſis ad, *triſtes vt iræ*: útraque certè faciliùs hoc modo enuncianda: Corybantes ſacerdotes Rheæ non ſimiliter perterruerunt, concitarunt, atque conturbarunt Saturnum pulſu tympanorum, ſonitu cymbalorum, cantu tibiarum & clangore cornuum ac tubarum, fragore armorum, ne exaudiret vagitum infantis Iouis, & Rheæ parturientis clamorem, atque me commouerunt triſtes iræ.

2 Hæc antapodoſis dilatatur adiunctis, quòd iræ ſint audaciſsimæ, maximeq́ue indomitæ ac intrepidæ, & æſtus iuuenilis feruidiſsimus, vel ad grauiſsima quæque pericula, vndecunque obiiciantur.

3 Idem amplificatur efficiente vel potiùs procreante cauſsâ, vt minimè ſit mirum, ſi homines tales gerant animos irati, quum à leone fera ſæuiſsima cor iræ ſedem acceperint.

4 Idem docetur ex effectis talis cauſſæ, quæ ex ira huiuſmodi exſtiterũt quòd inde domus Pelopidarum & aliorum impulſa eſt modo ad ὑποφίαν, modò ad cædes cruentas: modò ad euerſiones celeberrimarum ciuitatum, Ilij, Thebarum, Athenarum, Sagunti, Carthaginis, Numantiæ.

5 Vis eſt complexionis, quòd ſtudio & poſtulato mereatur, vt puella ſit ipſi placabilis & exorabilis: quæ complexio pactione, quod eſt etiam argumentum aliunde aſſumtum, declaratur: retractabo, inquit, meos in te iambos, & te deſinam odiſſe, modò mihi reddas priſtinum animum: vbi tamen vis quædam parium latet: ſi me amabis, ego te laudabo: vel, tu amato me, & ego viciſsim te laudabo & amabo: qualis æqualitas amoris atque ἰσορροπία deſcribitur à Theocrito εἰδυλ. Αἴτης καὶ ἐρασνιὰ ὅστ' ὄξιν ἐρασῆς καὶ ἐρώμενος, amator & amatus, Idyl. 21. qui,

ἀλλήλως δ' ἐφίλασαν ἴσῳ ζυγῷ id eſt,
pari trutinæ iugo ſeſe mutuò amabant.

Enarratio Grammatica.

Palinodia.] Inſcribitur Ode Palinodia, vox certè Græca conflata, ἐκ τοῦ πάλιν καὶ ᾠδήν· *ab iterum cantando*: quòd τὸ πάλιν ab Homero ſæpè vſurpatur ſeparatim, πάλιν ἐλθεῖν, πάλιν δόμεναι *pro redire & reddere*: ab eodem quoque pro actione contraria vt οὐδὲ πάλιν ἐρέει· *neq; contradicet, nec repugnabit*: quomodo παλινῳδεῖν debet ſumi, pro, verſum dicere priori contrarium: hinc Palinodia, *carmen recantatum.*

Pulcra.] Qui in hac voce retinent aſpirationem, eam putant declinatam à Græca πολύχειρ, & ad robur referunt illud Virgil. Æneid. 2.

—*furor iraque mentem*
Præcipitant, pulcrúmque mori ſuccurrit in armis:

pro fortiter mortem oppetere. Mallem equidẽ explicare mors glorioſa ſuccurrit in armis. Deſcriptura huius vocis ita Seru. in verſ. Georg. 3. ſcribit:

Cum gemitu: reboant ſyluæq́; &c.

Maiores tria habebant nomina, in quibus literam ſequeretur aſpiratio; *ſepulchrum, orchus, pulcher*: è quibus *pulcher* tantùm hodie recipit aſpirationem. Definitur pulcritudo apta quædam membrorum & partium figura & conformatio cum quadam coloris ſuauitate, ſicut Scholiaſtes Theocriti definit in εἰδυλ. π. κάλλος ὅστι συμμετεία μελῶν καὶ μερῶν μετ' ἀκριβείας. Ariſtot. quoq; lib. de art. Poët. τὸ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ὅστι· *Pulcritudo conſiſtit in magnitudine & ordine.* Magnitudinem autem Philoſophus ibi declarat eam, quę iuſta & mediocris ſit inter puſillam & vaſtam. Hac definitione pulchritudinis idem Philoſophus lib. 4. Ethic. pro Argumento à ſimili vtitur ad demonſtrandum, ὅπ σόφρων, ὁ μικρῶν ἄξιος, καὶ τὰ πρὸ ἀξιῶν ἑαυτὸν, οὐ μεγαλόψυχός ὅστιν. ἐν μεγέθει γὰρ ἡ μεγαλοψυχία; ὥσπερ καὶ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι· οἱ μικροὶ δὲ ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι· καλοὶ δ' οὔ, i. *Quòd temperans & moderatus homo, qui paruis dignus, id eſt contentus eſt; iúq́; ipſis contentum ſe putat, non eſt magnanimus. Nam in magnitudine poſita eſt magnanimitas; quemadmodum pulchritudo etiam ſita eſt in magno corpore. Parui autem (homines) concinni, vrbani, venuſti, iidem ob ſibi reſpondentem membrorum menſuram commendantur; nullo tamen pacto formoſi vocandi ſunt.* Cuius autẽ eleganti formæ accedunt animi bona, vt idem ſit & formoſus & honeſtus, ac vitę integer, qualem *Pindarus Alcimedontem* prædicat εἰδ. π. Ολυμπ. Επωδ. 1.

Ἦν δ' ἐσορᾶν καλὸς, ἔργῳ
τ' οὐ κατὰ εἶδος ἀλέγχων.

quod Scholiastes sic interpretatur, καλὸς μὲν ὢν καὶ ἐφθόνει Ἀλκιμέδων. οὐ κατήχμωσε δὲ τὸ εἶδος τοῖς ἔργοις, id est, *erat autem (Alcimedon) ad aspectum præclarus* (vt Cicero loquitur, velut reddens hoc Græcum, ὢν καλὸς τῇ ὄψει) *nec operum turpitudine formam dedecore operiebat.*

Qui, inquam, hoc consequutus est vtrumque, meritò hic versus de ipso potest vsurpari,

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. è libr. 5. Æneidos. Qualem etiam idem Lyricus prædicat Strepsiadem Isthm. ß.

— φέρει γὰρ ἰδιωτᾶν
νίκαν παγκρατίου, δόξαν
φάεσι, ἄγει τ' ἀρετὰν
οὐκ ἄσημον φυᾶς, id est,

— *reportabat enim ex Isthmaicis*
certaminibus victoriam Pancratij
robore admirabili, & aspectu pulchro
exercet virtutem indoli suæ congruenter,
non turpiter.

Itaque & corporis forma & animi virtus sibi mutuò respondebant: cui aduersatur; quod Homerus de quodam scripsit,

οὐκ ἄρα σοί γ' ὄπι εἶδος καὶ φρονέειν ἦσαν, id est,

Non tibi cum forma fuit coniuncta mentis generositas.

Ille autem versus modò præscriptus, non *Senecæ* probatur in epistola 66. *Errare, ait, qui hoc dixit, gratior est, &c. vt antè. nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Certè Claranum nostrum cœpi intueri. formosus mihi videtur, & tam rectus corpore, quàm est animo. potest è casa vir magnus exire: potest ex deformi, humiliq; corpusculo formosus animus ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos, fecisset. Nunc, quod amplius est, facit. Quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilo minus perrumpentes obstantia. Claranus mihi videtur editus in exemplar, vt scire possemus non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.* Sed de pulchritudine satis philosophati sumus. Θεολογῶμεν οὖν ὅπι τ' ὠτῶ, id est, *agamus igitur eadem de re Theologico more.* Potest quisque è sacris literis discere pulchritudinem in singularibus DEI OPT. MAX. beneficiis numerandam esse; quâ ipse solet eos exornare, quos cæteris prælucere decreuerit: vnde Puerulus *Moses* prædicatur Act. 7. v. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ id est, *formosus Deo*, id est, qui diuinitùs talis euasit. sic Dauid 1. Sam. c. 16. v. 19. Proceritas quoque Saulis commendata est, cùm in Regem fuit electus. Habita etiam fuit ratio venustatis à Persis in Regibus creandis, ex quo celebratur illud ἄξιον εἴδους τυραννίδος, i. *forma imperio digna:* & quia iidem existimarẽt, aduncitatem nasi esse certo argumento animi celsi ac verè regij, tales inprimis expetebant, nec eos sinebant ducere vxores staturæ breuis, ne Regulos pro Regibus generarent, & parerent. Præterea instituit Poeta palinodiam canere ad imitationẽ Stesichori Poetæ Siculi, vti est in oratione Isocratis de encomio Helenæ, qui quia illam carmine vituperasset, oculis orbatus est: vnde postea coactus est palinodiam cantare vituperatam q; laudare, atque ita visum recepit. Ad similem palinodiam Plato Epist. 3. Dionysium iuniorem tyrannum inuitat post refutatas ipsius in se calumnias: Εἰδ' ὁμολογεῖς, τὸ μετὰ τοῦτο ἡγησάμενος εὖ σοφὸν τὸν Στησίχορον τῶν παλινῳδίαν αὐτῷ μιμούμενος ἀντὶ φιλοψευδοῦς εἰς τὸν ἀληθῆ λόγον μετάστηθι, i. *Si verò hoc confiteris, vt postea Stesichorum putes esse sapientem, ipsius palinodiam imitatus mendacium cum veritate commuta.*

Quem criminosis &c.] Tmesis est, Grammatica dictionis integræ sectio, quali orator interdum vtitur, *per mihi gratum fuit.* Iambos autẽ criminosos dixit ἐνδημίους, qui crimen inferant. *Ponesmodum.*] Sic Virg. loquitur Æn. 7. *exitiis ponere modum*, pro quo Satyr. 2. lib. 1. *Modum statuere*, & Ode 15. lib. 3. *modum figere*: sed his Cic. vtitur: *adhibere, constituere, definire modum.* Hæc autẽ vox *modus*, dicitur παρὰ τὸ μίδειν, à curando & regendo, & fit à præterito medio μέμοδα, id est, moderatus sum & rexi.

Flammâ.] Videtur hæc vox inclinari à flatu, quo excitatur, vel παρὰ τὸ φλέγμα, *ab inflammatione*, & hoc ἀπὸ τῆς φλέγειν, *ab accendendo.*

Adriano.] De hoc mari dictum est in Grammaticis Odes 3. huius lib. Sic Cicero in Pisonẽ vsurpat ab Adria deflexum, *Adriani maris oram petiuit*: & Seneca Epist. 90. lib. 14. *nisi trans Adrianum & Ionium, Aegæumq; vester villicus regnet*: non autem Adriaticum vel Adriacum, quibus alij vtuntur, vt Catullus optimus alioqui Latinitatis auctor in laude faselli, *Et hoc negat, minacis Adriatici negare littus.* vt etiã Lucan. l. 5. *Appulus Adriacas exit Garganus in vndas.* Sic Græci ab eodem ducta vsurpant: Eustathius in vers. Περιηγ. Κεῖται δ' ἐρωδιὸς πτερύσσεται Ἀδριὰς ἅλμη: id est, *inde verò dilatatum portenditur Adrias mare salsum.* vt optimus Scholiastes interpretatur: Ἀδριακὴ θάλασσα καὶ πέλαγος Ἀδριατικόν.

Dindymene.] Sic Cybele & Rhea dicta est à Dindymis monte Phrygiæ, vt Cybele à Cybelo eiusdem regionis monte, vbi mater illa Deûm colitur: vel vt alij volunt, à Cybelo primo ipsius sacerdote: vel vt alij ἀπὸ τῆς κυβίσεως τῆς κεφαλῆς, id est, à capitis rotatione, quod proprium est eius sacerdotum Gallorum, dum saltant τὸ κυβίσημα, de quo lege Seruium in vers. Æneid. 3.

Hinc mater cultrix Cybeli, &c.

Et Eustathium in vers. περιηγήσεως:

Ἰμβρὸς Θρηϊκίη τε Σάμος, Κορυβάντιον ἄστυ.

Imbrus Thraciaq; Samus, Corybantica ciuitas.

vbi quod hîc dicitur: *mentem quatere sacerdotem*, videtur Scholiastes interpretari παθητικῶς κορυβαντιᾶν, τοῦτ' ἔστι, τὸ μετὰ ἐκστάσεως ἐνθουσιᾶν· *commotione mentis affici; & fanatico furore concitari, ac velut non apud se esse.*

Adytis.] Est hîc ellipsis præpositionis *in.* Sunt autem adyta loca templi remota & occulta, nullis viris adeunda præterquam vni sacerdoti, cui patet illuc aditus, dicta παρὰ τὸ μὴ δύεσθαι· *quòd eò minimè adeatur*, vt Cæs. 3. Coment. verè notauit: quod puto Ethnicos desumsisse è religione Hebræorum quibus erant τὰ ἅγια τῶν ἁγίων αὐτοῦ πα, εἰς ἅπαξ ὁ Ἀρχιερεὺς εἰσέρχετο κατ' ἐνιαυτόν.

Pythius.] Sic Apollo dictus fuit ab vrbe Phocydis, vt in periegesi Dionys. ad vers.

πρὸς πόλιν, Πυθῶνος ὀδώδιμον πίδνον· id est, *Ad quem Parnassum, Pythonis solium nidorosum.* Vbi Scholiastes numerat quattuor insulas, & partim vrbes Apollini sacras, Miletum, Clarum, Delum & Pythonem, ad quas adiungit ex Homero alias, quales inde cognosces, sicut etymum eiusdem vocis, quum annotat: ὅπ ἢ ἡ Πυθὼν παρὰ τὸ πύθω, τὸ σήπω, λέγεται, ὡς ὂν αὐτῇ σαπέντος τοῦ ὑπὸ τοῦ δράκοντος, ἢ παρὰ τὸ πύθεσθαι, τὸ μανθάνειν, ὡς τῶν χρησομένων ἐκεῖθεν μανθανόντων τὰ μέλλοντα, ἰκανῶς τιθύμενος· i. *quòd autẽ vrbs Python à putrefaciendo dicatur, quum in ipsa dictus Draco putrefactus sit, aut à scisscitando, hoc est discendo, vt qui consulerent oraculum, inde cognoscerent futura, satis est sermone tritum.* Quales præter cæteros Spartani fuerunt, qui ob id Pythij etiam cognominati sunt. De hoc lege plura in Scholiaste Pindari in Pyth. & in Phocaicis Pausan. in Plut. de oraculis Pythiæ, & in Et.

Corybantes.] Hi fuerunt Rheę sacerdotes dicti παρὰ τὸ κρύπτειν, τύπτεσι κρύπτειν, ab *occultando*: quia nascentem Iouem ingenti strepitu celabant. Altero nomine dicũtur à Strab. l. 10. Curetes à Cyrba Cretæ ciuitate, vulgò ἐκ Πύθνα, nominati. Alij alia proferunt etyma; sed hæc videntur

dentur probabiliora. Quòd autem infans Iupiter tali strepitu & fragore armorum seruatus sit, testis est Callimach.hym.εἰς Δία, cuius interpretatio huiusmodi habet sententiam: *Curetes suam circumplausêre choream & arma pulsauêre, vt sonus clypeorum, non vox infantis vagientis, aures Saturni patris feriret*, Testis quoque Ouidius:

Ardua iamdudum resonans tinnitibus Ida,
Tutus & infanti vagit ore puer.
Pars manibus clypeos, galeas pars tendit inanes.
Hoc Curetes habent: hoc Corybantes opus.

Itâque *geminare æra* est non solùm duplicare sonitus, sed illos ἀδιαλείπτως etiam iterare. In Historia sacra lib. 2.Reg.ca.23. legitur quid simile vers.10. de Thopheth, qui locus Hierosolymis vicinus, Hebraicè dictus גֵּי הִנֹּם *Ghei Hinnon*, vnde *Ge-henna*: id est vallis alta filiorũ Hinnon: quò Iudæi proiiciebant omnia immunda, & ibidem corpòra suorũ infantium idolo Molochi immolata cremabant: quod quum fieret, ne vagitus eorũ lamentabiles exaudirentur, tympana pulsabant: ex quo topheth creditur dictum à תֹּף *thoph*, id est tympanum, atque ex hoc τὸ τύπτειν, *verberare* & pulsare, sicut Ode 18. huius lib. notabitur, Deo iuuante.

Noricus ensis.] A populis dicitur, qui habitant in Alpibus vicini Rhœtis, vbi effoditur ferrum Chalybicũ, Gall. *ascier*, quale Eustath.in v.Periegesis. Dionys.

Τοῖς δ' ὀπὶ χ' Χάλυβες, &c. annotat effodi & apparari in vrbibus vicinis vndis Caspiis, vbi sunt Chalybes durissimam terram incolentes. Idem tamen Scholiastes ex Thermodonte, Chalybes esse gentem Ponticã, & ex Lycophrone, χαλύβικον σίδηρον ἄριστον εἶναι: & ex Arriano, Χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αἰτίαν ἔχουσι χαλκεύσαντες σίδηρον: id est, *Chalybes primi hominum tenent rationem & scientiam artis ferrariæ.*

Prometheus.] In Grammat.Od.3.attigimus genealogiam Promethei, sed tum præteriimus præsentem fabulam, quæ huiusmodi est apud Diod.l.1.de generatione animalium, vt ille ex opinione quorundam veterũ, maximeque Aristotelis scribat mundum atque genus hominum æternũ esse. Aliorum verò sententiâ vtrumque genitum, atq; principium vtriusq; fuisse cœlum & terram, quorum commixtione procreata sunt omnia animantium genera: eodem quoque homines modo. Quanquam autem hęc nos tanquam somnia existimamus: nituntur tamen quibusdam caussis naturalibus, quæ ibi recitantur. Vnde perspicimus, quò Deus cæcitatis mentes illorum Philosophorum deduxerit: sed multò est obscurioris cæcitatis, quod de Prometheo narratur: qui quum iussus fuisset hominem è luto fingere, sumsit à reliquis animantibus aliquid, quod ad conformationem ipsius pertineret, vt iram à leone; timiditatem à lepore; calliditatem à vulpe; ingluuiem à sue; vigilantiam à cane; aliosq; ab aliis animantibus affectus. Quam certè mythologiam Plato in Protag. ita interpretatur. *Omnibus naturæ facultatibus assumtis ab Epimetheo in fingendis bestiis, nihil ei superfuit, ex quo fingeretur homo. Itaque Prometheus ipsius frater, necessitate coactus, surripuit quidem ignem Vulcano, sed Mineruæ artificium sapientia: quibus postea Mercurius addidit iustitiam & pudorem iussu Iouis, ad hominum societatem tuendam.* Harum autem vocum ratio Ἐπιμηθὺς & Προμηθὺς potest hîc commodè reddi. Est igitur útraq; vox dicta παρὰ τὸ μήδεσθαι, ab excogitando & meditando, δ mutato in θ. Sed vis prępositionum arguit, quid inter vtramq; intersit: nam ὁ Ἐπιμηθὺς λέγεται, ὡς μεταβουλεύεται, δηλονότι, ὡς μετὰ τὸ πρᾶγμα βουλεύεται, *qui re iam confectâ consilium capit*: Ideoq; à Pindaro dicitur ὀψίνοος, *qui serò sapit*, vnde sera ipsius sapientia in prouerbium abiit in eos, qui accepto damno consultant, & imprudentiæ suæ causam sumentes honestã, dicuntur Epimethei filiam ducere, qui serò sapuit: quo quidem prouerbio Pindarus vsus est Πυθ.Ε. ἐπωδ.α. quum Carrothum aurigam adiungit socium victoriæ Archesilai curru partę (quam ibidem poeta πειφραστικῶς vocat γέρας ἀεθλοφόρον, i. *præmium currulis certaminis præstantissimum*) ὡς ἀπτῆς σωφρόνως: in qua quidem adipiscenda nec improuidus, nec incautus, vt Epimetheus fuit. Itẽ ab Hesiod.in oper. ἀμφιφρόνως: *cuius mens aberrat*. Ὁ δὲ Προμηθεὺς ὡς παρὰ τὸ πρόμαλος βουλεύεται προνοητικῶς: *qui mature ac proùide priùs de re deliberat, quàm velit eam aggredi*. vnde ab Hesiodo cognominatur αἰολόμητις: *qui est varij & callidi consilij*: de quo lege Seru.in vers.Eclogæ 6.

Caucaseasq; refert volucres:

& Scholiasten Apollon.in lib.2.Argon. qui paullò aliter de Prometheo μυθολογεῖ, atque Seruius. Itaq; Græci dicunt, illum quidem μετὰ τὸ πρόχθὲν νοῆσαι, i. *post factum sapuisse*: hunc verò τὸ προνοῆσαι, id est, *ante factum sapuisse*. Vtriusque verbi oppositionem Plato in Gorgia sic expressit, πολλά, φησι, προνοήσασι μὲν δίωνται· μεταγνόντα δ' ἀνία-τα, i. *multa quidem, inquit, sunt iis possibilia, qui mature de his deliberarunt: sed insanabilia fiunt iis, qui serò sapuerunt*. Vide quoq; de eodem Theog. Hesiodi & quæ iam annotata sunt in Od.3.huius lib. Apollodorus scribit eum à Vulcano religatum. Lucian.in Dialogis Deorum ab hoc & præterea à Mercurio. De quo denique Cic.5.Tusc.ul.& Strab.lib.11. legantur.

Vim stomacho.] De hac voce dictum fuit copiosè in Grãmat. & Rhet.Odes 6. quæ ab hoc Poeta sæpiùs reperitur sumta pro corde, vt iecur pro eodem, Ode 13. huius lib. quem vtrumque locum, si fortè res ex animo tibi exciderit, lectione repetes.

Thyesten.] De origine & implacabilibus odiis Atrei & Thyestæ lege scholia Eustathij in vers. Ἰλιαδ.β. Σπουδὴ δ' ἕζετο λαὸς, &c. Vbi loquitur Homerus de perpetuâ successione sceptri Pelopidarum: de eodem leges quoque Tragœdias Sen. 4. Tusc.ul. quam quidem fabulam Plato in politico vocat τὸ περὶ τὸν Ἀτρέως τε καὶ Θυέστου λεχθέντων ἄρρητον φάσμα, i. *memorabile prodigium de Atrei & Thyestæ lite*: postremò leges de eodem Seruium Aeneid.11.

Atrides Prothei Menelaus ad vsq; columnas. qui priùs lib.1. *Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe*, rationem huius fabulæ sic explicauerat: *Fabula quidem hoc habet: Atreum & Thyesten germanos, quum dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse: quâ occasione Thyestes cum fratris vxore concubuit: Atreus verò ei filium epulandum apposuit, quæ sol abominatus, ne pollueretur, aufugit. Sed veritas hæc est: Atreum apud Mycenas primum solis eclipsin inuenisse, cui inuidens frater ex vrbe discesserit, tempore, quo eius probata sunt dicta.*

Stetêre caussæ.] Hîc puto simplex verbum pro cõiuncto positum, *iræ exstitêre caussæ*, id est, ex hominum commotionibus profecta est celeberrimarum vrbium ruina: quarum aliquot sunt in Dialecticis priùs memoratæ: vel iræ memores, inueteratæ & fixę perstiterunt vsque ad interitũ ciuitatum. Sed de scriptura vocis *caussa*, Terent. Scaurus mauult τὸ *causa* per simplex *s* scribi, quàm per duplex, quòd huius geminatio non nisi post pręcedentem vocalem breuem solita sit habere locum: quanquam auctoritas Grammaticorum repugnet, qui partim originatione vocis ducti, quam dicunt inclinari vel à cauillando, vel à cauendo, vt inde fiat cauissa, & hinc rursus concisè caussa: partim testimonio Fab. Quintil. qui hanc literæ geminationem in hac voce affirmat scriptam manu Ciceronis & Virgilij, & in marmoreis tabulis ac statuis sic passim notatam censent.

Aratrum.] Hæc vox, sicut primigenium aro, as, fluxit à Græco, ἄροω, vt verbum Latinum à Gręco ἀρόω, eiusdem notionis vtrumque. Hoc autem debet referri ad

morem veterum in condendis vrbibus & iisdem subruendis: qui primùm illas designabant ducto aratro, vt scribit Virg. 1. Aen. & Cic. in Philipp. item Sen. in libel. de Clementia, quum aratrum circumducebãt, idemq; admouebant ad easdem, arietis hostilis, machinæque bellicæ more, subruendas. Itaque hîc significat locum vrbis solo æquatũ iam rursus arari ac vomere proscindi: ad quale facinus Manil. scribit l. 4. eos impelli, qui nascuntur sub ortum caudæ Scorpianæ & stellarum ipsi suffragantium:

Aut sternet positas vrbes, inq; arua reducet
Oppida & in domibus maturas reddet aristas.

Exercitus insolens.] Dicitur hîc insolens exercitus, vt cuius victoria semper sit insolens, ac nimis elata rebus secundis, de quo Cic. 4. Epist. 9. ad famil. *Misertus nihil quàm ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliora venit, tamen eos ipsos ferociores impotentiores q; reddit: vt, etiamsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur: multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito facienda sunt, vnde victoria & victor violens & ferus nominatur.* Quamobrem Isocrates Epist. 2. ad Phil. Maced. eum monet, Μηδὲν σε δεῖ μεῖζον ἀγαθὸν σωτηρίας ὑπολαμβάνειν, ἵνα καὶ τὰς νίκας τὰς συμβαινούσας κατὰ τὸν καιρὸν δικαίως: *nullum te oportet maius salute bonum existimare, vt etiam victoriis, quæ tibi contigerunt, rectè vti queas.*

Compescementem.] Hoc, meo iudicio, rectè interpretaris Græcè, ἀνεῖ κρατεῖν ἢ συμπιέζειν, *moderare ira cundiam*, quâ exardescis in me, *atq; animum morde*, id est, reprime.

Iuuenta.] Iuuenta est ætatis, vt iuuentus personarum, quemadmodum sumitur Ode 2. huius lib.

Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuuentus.

Vt illic præmonitum fuit. Hæc distinctio hoc sibi vult, τὸ *iuuenta* perrarò, imò nusquã, quod equidẽ meminerim, inueniri τροπικῶς vsurpatum: τὸ ὦ *iuuentus* persæpè.

In celeres.] Appositè ad animi commotionem celeres dicuntur Iambi: nam vt ipsi notauimus in Rhetoricis Od. 1. ad verba, *feruidis rotis*, οἱ ζέοντες καὶ θερμοὶ φυσικῶς λέγονται ταχεῖς: nec minùs tamen aptè hæc celeritas posset referri ad mores hominis irati, qui tantâ linguæ volubilitate sua verba profert, vt eorum extrema tantùm exaudiantur, tanquam in syllabam longã desinentia.

Iambos.] Huius vocis multiplex est ratio. Athenæus libro 14. scribit τοὺς μίμους καὶ δεικηλίκτας dictos fuisse Iambos, id est, *mimos ac histriones*. Hesychius verò testatur Iambos fuisse vrbem agri Troiani: Quæritur nunc ex vtrolibet hic pes è breui & longa nominetur, & metrũ ex hoc sexies repetito, & ad conuicia & maledicta valdè accommodatum, & ad orationem numeris solutam proximè accedens, vnde verbum ἰαμβίζειν idem est illi, quod τὸ λοιδορεῖν siue ὑβρίζειν, vt Diomedes interpretatur li. 3. quomodo Aristoteles lib. de Poetica ostendit, ὅτι ἐν μέτρῳ τὸ ᾧ ἰάμβιζον ἀλλήλους, id est, *hoc metro mutuis se lædebant contumeliis*. Ibidem eodem significatu dicit ἰαμβοποιήσας, *acerbis iambis mordens*, quod generaliùs alij dicũt κακολογεῖν καὶ δυσφημεῖν, *maledictis & conuitiis aliquem insectari, contumeliâ vexare*: quò spectat illud Catulli:

Desiissemq; truces vibrare iambos.

Ibidem Arist. hunc pedem & ex eo versum vocat κινητικὸν καὶ σφοδρικόν, i. *magnâ vi præditum excitandi, rebusq; agendis aptum*, vt dicitur Ep. ad Pison. ideoq; valdè appositũ Tragœdiis, comœdiis & familiaribus colloquiis, quòd naturali facilitate fluat, &, vt Cic. ait, quòd naturâ incurrat in orationem, sermonemque nostrum. Idem de Iambo scribit Theon in progymnasmatis. Διὸ καὶ πάντες οἱ συγγεγραφότες ἐμπίπτουσιν εἰς τὸν ῥυθμόν, i. *quare omnes scriptores incurrunt, quasi incogitantes, in hoc genus pedis.* Idcirco ab Aristot. κινητικὸν vocatur, quòd vltrò se offerat dicenti, ac quotidianæ collocutioni sit aptissimum. Alij præterea deflectũt παρὰ τὸ ἵεμαι καὶ ἀναβαίνειν, *ab insurgendo iaculationi.* Postremò Hephæstio scribit dici à puella Iambe, à qua Hipponax sibi vsum talis versus sumsit, & ipsius nomine vocauit, vt refert Iulius Scaliger lib. 1. cap. 45. Poeticæs. Plura vide lib. Diomedis suprà citato. Noster autem Poera metri huius inuentorem facit Archilochum in Epist. ad Pisones:

Proprio rabies armauit Iambo.

contra Lycamben socerum, qui perfidiosè filiam suam Archilocho desponsam denegasset. Possem equidem multò plura huc afferre de hoc & pede & metro è scholio in Enchiridium Hephæstionis, sed malo lectorem illuc remittere.

Explicatio Rhetorica.

METrum huius Odes est simile nonæ huius libri.

a Polyptotum est è variato eiusdem vocis fine.

b Συγχώρησις est, vel ὀπτῶ, & data puellæ licentia delendi omnino maledicum carmen, eâ tamen lege ac conditione astrictâ redintegrandi, vt priùs erat, amoris, sicut ad finem Odes his verbis indicatur: *Dum mihi fias recantatis amica &c.*

c Synecdoche speciei pro igne. Tres enim ignis species Aristotel. constituit 5. Topicorum, ἄνθρακα, φλογὰ φῶς, *carbonem candentem, flammam, lucem.*

d Hæc negationis particula toties initio sententiarum, sicut *nec* sequens, repetita facit Epanaphoram.

e Ex hoc Epitheti effecto significatur efficiens μετωνυμικῶς, quæ tristitiam afferat. Simili tropo Virgil. Ecl. 2. & 3. Aeneid. vocauit *tristes Amaryllidis iras.*

f Sumtum est ab animatis & ad inanima traductũ, dum his datur actio exanimandi,

g Metonymia est effecti pro mari naufragium concitante, id est, naues frangente. Sic Tibul. Eleg. 2. lib. 2. *vnda naufraga*, & Ouid. *monstra naufraga.*

h Modus eiusdem tropi priori contrarius, vbi causa ponitur pro rebus ab ipsa effectis, tonitru, fulmine, grandine, & aliis meteoris.

i Idem eiusdem tropi modus caussæ materialis, pro homine primo ex ea facto, ad quẽ sunt applicati postea varij affectus.

k Synecdoche generis, pro ira perturbationis specie, quæ Græcis est τὸ ὀργιστικὸν καὶ τὸ θυμῶδες.

l Non malè hîc statuetur metaphora à fossoribus & agricolis ad machinam bellicam notandam.

m Metonymia subiecti, pro illi adiuncta ira, quæ coercenda & reprimenda est, vt omnis animi commotio.

n Duplex est tropus: prior metaphora ab aqua feruida, alter est synecdoche generis pro ira.

o Videtur sumtum hoc totum sermonis genus à laborantibus lipothymiâ & animi deliquio: vel ab exanimatis metu, qui solent animum recipere vel aspersione frigidæ vel aceti odore, vndẽ Plautus prouerbialiter dixit: *aspersisti me aquâ*, pro quo Terent. *reddidisti mihi animum*, id est, afflictum & iacentem erexisti & confirmasti. Sed in verbis nostri Poetæ *animum reddas* metonymia est subiecti pro adiuncto affectu leni & amore, quali cupit Poeta in posterum tractari à puella, vt antè. Valet itaque hîc: pristinum affectum, nunc alienatum, restitue.

ODE

Ode XVII. Ad Tyndariden.

Theticum.

Tyndariden ſtudet allicere & attrahere in ſuum prædium amœnitate Lucretilis.

[1] *Elox amœnum ſæpè Lucretilem*
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit[a] *æſtatem capellis*
Vſque meis, pluuioſq́ ventos.
Impunè tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes & thyma deuiæ
Olentis[b] *vxores mariti:*
[2] *Nec virides metunt colubros,*
[c]*Nec Martiales*[d] *hædilia lupos:*
[3] *Vtcunq́ forti, Tyndari, fiſtulâ*
Valles, & vſticæ[e] *cubantis*
Læuia perſonuêre ſaxa.
[4] *Dij me tuentur: Diis*[f] *pietas mea*
Et[g] *Muſa*[h] *cordi eſt:* [5] *hinc tibi copia*
[i] *Manabit ad plenum benigno*
Ruris[k] *honorum opulenta cornu.*
[6] *Hîc in reducta valle caniculæ*
Vitabis æſtus: & fide Teiâ
Dices[l] *laborantes in vno*
Penelopen,[m] *vitreamq́ Circen.*
[7] *Hîc innocentis pocula Lesbij*
[n] *Duces ſub vmbra:* [8] *nec Semeleius*
Cum Marte[o] *confundet Thyoneus*
Prælia: [9] *nec metues proteruum*
Suſpecta Cyrum, ne malè diſpari
Incontinentes iniiciat manus:
Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamq́ veſtem.

Analyſis Dialectica.

1 PRimum inuitationis argumentum eſt ab exemplo diuino: quod tamen enunciatur comparatè à minori ad maius, vt vulgus loquitur ſcholaſticum: Faunus anteponit paſcua Lucretilis paſcuis Lycæi: quare Tyndaridi potiùs eò veniendũ eſt, quàm quouis aliò.

Primum argumentum eſt ex effectis Fauni, quòd hic arceat æſtum & pluuias pecori nocentes ab illo monte, & à grege illic paſcente iniuriam ferarum propulſet omnem.

2 Eódem veniendum & tutò paſcendum, ex adiunctis loci oſtendit, quòd nullis mons feris & colubris frequentetur. Quod autẽ hîc dicitur de cantu Fauni, & aduentu in Lucretilem ad commoditatem & felicitatem ipſius indicandam, id infinitò veriùs ac mirabiliùs Eſaias cap. 11. de felicitate, quã aduentus Chriſti allaturus erat, ἀλληγορικῶς prædixerat: *Quapropter commorabitur lupus cum agnis, & Pardus cum hœdo recubabit, vitulusq́ & iuuenis leo, ac pecus pingue ſimul erunt, & puer paruulus ea ducet.*

3 Idem docet ex efficiente, quòd ſola fiſtula & cantus Panis & Fauni inde repellat & fuget omnia noxia & venenata.

4 Ratio eſt è cauſsis conſeruantibus, contra iectum terrorem & metum abactorũ & latronum, à quibus Deaſtri ſolent illum vindicare.

5 Aliud argumentum ab efficiente, quòd Lucretilis ſit veluti fons inexhauſtus omnium ruſticarum frugum, quas Tyndaridi copioſè ſuppeditabit & profundet.

6 Locus eſt ex adiuncta opacitate, contra rabidos Caniculæ æſtus, & commoditate decantandi labores Penelopes & Circes ardentium amore vnius Vlyſsis.

7 Simile eſt argumentum è cõmoditate vini Lesbij quod ibi bibitur ſine metu, vel ebrietatis vel contentionis, vel cædis, vel alîus damni, quæ olim Lapithis & Centauris acciderunt.

8 Locus eſt ex aduerſis. Hoc vinum pacem tuetur: ergo Bacchum & Martem non committet inter ſe, id eſt, bellum repellet.

9 Alia ratio ex adiuncta ſolitudine ab interuentoribus vacua & tuta ab externis iniuriis contra petulantiam cuiuſdam Cyri, vel moroſitatem mariti: vnde efficitur illùc Tyndaridi eſſe veniendum.

Enarratio Grammatica.

Elox.] Prudenter tribuitur celeritas Fauno ad emetiendum tantũ inter vtrumq; montem ſpatium, & ad ſtudium Fauni in Lucretilem ſummum indicandum, qui mons eſt in agro Sabino, ſicut Lycæus in Arcadia, vbi templum Ioui erat ſacrum, è lib. 4. Plinij: quem etiam montem Pan dicitur coluiſſe, vt apparet ex Idyl. α. Theocriti.

Ὦ Πὰν Πάν, εἴτ' ἐσὶ κατ' ὄρια μακρὰ Λυκαίου
Εἴτε τύγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον.

O Pan, Pan, ſiue es in montibus altis Lycæi, ſiue per Mœnalon magnum obambulas. Seruius in verſ. 8. Aen. *Parrhaſio dictum, &c.* notat Lycæum dictum, quòd lupos non ſinat in oues ſæuire, quibus Mœnalus mons etiam Arcadiæ abundat ἀπὸ τοῦ μήλων, ab ouibus dictus. Grammatici tradunt τὸ *velox*, originem traxiſſe à volando pro eo, quòd ratio primigenij, *velox*, poſtularet. De Fauno autem vide Odes 4. Gramm.

Amœnum.] Feſtus ἐτυμολογικῶς definit amœna loca quę ad ſe amandũ homines alliciant. Idem confirmat Seruius in Æn. 6. verſ. *Deuenêre locos lætos & amœna vireta.* Amœna autem ſunt, quæ ſolum amorem præſtant, & addit, vel, vt ſuprà diximus, quaſi amunia, hoc eſt, ſine fructu, vt Varro & Carminius docent.

Mutat.] Diſcimus è lib. 18. Priſciani hanc Syntaxin hypallagicâ eſſe pro, Faunus mutat Lycęum Lucretili: ſimilis eſt illa Satyr. 7. li. 2. ſub fin. *puer ruam Furtiuâ mutat ſtrigili*, ꝑ, mutat ſtrigilem vuâ: ſed vtrauis occurrerit, eadem vis argumenti remanebit: huiuſmodi ſyntaxin Thuc. ſic reddit lib. 1. τὸν πόλεμον αὐτ' εἰρήνης μεταλαμβάνειν, *bellum pro pace cõmutare*: ſed Latini hoc referunt per *cum*, ac ſæpiùs per ellipſin eiuſdẽ, *bellum pace cõmutare*, vt hîc.

Defendit.] Varia eſt huius verbi Syntaxis huic Poetæ & Virgilio, ſub eodem tamen ſenſu ac vi repellẽdi: hîc dicit, *ſolſtitium pecori defendite*, &, *defendere à frigore myrtos*, quod poſterius eſt magis oratorium. Ita enim Cic. *vrbem à vaſtatione defendere*, pro, ab vrbe depellere malum, & longè plurima per te facilè inuenias. Agell. li 9. cap. 1. ſcribit defendere & offendere inter ſe aduerſari, vt illud ſit ſummouere & à ſe repellere, quod Græci efferũt, ὠθεῖσθαι ποδῶν πυκτεύειν, *è pedibus ſummouere*, ne quid noceat: hoc autem incurrere in aliquid, quod aut impedimento

ſit, aut lædat, quod etiam Græci, ἐμποδὼν εἶναι, γινέσθαι ἐμπόδιον εἶναι, obſtare, & impedimento eſſe, προσκρούειν, προσκόπτειν, impingere & allidere.

Impunè.] Hoc Græcè dicitur, αἰκάτει ἢ ἀβλαβῶς, αἴδω, ἄτης καὶ βλαβῆς ſine vlla offenſione, iniuria & damno.

Arbutos.] Arbutus eſt arbor admodum capellis grata & apibus. Virg. *arbuta paſcuntur apes.* Viridis autem dicitur, quòd ſemper frondeſcat: de quo vide Grammat. Od. 1. Eius eſt fructus quibuſdam vnedo, & Græcis κόμαρον καὶ μελίκωκον, pendulum ex longis pediculis more fragorum.

Olentis.] Λέξις μέση νομίζεται ad bonum & ad malum odorem indicandum: hîc graueolentia teterque odor intelligi debet, quomodo ἐν ἐκλογῇ 2. Virgil. *herbas contundit olentes.*

Vxores deuiæ.] Pro, capræ errando per agros paſcentes.

Colubros.] Lucret. dicit etiam *colubros venenatos*, quam quidem vocem Grammatici volunt notari ab vmbris colendis. Sic Parrhaſius eiuſdem etiam Arcadiæ mons, vbi Callimachus canit Rheam peperiſſe Iouem, deſcribitur, habens lucum ſacrum, quo quicquid ingreditur contaminatum, fit continuò purum & caſtum.

Hœdilia.] Propriè hœdile dicitur de ſtabulo hœdorũ, Græcè ἐριφοστασία. Hædus autem vel hœdus à fœdus Sabinâ dialecto, inaſpiratam: vel ἅδρα τὰ αἰδοῖ à teſticulis nominatur.

Lupos.] Hanc vocẽ ſic Macr. 1. Satur. c. 17. notat: Ipſos quoq; λύκους ἀπὸ τῆς λύκης, i. à prima luce appellatos, quidam putant: quia hæ feræ obſeruant maximè id tempus vt aptiſsimũ pecori rapiendo & quiduis prædando. Dicuntur autem *Martiales*, vel quòd ſint Marti conſecrati, vel quòd genus ſit acre & cruentum luporum, quomodo Virg. 9. Aeneid. & alibi dicitur: *Martius à ſtabulis rapuit lupus.*

Vtcunque.] Valet, quandocunque vel vbicunque, indefinitum enim vel locum vel tempus hæc vox notat.

Tyndari.] O puella Tyndari.

Vſticæ.] Vſtica mons eſt alter & vallis in agro Sabino, de qua hoc dicitur Epiſt. 16.

Continui montes, niſi diſſocientur opacâ Valle.——

Læuia.] Rupes læues, perpolitæ, læuigatæ, æquatæ aquis aſsiduè decurrentibus, & atterentibus completæ ſunt cantu fiſtulæ.

Diis.] Id eſt, mens pia, cultus & cantus iuuant Deos. Pietatem & Dei cultum eſſe viris bonis tutelam certiſsimam, etiam cognouerunt Ethnici: quod Lactantius ſcribit li. 11. cap. 18. è Triſmegiſto, μία φυλακὴ ἀσέβεια. Εὐσεβὴς γὰρ ἀνθρώπου ἔτι δαίμων κακὸς, οὔτε εἰσβαίνει. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν ἀσεβῆ ὑπὸ παντὸς κακοῦ, i. vna cuſtodia, pietas. Pium enim virum non malus Genius, non fatum ipſum deuincit. Siquidem Deus eum liberat ac eripit ex omni malo.

Diis Muſa cordi eſt.] Id eſt, placet. Sic Liu. loquitur tertio belli Punici. *Id Diis cordi non eſſe.* Terent. Andr. act. 2. Sce. 1. Phormionis act. 5. Scen. 3. Vox autem *cor* inclinatur à Græca κῆρ contractâ ex κέαρ, vnde pro eodem καρδία. τὸ δὲ ἦτορ pro eodem deflectitur ἄπὸ τοῦ ἀεῖν, à ſpirando, quod etymum videtur ad pulmones referri.

Hinc tibi.] Id eſt, ex meo fundo & prædio copia honorum ruris, &c.

Cornu benigno.] Hic caſus videtur potiùs regi ab opulenta, vt Plaut. dicit, *opulenta auro*, & Virg. *donis opulenta*, quàm à *manabit*: quia hoc verbum pro caſu è *fundo* habet, *hinc* relatiuum. Præterea Feſtus deflectit *benignum* à bono gignendo. Item *ad plenum* idem valet quod plenè, cumulatè, copioſè & abundanter tibi prouenient ex agro meo variæ cõmoditates. Hæc autem vox *cornu* ferè cũ Græca κέρας & Hebraica קרן *keren* ſcripturâ conſungitur & notione. Hîc vt in carmine ſeculari, *Appa-*

retq; beata pleno copia cornu, & in Epiſt. 12. *Aurea fruges Italiæ pleno diffundit copia cornu.* alluſio eſt ad fabuloſum Amaltheę cornu, cuius veritatem ſic Euſtath. enucleat in Periegeſin Dionyſ. quam ita interpretor: *Ferunt*, ait, *Amaltheam fuiſſe vetulam, lucro deditam & mercatricem, quæ multum indiderat monetæ in cornu: quod quia homines ditaret ac vitæ multùm cõmodaret, ſic eſt vocatum. Quum autem Hercules illud abſtuliſſet pecuniæ plenum, eoq; vſus eſſet ad voluptates perfruendas; hinc rumor facetus dilatus eſt, cornu Amaltheæ effundere Herculi omne genus bonorum. Vide ibidem plura.*

Reducta.] Id eſt, in receſſu flexuoſæ vallis, Gallicè, *en vallee eſcartée & esloignée.*

Canicula.] Hoc ſidus dicitur etiam Græcis προκύων: quia ſuo exortu præcedit maiorem canem. Oriebatur autem tempore Columellæ l. 21. & Plin. l. 18. idib. Iulij manè & apparebat 7. Cal. Aug. Euſt. in principiũ Ιλιαδ. 1. tempus huiuſmodi ortus ita definit: ὁπόταν μέν ἐστιν ὥρα μεταξὺ κειμένη θέρους καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν μετοπώρου, eſt tempus interiectum inter æſtatem & autumnum. Canicula dicitur etiã σείριος ἀπὸ τοῦ σείρειν, ab arefaciendo, ἢ παρὰ τὸ σείρειν, à ringendo & hiando præ æſtu ac ſiti: de quo Virg. 3. Æneid.

Ille ſitim morboſq; ferens mortalibus ægris
Naſcitur.

Idem Sirius creditus eſt Aegyptiis Iſidis aſtrũ, vt Plutarchus li. de Iſide & Oſiride ſcribit. Græcè quoq; κύναστρον ὅταν ἐπιτέλλοντος πολλοὶ γίνονται καύσωνες καὶ ὀλέθρια κρύματα, æſtus multi, perniciоſiq; calores fiunt illo exoriente. Hunc Homerus dicit eſſe canem Orionis Ιλιαδ. χ. ad verſum ἔστι κύν' ὠρίωνος. De vtróq; lege Scholiaſten Apollonij in li. 2. Argon. Vox autem κύων videtur inclinata ex Hebræa *Chium*: quanquam Euſtathius ἄγειν deducit ἀπὸ τοῦ κύειν τὸ φιλεῖν, vnde φιλοκύων ſos canis dicitur pro beſtia. Sed quæ hîc ab æſtu nomen habet, radix eius eſt à *chauah* ſignificante adurere, quod Seirio & caniculæ ſideri conuenit maximè, cuius exortum Ægyptij ſacrum habẽt, & inde anni ſui ducũt initium: quòd ipſius exortu Nilus exundet, & ita mirum in modum fæcundet Aegyptum, vnde incredibilis poſtea vbertas frugum exiſtit.

Teiâ.] Teos fuit ciuitas Ionum in peninſulâ, vnde Anacreon Lyricus Poeta & Hecateus hiſtoricus originem traxerunt, de quo Strabo lib. 14.

In vno.] Ellipſis eſt ſubſtantiui, *Vlyſſe*, pro amantes vnum Vlyſſem: ſic ferè labor amarus eſt comes amoris dulcis.

Circen.] Caper Grammaticus obſeruauit in Horatio ſæpiùs reperiri Circam & Penelopam à Græcis finib. Κίρκη, Πηνελόπη, quàm Circen & Penelopem.

Duces poculâ.] Sic loquitur Propert. Eleg. 10. lib. 2. Vtrobique poteſt explicari vel exhauries, vel produces: Gallicè, *faire longue beuuerie.*

Lesbÿ.] Hîc ferè, & vbicunq; fit mentio vinetorum, eſt Ellipſis *vini*: de cuius præſtantia vide eundem lib. eodem & Agell. lib. 12. cap. 5.

Semeleius.] Ita Bacchus appellatur: quia filius fuit Semeles & Iouis: de quo vide Tzetzen in Lycophronem.

Thyoneus.] Eſt cognomen etiam Bacchi à Thyone ipſius quoque nomine aut potius matris Semeles, quæ ex eo creditur Θυώνη vocata, quòd fanatico furore concitaretur grauida: id enim ſonat etiam τὸ θύειν ἢ θύνειν. Pro hoc videtur Catul. dicere epig. 24.

At vos, quò lubet, hinc abite lymphæ
Vini pernicies & ad ſeueros
Migrate, hîc meus eſt Thyonianus.

Proteruum.] De hac voce dicetur Od. 19. proximè ſeq.

Diſpari.] Semper mulier eſt valdè diſpar, ſiue marito, vt hîc puto ſumendum, ſiue alieno viro, quum res ad manus deducitur.

Incontinentes.] Quæ non poterant contineri ab offerendo raptæ puellæ ſtupro.

Iniiciat

Iniiciat manus.] Seru. Aeneid.10. *iniecêre manum Parcæ* annotat, explicans vim huius verbi Parcæ traxerũt debitum sibi, & sermone vsus est iuris. Nam iniectio manus dicitur, quoties nullâ iudicis auctoritate exspectatâ rem nobis vindicamus debitam, quod Galli dicunt *saisir*, vt dominus in prædium feudarium solet manum iniicere; quale quid sibi scortatores arrogant in scorta; quemadmodum Ouidius vsurpauit lib.1.Elegiarum,

Et dicam, mea sunt, iniiciamq; manus.

Scindat.] Hoc verbum à Græco ῥίζειν inclinatur, quod magis arguunt ab eodem deflexa ῥάξ καὶ ῥῆγμα, *segmentum & fragmentum*, ῥωγάνυχα *fissas habens vngulas*, ἀῤῥῆκτος καὶ ἀῤῥηξής.

Explicatio Rhetorica.

METrum est nonæ & præcedenti simile.

[a] Metonymia est subiecti pro adiuncto æstu & calore illius temporis, pro, *Faunus defendit meas capellas ab æstu.*

[b] Allegoria è metaphoris ab hominibus coniugatis: sed non satis verecundè in hunc locũ deducta: ideo & dura & catachresis est. Similis legitur Theocriti Idyl.11. Ὦ πάγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ.

O hirce, albarum caprarum marite.

[c] In *nec* bis repetito initio sententiæ est anaphora.

[d] Talis est metonymia, qualis illa Virgil. *triste lupus stabulis*, pro, *gregibus illuc coactis*: quòd si legis *hædulei*: ταύτη λέξις ἔσται μηδὲν πεπαμένη, *hæc dictio nihil erit immutata*: quod præter sermonis proprietatem ratio metri videtur etiam postulare: quæ tamen retinebitur, & tropus simul, si legeris, *hædiliæ* idem significans, quod *hædilia*: quæ modificata lectio ποιητικωτέρα ἔσται, id est, *Poeticam phrasim magis redolebit.*

[e] Metaphora ab animalibus, pro, decliuis & depressus. [f] Polyptoton est.

[g] Metonymia causſæ, pro inuentis ac suggestis Poetæ Odis à Musa. Sic Virgil.1.Ecl. *meditaris Musam.* & 8. *Damonis Musam dicemus*, id est, carmina: & 3. *Pollio amat nostram Musam.*

[h] Sumtum videtur ab esculentis & poculentis, quæ stomacho sunt grata, qui Græcè καρδία dicitur, ad voluptatem animi indicandam, qualem Cicero dicit se capere è Dionysio præceptore suorum liberorum, lib.5. Epist.3. ad Att. *Dionysius nobis cordi est.* Simili tropo lib. 7.Epist.1. ad Fam. *Ludi Pompeii dicuntur non esse stomachi Mariani.*

[i] Sumtum quoq; à fontibus, vt cornu ab Amaltheæ capræ cornu, quæ Iouem nutriuit: vnde passim apud Homerum dicitur αἰγίοχος: de qua vide 5.Fasto. vsurpauit autem Poeta ad summam vbertatem, copiam & fœcunditatem montis indicandã, vt in Epist. ad Iccium, & in carmine seculari, & lib.14.cap.6.Agellij.

[k] Metaphora ab homine ad lætas & copiosas fruges, & ad earundem pulchritudinem, qualis est in hoc Virg.Georg.2.versu,

Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem. i. pulchritudinem. Profertur locus ex Epid.Plaut.

Honoris causâ modo homines æquum fuit.
Sibi habere speculum, vbi os contemplarent suum.

[l] Metaphora est à corpore ad animum vtriusq; mulieris amore in Vlyssem captum; atque in *fide Teia* Metonymia videtur adiuncti instrumẽti pro subiecto carmine Lyrico & Anacreonteo.

[m] Metaphora est nota à vitro pellucido ad candorẽ & pulcritudinem notandam: vel ad naturam Deorum, quos Epicurus dicebat pellucidos, vt est 2.de Diuinat.

[n] Metonymia est continentis pro contento; *tu bibes vinum non inebrians potantem.* Est autem ducere pocula, quod Galli dicunt: *boire à traicts.*

[o] Metaphora est à liquoribus, pro, *committet bibentes inter se*, atque simul est metonymia inuentorum pro rebus inuentis, *vino* & *armis.* Sensus igitur est: Hoc vinum non concitabit homines ad furores armorum & lites, aliamque intemperantiam.

Ode XIIX. Ad Quintilium Varum.

Theticum.

Vari mordacibus curis medicinam vino facit, & vsum illius moderatum præscribit.

[1] *Vllam, Vare, sacrâ vite priùs seueris arborem*
Circa [a] *mite solum Tiburis, & mœnia Ca-* (*tili.*
[2 b] *Siccis omnia nam dura Deus proposuit:*
[3] *neque*
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
[4] *Quis post vina grauẽ militiã, aut pauperiẽ* [c] *crepat?*
[d] *Quis non te potiùs, Bacche pater, teq;, decens Venus?*
[5] *At* [c] *nequis modici* [f] *transiliat munera Liberi,*
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
[6] *Debellata: monet Sithoniis non leuis Euius:*
Quum fas atq; nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. [7] *Non* [h] *ego te candide Bassareu*
Inuitum [i] *quatiam: nec variis obsita frondibus*
Sub diuum rapiam. [8 k] *Sæua tene cum Berecynthio*
Cornu tympana: quæ subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria [l] *verticem.*
Arcaniq; fides prodiga, perlucidior vitro.

Analysis Dialectica.

INitio admonet Varum de satione vitis anteponenda sationibus reliquarum plantarum: quòd homines sobrij præter cæteros illius fructus indigeant maximè ad pellendas animi curas, quibus angi præcipuè videntur. Ideo autem hoc genus consilij datur Varo: quòd hæc planta simili dicatur affici epitheto, atq; Iupiter apud Sophoclem, παυσίλυπος ἄμπελος; quòd mœrores atque molestias soleat sedare, animosque hominum exhilarare. Prima autem medicinæ faciendæ ratio est è comparatione minorũ ac felici subiecto, quòd quum reliquæ arbores seri debeant, tum vel maximè vitis serenda sit, eaque in solo ad vitiarium faciendum valdè idoneo, qualis regio Tiburtina credebatur. Sed ab huius Plantæ satione deberet Quintilium Varum deterrere: quod cecinit Pindarus Nemeor. ode 8. στρ. 10. Ἀργυρέαισι δὲ νώμα
Τᾷ φιλέλαισι βιατὰν
Ἀμπέλου πόδ'
Argenteis quoque (aliquis
Circumagat phialis violentem
Vitis filium.

Vbi est synecdochica periphrasis vini, quod βιαστικὸν dicitur, quia immodicè potos ἄγει καὶ ἀναγκάζει εἰς ὕβριν, *impellit ad iniuriam alii inferendam.*

2 Com-

2 Comparationis ἀπολογία sumitur è decreto Dei, quod est ἄτεχνον argumentum, longè tamen verisimum, atque re maximè semper tale comprobatum. Ita enim naturâ est comparatum, vt homines sicci, i. continentes, ieiuni, abstemij, sobrij, diris sollicitudinibus exedantur: quibus remedium è satione & fructu vitis quærendum est.

3 Vis huius remedij declaratur ex efficiente sola & per se, quòd solo vino curę abigantur, nedum leuentur.

4 Remedium confirmatur periculo & experientiâ quotidianâ, quæ ponitur etiam inter argumenta ab arte remota: sed hîc tractatur more argumenti à diuersis, schemate remoto: Nemo loquitur vel expostulat de sæuitia militiæ, neque de onere paupertatis, neq; de reliquis molestiis post vina: sed de suauissimo vini sapore, de forma, gratia & pulcritudine mulierum, & de iucundissimis quibusq; rebus & delectationis voluptatisque plenissimis percontatur omnes. Quòd si secunda interrogatio sumatur pro subiectione primę, & simpliciter enuncietur utraque & comparatè tractetur sic; Omnes magis delectantur commemoratione rerum iucundarum post vina, quàm tristium narratione; collatio erit maiorum. Conficiamus igitur hoc remedium inprimis comparandum.

5 Altera est pars admonitionis de modo huius remedij seruando; qui perscribitur duplici exemplo intemperantiæ, quâ primùm Centauri sunt incitati turbatâ mente & ratione ad vxores Lapitharum constuprandas. Vnde cruenta cædes est consecuta.

6 Alterum exemplum de Thracibus, qui libidinosè & intemperanter in concubitus illicitos sese prostituerunt: vnde etiam Bacchum sibi grauiter infensum habuerunt: qualem Lycurgus etiam olim sensit.

7 Obligatio est voti, genus quoque argumenti extrinsecus sumti: cuius se Poeta obligat Baccho, de moderate bibendo, vt eius Mysteria & res arcanas possit sistere, quas nemo vnquam impunè diuulgauit. Quod Græcè interpreteris, ἐδεὶς πώποτε τὰ τῆς Θεᾶς μυστήρια κρυπτὰ τεθρύλλικε νηποινά.

8 Postremò precatur, vt ea, quibus ad ebrietatem & insaniam homines adigantur, Bacchus contineat, ne more Baccharum, quum sacra Bacchi tempore Orgiorum è templis expromebant noctu, tertio quóq; anno, & in montosa & deserta loca asportabant, multa ingratiis Deastri turpiter designantes, auditione sonantis tympani & cornu Berecynthij, præceps proruat in ebrietatis furorem. Deprecationis autem argumentum est ex adiunctis, quæ temulentiam sequuntur; amore sui, arrogantia, perfidia, & leuitate in consiliis & rebus arcanis, quæ fidei creditæ sunt, prodendis, quæque clariùs transparet oculis hominum vitio ebrietatis, quàm vitrum pellucidum. Siccis omnia, &c. hoc Græcè dixeris, πάντα γὰρ τὰ δεινὰ παρέθηκε τοῖς ξηροῖς καὶ νήφουσιν ὁ Θεός. Scio equidem hæc ab aliis dialecticis poni in loco argumentorum à consequentibus: sed malo ad categoriam adiunctorum referre, quæcunque vel antecedant, vel consequantur, vel alio quolibet modo rem circumstent vel attingant.

Enarratio Grammatica.

Vare.] Quia Varus hic, cui Ode inscribitur, non Varius, vt Ode 6. huius, & 1. Epist. lib. 2. dicitur; non satis persuasus sum de vtro intelligam, de Poetáne, de quo in Gram Odes 6. an de Quintilio Varo, de quo ibidem. Quare Lectori id relinquo iudicandum. Quintilius tamen appellatur in Epistola ad Pisones sub finem, integer & incorruptus censor Poematum, cuius consilia audire & emendationem sequi iubentur Pisones, antequam in lucem edant sua scripta.

Vite.] De ratione vitis serendæ (cuius genialis consitor ab Ouidio Bacchus vocatur, ideoque ipsi sacræ) vide 2. Georg. & Colum. li. 3. c. 14. Varro li. 1. c. 13. Hic autem versus traductus est ex Alcæo Poeta Lyrico, μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλῳ (genitiuus est Doricus pro ἀμπέλου) *nullam aliam seres arborem vite priorem.*

Solum Tiburis.] Sestius Historicus Græcus scribit lib. 6. antiquitatum, Catilum Amphiarao patre Thebis mortuo in Italiam venisse, & pulsis Sicanis ex oppido sito non procul à Roma, illic procreasse ternos liberos Tiburtum & Coracem & Catilum, & de nomine natu maximi oppidum vocasse: vide quid præterea de hoc dictum sit Ode 7.

Catili.] Tiburtus hîc ex Catilo intelligẽdus est, versibus Virgilij ibidem citatis.

Siccis.] Cic. contra Rullum siccis opponit vinolentos: *vtrum vobis esse consilia siccorum, aut vinolentorũ somnia videntur?* Tibull. autem siccis opponit madidos, lib. 2. Eleg. 1. —*Non festâ luce mader.*

Est rubor, errantes & malè ferre pedes.

Sic Bacchus dicitur vuidus Od. 19. li. 2. quod tamen nolim interpretari omnino ebrium, sed vt Hesychius ὑγρομεθύουλα ἢ ὑποθερμαινόμενον *leuiter appotum, & aliquanto vino imbutum, & madefactum:* pedum tamen titubatio indicat madidum esse ebrium. Quare explicandum est hîc, *siccis*, abstemiis & sobriis, quomodo Epist. 19. l. 1. accipiendum, —*forum putealq; Libonis*

Mandabo siccis.

Mordaces.] Interpretatio est epithetorum Græcorum, θυμοδακεῖς, θυμοβόροι, γυιοκόροι μελεδῶνες, θυμαλγεῖς· *mordentes animum, deuorantes, exedentes membra, excruciantes.* Ellipsis autem est hîc post *aliter*, explenda: non aliter tristes deponuntur curæ, atque vini potione. Simile dat consilium Theognis:

Πῖν' οἶνον, τὸν ἐμῆς κορυφῆς ἀπὸ Τηϋγέτοιο
Ἄμπελοι ἤνεγκαν, τὰς ἐφύτευσ' ὁ γέρων
Οὔρεσιν ἐν βήσσῃσι Θεοῖσι φίλος Θεότιμος,
Ἐκ πλατανιστώντος ψυχρὸν ὕδωρ ἐπάγων·
Τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας·
Θωρηχθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφρότερος.

Bibe vinum, quod è vertice mõtis Taygeti vites proferunt: quas quidem senex Theotimus Diis carus seuit in radicibus montis è plataneto frigidam deducens aquam. Huius potione graues abiges curas, & sic armatus vino multò alacrior eris.

Μελεδῶνες autem dicuntur quasi τὰ μέλη ἐδοῦσαι *exedentes membra*, vt Latinè curæ: ad quod etymum allusione dicuntur μελεδῶνες γυιοβόροι, *depascentes membra*, vt modò dictum est. Ita Donat. distinguit in Phor. Act. 2. Sce. 4. *cura à sollicitudo:* vt hoc sit in metu malorum. Ideoque definitur lib. 4. Tusc. *Solicitudo est ægritudo cum cogitatione*; quæ definitionis ratio mihi videtur alludere ad etymon τῆς μέριμνα Græcum, quod tradunt dici ἀπὸ τοῦ μερίζειν τὸν νοῦν, quòd mentem huc atque illuc rapiat, & variè partiatur; eamq; idem Cicero scribit lib. 1. *de finibus* à Diis immortalib. supplicij causâ hominibus imporiari, quâ eorum animi noctes, diesque exedantur. Illud autem in spe bonorum. Don. in Andr. Act. 1. Sce. 1. distinguit ita sollicitudo & sollicitatio, vt illa mentibus inhæreat, hæc autem ab alio fiat.

Quis post.] Sic vitis inducitur à Ioathan 9. Iudicum respondens cæteris arboribus, quum ipsam vellent reginam suam creare: *deserámne meum mustum, quod Deo & hominibus lætitiam dare solet, vt in cæteras arbores imperium habeam.* In hoc tamen exemplo ne putes Deum potione vini egere: sed hîc τὸ *Deum* μεωνυμικῶς sumendum pro sacrificiis Deo factis, vbi vinum libabatur, quod quum fiebat, canebatur: vnde illa exhilaratio duplex fuit.

De ori-

De origine talium apologorum, Deo volente, epistolâ 10. dicetur.

At ne quis.] Immoderatus autem vini potus sic notatur à sapienti Hebræo cap. 20. Prouerb. *vinum hominem irrisorem fecit, & ceruisia seditiosum, quisquis eo delectatur, non sapit.* Idem Sapiens cap. 31. eiusdem libri præscribit, quibus potio vini debeatur: *Date*, inquit, *siceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non amplius recordentur.* Ex hac sententia infinitę γνῶμαι & apophthegmata tam Græcorum quàm Latinorum emanarunt: quæ postea ex obseruatione & consideratione eorum, qua vel fiunt à temulentis, vel quæ ipsis accidunt, conscripta sunt. Eubulus apud Athenæum lib. 2. de natura disputâs inter alia docet; sapientes sibi tres cõstituisse crateras, *vnũ sanitatis, alterum voluptatis, tertium somni, reliquos omnes furoris.* Apuleius è dicto cuiusdã sapientis super mensam celebris idem cõfirmat, *prima cratera pertinet ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatẽ, quarta ad insaniam.* Hinc Anacharsis, κιρναμένου κρατῆρος ἔφησέ ὁ μὲν πρῶτος ὑγιείας πίνεται· ὁ δὲ δεύτερος ἡδονῆς· ὁ δὲ τέταρτος ὕβρεως· ὁ δὲ πέμπτος μανίας· *primus crater infusi vini bibitur ad sanitatẽ: alter ad voluptatem: tertius ad contumeliam: quartus ad insaniam.* Huic subiecit alterum obseruationis & sanationis caussâ, Ἐρωτηθεὶς πῶς ἄν τις μὴ μεθύσκοιτο, ἐὰν ὁρᾷ ἔφη, τοὺς μεθύοντας, οἷα ποιοῦσι· *interrogatus, quonam pacto posset quis ebrietatem vitare, si, quod ebrij faciant, spectet, respondit:* οἶνος γὰρ ἀνθρώποις ἐσόπτρου· *vinum enim est hominis speculum.* Sic Plato iratis & ebriis consulebat, vt in speculo vultus suos contemplarentur, & perspectâ deformitate vitia fugerent: quod secutus Demea Terentianus Act. 3. Sce. 3. ver. 61. dicebat: *deniq; inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi:* quale exemplum quum Spartiatis veteribus non suppeteret ad institutionem adolescentum, Ilotas seruos ad hanc intemperantiã malè impellebant: quò facilius deterrerẽt pueros & adolescẽtes ab huiusmodi turpitudine: quæ tamen nõ admittenda erat, vt inde emendatio fieret: non secus, atq; seditio non concitanda est inter ciues, vt prudentia & fortitudo magistratus illustretur: nec periculum maris procellosi subeundum, vt virtus Nauclerí arguatur: nemo deniq; hac specie boni cõsequentis quicquam mali debet aggredi. Illinc quoque Theognis, quod non ita multo abhinc tempore Hural-thospitaliis in moralem disciplinã prælegi Bellebati,

Εἰ πίομαι, πινίσκω δυμοφθόρον· ἀ μελεδαίνω
Οὐδ' ἀνδρῶν ἐχθρῶν οἵ με λέγουσι κακῶς.
Si bibero, paupertatem animi pestem non curo,
Neq; homines inimicos, qui de mea fama detrahunt.

Idem de immoderata vini potione:

Ὅς δ' ἂν ὑπερβάλλοι πόσιος μέτρον, ἐκ κεῖνος
Τῆς αὐτῆς γλώσσης κάρτερος, οὐδὲ νόος.
Sed qui excesserit modum potionis, non amplius ille
Habet in potestate linguam, nec mentem.

Tales huius intemperantię effectus vide in Epist. 5. lib. 1. ad Torquat. ad hæc verba: *Quid non ebrietas designat.* Subiiciam prętera interpretationem illius Latinam, quod Scholia Eustathij in Οδυσ. Ξ. vers. 3. Ἀζηχὲς φαγέμεν καὶ πίμεν &c. de Iro narrant, qui solebat ἀκαλαπάστως, id est, *indefinenter comedere & bibere, &c. Sciendum*, ait interpres, *assiduè ac multum comedere, non admodum multos perdidisse, sed assiduè ac multum bibere, infinitos: quorum vnus etiam magnus Alexander fuit:* quod tamen Plutarchus nominatim non scribit in ipsius vita. Narrat quidem sub initium ad verba, Ἀλέξανδρον δὲ ἡ θερμότης τοῦ σώματος, ὡς ἔοικεν, καὶ πολὺν καὶ θυμοειδῆ παρεῖχεν, id est, *Alexandrum autem calor corporis vinosum & iracundum reddidit.* Idem ad finem Historiæ refert ex Aristobulo, eum in paroxysmo febris bibisse vinum, & ex eo in phrenesin incidisse: deinde die mensis Dæsij decimo decessisse. Ibidem Eustathius scribit, quemadmodum Δίχους ἔσπασε γυναῖος, id est, *ingens poculum exhauserit egregiè propinans Proetæ Macedoni, atque ex eo in ceruical reclinatum ægrotasse, atque pòst obiisse.*

Monet.] Ex obseruationibus Grammaticorum huic verbo ita conuenit cum *hortari*, quòd vtrumque habeat auctoritatem rationibus idoneis persuadendi: sed per hoc ostenditur, quid boni euentus, si id fiat, quod suadetur, futurum sit: qualis est hortatio patris ad filium Horatium Satyrâ 4. lib. 1. Monendi autem verbo, quid mali, ni fiat, declaratur: vt illa leniter fiat: sed monitio seuerè. Sicut constat ex hoc Senecæ loco lib. 1. cap. 14. de Clementia: *Quod ergo eius principis officium est? quod bonorum parentum: qui obiurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus:* vnde Cicero aliis, qui pueros errantes leuiter percutiunt, transtulit ad obiurgationem Attici in seipsum, Epistol. 1. lib. 2. ad Atticum, *Quod me quodam modo molli brachio de Pompeij familiaritate obiurgas, nolim ita existimes, me mei præsidij causâ cum illo coniunctum esse.* Itaque adhibenda est ratio, vt monitio careat acerbitate, & obiurgatio contumeliâ, vt ait Cicero in Lælio: vnde factum est, vt *monere & monitio* pro obiurgare & obiurgari sumantur. Sed hæc monendi vis aliquantò leuatur compositione verbi, *admonere.* Hic tamen locus Epist. 4. lib. 10. ad famil. videtur contrarium subindicare: *Quare, si aut aliter sentirem, certè admonitio tua me reprimere, aut si dubitarem, hortatio impellere posset.*

Centaurea.] Pindarus Pyth. εἰλ. β. Centaurorum originem tribuit Ixionis concubitui cum nube, & Virgil. libr. 2. Georgicorum quorundam nomina sic appellat:

Bacchus & ad culpas caussas dedit: ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœtumq;, Pholumq;,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Item Propertius memorat lib. 2. Eleg. 22. alios duos,

Tu quoque, ô Eurytion, vino Centaure, peristi,
Necnon Ismario tu Polypheme mero.

Fabula Centaurorum & Lapitharum narratur copiosè lib. 12. Metam. & lib. 4. Plinij & 9. Strabonis. Hi vtríque populi fuerunt Thessaliæ, quos Pirithous inuitârat ad nuptias Hippodames filiæ. Plutarchus tamen in vita Thesei scribit fuisse Deidamiam: cui & cæteris mulieribus Centauros incendio vini volẽtes stuprum offerre, Lapithæ occiderunt: quæ interpres Apollonij docet ὑπὸ τῶν Λαπίθων τῶν Ἀπόλλωνος καὶ Στίλβης νύμφης ὀνομαζομένων. Seruius autem 7. Æneid. ad hæc verba

—*Mars perdere gentem*
Immanem Lapithûm valuit.

sic fabulam narrat. *Pirithous*, inquit, *Lapitharum rex, quum vxorem duceret, vicinos populos Centauros etiam sibi cognatos & Deos omnes, excepto Marte, ad conuiuium vocauit: vnde iratum hoc numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithæ in bella venerunt.* Memoratur etiam Odyss. φ. bellum inter Centauros, Eurytionem, & Lapithas ortum ex ebrietate: cuius Antinous insimulat ibi Vlyssem. Sed præstat Antinoi verba subscribere Vlyssem increpantis,

Οἶνός σε πρώην μελιηδὴς, ὅν τε καὶ ἄλλους
Βλάπτει, ὃς ἄν μὴ χανδὸν ἕλῃ, μηδ' αἶσιμα πίνῃ, ἴ.
Vinum te vulnerat dulce, quod etiam alios
Ladit, quicumq; ipsum abunde sumit, nec bibit decẽter.

Leges versus sequentes de Centauris, Eurytione, Pirithoo & Lapithis: quem quidem locũ Athenęus repetit initio lib. 14. Sed in primis leges cap. 10. li. 1. Senecæ de Beneficiis, vbi hęc scribuntur, *Honor aliquando habebitur*

ebrie-

ebrietati, & plurimum meri cepisse, virtus erit: quod iam imperante Tiberio cõtigerat, vt Suetonius refert in ipsius vitâ, & in totâ pòst Germaniâ nõ opidatim modò, verùm vicatim etiã celebratum fuit. Quali quoq; discordia Theognis veretur, ne ciuitas sua pereat:

Δειμαίνω μὴ τὴν δὲ πόλιν, Πολυπαΐδη; ὔβριες
Η᾽ρσι Κενταύρους ὠμοφάγους ὀλέσῃ.

Timeo, ô Polypæda, ne iniuria contumelioſa perdat hanc ciuitatem,
Quæ Centauros crudiuoros perdidit.

Ortus verò Centaurorum dicitur à Plutarcho Pindarum secuto in vita Agidis & Cleomenis fuisse ex Ixione Thessaliæ rege & nube in locum Iunonis suffecta: sed rationem Epimythij pete à Palæphato de fabulis, περὶ μύθων: vnde discres Centauros dici ἀπὸ τὸ κελακεντᾶν, ab exstimulandis tauris in equis insidentes. Idem confirmat Scholiastes Pindari in locum antè citatum, cuius interpretatio Latina est, *Sunt, qui totam fabulam accipiunt, tanquam centauri non duplicis fuissent naturæ.* Hos enim aiunt prius Lelegas vocatos; qui, quòd equitantes primi agitarent equos stimulis, hippocentauri sunt vocati, de priore nomine sic Eustathius in ιλιαδ. τ. ad vers.

Ἔγχει χαλκείῳ Λέλεγας καὶ Τρῶας ἐναίρειν, i.

Pallas iubebat hastâ æreâ Lelegas & Troianos interficere. annotauit, *Leleges & Troiani iidem; qui videntur Aeneam consequuti & communes cum ipso labores adiisse. Sed si summam eorum cõficere velis, Leleges sunt Cares planetæ, i. vagi: quorũ ciuitas fuit metropolis Cariâ, ità vocati, quòd è multis nationibus collecti, in vnum se coegissent locum.* Hîc Strabo appellatur honorificè Geographus, & dicitur, ἐκ αὐτοχρημα Κάρας οἰδένει τὸς Λέλεγας, id est, *non reuerâ Cares nosse Lelegas.* indidem de Lapithis, qui sint, intelliges. In libello tamen, *quòd bruta animalia ratione vtantur,* sub finem dicuntur Minotauri, Ægipanes, Sphinges & Centauri, orti è coitu hominum cum capris, suibus & equabus. Cui tamen opinioni Galenus libr. 3. de vsu partium intercedit, eique maximè, quæ fuit postremo nominata loco: propterea quòd semina hominis & equæ nequeant coalescere; atque in loco Πυθ. modò à nobis citato reprehendat Pindarum, qui cecinerit è coitu Centaurorũ cum equabus Magnesiis admirabilem hominum exercitum parte supernâ patri, infernâ matri similium natum: ideoque hippocentauri διφυεῖς nominati sunt. Sed tale figmentum poetæ cõdonandum est, vt similia facilè Homero & Hesiodo, ætate hunc Lyricum longâ superantibus concessa sunt; à quibus fides, vt ab Historico aut à Physico non exigi solet. Reliquam huius Medici reprehensionem lege sub initiũ dicti lib. quem comperies alio vsum exemplari, atque nos huius ætatis: sic enim se habent versus Græci vatis, vt hodie leguntur, —— ὃς,

ἵπποισι Μαγνη-
τίδεσσιν ἐμίγνυτ᾽ ἐν Παλ-
λίῃ, σφυροῖς. ὃκ δ᾽ ἐγχόνλο φατὸς
θαυμαστὸς, ἀμφοτέροις
ὁμοῖοι τοκεῦσι. τὰ μὲν πατρόθεν μὲν
κάτω, τὰ δ᾽ ὕπερθεν, παῖδες, id est,
—— *qui (Centaurus)*
cum equabus Magnesiis commixtus est in Pelij
vallibus, inde nata est gens
Mirabilis, ambobus
Similis parentibus: parte quidem
Infernâ matri: supernâ patri.

Tibi, Lector, relinquo locum Galeni cum hoc Pindari conferendum. Hæc autem à nobis sunt propterea huc adscripta, quòd arbitrati simus operæpretium esse, nosse, quare ἡ φύσις ἐποίησε πῶς τὸ ἀνθρώπου σῶμα ἄμικτον εἶναι, contrà, quàm poetæ commenti sunt: qui exempli gratiâ vnum è *Centauris Monychum* nominarunt, & in his Iuuenalis Satyrâ 1,

—— *quantas iaculetur Monychus Ornos*

quum τὸ Μώνυξ, id est, solidipes vel solungulus sit Epithetum equorum, qui solidam habent vngulam περὶ ἀπλιαστολῶν ἄλλων ζώων πολυωνύχων καὶ δικτύλων, id est, *ad discrimen aliorum animalium multis vngulis præditorum & bifidorum,* vt Odyss. ι. sub initium,

Ξεῦξον ὑφ᾽ ἅρμαθ᾽ ἅγων, ὄφρα τρήσωμεν ὁδοῖο, μώνυχας ἵππους, id est,
Iunge currui subigens, vt eamus viam equos vnius vnguis.

Super mero.] Cum hoc Lapitharum & Centaurorum conuiuio Cicero comparat intemperatissimas Pisonis perpotationes cum sordidissimis ipsius gregibus: vbi nemo potest dicere, vtrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit: hîc autẽ super mero, vt alibi super cœnam & vinum, dicitur pro eo, quod Cic. inter cœnam & vinum pronunciare solet.

Non leuis Euius.] Bacchus religiosè colebatur à Thracibus, tamen grauis & infestus esset intemperantibus, qui ipsius mysteria per ebrietatem indicarent. Fuerunt quoque Thraces non dissimili libidine dicti Sithonij, quòd olim Thracia diceretur Sithon. Plutarch. quoq; lib. περὶ φυγῆς sic de ipso & ipsius auo scribit: Καὶ ὁ τὸ Διονύσου πάππος, ὡς ἐξεπέμφθη πρὸς Εὐρώπην ἀνδρείαν, ἔδε αὐτὸς ἐπανῆλθε. Φοίνιξ πεφυκὼς οὐκ ἀπ᾽ ἐείζεται ἥμεν, εἰς τὰς Θήβας παραγενόμενος Εὔιον ὀρσιγυναῖκα. Διόνυσον μαινομέναις ἀνθεσπίζομεν Εὔιον ὀρσιγυναῖκα. Διόνυσον μαινομέναις ἀνθεσπίζομεν πομπαῖς· id est, *auus Liberi exsul erat, qui missus fuit ad inuestigandam Europam, nec rediit. Et quum natione Phœnix esset & Thebas venisset, in exilio procreat Euium Dionysium mulieres concitantem, & furiosos honores affectantem.* Præterea Euius Grammatici deflectunt ἀπὸ τοῦ δοῖ ὀπίρρημα ὀπιφωνηματικὸν, *ab aduerbio acclamandi Baccho,* quasi δοῖ, *benè illi sit,* de quo lege scholia Eustathij in Periegesin Dionys. vbi describit Amnitas mulieres Bacchicas, & paulo pòst Camaritas Bacchi quondam hospites; inde discres τὸ αὐδάζειν factum sumi pro, ὑμνεῖν τὸν δῖον Διόνυσον, quo modo dicitur acclamasse Iupiter Baccho filio suo, postquam occidit vnum è Gigantibus, δᾶν δῖε, *Euge bone fili.* Ita mulieres Bacchantes Libero acclamabant. Alij tamen deducunt ab δ᾽ & ἰὸς, quod est φάρμακον, παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, *à medendo,* quòd sit bonum medicamentum. Prius inclinamentum requireret adspirationem, Euhius: posterius tenuationem: vt hîc vides.

Libidinum auidi.] Thraces libidine incensi & cupiditate iustum ac iniustum, honestum & turpe, res maximè inter se contrarias, nullo ferè termino & modo definiunt: nec illa ab his distinguere & diiudicare possũt. Vt quod Iuuenalis fecit in mulierem temulentam, παροιμιώδως posset in eos quadrare Satyrâ 6.

Inguinis & capitis, quæ sint discrimina, nescit.

quum illud tegendum, hoc nudandum esse non secus dignoscat, atque prauum à recto. Est autem *discernere* propriè, eum, qui præest iudiciis, præbere se facilem litigantibus audiendis, & lenem in iudicãdo, diligentẽ in satisfaciendo: atqui satisfacit partim, quũ facilitatem adiungit causis litigantiũ dirimendis, partim quum benigno vultu ac verbis ita demulcet, quos sit condemnaturus, vt hi non discedant prorsus irati maleque animati: quod quidem verbum διακρίνειν τὰς δίκας τοῖς πολίταις exprimere mihi videtur.

Bassareu.] Casus est vocandi Græcus à recto Bassareus, vt Theseu, Orpheu, ab Orpheus & Theseus: sic Bacchus hoc cognomen sortitus est à genere vestis, quo Bacchides vtebantur. Sic enim Hesychius: βασσάραι μὲν ἦσαν χιτῶνες, ἃς ἐφορῶν αἱ Θρᾷσσαι βάκχαι· *sunt tunicæ, quas Thraciæ Bacchæ gestabant ex pellibus vulpium:* quæ ἀλώπεκες etiam

etiam dicuntur, βακτάρεσι παρὰ τὸ βάσιν ἐπ' ἀρᾷ ποιεῖσθαι διὰ τὸ μανιώδες, quòd valdè consentirent inter se in maledicendo & impresando per maniam quandam & furorem: vnde constat etymon Phurnuti ἀπὸ τοῦ βάζειν, à dicendo & clamando, non satis esse verum. Sic autem enunciatur in hymnis Orphei:

Ελθὲ μάκαρ Διόνυσε πυρίφορε ταυρομέτωπ' Βάκχαρε. Id est, (rè.

Huc beate Dionysie nate fulminis igne, tauri formi Bassa-

Quatiam.] Pro hoc Virg. verbo vtitur commouendi 10
4. Æn. v. 301.

Qualis commotis excita sacris Thyas, vbi Seru. annotat: vt à Baccho Bacchas, sic à Thyoneo Thyas dicitur. Commotis autè dicit, quia in sacrorum renouatione commouebantur simulacra. Item Plaut. in Pseud. Sc. 1. *Scis tu quidem Hercle, mea si commoui sacra, quo pacto & quantas soleam tui bellas dare.* Hi Poetę ad Bacchanalia manifestò alludunt, quorum sacra in cistis alio tempore inclusa inde proferebantur, & in montes à Bacchis gestabantur: vnde Virg. 3. Æn. v. 125. canit, *Bacchatamq; iugis Naxon:* quod dum fiebat, nihil prætermittebatur obsceni, vt Od. 19. l. 2. è Blondo de Roma triumphante notatum fuit, vnde depromsit argumentum Poeta Od. 15. lib. 1. ad vers. *Pulso Thyas vti concita tympano.* Hoc autem verbum puto sic accipiendum, vt illud Terentij, *quatiam te foràs*, pro coniuncto excutiam & propellam, & hic pro efferam tua mysteria. 20

Obsita frondibus.] Nam sacra Bacchi in arculis recondita frondibus, edera, pampino tegebantur. Sic Teren. dicit *obsita pannis, annis & æuo:* quasi operta annis: hic etiam obsitum nitidis iter, & vlceribus corpus. 30

Sub diuum.] Valet in publicum & hominum conspectum proferam.

Berecynthio.] Berecynthus est nomen montis & oppidi in Phrygia: scribitur tamen l. 10. Strab. Βερέκυντες pro populis, & in vniuersum pro Phrygibus, à quibus Rhea, i. mater Deorum Cybele, colebatur. Hìc autem pluralis est à genitiuo inusitati recti Βερέκυντ& sine aspiratione, vt Stephanus Byzantius de Vrbibus notauit: quod etiam confirmat Seru. Æn. 9. 40

Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magna, &c.

Mater Deûm, à monte Phrygiæ Berecyntho, cuius vltima syllaba caret aspiratione, quam addimus, quoties montem Deli Cynthum dicimus.

Tympana tene.] *Reprime omnia, quæ me inuitarent ad insaniam.* Dicitur autem tympanum παρὰ τὸ τύπτειν per pleonasmum literæ μ. & definitur ξύλον, ᾧ τὶ τύπτεται, *lignum & baculus quo quid pulsatur*, ait Suid. Est etiam organum ἐνδερμάτων, cuius os vtrumque pellibus obstruitur & 50
intus cauum est, & tusum resonat. Bacchæ eo vtebantur in Orgiis.

Cæcus amor sui.] Interpretationes sunt harum vocum; φιλαυτίας, ἀλαζονείας καὶ ἀσυνησίας, *amor sui, gloria tollens verticem, fides prodiga arcani & garrulitas*, Gall. *qui decelent le secret*, quod repugnat etymo fidei, quale Cic. dicit Epi. 12. l. 16. se Tironem docuisse: id autem fecit l. 1. de Off. *fidem inde dictam quia fiat id, quod promittitur.* Ex illo autem amore sui hæc oriuntur mala: inuidia, simultas, odium, rixæ, dissidia, seditiones & Rer. impub. euersiones. Plura recensentur 2. ad Timoth. c. 3. quæ vers. 2. 3. 4. continentur ad septendecim, & Apostolus vitanda docet. Hoc igitur vitium Plato rectè censet, esse fontem omnium malorum: quia immodicus nostri amor ita nos excæcat, vt quæ sint iusta, quæ bona, quæ honesta diiudicare rectè non sinat: & quam malè semper apud omnes audirent, qui hoc tenerentur vitio, Arist. apertè l. 9. Ethic. indicauit. Hoc tamen in vtramque partem disputat, quod tamen soluitur l. 2. Polit. c. 3. Hinc orta sunt Prouerbia, γόνυ κνήμης ἔγγιον. l. 9. c. 8. Ethic. *Genu tibia propius est.* ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, *longiùs quàm genu tibi, scil. remota est.* Theocr. Plaut. in Trinum. *Tunica pallio propior.* Terent. in Andr. *Proximus egomet mihi.* Plut. autem rectè scripsit: τὸ λίαν φιλεῖν ἑαυτὸν τοῦ μὴ φιλεῖν ἄπιον κατέστη. *nimium amare se est causa non amandi:* vnde: λίαν φιλῶν ἑαυτὸν οὐκ ἔξεις φίλον. *Si te nimis ames nullum habebis amicum.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile 11. huius libri.

a Existimo hoc epithetum commendationẽ habere cultus & habitus loci: quòd illic fata non modo nõ degenerent, sed si forte sunt aliquo naturæ vitio acriora, mitescant: itaque mite metonymiam habebit effecti pro efficiente.

b Metaphora est à corpore ad animum, pro hominibus sobriæ, sanæ & integræ mentis, quam obruit violentia & corporis intemperantia omnis. Ideo autem à Cic. Oratores Attici vocantur sicci & sani, quod ex Heraclito ille audisset splendorem siccum indicio esse mentis prudentissimæ: quam quidem φυσιογνωμοσύνην Galen. citauit & approbauit. Orationis tamen siccitatem Cic. l. 2. de nat. Deor. alia ratione dicit pro inopia, & ieiunitate, cui opponitur copia & vbertas.

c Metaphora est ab attritu duriorum corporum: vnde cum stridore sonitus existit ad incontinentiam humanæ vocis indicandam, pro assiduè & identidem de re aliqua loqui, aliquid semper habere in ore, dolere, queri: eodem tropo vtitur Sat. 3. lib. 2. *Si quid Stertinius veri crepat.* Epist. 7. lib. 1.

Sulcos & vineta crepat mera. Simili tropo dicitur Græcè in Axiocho, κἂν παχυτέρως τούτων λόγους ἀφηχρολήσῃς, id est, etsi declames nunc his veriora & crepes: ita Græci κυλικηγορεῖν, *inter pocula fabulari dicunt.* Quo genere tropi Sophoc. in Aiac. τόσον δ' ἐκόμπει μῦθον, i. *tanta verba crepabat, & iactabat*: quod ductum est ab apro grauiter frendente. Ibidem similiter dicitur μέγά τι κομπάζειν, *Magnopere aliquid iactare.*

d Anaphora, sicut *in te te*, ac prętera est apostrophe: auertitur enim sermo ad Bacchum & Venerem coniunctim.

e Videtur hìc quædam procatalepsis & occupatio temeritatis in remedio abigendis curis adhibendo.

f Metaphorà est à saltatoribus ad excessum potionis exprimendum.

g Sumtum à re militari & hostibus vi debellatis, ad rixam inter vinum & epulas diremtam.

h Iteratur separatim apostrophe ad Bacchum, vbi, *te*, metonymiam habet subiecti pro adiunctis mysteriis & sacris Bacchi.

i Pro, non proferam in vulgus tua mysteria præ ebrietate. Hũc autem tropum *quatiam te*, Virg. & Plaut. propriè enunciarunt locis suprà in Gram. citatis quum dixerunt, *sacra commouere & sacra commota:* quibus Poeta deprecatur similitudinem Orgiæ celebrantium, & sacra Bacchi in solitudines ferentium.

k *Sæua.*] Tympana dicuntur sæuà μετωνυμικῶς, i. ab effectu, quòd ad insaniam crudelem animos inflamment, vt ebrietas facit.

l Agnosco hìc quoque metonymiam subiecti pro, sumere & tollere magnos spiritus & insolenter efferri gloriæ cupiditate.

Ode XIX. De Glycera.

Theticum.

Quòd de præliis Scytharum & Parthorum scribere nequeat.

[a] *Mater sæua Cupidinum,*
Thebanæq; iubet me Semeles puer,
Et lasciua licentia
Finitis animum reddere amoribus,
Vrit me Glyceræ nitor
2 *Splendentis Pario marmore*[b] *purius:*
3 *Vrit grata proteruitas,*
Et vultus nimium[c] *lubricus aspici.*
4 *In me tota ruens Venus*
Cyprum deseruit: nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
[d] *Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.*
5 [c] *Hîc viuum mihi cespitem, hîc*
Verbenas pueri ponite, turaq;,
Bimi cum patera meri.
Mactatâ veniet lenior hostiâ.

Analysis Dialectica.

HIc duplex proponitur caussa, cur res bellicas versibus complecti non possit: vna est intus occulta, eaque valentissima, quam subministrant Venus, Bacchus, & libido: altera est exterior in candore Glyceræ: à quibus, tanquam ab acerrimis hostibus, oppugnatur: ac ne debelletur tandem & superetur, cõfugit ad Deos Auerruncos: qui à Græcis dicuntur Αυσπάιοι, Αποτρόπαιοι καὶ Αποπομπαίοι, vt à Latinis, quòd tristia & incommoda auertant & amoliantur à miseris: eamque ob rem Veneri sacra facere parat. Verùm si è Phocylide primùm audiisset.

Μήδ' ἐς ἔρωτα γυναικὸς ἅπας ῥάδιος ἀκάθεκτον.
Οὐ γὰρ ἔρως Θεός ἐστι· πάθος δ' ἀϊδήλου ἁπάντων.
Neq; amore in mulierem totus diffluas indomabili.
Non enim amor est Deus, sed cæcus omnium affectus.

Deinde si è Theophrasto didicisset τὸ ἔρωτα εἶναι πάθος ψυχῆς ὀλαζόνος, καὶ κεφάλαιον μὲν ἐξ ἀρχῆς τινὰ πάθους σπέρμα μὴ παρέχειν, amorem esse affectum otiosi animi, atque optimum esse iam inde ab ortu talis affectus pabula illi abstergere, i. detrahere, vt loquitur Lucretius: si denique sæuitiam amoris intellexisset, vel potiùs memoriâ repetiisset, qualem his verbis describit Apollon. lib. 4. in Medeam:

Σχέτλι' ἔρως μέγα πῆμα, μέγα ξύγκραμα βροτοῖσιν,
Ἐκ σέθεν ἁλόμεναί τ' ἔριδες, γοναχάπτι, λοιταί,
Ἀλγεά τ' ἀλλ' ὅσα τοῖσιν ἀπείρονα πεδήσαο.
Δυσμενέων ὦ παισὶ κορύσσεο δαίμον ἀϋδρεῖς,
Οἷ' Μηδείῃ συγερῷ φρεσὶν ἔμβαλες ἄτην;
Improbe amor, clades ingens, odium magnum hominibus,
Ex te pernicioſæ contentiones, gemitus, luctus,
Ac infiniti dolores aliis alij additi, exasperati sunt,
O dæmon sublimis in hostium pueros sæuias,
Quomodo grauem immisisti noxam in mentem Medeæ?

Si, inquam, hæc meminisset, nunquam consuetudinem otij, nec muliebris colloquij fecisset: vnde tanquam è fonte & fomite oriuntur & emanant omnia & vitiorum & malorum genera: eam ob rem Ouid. cecinit: *Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,*
Contemtæq; iacent, & sine luce faces.
Neque præterea necesse fuisset illum talibus Diis operari. Sic Milon amantem Battum monet εἰδυλ. ἰῶτα.

τίς δὲ πόθος τ' ἔκτοθεν ἐρχάτᾳ ἀνδρὶ; *quis verò externarum rerum desiderio tenetur, intentus operi?*

Idem εἰδυλ. ιά.

Οὐδὲν ποθεῖν ἔρωτα πεφυκὼς φάρμακον ἄλλο,
Νικία, ἔστ' ἔγχεισον (ἐμοὶ δοκεῖ) ἔστ' ὀπὶ παισὶν
Ἢ ταὶ Πιερίδες. *Nullum est contra amorem remedium naturâ comparatum aliud, ô Nicia, neq; quod vel illini, vel aspergi possit, vt opinor, nisi Musæ Pierides.* Itaque sic illæ respondent Veneri l. 1. Epigram. c. 7.

Α Κύπρις Μέσσοισι κατέρχεται, τὰν Ἀφροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τἄλλον ὔμμιν ἐφοπλίσομαι
Venus ad Musas, ô puellulæ colite me,
Aut amorem in vos armabo.
Καὶ Μῶσαι ποτὶ Κύπριν· Ἄρει τὰ χώμυλα ταῦτα.
Ἡμῖν δ' ἐ πάτα τοῦτο τὸ παιδάριον·
Tum Musæ ad Venerem, ista Marti
Aggarrito, ad nos Cupido non aduolat.

Sed aliquis fortasse obiiciet hisce consiliis amorem Ariadnes, & aliarum raptarum in Theseum è Plutarcho de comparatione huius cum Romulo. Verùm quàm rectè id fiat, viderit continentiæ studiosus lector: ex qua quidem animaduersione cognoscet obiicientis facinus nec flagitij, nec lasciuæ fœdæque libidinis suspitione caruisse. Quare perspicimus ex his studium Musarum & literarum præsentissimam iuuentutis esse medicinam aduersus otium ac Venerem, principia & fontes omnium malorum.

2 Glycera commendatur minorum collatione, quòd illi in candore & nitore cedat marmor Pariuni. Pindarus simili argumento suum de Callicle poema commendat, cum id appellat στάλαν Παρίᾳ λίθῳ λαμπομέναν, *columnam Pario lapide candidiorem.*

3 Locus est ex effectis huiusmodi Glyceræ candidę & arrogantis, quæ speciem quandam repugnantiæ viderentur extra amorem habere, quum proteruitas & petulantia huius scorti grata dicuntur Poetæ, atque illum incendere iucundè.

4 Simile videtur argumentum ad impetum Veneris exprimendum, quæ ipsum omni ope inuadit & occupat.

5 Forma sacrificij, cõstat è quadruplici materia benè dispositа, arâ cespititiâ, verbenis, ture, vino bimo, quę confirmatur fine: quòd tale sacrificiũ instituerit ad Auerruncos leniendos, vt sibi faueant, ac leniùs, remissiusque secum agant in cõcilianda ipsi Glyceræ gratia.

Enarratio Grammatica.

Mater sæua.] Interpretes variant in genere ac numero Cupidinum, sicut Venerum. Cic. lib. 2. de nat. Deor. tres Cupidines statuit: primum è Mercurio & Diana prima natum: alterum è Mercurio & Venere secunda: tertium ἀντίρωτα vltorem contemti amoris è Marte & Venere. Hos tres Pausan. in Attic. sic videtur designare, vt vnus ἔρως, alter, ἵμερος, tertius πόθος vocetur. Alij duos, vt Ouid. 4. Fastorum.

Alma faue, dixi, geminorum mater amorum,

intelligunt iocum & Cupidinem duos Veneris filios, de quibus sic Ode 2. huius libri,

Siue tu mauis Erycina rides,

Quam

Quam iocus circumuolat & Cupido: Lucian. quoque facit in iudicio Dearum, Venerem ita duos filios iactãtem, Ἱμερον καὶ Ερωτα, quum Paridem alloquitur· πῶδε γάρ μοι ἐστὶν, δύο καλὼ, Ἱμερος καὶ Ερως· τάπα σοι ἐκδώσω, ἡγεμόνε τ' ὀδοῦ ἔσεσθαι μέλλοντε, *filij enim mihi sunt duo formosi, Himerus & Eros, hos tibi tradam duces viæ futuros:* Theocr. tamen Idyl. 15 illos appellat πληθωπικῶς, ὑ δυϊκῶς,

——Οἱ δέ τε κῶροι ὑπὲρ πωτῶνται Ερωτες, *Simulacrum Adonidis superuolitant pueri Cupidines.* De hac autem Veneris crudelitate sic queritur Daphnis Theocr. Idyl. 1.

Τὰν δ' ἄραχω Δάφνις ποτεμείψατο, Κύπρι βαρεῖα,
Κύπρι νεμεσατὰ! Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής!
Huic Daphnis vicißim respondit,
O Venus molesta, Venus indignatione digna!

Venus mortalib. infesta. Posset hîc dici de *Sæua:* quod Seru. Æn. 1. initio notat ad verb. *sæuæ Iunonis &c.* putant multi Epithetum esse rẽporale, quia sæua esset in Trojanos, quum à iuuando dicta sit: *sed Sæuus* pro magno, ponitur apud Ennium, *induta fuit sæuâ stolâ.* i. magnâ, & ipse de Ænea, quem pium semper inducit, sic loquitur, *maternis sæuus in armis,* i. magnus & fortis. Versus est sub initium Æneid. 12. incipiens, *nec minus interea:* & certè non minus est Venerum incertus, quàm Cupidinum numerus: sic numero multitudinis deuocantur hi Dij à Catullo ad mortem passeris lugendam.

Lugete ô Veneres Cupidinesq́,
Et quantum est hominum venustiorum.

De his lege conuiuium Platonis, vbi duæ Veneres agnoscuntur, vna peruetus & cælo nata: altera iunior, Ioue, & Dione orta, quæ vulgaris & communis vocatur: at quoniam Venus nunquam est sine amore, necesse est, ait Philosophus, duos etiam esse Cupidines & Amores; alterum, qui Veneris communis & vulgaris comes est: alterum, qui sequitur Venerem cælestem.

Semeles puer.] Vnde Bacchus dictus est Semeleius Od. 17. vbi consule Grammatica, ac præterea Hesiodum in Theogonia de Cadmo rege Thebarum & patre hujus Semeles: cuius felicitatẽ sic Pind. celebrat Ol. εἰδ. β.

Ζώει μὲν ὀλυμπίοις,
Ἀποθανοῖσα βρόμῳ
Κεραυνῷ πανυέθει
ἐκ Σεμέλα· φιλεῖ
Δέ μιν Παλλὰς αἰεὶ
Καὶ Ζεὺς πατὴρ μάλα· φιλεῖ
Δὲ παῖς ὁ κισσοφόρος.

id est, *Semele passis capillis comta & ictu fulminis mortua fruitur vitâ inter superos: eam constanter amat Pallas & Iupiter valdè: amat quoq́ illam filius ederiger, Bacchus.*
Fuerunt Cadmo præter Semelen filiæ Ino, Autonoe & Agaue.

Reddere animum.] Hoc valet idem, quod illud Terentij: Iubet me rursus appellere animum ad scribendum de amoribus, quibus iam vale dixeram.

Glyceræ.] Hæc vox eiusdem est originis cum Terentiana Glycerio: licet hæc sit sub forma τοῦ κυπριακοῦ ἀπὸ τῆς γλυκύτητος, à musto, quòd redoleat musteam suauitatem suo lepore & venustate.

Pario marmore.] Paros insula inter Cycladas annumeratur: vbi marmor candidissimum effodiebatur: ideoque Virg. eam appellat Paron niueam Æneid. 3. item Georg. 3.

Stabunt & Parij lapides spirantia signa.

De hac insula vide Plin. l. 4. & Strab. l. 10.

Proteruitas.] Proteruitas est affinis ferocitati ex vi significandi: vt enim illud à proterendo & petendo, quale fuit in Galatea Virgiliana.

Malo me Galatea petit lasciua puella.

sic hoc à feriendo: à qua interpretatione non discrepat ἰταμότης, violentia præceps & impudens audacia, & ita Suidas definit τὸ ἴτης ἢ τὸ ἰταμὸν, ἰτητικὸν διὰ τ' ὁρμητικῶς καὶ αὐθαδῶς, *qui temerè ac impudenter quiduis aggreditur:* quam tamen vocem paullò aliter Donat. in vers. 10. Act. 4. Sc. 6. Heaut. *quàm penè tua me perdidit proteruitas!* interpretatur importunitatem ac petulantiam, moxque ita distinguit: Proteruitas leuior est quædam contumelia, procacitas maior, petulãtia maxima. Proteruum autẽ quidam putant dici posse Græcè ἀκόλαστον πρὸς τὰ σωφρόνως, *qui Veneream libidinem non reprimit:* qualẽ se Clitipho præstitit in conspectu patris, dum non puduit inferre manum in meretricis sinum. Ita Plut. in Lycurg. & Arist. in probl. docent, ἀκολάστους εἶναι περὶ τὰ ἀφροδίσια καὶ πρὸς τὰς τῆς θηλῆς ἀπολαύσεις, *qui nimis sunt dediti corporis voluptatibus* homini cum bestiis communibus, & ex gustu & tactu profectis: de quo vide Agel. l. 1. c. 2. Apertior autem est interpretis ratio in Hecyr. Act. 3. Sc. 5. ad verba, *proteruè iracundus es,* i. immoderatè ac superbè. Ideò dictum est, quòd, qui proteruus est, proterat alium sibi occurrentem more tauri in appetitu coeundi.

Lubricus.] Quod Græci dicunt, λεῖον καὶ ὀλισθηρὸν εἶδεναι καὶ ὄψιν πεπηλεῖσθαι, vt niueus videri, *in quam facilè est admittere flagitium.*

Tota ruit.] Pro hoc Proper. dicit Eleg. 1. l. 1. *In me nostra Venus noctes exercet amaras:* sic etiam loquitur Penelope apud Ouid.

In me turba ruunt luxuriosa Proci.

Cyprum deser.] Sæuitia Veneris eò grauior apparet, quòd insulam Cyprum, quàm præcipuè coleret, vnicque amaret, deseruerit ad vexandum Poetam.

Et versis.] Parthi insignes fuerunt sagittarij, qui etiam fugientes ex arcu emittebant arte summâ sagittas, vt 3. Georg. *fidentemq́ fugâ Parthum versisq́ sagittis,* vt etiam 1. de Arte Ouid.

Telaq́ Parthorum, Romanaq́ pectora dicam,
Telaq́, ab auerso quæ iacit hostis equo.

Nec, quæ.] Distinguendum est post *nec,* ac repetendum ab initio, nec Venus patitur me scribere ab amoribus aliena: qualia sunt bella contra Scythas & Parthos à Romanis gesta.

Viuum cesp.] Sic loquetur Od. 8. l. 3. *positusq́ carbo Cespite viuo,* quem Græci vocant χερτόβωλον, vel χερτόπλινθον glebam cum herba cæsa in morem lateris. Vt autem variæ mactantur victimæ pro varietate Deastrorum, sic variè ponuntur aræ.

Verbenis.] Don. in And. Act. 4. Sc. 4. ad vers. *Ex ara hinc sume verbenas tibi,* annotat: Verbenæ sunt omnes herbæ, frondesque festæ ad aras coronandas, dictę quasi herbenæ, mutatâ spiritus densi notâ in vau, vt ex Ενετία καὶ ἕσπερος, Venetiæ & Vesperus. Multis autem nominibus hæc herba solet à medicis affici: duobus quidem à Græcis ἱεροβοτάνη coniunctim vel ἱερὰ βοτάνη separatim: quòd lustrationibus adhiberetur: Ideoque ab Appuleio lustrago vertitur: quâ Iouis mensa, i. ara, verrebatur; domus purgabatur; conuiuæ exhilarabantur; Legati denique vtebantur missi clarigatum, i. indictum hostibus bellum. Reliquas huius vocis vires pete à Plinio l. 22. c. 2. & l. 5. c. 9. περιστερεών, ὥς quoque dicitur, quòd colũbis sit familiaris, vel περιστερεός: de qua lege Dioscor. l. 4. c. 10. Deinde verò à Latinis his nominibus; Cincinnalis, sagunalis, betonica, Licinia, columbina, militaris, verbenaca, vertipedium: postremò etiam ab Aetio Herba Veneris: eamque ob rem hîc adhibetur, vt in Pharmaceutria, ad Glyceram à se abalienatam reuocandam: quòd ea herba crederetur vim habere concupita & petita impetrandi. Ita illic Alphesibœus.

Verbenasq́ adole pingues & mascula tura.

Mascula autem dicuntur tura vel à rotunditate gut-

tę, vel à similitudine testium, Plin. l. 1. c. 14. Quidam putant *tus* inclinari ὑπὸ τοῦ θύειν, à sacro faciendo: alij contrà à tundendo verbo Latino; ideoque scribunt *tus* tenuiter, vt Seru. initio Georg. 1. *Tus*, ait, *sine spiritu dicimus: nam antiqui dicebant Thus ἀπὸ τοῦ θεῶμι, quod displiciuit.* Idem affirmat initio 6. Æn. in hæc verba, *Anchora fundabat naues, &c. Tura enim à tundendo dici volunt, id est, à glebis tusis, quibuscum tus coalescere dicitur ex arboribus fluens.* Quę quidem vocis ratio mihi valdè probatur, vt quæ cõueniat maximè rationi vocis Græcæ λίβανος ὑπὸ τοῦ λείβειν, à stillando & succum emittendo, quum inciditur cortex huius arboris, vt ibidem Plin. scribit. Hæc autem vox Græca λίβανος dicitur pariter æqualiterque de succo illo, atque de ipsius arbore: succus tamen propriè λιβανωτὸς ἢ λιβανωτὸν vocatur: sed tus Latinum dicitur solùm de succo: arborem autem Columella circumloquitur per plantam turream, & Virgil. per virgam turream, Plin. turiferam arborem. Sed vereor, ne quis hic mihi obiiciat etymon τοῦ λίβανος altius repetendum. Idque ab Hebræorum dialecto reliquarũ antiquissima; quibus *Libanus* est mons fruticibus & arbusculis thuriferis consitus & לְבוֹנָה *lebonah* est thus; sic à candore, albedineque dictum. Is enim color in Thure præcipuè commendari solet; cuius radix est לָבַן, *laban*, quæ sonat ἀμεταβαπτῶς, *albescere cœpit, vel dealbatus fuit.*

Ponite.] Ponendi verbum ferè in sacris adhibetur, vt Græcum τίθεσθαι καὶ ἀναπίθεσθαι. Tibul.

Et quodcunq; mihi pomum nouus educat annus,
Libatum Agricolæ ponitur ante Deo.

Est autem πιθῆναι τῷ Θεῷ ἱκετηρίαν, *peragere Deo supplicationem.* Idem Plut. ἀνέθηκε πίνακα τῆς νίκης, πιθῆναι θυσίαν, καὶ ἱστάναι, ὡς χρυσᾶς ἀσπίδας, εἰκόνα· *id est, suspendere tabulam victoriæ, trophæum statuere, aureos clypeos, & imaginem dicare.*

Mactata.] Id est, facto Veneri sacrificio, Glycera veniet placatior & facilior: vbi est sextus casus ex vi causæ absolutè positus, non à comparatiuo rectus. Præterea dicitur hostia mactata, quia, vbi capiti victimę mola ex tosto hordeo facta & sale conspersa, tureque suffita, fuerat imposita, tum demũ hostia dicebatur magis aucta. Eam ob rem Seru. sub initium 4. Æn.

——mactant lectas de more bidentes.

Annotat τὸ *mactare* verbum esse sacrorum κατ' ἐφημισμὸν, i. per honorificam appellationem, & ab hac immolandi consuetudine transfertur ad quemlibet cruciatum designandum, vt Catil. 1. *Nonne hunc non summo supplicio mactari imperari?* Nonius profert è Rep. Cic. propriam significationem, *ferunt me laudibus & mactant honoribus*, i. augent. Varro li. 4. scribit, in poculis erant pateræ, eo quòd paterent, Latinè dictæ: hæc quidem notatio cõuertit mihi mentem ad etymum τῆς φιάλης Iliad. ϕ. ab Eustath. animaduersum & obseruatum ac præterea definitum, πρῶτον μέν, ὅτι τὸ φιάλη κατὰ τὴν ἀντίστροφον πάλιν ἐτυμολογεῖται, ἀφ' ἧς ἔστιν ἁλῶναι ἔστι πεῖν ἄλις· μείζων γὰρ αὐλὴ ποτηρίου, i. *primum quidem, quod phiala mutuâ literarum permutatione phiala ex eo notetur, quòd ex ipsa satis liceat bibere: illa poculo capacior est.* ἐνταῦθα δὲ ἡ φιάλη τὸ ἔκπωμα χαλκεῖον ὀκπέταλον, λεβητῶδες δύο ἔχον ὦτα, δεχόμενον ψυχρὸν ὕδωρ, i. *Est autem phiala poculum æreum, expassum instar lebetis, vtring; ansatum ad capiendam aquam frigidam refrigerandi vini causâ.* Quòd autẽ non igni admoueatur, ibid. dicitur ἀπύρωτον. Est quoq; phiala aurea, quâ vinum modicè calefactũ, offertur in celebribus festorum & nuptiarum conuiuiis πρὸς τὸ ἀλλήλοις προπίνειν, vt Od. 7. Ὀλύμπ. Pind. principio indicatur. Talibus autem pateris nunc etiã in publico conuiuio antiquitatis retinendæ caussa, quum magistri fiũt, i. συμποσίαρχαι, potio circumfertur, & in sacrificãdo Diis hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Idẽ tradit Festus. Grammatici autem sic hostiam & victimã distinguunt, q, illa propriè sit maiorum quadrupedum & ab hostib. victis nominata: hæc verò minorũ, & ab iisdem vinciendis aut vincendis dicta. Alterã sic Ouid. 1. Fast. notat: *Hostibus à domitis hostia nomen habet.*

Alteram sic ibidem:

Victima quæ à dextra cecidit victrice vocatur.

Pro his dicunt Græci τὸ ἱερεῖον σφάγιον, θῦμα ὅτι τελεῖν, καταθύειν, *sacrificare, immolare.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile 3. Odes.

[a] Synecdoche generis pro Venere, vt in, *puer Semeles*, pro filio Baccho.

[b] Metaphora à lympidis liquoribus; vt, *vrit*, ab igne, in quo bis repetito est anaphora, & in *splendentis*, à sole.

[c] Duplex est hic tropus: primùm metaphora à locis lubricis, vbi facilè pes est labilis, vt via glaciata, & pauimenta liquore cõsperla & periculosa: deinde metonymia effecti pro lubricans & impellens aspicientes ad lapsum & animi commotionem: quod Gallicè interpreteris vnà cũ enodatione tropi, *lequel visage regardé faict incontinent tumber les ieunes hommes en son amour; tant est induisant & attrayant à estre aimé.*

[d] Synecdoche est vnitatis pro multitudine Parthorum.

[e] Anaphora est & Apostrophe simul ad ministros, qui sacrificium parent: fortasse etiam in, viuum est metaphora ab animantibus pro viridem & vegetum.

Odę XX. Ad Mæcenatem.

Theticum.

Mæcenati præcinit inuitato ad tenuem cœnam, quo potionis genere sit illum accepturus.

[1] *Vile potabis modicis Sabinum*
Cantharis, Græcâ quod ego ipse testâ
Conditum leui: datus in Theatro
Quum tibi plausus,
Care Mæcenas, eques: vt paterni
[a] *Fluminis ripæ, simul & iocosa*
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
[2] *Cæcubum & prælo domitam Caleno*
Tu bibes [b] *uuam:* [3] *mea nec* [c] *Falernæ*
[d] *Temperant vites, neq; Formiani*
Pocula colles.

Analysis Dialectica.

ODe constat topico dissimilium, quæ breuiter ita pronunciari possunt: Domi tuę bibis vinum generosum & disertum: longè apud me tibi erit alia potio. Ex hac dissimilitudine mihi fit verisimile Mæcenatem in Appuliam vel aliquò aliò profecturum condixisse cœnam Horatio, quem Poeta præmonet de tenuitate apparatus futuri, ne sit postea, de quo ipse conqueratur, nec vinum domesticum, frugale, & secundarium, & quasi cibarium damnet: præsertim quum ipse αὐτοπροαιρέτως, καὶ ἀπροσαιρέτως illuc venerit, suâ sponte, non au-

nō autem rogatu ex arbitratu alieno. Ita sanè quidem hęc ἀυτπαίλευσις inuitatio est argumento certissimo maximæ inter homines amicitiæ & familiaritatis.

2 Protasis est: Tu bibis domi tuæ vinum generosum, quod Græci vocant οἶνον αὐτόσμιον, i. *odoriferum instar floris suauissimi.*

3 Antapodosis est: Non ego simile bibo domi meæ: quæ amplificatur ingenio soli, ratione vini condendi, notatione temporis, i. subiecto & adiunctis: quod postremum primis versibus contentum & huc referendū enunciatur quâdam maiorum collatione hoc modo: Quum vinum fuit conditum, non tibi solùm theatra resonuerunt ingenti plausu, magnaque lætitia, quam populus è iucūdo aspectu tuo percipiebat, excitata est: sed ripę etiam Tiberis & mons Vaticanus tibi applauserunt: quæ maxima est virtutis ac popularis amicitiæ inde conflatæ testificatio erga Mæcenatem.

Enarratio Grammatica.

Sabinum.] Ex hoc Poetæ inuitatu, præter alios huius poematis locos, intelligimus summam ipsi cū Męcenate intercessisse familiaritatem: quum sit summis viris maximisque honoribus functis perusitatum habere rationē suæ dignitatis, ne obscuris & ignotis hominibus familiariter vtantur: vnde Cic. Epist. 9. l. 7. ad famil. carpit quēdam Cn. Cornelium, vt hominem ineptum, qui, quòd sciret Ciceronem Trebatij communis amici familiarem: crebrò illum ad cœnam inuitabat: sic enim de eo ibidem εἰρωνικῶς scribit: *Cn. Octauius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, summo genere natus, terræ filius: is me, quia scit tuum familiarem esse, crebro ad cœnā inuitat: adhuc non potuit perducere.* Elliptis autem est substantiui in *Sabinum*, qualis fuit antè in *Lesby* Ode 17. atque ex epitheto, *vile*, quidam coniiciunt illud nouum & recens fuisse: sed præstat τὸ οἰνίσκον ἢ οἰναῖον, villum intelligi, quod Græcè interpreteris τὸ ποτὸν φαυλότατον, potionem vilissimam. Præterea de vino Sabino vide Athenæum l. 1. & Plin. li. 14. c. 2. de Sabinis comment. in Od. 4. l. 3.

Cantharis.] Cantharus dictio Greca est, & primùm significat genus insecti, quod scarabeus dicitur κανθαροειδικῶς ἀπὸ τοῦ κάνθαρος & ab asino, & quòd ex huius stercore cōfletur: de quo Plin. lib. 5. Deinde est poculi genus ab artifice figulo, quo Bacchus creditur vsus: ad cuius exemplum C. Marius adeptione Cymbricæ pugnæ cantharis potauit, ait Plin. lib. 13. c. 11. Plutarchus tamen libello περὶ ἀορησίας scribit: Ἐστιῶσιν ἢ καὶ σκώπτειν δύσκολος ὁμιλεῖν ἅπασι, καὶ μὴ πρὸς μᾶλλον ἢ πρὸς χεῖρας, καθάπερ ἔνιοι τῶν παρόντων ἔφη ἐξελοῦσθαι καὶ θέσθαι (ὡς Μάριον ἱστοροῦσι πιεῖν) καὶ ἄλλῳ ἑτέρῳ ποιῆσαι. Quem locum D. Amyotus sic Gallicum fecit: *Et se faut semblablement accoustumer à se seruir de tout vase & vaisselle indifferemment, & non pas à vser de cestuy-ci, ou de cestuy-la sans autre, comme font aucuns, encore qu'il y ait de grandes compaignies qui ont en particuliere recommandation vn certain gobelet ou vne couppe (ainsi qu'on l'escrit du vieil Marius) & ne beuuoyent iamais en autres.* Eundem locum Erasmus paullò aliter fecit Latinum: *consuescendum est autem, vt faciliter assuescamus & vasculis quibuslibet, nec hoc magis quam illo, vtamur, quemadmodum nonnulli poculo quopiam è multis sibi delecto (sicuti narrant Marium adamasse cognomento testam, quod neritum vocant) nequaquam biberent ex alio.* Forma autem huius poculi quædam est Eclo. 6.

Et grauis attritâ pendebat cantharus ansâ.

in descriptione Epicurei Sileni temulenti.

Græcâ testâ.] Id est, amphorâ. Veteres condebant vina seriis & vasis fictilibus, quæ picabant, vel gypso linebant, ne virtus vini aut raritate materiæ aut poris vasorum occultis euanesceret. Dicitur autem testa Græca, quia primùm in Samo plastice, i. figlina inuenta est auctore Plinio lib. 35.

Leui.] Satius est sumere simpliciter pro pice vel gypso obstruxi & obduxi, (quòd Græcè diceretur ὅπερ πίσσα, ἢ πίσσῃ ἔχρισα ἢ ἤλειψα, *pice incrustaui*, & conditor, ἀλειπτὴς ἢ πισωτὴς, *qui pice cados illinit, quos postea condat, aut terræ infodiat*) quam coniunctè pro *relino* & *aperio.*

In theatro.] Theatrum vox est Græca ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι: Ex hac quidem notatione intelligimus, vsum Theatrorum longè plurimis antè annis fuisse apud Græcos, quàm Latinos, vid. Augustin. de Ciu. Dei cap. 21. & Liu. lib. 48. Seru. tamen 5. Æn. ἀπὸ τῆς θεωρίας. Est aliquando spectaculum, id est, res spectata per metonymiā, quòd sit ostentui & ludibrio: quomodo vsurpatur 1. ad Corinth. 4. c. ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ. *facti sumus spectaculo ipsi mundo.* Hìc verò theatrum est locus, vnde ludi & certamina spectabantur, vel, vt quidam malunt, est locus ad narrationem fabularum designatus, & sic dictus est potiùs, quàm ἀκροατήριον ab audiendo: quòd illic bona pars populi conueniret magis ad oculos pascendum, quàm ad aures afficiendum: delectabilius enim est videre, quàm audire; quod expressit I. Scal. l. 1. Poet. cap. 2. Certamina corporum priscis temporibus spectari, tantùm solebant, non autem ingeniorum in scenis. Theatri autem mansuri auctorem primum Tacitus libro Annal. 14. scribit. Cn. Pomp. fuisse: Eusebius Dionysium. Idem locus etiam θεωρητήριον dicitur, per quod Gaza vertit hæc Catonis maioris verba: Vt *Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea spectat:* ὡς γὲ δὴ Τορπίωνι Ἀμβιβίῳ ἥδεται μᾶλλον τοι μᾶλλον, ὁ ἐπὶ τῇ πρώτῃ θεωρητηρίῳ θεώμενος. Sed de theatris plura vide in Cassiodoro & Cornel. Frontone.

Plausus.] Viri præclarè de rep. meriti gratâ animi testificatione excipiebantur à populo plausu manuum in spectaculis ludorum: illisque assurgebatur: quod vtrumque quum Augustus tributum vidisset filiis suis adhuc prætextatis, dicitur grauissimè tulisse: contrà factiosi & seditiosi sibilis & suppulsione pedum notabantur: quod Græci dicunt συρίττειν καὶ κλώζειν, *sclopis & sibilis è theatro aliquem eiicere.* Supplodere autem pedibus dicunt πρυνοκοπεῖν calcibus pluteos & subsellia lignei theatri tundere & strepitum edere. Sed grata animi testificatio Græcè enunciatur, κρότον διδόναι καὶ κροτεῖν τὼ χεῖρε: *dare plausum, collidere manus*, ὅπερ πλατταγεῖν: quomodo loquitur Theocrit. Idyl. 8.

Τοῖς μὲ ἐπεπλατάγησα καὶ αὐτίκας δῶρον ἔδωκα.
His quidem applausi, continuoq; donum dedi,

Sic Aristot. in Poetica: δεῖ ἢ ἅμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι, *semper ab vtraq; connexione & solutione fabulæ captandus est plausus:* κυριώτερον ἢ τὸ τοῦτο λέγειν ὁ δῆμος πᾶς θύμως ὅπερ σημαίνειν, *hoc alacri & fausta acclamatione dicitur populus persequi ac velut signo testari.* Gaza sic expressit phrasin huic similem in dialog. de senect. *quibus quum à cuncto consessu plausus esset multiplex datus:* ἐφ' οἷς κρότου συχνοῦ παρὰ παντὸς γιγνομένου τοῦ θεάτρου. Talem applausum expressit Herodian. lib. 2. de Pertinace. Τοιαῦτα ὁ Πρτίναξ εἰπὼν ὑπήρεισέ τε τῷ σύγκλητον βουλῇ, καὶ πρὸς πάντων ἐφημισθεὶς, πάσης τε τιμῆς καὶ αἰδοῦς παρ' αὐτῶν ἔτυχε. *Sic Pertinax locutus confirmauit aliquantum Senatus animum & ab omnibus fuit faustis excepitus acclamationibus, omniq; honore ac reuerentiâ ornatus ab ipsis.* De hoc plaudendi genere vide orationem Cic. pro Sextio.

Mæcenas.] De huius genere diximus Ode 1. vnde didicimus hìc dicendum potiùs flumen auitum, & ab auis & maioribus acceptum, quàm paternum. Desideratur ante (*vt pacerni*) particula epitaseos: qualis esse posset, tantus plausus, vel adeò, vel ita datus.

Fluminis.] Fluit Tiberis de Apenninis montib. & per Hetruriā, Sabinos, Latinos decurrit in mare ad Hostiā.

Vaticani.] Sic mons à Vatibus dictus est, quorum responso venit in potestatem populi Roma. expulsis Hetruscis, vbi hodie est D. Petri basilica non procul à theatro Pompeij.

Imago.] Quanquam in Rhetoricis Od. 12. huius libri satis est, quid Echo sit, explicatum: ad id tamen adiungam fabulam τῆς ἠχῦς, quam Grammatici faciunt vnam ex Nymphis, quæ, quia Iunonem voce celabat concubitum Iouis cum aliis Nymphis, priuata est facultate proloquendi, quæ vellet: sed tantum postea valuit audita referre, atq; tandem confecta macie & mærore, propter repulsam, quam tulerat à Narcisso puero ipsam spernente, conuersa est in rupem. Habet autem nomen ductum ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, ab edendo sono ex repercussu loci cauernosi: ad cuius imitationem suberant theatris cellę subterraneæ, vbi æneа vasa disposita pleniùs voces auditas reddere solebant.

Cæcubum.] Oppidum fuit Fundis proximum in via Appia. Tota certè illa ora Campaniæ vina nobilia ferebat; Cæcubum, Fundanum, Formianum, Falernum. Vnde verisimum esse constat, quod Florus scripsit l. 1. c. 16. de Campania Italica, *Omnium non modo totâ Italiâ, sed toto terrarum pulcherrimam Campaniæ plagam esse. Nam ibi nil mollius cælo, bis floribus vernat, nil vberius solo: ideo Liberi ac Cereris certamen dicitur: nil hospitalius mari. Hîc nobiles illi portus, Cajeta, Misenus, tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus, Auernus, quæ maris ostia Hîc amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maßicus, Vesurius. Hîc vrbes, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeij, Capua.*

Prælo, &c.] Hæc vox à Grammaticis flexa dicitur à premendo, quanquam videtur quantitas ortæ repugnare quantitati primigeniæ: quod non rarò, nec insolenter quàm plurimis accidit vocibus aliis, vt ex sententia Platonis alibi docuimus in Græcis perinde, atq; Latinis obseruari ab hoc etymo Galli suâ dialecto *pressoir* nominarunt, ex hac trabe, tanquam parte, totum torcular intelligentes. Od. 12. l. 3. definietur ex Seruio in vers. 2. Georg. *prælum & qualus.*

Tu bibes.] Intelligit, quum Męcenas domi suæ cœnabit, eum bibiturum vinum Campanum bonum.

Formiani.] Formiæ oppidum fuit iuxta Cajetam, vt scribit Plin. l. 3. & Strab. l. 5. Calenum præterea dicitur à Calibus populis Campanię propè Falernos & Massicos, de quibus Virg. 7. Æn.

Aequora quinq; Cales linquunt,

Colles.] Hæc vox inclinari videtur ἀπὸ τῆς κολώνης, τῆς ἐξοχῆς, *ab eminentia & tumulo*: vt vua ab vuido, quo significatur, quicquid interius habet humorem.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri conuenit cum illo 2. Odes: atque vt perexigua fuerunt dialectica, sic etiam pauca sunt hîc Rhetorica.

[a] Συνεκδοχὴ est communis notionis, pro Tiberi Latium ab Hetruria separante, à qua Mæcenas credebatur oriundus: qualis tropus fuit in *iocosa imago* 12. Ode huius lib. pro Echo.

[b] Metonymia est materiæ pro vino inde expresso pondere præli & compressione trabium, quas Græci dicunt πιεστήια: contrà Porphyrio è Trinummo Plauti profert *tò vinum* ex vuis expressum sumi pro ipsis. *Vinum illud, priusquam est coctum, pendet putidum*, id est, vua: & vua rursus pro vite, id est, arbore, pro fructu ipsius sumitur in hoc vers. Georg. 2.

Et turpes auibus prædam fert vua racemos.

vbi Seru. τὴν τότε ὄψιν ἀμοιβαίαν notauit, hunc-que locum citauit.

[c] Altera metonymia, sed subiecti pro vino illic collecto: sicut est in *colles Formiani.*

[d] Sumtum est à Pharmacopœis, qui medicamenta & vnguenta dispensant: quod ego interpretor, non suppeditant, nec submininistrant mihi quotidianam potionem: Gal. *les vignobles de Falerne ne me fournissant pas le boire ordinaire.*

Ode XXI. In Dianam Et Apollinem. *Theticum.*

Quòd vterque sit omni genere laudum ornandus & celebrandus.

[1] *Dianam teneræ*[a] *dicite virgines:*
Intonsum pueri dicite Cynthium,
Latonamq; supremo
Dilectam penitus Ioui.
Vos latam fluuiis, & nemorum[b] *comâ,*
Quæcunq; aut gelido prominet Algido,
Nigris aut[c] *Erymanthi*
Syluis, aut viridis Cragi:
[d] *Vos*[c] *Tempe totidem tollite laudibus,*
Natalemq;, mares, Delon Apollinis,
Insignemq; pharetrâ,
Fraternaq; humerum lyrâ.
[2] *Hic bellum*[f] *lacrymosum, hic miseram famem,*
Pestemq; à populo & principe Cæsare in
Persas atq; Britannos
Vestrâ motus aget prece.

Analysis Dialectica.

INstituitur quidem hîc triplex laudatio puerorum ac puellarum choro: vbi Latonam complector: licet eius auxilium precibus non imploretur: sed amor Iouis erga illam tantùm memoretur: quod non in tenui gloria est ponendum. Huius autem laudationis vnica ratio est à simplici fine, quòd solus Apollo laudibus & sacris placatus, propulsaturus sit à Romanis omnia mala, & ea translaturus in illorum hostes. Ea fuit Theologia profanorum hominum, vt Deos illos, quibus esset magna potestas, magis colerent formidine mali & pœnæ, quàm pietatis amore: vnde Plutarch. ἐν συμποσίῳ ἔφη σοφῶν· ἐκ Ἀσκληπίῳ θύσομεν, μηδενὸς νοσοῦντος, ἐκ ἀποτρόπαιος· si nemo ægrotaret, neq; Aesculapio neque Diis Auerruncis sacra facerent: ideò tales Deos vocabant λυσίους, φυξίους, ἀλεξικάκους, ἀποτρόπαιους, vt Latini Auerruncos, sicut paullò antè dictum est: quomodo Plutarchus appellat Castorem & Pollucem in Numas ἀήτας, ἀπὸ τὴν ἀφ' ἑαυτῶν ἀνάσχεσιν, *ab amotione malorum* & quòd sint velut ἀκεσταὶ, *medici.* Reliquæ Odes artificium Logicum cernitur in singulis enunciatis de Diis laudandis & de ipsorum laudatoribus, nisi quòd mares inuitentur secundò ad hoc laudationis genus parium collatione, vt Apollinem æquis tollant laudibus, atque à virginibus Dianam celebrari vident.

2 Protasis illustratur fine prædicationis: quòd Apollo ita celebratus, omne malum abstrahet Romanis, vt prædictum est.

Enarratio Grammatica.

QVibusdam placet huius Odes inscriptio carmen seculare: alijs verò displicet, qui censeant tantùm esse Pæana, (qui propriè dicitur laus Apollinis, sed καταχρηστικῶς etiam aliorum: vnde Pindarus suum poema, quo Deorum & hominum laudes continentur, Pæanas vocat. Quidam volunt declinari τὸ παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν, *à feriendo*, quòd Apollo vulneret arcu suo, & sagittis immittat pestem: sed equidem malo cum Scholiaste Thucyd. illud ducere ἀπὸ τοῦ παύειν, *à sedando*) quòd etiam in ludis secularibus nulla fieri solebat mentio Latonæ, vt ex illo seculari carmine post Epodos apparet, quod Epipompeuticum dicitur, id est, in pompis accini solitum, fuitque institutum ad decantandum Apollini & Dianæ centesimo quoque anno, vt Fest. Pompeius definit. Illic tamen seculum definitur tempus vndenos decies per annos, id est, decem & centum per annos, quibus peractis initio sequentis anni III. ludi & sacra fiebant, de quibus si Deus voluerit; posteà dicetur. Vox autem *seculum*, videtur quibusdam Grammaticis dicta à secando, quòd motus ille solis & tractus certis annorum prescriptionibus in partes secetur: Varro tamen l. 5. de ling. Lat. definit spatium annorum centum, notatque dictum à sene: quòd longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt: nonnulli etiam seculum interpretantur Græcè αἰῶνα. Sed si vera est Hieronymi definitio, quæ αἰῶνα terminat spatio 70. annorum; interpretatio non quadrabit: & certè nec hic Theologus, nec Varro ipse meminerant, quum hæc scriberent, etymon vocis αἰὼν, quod Aristoteles tradidit li. 1. de mundo, & nos proferemus Epistol. 3. lib. 2. ad Pisones vers. *Semper in adiunctis æuoq; morabimur* Deo volēte, dici ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄν, i. *ab eo, quod semper est*, ὡς χρόνος ἄθανατος, id est, *tanquam infinitum & immortale tempus*, ideoq; eius finis est hominibus occultus: quæ vis significatus est vocis Hebraicæ, עוֹלָם *Holam* à Radice עָלַם *Halam*, i.e. *abscondit*. itaq; verior est descriptio, si ex 22. lustris constare seculum dicimus, & lustrum ex annis 5. qui, quòd se multo temporis progressu consequantur, & alijs alij succedāt, tale conficiūt spatium temporis. Hos autem ludos Apollinares Macrob. li. 1. docet ex libris Sibyllinis primùm institutos Apollini bello Punico secūdo: vbi decem viri Græco ritu sacra faciebant, Apollini quidem boue aurato & capris duabus albis & auratis. Latonæ verò, vel potiùs Dianæ bouæ fœminâ & auratâ, quòd Diana fœminis, ille masculis summam habeat potestatem vel fauendi vel nocendi. Argumento sunt liberi Niobes, quorum septem fœminas Diana, totidem mares Apollo necauit: quam historiam lege li. 5. apud Diodor. & 6. Metam. Fuit autem filia Tantali Niobe & soror Pelopis.

Dianam.] In seculari carmine Apollo prior appellatur: *Phœbe, syluarumq; potens Diana.*

Et à Catullo sola: *Montium domina vt fores Syluarumq; virentium, Saltuumq; reconditorum, Amniumq; sonantium.* Dicitur autem Ἄρτεμις in Cratylo Platonis ab integritate virginitatis: quam à Ioue petijsse scribit Callimachus in Hymno de eadem: δὸς μοὶ παρθενίην αἰώνιον ἄπασι φυλάσσειν, quod expressit Ouid. in Daphne:

Da mihi perpetuā, genitor carissime, dixit
Virginitatem frui: dedit hoc pater antè Dianæ.

Sicut in Theognide ὦ ἄνα Λητοῦς υἱὲ, &c. & deinde Ἄρτεμι: hîc posterior est, quòd ex vtero Latonæ posteriùs exierit in lucem. Annumerabuntur autem hi duo Dijs magnis Epod. 15.

Intonsum.] Explicat epithetum Apollinis Græcum ἀκερσεκόμης, ἄκαρτος, ἀβροχαίτης, χαιτήεις· mollem comam gerens, comatus, cui, qui è pueris excedebant, primitias comæ Delphis sacrabant, sicut Plutarchus scribit in vita Thesei.

Cynthium.] Cynthus fuit mons Deli, vbi natus est Apollo. Plutarchus tamen in vita Pelopidæ memorat Apollinem in Bœotia natum inter riuulos duorum fontium, qui dicuntur palma & oliua prope Delum montem Tegyræ vicinum, vbi quondam oraculum edebatur: nec ex homine Deum factum esse, vt Herculem & Bacchum propter quandam præstantiam, ἀλλ' εἶναι ἀγέννητον· *Latonamq;*, &c. Λητὼ οὕτως ἐτυμολογεῖται, ab Eustathio sic notatur in vers. Ιλιαδ. Α. Λητὼς καὶ Διὸς ὁ Ἀπόλλων, id est, *Latonæ & Iouis filius Apollo*, Λητὼ, vnde factum est τὸ *Latona* Latinum, ἢ νὺξ διὰ τὸ πως παρ' Εὐριπίδει σοφὴν καὶ πολυίαν λήθην· ὑπνοῦσι γὰρ νυκτὸς πάντων λαθανόμεθα, i. *Latona est ac dicitur nox propter sapientem & honorabilem obliuionem, apud Euripidem, quæ postea dat consilium. Interea enim dum ipsi nocte dormimus, omnia obliuiscimur:* ac præterea vt Apollo prodijt è Latona; sic Sol & aurora videntur è nocte, tāquam è matre nasci per allegoriam.

Dilectam Ioui.] Antiptōsis est pro à Ioue, vt Epistol. 1. lib. 2.

Dilecti tibi Virgilius Variusq; Poeta.

Præterea summus hic amor Iouis in Latonam indicat illius ἀποθέωσιν, quem honorem per paucæ pellices consequutæ sunt. Hanc Orpheus appellat διδυματόκαρ, quod Ouidius reddit Gemelliparam.

Vos latam.] Repete à communi, vos puellæ dicite Dianam fluuios & syluas amantem.

Algido.] Algidum fuit oppidulum post montes Tusculanos, inter Tusculum & Albanum montem: cui oppidulo frondes arborum syluestrium prominebant. *Sur laquelle ville les fueillages de la forest prochaine s'estendoyent bien fort dessus.*

Erymanthi.] Mons est Arcadiæ, sicut Cragus Lyciæ, Tempe Thessaliæ.

Tollite laude.] Hæc phrasis est poetis cum oratorib. communis, Cicerone, Epist. 7. lib. 15. ad M. Marcellum famil. proconsl. *Nos quoq; te verissimis ac iustissimis laudibus ad cælum tollimus.* Eodem lib. 4. ad Atticum. *Tu monumentum illud tollere laudibus solebas.*

Delon.] Delos insula maris Ægæi vna Cycladum, quæ, vt vult Aristoteles, dicitur ἀπὸ τοῦ δηλοῦν, quòd diu aquis obruta statim emerserit & sese indicârit, In hac insula Cic. in Verrem scribit Latonam hos gemellos peperisse, & Hom. Iliad. 1.

Χαῖρε μάκαρ σὺ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἄγλαα τέκνα,
Ἀπόλλωνα τ' ἄνακτα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.
Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναὴ ἐν Δήλῳ.
Salue felix Latona, quæ peperisti claros liberos,
Apollinem regem & Dianam sagittis gaudentem:
Hanc quidem in Ortygia, illum verò in fontana Delo.

Strabo quidem scribit Delum olim nomine Ortygiæ donatam: sed easdem libro 4. videtur diuersas facere regiones. Huc addo, quod Seruius annotat in Æneid. 5. vers.

Accipit: egressi veneramur Apollinis vrbem:

Hæc insula primò dicta est Ortygia, quia Græcè ὄρτυξ dicitur coturnix, & quia postea emergens apparuit, Δῆλος: nam τὸ δῆλον dicunt manifestum: vel quia Apollinis Oracula, quæ alibi obscura sunt, illic manifesta dantur.

Insignem pharetrâ.] Id est, peritum iaculandi & certum sagittâ, vt loquitur 12. Ode.

Lyrâ.] Quam acceperat à Mercurio fratre pro bobus raptis, de quo lege Seruium in vers. Æneid. 4.

Tum virgam capit, &c.

Lacrymosum.] Hæc depulsio trium ingentium malorum: belli, famis & pestis, quibus vehementer homines vexari solent, ad sacra Dijs facienda vrget. Sic Theognis:

Ἄγγελος ἄφθογγος πόλεμον πολύδακρυν ἐγείρει·

Nuncius mutus bellum lacrymosum excitat, id est, multis deplorandum: Ideoq; passim ab Homero dicitur πόλεμος πολυάϊξ, φθισήνωρ. ἱερὸς, κακὸς, *bellum impetuosum. hominib. perniciosum, acerbum, malum:* sic λιμὸς ἱερὸς, ἄθαρ ἢ ἄθος, *fames sacra, ardens, nigra*, id est, μέγας, βίαιος, μέλας, *ingens, violenta:* vtraque autem vox Græca λιμὸς καὶ λοιμὸς, ex eodem fonte manat Eustathio ἐκ τῆ λέλειμμαι, δι οὗ δηλαδὴ λείπεσι τὰ ζῶντα, è præterito passiuo amotione incrementi & præpositiuæ (ε) in λιμὸς: sed eiusdem mutatæ in (ο) in λοιμὸς: Ratio autem vocis Latinæ *fames*, est ab ariditate, vt Festus voluit dici terram famelicosam, quomodo dicitur homo famelicosus, λιμόξηρος.

Item pestilentia notatur ab Isidoro, quasi pascilentia, à de pascendo. Hîc obseruandum, quod à Poetis factum videmus, vitia hominũ sic plecti malis, vt bellum fames, famem pestis ferè consequatur: ita Hesiodus in Ἔργα καὶ ἡμέραι:

Τοῖσι δ' ἐρεχθυόθεν μὲγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίωνι,
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμὸν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.

Illis autem celitùs magnum adduxit malum Saturnius,
Famem simul & pestem: intereunt verè populi.

Britannos.] Horum regionem Catullus in Cæsarem sic ἀντιφραστικῶς appellat:

Eóne nomine, imperator vnice,
Fuisti in vltima Occidentis insula?

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile quintæ.

a *Dicite*, in duobus membris & eodem loco sub finem repetitum facit Epistrophen numeri: ac præterea in *Dianam & Cynthium est* metonymia subiectorum pro adiunctis: dicite illorum laudes vel carmina: quemadmodum Eclog. 6.

Qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant. Item:
Deductum dicere carmen:

Idem vtrumq; coniungit *Carmine aliquẽ dicere* Georg. 2.

b Metaphora ab animantibus ad plantas, pro frondibus.

c Aut ter repetitum facit epanaphoram.

d Anaphora est.

e Metonymia subiecti pro incolis Thessalis,

f Metonymia effecti pro efficiente & mouente lacrymas, bellum, famem, pestem: sicut *Persas atque Britannos* habent allegoriam è continuis synecdochis specierum pro generibus, & valet: Apollo votis placatus, auertet à Romanis & ab Augusto omnia mala in omnes populi Rom. hostes.

Ode XXII. ad Aristium Fuscum

Theticum.

Quòd rectissimè sibi conscire præsidium sit omnium tutissimum.

Integer vitæ, scelerisq; purus
Non eget a *Mauris iaculis neq; arcu,*
Nec venenatis b *grauidâ sagittis,*
Fusce, pharetrâ:
Siue per c *Syrtes iter æstuosas,*
d *Siue facturus per inhospitalem*
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
c *Lambit Hydaspes.*
Namq; me sylua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neq; militaris
f *Daunia in latis alit æsculetis:*
Nec Iubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
h *Pone me, pigris vbi nulla* i *campis*
Arbor æstiuâ recreatur aurâ:
Quod latus mundi nebula, malusq;
k *Iuppiter vrget:*
Pone sub l *curru nimiùm propinqui*
Solis, in terra domibus negata:
m *Dulce ridentem Lalagen amabo,*
Dulce loquentem.

Analysis Dialectica.

HÆc Ode videtur scripta in sententiam Biantis, qui rogatus, τί αὐ εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον· εἶπεν, ἐρθὴ συνείδησις, *quid esset impauidum: respondit, recta conscientia*, id est, integritas vitæ & innocentia. Itaq; sumit τὸ πιθὲν, hîc explicandum: hominem nullius mali conscium παντα χῆ γῆς ἀφόβως γίγνεσθαι, κἂν αὐτὸς ἄπλοος καὶ ἄπολεμος· vbiq; posse tuto versari inermem, & imbellem: & satis illi esse præsidij in vitæ innocẽtia aduersus omnem vim Fortunæ. Præcipuum thetici argumentum est exemplum particulare, vt speciale quoddam accõmodatum suo generi explicando sic: Optimè quisque sibi conscius est vbiq; tutus & expers timoris, vt Horatius, quod non dicitur sine suspicione arrogantiæ à Poeta. Propositio est initiò illustrata adiunctis & subiectis, ꝙ illi vitæ integro nullis sit opus armis, in quotcunq; deuenerit pericula: Itaq; bene conscius est vbiq; tutus & expers timoris, nec indiget armis: Assumtio est ad verba, *Namq; me, &c.* quòd Horatius sit vbiq; ἄφοβος, *expers timoris &* tutus, etiam inermis: declaratur ex aduersis, quòd sæuus & immanis lupus ipsum fugerit hominem mitem, inermem, & imbellem: hoc rursus dilatatur altero dissimiliter comparato: Nullum simile portentum alit vlla regio, quamlibet aspera. Hæc diuersa confirmant assumtionem, licet ego verser in calidissimis orbis regionibus; licet in frigidissimis eiusdem, non tamen, vt bene conscius mihi, desinã oblectare me tutò musicis de mea Lalage. Hæc summa est artificij logici: Quare optimè sibi conscius est vbiq; tutus. Hîc tribuit Poeta studio innocentiæ primas vitæ humanæ: quod quanti olim Ethnici fecerint, è libris philosophorũ, & maximè Platonis, Aristotelis in ethicis, Ciceronis ac Senecæ potest facilè cognosci. In eam igitur Christiani acrioti studio & industriâ incumbant, aliò tamen fiduciam suæ salutis, atque illi fecerunt, referentes. Quomodo autem cum male conscijs agatur, Iuuenalis audiatur Satyra 13.

Plurima

— *Plurima felix*
Paulatim vitia, atq; errores exuit, omnes.
Prima docens rectum sapientia: quippe minuti
Semper & infirmi est animi, exiguiq; voluptas
Vltio, continuo sic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm fœmina. cur tamen hos tu
Euasisse putes; quos diri conscia facti
Mens habet attonitos? & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò sæuior illis,
Quas & Cœditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Reliquum percurret Satyræ studiosus lector: quòd, plura eadem de re dicturus epist.1.lib.1. ad vers. *Nil sibi conscire, &c.* nunc omitto.

Neque inutilis erit altera admonitio, si, cur scelera dicantur à Seneca felicia lib. cap.15. de tranquillitate animi ostendero. *Sed nihil prodest priuatæ tristitiæ causas abiecisse. occupat enim nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot scelerum felicium turba. id est, metonymicῶς, multitudo tot sceleratorum feliciter ac fortunatè viuentium,* τὸ egere Stoicis, vt Senecæ Epistol.9.ad Lucilium non idem videtur esse, quod τὸ indigere, δεῖσθαι καὶ ἐνδεῖσθαι. *Se contentus est sapiens ad beatè viuendum, non ad viuendum. ad hoc enim multis ille rebus opus est; ad illud tantum animo sano & erecto, & despiciente fortunam.*

Nam egere dicunt eum, qui caret ita re aliquâ, vt angatur animo, & desiderium eius ferre nequeat. Indigere autem eum tantummodò, qui aliquo caret, cuius probè vsum nouit ad vtiliter fruendum. Hinc igitur colligebant sapientem nullâ re egere, cuius absentiam non æquo ferat animo: quibusdam tamen idem sapiens dicitur; Indigere, vt victu, vt vestitu, cæterisque rebus eiusdem generis; quibus, si earum copia fuerit, rectè vtetur. Stultus contrà multis eget rebus, multis indiget. Hoc Cicero lib.1. Tuscul. obscurè attigit: Sed Plutarchus lib. de communibus notionibus aduersus Stoicos paulò clarius.

Enarratio Grammatica.

Aristium.] Ad hunc est Epistola 10. eiusdem ferè argumenti.

Integer.] Ἄφθαρτος καὶ ἀδιάφθορος, *innocens, castus, sanctus, religiosus, bonus cum integro consentiunt*: sed contaminatus, vitiosus, corruptus, malus, accisus, dissentiunt ab eodem. Sed præter hanc rectionem, integer vitæ, Cæsar etiam dicit integer ab labore, *qui ne point trauaille*, & Terentius *à se integra virgo, Vne fille, à laquelle, il n'a touche*, Sic: istud est à me integrum, *ie n'ay aucunement touche a cela.* Sic Liuius lib.7. dicit *intactum à vexatione corpus.* Hoc equidem prudens annoto: quia hæc duo epitheta *integer & intactus* non solùm hac syntaxeos similitudine, sed notionis etiam ratione se attingunt. Veteres enim tago, pro tango dixerunt, vnde integer, quasi non tactus. Quomodo cõstruitur purus & vacuus ab hac suspicione: sic Gaza illud in Catone maiore: *quo se negat velle suam mortem dolore amicorum lamentiq; vacare:* ᾧ τὸν αὐτὸν θάνατον ἀφηνοὶ βέλεσθαι καθαρὸν λύπης εἶναι καὶ ὀλοφυρμῶν τῶν ἐπιτηδείων vertit. Sic, καθαρὸν εἶναι τὸ ἐγκλήματος ἐπίσσωυ, *purũ esse à quouis crimine.* Sic ἁγνὰς τῶν ἀφροδισίων, καὶ γάμων dicimus *puras à venereis rebus & nuptijs.* His est affine, quod Plutarch. in Numa dixit, πάσης κακίας ἄθικτος βίος, καὶ παρθένος ἄθικτος, τυτίσιν ἄψαυστος καὶ ἀνέπαφος, id est *intacta, illibata, integra.* Sic καθαρὸν φόνου, *cæde non contaminatus.* Idem etiam Græci per præpositionem efferunt, vt Latini: Demosthenes κατὰ Νεαίρας, *contra Neæram* vbi sacerdos Bacchi ita iurat: ἁγνίζω καὶ εἰμὶ καθαρὸς, καὶ ἁγνὸς ἀπὸ τῶν ἄλλων καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας· *castimoniam seruo & pura sum ab aliis & à congressu viri.* Purus denique sceleris potest accipi generaliter pro homine probo & innocente: quod vt ita explicem, facit Donati annotatio in Adelph. Act. 2. Scen. 1. *ô hominem impurum! sic veteres impurum generaliter pro improbo ponebant.* Ita illud Eunuchi Act.2. Scen.2. *conueni hominem haud impurum,* explicat, *non improbum,* & addit: sic laudamus eos, in quibus nihil est, quod magnopere efferamus.

Scelus præterea quàm grauissimum sit peccatum, ex illo loco orationis pro Ligario intelligitur, vbi Tubero Ligarium appellârat sceleratum propter arma contra Cæsarem sumta, cui respondetur. *Scelus tu istud vocas Tubero? cur? isto enim nomine adhuc illa causa caruit: alij enim errorem appellant: alij timorem: qui duriùs, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui grauissimè, temeritatem: scelus, præterea, adhuc nemo.* Monui τὸ scelus dici, quòd qui admittit illud, mereatur exsiccari, & cadauer fieri: σκελετὸν γίνεσθαι.

Eget.] Festo τὸ egens dici videtur, quasi exgens, cui ne gens quidem sit reliqua, quæ possit ipsius egestati mederi, vel nummo, vel cibo: qualis est πρόσαιτος *mendicus.*

Mauris.] Nomen est primigenium pro sua declinatione Mauritanis, sicut Ode 6, lib.2.

Vbi Maura semper
Aestuat vnda: vt si quis diceret, Gallas, vel Galliæ bombardas, pro Gallicas, quomodo Sallust. Ἑλληνικῶς dicit mulieres Galliæ pro Gallicas.

Arcu.] Arcus, siue pro fornice, siue αὐτὴ τόξῳ, vt hîc pro posteriori, ab arcendo & continendo, & constringendo dici videtur.

Pharetrâ.] Vox est Græca. quâ vtitur Hesiodus,

Κωλὴν δ' ὦμοισι φαρέτρην Κάββαλε νῶτα
ἐξόπιθεν,
cauam pharetram ex anteriori retecit in tergum: hanc autem Suidas declinat θήκη τοῦ φάρους, τουτέστι περιβόλαιον, quod est operimentum & munimentum, & hoc ἀπὸ τοῦ φέρεσθαι, à gestando paulo iam secus notata fuit in Oden 10.

Per Syrtes.] Has Sallustius in bello Iugurthino scribit nominatas ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι, ab tractu, quòd fluctus vi ventorum trahant limum, arenam, & ingentia saxa, quò quum abrepta nauis incidit, perit, aut vix & rarò seruatur. Æstuosas autem intellige tam calore illius cæli & arenarum, quàm æstus marini accessu vel recessu. Rectè D. Lambinus è profectione viri bene sibi conscij per solitudines Libyæ mediterraneæ & arenosæ, per loca quoq; feris immanibus infesta, pro quibus arcendis, est opus iaculis, telis & sagittis, cóiectauit Syrtes in mari Libyco sitas non esse intelligendas. Vide præterea de Syrtibus Lucan.li.9. quarum facit Strabo duas li.17. maiorem & minotẽ in mari Libyco, ideoq; Virgil. 5. Æneid. illas vocat Syrtes Gætulas & Seruius ibidem eaſdem describit, vt Dionys. in Periegesi:

Πρὸς ἣ Νότου Λιβυκός τε πόρος καὶ Συρτίδος ἀρχὴ
Τῆς ἑτέρης, ἑτέρην ἣ ἀϊδρείῃσι θεσπέσιοι περήσας,
Ἔασεν ἴλιν.

Sed ad Austrum & traiectus maris Libyci & Syrtidis alterius principium, alteram quoq; videas vlterius, vbi traieceris, occidentalem. Vide Scholia Eustathij in Dionys. De ijsdem Solin. Polyhistor scribit: Varro auctor est perflabilem ibi terram ventis penetrantibus, subitam vim spiritus citissimi, aut reprimere maria, aut resorbere.

Caucasum.] Mons est Scythiæ, talibus epithetis Græcis affectus: ἄξενος, ἀπάνθρωπος, ἄβατος ἐρημία, *inhospitalis, nullis habitata hominibus, inaccessa solitudo.* E libro autem 14.cap.8. Isidori discimus Caucasum à candore nominatum, quòd Orientali linguâ, Caſſin, significet candorem & niuem: vnde Scythæ vicini hunc mon-

tem appellant κροάκωπα: quæ certè omnia mirè consentiunt cum scholijs Eustathij in Periegesin Dionysij de hoc monte: vbi scribit homines illius incolas esse miseros, ἀεὶ γὰρ ἐν τοῖς ψυχράτε χιὼν καὶ κρύμος δυσαής: *semper enim nix frigida & frigus perniciosè spirat ipsis*: de quo sic Virgilius Æneid. 4. v. 365.

Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.

De quo etiam plura è Solino libet adscribere, *Taurum montem*, ait, *palam est terras continuare valuisse, nisi profundis æquoribus interrumperetur. Vbi altissimus est, Caucasus vocatur. Progentium diuersitate plurifariam nominatur apud Indos Hymaus, mox Paropamissus, Croathras apud Parthos post Niphates; vbi dehiscit hiulcus iugis, facit portas Armenias, Caspias, Cilicias. Idcirco autem Africanus in somnio Scipionis dicit nomen Romanorum non potuisse Caucasum transcendere: quia præ cæteris eminet montibus. Aristoteles siquidem scribit in Meteoris eum tantæ altitudinis esse, vt ipsius vertex adhuc tertiâ parte semper illustretur.*

Quæ loca.] Indiæ & Parthiæ. Locus autem à præterito medio verbi λέχω, *cubo*, λέλοχα deflectitur: vnde λόχος, τὸ insidiæ & occultus locus: de qua voce vide Hesychium & Suidam: & ipsum λέχω ducitur à λέγομαι, *iaceo, dormio & decumbo.*

Lambit.] Id est, leuiter præterfluit: atque pro hoc Lucretius lib. 5. dicit, *flumina radunt ripas*, vt Virgilius 7. Æneidos.

Proxima Circææ raduntur littora terræ.

Gallicè, *les nauires passent razibus de la terre & demeure de Circe.* & Ecloga 4. *Sue oram Illyrici legis æquoris.* Pro hoc aliter Virgil. dicit *legere littora Epiri & oram*, vt Liuius lib. 5. *terram ligere.*

Hydaspes.] Hydaspes fluuius fuit in Media per Parthos decurrens in Indiam, vnde dicitur Virgilio sub medium 4. Georg. *Medus Hydaspes:* quia regibus Medorũ parere consueuerat: de quo omnes temerè & falsò multa loquuntur & fantur, vnde fabula nomen trahit. De hoc flumine sic Dionys. in Periegesi ad versum:

Συρόμενον δ' ἔχεται πλωτὸς νήεσσιν Ὑδάσπης, Acesinen *decurrentem excipit nauigabilis nauibus Hydaspes.* De eodem lege Strabonem.

Nunc mihi primum venit in mentem quod Plutarchus in vita Alexandri narrat accidisse ad ripam fluuij Hydaspis. Bucephalus huius regis equus generosus post pugnam cum Poro Indorum rege commissam dicitur illic occubuisse, partim plagis compluribus ictus, partim senio confectus, vt qui triginta iam annos attigisset, ipsiusq; cadauer ibidē humo conditum; cuius necem tam grauiter tulit rex, quàm si quis ex ipsius intimis è vita decessisset. Eam ob rem de nomine sui equi curauit amplissimam vrbem in loco equi conditi Bucephaliam construendam εἰς τὸ ἀπῦ μνημόσυνον. Hæc tanti principis in bestias humanitas alioqui Barbari ac Ethnice condemnat homines immanitatis plusquam ferinę in sui similes. Vera autem ratio vocis Bucephalus, quia paucis est nota, ex Etymologico magno, est huc afferenda, Βυκέφαλός ἐστιν ἵππος, ὃν Ἀλέξανδρος ἐκέκτητο, οὐχ ὥσπερ οἴονται, ὅτι βοὸς κέρατα εἶχεν· τοῦτο γὰρ ψεῦδος· ἀπεσημαίνετο γὰρ ὑπ' Ἀλεξάνδρου χρυσοῦς. καὶ ἀ διὰ τὰ κέρατα Βυκέφαλος ὠνόμασται, ἀλλ' ὅτι οὕτως ἐν Θετταλίᾳ ἐκαλεῖτο τὸ οἱ ἵπποι ἔχοντες· ἐγκεκαυμένου βυκράνιον, ὡς Ἀριστοφάνης δηλοῖ ἐν Ἀναγύρῳ, μὴ κλαι, ἐγώ σοι βυκέφαλον ὠνήσομαι. καὶ πάλιν, ψήχει ἤρεμα τὸν Βυκεφάλου καὶ Καππαίου· λέγεται ὁ κεχαραγμένου ἔχων τοῖς ἰσχίοις βυκράνιον, id est, *Bucephalus est equus, quem Alexander habuerat, dictus, non, vt quidam putant, quòd bouis cornua haberet. Hoc enim est falsum. siquidem ab Alexandro phaleris aureis ornabatur, nec propter cornua Bucephalus nominatus est; sed quia sic in Thessalia vocabantur equi, quibus caput bouis erat inustum, vt Aristophanes indicat in Anagyro, ne plores, ego tibi emam Bucephalon, & rursus; frica leniter Bucephalum & Cappatian: sic dicuntur equi, quorum coxis impressa sunt signa capitis bubuli & litera cappa.*

Lalagen.] Vox est appositè ficta ad loquacitatem sexus muliebris notandam, ἀπὸ τὸ λαλάξειν ἢ λαλαγεῖν, *à clamando & resonando*, & quasi alterum loquentem imitando, vt dicitur ἦχω λαλαγεῦσα. Est Epigramma Martialis lib. 2. in mulierem huiusce nominis festiuum, quæ suæ ancillæ grauiter, quòd ipsius caput comeret indecenter, succensebat, & verbis verbera addebat, in Lalagen.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus incertâ non bene fixus acu:
Hoc facinus Lalage speculo quod viderat, vlta est.
Et cecidit sectis icta Plecussa comis.
Desine iam Lalage tristes ornare capillos,
Tangat & insanum: nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel sæua nouacula nudet,
Vt speculo dignas fiat imago tuo.

Posset etiam Lalage exprimi Epitheto Thersitæ Iliad. β. ἀκριτόμυθος, quod sonat hominem multa verba sine iudicio, delectu & ordine funditantem, quod ibidem Homerus dicit de eodem κολωᾷν, more graculorum perstrepere & garrire. Huc libet addere, quod Eustathius annotat in vers. Ιλιαδ. Α.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον: τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους φύσει, id est, *Certè per sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos proferet.*

Meritò τὸ φύλλα per geminum λλ scribitur. videtur enim ita dici; quia dum folia difflantur, clamant & vociferantur.

Hæc est Scholiorum interpretatio: vbi est verbum λαλαγεῖν: vnde nostra hæc garrula est nominata; cuius verba ita strepunt, vt syluæ vento susurrant agitatæ. Sic notatur τὸ φύλλον ἀπὸ τὸ φυσᾶν καὶ τὸ λαλαγεῖν: quo posteriori Pindarus vtitur ολ. θ. Ολυμπ: reprehendit effusam de Dijs licentiam loquendi.

Μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτα παρὰ καιρὸν, id est,
Ne crepes nunc intempestiuè talia.

Vltra terminum.] Hæc vox ex his Græcis deducta est, τέρμα, τέρμα, τέρμων, limes vel è lapide vel stipite.

Curis expeditus.] Pro hoc Cicero 4. Academico dicit, expeditus, solutus, liber, nulla re implicatus.

Sic Terentius Act. 3. Scen. 1. Hecyræ, *expedias te erumnis.* Expedire autem dicitur, qui pedem retentum liberat, ait Donatus in Hecyra, Act. 5. Scen. 2. rectè dixit, *expeditus curis canto*, &c. ἡ γὰρ ἄσκησις λόγων, καὶ μαθημάτων, ἀπάλλοψις ἀπραγμοσύνης δεῖται καὶ σχολῆς· *nam studium literarum & perceptio disciplinarum requirit vacationem negotiorum & otium.*

Militaris.] Hoc epithetum, vt Græcum στρατιωτικὸς, tam de eo, qui ad militiam aptus est quàm qui est disciplinæ militaris peritus, qui στρατηγικὸς propriè dicitur, quomodo hîc sumi puto, vt Dauni & Appuli artis militaris periti intelligantur: & in coniuratione apud Sallustium: *homines militares sine tumultu præsidijs collocatis, sicuti præceptum erat, occultè pontem obsident.*

Daunia.] Sic appellatur Appulia à Dauno rege Diomedis socero.

Aesculetis.] Æsculus est genus quercus ferens glandes omnium crassissimas: post illas tamen communium quercuum, vt scribit Plinius lib. 16. cap. 6. vbi Virgilius citatur è Georg. 2.

Aesculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit: pro quo Plin. dicit, *robora suas radices in profundum agunt*: si Virgilio quidem credimus, æsculus quātum corpore emi-
net, tantum radice descendit, vnde dicitur ab eodem

Poeta,

Poeta, *maxima æsculus*, & ab hoc Od. 22. lib. 3. *rigida*, & Græcè φηγὸς βαλανυφόρος, *fagus palmulas ferens*. Hinc dicitur etiam æsculetum, locus his arboribus consitus: vt quoq; fagus ἀπὸ τοῦ φάγειν, sic æsculus ab esca, licet initiò scribatur per æ, vt ibi Seruius annotauit, quòd fructibus olim vtriusque arboris vita hominum tolerabatur.

Iubæ.] Hic rex Mauritaniæ fuit, & filius Hiempsalis regis, ad quem Scipio Pompeij socer post Pharsalicam pugnam confugit: de Iuba Cæsar triumphauit, eiusq; filium admodum infantem duxit in triumphum, qui postea, vt scribit Plutarchus in Cæsare, annumeratus fuit doctissimis scriptoribus, & ad Caium Augusti filium de rebus Arabiæ lib. 6. conscripsit, teste Plinio.

Campis pigris.] Plutarchus in Pericle agens de Anaxagora Physico, talem soli habitum enunciat: καὶ τὴν χώραν ἀφεῖκεν ἀργὴν καὶ ἀνόβοτον· *reliquit agros otiosos, id est, incultos & pecori pascendos*, vt hic Poeta in Epist. ad Iccium de Democrito loquitur.

—— *Si Democriti pecus edit agellos*
Cultáque.

Elliptic㊂ autem dicit, pro, pone me in campis pigris: vbi nulla arbor recreatur æstiuâ aurâ, & propter frigus ἀνήνυτον ἀφύσ ἀεὶς τὸ λιμόν, *inhabilis est terra ad fruges.*

Propinqui.] Fuit hæc opinio veterum magna, nec est minor quorundam superstitum, vt sol credatur longiùs à nobis hyeme abesse, & ijsdem adesse propiùs æstate: quia sentimus æstum illius in solstitio æstiuo vehementiorem & in hyberno remissiorem: quod Macrobius confirmat in notatione cognominis τῆ Loxiæ, 1. Saturn. cap. 17. ὅτι τὰς λόξας ἀκλίνας ἵνα ἐφ' ἡμᾶς βορείους ὄντας, νότιος ὢν, *quod transuersos in nos à meridie immittit radios, quum simus Septentrionales, & ipse Australis.* Hæc quidem certè intentio caloris, existit è radijs solaribus, qui deferuntur frequentiores, ideóque fortiores, quòd propiùs ad perpendiculum & ad nostrum verticem accedant, & grauiùs incumbant in corpora subiecta, non exiguis terræ exhalationibus impediti, minusque vaporibus fracti ac debilitati. Remissio autem eiusdem caloris existit ex obliquis angulis radiorum, qui prætereâ languidiores à vaporibus redduntur. Id facilè comperies ita esse ex assessione ad focum luculentum, si è regione crematræ sedebis, maiorem vim caloris senties reflecti: sin ad latera, minorem, etiam æqualiter distans à crematra.

Solis.] Macrobius lib. 1. Saturn. capite 17. putat solem dici Latinè, quòd tantam claritatem solus habere videatur, idque scribit niti auctoritate Chrysippi, qui Ἀπόλλωνα notat, ὡς ἀχὴ πολλῶν, ἀλλ' ὅτι μόνος ὅτι. Tu vide alia etyma in Cratyl. Platonis vt Ode 2. huius lib. dictum est.

Dulce ridentem.] Antimeria est more Græco, ἡδὺ γελῶσαν, pro iucundè & dulciter ridentem & loquentem, quemadmodum Cicer. loquitur 2. de finibus: *Voluptate sensus dulciter ac iucundè mouetur* αὐτὴ τῷ ἡδέως κινεῖται: Sic Lucianus de historia scribenda μάλα ἡδὺ καὶ εἰς κόρον γελάσονται. *Ridebant valdè suauiter, & ad satietatem.* Sic Iliad. σ. ἱμερόεν κιθαρίζει, *Suauiter pulsat citharam*: Sic ἡδὺ φωνεῖν *suaue loqui.* Sic Hesiod. ἐν ἔργοις αἱμύλα κωτίλλουσα, de scorto blandè garriente.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est Sapphicum simile Odes 2. lib. 1.

a Synecdoche speciei, pro optimis quibusque armis.

b Translatum à gestantibus vterum, pro plenâ & onustâ, vt Plautus, *grauida puero mulier*: hinc etiam, grauida conuicijs lingua, Propertius ait. Quidam tamen censent duriusculam esse hanc translationem, ideoq; acyrologiâ non vacare.

c Agnosco hîc quoque synecdochen, pro maximis quibusque periculis maris & terræ, vt in *Caucasum* quoque.

d Anaphora est.

e Metaphora à canibus, pro qua Virgilius dicit, *legere littus maris*: & Liuius, *oram Italiæ legere.* Gallicè *costoyer l'Italie.*

f Metonymia subiecti, p Appulis Dauniæ incolis.

g Synecdoche generis pro Mauritania, vbi regnauit iuba, quæ pars est Africæ.

h Permissio est, figura sententiæ, quæ bis ponitur per anaphoram, qua rei alicuius faciendæ condonatur licentia.

i Synecdoche generis, id est, descriptio zonæ frigidæ, quam sic Ouid. lib. 1. Metam. describit.

Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners illic habitant pallorq; tremorq;.

k Metonymia est subiecti pro adiuncto, i. possessoris pro re possessa, cœlo & aëre, vt in Od. 1. huius lib. Agellius tamen l. 4. c. 17. alterum cum altero sic disponit: *Ennius*, ait, *in tragœdia, quæ Achilles inscribitur, subijces pro aere alto ponit, qui cælo subiectus est, in his versibus.*

Ergo Deûm sublimes subijces, humidus
Vnde oritur imber, sonitu sæuo & strepitu. cuiusmodi fuit Ode 1. clarè & copiosè explicata pro *cælum intractabile, sæuum & insalubre premit & incendit.*

l Synecdochica periphrasis zonæ torridæ, vbi est vehementissimus æstus, propter radios solis ad perpendiculũ accedentes. Hanc torridam plagam, Ptolomæus, Virgilius & hic Poeta putarunt esse inhabitabilem: sed Hispani Lusitani, alijque populi, longinquis nauigationibus, compererunt habitabilem esse.

m Epanalepsis est, initijs ac clausulis idem vocum sonus.

Ode XXIII. ad Chloen.

Theticum.

Coniugium non pertimescendum puellæ, quæ iam est nubilis & matura viro.

[1] *Itas* [a] *hinnuleo me similis Chloe*
Quærenti pauidam montibus auijs
Matrem, non sine vano
Aurarum & syluæ metu
[2] *Nam seu mobilibus veris* [b] *inhorruit*
[c] *Aduentus foliis, seu virides rubum*
Dimouêre lacertæ;
[3] *Et corde, & genibus tremit.*
[4] *Atqui non ego te, tigris vt aspera,*
Gætulúsue leo, frangere persequor,
[5] *Tandem desine matrem*
Tempestiua sequi viro.

Analysis Dialectica.

ODe tractatur duplici comparatione ad metum Chloe de consuetudine Horatiana leniendum; vnâ similium, alterâ dissimilium. Prior huiusce modi est: Vt hinnulus vano motu frondium tremit, & ad matrem fugit: sic Chloe falsò territa, me vitat, & se statim ad matrem recipit.

2 Protasis declaratur è causis efficientibus hinnuli trementis; flatu Fauonij, & agitatione lacertarum in spinetis. Sed hoc omnibus animantibus communiter accidere solet è sententia Sophoclis, πάντα τοὶ τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ, *omnia strepunt metuenti*: quod Virgilius 2. Æneid. dicit:

Nunc omnes terrent auræ: sonus excitat omnis
Suspensum: quod expressit Apollonius lib. 3. Argon. in Medea, quæ nunquam suos adijciebat oculos turbæ ministrantium, sed longè dimouebat auerso vultu ad viam Iasonis.

Ἦ ῥα μὰ δὴ σπεύδων ἐάγη κέαρ ὁππότε δ' ἔπορ
Ἦ ποδὸς ἢ ἀνέμοιο παραθρέξαντα δοάσσαι:

Identidem certè frangebatur illi animus, quandocunq; strepitum aut pedis aut venti prætercurrentem se existimaret audire.

3 Eadem protasis repetitur, vbi notes è trepidatione cordis pendere trepidationem totius corporis, & præcipuè genuum, vt facilè cernas in quolibet animante perterrito.

4 Protasis est hîc dissimilitudinis, quæ posset esse loco assumtionis, sic clariùs enunciandа: Atqui non ego, quemadmodum tigris, vel leo hinnulum insectatur dilacerandum, te persequor, vt miserè perdam.

5 Ex antecedentibus conficit matrem Chloe relinquendam, & ipsam Chloen impauidè viro consociandam.

Enarratio Grammatica.

VItas.] Exemplaria Cranterij habent *Vitat*, quod alioqui sic monet legendum verbum octaui versus sequentis, *tremit*, & licentia quantitatis iam vsitata permittit, atque tum apostrophe fiet ad Chloen his verbis: *atqui non ego te, &c.* Effectum est hoc argumentum ad ingenium Anacreontis, vt rectè Henr. Stephanus præmonuit. Efficta vox est quoque personæ, cui inscribitur, & videtur dicta à viriditate: quicquid enim in plantis viret, siue germina, siue frondes, siue folia sint, χλοὴ dicitur: vt Aristoteli de mundo. γῆ πεποικιλται χλοαῖς μυρίαις, terra variegata est infinito plãtarum herbarumque numero. Atqui Martialis lib. 3. epigrammatum in mulierem huius nominis contrarium fecisse videtur.

Et vultu poteram tuo carere
Et collo, manibusq;, cruribusq;,
Et mammis, natibusq;, clunibusq;:
Et ne singula persequi laborem,
Totâ te poteram Chloe carere.

In eandem est epigram. multò grauius lib. 9. 16. eiusdem, de nece septem virorum, id est, maritorum. Est mulier eiusdem nominis, sed moribus longè diuersis prædita, Epist. 1. Corinth. cap. 1.

Hinnuleo.] Quia hæc vox mihi videtur dicta ab *hinno* pullo asinino, vel ceruino, qui Græcè νεμὰς, ἀδος, quo nihil est timidius, ἢ νεβρὸς dicitur, ἀπὸ τὸ νεωστὶ μὲν εἰς βορὰν ἐληλυθέναι, quòd nuper ad pascua profectus sit, sicut Grammatici volunt. Hinnus autem ab hinniendo, retentâ spiritus notâ, & *nn* gemino ad extensionem primæ syllabæ. Vox *hinnulus* est ὀνοματοποιητὸς, sed scripta *inulus* dicitur ab inuendo matri, quid velit. Dicitur etiam Græcè ἔλλος: Hesychio νεογνὸς, nuper natus, aliter νεμὰς ἄδος, vt iam dictum est. Est autem hinnulus communis vox diuersorum animantium, vt ὁ ἀιξ, ἀιγκος, est Suidæ ἐλάφου γέννημα, *cerui fœtus*: Eustathio etiam τέκνον δορκάδος, *damæ hinnulus*. Cum hinnulis recens ablactatis Dionysius vers. 843. ἀιγικήστων comparat Lydias virgines saltantes: νεοθηλέες οἵδε τε νεβροὶ σκαίρουσι· *Virgines Lydiæ saltant more hinnulorum modò lacte depulsorum.* Eandem quoq; vocem Lucianus traxit in prouerbium in dialogo Cnemonis & Damnippi, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα ἐνίκησεν, id est, *Hinnulus Leonem vicit.* ὑπακουέον, id est, subaudiendum, vsurpari solitum de eo, qui inferior superat potentiorem.

Montibus auiis.] Hoc dicitur per ellipsim præpositionis *in*

Syluæ metu.] Diæresis est, vnius syllabæ diuisio in duas: sic sæpè consonans. V. tali dialysi, fit vocalis, vt in *soluo*, & in coniunctis cum ipso: vt in illo Tibulli pentametro.

Sit satis ornatas dissoluisse comas.

Virides lacertæ.] Quæ Græcè enunciantur ex coniũctione χλωροσαῦρα, vt Pictonicè *Lauertz*: duplici quoque fine, σαῦρος, ἢ σαῦρος, vt Latinè lacerta & lacertus.

Aspera tigris.] Quomodo dicuntur à Virgil. Armeniæ tigres, Eclog. 5. & Hircanæ 4. Æneid. atræ & rabidæ 2. & 4. Odarum.

Gætulúsue leo.] Ex Gętulia Africæ parte, vbi sunt immanes leones. de quo lege Strabonem li. 7. & Plinium lib. 8 cap. 16. Est tamen singularis historia de grata lenitate cuiusdam Gętuli leonis immanissimi erga seruum feris expositum apud Ælianum lib. 7. cap. 48. quam vix quisquam legat sine animi commotione, & Agellium lib. 5. cap. 14.

Frangere persequor.] Hellenismus est, & Poetica phrasis, qualè Poeta sæpè vsurpat in his verbis & similibus; *sumo, vocor, trado, inuideo, laboro*, tanquam pro hæreticis cum infinito finem notante. Itaque non secus atque 3. Æneid. *Agimus quærere terras desertas*, dicitur hîc *persequor frangere*, & significat vt te frangam, dilacerem & deuorem, vel ad frangendum. Appositum est verbum τὸ *frangere* ad exprimendum stridorem ferarum, dentibus frendentium, & fragorem ossium hinnuleorum, qui auditur ὀπὸ τῆς τῶν καχαροδόντων ὠμοφαγίας.

Tempestiua sequi viro.] Tempestiuum dicitur, quicquid fit apto tempore, vt fructus tempestiui, qui suo & apto tempore carpuntur: Sic puella matura & tempestiua viro, quæ ætatem attigit coniugio aptam, qualem describit Virg. Æneid. 7.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis:

quę Græcè Demosth. *dicitur* θυγάτηρ ἐπιγαμος: & Cic. pro Cluentio: *Hic reliquit filium annos quindecim natum; grandem autem & nubilem filiam A. Aurio Melino consobrino suo.* Seruius tamen in illum versum Virgilij notat hoc: *Non est*: inquit, *iteratio, sed secundum ius loquutus est: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur. Primum ergo ad habitum, secundum ad annos pertinet.* Hesiodus tamen definit tempus coniugij virilis annis circiter triginta:

Ὥραιος δ' γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἀγέσθαι,
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πόλλ' ὑπολείπων,
Μήτ' ὀπιθεὶς μάλα πολλὰ· γάμος δέ τοι ὧδε τέτυκται:

Maturus vxorem ducito domum, non multùm à trigesimo annis recedens, nec eos multùm excedens: hæ enim nuptiæ sunt tempestiuæ:

Idem deinde puellæ constituit annum nubendi:

Ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἄβῃ, πέμπτῳ δ' ἁμοῖτο.

Mulier verò quatuor annos pubescat supra decem, quinto pòst nubat

nubat. Videtur Plato 5. de Repub. ab hoc numero muliebris connubij vnitate differre, cui tribuit viginti annos, & triginta virili, vt hîc Poeta: qui quidem duo meliùs consuluisse mihi videntur rectæ & iustę corporis humani conformationi, quàm Iurisconsulti.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile quintæ.

[a] Si accipiatur pro pullo asinino, vel equino, vel ceruino; semper & vbiqúe erit synecdoche speciei pro genere: Si generatim pro pullo cuiuslibet bestiæ; nullus erit tropus: qualis dicitur Græcè πῶλος: omnes enim pulli adeò sunt timidi & tremuli, vt locum dederint prouerbio l. 5. Athenæi ad fin. ex Babylonio Herodico Poeta.

Φεῦγετ' Ἀεισάρχειοι ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἑλλάδα, τῆς ξανθῆς δειλότεροι κεμάδος;

Fugite Aristarchij Græciam per lata terga maris, timidiùs hinnulo tenero cerui. qui sic Græcè dicitur παρὰ τὸ κοιμᾶσθαι ἐν τῷ σπηλαίῳ· quòd adhuc cubet in antro, vnde timet exire.

[b] Metonymicῶς dicit effectum, pro Zephyro efficiente frondes tremulas suo flatu in aduentu veris.

[c] Alter modus eiusdem tropi, vnde potest allegoria constitui, quo è subiecto vere Fauonius ipsius prænuncius significatur, qui illo præsertim tempore solet spirare, & folia arborum tremefacere, vmbrasque motare, non tamen verè statim ineunte. Alij interpretes in his statuunt hypallagen pro, folia mobilia inhorruerunt aduentu veris: i. Flatus aduentantis veris facit, vt frondes arborum concussæ strepant, sicut notati tropi iam indicarunt.

[d] Leo Gætulus dicitur synecdochicῶς pro immani leone, quomodo dictus est Marsus aper Od. 1. Ex Getulia autem puto equidem Libyam intelligendam; vbi, quod hîc dicitur de Leone, ab Herodoto etiam confirmatur de certis quibusdam aliis feris in Melpomene: Καὶ γὰρ οἱ ὄφιες οἱ κατὰ μεγάθεος, καὶ οἱ λέοντες καὶ τὰ τοιαῦτα εἰσὶ καὶ οἱ ἐλέφαντές τε καὶ ἄρκτοι καὶ ἀσπίδες τε καὶ ὄνοι οἱ τὰ κέρεα ἔχοντες, &c. id est, *Siquidem apud hos & serpentes sint immanes, ac leones, elephantes quoque, & vrsi & aspides & asini cornibus præditi.*

Ode XXIV. Ad Virgilium de Morte Vari.

Theticum.

Quòd dolor vel iustissimus ex obitu amici sit mitigandus.

1 [a] *Vis desiderio sit pudor, aut modus*
Tam cari[b] *capitis? Præcipe*[2] *lugubres*
Cãtus[c] *Melpomene,*[3] *cui*[d] *liquidam*[e] *pater*
Vocem cum cithara dedit.
4 [f] *Ergo Quintilium*[g] *perpetuus sopor*
Vrget? cui[h] *pudor & iustitiæ soror*
Incorrupta fides, nudaq; veritas,
Quando vllum inuenient parem?
5 *Multis ille bonis*[i] *flebilis occidit,*
Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili.
6 *Tu frustra pius (*[k] *heu) non ita*[l] *creditum*
Poscis Quintilium Deos.
7 [m] *Quòd si Threicio blandiùs Orpheo*
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vana redeat[n] *sanguis*[o] *imagini,*
Quam virgâ semel horridâ
Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum:[8] *sed leuius fit patientiâ*
Quicquid[p] *corrigere est nefas.*

Analysis Dialectica.

ODe verè μιμητικὴ est in exprimendo Virgilij affectu, propter amicum desideratum. Constat autem ex approbatione Virgilianæ lamentationis, eiusdemque improbatione. Ad priorem partem pertinet primus versus, & hemistichium sequentis, vbi Poeta confirmat Virgilio esse iustissimam causam dolendi de amissione tanti viri: tanquam ille diceret: Quòd tu tanto desiderio amici tui tenéri; nec vllum modum lugendi videaris adhibere; facis istud quidem iustissimo dolore commotus, cuius apertè & cumulatè declarandi nullum vnquam hominem puduit. In hac simplici enunciatione latet vis quædam comparationis è paribus, quam, schemate remoto, & subiectione tamen interrogationis expletâ, facilè agnosces: Nemo est, quẽ pudeat vehementissimè desiderare clarissimum & optimum virum, & amicum: tantum igitur desiderium non potest esse Virgilio pudori. Quod si enunciaueris simpliciter, ac legeris *queis* in casu sexto, & relatione τῶν *cantus*, & ita interpunxeris:

Queis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis, præcipe lugubres
Cantus, Melpomene: habebis Poetam Musæ auxilium implorantem ad leniendum Virgilij desiderium, quod vix, ac ne vix quidem, ob mortem huius amici poterat ferre. Itaque ad hoc munus officij Virgilio præstandum, è loco adiuuantium petit à Melpomene, vt se doceat cantus lugubres, per quos, i. quorum vi Virgil. modum suo Vari desiderio statuat prudenter: quam quidem lectionem non dubito, quin eruditi lectores probaturi sint. Eam tandem posteriorem interpretationem variæ Mureti lectiones 10. Cal. Nouemb. 1584. ad nos perlatæ comprobarunt, quò me facilè quidem adduci patior simili argumento & phrasi Od. 11. l. 3.

Mercuri,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.

2 Ad eandem quoque approbationem spectat imploratio Musæ, vbi Poeta lamentationibus sese adiungit socium, quum se cupit à Musa versus lugubres edoceri, quibus defleat Quintilium.

3 Musa laudatur ex accepta à Ioue auctore canendi gratia, quo magis petitioni faueat.

4 Quasi Poeta sub persona Virgilij certò resciuisset à Musa, Quintilium è vita migrasse, iam ab ea suggestos elegos & tristes canere incipit, qui compositi sunt ex collatione minorum, sic apertiùs pronunciatâ: Omnes omnino superstites homines, si vnum in locum conferantur, facilè concedant Quintilio in pudore, iustitia, fide & veritate.

5 Vis approbationis clariùs hîc elucet in comparatione maiorum: vbi docet mortem illius viri multis quidem bonis lugendam, sed multò magis Virgilio deflendam.

6 Horatius fuit adhuc approbator lacrymarum

Virgilianarum: nunc talis luctus se præstat dissuasorẽ Virgilio, iam ex communitate & societate lamentationis per insinuationem comparato: quam consoládi rationem & viam tenuit S. Sulpicius Epist. 3. l. 4. ad famil. in leuando dolore Ciceronis de obitu filiæ. Sed habes apud Senecam l. 8. Epist. 64. Epist. pulcram consolationem de amico defuncto: vnde, sicut è responsione Ciceronis ad Sulpicium, possis discere tribus potissimùm rebus iuuari consolationem: argumentis ad luctum minuendum idoneis; dolore ipsius consolantis, & auctoritate eiusdem, si vir fuerit sapiẽs & clarus. Hujus autem dissuasionis argumentum est è diuerso fine: Non tibi, Virgili, à Diis immortalibus data est vsura Quintilij tui amici, vt illa tibi esset propria, i. perpetua: sed eâ lege, & conditione, vt quum ipsis visum fuisset, à te repeterent: quod vbi factum ab illis vides sine iniuria, nihil istâ pietatẽ agis, nec quicquá est, quòd te frustra tantopere excrucies. Itaque desine beneficium naturę malè interpretari, quę tibi abstulit, quod dederat: quum etiam turpissimum sit homini prudenti à desatigatione mærendi, remedium mæroris inuenire. Sed præter hanc consolandi rationem, est tibi altera, vt Cic. Titium monebat lib. 5. Epist. ad familiares. *Consolatio peruulgata quidem illa maxime, quam semper in ore, atq; in animo habere debemus: Homines vt esse meminerimus, eâ lege natos, vt omnibus telis sortunæ proposita sit vita nostra, neq; esse recusandum, quo minùs eâ, quâ nati sumus conditione viuamus néve tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus, euentisq; aliorum memoriâ repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. Quare tuenda est tibi grauitas & constantia seruiendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio, prudẽtiaq; debemus.* Huc accedat, ὅτι τὸ τὰς ἀποδιδοὺς πάλιν δεῖ μέτριον εἶναι, καὶ πάνυ ὀλίγον ἐστὶν, ὃ μὴ ἀνιᾶσθαι δοκεῖν ἀπαιδής, ἀλλὰ μετριοπαθὴς ὀφείλει.

7 Ostendit vanam esse operam, vanum studium, si conetur eum reuocare in vitam, qui iam ex ea excesserit: quod minorum collatione explicatur: Si, inquit, tentas flectere fata carminibus, Orphei cantu suauioribus, quo fata & arbores, quocunque olim placitum est, tracta sunt, nihil proficies. Sic Ouidius ad Liuiam de morte Drusi patienter ferenda scribit.

Supprime iam lacrymas, non est reuocabilis istis:
Non tibi, nõ vllis, vincere fata datur.

8 Salutaris est medicina è diuersis: Durus quidem est, & acerbus huiusmodi casus: sed quum nequeat leuari, tolerantiâ & temporis diuturnitate mitior fiet: quod est singulare remedium contra vim τῆς ἀδυνάτου, quale à Pythagora paratur.

Οὐκ ἔστε, δυμονίῃσι τύχαις, βρότοι ἄλγε' ἔχοντες,
Ὧν αἴ μοῖραν ἔχωσι, πράως φέρε, μὴδ' ἀγανάκλα·
Ἰᾶται γὰρ πρέπουσα, καὶ δόσιν λύπῃ, ᾧ δὲ φέρῃ δῶρον.

Quæcunq;, diuino impulsu, mala homines habent, horum si partem habeas, æquo animo fer, nec nimis iracundè querere: sed medicinam his facere te pro viribus decet, sicq; tecum cogita, non admodum multa mala viris bonis dedit fortuna.

Christiani autem in rebus aduersis se consolantur, & sustentant bonâ Dei Opt. Max. voluntate, & prouidentiâ, qui hac exercitatione patientiæ tanquam acriori stimulo, explorat animos electorum suorum & præparat hac præsentium inconstantiâ ad spem æternæ vitæ firmiorem & optabiliorem. Adde hûc illud Sen. l. de vit. beat. *Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre molestias, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est: in regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Mala igitur, quæ nec vitari, nec humanis viribus auerti possunt toleranter perferenda sunt. Hic locus citatur à Donato in Hecyræ Act. 4. Sc. 2. ad firmandam Sostratæ sententiam Pamphilo *Non tute rem incommodam, vt quæq; est, in animum inducas pati.* Philostratus in vita Isocratis refert hanc gnomen Demosthenì acceptam, vt maiestatis plenam. δεῖ δ' τοὺς ἀγαθοὺς αὐδρὰς ἐγχειρεῖν μὲ ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τῶν ἀγαθῶν ἀντιβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅ, τι ἂν Θεὸς δίδῳ, γενναίως, i. *Est fortium virorum omnia semper honesta & recta capessere, bonâ spe ipsis iniectâ, nec fluitante, ac, quicquid Deus dederit, animo generoso ferre.* Itaque ἡ καρτερία ἢ ὑπομονὴ definitur voluntaria omnium perpessio; quæ homini accidere in vita solent, χωρὶς μεμψιμοιρίας; id est, *Sine querela.*

Enarratio Grammatica.

Qvis desiderio.] Nemo est, nisi ferreus, & ab omni humanitate & amore alienus, qui desiderium tanti amici putet sibi ab aliis verti pudori, aut credat illius finem mox faciendum. Pro hoc, *Quem pudeat, desiderare virum tam amabilem*, dici potest: ecquis temperaret ab illius desiderio? aut Gall. *qui pourroit auoir honte, ou se contenir de tant regretter vn si cher ami?*

Pudor.] Pudor definitur à Philosophis Græcis, αἰσχύνη δεῖ φόβος δικαίᾳ ψόγου, pudor est metus iustæ vituperationis. τὸ *Pudor* vocabulum, vt Græcum, αἰδὼς, videtur ὁμώνυμον, ὅτι μὲ παῖδος ἐπαινετόν δεῖ τῆς ψυχῆς, ὅταν ᾖ αἰσχύνη λέγεται καινότερον κατὰ τὸ αἰσχύνεσθαι· ἐπὶ δὲ σώματος μέσιον, i. *vox eiusdem nominis pro re diuersa significanda: quia perturbatio est animi laudabilis, quæ dicitur etiam αἰσχύνη magis communiter pro ratione verbi αἰσχύνεσθαι.* Præterea verò est pars etiam corporis, vt in hoc versu Ιλιαδ. β. ante catalogum nauium, vbi Vlysses minitatur Tersitę spoliationem & nuditatem,

χλαῖναν δ' ἥδε χιτῶνα, τάτ' αἰδῶ ὀμφικαλύπτει, i.
(Exuam te) *pallio & tunica, quæ pudenda contegunt.*

Quòd autem vox Latina κατὰ τὴν ὁμωνυμίαν etiam sumatur, omnib. certè satis est aperta notio ipsius prò illa perturbatione animi & alterius è Lucano, *tegere pudorem* pro pudendis corporis partibus: quarum ait Eustath. τὸ κάλυμμα οἱ Ρωμαῖοι μέν φασι βράκας, ἕτεροι δὲ ἀναξυρίδα, i. fœmorale ἢ ἀναξύριδος. Suidas definit τὸ περίζωμα, τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα, quale nostri Protoplasti homines sibi contexuerunt: vbi ἐκ τῆς ἀυτοκοίας de suo primo & amplissimo statu conciderunt.

Cari capitis.] Pendet hic casus à *desiderio. Caput carum* etiam est 4. Æneid. de Ascanio apud Virgilium, & *dilectum* apud Valer. Max. *agreste, festiuum, & lepidum:* sic Iliad. 6.

Νῦν δ' ἐμὸ ὄφρα φίλης κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω
Ἕκτορα——

nunc autem eo, vt cari capitis inueniam perditorem Hectorem, pro cari Patrocli: & paullò antè, τὸν ἕπον ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ· τῶ δ' ὅτι ὡς ἐμὲ αὐτὸν, *colebam perinde, ac me ipsum:* vbi dicit Eustath. Poetam delectari huiusmodi phrasi, qualem citat ex Odyss. α.

Τοίνυν κεφαλῶ ποθέω.
Τὴν χρὴ φίλην κεφάλην.

Tale caput desidero, ait Penelope de absente Vlysse marito. ὁ *Teucer carum caput:* Sic Sophocles in Oedipo tyranno. ὦ κράτιστον πᾶσιν Οἰδίπου κάρα: *O fortissimum omnium Oedipi caput.*

Præcipe.] Hoc verbum est doctrinæ, non iussionis, vnde & præcepta & instituta.

Melpomene.] Vna est Musarum, παρὰ τὸ μέλπειν dicta, vt Bacchus μελπόμενος, vel quòd cantu oblectentur, vel illius sint auctores: sed τὸ μέλπεσθαι ἀνδρικὸν est Hesychio ᾄδειν, ὑμνεῖν, vnde μολπὴ, cantus & hymnus.

Liquidam vocem.] Alibi dicit *acutam*, & Catul. *tinnulam*, in nuptiis Iuliæ: id est, claram, canoram, tenuem, vel potiùs lentam, flexibilem. Hoc ideo corrigo, quia

veniæ

venit mihi in mentem versus Georgicõn 1.v.410.

Tum liquidas corui presso ter gutture voces.

Vbi sunt intelligendi κρωγμοὶ κόρακος, quos minimè interpreteris tenues, & canoros, quia sunt Arato corui φωνῆς ἔμπλειοι, sed δεικνύντες καὶ δικάμπτας, motu & flexu faciles, & prænuncij pluuiæ: sic ὑγρὸν καὶ ὑγρότης Græcè sumitur pro lentore & flexibilitate corporis: quomodo etiam vnda, ignis, & aer, liquida vocantur ob hanc mobilitatem.

Cum cithara.] Cithara dicitur quasi κινοῦσα καὶ κηλοῦσα τοὺς ἔρωτας: *mouens, & occultans amores.* Eustathio in vers. Ιλιαδ. Γ. οὐκ ἄν τοι χραισμήσειε κίθαρις, i. *non tibi prosuerit Cithara.* ὃς ἐπυμολογεῖ ὅτως, Κίθαρις ἡ γένοιτο μὴ πρὸς τὸ κινεῖν ἢ κηλεῖν ἔρωτας καθ' τοὺς παλαιούς, qui in Dionysij descriptionem orbis vers. 620. annotat, in Asia Lydiæ vrbe, ad Tmolum montem πρὸ τοῦ χορδὴν κιθάρας εὑρεθῆναι. Citharam inuentam, quæ tribus chordis constaret, & ab hac, regionem vocari, vt puto, Cithera, insulam, de qua Od. 4. huius lib. Ratio inuentæ Citharæ legatur in Seru. ad V. 4. Georg.

Ipse cauâ solans ægrum testudine amorem.

Apud Homerum autem τὸ κιθαρίζειν καὶ φορμίζειν ταῦτα. *eadem sunt.*

Ergo Quintilium.] Hæc particula non tam de illatione præcedentium est intelligenda, quàm de indignatione, aut cohortatione ad tardè quid facientes, vt Don. in Adelp. Act. 4. Scen. 2. *Dic ergo locum* annotauit. Eandem non dissimiliter vsurpauit Michael Hospitalius Franc. Cancel. Epist. lib. 6. de obitu Iacobi Fabri, vulgò *Lachassedieu.*

Ergo tam prope me & sine me decessit amicus,
Aequalisq; meus, mihi primis notus ab annis
Ille Faber?

Sed non ausim affirmare hunc esse cui inscribitur Od. 18. quem Acrõ vocat Quintilium. & Euseb. scribit fuisse Cremonensem, ideoque vicinum Virgilio Mantuano. Seru. in vers. Ecl. 5.

Extinctum Nymphæ crudeli vulnere Daphnim, flebant;

alij per Allegoriam Iulium Cæsarem intelligunt: alij Q. Varum cognatum Virgilij. Vari clades à Germanis accepta describitur à Dione l. 56. Verisimile tamen est eum fuisse communem amicum Virgilij & Horatij.

Sopor.] Somnus & mors sunt è Theogonia Hesiodi filij Noctis, atque propter istam cognationem mutuò sese interpretantur apud Græcos & Latinos, vt mors dicatur à Virg. ferreus somnus, & dura quies l. 10. vers. 745. Æneid.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Ab hoc, *longus somnus*, à Græcis νήκερτος ὕπνος, ex quo nemini licet excitari χάλκεος, *æneus*, νήδυμος, *qui nunquam exuitur*, vel à quo nõ licet emergere: pro perpetuo somno premi, Græci dicunt, ἀείὑπνον εἶδ). Ad hunc sensum Homero dicitur mors· Οδυσ. β. παυλεγὴς θάνατος, quod Eustath. interpretatur, ὁ δὴ μακρὸν θάνατόνων τὸ λέξαι, & Hesych. μακροκοίμητον, *quòd in longum producat dormitionem & cubationem*, quam Ouid. videtur interpretari,

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Soror.] Soror, inquit Labeo Antistius apud Agellium l. 13. c. 10. appellata est, quòd quasi seorsim nascitur, vel, propiori verbo, oritur, separaturq; ab ea domo, in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur. Eam ob rem Liberi mares dicũtur hoc percelebri trimetro columnæ familiarum, ex Euripide, Στύλοι οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. Hîc prætermissus est articulus, Index suppositi: vt Grammatici loquuntur, pro, οἱ παῖδες ἄρσενες εἰσὶ στύλοι τῶν οἴκων. *Liberi mares sunt columnæ familiarum.*

Occidit.] Ἀμετάβατον & absolutum est hîc, & opponitur verbo *oritur*: sic Cic. *occidimus ipsi, & extinguimur refrigerato & extincto calore*: sic idem l. 5. ad Attic. *occidimus, occidimus iampridem*: Idem, *opem ferre Reipublicæ occidenti*, id est, ruenti in exitium.

Tu frustra.] Quia, vt Næuius olim cecinit, *pati necesse est multa mortalem mala.* Hîc quidem ambigũt vtri τὸ *frustra* annectendum sit τῷ *pius*, an verbo *poscis*: Nondum reperi *frustrà* solis adiectiuis annexum, nisi suppleas verbum substantiuum, cui eleganter astruitur. Plaut. *ne frustra sis, afin que tu ne sois point abusé & trompé.* Pro, *quod si*, legitur etiam aliâs *quid si*, & cum interrogatione, versu ab hoc secundo *num vanæ?*

Threicio.] A Thracia deflectũtur Threicius, & Threissa, formâ Ionicâ, & Thracius, formâ communi, & Latinâ. Hoc ante me obseruauit Seruius in v. Æn. 3. *Threicio regi &c*, pro Thracio, ait ille, vt suprà Threissa: Nam solutio est Ionicæ linguæ: Quum enim sit Thrax, Iones dicunt Θρήϊξ, & eius solutio facit Threicius & Threissa. De suauitate cantus Orpheici, repete quod dictum est antè in Grammaticis Odes 12. & de virga Mercurij in Gramm. Od. 10.

Moderere, &c.] De rectione & significatione huius verbi dictum est antè Od. 16. ad verb. *compesce mentem.* per occasionem.

Non lenis recludere.] Syntaxis est Græca, pro difficilè aperit & patefacit Mercurius viam ad mortales redeundi.

Durum.] Ellipsis est multorum pro, & durum est perferre tantum tanti viri casum: vel potiùs, difficillimum est id vi musices perficere, vt in vitam redeat Varus mortuus.

Nefas.] Valet τὸ ἀδιώατον, *nõ potest, nec licet corrigi.* Quod hæc sententia tribuit patientiæ, Diphilus arrogat tempori: λύπης δ' πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος, vt Menand. πάντων ἰατρὸς περὶ ἀναγκαίων κακῶν χρόνος ἐστίν: quorum vtrumq; Sulpitius l. 4. ad famil. Epist. 5. interpretatur: *nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat.* Est in hanc rẽ consolatio insignis Achillis, quâ hîc leniebat dolorẽ Priami de cæde Hectoris, ad hũc locũ valdè apposita Ιλιαδ. ω.

Ἄνσχεο, μηδ' ἀλίαστον ὀδύρεο σὸν κατὰ θυμόν·
Οὐ γάρ τι πρήξις ἀκαχήμενος ὧδε γένηαι,
Οὐδέ μιν ἀναστήσεις, πρὶν καὶ κακόν ἄλλο πάθησαι, i.
Dures, neq; defleas in animo tuo, quod vitari nequit.
Nil ages mœrore confectus propter filium tuum;
Neq; ipsum exsuscitabis (è mortuis) imò verò tibi malum accersis aliud.

Hîc τὸ ἀλίαστον valet τὸ ἄφυκτον· λιάζω γάρ ἐστιν ἀκφεύγω. Eodem quoque spectat distichum Græcum apud Agellium l. 17. c. 19.

Ἀγαθὸς ἀνὴρ λέγειτ' ἀγαθὰ φέρων τ' ἀγαθά·
Ἀγαθὸς δ' ἔτι καὶ ὁ φέρων καλῶς κακά, i.
Bonus vir dicatur, qui profert bona:
Bonus etiam sit, qui fortiter tolerat mala.

Iuxta consilium Euripidis in Medea sub finem,

Κῦφος φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφορᾶς, i.
Leuiter & facilè sunt calamitates homini mortali ferẽdæ.

Huius autem tolerantiæ ratio potest hinc facilè cognosci, ὅτι ξυμφοραὶ θνητῶν, i. *quòd calamitates diuinitus immittantur hominibus.* διὰ τοῦτο δεῖ τοὺς ἄνδρας φέρειν γενναίως, ὅ, πὸ Θεοῦ δίδωσι, i. vt est modo redditum Latinè.

Explicatio Rhetorica.

METrum est tribus primis versib. Asclepiadeum, & quarto Glyconium. De illo autem Ode 1. de hoc Ode 3.

[a] Quidam stat eunt hîc quandam Virgilij prosopopœiam, qui secũ ita loquitur de mortuo Varo: sed nos fecimus in Dialecticis Horatium loquentem: quod posterius magis probamus.

b Synecdochè est membri pro integro homine & amico: quali tropo Eustath. interpretatur verba Penelopes: κεφαλὴν δ' ἢ τ' ἄνδρ' ἐκάλεσε φησὶν, ὅτοι τὸν ἄνδρα τὸν ἀπὸ τοῦ τιμιωτάτου μέρους· *caput autem dicit aut virum, aut hominem ab honoratissima parte, vt idem Scholiastes annotat in hunc versum Iliad. λ. πολλὰ ἰφθίμους κεφαλὰς, &c. διὰ τὸ δοκεῖν ἐν κεφαλῇ ἱδρῦσθαι τὸ τῆς ψυχῆς θειότατον· ex eo, quod in capite collocatum sit, quicquid est animo maximè diuinum:* qui quidem tropus valdè est appositus ad excellentiam ingenij Quintiliani indicandam, & sensuum integritatem explicandam: caput enim fons est neruorum, è quibus fit omnis sensus & motus, quibus moles corporis regitur & mouetur: atque principatus animi constituitur, tributus in Phantasticum, dianoeticum, mnemoneuticum, sicut propositum fuit in præfatione huius commentationis & Ode 1. huius li. declaratum est, vbi eadem vox translatè accipienda est ad principium scaturientis aquæ notandum. Huc accedebat, quod Donat. in And. Act. 2. Sc. 2. *Ridiculum caput: pro toto homine, ait: nemo enim ore contemto, ex aliis membris hominem velit significare: & est συνεκδοχὴ ὅλου τοῦ μέρους.* Pindarus simili tropo vsus est Πυθ. ια. ad ætatem Orestis indicandam, quum cecinit eum νεᾳ κεφαλᾷ εἶδ', i. *Iuuenili esse capite, αἰτὶ τῆ αὐτὸν νεὸν ὄντα.*

c Apostrophe ad Musam, à qua petit facultatem lugubres versus canendi: rectus enim sermo habendus erat primùm cum Virgilio, qualis est etiam sermonis auersio à senatoribus ad Catilinam 1. Catilin.

d Metaphora à liquoribus desiccatis, quibus nihil est admixtum, ad tenuitatem aeris notandam, ex quo pulso gignitur clara & canora vox organis oris adiuuantibus.

e Synecdoche generis pro Ioue patre Musarum ex Mnemosyne.

f Quidam putant imperfectum hîc esse dialogismum: vbi Poeta, quasi iam Musam audiisset versus lugubres dictitantem & docentem, incipit funebrem næniam κἀγὼ τὲς ὀλοφυρμὸς canere.

g Periphrasis est mortis per metaphoram, propter similitudinem vtriusq; : nihil enim est cognatius morti alto somno.

h Per metaphoram hîc datur sensus & motus rebus inanimis, i. nemo inuenietur, in cuius animo tam penitus insideat chorus virtutum.

i Flebilis, flebilior habent polyptoton.

k Exclamatio dolentis vanas Virgilij lacrymas.

l Sumtum à fœneratorib. qui, certis pactionibus lucri, credũt aliis pecunias in certum temporis spatium, pro, non eâ conditione datum tibi à Diis, vt perpetuò illius fructu, & præsentiâ fruaris. Sic Od. 3. huius lib. dixit, *creditum reddes Virgilium.*

m Agnosco hîc procatalepsin & occupationem illius, quod Virg. obiiceret, aut certè obiicere posset, cujus subiectio est ad hęc verba: *non vanæ redeat:* licet hæc per interrogationem pronunciarentur.

n Metonymia est subiecti pro anima: Physici enim faciunt sanguinem animæ sedem, vnde Virg.

Purpuream vomit ille animam.

o Metaphora est à pictoribus pro cadauere, quod est veluti τὸ εἴδωλον κενὸν, *vacuum & inane simulacrum,* cui non posse vitam reddi Poeta putat.

p Metaphora est à corporibus prauis & tortuosis ad rectam animi emendationem & laudabilem, vel ad pristinum ipsius statum restituendum. In hunc etiàm versum Sophoclis in Οἰδιπ. τυράν. λέξῃ νομίζηθ' ἡμῖν ὀρθῶσαι βίον· *dixeris & prædicâris nobis vitam prosperam dedisse,* vetus Scholiastes hoc annotauit: ἀνορθῶσαι ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν κλινομένων, ὅταν αὐτάπις ἀνορθοῖ, *metaphora ab inflexis & curuis, quum quis ipsa dirigit.*

Ode XXV. Ad Lydiam.

Theticum.

Quòd Lydia iam ànus meritò det iuuenibus pœnas fastus pristini.

Parciùs iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuuenes proterui:
Nec tibi somnos adimunt[a] amatq;
Ianua limen,
Quæ priùs multùm facilis[b] mouebat
Cardines: audis minùs, & [c] minùs iam,
Me tuo longas pereunte noctes
Lydia[d] dormis?
[2] Inuicem[e] mœchos anus arrogantes
Flebis, in solo leuis angiportu,
[f] Thracio bacchante magis sub interlunia vento:
Quum tibi flagrans amor & libido,
Quæ solet matres[g] furiare equorum,
Sæuiet circa tecur vlceroſum,
Non sine questu.
[3] Læta quòd[h] pubes edera[i] virenti
Gaudeat, pullâ magis atq; myrto,
Aridas frondes hyemis sodali
Dedicet[k] Hebro.

Analysis Dialectica.

DVæ videntur caussæ, cur in ædibus Lydiæ minùs frequentes essent amatores, quàm consueuerant: vnam Ouid. affert:

Fastus inest pulcris, sequiturq; superbia formam,

alterius auctor est Sallustius: quia, inquit, dignitas formæ, vel ætate, vel morbo defloresçit: vnde Lydia non ampliùs amabilis videtur. In quo meretrix caruit prudentiâ Bacchidis Terentianæ, cui, dum formosa fuit, manus habuit oculatas (vt Plautus loquitur, *Nisi,* ait, *prospectum interea aliquid nobis est, desertæ viuimus*) Heaut. Act. 2. Sc. 4. quo pertinet hoc l. 3. Amor.

Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantes,
Frigida deserto, nocte iacebis anus.

Itaque Poeta in pristinam huius arrogantiam insultat Ironicâ parium collatione, quæ clariùs ac breuiùs, absque simulatione congratulationis pronunciãda est: Tu antea, dũ formæ decus manebat, iuuenes, complexus tui cupidos, fastidiebas: nunc illi vicissim te vetulam turpiter amantem σκυθρωποὶ ἢ σκυθρωπῶς ἔχοντες, vultuosi auersantur & contemnunt. Protasis huius cõparationis explicatur initiò factis iuuenum mutatis, & circumstantiis, crepitu forium, & clamoribus vocitantium iam suppressis: quos priùs, licet grauiter conquerentes de frigore intelligeret, sinebat ante fores eodem perire.

2 Apodosis declaratur ex effectis Lydiæ, subiectis, & variis

& variis eiusdem adiunctis: quòd iam queratur de arrogantia & contemtione mœchorum alterna: neglecta in solitudine iaceat summo frigori exposita, libidine incensa, hippomaniâ velut correpta: vbi est breuis similitudo libidinosæ Lydiæ, cum equa equiente.

3 Caussa Lydianæ querelæ existit è contemtione, qualis est illa Iunonis apud Virg. *spreta iniuria formæ, &c.* Illa querela tractatur collatione maiorum sic proprie, remoto tropo, exprimenda: Iuuentus nunc magis gaudet consuetudine virginum, & puellarum, quàm vetularum, in quarum numero Lydia ponenda videtur: cuius querelis nullus iam esset locus relictus, si ex apophthegmate Cleobuli non fecisset aliis, quod nunc odit, ὁ σὺ μισεῖς, ἑτέρῳ μὴ ποιήσῃς. Eiusdem argumenti est Epigram. Græc. l. 7. sub. fin. in anum quandam:

Νῦν μοὶ χαῖρε λέγεις, ὅτε σὸ τὸ πρόσωπον ἀπῆλθεν,
Κεῖνο τὸ τῆς Λύγδης βάσκανε λειότερον.
Νῦν μοὶ προσπαίζεις, ὅτε τὰς τειχὰς ἠφάνικάς σε,
Τὰς ὅτι τοῖς σοβαροῖς ἀυχένι πλαζομένας.
Μηκέτι τοὶ μετόπωρα προσέρχεο, μηδὲ συναντᾶ,
Αντὶ ῥόδα γὰρ ἐγὼ τῷ βάτον ὑποδέχομαι.

Nunc mihi dicis salutem, quum tibi forma defloruit, ista lapide Lygdo ô ingrata, leuior. Nunc ad me alludis quum tuam perdidisti comam, quæ collo superbo volitat. Ne amplius cum fastu ad me accedas, nec te mihi des obuiam: non enim pro rosa soleo recipere spinam.

Enarratio Grammatica.

Lydiam.] De hac Lydia, vel certè de ipsius simili dictum est Od. 8. huius lib.

Fenestras.] Quas Græci vocant θυείδας, καὶ θύετα, quasi ostiola, Grammatici tradunt inde dici, quòd lux per has in penetralia inferatur, ἀπὸ τοῦ φαίνειν, sicut Plut. Quæst. Rom. 36. Tarquinio prisco mortuo Tanaquil vxor Serui, mulier prudès & regia, capite per fenestram exserto, ciues alloquuta, permouit vt Seruio regnum deferrent; & ita loco id cognominis fuit inditum.

Proterui.] De hac voce dictum est in Gram. Od. 19.

Ianua.] Id est, tam rarò aperitur ianua, vt videatur arctè amplecti limen & cardines, nec ab illis disiungi velle. Hæc autem à Iano putatur deflecti, quòd, vt ille creditus est ab Ethnicis anni principium, sic ianua penetralium.

Limen.] Duplex est limen: superius, quod Græcè dicitur ὑπέρθυρον, Plinio Latinè superliminare: inferius ὑπόθυρον, eidem subliminare. Dicitur autem hæc vox, auctore Donat. in Eun. Act. 3. Sc. 5. ad verba, *ego limis aspecto oculis*: & à Festo idem valere, quod transuersum lignum in summo & imo loco: inter binos ostij postes: vnde sunt prouerbiales sententiæ, à limine salutare: limen attingere, vt ab Hom. dicitur sæpè, ἐπὶ γήραος οὐδῷ, *in limine senectutis*, pro, esse in propinquo. Οὐδὸς δ' ἀπὸ τοῦ ὁδεύειν ὡς βηλός, παρὰ τὸ βαίνειν, ἀμφότερα, ab eundo.

Multùm.] Hic dubitatur vtri hoc aduerbium adstruas, huicne epitheto *faciles*, an verbo: sed cum vtrouis connectas, quid infinitum signabit, vt τὸ *satis* finitum, quo vsus est Ode 17. huius ad eandem mulierem, *si me audias &c.*

Faciles.] Hîc non magni interest, vtrum legas *faciles*, an *facilis*: si hoc, facilitas introitus significatur: si illud, volubilitas cardinum frequenti attritu quæsita: sic nauis dicitur amare littus, quum illud legit & lambit, nec in altum vrgetur.

Mœchos.] Μοιχὸς est vox Græca, & ab Eustathio dicta Iliad. α. ἀπὸ τοῦ μὴ οἰκὸς, διὰ τῆς αὐτησυζύγου λέγειν εἰς ὁ καὶ· τὸ δὲ οἰκὸς καθ' Ηρόδοτον ἐοικὸς, ὃ δὴ καὶ ἔοικε τὸ γενν. id est, *ab eo, quod minimè deceat, per mutuam litteræ tenuis mutationem in den-sum: oikòs autem ex Herodoti sententia conflatur σωφρονικῶς ab ἐοικὸς. Ετυμολογικὸν μέγα τοῦτο δηλοῖ συφορον, ὅτως, Μοιχὸς, ὁ πόρνος λέγεται ἀπὸ τοῦ εἴκω, τὸ πρέπω, ὁ ἀπρεπεῖ μένος εἶκα, ὁ μέσος οἶκα, οἰκὼς, οἰκύια, οἰκὸς, ὅτος. καὶ μὴ τοῦ μὴ ἀπαρρεπτικοῦ, μοικὸς καὶ ὄπῃ μοιχὸς, ὁ τὰ μὴ πρέποντα πράττων, id est, liber etymologiarum hoc declarat apertius sic, Mœchus qui & Cynædus dicitur à verbo significante, decorus sum, cuius præteritum est eicha & medium oica, vnde participium οἰκὼς, οἰκυῖα, οἰκος, οἰκος & cum particula μὴ prohibendi meoikos & mutatione factâ moichos, quo is significatur qui res minimè decentes gerit.* Itaque μοιχὸς est ὁ πόρνις κλεψίνυμος, cuius caussâ liberi sunt dissimiles: ad quod videtur alludere hic Phocylidis versus:

Οὐ γὰρ τίκτει παῖδας ὁμοίους μοιχὰς λέκτρα.
Lecti adulterini non pariunt similes liberos.

Mihi autem minùs placet, quod à nonnullis dicitur ἀπὸ τῆς μυχῶν, à recessibus, & abditis locis, quæ fusiùs declarantur à Plutarc. in libel. περὶ ἀδυμίας· μοιχοὶ τὰς ἑτέρων γυναῖκας θαυμάζουσι, καὶ τὴν ἰδίων καταφρονοῦσι· *adulteri magni faciunt vxores aliorum, & proprias contemnunt:* ὅθεν ὁ λέγε μοιχὸς δι' ὅ σε πτ ἁλῷ τίλλεται, Aristophanes in Pluto: *sed deprehensus adulter per te depilatur:* ea enim erat pœna mœchi pauperis, quum mulctam non poterat persoluere: vulsellâ pili è natibus & pudendis euellebantur, & podex raphano terebrabatur: quod Scholiastes Aristoph. confirmat ad versum in Nebulis, μοιχὸς γὰρ ἂν τύχῃς ἁλούς, &c. *nam si contigerit vt in adulterio sis deprehensus ῥαφανιδωθήσῃ, raphano traiicieris:* ὅτω γὰρ, ait Scholiastes, τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ἠκίζοντο, ῥαφανίδας λαμβάνοντες καὶ διέσπων εἰς τὰς ὀφύκτας τῶν, καὶ ἐβάπτιλλον τοὺς τόπους τερμὶν, ἐπέπαιον βασάνοις ἐργαζόμενοι· *sic enim mœchos, in adulterio deprehensos, cædebant, & contumeliâ afficiebant: atq; acceptos raphanos immittebant in podices ipsorum, eos reddentes depilatos:* sed pœna diuitis adulteri notatur in Gramm. Satyr. 2. lib. 1.

Anus.] Festus bifariam notat hanc vocem, vt aut à multitudine annorum, aut à Græco ἄνος, ἄνυς, *amens* quasi sine sensu dicatur.

In solo leuis.] Potest ad impiam anilis iudicij mutabilitatem, vel ad vilem contemtionem referri.

Angiportu.] Deducunt Grammatici hanc vocem, ab angusta via ducente ad portum, Gallicè *ruelle.* vt Fest. Varr. & Donat. in Adelph. Act. 4. Sc. 2. Virgil. autem & Tacit. videntur angiportum exprimere per angusta viarum, vt Græci τὰς στενωπὰς per τὰ στενὰ τῶν ὤπων, *angustias oculorum.* Οτι μὲ ἀποστενοῦνται οἱ ὦπες, ὅτε δ' ἔχουσι διαπετάννυσθαι εἰς διάστασιν· *quia in arctum oculi adducuntur, neq; possunt distendi in aspectum,* ait Eustathius.

Bacchante.] Id est, vehementer constringente, & omnia flatu concitante Aquilone

Interlunia.] Sic dicitur illud temporis spatium, quo luna cum sole coniungitur: aliter Varroni, tempus intermenstruum, & Virgilio, silentium lunæ: item Apuleio, noctis tempus illunium. Hic autem coitus lunæ cum sole, Græcè dicitur συνόδιον· de quo sic Plin. l. 16. c. 39. *Tiberius idem in capillo tondendo seruauit interlunia.* Sectio autem huius coniunctę vocis, non videtur quibusdam extra Sapphicum toleranda.

Flagrans.] Flagrans à flando, sicut flamma ducitur.

Amor & libido.] Grammatici hîc notant σωδυασμὸν, copulationem, & quasi combinationem, quam sic ἓν διὰ δυὸ, *vnum per duo*, designare solent, pro amor libidinosus, vt, *arma virumq; cano*, pro, armatum virum.

Furiare.] Sumitur hîc μεταβατικῶς, id est, transitiuè, vt Grammatici loquuntur, pro impellere & adigere in furorem, qui Græcis est Hippomania, quæ certè vox Græca variè sumitur. Primùm quidem, quum propriè sumitur, est ἔκπληξις, qui immoderato equorum desiderio tenetur. Deinde qui libidinis furiis, instar equi vel

vel equę exstimulatur. Posteà τὸ ἱππομανὲς est furiosus amor equæ & cupiditas admissuræ. Præterea est veneficium amoris, quod equorum frontibus innascitur, de quo Virg. 4. Æn.

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præruptus amor.

de quo etiam Aristot. l. 6. c. 22. hist. anim. ex interpretatione Plin. l. 8. c. 42. *Et sanè equis amoris innasci veneficium Hippomanes appellatum in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur, quamobrem id venesicæ quærunt & colligunt.* De eodem lege Columellam lib. 6. c. 27. Postremò est virus distillans è naturalibus equarum equientium, de quo 3. Georgic.

Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpè malæ legêre nouercæ.

De hoc sic Aristot. li. hist. animal. ζ. καὶ ζητοῦσι τοῦτο μάλιστα πάντων οἱ περὶ τὰς φαρμακείας· ἐπεὶ ἔστι τοῖς ἐπὶ τοῦ αἰδοίου ὅμοιον ῥοῦν, λεπτότερον δὲ πολὺ ἢ τὸ τοῦ ἄρρενος, καὶ καλοῦσι τοῦτο τινὲς ἱππομανὲς, ἀλλ' ὃ τὸ ὄπι τοῖς πώλοις ἐπιφυόμενον· ἐργώδες δ' ἔστι φασὶ λαβεῖν. ἔστι μικρὸν γὰρ ῥᾶτα, *hoc ante omnia quærunt, qui veneficia tractant: equabus autem effluit è pudendo quid genituræ simile; multò tamen tenuius, quàm quod è pudendo maris, idq; nonnulli vocant hippomanes, sed quod non pullis adnascitur: aiunt quoq; id receptu difficile: quia sensim fluit.* Quum igitur libido Lydiæ comparatur eum libidine equæ, arguitur extremæ incontinentiæ: (qualis describitur Sempronia in coniuratione. *libidine sic incensa, vt sæpiùs peteret viros, quàm peteretur.*)

Scilicet antè omnes furor est insignis equarum

ibidem: de quo etiam Theocr. Idyl. β. paullò aliter:

Ἱππομανὲς φυτὸν ὄσσι παφ' Ἅρκασι, τῷ δι' ὄπι πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι.

Hippomanes est planta apud Arcades, quâ omnes equæ & equuleipermontes furunt. Dicitur etiam hîc frutex σπόκιον καὶ κωνοκράμβη, equos, si eo vescantur, in furorem concitans.

Vlcerosum.] Malo *vlcerosum* distingui comate, quàm colo: item, *questu*, colo, quàm puncto: vt sensus sit: Quî tibi libido sæuiet circa iecur vlcerosum, non eris sine questu, id est, fundes querelas vel querêris, quòd iuuenes magis delectentur puellis, quàm vetulis. Hæc redditio latet in metaphora vocum, *aridas frondes post magis*, vbi est τὸ *atq;*, pro quàm.

Pullâ myrto.] Est hæc planta Plin. l. 15. c. 29. duplicis coloris; nigri & candidi: hîc autem dicitur pulla pro subnigra, qualis est in pullis recens natis. Quidam tamen interpretantur viridi, vt dicitur Od. 4. huius libri.

Dedicet.] Id est, destinet frigori hyberno, cui sunt vetulæ similes & rogo tantùm conuenientes.

Hebro.] Hebrus est fluuius Thraciæ frigidissimus, vt est regio ipsa, veterum opinione: quem Hebrum Plin. l. 33. c. 4. ponit inter flumina, in quorum ramentis inuenitur aurum quouis alio absolutius, vt curfu ipso, tritu q; perpolitum, quæ sunt Tagus Hispanię, Padus Italię, Hebrus Thraciæ, Pactolus Asiæ, Ganges Indię: prę-ter hunc fit cęterorum mentio passim in hoc poemate.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum: εἰρωνεία autem esse videtur in octo primis versibus: vbi videtur Lydiæ congratulari de præsenti tranquillitate & quiete, quam iuuenes turbabant priùs formâ ipsius manetes, clamoribus illam excitantes è somno ad ianuam aperiendum.

[a] Metaphora est ab animantibus, quæ coniunguntur amore, ad inanima, quæ se mutuò contingant & complectantur. Similis est tropus Æneid. 5. vbi Gyas admonet Menœtem nauis rectorem de vitando scopulo.

Quò tandem mihi dexter abis? huc dirige cursum,
Littus ama.

quali tropo vtitur Hom. Ὀδυσ. μ. vbi Vlysses gubernatorem sic alloquitur:

Τῆτε μ' ἀπὸ νῆ καπνῷ καὶ κύματος ἔκτοθ' ἐέργε
Νῆα· σὺ δ' σκοπιὴν δὲ παμάσσεο·

id est, *ab hoc fluctu & fumo dimoue nauem, & studiosè obserua scopulum*; quod Eustathius interpretatur, ζητητικῶς ὀπτεύμει, ἐφάπτω, id est, cautè scopulum appete & leuiter attinge.

[b] Idem tropus, non hypallage, quo sensus & motus tribuitur rei inanimę.

[c] Epizeuxis est, eiusdem soni continua repetitio.

[d] Prosopopœia imperfecta, quâ inducitur iuuenis sic de Lydiæ immanitate conquerens.

[e] Est hîc quædam Acyrologia synecdochica, quum intelligendi sunt iuuenes coniugio soluti & simpliciter scortantes.

[f] Synecdoche generis pro Aquilone, ac præterea in *bacchante* metaphora à consuetudine Dionysiacorum, quorum furores repete à Gram. in Od. 19. l. 2. sic Virg. 10. Æn. v. 40. dicit, *ventos furentes*; Gall. *soufflans impetueusement & gastant tout*: & ibidem simili tropo Alecto dicitur bacchata per medias vrbes Italorum, i. concitans & permiscens omnia.

[g] Sumtum quoque videtur à furore celebrantium Bacchanalia.

[h] Allegoria est è continuis mataphoris à plantis; partim virentibus & florentibus, ad puellas florenti ætate significandas; partim à siccis & aridis frondibus, ad vetulas & rugosas indicandas, iuxta prouerbium, *pares cum paribus facillimè congregantur.*

[i] Pubes habet metonymiam adiuncti signi pro iuuenib. qui metonymiæ modus magis probatur, quàm ἥβη, Dea iuuentutis pro iuuenibus.

[k] E subiecto intelligitur intractabile frigus, quo hic fluuius facilè conglaciat, vim hyemis in se admittens.

Ode XXVI. De Aelio Lamia.

Theticum.

Quòd, quum præclarum sit remedium ad curas & mærores ex animo pellendos colere Musas, velit carmine Lyrico Lamiam consecrare immortalitati.

Mvsis amicus tristitiam & metus
Tradam proteruis in mare[a] Creticum
Portare ventis: quis sub[b] Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ:
[c] *Quid Tiridatem terreat, vnicè*
Securus, [d] ô quæ frontibus[e] integrù
Gaudes, apricos nectle flores,
[f] *Nectle meo Lamiæ coronam,*
Pimplea dulcis: nil sine te mei
Possunt[g] honores: [2] hunc fidibus nouis,
[h] *Hunc[i] Lesbio sacrare plectro*
Teq; tuasq; decet[k] sorores.

ANA-

Analysis Dialectica.

POeta videtur è causis omnis securitatis argumentari: quòd beneuolentiâ & ope Musarum poterit atras animi curas eximere: ex quibus potest ita iudiciũ fieri: Nullus potest carmine quenquã dicere sine Musis: sed harum ope quiduis potest: Horat. Musas habet amicas & sibi fauentes: poterit igitur ipsarum alumnus nomen Ælij Lamiæ, & aliud quidlibet, æterno carmine celebrare, ab omni præsertim metu & sollicitudine omninò vacuus, vt decet sapientem. Propositio est loco secundo adhæc verba: *nil sine te, &c.* & assumtio initiò vnà cum complexione.

2 Propositio illustratur ex adiuncta honestate, quòd valdè omnes Musas deceat fidibus Lamiam celebrare: assumtio autem factis Poetæ augetur, qui μετὰ Μοῦσων, Musis adiutus facilè curas abiget, & sese à tristitia longè deducet. Eadem potest approbari testimonio Batti apud Theocrit. Εἰδύλ. 1.

Μῶσαι Πιερίδες σωματίσατε τὰν ῥαδίναν μοὶ
Παῖδ' ὅσον τὸ κ' ἄφυδε θεαὶ, καλὰ πάντα ποιεῖτε.

Musæ Pierides canite mecum gracilem puellam: quibus enim admouetis manus, ea pulcra facitis omnia.

Enarratio Grammatica.

De Aelio Lamia.] Ælius Lamias, si non fuit alius eiusdem nominis, creditur fuisse Consul cum M. Seruilio anno 755. ab vrbe condita. Quod si ita est, necesse quoque videtur Poetam diutius vixisse, quàm vulgò existimatur, & annum 71. attigisse, sicut P. Crinitus scripsit.

Musis.] Hoc dici potest Græcè, vt illud Odes 17. li. 2. *nec dis charum.* ὃ φίλον ἐστι θεοῖς. sic, *Musis amicus*, φίλος ὢν Μούσας ἢ ἐστεργμένος μούσας *charissimus Musis.* Sed Originem Musarum in Rhetoricis Ode 24. obiter notauimus: nunc autem rationem nominis & numerum addere operæ prætium videtur.

Hic est Homero Iliad. ω. in luctu Achillis nouenarius: sic enim ille:

Μοῦσαι ἔννεα πᾶσαι ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ
Θρήνεον.

Omnes nouem Musæ alternâ voce & pulcrâ lugebant. Illius vocis Græcæ Etymon Plato vult in Cratylo esse ἀπὸ τῆ μῶσθαι, δηλον ὅτι, ἀπὸ ζητήσεώς τε καὶ φιλοσοφίας, ab inquisitione & studio sapientiæ ὥσπερ λάκωσι, apud Laconas: quam veriuerbij rationem Ioan. Tzetzes: sequitur in Scholijs sub principium ἔργων καὶ ἡμερῶν. Heliodi & cur sint nouem & Pierides dicantur. Plutarchus verò in libello περὶ φιλαδελφίας scribit Musas dici. quasi ὁμοῦ δίδουσαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὖσας, *quòd per beneuolentiam & fraternum amorem semper vnà sint.*

Hanc quoque vocis eandem rationem habent scholia in Theogoniam statim initio, ἴστον, ὅτι ὁ περὶ τῆς θεογονίας λόγος φυσικὼς διήγησιν τῶν ὄντων ὑπογράφει. διὸ Μουσῶν ἤ πὼ ἀρχὼ ποιεῖται τῷ λέγειν ὅτι ἀυτὰ περιέχουσι τὸ λόγω. Μῶσαι ἤ ὀκλήθησαν, ὡς ὁμοῦ ἀεὶ ἔσαι μίαν γὰρ ἁρμονίαν ἐντεινάμεναι συμᾴδουσιν καὶ συγχορεύουσιν ἀλλήλαις, μηδέποτε ἀπ' ἀλλήλων χωριζόμεναι εἰ γὰρ καὶ ἴδιον κλῆρον ἔχουσιν ἕκαστον, ἡμὲν Ἀστρονομίας· ἡδὲ γεωμετρίας. ἡδὲ. ἡδὲ καλλιεπίας. ἡδὲ φιλῶν, καὶ ἑτέρα ἑτέρᾳ. ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ πάσας ὄψιν εὑρεῖν· ἐν γὰρ ἀστρονομίᾳ. καὶ γεωμετρίαν εὕρῃ τις ἂν καὶ καλλιεπῶν, καὶ ἱστορίαν, καὶ τῶν λοιπῶν ἕκαστον. id est, *Sciendum est expositionem rerum naturâ constantium sermone de generatione Deorum contineri: à Musis autem initium sumit: quòd ipsæ præsideant orationi; atq; eædem ita vocatæ sunt, quasi vnâ semper essent. Nam ad contentæ vocis modulationem seruant concentum, & inter se ludunt exsultim in numerum, nunquam aliæ ab alijs seiunctæ. Siquidem suam quæq; nacta est sortem, vna Astronomiæ, altera Geometriæ, alia orationis politæ, alia odarum, alia deniq; rei alterius: in vnaquaq; tamen omnes reperire licet. Nam in Astronomia reperire quis posset Geometriam & ornatum orationis & historiam & reliquarum vnamquamque.* Hæc sequitur illarum singularis appellatio dissimili ordine, atque recensentur earundem nominibus libri Herodoti, *Clio, Thalia, Euterpe, Terpsichore, Erato, Melpomene, Polyhymnia, Vrania, Calliope:* quarum nomina & inuenta lege in Epigramm. Virgilij, cuius initium est, *Clio gesta canens, &c.*

Atque ideo κοῦραι ὁμοφρόνες, dicantur ab Hesiodo, & quòd omnes ipsarum artes communi inter se vinculo contineantur, vt ait Cicero in Orat. Archia, quibus præesse etiam existimantur, nedum soli Musicæ. Macrobius lib. 2. in somnium Scipionis capite tertio scribit Ethnicos veteres Theologos assignasse suum cuique Musæ orbem cælestem: vnde Calliope Od. 4. li. 3. deuocatur.

Præterea Eusebius deflectit ὥσπερ τὸ μάειν, σημαινὸν τὸ διδάσκειν καὶ παιδεύειν, cuius notionis est vox Hebræa musar disciplina: nonnulli tamen, nescio quo Enthusiasmo afflati, ducunt à voce Hebræa Mosech: quod si ita est, Musæ extracta sunt ex aquis, sicut Moses propheta, cuius nomen est à radice משה *maschah*, quod est extrahere Exodi cap. 2. vers. 10. Suidas tamen scribit μῶυ, τὸ ὕδωρ παρ' Αἰγυπτίοις. ἐξ οὗ καὶ Μωυσῆς· significare aquam apud Ægyptios: vnde etiam Moyses nominatur. Quia dolor & metus ita cor hominis constringere solent, vt quò ille se vertere possit, nesciat, ἡ λύπη διοείζεται δεσμὸς τῆς καρδίας, id est, *tristitia definitur vinculum cordis*, quod lętitia solet soluere, atque sic dilatare, vt respirare queat liberè ex angustijs ereptum.

Quis sub Arcto.] Hæc verborum Syntaxis, nihil interest ad sensum, vtro modo accipiatur: an sic, *ego vnicè securus*, id est, nihil omninò sollicitus quis rex metuatur ab ora gelida: & tunc gelidæ oræ esset dandi casus: an hoc modo, nihil sollicitus, à quibus rex gelidæ metuatur oræ, vbi τὸ *quis* esset pluralis numeri & casus dandi, *queis.*

Tradam portare.] *Proteruus* tribuitur Africo & Noto Epod. 16. *Quocunq; per vndas Notus vocabit, aut proteruus Africus:* sed hæc syntaxis est Poetica & Hellenica, pro qua orator diceret, tradam portanda: sicut Cic. lib. 1 de fin. *qui se libidinibus constringendos tradunt.*

Hæc quoq; locutio præ se fert speciem prouerbij, pro mæstitiam delebo obliuione, & omnem mihi metum adimam præsidio Musarum: sic, quod meminisse nolumus, Catullus dicit,

In vento & rapida scribere oportet aqua.

Lucianus, καθ' ὕδατος γράφειν· pro quo Virgilius dicit, *ventos aliquid ferre*, id est, auferre gaudia, vel in cassum lætari *& auras discerpere omnia*, lib. 10. sic Callimachus loquitur hymno εἰς Δία —— Νέδη δέσπ δῶκε κομίσσαι κευθμὼν ἔσω Κρηταῖον, id est, *Rhea, ô Iupiter, dedit te portandum in recessum Nedæ Nymphæ.*

Arcto.] De arcto 1. Georg.

Claramq; Lyaconis arcton.

Hic autem Lyacon rex Arcadiæ Callistonem habuit filiam, quæ in vrsam à Iunone conuersa est, quòd à Ioue amaretur: sed postea ab eodem ducto misericordiâ in cælum translata, dicitur maior Vrsa & maior Septentrio, & est sidus insigne 35. stellis, quarum 27. sunt in forma & 8. extra formam.

De hoc nomine Arcades dicuntur ab eodem & ibidem, υἱωνοὶ Λυκαονίης ἄρκτοιο, *nepotes Lyaconiæ Vrsæ.* Hanc Græc. πὼ ἑλικὼ vocant, vt minorem Vrsam κυνοσούραν,

quòd referat similitudinem caudæ caninæ. De his vide Aratum in Phænomenis & Ouidium l.3. Fast. Ἑλικὴ δ' λέγεται ἀπὸ τοῦ ἑλίσσεσθαι ἤγουν στρέφεσθαι περὶ τὸν πόλον καὶ τὸν ἄξονα, id est, *dicitur ex eo, quòd circa polum Arcticum, siue axem orbe maiore vertatur.*

Ideoque ἅμαξα, id est, currus putatur vulgò propter formam: de quo lege Agellium. lib. 2. ca. 21. & Hyginum. Plutarch. tamen lib. de Iside & Osiride scribit Vrsam esse sidus Typhonis, qui creditus est ab Ægyptijs filius Saturni.

Tiridatem.] Hic rex fuit Armeniæ & Persidis: hîc tamen Turnebus videtur dubitare de vera lectione huius loci. Si enim retineatur *Mithridates*, historia, quam minimè notat, repugnat: quæ narrat hunc quidem in Armenia regnasse, sed tum Romam captum, vinctumque fuisse ductum ab Augusto: si Tiridates, de quo Suetonius in Nerone cap. 13. qui fuit etiam rex Armeniæ sub imperio Neronis; necesse erit fuisse tempore Augusti alterum, qui metu Phraatis regis Parthorum profugerit ad Augustum. Sed de Tiridate lege Dionem lib. 51. histor. ad finem: vbi Cruquius reperit scriptum per ἡ Τηειδάτλω, nisi alter ab hoc putetur intelligendus.

Vnicè.] Vox *vnicè*, est hîc ὁπαθλικὴ, & valet, quod Græcè dicitur πάνυ, σφόδρα μὲν τότε ἀφροντιστῶν καὶ ἀμελῶν παντελῶς, ἀμέριμνος καὶ ἀμελὴς, *omninò prorsus huius curam abijciens, & curis vacuus & expeditus.*

Apricos.] Id est, suauiùs olentes, quòd nati sint in locis soli expositis: vel flores suauitatem odorum spirantes vi æstus solaris in locis apricis, contrà quàm in opacis.

Lamiæ.] Familia Lamiarum Romæ magna fuit, de qua dicetur (Deo fauente) Od. 27. lib. 3.

Pimplea.] Hæc Musa dicitur à monte Pimpleo & fonte Macedoniæ, de quo Strabo lib. 9. videtur alludere ad Etymon vocis ἀπὸ τοῦ πιμπλᾶσθαι ab implendo.

Lesbio plectro.] Id est, Lyrico: de plectro lege Grammat. in Od. 1. lib. 2.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile nonæ.

[a] Synecdoche speciei pro genere, id est, quouis loco & mari remotissimo & abditissimo.

[b] Metonymia adiuncti pro Septentrionali regione subiecta, quæ fortasis intelligenda est de Germania inferiori, vbi exercitus Romanus tristem accepit cladem sub Quintilio Varo: vel de Scotica vel Scythica plaga etiam Septentrionali.

[c] Polyptoton est.

[d] Exclamatio per imprecationem cum apostrophe ad Musam Pimpleam.

[e] Quidam *τὸ integris*, interpretantur per continuatam translationem de viris impollutis castisque Poetis, quos afflari precatur à Musis vi diuinâ canendi L. Ælium Lamiam.

[f] Anaphora est, licet *nectè* prius non sit statim initio membri.

Est præterea in hac anaphora periucunda Poetæ allegoria, quum Musam rogat, vt per ipsius afflatum ipsi liceat condere poema, quo dignè Lamias ornari possit & prædicari: sic *nectere illi coronam* est eundem carmine celebrare.

[g] Metaphora à publicis magistratibus ad magnitudinem honestæ famæ: nisi te cantem, non potest esse memorabile meum nomen. Sic anteà Od. 17. dixit honores ruris pro lætis & copiosis segetibus.

[h] Anaphora est in *hunc* bis initio cõmatis repetito.

[i] Metonymia adiuncti pro Lyrico carmine, siue Alcaico, siue Sapphico, de quo fuit Od. 1.

[k] Synecdoche generis pro specie, Pimpleides vel Pimpleiades.

Ode XXVII. ad Sodales.

Theticum.

Sodales honestam epulandi rationem docet, & expediendi se laqueis meretricis difficultatem.

Nĭa *Atìs in vsum lætitiæ*[b] *scyphis*
Pugnare[c] *Thracum est: tollite Barbarum*
Morem,[d] *verecundumq;*[c] *Bacchum*
Sanguineis[f] *prohibete rixis.*
[g] *Vino & lucernis Medus* [g] *acinaces*
[h] *Immane quantum discrepat! impium*
[i] *Lenite clamorem sodales,*
Et cubito remanete presso.
Vultis[k] *seueri me quoq; sumere*
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere,[l] *quâ pereat*[m] *sagittâ.*
Cessat voluntas? non aliâ bibam.
[n] *Mercede:*[o] *quæ te cunq;*[o] *domat*[p] *Venus,*
Non[q] *erubescenatis adurit*
Ignibus: ingenuoq; semper
Amore peccas:[6] *quicquid habes, age*
Depone tutis auribus.[r] *ah miser,*
Quanta laboras in[s] *Charybdi!*
Digne puer meliore[t] *flammâ!*
Quæ saga,[u] *quis te soluere Thessalis*
Magus venenis, quis poterit Deus?
[s] *Vix illigatum te triformi*
Pegasus expediet Chimærâ.

Analysis Dialectica.

HÆc Ode constat cohortatione & commiseratione. Primùm cohortatur sodales ad hilaritatem conuiuij, quale describit Pindarus Nemeorum Ὄδ. ε. id est, ἡσυχίαν δὲ φιλεῖ μὲν νικηφόρον, id est, *tranquillitatem pacis & otij conuiuium amat*: de cuius vocis vtriusq; ratione repete notas Grammat. in Ode 6. huius lib.

Nam vt suauissimum condimentum est tranquillitas; ita perturbatio maximè insipidum est eiusdem fastidium.

Cohortationis autem ad tranquillè & leniter epulandum argumentum primum est è diuerso fine: quòd conuiuium non sit comparatum ad rixas & vitæ disiunctionem: sed ad illius tranquillitatem, lætitiam & vitæ coniunctionem.

Prior

Prior pars huius diſſenſionis declaratur ſimilium collatione, quæ cernitur in his verbis, *barbarum morem*: quòd Thraces homines nullâ humanitate politi, nullâ honeſtate exculti, conuiuijs & compotationibus, vt nonnulli ipſorum, ſic abutantur. De quibus ſic Ammianus Marcellinus lib. 27. ſcriptum reliquit, Hæc quoq; *priſcis temporibus loca Barbari* (hi fuerunt Thraces) *tenuerunt, morum, ſermonumq; varietate diſſimiles; è quibus præter alios, vt immaniter efferati, memorantur odryſæ, ita humanum fundere ſanguinem aſſueti, vt, quum hoſtium copia non daretur, ipſi inter epulas poſt cibi potionisq; ſatietatem ſuis, velut alienis, corporibus imprimerent ferrum. Verum auctâ Rep. dum conſulare imperium vigeret, has gentes ante hac ſemper indomitas, vagantesq; ſine cultu & legibus Marcus Didius ingenti deſtinatione preſſit. Druſus intra fines continuit proprias. Minutius propè amnem Hebrum à celſis odryſarum montibus fluentem ſuperatos prælio ſtrauit: poſt quos reſidui ab Appio Claudio proconſule ſunt infeſtâ concertatione deleti.*

2 Eódem accedit tertium argumentum è loco diſparatorum, ſiue, vt alij volunt, repugnantium: quòd maximè pugnent inter ſe conuiuari & præliari: quum alterum vitam conſeruet & tueatur; alterum effundat, eripiat & perdat eandem. Hæc tamen enunciatio fit ex alio diſſenſionis genere: quia conſeruare & perdere ſunt aduerſa, quæ inter ſe opponuntur vnum vni velut è regione.

3 Ex tribus argumentis antecedentibus ἐνθυμηματικῶς efficit tranquillè & quietè ſodalibus epulandum eſſe.

4 Altera eſt pars Odes de inexpugnabilibus meretricis technis, vt iocoſâ confabulatione ſedet congruenter ſuæ cohortationi epulationem nimis iam clamoſam: vbi initio Poeta inuitatur à ſodalibus ad ipſis propinandum: quibus cum id paciſcitur certâ lege. Talis autem pactio fit è comparatione parium: Si vultis me vobiſcum combibere, frater Megillæ nominatim deſignet ſuam amicam: eadem repetitur negata: ſed ex apodoſi prioris fit protaſis poſterioris: Si verò frater Megillæ non vult edere amicæ ſuæ nomen, vobiſcum nolo propinare.

5 Etſi frater ille ſilentium ageret de nomine puellæ; non deſinit tamen Horatius illius indicium vrgere argumento ex adiuncta prudentia amatoris, quem exprimendi nominis causâ ita commendat, vt ſemper in eam puellam pergat amorem ſuum conferre, cuius poſteà ſe nec pudeat, nec pœniteat. Ex hoc tamen ſilentio cautus Poeta conijciebat illud Catulli:

Flaui delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ atq; inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.

6 Eandem indicationem premit ex adiuncta ſibi taciturnitate: quòd ſemper tacitè habiturus ſit, quicquid ipſi crediderit.

7 Blanditijs tandem ex eo nomen amicæ elicuit & cognouit: quam cum intellexit ſcortum eſſe vile & morbidum, grauiſsimè caſum & vicem adoleſcentis dolere ſe oſtendit, qui meliorem mereretur conditionem: quod è loco maiorum declaratur.

8 Magnitudinem caſus auget comparatione minorum ὑπερβολικῶς, quod adeò grauis & expugnabilis ille caſus videatur, vt quoduis auxilium vel Bellerophontis, vel Antidotum cuiuſuis veneficæ, vel firmiſſimi ipſius Iouis ſubſidium longè ſuperet. Simili argumẽto vtitur Circe in Charybdi deſcribenda Vlyſſi. Odyſſ. μ. verſ. 101.

Οὐ γάρ κεν ῥύσαιτο τόν γ' ὑπ' ἐκ κακὸν ἐνοσίχθων
Non enim te ex illo periculo extraxerit, ne ipſe quidem Neptunus: quò quidem certè minimè frater ille deciduiſſet, ſi conſilium Platonis ex ipſius conuiuio accepiſſet iam ſermone vulgi tritum: ὅτι κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾶν τῶν λαθρᾳ, καὶ μάλιστα τῶν γενναιοτάτων καὶ ἀρίστων, καὶ εἰ αἰσχίους ἄλλων ὦσι. id eſt, *vulgò dicitur præclarius eſſe palàm amare, quàm clanculum & furtim, eosq; maximè, qui generoſiſsimi & optimi ſint: etiamſi deformiores ſint alijs.*

Enarratio Grammatica.

Natis ſcyphis.] Non ſignificatur hîc origo ſcyphorum, ſed vſus illorum ad aliud, atque ad pugnas comparatus & deſtinatus. Scyphus autem eſt vox Græca neutro etiam genere flexa, vt Homer. Odyſſ. ξ.

Καὶ οἱ πλησάμενον δῶκε σκύφον.
Et ipſi plenum dedit ſcyphum.

Quod autem hîc tribuitur vaſis, Plato lib. 2. de legibus & Heſiodus ἐν ἔργοις β. tribuunt τῷ Διονύσῳ Πολυγηθεῖ, & Epigram. ἐγκρησιλάῳ Λυαίῳ & Virgilius: *Adſis lætitiæ Bacchus dator:* ſed Grammatici tradunt *ſcyphum* inclinari à σκύθος, θ in φ mutato, vnde σκυθοπίνειν, Καὶ ὅπως σκυθίζειν ἢ διαλύτως, σκυθιστὶ πίνειν. id eſt, ζωροποτεῖν. *more Scytharum potare*, id eſt, Athenæo lib. 11. de Cleomene rege Spartæ, Σκύθαις ὁμιλοῦντες μάθοιεν ἀκρατοποτεῖν, *qui quotidianâ conſuetudine cum Scythis congrediuntur, meracius potare diſcũt*, aut potiùs ἀπλήστως πίνειν, *inſatiabiliter bibere*, ac intemperanter, quod ferè contingere ſolet ijs, apud quos non naſcuntur vina. Vt apud Scythas & Thraces, qui ob id ἀκρατοπόται, id eſt, merobibi vocati ſunt. Quod autem Scythia non ſit vinetis conſita, oſtendit Anacharſis apud Laertium, qui ἐρωτηθεὶς, εἰ εἰσὶν ἐν Σκύθαις αὐλοί, ἔφη, ἀλλ' οὐδ' ἄμπελοι. *Qui interrogatus, an apud Scythas tibicines eſſent, reſpondit, ne vites quidem.* Multa ſunt tamen apophthegmata contra temulentos. Fuit autem, vt quidam volunt, ſcyphus Herculis poculum, vt cantharus Bacchi. Syntaxis prætereà huius vocis *natis*, eſt triplex. Terentius in Heaut. *Profectò ingenio egregiè ad miſeriam natus ſum.* Cicer. pro Sextio: *Vt ad dignitatem & gloriam natus:* & alibi, *Tribunitia poteſtas in ſeditione & ad ſeditionem nata.* Ibidem, *laudi natus*, & pro Muræna, *patriæ, non tibi natus*, & hic, *fruges conſumere nati*, de quo vide Grammatica in Epiſt. 2. lib. 1. Hæc autem, naſci in miſeriam eſt rarior 1. Tuſcul. ſicut hæc Iuuenal. Satyr. 1.

—— *animal propter conuiuia natum.*

Sic Græcum πεφυκὸς σωφρόνως, ψυχὴ πρὸς ἀρετὴν εὖ πεφυκυῖα· *Animus ad virtutem probe naturâ comparatus: πάντες πλέον πεφύκαμεν ἐξαμαρτάνειν, ἢ κατορθοῦν· nos omnes maiori ex parte naturâ comparati ſumus ad peccandum, quàm ad rectè faciendum.*

Thracum.] De his vide Grammatica Odes 18. huius libri, & lib. 1. de legibus, vt de Scythis: Eſt Thracum valet, eſt hominum ferinis moribus & inhumanis prędictorum, ſicut pòſt ſtatim explicat, *tollite Barbarum morem.* Simili Syntaxi Demoſthenes dicit Olynthia. β. ἔστι τῶν αἰσχρῶν, μᾶλλον δ' τῶν αἰσχίστων φαίνεσθαι καταφρονούμενος τῶν πόλεων καὶ τόπων, ὧν ἡμέν ποτε κύριοι· *eſt hominum turpium, imò turpiſsimorum abijcere & contemnere vrbes & loca, quorum ſimus alias domini.*

Prohibete rixis.] Cauete, ne inter pocula rixæ oriantur & prælia committantur. *Prohibere* ſæpiùs ſuppreſſam habet præpoſitionem: prohibere commeatu, itinere, calamitate, cibo, & tecto. Interdum tamen Cæſar dicit, vt lib. 1. de bell. Gall. *Ab oppidis vim hoſtium prohibere*, vt etiam Cicero 1. Catil. dicit, *à tectis & à mœnibus ciuitatis arcere Catilinam.*

Vino & lucernis.] Hoc videtur referendum ad morem veterum & conſuetudinem, qui verè conuiuia agitabant noctu, vt eſt lib. 1. Æneid.

—— *pendent lychni laquearibus aureis*
Incenſi

Seruius in hunc versum docet vocem Latinam à Græca deflecti, non à luce, cuius prior extenditur. Ramus tamen lib.1.Gramm.Lat. docet speciem aliquando cómutare quantitatem vocum, vt prima in luceo producitur, in lateo corripitur: contrà in lucerna & laterna Martial. in Apophor.2.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Λύχνον ὃ φασὶ τὸ λύειν νύκτα τῆτ' ὅτι σκότον καὶ ἀφανῆ, quòd tenebras dispellat. Hic Poeta libentius vtitur voce Latinâ, quàm Græcâ λύχνος, vt Ode 21. lib.3. *viuas lucernas* dicit, & 8. eiusdem libri *vigiles lucernas*.

Acinaces.] Est gladius militaris linguâ Persicâ: cuius meminit Plato lib.8. de Repub. Dio lib.50. & Herodotus in Polyhymnia, vbi etymologus ἀκινακὴς, notat legendum, ὅτι πρὸς ἀκέα τι, τῆτ' ὄξιν ὀξέως, ἔχει πρὸς ἀκὸν quòd acutum sit, & definit εἶδος ἀκοντίου Περσικοῦ. Hesychius modò δόρυ Περσικὸν καὶ Σκυθικὸν ξίφος iaculi Persici genus, hastam paruam & ensem Persicum & Scythicum.

Immane.] Interpretatio est Hellenismi θαύμαστον ὅσον, ἢ θαύμαστον ἡλίκον, mirum quantum, & mirũ in modum. Plato Epist.7. Θαύμαστον ὅσον Διονύσιος ὑπὸ ὀπτασιδοκως εἰς θεὸς φιλοσοφίαν mirũ quantũ profecerit Dionysius in Philosophia. Nonius scribit Sallustium ita loquutum lib.2. hist. *Immane quantum animi exarsêre*, id est, quantopere. Festus tamen interpretatur τὸ immanis per *ferus & magnus*: sicut Budæus τὸ ὅσον adiectiuis subiectum: vt in hac Phrasi θαύμαστον ὅσον dicit significare, τὸ λίαν. Est præterea in τὸ immane antimeria pro immaniter, mirificè discrepare. Hęc autem vox fit à *mane*, quod linguâ Lanuuiorum valet bonum, vt scribit Macrobius lib.2. Saturn. cap.3. Itaque immanè est non bonum.

Discrepat.] Perpetua ferè est hîc ellipsis præpositionis, vel, vt alij volunt, ἀπὸ πτώσεως, id est, casus dandi pro auferendi. Ad Pisones:

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Ibidem:

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Orator contrà: *Paradoxa discrepant ab opinione vulgi* parad.1. Idem lib.5. ad fam. *A meis rationibus discrepant tuæ*, & sic passim.

Cubito.] Sic Satyr.1. & 8. lib.2.

Languidus in cubitum iam se conuiua reponet.

Talis fuit gestus ac situs veterum epulantium, vt cibos sumerent innixi cubito suffulto cubitali ac puluino accumbentes, non, sicut nos, sedentes: vnde tamen Festo sodales dicti sunt, quòd vna sederent ad epulandum: qui accubitus inuitat ad epulandum, non ad pugnãdum, vt vox Græca videtur ad significare, ἀγκὼν παρὰ τὸ ὄσεον ἐγκεῖσθαι τῷ ἑτέρῳ ὀστέῳ, *quòd vnum os superiaceat alteri ossi*, πῆχυς δηλοῦν ὅτι τῷ βραχίονι· quorum compage & commissurâ constituitur ὁ ἀγκὼν ἢ ἀγκάλη, cubitus, qui solet epulantibus immotus quietè remanere. Vult etiam Eustathius in Οδυσ. A. sub initium τὸ *Cubitus* natum è Græco, quam hæc annotat, ἀπὸ τοῦ κυβῶ, κυβήσω τὸ καταστρέφω· ὅθεν καὶ τὸ κύβιτον, ῥωμαϊστὶ, i.e. ex hoc verbo sonante, *Inuerto*, vnde vox Latina cubitus *exstitit*.

Seueri.] Intellige, vetus, austerum, rude ac forte, non lene: sic vocat Satyr.4. lib.2. forte Falernum: Dulce autem fit Noto flante sub vindemiam à regione Campaniæ dictum. Varro lib.1. cap.2. de re rustica in commendatione Italiæ hęc scribit: *Quid in Italia vtensile non modò non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro?* Cic. lib.6. ad Epist. *Leptam Maculam, Eius Falernum mihi semper idoneum visum est diuersorio. Son vin me semble propre pour attirer des hostes.*

Dicat Opuntia.] Opuns *vntis*, vnde *Opuntius*, est vrbs Locridis in fronte Italiæ, quæ fuit olim magna Græcia. Potest colligi è Cosmographia Strabonis quadruplex genus locorum pro ratione climatum, vt primi sint occidui, ideoq; Hesperij, siti ad latus Parnasi montis occiduum: qui quòd pellibus Hircinis illaboratis, quas Eustathius πρόχειρα ἀσυβῆτας, ἤγουν ἀκατεργάστους ἢ ἀκατασκεύαστους nominat, ὄζους vocantur ἀπὸ τοῦ ὄζειν. i. à fœtore. Alteri Locri positi ad latus eiusdem montis orientale Opúntij dicuntur: Tertij appellantur Epicnemedij spectantes Septentrionem & à montis Cnemides vicinia vocati: Quarti sunt Epizephyrij *è colonia præcedentium in Italia* fortitudine bellicâ celebres.

Megillæ, &c.] Videtur poeta hanc vocem diminutione confinxisse à Græco & inusitato recto μεγάλος, vnde μεγίλος accessione alterius λ & accentu retroacto, atque inde Fœmin. μεγίλη, megilla flexo, Gallicè, *Fille ou femme grandelette.*

Frater.] Oritur à Græco φράτης, aut per ὠ φράτωρ, illud Atticè, hoc Ionicè, qui autem sunt ex eadem patria & curia dicuntur Eustathio φράτορες, συγγενεῖς καὶ συμφυλέται, i. *consanguinei & tribules* in vers. Ιλιαδ.β.

Κεῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας Ἀγάμεμνον, id est,
Secerne viros per tribus & per gentes, ô Agamemnon.

Quo vulnere.] Id est, amore: ita vulnus pro tali affectu sumit Virgilius Æneid.4.

Vulnus alit venis.

In verbis autem nostri Poetæ est quędam hysterologia: nam effectus præcedit suam caussam: quia vulnus est sagittarum, & est allusio ad tela Apollinis.

Sagittâ.] Ellipsis est Apollinis & Cupidinis.

Cessat voluntas?] Id est, non vult, & recusat nomẽ puellæ indicare? puer fortasis pudore non respondebat postulationi, cui posteà secretò satis facit.

Alià mercede.] Pro aliâ conditione.

Quæ te cunq;.] Tmesis est.

Non erubescendis.] Fiunt interdum participia passiua à verbis absolutis, vt obliuiscendus, *De quoy on doit auoir honte, qu'on doit oublier.*

Depone.] Παράκατάθεσο τοῖς ἐχομωθεσὶν ὧσιν, ὅ, τι δοκῶς ἔχειν· *Committe tacitis auribus, quod tu videris habere*, id est, *scire.*

Charybdi.] De Charybde, quæ est immensa vorago maris inter Adriaticum & Tyrrhenum, lege Odyl.μ. vbi Circe docuit Vlyssem pericula futura, Syrenes, Cyanea saxa, Scyllam, Charybdin, & illa describit. Seruius in 3. Æneid. ponit Scyllam in Italia, & Charybdin in Sicilia: de eadem lege orationem de Arusp. responsis, & 2. Philip.

Quæ saga.] Acron vult, *saga* dici quòd satis agat, id est, vt ipse pòst exponit è Porphyrione, quæ carminibus mala potest hominibus vel arcessere vel deducere, & producit priorem, quam sagax corripit. Sed Ciceroni lib.1. de diuin. Sagire est acutè sentire, ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt.

Thessalis.] Nomine veneficiorum Thessali semper malè audierunt. Plautus in Amphitryone: *Ego illum hodie vlciscar Thessalum veneficum:* & Tibullus lib.2. Eclog.4.

Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni.
Quicquid & herbarum Thessalia terra gerit.

Magus.] Magus est vocabulum Persicum, quo significantur periti rerum diuinarum & humanarum: de quo lege Ciceronem de diuinatione, & Strabonem li. 16. Plinium lib.30. cap.1. de origine Magiæ, & Gramm. in Od.11. huius. Dicitur autem *magus* Hebraicè *meascheph* à malitiosè ac dolosè perstringenda oculorum acie, quibus res obiectæ apparent aliæ, atq; natura ipsarum præse ferat, vt tradit Rabi Abraham in commẽt. Alij malunt

lũt ab exacta meditatione magos vocari Hammahgim, ex cap.8.vers.19, Esaiæ. *Quum enim edicunt vobis, consulite Pithones & Ariolos:* hos tamen propheta ostendit non apertè cogitata pronuntiare more prophetarum Iehouæ: mussitantes quod si est ita, Chaldæi à Magis differunt artificio: quum ille ad præsagiendum futura vtantur astrorum scientiâ. Sed Euangelica historia tollit hoc discrimen, vbi Magi ex inspectione nouæ & inusitatæ stellæ coniecerunt natum Christum. Hæc tamen cognitio referẽda est ad impulsum & instinctum Spiritus Sancti. Duo igitur genera Magorum è sacris literis possunt obseruari: vnum est eorum, qui sunt impuri dæmonis organa, cuiusmodi fuerunt illi Pharaonis contra Mosen, & Simon Magus & Bariesus Elymas aduersus Apostolos, quorum maleficijs factum est *τὸ μαγδεύειν, τὸ γοητδεύειν, καὶ φαρμακδεύειν καὶ ἐξισᾶναι τὰς ἀνθρώπους:* de istis tamen veneficis, Sagis, Thessalis, magis, sortilegis, vulgò sortiarijs, Gallicè Sortiers videtur Hieronymus dubitasse in ca.3. Epist. ad Galatas, initio, *ô insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* quũ idem D. Paulum communi & tritâ hominum sententiâ hîc vsum fuisse, nec tales ipsum vnquam agnouisse: quî cum pugnat id, quod ibidem deinceps scripsit; *dicitur fascinus propriè infantibus ætatiq; teneræ nocere.*

Augustinus contrà cum graui stomacho exsecratur huiusce modi homines Serui. 207. de tempore & tractatu 7. *in euangel. Iohan. Qui incantationibus, ligaturis, mirisq; artibus diaboli nocent hominibus, cæterisq; rebus, vt malefici, lethales ac scelerati nominatim etiam damnantur concilio Carthag. & Constantinopol. 2.* Alterum genus est sapientum, qui desiderio tenentur magno Christi videndi & adorandi.

Pegasus.] Prodijt Pegasus ex amputato capite Gorgonis à Perseo, vt scribit Hesiodus in Theogonia, cuius fabulam vide Iliad. σ. & Pindar. Olymp. ὠδ. γ. Bellerophon vsus hoc equo præclaras res gessit. De Chimæra lege etiam Theogoniam Hesiodi, Apollodorum lib.2. & 10. Metamorph. vbi dicitur tria capita habere, vnum leonis, alterum ipsius Chimæræ, tertium Draconis. Præterea pectus anterius leonis, posterius Draconis, medium capræ: quod versus 181. Iliad. β. breuiter sic comprehendit:

Πρόσθε λέων, ὄπισθεν δ' ὄφις, μέσση δὲ χίμαιρα.
Ante leo, post Draco media Chimæra.

Narrat tamen Solinus in Lycia Chimæram esse montem, vnde noctu ignis fumidus exhalat, qui dedit nomen huic monstro triformi: cui Seruius assentitur Æneid. 6. vers.

Horrendum stridens, flammisq; armata Chimæra.

Reuera, inquit, est mons Lyciæ, cuius hodieque ardet cacumen: iuxta quod sunt leones; media autem pascua sunt: ima verò serpentibus plena. Hunc Bellerophon habitabilem fecit: vnde Chimæram dicitur occidisse ad auctores suprà nominatos aggregari potest plenioris illustrationis gratiâ Bocatius, qui lib. 4. capite 24. scribit Chimæram Typhonis & Chedriæ filiam fuisse è capite Leonino, ventre caprino, cruribus serpentinis: à qua fuit Lycia vastata. Fulgentius hanc totam mythologiã, vt Solinus & Seruius exponunt de monte Lyciæ flãmas eructante; in cuius vertice Leones aluntur, in medio capræ, in pedibus serpentes; qui tandem purgatus est à Bellerophonte. Idem sentit Palephates, agens de Bellerophonte: idem Strabo lib. 14. de monte Telmesso scribens; cuius vallis dicitur Chimæra vsq; ad Littus porrecta. Eiusdem meminit Virg. l. 4. Æneid.

Ingentem Gyas ingenti mole Chimæram, &c.

Pegasum autem idem Pelephates & Geographus scribunt ibidem non equum fuisse, sed nauem. Vox præterea Chimæra sonat propriè capram; quę post partum ita nominatur: sed quandiu est annicula & ante partum dicitur νὴχίμαρος· quod autem χίμαιρα sit capra; testis est Xenophon. li. 3. ἀναβ. *Legimus*, ait, *Athenienses* Dianæ votum feciisse Persico bello, τοσαύτας χιμαίρας καταθύσειν τῇ Θεῷ, ὁπόσους ἂν κατακάνοιεν τῶν πολεμίων, i. *tot capras immolaturos, quot interfeciissent hostes.* Præterea Etymologus sic χίμαρος· ὁ ἐκ τῆς χιμαίρας notat πρὸς διαστολὴν τοῦ ἐν τῷ χειμῶνι ῥέοντος ποταμοῦ γίνεται δὲ τὸ κίω τὸ πορεύομαι χίμαρος καὶ χίμαιρα, i.e. *vt inquit, vox Chimarus à Chimæra orta distinguatur ab amne fluente hyberno tempore (qui dicitur χειμάρρους) fit à themate significante trex.* in χ. vers.

Explicatio Rhetorica.

METrum est nonæ simile.

a Catachrestica est metaphora ab animantibus terrestribus, pro inuentis & effictis.

b In *scyphis* est fortasse metonymia pro vino vel cõuiuio ad lætitiam, non ad tristitiam & disidia comparato. In *natis* præterea & *scyphis* genus quoddam est symploces, quæ est quædam similitudo soni ad initium vnius sententiæ, & ad clausulam alterius.

c Existimo hic speciem sumi pro quouis genere intemperantium hominum, & immanium per Synecdochen.

d Bacchus dicitur verecundus per metonymiam effecti pro efficiente verecundos, dum moderatè sumitur: inuerecundus verò dum immodicè bibitur.

e In *Bacchum* metonymia est causæ pro vino, quod si lymphâ temperatum ac dilutum biberint conuiuæ; nullæ turbæ, nullæ rixæ inter eos futuræ sunt.

f In *tollite* & *prohibete* est symploce.

g Acinaces dicitur per Synecdochen speciei, pro quibuslibet gladijs & armis.

h Hoc mihi videtur pronunciandum quadam exclamatione detestãtis, id est: quantopere differt à conuiuijs pugna!

i Dialogismus Poetæ & sodalium, quorum vnum si induceret secum loquentem & apertè respondẽtem, manifesta esset prosopopœia & dialogismus.

k Hîc potest esse similis modus metonymiæ superiori in *verecundus*, vt seuerum dicatur, quod suâ vi ad seuerè confidenterq; quid agendum impellat. Nisi malis ad naturam ipsius austerum referre, cuius rei gratiâ Iuuenalis vocat *indomitum Falernum*, quòd multâ vix aquâ possit domari, sed faciliùs tamen Maroneo, cuius meminit Homer. Ὀδυσ. ι.

l *Quo* & *quâ* faciunt polyptoton.

m Allegoria quædam est è metaphoris à re militari.

n Sumtum quoque ab ijs, qui locant suas operas alijs pretio.

o In *domat* & *adurit* sunt metaphoræ, pro, tibi imperat & te exercet satis honestè.

p Metonymia est causæ pro amore periculi pleno.

q Hæc dicuntur blanditijs ironicis.

r Exclamatio est admirantis & dolentis miseriam adolescentis, qui puer Synecdochicõs & catachrestikõs vocatur.

s Damnat Crassus lib. 3. de Orat. hanc translationem: *Videndum est*, inquit, *ne longè simile sit ductum. Syrtim patrimonij, libentiùs scopulum dixerim; Charybdin bonorum, voraginem potiùs: faciliùs enim ad ea quæ visa, quã ad illa quæ audita sunt, mentis oculi feruntur.* Vtramq; tamen metaphoram Cicer. ipse vsurpauit. Nam Philip. 2. Antonius *vorax Charybdis* cognominatur. Itẽ pro Sestio sic loquitur: *Tu meo periculo gurges & vorago patrimonij helluabere?*

Hic igitur valet: tu constrictus tenêris amore, qui est congeries periculorum & malorum. Metaphora autem est à nautis, & Synecdochen habet speciei pro grauissimo quoque periculo.

t In *ignibus*, *adurit*, *flammâ*, notæ sunt metaphoræ allegoriam constituentes, pro amoribus magis secundis & amica leniori ac humaniori: qualis illa Phædræ ad Hippolytum Epistol. Ouidij.

At bene succesßit, digno quòd adurimur igne.

u *Quæ* & *quis* faciunt polyptoton.

x Quædam est allegoria à captiuis, & ab illo truiformi monstro ad sæuitiam, improbitatem, auaritiam puellæ in puerum indicandam.

Ode XXIIX. de Archyta insepvlto.

Theticum.

Quòd superstites debeant mortuos honore sepulturæ cohonestare, quum mors communis sit omnibus omnis ætatis & ordinis hominibus.

1 a E maris & terræ numeróque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera: nec quicquam tibi prodest
Aerias tentasse b domos, animoq; rotundum
Percurrisse polum, morituro.
2 Occidit & Pelopis c genitor conuiua Deorum,
Tithonusq; remotus in auras:
Et Iouis arcanis Minos admissus: habentq;
Tartara d Panthoiden iterum Orco
Demissum: 3. c quamuis clypeo sub tela refixo
Tempora testatus, nihil vltra
Neruos atq; cutem morti concesserat e atræ:
g Iudice te 4 non sordidus h auctor
Naturæ verique. 5 Sed omnes vna manet i nox,
Et calcanda semel k via Lethi.
6 Dant alios Furiæ toruo spectacula l Marti:
Exitio est auidis mare nautis.
10 Mista senum ac iuuenum m densantur n funera: o nullum
Sæua p caput Proserpina fugit.
7 Me quoq; deuexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit vndis.
At tu Nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare. Sic quodcunq; q minabitur r Eurus
Fluctibus Hesperijs: Venusinæ
8 Plectantur syluæ te sospite: multaq; merces,
Vnde potest, tibi s defluat æquo
Ab Ioue, Neptunoq; sacri custode Tarenti.
8 Negligis immeritis nocituram
Post modò te natis fraudem committere forsan.
Debita iura, vicesq; superbæ
x Te maneant ipsum. 9 precibus non linquar inultis,
Teq; y piacula nulla resoluent.
10 Quanquam festinas, (non est mora longa) licebit
Iniecto ter puluere curas.

Analysis Dialectica.

POeta retinet hîc perpetuam philosophandi libertatem, vti iam antè monui ex Epist. 1. lib. 1. ad Mæcenatem: itaque nunc Pythagoricum agit, dum Archytam eiusdem sectæ Philosophum vel potiùs ipsius vmbram inducit loquentem cum nauta de varia & multiplici moriendi ratione. Nauta, cuius nomine tacitè insectatur Horatius & exagitat nationem Babyloniorum & Chaldæorum, quod apertiùs fecit Od. 11. huius libri, qui dum alijs solent prædicere futura, quod ipsis euenturum sit, neque præscire neque præcauere possunt: Nauta, inquam, exorditur & admiratur, vel potiùs illudit genus mortis Archytanæ: quòd quum vir tantus fuisset & scientiâ corporum cælestium clarus, & terrestrium peritus, ac deniq; rerum diuinarum & humanarum notione cæteris præstitisset; mortuus esset tamen, atque contentior & abiectior iaceret quolibet postremæ sortis homine. Nititur hæc obiectio loco diuersorum: hæc enim quadam ratione dissentiunt inter se, vt is, qui doctrinam astronomicam percepisset: scientiam maximarum artium habuisset: vim denique perspexisset vniuersæ naturæ: vnde videretur extra communem hominum sortem cêsendus, ac diutiùs alijs victurus, paritet æqualiterq; tamen mortuus sit, & iaceat similiter atque infimus quisq; homo: ex quo efficit nauta hûc Philosophum frustra fuisse. Fortasis ad vers. Ennij respiciens li. 3. de Off. à Cic. vsurpatum: *Nequicquam sapere sapientem, qui sibi prodesse nequiret.* Et ab ipso Ennio conuersum ex Euripid. Medea, & ab eodem Tullio lib. 13. ad Cęsarem recitatum μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφὸς. *Odi sapientem qui non sibi sapit.* Hæc querela est ferè omnium hominum de improbis ipsorum laboribus ac studijs, quibus nihil possunt, quod proprium sit, firmum, cõstans, æquabile & perpetuum, consequi: quam equidem sententiâ existimo depromtam è concionatore Salomonis, vbi omnium hominum cogitata, dicta, & facta demonstrãtur ab experto sapiente esse incerta, fugacia, inconstantia, mortalia & caduca, vanitati denique subiecta omnia præter notionem Dei opt. max. & ipsius cultum & timorem. *Deum,* inquit, *time, & mandata ipsius obserua: in eo enim summum hominis bonum positum est:* quo animus hominis munitus ac septus corpore cineri relicto, è terra euolabit in cælum, quasi in domicilium suum. Huic doctrinæ simile est, quod Pythagoras scripsit:

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα Θεὸς, νόμῳ ὡς διάκειται, τίμα.
Ἦν δ' ὑπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσαι ἀθάνατος Θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός,

In primis venerare Deos immortales, vt lege decretum est. Quòd si relicto corpore in cælum purum ascenderis, futurus es immortalis Deus, incorruptus, nec amplius mortalis.

2 Adhuc fuit exordium nautæ obijcientis miserum Archytæ statum: videtur tamen quibusdam sermo nautæ producendus vsque ad versum, *me quoq; deuexi, &c.* quòd parum existiment decorum & dignum, committere nautæ iudicium de varia & multiplici scientia Pythagoræ, quem Archytas constituit eius rei iudicem: quod si tibi probatur, Lector, hæc sic terminata continuatio nauticæ orationis, vis argumentorum,

rum, quibus Archytas vsus est in nautam, poterit vicissim retineri à nauta in Archytam. Attamen potest tibi confirmare priorem interpretationem hic versus Virgilij 1. Georg.

Nauita cum ventis numeros & nomina fecit:

vnde nihil videtur Archytas fecisse alienum à decoro, quum nautam facit iudicem & æstimatorem suę & Pythagoricæ mathematices. Altera pars colloquij est respondentis Philosophi vel potiùs vmbræ, ex collatione parium: nihil sibi omninò prorsus humanitus accidisse, quod aliis præstantissimis quibusque viris genere, sapientiâ & auctoritate, gratiâ deniq; apud Deos non acciderit: quales præcipuè memorat quattuor; Tantalum, Tithonum, Minoa & Pythagoram: qui è vita æquè excesserunt, atq; ille ipse. Quare illius mors, qualiscunque ipsi videatur, nihil habet vel admiratione vel irrisione dignum.

3 Proposuerat Archytas docere, omnia æqualiter morti deberi, cómunemq; omni ætati & ordini mortem esse, idque è comparatione superiori efficere: sed quoniam videbatur mors Pythagorę iterata persuasionem impedire, nunc diluit illud obiectum è loco diuersorum. Quamuis Pythagoras videatur quodammodo meminisse tempora Troiana κἀπὶ τῶ μετεμψύχωσιν vel παλιγγενεσίαν Euphorbi; nihilominus tamẽ omnes homines morte constricti fato tenentur, nec ipsemet Pythagoras inde se exemit, quum scripsit:

Ἀλλὰ γνῶτι μὲν ὡς θανέειν πάντῶτε ἅπασι·

Sed scito morti omnes fato esse destinatos.

4 Confirmat testimonio summam fuisse Pythagoræ veri perspicientiam & solertiam, summam rerum naturalium cognitionem & scientiam. Præclara quidẽ laudatio, quæ fit à discipulo præceptori & magistro.

5 Conficit tandem, vt dictum est, necessitatem moriendi cómuniter omnibus impendere, quamuis magnus vel virtutis vel scientiæ, vel gloriæ cumulus ad certos quosdam accesserit: permagni tamẽ interierit inter hos & intemperantes & ignaros: illi enim, vt perspicimus è doctrina Pythagoræ, post mortem Dij fient, & suis virtutibus ad immortalem nominis sui memoriam & gloriâ consecrabuntur: hi verò Diis sunt inuisi.

6 Declarat illud generale decretum è loco distributionis duplicis: prior mortis distributio est è subiectis: quòd alij intereant in bello, alij in mari: posterior est ex adiunctis: quòd alij moriantur in senectute, alij in iuuentute: postremò nullus est, qui se possit à morte vllâ virtute vindicare.

7 Archytas altercatione omni neglectâ, memorat nautę caussam mortis suæ & locum, qui sinus fuit Illyricus: veritus fortassis, ne aliquando nauta scriptum in Pontificalibus libris audiisset cautum fuisse, vt qui laqueo finiuisset vitam, insepultus abiiceretur: ideoque hortatur illum ad cadauer puluere contegendum. Huc accedit quod Seruius Æn. 6. annotat, tunc animas locũ suum recipere liberè, cùm fuerit corpus consumtũ. quò pertinent etiam notæ Eustathij, in vers. 34. Ιλιαδ. ψ.

Τῆλέ με εἴργεσι ψυχὰι, εἴδωλα καμόντων. i.

Procul me arcent animæ, vmbræ defunctorum.

ἐνταῦθα δὲ, ὥσπερ καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ, φαίνεται δόξα εἶναι Ὁμήρῳ καὶ τοῖς κατ' αὐτὸν μήτε ἐᾶσθαι ψυχὰς ἀποφάσεως ἀπολυθείσας σώματος, πῆξαι λοιπὸν ὅπη μίσγεσθαι ἀλλήλοις πολλαμοῦ. λέγει δὲ τὸν ὠκεανόν. ἀλλ' αὖτως πλανᾶσθαι περὶ τὸν ἄδην, εἰ μὴ χοαῖς καὶ ταφῇ χρῷντο. ἔτι δὲ δοξάζεσθαι καὶ μὴ δὲ πῶς ψυχὴ αὐτοῦ φανιάζεσθαί τινι μετὰ πνεύματος καὶ κηδείας, ἀλλὰ περὶ τὸ ταφῆναι μὲν αὐτῷ ἐκείνῳ ὅπαφάνεσθαι, id est, *Hic autem, vt in Odyssea, videtur opinio esse Homero & aliis æqualibus suis, animas corporibus solutas non posse commiscери super flumen cum cæteris (defunctorum) vmbris. Intelligit autem Oceanum, sed frustra circa orcum errare tãtisper, dum cadauera ipsorum cremata, vel humo condita fuerint. Præterea (eosdem) opinari animam ipsam post crematìonem & sepulturam apparere nemini; sed ante sepulturam sæpe ipsius vmbram videri.* Huc accedat, quod Varro de vita populi Romani scribit, *Quòd humatus non sit, Hæredi porca præcidanea suscipienda Telluri & Cereri: aliter familia pura nõ est.* Argumentum cohortationis est ex adiunctis precibus, quas pro nauigatione ipsius secunda fundet apud Iouem, Neptunum, Venerem, Castorem & Pollucem, qui omnem vim tempestatis à mari, quod percurret, transferent in syluas, & ita impetrabit salutem.

8 Archytas contrà ex negato sibi à nauta hoc pietatis & religionis officio, quod ab eo postulârat, imprecationem in eum instituit à collatione parium, ὄφελεν ἢ ἀπάρχεσθαι καὶ ἀτάφῳ ὕστερον: id est, *vt ille careat paullo pòst eodem sepulturæ honore*, quo nunc ipsum dedignetur, quem ratio vocis, *Archytas*, meritò requirere videtur: περὶ τὸ γὰρ ἀρχέειν τὸ θάπτειν λέγεται, ὡς ἄρχεσθαι· *nam à sepeliendo dicitur, vt sepultura dignus*, qui solus honos Acheronte sub imo est, Virgil. 11. Aen. v. 23. quod dictum est post Homerum lib. Ὀδυσσ. λ.

Τῶτο νῦ καὶ γέρας οἷον ὀιζυροῖσι βροτοῖσι· id est,

Illud certe munus est solum miserorum mortalium.

Huc adde quod Pausanias in Attic. scribit, Athenienses dicunt, se curasse, vt Persæ, qui in pugna cecidissent, humo conderentur, quod semper esse pium existimarent, mortuos terræ mandare.

Vnde talis mos Atticus celebratur, & à *Plutarcho, & Laertio in Solone, & ab Aeliano* in 5. variorum, νόμῳ καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ ἐντύχῃ σώματι Ἀνθρώπῳ, πάντως ἐπιβάλλειν ἀμπὸ γῆν. θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς (ἢ πρὸς δύσιν, ἢ ἐπ' ἀνατολὰς) βλέποντα, id est, *Mos etiam hic (est) Atticus, vt, si quis inciderit in cadauer hominis insepultum, omnibus modis ipsi terram iniiciat, idemq; spectans Orientem sepeliat.*

9 Confirmat non sibi defuturam talis impietatis vltionem à Diis: idque ex adiuncta sibi certissima spe: Deos semper esse vindices officij impiè deserti ac negati: quod qui tũ fecerat, impietatis erat reus iure Pontificio. Sepulturæ enim beneficium generaliter vniuersis debetur, etiam ab hoste victore. vt Aeneid. 11.

Nullum cum victis certamen & æthere cæsis:

nec illa longam patitur dilationem, vt ibidem initiò:

Aeneas, quanquam & socijs dare tempus humandis
Præcipitant curæ.

Præterea quum nefas esset Pontificibus cadauer videre, maius tamen nefas erat visum insepultum relinquere.

10 Hortatur iterum ad id officij sibi præstandum è loco diuersorum: Quamuis videam tibi opus esse festinatâ nauigatione, non tamen longam interpones moram: officium est breuissimi temporis, quod non te reuocet à maturo & tempestiuo ad destinatum cursum appulsu. Reperit tandem Archytas in hoc nauta, quod de ipso scripsit Aelianus lib. 10. cap. 12. ὅτι Ἀρχύτας εἰῶθε μὲν λέγειν· ὥσπερ ἔργόν τι δίκης ἰχθὺν ἀκανθαν μὴ ἔχοντα, ὅτω καὶ ἄνθρωπον μὴ κακημένον τι δολερὸν καὶ ἀκανθώδες· *quod solitus fuit dicere: vt piscis expers spinarum est inuentu difficilis, sic etiam homo qui careat dolo & asperitate.*

Enarratio Grammatica.

Archytas.] Hic Archytas summus fuit & Mathematicus & Physicus Tarenti, de quo nõ hic scribam plura: quòd à Laertio id factum sit lib. 8. vnde cognosces fuisse nobilissimum Pythagoricum, & Platonem ab extrema crudelitate Dionysij per epistolã vindicasse. Id factum à *Dione & Aristomene* scribit Laertius in vita Platonis. Causa autem indignationis Dionysiacæ in Platonem fuerat, quòd quum hic differens de

Tyrannide dixisset, id non melius esse, quod ipsi soli prodesset, nisi cum virtute coniunctum esset. Inde offensus & iratus Tyrannus dicitur respondisse, οἱ λόγοι σοῦ γεροντῶσι. σὺ δὲ γε τυραννιῶσι, i. *Tua verba senile delirium sapiunt. & tua, ille regerit, Tyrannidem*, id est, iniustum dominatum redolent, quem affectas. Quantum autem in Mathematicis disciplinis floruerit, satis indicat περιστερὰ ξυλίνη Poetæ, satis quoque volatus columbæ ligneæ ab eo contextæ: de qua vide Agell. l. 10. c. 12. Interea tamen adscribam verba Phauorini: Ἀρχύτας Ταραντῖνος, φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὢν ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην πτομένην, ἧς ἐπειδὴ καθίσειεν, οὐκέτι ἐπανίστατο· μένει γὰρ τὸ τέως. *Archytas Tarentinus philosophus pariter & mechanicus, columbam ligneam fecit volantem, quæ si quando subsedisset, non amplius se excitasset: hactenus enim mouebatur.* Fuit præceptor Empedoclis, sicut adagium testatur, Ἀρχύτα πλαγή, *crepitaculum Archytæ*, organum sua sponte sonans: cuius Aristot. meminit πολιτ. 8. c. 6. & à Cic. in Cat. maiore appellatur, vir inprimis magnus ac præclarus, ad tertiam vituperationem senectutis. Sed hoc omnium maximè indicat, ὅτι ψάμμος τοῖς ἄλλοις ἀνάριθμος ὢν αὐτῷ ῥᾳδίως ἀριθμητὸς ἐγίνετο· *illi facilè numerabilis erat arena, quæ aliis erat innumerabilis*, contrà quàm prouerbium habet, ἄμμον μετρεῖς, *metiris arenam*, id est, τὸ ἀδύνατον πειρᾶς, *conaris quod non potest fieri*, & explicari. Videtur Poeta allusisse ad oraculum Apollinis:

Οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.
Scio ego (Apollo) arenæ numerum & mensuram maris.

Quam scientiam Geometræ postea sibi arrogarunt, vt apparet è libro Archimedis, quem dicunt inscriptum Ψαμμίτην: quamuis Pind. Od. 2. Olymp. dixerit, ψάμμος ἀριθμὸν ὑπερφεύγων· *arena numerum fugit*, id est, est innumerabilis.

Parua munera.] Id est, paullum terræ, quæ satis sit ad te contegendũ, qui in vita percurrebas vastum cæli spatium acumine ingenij tui. Cruquius hìc coniectat, tam è genere sermonis, quàm è diuturnitate temporis, hæc non propriè, nec verè posse Archytę Tarentino tribui, sed cuidam L. Tarutio Firmano familiari Ciceronis & inprimis Chaldaicis rationib. erudito, de quo lege lib. 2. de diuinatione, vbi fatidica ipsius nugamenta Cicero claudit exclamatione, *O vim maximam errorũ!* Hoc equidem malo intelligere dictũ de Archyta Tarentino excellẽti Mathematico, quàm de vulgari; vt Poeta, quãto sibi esset odio hoc fatidicorũ genus, ostẽderet apertiùs.

Matinum.] Matini populi sunt Plin. lib. 3. Appuliæ.

Polum.] Ex Hesychio discimus, quid *polus* sit: ἡ εἰς κατὰ στροφὴν καλαβλεθεληλυμένη γῆ· *terra versa & prorata ad sationem.* Sed Plin. l. 2. c. 15. in alia significatione sumit, *terram verticibus duobus, quos appellauerunt polos, centrum cæli est.* Sic Virgil. 1. Georg.

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Stygia atra videt cælumq; profundum.

Hic tamen Poeta, vt alij sæpiùs, vsurpat vocem Græcam πόλος, vt Ouid.

Totq; tuli pœnas terrâ pelagoq;, quot inter
Occultum stellæ conspicuumq; polum.

Vtrobique sublimis vertex & conspicuus polus significant Arcticum: occultus verò, & qui est sub pedibus nostris, Antarcticum. Sed descriptionem vtriusq; poli, vide in libris de mundo Aristotelis. Λέγεται δὲ τὸ πόλος ἀπὸ τοῦ πολεῖν, *à vertendo*: quia circum vtrumque polum tota vniuersi moles circumagitur. Plat. in Timæo vocat ipsum axem, circum quem mundus vertitur, polũ. Imò etiam aliquando mundi molem nominant, quæ circa axem polosque rotatur. πόλον δηλονότι τὸν οὐρανόν.

Percurrisse animo.] Pro hoc Cic. sub fin. lib. 2. de nat. Deor. dicit: *Licet totam animis, tanquã oculis, lustrare terram.*

Morituro.] Hoc epithetum relatum ad *animo*, Epicurismum indicat Poetæ.

Pelopis.] De quo vide Dialectica Od. 2. & 6. huius libri, & Diodor. lib. 5.

Conuiua.] Tantalus, *Cui licuit soli superorum tangere mensas*, ait Ouidius.

Tithonus.] Hic frater fuit Laomedõtis, & Aurorę maritus, cuius filius Memnon, quum opem ferret Troianis, occisus est ab Achille, de quo Diodor. l. 5. & Horat. Od. 16. lib. 2. & Seru. in vers. Aeneid. 4.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens aurora cubile:

qui annotat Tithonum Laomedontis fratrem fuisse, & ab aurorâ amatũ & pòst in cælum leuatum: quem longinquitas vitæ in cicadã cõuertit: vbi citatur hic locus.

Remotus est in auras.] Mortuus est. *Minos.*] Minos filius fuit Iouis & Europæ, & leges tulit Cretibus à Ioue acceptas: de quo Diodor. lib. 6. & Virg. Aeneid. 6.

Tartara.] Tartara dicuntur imæ & profundissimæ inferorũ sedes, quas Zenodotus ideo appellabat ἄπλητον πίθον, *inexplebile dolium*; quòd infinitis mortuorum millibus nunquam compleretur. Eandem ob causam Salomon quatuor insatiabilibus annumerat. Adhæc διὰ τὸ ὀπὶ τετάρχθαι τὸν ἀέρα ἐν τῇ μολογείᾳ, i. *ratio vocis redditur; quòd illic aer conturbatus sit.* Tartarum etiam dicitur Platoni Barathrum in Phædone, Virgil. 6. Aeneid. ad vers. —*tunc Tartarus ipse*

Bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub vmbras.

vbi leges notas Seruij de vocis etymo, qui more Græcorum τάρταρόν καὶ τάρταρα ἑκατέρως λέγουσι Ἡσίοδος, *vtróque genere* vsurpat, vt Pindarus Ὀλυμπ. α.

ὅστ' ἐν ἀνάγκᾳ ταρτάρῳ κεῖται
Θεῶν πολέμιος
τυφὼς ἑκατοντακάρανος, id est,
Qui in honorifica Tartaro iacet
Deorum Hostis Typhœus centiceps.

vbi Scholiastes annotat, πάλιν κατὰ τὸ ἴδιον ἔθος Ὀλυμπιάδα τὸν τάρταρον προσήγαγε, id est, *rursus pro suo more protulit vocem tartarum genere muliebri*, quam vocis affectionem Eustathius vocat τὸν μεταπλασμὸν ἡμῦς ἢ μεταζολικὸν ἡμῦς in versum Iliados α.

Οἱ μὲν ἔπειτ' ἀναβάντες ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα·
Qui quum ascendissent, nauigabant per vias humidas.

Illic vide plura talis metaplasmi exempla. Quædam est definitio Tartari apud Eustath. in Iliad. ξ. vbi loquitur de Titanibus, qui ὑπόγειον ἔχουσι χώραν, ὅπου πτύουσι, καὶ στενοχωροῦνται, καὶ ὁ τάρταρος, ἀὴρ ὀμιχλώδης ἀφώτιστος ἥλιῳ καὶ διὰ τοῦτο ψυχρότατος· *locũ subterraneum incolunt, vbi distenduntur & arctantur, vbi etiam est Tartarus aer ille solis expers, ideoq; frigidissimus*: cætera illic vide. Habes porrò descriptionem Tartari multò planiorem sub initium Ιλιαδ. Θ. ad versus,

Ἦ μὴν ἐλῶν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἦχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσσον οὐρανός ἐς ὑπὸ γαίης, id est,
Aut ipsum comprehensum deiiciam in tartarũ obscurum
Valde procul, vbi profundissimum sub terra est barathrum:
Vbi quoque sunt ferreæ portæ, ac æreum pauimentum,
Tanto sub inferno interuallo, quanto cælum distat à terra.

Hæc Iupiter in concione Deorum minatus est ei, qui alterutri exercitui, Græco seu Troiano auxilium ferret. Hunc etiam locũ D. Petrus epist. 2. cap. 2. scribit Deum angelis rebellib. cæterisq; peccatoribus, minimè ipsi recõciliatis, destinasse. Hic locus damnatorum & tormentorum interdum, Luc. 16. v. 23. dicitur ὁ ἅδης. Interdum ibid. v. 28. abyssus, & carcer. Apocal. 20. v. 7. Legantur notæ Scholiastæ in hos versus Homeri.

Panthoi-

Panthoiden.] Significatur Pythagoras, qui tametsi fuerit è Pausania filius Mnesarchi, & nepos Euphronis, & pronepos Hippasi: tamen prædicauit se Aethaliden filium Mercurij primùm: deinde ad Ilium Euphorbũ fuisse filium Panthoi Troiani, qui à Menelao interfectus fuit: de cuius nece vide Iliad.ρ. & 15. lib. Metamor. ad vers. Panthoides Euphorbus eram, &c. postea Hermotinum fuisse; post Pyrrhum vel Pythium Delium: postremò Pythagoram. Agell. l. 4. ca. 11. loquens de genere cibi Pythagorici, attexit paullò aliter seriem huius Palingenesiæ: *Pythagoram verò ipsum, sicut celebre est, Euphorbum primò se fuisse dicit atque: deinde Æthalidem: deinde fœminam pulcrâ facie meretricem, cui nomen Alce.* Ita confirmat suam μετεμψύχωσιν. De hac animarum translatione lege lib. 10. Platonis de Republica sub finem: quam quidem puto Pythagoram potiùs induxisse διὰ τὸ τὰς ἀνθρώπους ἀπιστεῖν τῇ περὶ ψυχῶν ἀθανασίᾳ, quàm quòd ita crederet, vt è versibus antè citatis constat. Περὶ δὲ τῆς παλιγγενεσίας lege Laert. l. 8. Hunc etiam locum non parùm illustrat, quod scribit Seruius in vers. 6. Aeneid.

Tum pater Anchises, animæ quibus altera fato
Corpora debentur.

Sciendũ, non omnes animas ad corpora reuerti: aliquæ enim propter vitæ merita non redeunt; aliquę redeunt propter malã vitam; aliquæ propter fati necessitatem.

Orco.] Orcus dicitur vel vt Festus vult, ab vrgendo & opprimendo sceleratos, vel à voce Græca ὅρκον, *iureiurando*, quod fit per Stygiam paludem, & dicitur παρὰ τὸ εἴργειν, ὅτι ὁ ὀμνύων κατέργυται, πῶς οἷς ὁμολογεῖ· *dicitur ab includendo, quòd, qui iurat, coercetur ab iis quodammodo, quibus promittit.* Miror autem, cur τὸ orcus non retinuerit densitatem spiritus indicem ortus sui.

Clypeo refixo.] Testatus est se recordari bellum Troianum per Clypeum Euphorbi è poste templi detractum. Seru. in vers. 7. Aeneid.

Nec clypei currúsve sonant:

docet *Clypeum* deflecti ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, & hoc παρὰ τὸ καλύπτειν, à celando & occultando, & addit esse scutum maius, cuiusmodi dicit vers. 661. 8. Aeneid.

Scutis protecti corpora longis:

Sed tamen formâ differunt clypeus & scutum, quòd ille sit rotundus, & ἀσπὶς Græcè dicitur, in orbem, non in longum, ducta. Eustath. ait scutum oblongum & clypeo maius, ideoque Græcè θυρεὸν διὰ τὸ μέγεθος, quòd imitaretur longitudinem forium, si licet ita loqui. Plinius l. 35. c. 3. narrat, quando primùm clypei cum imaginibus publicè, quando in domibus positi sint, & inter alia hoc etiam: *Scutis, qualibus apud Troiam pugnatum, continebantur imagines: vnde & nomen habuêre clypeorũ, non vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo, & ab edendo splendorem. Origo plena virtutis faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit vsus illo:* non exprimitur hîc verbum, vnde oriatur clypeus, sed est cõiectu facile linguę Græcæ mediocriter peritis, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, à sculpendo & cælando dici, permutatione mediæ γ in tenuem κ, & densæ φ in tenuem π. Seruius præterea in versum lib. 9. Aeneid.

Dat tellus gemitum & clypeum, &c.

scribit: *dictum est etiam hoc clypeum, vt probat Caper Grammaticus: quod magis debemus accipere. Nam Homerum imitatus est, qui ait Iliad. Υ.*

Ἀμφὶ δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, id est,

Resonuerunt autem arma super ipso: sed iam vsus apud Poetas obtinuit, vt clypeus, non hoc clypeum flecteretur. Vtitur D. Paulus ad Ephes. c. 6. v. 6. voce θυρεὸς, quam Eustath. definit εἶδος ἀσπίδος μεγάλης ἐοικυίας θύρᾳ, ὅθεν καὶ λέγεται: *genus clypei magni similis ostio, vnde nomen inuenit.* Huc accedat, quod Eustathius obseruauit in vers. Ιλιαδ. Ε.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' εἰδώλῳ Τρῶες καὶ δῖοι Ἀχαιοὶ
Δῆουν ἀλλήλων ἀμφὶ σθένεσι βοείας
Ἀσπίδας εὐκύκλους λαισήιά τε πτερόεντα, id est,
Sed circa simulachrum Troiani nobilesq; Achiui
Concutiebant inter se pectora bubulos
Clypeos rotundos & parmas leues.

ἔστι δὲ τὸ λαισήιον εἶδος θυρεοειδὲς, ἀναφορέα οὐκ ἔχον, ἀλλὰ ζυγὸν διὰ μέσου. οἱ δὲ φασιν εἶδος αὐτὸ, θυρεὸν ὀπτικήν. οἱ δὲ λάβιον ἐτυμολογοῦσιν αὐτὸ, φάσκοντες εἶναι σκυτευχωμένων δερμάτων ἐνεργάσων. κύφον δέ ἐστι τὸ λαισήιον καὶ οὐ δὲ μεγαλόκυκλον. διὸ καὶ τὸ πτερόεν αὐτὸ λέγει. καὶ ἀσπιδιστὴν πρὸς τὰς εὐκύκλους ἀσπίδας. ὅλως δὲ οἱ πλείους τῶν παλαιῶν, ἀσπιδίσκιον ὠμοβύρσινόν φασι. Ἡρωδιανὸς δέ φησι καὶ πάντα κῶλον μάχιμον σκηπτικὸν λαισήια λέγεσθαι διὰ τὸ ἐν τῇ λαιᾷ φέρεσθαι, id est. *Est autem Læseion genus clypei scutiforme lorum non habens, sed iugum in medio, alij dicunt esse ipsum oblongum clypeum. alij etymo declarantes, quòd sit hirsutum, dicunt fieri ex pellibus villosis & inculcatis. Est autem Læseium leue, neq; magni ambitus. Idcirco (Homerus) vocat alatum, & opponit clypeis ambitus lati, quum dicit clypeos rotundos è corio bubulo. Deniq; maior pars veterum dicit breue scutum è corio crudo. Herodianus ait præterea, quidquid nos in pugna tegit, vocari Læseium, quod finistrâ feratur.* Inuentum autem clypei Plinius lib. 7. cap. 56. tribuit Prœto & Acrisio inter se bellantibus, siue Chalco Athamantis filio.

Iudice te.] Hoc dici solet ab eo, qui aliquid sibi habet maximè persuasum, vt Virg. 2. Eclog.

——non ego Daphnim iudice te metuam.

Non sordidus.] Id est, auctor magni nominis & existimationis, grauisque & eximius, diligentissimusque inuestigator rerum naturalium ac verarum.

Manet.] Hoc verbum διαβατικῶς, id est, transitiuè vsurpatur: idque eleganter Terentius: *Mansurus patruum pater est, dum huc adueniat. Non manet ætas virginis meam negligentiam.* Hæc autem sententia, quòd omnes omnino homines oporteat ex hac vita migrare & corpus in puluerem resolui, ab ipso iam inde primo primorum hominum peccato pronunciata est, & vim diuinam adhuc in homines ætatis superioris exercuit: eam deniq; in reliquos posteriores obtinebit, primùm à Prophetis sacris & Apostolis scripta, Mose initio lib. de origine mundi, & Salomone in Ecclesiast. & D. Paul. ad Hebr. Hinc ad profanos scriptores deducta & celebrata, vt ab Homero Iliad. ζ. à Pindaro Ὀδυ. ια. ὁ. & à Pythagora & à plerisque omnibus, quorum non faciam hîc catalogum longiorem, quem quisque possit facillimè colligere per seipsum. Lucian. τοῦτο γὰρ ἔδοξε τῇ φύσει πάντως ἀποθνήσκειν, *Naturæ placitum est, vt omnes omnino prorsus moriantur.* Lucretius varias varij ordinis ac conditionis homines recensет, qui hunc è vita fatalem exitum subierunt, vt viuos inuiter ad æquiorem mortis oppetendæ tolerantiam lib. 3. ad hunc locum:

Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
Lumina sis oculis etiam bonus Anc' relinquit,
Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe rebus
Inde alij multi reges, &c.

Via.] Hæc vox ab occursu vehiculorum euntium ac venientium videtur Isidoro dicta: quâ si non patet vtrisque transitus, vt angustiori, non via, sed iter dicendum est.

Lethi.] Deflectunt Grammatici à *Leo* inusitato, id est, deleo & perimo, ideoque non densant t: quod si densatur, puto ducendum ἀπὸ τῆς λήθης, *ab oblitione*, quæ perpetua est rerum omnium in morte.

Furiæ.] Tres recensentur à Poetis, communi nomine Græcis, Εὐμένιδες κατ' ἀφημισμὸν καὶ ἀντιφρασιν, dictæ

quòd immites & maleuolæ habeantur. Primùm dicebantur Ἐ*ίννυες* quæ videntur ἀπὸ τὸ πίνυσθαι δικὰς ἢ ποινὰς, *ab exigendo graues pœnas & sumendo supplicia de improbis.* Ob id definitur Ἐ*ιννὺς, ὁ καλαχθόνιος δαίμων κακοποιὸς*: alij malunt παρὰ τὴν ὀξεῖαν Ἐ*ιννὼ* appellari quasi ἔριν νέ, *mentis acrem litem* & prouocationem, agitationem: sed quia semel Orestes sensit illas ἑαυτῷ δυσμενεστέρας, Εὐμενίδας, id est, *bene affectas & beneuolas vocauit.* vnde Philostrat. Epist. 14. ἤδη καὶ τὰς Ἐ*ιννῦς Εὐμενίδας καλοῦμεν, ὡς τὸ εὐθρωπον ἀρνούμενας*: *iam Erinnyas vocamus Eumenidas, vt quæ feros vultus detrectarint & deposuerint.* Illæ autem tres sunt: Ἀ*λληκτὼ, Μεγαίρα, Τισιφόνη*, filiæ Acheruntis & ἀπαρθένοι dicuntur, ὅτι ἀδωροδόκητοί εἰσι καὶ οὐχὶ χρημάτων δώροις δωρούμεναι ὑπὸ τῆς ἀδικίας: *quòd sint semper virgines incorruptæ & à donis flagitiosè viuentium integræ & impolutæ.* Quæ autem harum sit maxima Furiarum Virgilio, μείζων Ἐ*ινύων*, nondum comperi. Prima dicta est, ἀπὸ τὸ μὴ λήγειν πωροῦσαν τὰς ἀδίκους καὶ πονηρούς: *quòd nunquam desinat persequi & vlcisci improbos & sceleratos:* altera ἀπὸ τὸ μεγαίρειν, quòd eosdem oderit: altera παρὰ τὸ πάσασθαι τὰς φόνους, *quòd cædes vlciscatur:* ita notat Seru. 4. Georg. Tisiphone dicta est, quasi cui sit curæ mortis vltio atque de homicidis supplicium sumat. De hac sic Aen. 6.

Continuò sontes vltrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, toruosq; sinistrâ
Intentans angues, vocat agmina sæua sororum.

De eadem vide fin. 3. Georgic. Apud Inferos vocantur Stygiæ canes: vnde Alecto arcessitur à Iunone 7. Aeneid. ad concitandum bellum inter Troianos & Latinos: apud Superos Diræ: in terris Erinnyes & Furiæ. Furia autem dici videtur à *φονία*: quòd τὸ φονᾶν sit etiam furere, sicut τὸ *mora* sequens à μόνα, id est, mansio, vtrobique τὸ ν, in ρ. De quibus sic Eurip. in Orest. ὦ μᾶτερ ἱκετεύω σε μὴ πίσυνε μοὶ τὰς αἱματώπεις καὶ δρακοντώδεις κόρας· αὗται γὰρ αὖ τοι πλησίον δρώσκουσί μου· *ô mater oro te, ne mihi admoueas puellas ore cruento, & serpentibus implicatas: Istæ enim sunt, istæ propè me inuadunt.* Non dissimili tormento manes virginis Cleonices Byzantinæ exagitarunt Pausaniam imperatorem Lacedæmonum, quamdiu hîc vixit: de quo vide Plutarch. in Cimone. Talis figmenti ὄπιμύθιον Cicero declarat in orat. pro Rosc. Amer. & in L. Pison. *Reuera*, dicit, *à sua quemque fraude & suo terrore maximè vexari, à suis malis cogitationibus conscientiaq; animi terreri: eas esse impiis assiduas domesticasq; furias, quæ dies noctesq; parentum pœnas ab impiis filiis repetunt. Item: agitant & insectantur impios furiæ, non ardentibus tædis, sicut est in fabulis, sed angore conscientiæ & fraudis cruciatu. Furiæ dant alios spectacula Marti*, id est, neci, quâ Mars delectatur. Sic dicetur Od. 29. l. 3. fortuna ludere ludum insolentem: Seneca, eandem in rebus humanis facere ludos.

Densantur.] Id est, instar magni cumuli efferuntur. Gall. *Ils meurent à tas.*

Proserpina.] Hæc ex Hesiod. creditur filia Iouis & Cereris, & per raptum vxor facta Plutonis: quam D. Augustin. lib. 7. de ciuit. Dei à proserpendo dictam putat, cuius etymi rationem inde, vt à Seruio 1. Georg. petes; & à Plutarch. libr. de Poet. audiendis scies illam etiam dici ἐπαινλῶ, ὡς παραιλῶ, id est, reiiciendam. Hanc autem Græci nominant Περσεφόνην, vel Περσεφονεῖαν παρὰ τὸ πέρθειν πάντα, *quòd omnia cædibus vastet & perdat:* Ideoq; penes eam est vitæ ac necis imperium, & Inferorum regina prædicatur. Alij tamen malunt τὴν φερσεφόνην dici οἷον φέρουσαν τὸν ἄφενον, vt quæ afferat vbertatem, fruges & semina terræ conseruando. Hanc quoque Theocritus εἰδυλ. ιε. κατ' ἐξοχὴν appellat Πότναν, quum inducit Gorgonem sic iurantem per ipsam, Γόργω Ἀδὰν ἐπιτᾶν τὸ βρίφος καὶ τὰν Πότναν· *sentit puellus, (nempe verba fieri de suo patre) per Proserpinam.* Vbi Scholiast. dicit: Δέ τὸ τὰς Συρακουσίας ταυτὴν ὀμνύναι· φασὶ γὰρ τὸν Δία τῇ Περσεφόνῃ τὴν Σικελίαν δωρήσασθαι, *rectè quidem mulieres Syracusias iurare per ipsam: quia ferunt Iouem Proserpinæ Siciliam totam dedisse:* cuius famæ testis vetus expositio in Pind. εἰδ. Πυθ. ιβ. ὅλλων τὴν Σικελίαν ἐδωρήσατο τῇ Περσεφόνῃ ὁ Ζεύς, *totam Siciliam Iupiter Proserpinæ dedit.*

Orionis.] Huius fabula varia est: quidam eum putant à tribus Diis, Ioue, Neptuno, & Mercurio ἀμήτωρ procreatum fuisse: nisi pellem bouis pro matre substratam putemus, ex qua semine Deorum illorum conspersa, & humi decem menses defossa & condita prodit Orion ex postulato Hyriei filij Neptuni & Alcionę pro mercede hospitij, quo illos exceperat: de quo lege Seruium in vers. Aeneid. 10. sub finem:

Turbidus ingreditur campo, ceu magnus Orion.

Eamque ob rem Græcè dictus Ὠ*ρίων*, quasi ἀπὸ τῆς οὔρας, ab vrinis. Inter venationem punctus à scorpio in calce obiit Dianæ inuidiâ, & commiseratione Iouis in astra relatus est: vbi signum est constans 38 stellis, imaginem viri præcincti exprimentibus; quo occidente scorpius oritur: vbi veritas Epimythij indicatur. Occidit autem sub principium hyemis, sicut Pleiades & Hyades: sic enim Hesiod. l. 2. oper. & dierum:

——Αὐτὰρ ἐπὴν δὴ
Πληϊάδες θ' Ὑ*άδες τε τό τε σθένος Ὠ*ρίωνος
Δύωσιν. ——*sed postquam Pleiades & Hyades & vis summa Orionis occiderint.* Vis autem illius sideris est nimbosa & procellosa. Idem, vt placet quibusdam Grammaticis, dicitur παρὰ τὸ οἰνεῖν, à tempestatibus cócitandis ac maximis imbribus diffundendis, præsertim in ortu & occasu. Homerus verò non à scorpio, sed à Diana fuisse interfectum sagittâ scribit Ὀδυσ. ε. Varietas maior potest inueniri, si quis velit disquirere. Plutarch. lib. de *Iside* & *Osiride* scribit *Orum Isidis* filium in stellam *Orionem* fuisse translatum, indeque nominatum. Alij παρὰ τὸν ὦρον, à decore & venustate malunt deflectere ὠρίωνα, quanquam spiritu inter se differant. Deuexus autem *Orion* hîc intelligendus videtur ex situ ipsius, in horizontem occiduum vergente. Sed de *Orione* satis.

Notus.] Vim huius venti Od. 3. huius lib. vocauit rabiem: de quo, sicut de Illyrico mari & Colpo sinu reuisę illius Gramm.

Ne parce dare.] Ita Græci construunt suum φείδεσθαι eiusdem notionis cum hoc Latino, lib. 1. Epigr. Græc. cap. κ. de quercu sic rusticum alloquente:

Ὦ*ρε, μὴ βαλάνων τὴν μητέρα φείδεο κόπτειν·*

O rustice, abstineas manum ab exscindenda quercu glandium matre. Sic Donat. Act. 3. Sc. 1. Hecyræ: *Hancine ego vitam parsi perdere?* id est, *continui & abstinui.* Idem valet per casum dandi Ode 3. lib. 2. *nec parce cadis tibi destinatis.* Paullò aliter Eclog. 4. *Parcite oues nimium procedere*, id est *prohibete ne oues nimiùm ad ripam procedant.*

Malignus.] Potest intelligi vis huius vocis ex oppositio *benignus*, quod, vt *à bono gignendo* nominatur, sic illud à malo. Itaque τοῖς *benignus, liberalis* & *largus* etiam opponentur *malignus, parcus, angustus, obscurus.* Ita Seruius per hæc duo postrema interpretatur illud Aeneid. 6. *sub luce maligna:* & alterum eiusdem lib. 11.

Angustæq; ferunt fauces, aditusq; maligni. per *obscura* & *angusta:* & addit τὸ *malignum* propriè esse *angustum, minus* & *obscurum*, σκοτινὸν, στενὸν, ἀφαυρόν.

Particulam.] Animaduertenda est hîc Ethnicorum superstitio, quibus, quum non liceret puluere aliquod cadauer omnino prorsus obruere, loco plenæ sepulturę haberetur, si manus terræ plena ter istud officij præstare conaretur: vnde Græci dicunt τρὶς γᾶιαν ἐπιχεῖσθαι τοῖς νεκροῖς, *terrâ velut aspergi cadauera.* Idem Seru. in Aen. 6. v.

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataq; turba est, annotat:

notat: *Duo dicit; quòd neque legitimam habet, nec imaginariam sepulturam. Inopem enim dicit sine pulueris iactu. Nam ops terra est, inops sine terra, sine humatione. Vult autem ostendere tantum valere inanem, quantum plenam sepulturam.* Item Aeneid.11.vers.22.

Interea socios inhumataq; corpora terræ
Mandemus.

Eurus.] De origine atque flatu 4.cardinalium ventorum dictum est in Gram.Odes 3. huius lib. Addam tamen ex Aristot.lib.de mund. tres ventos orientales esse: Καικίαν μὲν τὸν ἀπὸ τῆς θερεινὰς ἀνατολὰς τόπων πνέοντας ἄνεμον. Ἀπηλιώτην δὲ τὸν ἀπὸ τῆς περὶ τὰς ἰσημερινάς. Εὖρον δὲ τὸν ἀπὸ τῆς περὶ τὰς χειμερινάς. *Caciam quidem ventum esse, qui spirat ab ortu æstiuo. Subsolanum, qui ab æquinoctiali. Eurum denique ab hyberno & Latinè Vulturnus dicitur.* Verùm quis horum præcipuè intelligendus hîc videtur? Non equidem verebor existimare τὸν Εὐροκλύδωνα, id est, Eurum qui flat ab ortu brumali σωνεκδοχικῶς intelligendũ, atque dici ἀπὸ τοῦ τραχὺ κλύδωνα, à vehementi fluctu & vnda: qualis potest facilè & optimè cognosci 27. cap. v.14. Act. Apost Μετ' οὐ πολὺ δὲ ἔβαλε κατ' αὐτῆς ἄνεμος τυφωνικὸς, ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων, &c. *Non multò autem pòst impegit in eam ventus turbulentus, qui vocatur Euroclydon, &c.* Præterea de Cæcia lege Plin. l.2. c.47. & Agell.li. 2. ca.22. qui vterque narrat ex Aristotele hunc ventum attrahere ad se nubes, & Plutarch. ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι, vbi de officio viri politici scribit, qui debeat ita in se animos ciuium conuertere, vt Cæcias nubes. Quod autem attinet ad etymum τοῦ *Eurus*, Grammatici, maximeque Agell. loco sup. citato, deflectunt Eurum ἀπὸ τοῦ ῥέειν, ἀφ' ἕω, *quòd fluat, spiretq; ab oriente vero.* De ventis lege Plin.lib.& cap.suprà citatis.

Hesperiis.] Intelligit fluctus Italicos Tyrrheni maris.

Venusinæ.] Venusia siue Venusium fuit oppidum in finibus Appuliæ & Lucaniæ; sed nescitur vtri sit tribuenda: de qua Sat.1.li.2. item Colonia & patria huius Poetæ. Strabo lib.6. eius situm ita describit: *In via Appia sunt Vria & Venusia. Illa inter Tarentum & Brundisium, hæc in confinio Samnitum & Lucanorum.*

Plectantur.] Id est, tundantur, vt loquitur Virg. de eodem vento, lib.3. Georg.

Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro. Vel pro ratione inclinamenti, πλήττεσθαι, percussæ frangantur ab Euro.

Sospite.] Sospes dicitur quasi à seruato hospite, & ad eandem ferè formam, ad quam vox Græca σωσίπολις καὶ σωσίοικος, nisi quòd hæc ἐνδελεχῶς sumuntur, pro conseruatoribus & tutoribus vrbis & domus: Hæc autem *Sospes* ab ignibus πυθικῶς seruatus.

Merces.] Vox est à *mereo*, & hæc παρὰ τὸ μείρειν, à distribuendo.

Neptuno.] Cic.lib.2.de nat.Deor. hanc vocem sic notat: *Datum est igitur Neptuno altero Ioui, vt volunt, fratri maritimum omne regnum, nomenq; productum, vt Portunus à portu, sic Neptunus à nando, paullùm literis primis immutatis.* Varro tamen videtur quibusdã ἐτυμώτερον notasse, quòd mare terras obnubit: quòd si ita est; pro *nando* legendum videtur *nubendo*, id est *tegendo.* Videtur prior ratio magis probanda: quippe quæ propiùs accedat ad Græcam Neptuni appellationem μοχλιστὴς, quem interpreteris vectiarium, concussorem, & machinatorem: quia terram mareq; moueat & concutiat, vt P.Ramus lib.2. Schol.Math. ἐτυμολογεῖ καὶ μυθολογεῖ: *quod verè quidem, ait, dicitur: sed ea vis parùm animaduertitur, vnde machina Neptunij tridentis vectis est, vectisq; machinatio verè terræ maris q; commotio, concussióq; nominatur.* Dicitur præterea γαιοχὸς his de causis, vel quòd vndæ subeuntes maritimas regiones, ipsas excauent, excauatæ flatus concipiant: qui concepti ac inclusi concutiunt terram, id est, terræmotus concitant. Propria tamen eius notio est ἀπὸ τοῦ τὴν γαῖαν ἔχειν. id est, *quòd terram contineat*, vel sustineat, dum ipsius moles libratur in aquas. Est autem γαιόχος vox Dorica pro communi γαιήοχος: vbi τὸ η πλεονάζει, vel quòd illud iuuet vehi belluis marinis, tanquam equis & curru, παρὰ τὸ γαίειν, τὸ χαίρειν καὶ ὀχεῖν. Hæc vocis ratio refellit Louiceto alteram τῆς ἐνοσίγαιος. Aliter dicitur Fulgentio Ποσειδῶν παρὰ τὸ ποιεῖν εἶδος, id est, quòd referat formam rei obiectæ, vt pastor Virgilianus Corydon canit,

Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi.

Ad extremum lege tres huius vocis rationes in Cratylo Platonis.

Tarenti.] Tarentum fuit in finibus Calabriæ, olim ciuitas magnæ Græciæ & Appuliæ celeberrima, cuius conditorem quidam putant fuisse Palanta Neptuni filium, qui patri suo, & Herculi templum illic construxit: vnde dicitur Ode 5. lib.3. *Lacedæmonium Tarentum,* à Palante Lacone instauratum, deductâ coloniâ: alij Tarenta vel Taren, Neptuni filium alterum. Alij ducunt à voce Sabina Tereno, vnde nux molliuscula, id est, Tarentina & Terentina dicitur: quæ sit ita mollis, vt vix attrectata, facilè frangatur, vt scribit Macrob.l.3. cap.18. Tarentum igitur sic cognominatur à mollitie, propter vbertatem olei & lanæ, καὶ ἀκολάστως τέρπεις, propter cæcum populi luxum. Ideoque Satyrâ 4.lib.2. dicitur *molle Tarentum.* De hoc sic Athen. l.4. scribit, Tarentinos dicere solitos, aliis laboriosam vitam, sibi voluptariam placere. Quæ fuit sententia Epicuri: quò pertinet illud Cic.pro Sextio: *Philosophos nescio quos præclare dicere aiebat, sapientes omnia suâ causâ facere, hominem benè sanum capescere Rempub.non oportere: nihil esse præstabilius otiosâ vitâ, & plenâ & confertâ voluptatibus.* De hoc præterea vide Plin.l.3.c.11.& Seru.in v.3.Aen.

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti, Cernitur.

Committere.] Sic Cic. *capitalem fraudem admittere*, id est, *nihil te pœnitet liberos tuos innocentes obligare impiâ tuâ fraude & culpâ.*

Vices superbæ.] Id est, graues pœnæ, vt Seruius interpretatur in vers.Aen.2.

—*nec tela, nec vllas*
Vitauisse vices Danaûm, id est, *pugnas: quia per vicissitudines pugnabatur, vt docet Sallustius: Item pœnas: Horat. Vicesq; superbæ, &c.* Talis imprecationis effectus dicitur accidisse crudeli illi Iasoni Machab. lib.2. cap.5. versu 10, quòd multa cadauera proiecisset insepulta: caruit enim postea ipsemet sepulturæ honore. Alij legunt in vocatiuo, *ô superbe*, quando non vereris ab hoc pietatis & religionis officio declinare; Dij te perdant, pari sæuitiâ & crudelitate. *Inultus* etiam potest pro *inultis* legi.

Piacula.] Piaculum dicitur tam de scelere, quàm de ipsius expiatione.

Non mora.] Hoc Græcè effertur, οὐ χρόνῳ μονὴ, vel οὐ πολυχρονίσεις, *non diuturna manssio*, vel *non diu manebis*: vnde certum est τὸ *mora* declinari permutatione τοῦ ν in ρ. vt modò fuit notatum.

Iniecto ter.] Pro *inicere pulueren* Virgilius dicet postea, *terram inticere*; quod posterius Seneca imitatus est lib.5.cap.20. de beneficiis, *At si terram ignoto mortuo iniecti, nullum habeo huius officij debitorem, in publicum humanus.* E Varronis lib.4. dicimus corpore inhumato totam familiam funestam manere, donec pura fiat, vel vstione, vel iniectione glebæ, vel immolatione porci fœminæ: ex interpretatione tamen Eustathij ad vers. Ιλιαδ.ξ. sub initium scimus etiam, quod sequitur:

Τυδέος, ὃν Θήβησι χθὼν κατὰ γαῖα καλύπτει. *Iacto*, inquit Diomedes, *genus meum esse è Tydeo bono patre, quem Thebis*

puluis minutus obruit. Χυλὴ δὲ καὶ νῦν γαῖα, ἡ ὀπτωμένη νεκροῖς· ἐγὼ γὰρ βῶλοι αὐτοῖς ὀπτὴ δέντται, ἀλλὰ χῆς, ὅς ἐστι γῆ χυτή· ἵνα οὐδὲ ὠμὲ χεῖρ ἀφ' ὁ γαῖος χθ' λέγοιτο, οἷα παντεχῶς ἐστερημένῳ ὑγροῦ· *Terra, tanquam diceres, fusilis, cadaueribus insperſa: non enim glebæ ipſis iniiciuntur, ſed puluis, qui eſt terra egeſta & minuta* (aliter dicta χοῦ, vnde καλεῖται ὁ ἄνθρωπος χοϊκὸς *vocatur homo terrenus*) *quam Gæcochus non videtur continere, vt humore planè deſtitutam.* Hinc perſpicitur veterum ſuperſtitio, qui pondere grauis terræ putarent cadauera, vt ſenſu prædita, offendi: in qua fuit hæreſi Democritus. A qua quidem impia immanitate Iſocrates in Panegyrico ſcribit cum honore ſummo *Athenienſes* longè ſemotos fuiſſe, cuius loci eſt hæc interpretatio Latina. *Diu autem ante Troiana tempora (inde enim fidem iure petant, qui de iure patrio contendunt) venerunt & Herculis liberi, & paulò ante illos Adraſtus Talæi filius, rex Argiuorum, qui quidem in expeditione Thebana, clade acceptâ, quum ſub Cadmea interfectos ipſe tollere non poſſet, à noſtra vrbe petiit, vt communis ſortis miſerti, opem ferrent; neque occiſos in prælijs iacere inſepultos, aut vetus inſtitutum & patriam legem aboleri paterentur.* In eadem quoque Iuuenalis Satyrâ 7. ſic Manibus precatur,

Dij maiorum vmbris tenuem & ſine pondere terram.

Item Martialis,

Sit tibi terra leuis, molliq; tegaris arenâ. Hoc Muretus ἀσημάντως in Var. Lecti. annotauit. Seru. autem in locum Virgilij, quem in dialecticis citauimus ad verba *inops inhumataq; turba*, ſcribit iniectionem glebæ poſſe fieri, vel abſente cadauere iuſtis quibuſdam funeribus, ſacrisq; ſolennibus, atq; inanem hanc ſepulturam tantundem valere, quantum plenam: qualis illa Deiphobi cuius vmbra tranſuecta eſt in Elyſios cãpos; licet Æneas κενὸ τάφιον, *tumulum inanem* illi egeſsiſſet, ſicut 5. Æn. dicit:

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui, & magno manes clamore vocaui.

Ad hunc quidem locum non parùm attinet genus ſepulturæ adſcribere, quo, ſicut Tullius 2. de leg. ſcribit è lib. 8. de pædia Cyri, vſus fuit Cyrus Xenophonteus, quum ſic iuſsit ſe humandum: Τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτ' ἐν χρύσῳ, μήτ' ἐν ἀργύρῳ, μήτ' ἐν ἄλλῳ μηδενὶ θῆτε· ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε· τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ τῇ γῇ μιχθῆναι; ἢ πάντα μὲν τὰ καλὰ πάντα τ' ἀγαθὰ φύεται καὶ τρέφει; Id eſt, *Meum autem corpus, ô filij, quum è vita exceſſero, neq; in auro, neq; in argento, neq; in vlla alia libitina ponatis: Verùm quàm celerrimè fieri poterit, terræ reddatis. Quid enim eſt beatius, quàm cum humo miſceri? Quæ omnia pulcra & omnia bona parit & alit?* Vnde dicitur à Lucretio,

Omniparens eadem rerum eſt communis ſepulchrum.

Hæc autem Cyri cohortatio accedit proximè ad mores Chriſtianos, quâ plerique omnes deberent reuocari ab exemplo illius Artemiſiæ, quæ Mauſolo Cariæ Regi, marito ſuo tam amplum, tam egregiè faciendum funus, tantâq; operis magnificentiâ ſepulcrum curauit exſtruendum, vt ſeptem totius orbis miraculis nõ modò ſit annumeratum, verùm etiam reliqua ſumtuoſius curata ſepulcra nomine Mauſoleorum famâ, omnium ſermone ac literis celebrata legantur: de quo ſic Martialis initio in Amphitheatrum Cæſaris,

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Caros in aſtra ferant.

Egregias verò laudes huiuſcemodi ab vxore debuit is referre, qui à nullo facinore in vita potuit temperare pecuniæ causâ, teſtimonio Suidæ ex Theopompo. Ita Suetonius ſepulcra Cæſarum ſolet Mauſolæa vocare. Iſtam equidem tam ſumtuoſam, tam ſuperbam ſepulturam exiſtimo ad eum deductam locum, quò legimus illam diuitis epulonis Lucæ 16. demiſſam, id eſt, ad orcum. Vanos etiam ſepulturæ ſumtus improbat quidam νόμος lib. 2. Epigram. Græc. μζ. κεφ. vt hîc Xenophon, exceptâ voluptate.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις σίλλαιτι χαρίζου·
Μηδὲ τὸ πῦρ βρέξῃς· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι· τέφρῃ δὲ μεθύσκων
Πλοῦτον ποιήσεις, κοὐχ' ὁ θανὼν πίεται.

Neque vnguenta, neque coronas ſtatuis marmoreis gratificare, neque ignem aſpergas vino: *vanus eſt ſumtus. Viuenti mihi, ſi quid vis, largire: cinerem enim largè perfundens lutum facies, nec mortuus honoratur.* Ex hac quidem iuſsione patris ad liberos, perſpicimus iam conſuetudinem cadauera inhumandi & cremandi ipſius ætate inualuiſſe: eum tamen antepoſuiſſe humationem crematiõni. Sic in Phædone ſiue de anima Plato, huius Xenophõtis condiſcipulus, inducit Critonem percunctantem ex Socrate, quomodo vellet ſepeliri: reſpondit Socrates: ne ægrè feras, Crito, corpus meum vri aut humari: ſic vtrumque probauit. Videtur etiam Cicero ibidem humationem prætuliſſe vſtioni, ductus fortaſsis exemplo Numæ Pompilij, cuius corpus inuentum dicit in arca lapidea à Cn. Terentio in ianiculo: de quo ſic monet Phocylides in Poemate nuthetico:

Γαῖαν ὀπιμοιρᾶσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι.
Terram iniice mortuis inhumatis.
Μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μήδ' ἀθέλητα
Δείξῃς ἡελίῳ ᾗ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.

Ne tumulum mortuorum è terra eruas: nec quæ non ſunt ſpectanda, ſoli oſtentes, & iram diuinam in te concites: quam Archytas hîc nautæ minatur: cuius etiã vim grauiſsimam ſenſit rex Moabitarum: quòd non ſolùm fuiſſet τυμβόρυχος, *effoſſor ſepulcrorum*, ſed oſſa etiam regis Edomæorum combuſſerit, & è cineribus calcem fecerit ad palatium incruſtandum ſuum: quæ inhumanitas quomodo vindicata ſit, lege Prophetam Amum cap. 2. Legibus quoque publicis cõſtituta eſt pœna in ſepulcra violantes. Plinius ſcribit: *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terrâ condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouêre; tunc inſtitutum: & tamen multæ familiæ priſcos ſeruauêre ritus, ſicut in Cornelia. Nemo antè Syllam dictatorem traditur crematus, idq; voluiſſe veritum talionem eruto C. Marij cadauere.* Alteram affert rationem crematiõnis Euſtathius in 52. verſ. Ιλιαδ. α.

Βάλλ' αἰεὶ δὲ πύραι νεκύων κάονθο θαμειαί.

Iecit: ſemper autem rogi frequentes cadauerum accendebantur. Satis tibi ſit, Lector, interpretatio ſcholiorum Latina. *Mos fuit Græcis, vt mortuos cremarent, qui adhuc permanet apud quoſdam Boreales Barbaros. Hoc autem illi faciebant ad oſtendendum, quod erat in homine diuinum, igne, velut curru, euectum ſurſum admiſceri cæleſtibus: quod autem erat terreſtre, deòrſum remanere: ideoq; ſic cremabant mortuos; vt oſſa retenta conderent ac ſepelirent, in memoriam vſtorum. Contrà Aegyptij τὰς νεκρὰς ἐταρίχευον, mortuos ſale conſperſos ſeruabant, vt Herodotus narrat.* Poteſt vtrobique per ſe quiſque reliqua cognoſcere. Sed vnde tanta ſepulturæ cupiditas Archytæ profecta eſt, vt reliquis veteribus Ethnicis? Certè cauſſa exiſtit ex retardata multos annos transvectione Acheruntis, quem corporibus inhumatis nefas erat transnatare: vnde Virgil. 6. Aeneid.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataq; turba eſt.
Nec datur horrendas ripas, nec rauca fluenta
Tranſportare priùs, quàm ſedibus oſſa quierunt.

Ideo Palinurus ſæpè tranſitu prohibitus à Charonte portitore precatur Aeneam, vt cadauer puluere obruat: *Aut tu mihi terram Iniice: namq; potes*, ait idem: & Hector, Iliad. χ. ſummis precibus rogat Achillem, ne ſe mortuum relinquat inſepultũ & feris expoſitum. Sed de inſtitutione iuſtorum funebrium vide Plutarch. in Numa, & de forma cremãdi cadauera mortuorum Cornel.

nel. Tacitum lib. 3. Annal. & lib. 5. de Cotta Messalino. Polyd. Virg. lib. 6.

Explicatio Rhetorica.

MEtrum est simile Odes septimæ. [a] Dialogismus est in occupatione & subiectione, vbi ferè coniuncta est prosopopœia: obiicit enim nauta quidã, scientiam corporum cælestium ac terrestrium parùm ad honestam moriendi rationem valere: vbi quædam est synecdochica periphrasis Geometræ, quum Archytam vocat terræ & maris mensorem: item altera Arithmetici, quum dicit eundem numerasse infinitam arenę multitudinem, & ita vtrumq; quantitatis genus complectitur, continuum & discretum. [b] Synecdoche definitionis pro definito, Meteorologiam scire, id est, generis pro specie: qualis tropus est in *percurrisse polum*, pro Astrologiam tenere. [c] Idem tropus pro Tantalo compotore Deorum & conuictore. [d] Idem quoq; pro Pythagora. [e] Προσλάλησις est. [f] Mors *atra* dicitur eodem meronymiæ modo, quo *pallida, crudelis,* & *exitiosa*. [g] Arbitror hîc esse synecdochen pro quolibet iudice, vel iniquo. [h] Synecdoche generis pro insigni Physico & luculento Dialectico. [i] Similis fuit tropus in Rhetoricis Odes 4. huius ad locum: *iam te premet nox*. [k] Periphrasis mortis per allegoriam è continuatis metaphoris. [m] Metaphora ab aere crasso, vel ab aggesta terra. [n] Metonymia adiuncti pro ipsis hominum cadaueribus. [o] In hac syntaxi verborum inuersa, quam alij hypallagen vocant, pro, *nullus fugit mortem*, est metonymia caussæ efficientis pro effecto, id est, morte sæua. [p] Synecdoche membri pro integro homine: cui tropo etiam locus erit, si caput pro coma, quam Proserpina priùs secabat, quàm ipsum soluere pararet corpore, sumeretur. De quo lege libro 4. Aeneid. vers. 688.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat: & ibidem rationem Seruij super tali sectione comæ. [q] Metaphora est ab animatis ad inanima. [r] Videtur habere rationem generis pro speciali vento Εὐροκλύδωνι procelloso & vno ex orientalibus. [s] Exclamatio est bene optantis nautæ si pium sepulturæ officium præster. [t] Synecdoche speciei pro syluis quibusque densissimis, asperrimis, maximeque formidolosis, quales erant Venusinæ. [u] In *defluat* nota est metaphora, pro, copiosa tibi merces persoluatur à Diis, qui facilè id possunt. [x] Quia è gestu nautæ sensérat postulationem suam repelli; exclamat in eum per imprecationem. [y] Metonymia est subiecti pro victimis adiunctis aliisque sacrificiis, quibus non poterit facinus tam impium expiari.

Ode XXIX. Ad Iccivm.

Theticum.

Iccij accusatur imprudentia & inconstantia ridicula mutati consilij prioris atque studij.

Icci, [a] beatis nunc Arabum inuides
Gazis: & [b] acrem militiam paras
Non antè deuictis [c] Sabæa
Regibus: horribilíq; Medo
Nectis [d] catenas: [2] quæ tibi virginum
Sponso necato barbara seruiet?
Puer [e] quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis?
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno. [3] Quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus & Tiberim reuerti:
Quum tu coemtos vndique [f] nobiles
Libros Panæti, Socraticam & [g] domum,
Mutare loricis Iberis,
[4] (Pollicitus meliora tendis?

Analysis Dialectica.

IMprudentię accusatio nititur topico adiunctorum: quòd feruore quodam auaritiæ incensus, bonis ac rebus alienis Iccius inuideat: deinde topico effectorum: quòd factis incõsideratis iam videatur περὶ τῆς νίκης ἐγκώμιον ᾄδειν, *antè victoriam encomium canere & præpostere gloriari de spoliis Parthorum, Medorum & Arabum bello minimè confecto*, nedum parato. Similiter Iccius faciebat, atque Plato scribit in Theæteto, ignauum & timidum Alectryona facere solitum, qui cantu testatur ante certamẽ se victorem fore, immemor illius prouerbij, quod Cic. vsurpauit Epist. 8. l. 4. ad Att. μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τέλος ἐπιθῇ, *nihil dixeris magnũ antè, quàm finem sis cõsecutus.*

2 Eadem inconsiderata cupiditas accessione lectæ prædæ notatur, quæ rursus declaratur ἐξ ἴδιας περιτίας *peritia iaculandi*, & vt Homer. dicit, ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν τοξοσύνῃ, *qui optimus sit Achiuorum sagittarius & peritissimus è neruo emittendi sagittas.*

3 Altera est pars accusationis hyperbolicâ collatione parium explicata de inconstantia: quòd quum Philosophiæ studium, præsertim Stoicæ, reliquarum constantissimæ, commutârit cum militari disciplina, re profectò omnium maximè ab illa discrepante & dissidente; poterunt etiam deinceps res è diametro inter se pugnãtes, non dispari temeritate æqualitatis cõciliari. Collatio sic erit apertior: *Mutatio tui studij tam mihi fuit antè incredibilis, quàm illa rerum naturalium hominibus soleat esse: qualis hîc proponitur.* Similis est hyperbole dialecticæ comparationis in Pharmaceutria Virgilij:

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?
Iam tigres iungentur equis, æuoq; sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

4 Videtur reprehendi de violato promisso, quod genus est obligationis spontaneæ, vt verbum pollicerì sonat, & hæc testimonij, id est, argumenti inartificialis. Sed quia tractatur maiorum comparatione, malumus ad categoriam comparatorum quàm argumentorum extrinsecus assumtorum referre. Reprehendendus quidem erat, quòd studium melius in bonis animi positum posthabuerit deteriori, quod in bonis Fortunæ versatur. Simili inconstantiâ & imprudentiâ notat se per Damasippum Horat. Sat. 3. lib. 2.

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum comites educere tantos?

Enarratio Grammatica.

ICci.] Hic Iccius fuit, vt quibusdam placet, vel Procurator Agrippæ in Sicilia, vel ab eo donatus ibidẽ agris: ad quorum fructibus moderatè vtendũ ac fruen-

dum, & ad vitandam cupiditatem τῆς πλεονεξίας hortatur, vt hîc, sic Epist.12. lib.1. ad ipsum. Læuinus tamen Torrentius in c.43. apud Sueton. in vita Octauij ad hęc verba: *Adolescentulum Lucium nanum Augusti honestè natum exhibuit tantùm, vt ostenderet quod erat bipedali minor, librarum septendecim, ac vocis immensæ:* scribit legendum, *Itium* sicut hîc & in dicta Epist. *Ityi:* quod se dicit intellexisse è figura cuiusdam nummi, vbi scriptũ erat, *Iti è gente Romana. Beatis.*] Græcæ vocis videtur interpretatio ὀλβίοις, quæ definitur ab Hesychio εὐδαίμων, ὁ διὰ τῆς ὅλης βίου μακάριος καὶ πλούσιος, quę verba Cic. videtur etiam interpretari, quum Syracusas vocat ciuitatem opulentissimam & beatissimam.

Gazis.] Vox est Persica, & vrbis nomen Hesychio, ab opibus dicta, vbi ærarium Persicum & thesaurus seruabatur, & quo regionis prouentus inferebatur. sicut apparet ex 8. cap. Act. Apost. vers. 27. de Eunucho, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς· *qui præerat vniuersis thesauris.* De fertilitate felicis Arabiæ lege Plin. l.5. c.11. & Melam l.1. c.10. in descriptione Syriæ: vnde vox Gaza sumta sit ad ingentes opes significandas, per speciem prouerbij, quo modo sumes Od. vlt. huius lib. Persicos apparatus, pro exquisitis & sumptuosis.

Sabæa.] Sabæa fuit regio felicis Arabiæ, quæ Græcæ inclinatur θεᾷ τὸ σέβεσθαι, à turea veneratione, ob copiam turis illic nascentis, quę etiam εὐδαίμων, & à Plinio ἀρωματοφόρος. λιβανοτοφόρος: eidem est lib. 2. altera Arabia petræa, Græcè πετρώδης: tertia est deserta, ἔρημος.

Non antè deuictis.] Intellige, non deuictis priùs à populo Rom. qui tamen victi fuerant olim ab Alexandro Magno.

Horribili Medo.] Gens Medorum non fuit solùm formidolosa & terribilis Romanis, sed Græcis etiam, vt constat è Theognide.

Φοῖβε ἄναξ——
Αὐτὸς δὲ στρατὸν ὤρσεσθαι Μήδων ἀπέρυκε.

Et paullò antè:

Πίνωμεν μηδὲν περὶ Μήδων δεδιότες πόλεμον.

Phœbe rex, exercitum Medorum infestum ipse propulsa ab hac vrbe. Bibamus, nihil veriti Medorum bellum. De regione Medorum lege l.6. c.26. Plin. & Strab. & Melam.

Nectis catenas.] Hic locus videretur vehementioris commotionis & admirationis, si legeretur ἀποστροφικῶς· ea fuit & est conditio captiuorum, vt miseris manicis ac pedicis constricti teneantur: ἐμπρέμονοι σείρας καὶ πέδας καὶ χειροπέδας συμπεπλεγμένοι.

Quæ virginum.] Ex omni præda victorię duo tantùm præcipuè requiruntur; virgo desponsata, & puer à poculis: quòd iuuenis miles auidiùs feratur in voluptariam prædam, quàm in opes & in alia spolia: attamen Iccius iam dictus est inhiare Gazis Arabum.

Ad cyathum.] Quod κυαθίζειν Græcè dicitur, & apertiùs exprimit Sueton. verbo eiusdem notionis, in Iulio Cęs. c.49. *ad cyathum & vinũ Nicomedis stetit:* quod Græcè dicitur πρὸς τὸν οἶνον καὶ κύαθον ἱστάναι, vel, vt Lucianus loquitur de Ganymede, ὅτι τὸ νέκταρ ἐπιτάξει, *eris à poculis,* quòd etiâ dicitur ὁ ἐπὶ τῇ κύλικι. Κύαθος ὁ παρὰ τὸ χεῖν dicitur, *à fundendo.* & genus est poculi & mensuræ. vt οἰνοχόος, pincerna & pocillator, à fundendo vino, qui describitur ex pilis capitis vnguento delibutis.

Doctus tendere.] Virgilius dicit etiam tendere telum & sagittas & iacula cornu id est, ex arcu. Propriè tamen tendere acres arcus dixit Æneid. 7. Hîc tendere sagittas arcu, est ex arcu, vel potiùs è neruo sagittas emittere. Dicit etiam Virg. fandi docta. *bien appriſe à parler.* Cic. & Plaut. *doctus ad legem, doctus ad malefaciendum:* Terent. in Hecy. Act.2. Scen.1. *omnes mulieres mihi videntur doctæ ad malitiam.*

Sericas.] Seres populi sunt Plin. li.1. ca.17. incolæ Orientis æstiui, lanificio dediti: hinc pannus Sericus.

Quis neget.] Sententia est, ac verborum syntaxis: *Nemo perspectâ consilij tui mutatione dubitat, quin riui ex altis montibus decurrentes, pedem eò vnde illum mouerant, facile referant:* vbi τὸ μὲν *pronos* designat motum, vnde & deorsum: τὸ δὲ *arduus montibus* positum pro, *in montes arduos,* id est, in scaturiginem suam altam relabi fluxumq; ac Tiberim reuocare suos liquores ad caput suum, vt loquitur Propert. ac in Rhetoric. Od.1. lib.1. notatum fuit, vt etiam loquitur Ouid. Epist.21.

Huc ades: tuq; sinus formose relabere nostros.

Pronus autem est originis Græcæ. πρανὸς enim olim in vsu fuit pro πρανὸς ἢ πρηνὴς ἀπὸ τῆς μεγάλης καὶ καταφερῆς, *pronus & propensus ad lapsum.*

Relabi.] Auctor adagiorum citat hunc locum ad prouerbium ἄνω ποταμῶν, quod dicit sumtum è Medea Euripidis, cuius verba sunt:

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χορεῦσαι πάγαι,
Καὶ δίκη καὶ πάντα πάλιν στρέφεται·
Ἀνδράσι μὲν δολίαι βουλαί, θεῶν δὲ
Οὐκέτι πίστις ἄρηρε.——

Sursum fontes sacrorum fluuiorum eunt, & iustitia & omnis, retrò vertuntur: hominibus quidem fraudulenta consilia placent: sed non amplius fides Deorum. Hic chorus indicat pristinum rerum ordinem inuerti: viros dolis muliebribus vti, neque manere promissis: contrà mulieres audere virilia. Et certè hic locus similem continet comparationem illius suprà nobis notatæ: pariter enim viri & mulieres comparantur in mutatione naturalis ordinis cum cursu aquarum retrogrado. Manifestior autem est argumentatio & plenior in loco, quem etiam Ouid. habet in epistolis heroidum:

Quum Paris Oenone poterit spirare relictâ;
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua:
Xanthe retrò propera, versæq; recurrite Lymphæ:
Sustinet Oenonen deseruisse Paris.

Hîc Nympha Oenone argumentatur in Paridem ex ipsius testimonio & promisso comparatè tractato; vbi, *quum,* relatiuum temporis valet cõnexiuam *si,* quasi diceres: *Si Paris poterit viuere sine Oenone; Xanthus retrò in suam scaturiginem redibit: Paris viuit sine Oenone;* quæ assumtio est vltimo versu, *Sustinet Oenonem, &c. Xanthus igitur refluat in fontem:* Hæc conclusio est tertio versu: *Xanthe retrò, &c.* Apertior erit comparatio, si illam ἀξιωματικῶς ita pronuncies: *Tam facilè poterit Paris viuere sine Oenone, quàm Xanthus cursum suum retrorsum tenere.* Atq;, vt verum dicam, maxima prouerbiorum pars potest tum ad inuentionem dialecticam, tum ad eloquutionem, præsertim troporum referri, vt vtriusque artis vi & facultate quotidie possint longè plurima Adagia excogitari. Hoc dum te admoneo, ne putes id fieri alio loco; quòd hîc in Grammaticis versemur: locos enim aliunde citatos explicamus, idque fecimus impulsu Porphyrionis veteris interpretis, qui hunc locum appellet παροιμιώδη.

Tu coemtis.] Iccius emerat bibliothecã Panætij Philosophi Stoici: ad cuius exemplum Cic. scripsit libros de Officiis. Ille natione fuit Rhodius, & Scipionis Africani & Lælij magister.

Libros.] Quia chartæ primùm cæperunt de cortice & codice arborum & fruticum confici, inde libri nomen suum sortiti sunt: ita Græci βίβλον denominarũt à quodam genere iunci, Nilotici & arundinis, cuiusmodi est & Papyrus & biblus è quarum philyris chartæ præparabantur, vt ex Plinio cognosces Satyr.4.l.1. sub fin.

Loricæ.] Lorica dicitur à loris & corrigiis coriaceis, ex quibus eam primùm contexuerunt Iberi Hispani: Græcè

Græcè dicitur θώραξ & θωράκιον, quòd pectus muniat in bello: deindè à materia χαλκῆς, πάνοπλος, χαλύβεος, Lorica ænea, ferrea, solido chalybe constans.

Tendis.] Simplex, pro, *contendis* & *conaris*. Hæc lectio videtur potior alterâ, quæ habet *temnis*, quamuis hæc placuerit Porphyrioni.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile nonæ. Ode est in dialogismo interrogatis Poetæ & respondentis Icci: quam verisimile est decantatam fuisse, quum Augustus exstrueret expeditionem in Parthos, Medos & Arabas.

[a] Metonymia est effecti pro efficientibus homines possessores tales, vulgi iudicio.

[b] Metaphora à saporibus, pro aspera & dura.

[c] Synecdoche speciei pro populis Orientalibus.

[d] Synecdoche generis pro manicis & pedicis. Hîc videtur πάθος Poetæ requirere notam interrogantis.

[e] Subiectio est, vbi Iccius inducitur tacitè respondens solùm ad alterum postulatum. Hæc sententia, quæ mihi probabilior visa est, non improbanti tamen alteram, requirit notam interrogationis post *vnctis*, & illam delendam, quæ est post *paterno*.

[f] Metonymia effecti pro efficientibus & nobilitantibus ingenia hominum.

[g] Altera metonymia, sed subiecti pro scripta Socratis doctrina.

Ode XXX. Ad Venerem.

Theticum.

Deuocatur Venus ad ædiculam ipsi consecratam à Glycera, præsentiâ sui numinis cohonestandam.

Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Ture te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.

[2] Feruidus tecum puer [a] & solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et primùm comis [3] sine te [b] iuuentas,
Mercuriusq;.

Analysis Dialectica.

QVidam existimant præsentem Oden esse quoddam epigramma in ædiculæ & sacelli dedicationem: quod Glycera priuatim Veneri posuerat domi cum ara: qualem consecrationem Græci solent τὰ ἐγκαίνια vocare, ac definire πάω ἑορτάω, καθ' ὧ ἐκαινουργεῖτό τι, *festum quo aliquid fieret noui.* Ratio autem cur Dea eò deuocetur, è collatione minorum affertur: quòd illa debeat in ædem venire Glyceræ eamque Cypro, quamuis dilectæ, longè anteponere. Approbatio huius propositionis nulla subnectitur apertè, nisi velis ex eo illam deducere, quòd Glycera copiosè pia tura, odoresq; sit incensura, quorum honore Deam illic sanctissimè coli omnes prædicabunt.

2 Celebritas dedicationis ex adiuncto comitatu duorum Deastrorum; Cupidinis ac Mercurij, trium Gratiarum & Nympharum; Deæ iuuentutis explicatur, quos omnes vnà deuocat tanquam pedissequos & ministros, atque ὡς θεὸς συμβιώτας καὶ συμβώμους, *vt conuictores, eademq; ara fruentes.*

3 Hîc aperitur ratio comparationis ex efficiente, dū Venus constituitur omnis venustatis ac suauitatis parens, quibus nisi Dea iuuentutis Diique quæstus & eloquentiæ decorentur, parum solent aliis placere, id est, iuuenes ipsi tam mares, quàm fœminę, nisi comites habeant Gratias & Nymphas, sunt morosi ac difficiles: qualem valdè suspicor Glyceram fuisse contra vim ac naturam nominis sui.

Enarratio Grammatica.

O *Venus.*] Hic versus prior videtur nonnullis ex Aeschylo expressus, loco tamen minimè adhuc indicato:

Κύπρι, Πάφιε, ἔχουσα πάντα κλῆρον·
Cypri & Paphi tenens omnem hæreditatem.

sicut posterior ex hoc Alcmanis Lyrici Poetæ:

Κύπριν ἱμερόεσσαν λιποῦσα καὶ Πάφον θεσπεσίαν·
Vbi reliqueris Cyprum optabilem & Paphum circumfluam. De Venere iam antè satis in Gram. Odarum 2. & 3. dictum fuit, sicut de Glycera Ode 19. Quare si quid de iisdem hîc desideres, inde poteris repetere.

Cnidi.] Straboni l. 14. Cnidus est vrbs Carię, non gemino solùm portu insignis, sed clarissimis etiam viris: Eudoxo mathematico Platonis condiscipulo: Agatharside historico Strabonis æquali: quem tamen Plutarch. in historia Persica facit Samium: Theopompo, qui familiaris Cæsari fuit, & Ctesiâ rerum Syriacarum & Persicarū scriptore. Pausanias scribit in Atticis Venerem in ea vrbe religiosè cultam fuisse.

Paphi.] De hac Cypri vrbe lege Strabonē li. 5. & Plin. li. 2. quibus addo Eustathium de ipsius etymo Odyss. ϛ. ἀπὸ τὸ ἐπαφᾶσθαι ἢ ἀπαφίσκειν, à leniter attingendo, aut blandè decipiendo; propter mollitiem Paphiorum, qui sunt aliquando dicti Erythræi, vt locus Erythræ, arum: vnde Paphiæ Veneris templum.

Sperne.] Id est, desere Cyprum, vt contrà Ode 25. antè dixit, *ianua limen amat*, hoc est, non deserit, sed illi semper adhæret.

Ture.] Ratio huius vocis Latinæ & λίβανος Græcæ huic respondentis, petenda est ex Ode 19.

Aedem.] Grammatici deflectunt hanc vocem ab aditu plano: & notat hîc domesticum sacellum, quasi Lararium quoddam aut in eo βωμόν τι, *aliquid aræ impositum.*

Zonis.] Ζώνη est vox Græca ἀπὸ τὸ ζώννυσθαι, quòd ea corpus cingatur, & idem, quod ζῶνα καὶ ζωστὴρ, cingulum & cinctus.

Gratiæ.] Lege Gratiarum nomina in Grammaticis Od. 4. Gratiæ autem dicuntur discinctæ, quia debent animi amicorum nudi, aperti & ab omni suspicione mali omninò vacui esse: item connexæ, quia complexu amoris adamantino constrictæ tenentur. Sed de Gratiis lege Senec. l. 1. de benefic. c. 3.

Nymphæ.] Etymum τῶν Nymphæ & definitionem & distributionem repete è Gramm. Od. 1. l. 1.

Iuuentas.] Hæc Dea iuuentutis creditur, & iuuenta Poetis est ætas ἥβη Græcis, filia Iouis, oratorib. iuuentus. De hac iuuentutis Dea sic Liu. 5. Decad. 1. ad fin. *Hîc, quū augurato liberaretur Capitolium, iuuentas Terminusq;, maximo gaudio patrum nostrorum, mouerì se non passi sunt.* De Mercurio copiosè dictū est Ode 10. huius lib. ad ipsum.

Expli-

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

a Synecdoche generis pro Cupidine, de quo lege Grammatica Odes 19.

b In *Iuuentus* & *Mercurius* quidam agnoscunt metonymiam efficientium, pro *iuuenibus ac eloquentibus & bene nummatis hominibus*, qui tales fiant ab his Deastris, vt falsò Ethnicis olim persuasum erat: possunt tamen propriè sumi.

ODE XXXI. AD APOLLINEM.

Theticum.

Ab Apolline postulat, rebus iam partis contentus, integritatem mentis ac facilem iucundamque senectutem.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? b quid orat de patera nouum
Fundens c liquorem? non opimas
Sardiniæ d segetes feracis:
e Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:
Non f rura, quæ Liris quietâ
g Mordet aquâ, taciturnus amnis.
h Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna, vitem: 2 diues & aureis
Mercator i exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata k merce,
Diis carus ipsis: quippe ter & quater
Anno reuisens æquor l Atlanticum
Impunè: me m pascunt olivæ:
Me Cichorea, leuesq; maluæ,
3 Frui paratis & valido mihi
Latoe dones, n & (precor) integra
Cum mente: nec turpem senectam
Degere, nec citharâ carentem.

Analysis Dialectica.

POstulationis præcipuum argumentum est è loco dissentaneorum diuersorum: quæ tu sic breuiùs atq; clariùs enuncies: *Poeta non postulat ab Apolline bona externa: sed interna.* Prior autem huius dissensionis pars constat distributione quadam ex accessione bonorum externorum, quæ sunt fruges, greges, aurum, Indicum ebur, prata irrigua, vina generosa, Syriaca merx.

2 Quidam hîc putant & agnoscunt argumentum esse à consequentib. hoc modo: *Hic mercator nauigat saluus & incolumis, & percurrit quater in anno mare Atlanticũ*; id est, *Oceanum occiduum: ille igitur est Diis carus.* Quòd si εἰς τὸ ἀνάπαλιν pronuncies: *Hic mercator est Diis carus: potest igitur tutò, quoties velit, se suasq; merces credere mari:* vtrobiq; animaduertes enthymema, cuius argumentum est à causis ad effecta, vel reciprocè, ab his ad illa, vt se mutuò solent afficere. Vetus quidem interpres monet *τὸ quippe ter & quater anno reuisens æquor Atlanticum* argumenti loco positum, ad probandũ quàm carus sit Diis hic mercator: sed argumenti genus non designat. Itaq; hæc tuta per mare negotiatio auctores habet Deos, & ipsa effecti rationẽ. Præterea vox, consequens, pertinet ad iudicium partem Dialecticæ secundã, siue illud fuerit simplex in enũciato, vel compositũ in Syllogismo, non autem ad inuentionẽ: &, si ego darẽ ad hanc pertinere; singulare tamen argumentũ non esset, non secus atq; antecedens: sed vtrumq; ad locũ adiunctorũ, vt omnes circũstantiæ, siue rem antecedant siue cõsequant, siue in re ipsa insint, siue circumstent eandẽ, pertineret.

3 Altera est pars diuersæ dissensionis de bonis internis, integritate mentis (quâ coniunctâ cum sanitate corporis, nihil potest optabilius homini contingere: itaq; cuiq; *Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano*) actuosa, laudabili & honorata senectute. Eo autem nomine: Βίωμὲν δεῖμ' ἔφασκον ὀνειδίζειν τὸ γῆρας, εἰ, ὃ πάντες δ' ἐχόμεθα ἐλθεῖν, *Bion dicebat senectutem non esse exprobrandam, ad quam peruenire omnes cupiamus.* de musica delectatione: cuius suauitate diximus Ode 1. Solonẽ leuasse incommoda ingraescentis ætatis.

Enarratio Grammatica.

QVid dedicatum.] Inter multa opera, quæ Sueton. ab Augusto condita recenset in ipsius vita c. 29. extructum est templum Apollinis in Palatio, quod de ipsius nomine nunc Apollinem dedicatum appellat Poeta, idq; post bellum Actiaticum: quòd Apollo fuerit in eo & in aliis præsentissimo ipsi præsidio: vel quòd ei Poeta ipse sacrarium apud se excitârit Augustus: præterea ibidem variâ & multiplici Musarum suppellectile Bibliothecam instruxit, sicut idẽ historicus in ipsius vita, & Dio lib. 53. memorant. Ideo dicitur Palatinus Apollo Epist. ad L. Florum lib. 1.

Orat.] Si oratio teste Diomede dicitur, quasi oris ratio, vel à Græca origine τῶ ὀρείζειν, *à colloquendo*, cuius vsus ostenditur ex Iliad. χ. τῷ ὀρειζόμενοι, *ipsum quoq; primigenium orare* inde manare verisimile est.

Nouum liquorem.] Malo interpretari de primitiis vini, quæ magis conueniunt nouæ dedicationi: quàm ad illius vtilitatem referre istam nouitatem: id igitur valebit, libans Diis primitias, quem libandi morẽ sic Virgil. in precibus ac vocis Anchisę expressit 3. Aen. v. 525.

Tum pater Anchises magnum cratera coronâ:
Induit, impleuit q; mero, diuosq; vocauit
Stans celsa in puppi.

Opimas.] Vates non poscit, scilicet, opimas segetes. Hoc autem epithetum deflectunt Grammatici ab Ope terra, & vxore Saturni ad vbertatem loci notandã: cuius tamen etymon paullò fuit aliud Ode 7. huius lib.

Sardiniæ.] Insula est in mari Tyrrheno, vt Cyrnus in Tusco, id est, Corsica: útraq; soli bonitate & copiâ frugũ à Dionysio valdè celebratur, & à Ptolemæo l. 3. c. 2.

Calabriæ.] Est regio Italiæ calida, quæ creditur aptior ad pecus alendum aliis.

Armenta.] Grammatici putant ab arando, quasi aramentum, flecti, pro grege maioris pecoris & ad agriculturam aptioris.

Ebur Indicum.] Indicum ebur magis celebratur, quàm Mauritanum: quia illic maiores sunt Elephanti quàm hîc: vnde Virgil. 1. Georg.

India mittit ebur, molles suaturaSabæi.

Liris.] Fluuius est Campaniæ defluens ex Apenninis montibus per Soram, Fregellas, & Minturnas.

Calenâ falce.] De vino Caleno dictum est antè in Grãmaticis Odes 20. ac dicetur posteà Ode 12. l. 4.

Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis——

Culullis.] Hęc pocula sunt & calices grandiores, olim fictiles,

fictiles, ἐστοκοεισικῶς dicti à culleo: vnde culleolus, & hinc rursum culullus, quo sacrifici vtebantur.

Reparata.] Id est, emta nummis prouenientibus è venditione aliarum mercium, vt simplex parare emtionis verbum est huic Poetæ Satyr.3. lib.2.

——*Seruásne tuos, quos ære parâris?*

Et Lucano lib.1. *magno regna parantur.* Item Terent. in Adelph. Act.1. Sc.1. vbi sic Mitio de adoptato Aeschino (in quo cernitur genus quoddam emtionis) secum deliberat: *Vah! quemquámne hominem in animo instituere aut parare, quod sit carius, quàm ipse est sibi?* Reparare igitur est iterum emere aliquid pecuniâ alia venditione conflatâ, vel potiùs re rem aliam mercari, vt iunctura sit è casu auferendi τὸ *res* & verbo, si ratio carminis hoc ferret. Verbum sanè iurisconsultis perusitatum. Quàm autem vetus sit consuetudo rerum permutandarum, testis est Homerus Ἰλιαδ.λ. versu 482. ad finem: Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο, &c. vbi Eustath. annotat: ἀμοιβαῖς γὰρ οἱ παλαιοὶ ἐχρῶντο, καὶ οὐ νομίσμασιν· ὅπου γὰρ ὧν παρῆσάν νομίσματα ὑπῆρχον καὶ δηλοτιοῦ ἐν ἀνθρώποις, id est, *Permutationibus veteres vtebantur, non monetis & nummis: quia nondum liber usus nummi seruos faciendis erat inter homines.*

Merce Syrâ.] De Syra merce lege Plin.l.5. Dionys. & Strabon. lib.16.

Quippe reuisens.] Aetiologicum est & participium pro *reuisit*, metri gratiâ, vt Virg. *Quippe vetor fatis:* Aen.1. Oratores ferè huic particulæ substernunt *qui, quòd, quia & quoniam.*

Anno.] Hoc Græcè dicitur, κατ' ἐνιαυτὸν τοὺς καὶ τετράκις τῷ Ατλαντικῷ θαλάσσαν ἀνεπισκεπτόμενον. Festus τὸ annus à Græco ἔννυον inclinat. Seru. ab *annulo* vel ab ἀναννεῦσθαι, ab innouatione.

Aequor Atlanticum.] Id est, Oceanum occiduum, qui sic dicitur à monte Atlante è Mauritania illuc producto & extenso: cuius habes quandam descriptionem 4. Aen. ad v. *Oceani finem iuxta, &c.*

Impune.] Id est, sine naufragio & iactura mercium, ac discrimine vitæ.

Pascunt.] Petit ab Apolline cibum ἐυποιεισικὸν *paratu facilem & vilem*, non exquisitum & lautum.

Cichorea.] De his herbis lege Theophrast. lib.7. ca.7. Dioscor. l.2. c.160. & Plin. l.19. c.8. vbi multùm variat huius vocis orthographia & genus. Theophrasto est ἡ κιχώρη: Dioscoridi τὸ κιχώριον: Nicandro τὰ κίχορα: Polluci τὰ κιχόρια: quod postremum vsurpauit noster Poeta, vt ratio metri postulat. Dicitur aliter Græcè σέρις & Latinè intybus, & ponitur ἐν τοῖς ἀγριαίοις λαχάνοις, *inter olera aruentia:* vnde 4. Georg. amara intyba. Κιχώριον autem videtur ductum, ὡσεὶ διὰ τοῦ χωρίου κίνημα, τοῦτ' ὅτι πορεύσεως, *quòd per agros & prædia serpat.*

Malua.] Appositè ad vim huius herbę: μαλαχὴ enim & μαλαχὸς ὡσεὶ τὸ μαλάττειν, à *molliendo & leuãdo* Græcè dicit.

Latoe.] Κτητικὸν ὄνομα αὐτὸ παρὰ τὸν μητρὸς Λητοΐδης ἢ Λητωνίων· ἀπὸ Λητὼ enim deflectitur Λητῶος, Latonius pro, Latonides Apollo.

Nec turpem senectam.] Hæc particula negandi vim suâ tantùm exercet in epithetũ, *turpem*, vt illud priuet suâ infamiâ, vt in illo Virg 3. Georg. v. 96.

Nec turpi ignoscere senectæ.

Vbi agricola monetur, vt quum animaduertet equum admissarium aut morbo grauem, aut annis segnem deficere, illum remoueat ab admissura & domo abdat: istud est parcere senectuti equi in iuuenta honestè munus ineundi equas exsecuti: quàm alendi equos labore confectos, multoque magis seruos, humanitatem Plutarchus in Catone maiore requisiuit: de quo lege ipsius vitam sub initium.

Explicatio Rhetorica.

METrum est nonæ simile. [a] Obliqua & imperfecta est quędam prosopopœia, vbi sermo ipsius Poetæ leuiter tertiâ personâ repræsentatur. Potuisset enim dicere: Ego posco Apollinem hoc vel illud per mea sacra. Quidam interpretantur Apollinem ἕπικῶς, pro templo vel simulacro, vt metonymia sit adiuncti pro subiecto: in quo quidem cõstituerim quandam εἰκονολατείαν, nisi viderem in ipsius Cacodæmonis imploratione non minorem subesse impietatem: itaque ego malo naturam & propriam retinere significationem.

[b] In *quid* repetito est Anaphora. [c] Synecdoche generis pro vino nouo. [d] Metonymia adiuncti pro agris fertilibus. [e] Multiplex est Anaphora, i. Epanaphora hoc vocabulo sæpiùs repetito. [f] Periphrasis est synecdochica, pro oram Fregellarum, Soræ, & Minturnarũ: quæ loca mordet & alluit Liris ex Apennino monte defluens. [g] Metaphora ab animantibus pro, legit & alluit: sic antè lambit, & alibi rodit, secat. [h] Permissio est, quæ potest intelligi de vindemiatione, quę fit cultello & presso pollice, vel calcatione vuarum in torculari vel cuppa. Cur autem hîc potiùs agnoscam permissionem quàm concessionẽ, quæret forsan aliquis, malo equidẽ agnoscere propterea, quod licentiam factorum, verba *premere vitem & exsiccare vina*, magis designare, quã dictorum vel argumẽtorum condonationem indicare video. [i] In vina exsiccet similem agnosco tropum, qualem Seruius statuit Æneid.1.

Crateres magnos, statuunt & vina coronant. Coronat autem exponit per implet vsq; ad marginem, &c. [k] Synecdoche est generis pro aromatis, quæ ex Arabia camelis in Syriam aduehebantur: alij tamen malunt intelligere de auro & argento. [l] Synecdoche speciei pro Oceano. [m] Metaphora est à pecore, pro delector parabili cibo & olere hortensi & aruensi. [u] In *&* & *nec*, bis repetitis duplex est Anaphora.

Ode XXXII. De Testvdine.

Theticum.

Carmina sua priùs à testudine decantata publicari, immortalitatiq; consecrari, aliaq; deinceps huiusmodi ab eadem recini exoptat, ab amicis rogatus.

Poscimur, siquid vacui sub vmbra
[a] *Lusimus tecum, quod & hunc in annum*
[b] *Viuat & plures: age dic Latinum*
Barbite [c] *carmen:*
Lesbio primùm modulate [d] *ciui:*
[2] *Qui* [e] *ferox bello, tamen inter arma,*
[f] *Siue iactatam religârat vdo*
Littore nauim;
Liberum & Musas Veneremq; & illi
Semper hærentem [g] *puerum canebat,*
Et Lycum nigris oculis nigróque
Crine decorum.
[3h] *O decus Phœbi, & dapibus supremi*
Grata [i] *testudo Iouis, ô laborum*
Dulce lenimen, mihi cunque [k] *salue*
Rite vocanti.

Analy-

Analysis Dialectica.

POeta initiò dicit se posci à Mæcenate & ab amicis, vt, si quod haberet in scriniis atq; schedis carmen abditè latens, illud cum aliis libenter prolatum in apertum communicaret. Itaque exsuscitat velut sopitam suam testudinem, priùs ab amicis sic ipse sollicitatus, parium collatione, ad secum deinceps Latinè pariter æqualiterque concinendum, atque quondam Græcè eadem modulata fuerat cum Alcæo Lesbio.

2 Hic vates loco è diuersis commendatur: Quanquam ille tũ vehementer occupatus esset in bello contra Tyrannos gerendo; canebat tamen Deos, Deasque & amores. Expulit enim Mytilenis vrbe Lesbi insulæ hos Tyrannos, Pittacum, Myrsilim & Tyrrhenos, atque cum Atheniensibus bellum gessit, vnde fortis vir in sua Republica fuit cognitus, ait Cic. 4. Tuscul.

3 Lyram celebrat ex adiunctis, quæ possunt clariùs per effecta pronunciari, vt iam monuimus in hæc verba Odes 1. huius libri: *Mæcenas præsidium & decus meum:* quòd illa Apollinem exornet: dapes Iouis suauitate soni & modulationis condiat: remedium molestiis afferat. De priori quidam locus est Iliad. α. vbi Poeta inducit Apollinem citharâ canentem, & Musas ipsi ἀμοιβαίως & vicissim respondentes: nam sine cantu & Musis & Charitibus nihil est iucundi in conuiuiis, vt canit Pind. Od. vltimâ Olymp.

—Οὔτε γὰρ Θεοὶ Σεμνᾶν χαρέντων ἄτερ
Κοιρανέοντι χόρων Οὔτε δαιτὸς.

Neque enim Dij venerandis sine Gratiis regunt choros neq; sacras dapes.

Enarratio Grammatica.

POscimur.] Grammatici tradunt inter hæc petendi verba; poscere, petere, postulare, obsecrare, flagitare, expostulare, licet maximam habeant notionis affinitatem, aliquid interesse tamen. Nam poscimus pro imperio, pro quo Agrætius dicit, poscitur improbè, quæ notio aptissimè quadrat ad lectionẽ codicis Blandiniani *poscimur*, quam Cruquius protulit & Geor. Fabrit. è Porphyrione, vt intelligamus Horatium posci à Mæcenate cæterisque amicis vtrisque potestate præditis imperandi (tribuitur tamen hoc verbum fabulæ, quæ posci vult, vt est in Epist. ad Pison.) publicationem carminum, quæ priuatim cecinerat meditatus. Hanc autem promulgationem videntur verba *hunc in annum viuat & plures*, subindicare: petimus precariò: postulamus iure, pro quo Agrætius ponit, postulatur honestè: obsecramus per rem sacram: flagitamus cum crepitu minaci & vehementiùs, quàm quum poscimus: expostulamus cum querela. Non inuenio tamen hanc differentiam perpetuò veram.

Vacui.] Sumitur absolutè, vbi intellige, liberi ab omni alia curatione, vel animo vacuo & maximè curis soluto.

Barbite.] Hoc videtur sumtum ex illo Sapphonis, Ἄγε μοι δία χέλυ φωνέεσσα ἀμβροτο· *age diuina testudo, esto mihi vocalis*, quod citatur ab Eustathio in primum vers. Ιλιαδ. α. De voce Barbitus vide Grãmatica Odes 1. & de Lesbo & Alcæo Od. 12. l. 2. Sic quoque loquutus est Homerus Ιλιαδ. Α. in concione Achillis ad Achiuos,

Αλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, id est,
Sed age, aliquem interrogemus vatem.

vbi notæ Scholiastæ sunt huiusce modi, ἰστέον ὅτι τὸ ἄγε ἔχει Δωρικῶς ῥῆμα προστακτικὸν ἀλλ' ὡς ὀπτέον ῥῆμα παρακελευστικὸν ἐπὶ τὸ φέρε, εἶα. ἄγει, δεῦρο καὶ τὰ ὅμοια τούτοις καὶ πληθυντικὸν ῥῆμα σὺν τάσει τρίτῃ· 1. *Scendum est, age non esse verbum pure imperandi, sed vt aduerbium hortandi. qualia sunt hæc quatuor & alia similia; quorum est proprium construi tam cum singularibus, quàm cum pluralibus*, vt age, agedum apud Latinos, Ciceronem, *age ista studia diuina omittamus.* Item Quintilia. *agedum, prospicite squalida arua*, vtrunque cum plurali verbo, partim cum prima, partim cum persona secunda.

Ferox bello.] Festus putat bellum à belluis dictum, & Seruius κατ' ἀντίφρασιν, vult hic interpres nomine belli etymon significari ex dissentaneis esse; qualis est notatio sequentium, *Parcæ, Lucus, Eumenides, Ludus*, & similium. Bellum enim ἀποκοπικῶς ducitur à nomine boni, quum huius ne guttula quidem in illo sit. Malè autem tam Grãmatici, quàm Rhetores, illud nũc Grammaticæ præceptis, nunc tropis, nunc figuris adscribũt. Præterea Homerus simili antiphrasi πολὺ μάχλῳ vocauit χάρμῃ Ιλιαδ. Ν. aduers.

Χάρμῃ γηθόσυνοι, πολὺ σφίσι θεὸς ἔμβαλε θυμῷ· i.
Pugnæ studio læti, quod ipsis Deus immiserat in animum.

vbi Eustathius annotat, hoc non solùm fieri ἀντιφρασικῶς, sed κυρίως etiam; quia dum viri fortes propulsant iniuriam, summam inde percipiunt lætitiam. Nec tamen abesset à vero notario *bellum*, si deflecteretur sine vlla ratione dissensionis, sed consensionis ἀπὸ τοῦ βέλος, καὶ τοῦτο ἀπὸ τοῦ βάλλειν, τὸ πταίσκειν· ὅτι πᾶν τὸ ὑπὸ μηχανῆς βαλλόμενον, βέλος εἴρηται, i. *à belos, id est telum, & illud à ballein, quod est ladere ac vulnerare: quia quicquid è longinquo emissum ladit, belos Græcè dictum est: cuius est in bello vsus maximus.* Et Nonius sic distinguit à prælio; vt hoc sit pars belli, id est, congressio: & hoc discrimẽ firmat testimonio Lucil. lib. 26. *Populus Rom. victus vi & superatus præliis sæpè est multis: bello verò nunquam, in quo sunt omnia.* Vox autem Græca Πόλεμος vtrumq; significat, sed peculiariter pugnam ἀπὸ τοῦ μάχλου, vnde definitur φθοροποιὸν ἔρις, *exitiosa hominibus contentio*, & Grãmaticis notatur οἱονεὶ πολύαιμος· *quasi sanguine abundãs.* ὅτι τὰς πόλεις ἢ τοὺς πολλοὺς μείουσι ἢ ὀλλύουσι ἢ ἁμᾷ, *quod vrbes diminuit aut multos perdit & metit.*

Inter arma.] Ellipsis est disiunctiuę alterius ante *inter*, vt sit sententia, *qui ferox bello, siue inter arma, siue iactat, &c.* id est, siue πεζομαχίᾳ, siue ναυμαχίᾳ, *in pedestri aut nauali pugna.* Nam Seruio τὸ *iactari* dicitur in mari: τὸ δὲ *defatigari* in terris, initiò Æn. 1. Præterea notandum, circumstantiã temporis designari p nomina Latiniùs, quàm per gerundia: vt inter viam, quàm inter eundum; inter pocula quàm inter potandum: sic hoc loco inter arma, quàm inter pugnandum vel bellum gerendũ, vt alibi sæpè monuimus. Intelligenda est autem hîc útraq; pugnandi ratio; pedestris & naualis, cuius horis subseciuis Poesi vacabat. Ouid. sic loquitur lib. 11. Metam.

Ferox bello & ad vim paratus.

Hærentem.] Ode 19. tres memorauimus Cupidines, ad quos potest quartus aggregari è Symposio Platonis, vbi narratur Iupiter natalitia celebrasse cęteris Diis, in quibus quum Porus Metidis filius interfuisset, & se nimio nectare obruisset, in hortum Iouis secessit crapulam suam obdormiturus, quem quum Penia pauperras, quę illuc venerat mendicatum, obseruasset, & ad eum accessisset, accubuissetque, ex illius compressu tandem Cupidinem peperit, qui ætate progressus, maluit Venerem sequi & ipsi ministrare quàm Peniæ matri. Præterea Sappho, contra opinionem omnium, filium facit Cæli & Terræ: cuius figmenti epimythium vide in lib. Plutarch. de Iside & Osiride.

Lycum.] Puer fuit, quem Alcæus in deliciis habebat; licet in ipsius articulo næuus esset, vt Cicero scribit lib. 1. de natur. Deorum.

Nigris oculis.] Nigri oculi veteribus, sicut nigri capilli, ad aspectum venusti erant, vnde Tibullus:

Quæ caput & digitos & lumina nigra puella, &c.

& hic ipse poetea ad Pisones:

Spectan-

Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo:

Vnde Chryseis Iliad. α. dicitur ἐλικῶπις κόρητι, *puella nigriocula.* Vis tamen propria vocis ἑλίκωψ, ὥπερ ὁ ἠΐ ών. est qui volubili & celeri aspectu intuetur: atque Chryseis ἑλικῶπις definitur *οὐκ ἀτενὴς τῷ βλέμματι, ἀλλὰ εἰς ἑαυτὴν ἑλίσσουσα, quæ non defigebat oculos in aliquem obtutu immoto, sed in seipsam conuertebat*, quæ tamen hoc gestu verecundo in se aliorum oculos *flectebat*, spectatuque digna habebatur. Constat tamen ex Epitheto ἰοπλόκαμος, quod Pind. initio Πυθ. Musis tribuit, nigrum capillitium olim in pretio fuisse, vbi Scholiastes exponit illud διὰ τῶν μελανοπλόκαμος, & hoc colore forma Musarum elegans arguitur. Sic idem Poeta ibidem, sed εἰδ. ς. Venerem appellat Ἑλικώπιδα; quod idē sonat, atq; μελανῶπις, & hoc *διόφθαλμος.*

Dapibus grata.] Sic Telemachus Odyss. α. vocat κίθαριν ἠδ' ἀγλαΐα, μολπήν τ' ὄρχησίν τε τὰ ἀναθήματα δαιτός, *citharam perpulcram, cantum & saltationem conuiuij ornamenta.* quod autem dicit supremi Iouis, est interpretatio huius Pindarici, Νεμεορ. εἰδ. ια. Ζηνὸς ὑψίσου.

Cunq;.] Cunque apud hunc Poetam valet quandocunque: potest etiam explicari quolibet tempore, & iungi cum *vocanti:* qui casus regitur à *lenimen dulce*, vt sit sensus: *dulce mihi lenimē, quocunq; tempore tibi dico salutem:* attamen τὸ *cunq;* est quibusdam παρέλκον, productio & expletio quædam: qualem Donat. Act. 1. Sc. 1. And. in, *ades dum paucis te volo annotauit:* quales quoque Budæus in multis Græcorum particulis obseruauit.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

a Synecdoche generis pro specie, pro cecinimus: quem certè tropum malo notare, quàm pro eo dicere, more aliorum interpretum, Poetas hoc verbum solitos vsurpare in rebus amatoriis & ludicris vt Virgilium Tityro:

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Item in fine 4. Georg.

Carmina qui lusi pastorum.

b Metaphora à rebus animatis sensu & motu præditis, pro publicatum consecret æternæ memoriæ. Est prætereà exclamatio per optationem.

c Synecdoche generis pro Lyricum, Sapphicum à nullo anteà Latino Poeta decantatum: vnde quidam Alcæum putant inuentorem carminis Sapphici, & inter eos Hephæstio dubitat vtri sit attribuendum, ipsíne, an Sapphoni.

d Synecdoche pro Alcæo Poeta Lyrico Mitylenæo in Lesbo insula.

e Non est sumendum à feris pro crudeli, vt quibusdam placet, sed ab eo, qui audacter & fortiter magno animo fertur in prælium.

f Metonymia temporis à pugna vacui ac intermissi.

g Synecdoche generis pro Cupidine à Veneris latere nunquam discedentis.

h Anaphora est & exclamatio admirantis vim & opem suæ testudinis.

i Metaphora à domiporta vel à camerato tabulato.

k Metaphora ab animato ad inanimatum, cui bene precatur Poeta, quòd ipsius mærores & curas leniat in tempore adhibitum.

ODE XXXIII. AD ALBIVM TIBVLLVM.

Theticum.

Quòd Tibullus non debeat ægrè ferre perfidiam Glyceræ, quæ prætulerit ipsi in amore iuniorem riualem.

ALbi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, nec[a] miseræ biles
Decantes Elegos, cur tibi iunior
Læsâ præniteat fide.
[b] Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri [c] torret amor: Cyrus in asperam
Declinat Pholoen: [2] sed prius Appulis
Iungentur [d] capreæ lupis,
Quàm turpi Pholoe peccet [e] adultero.
[3] Sic visum Veneri: cui placet impares
Formas atq; animos sub [f] iuga aenea
Sæuo mittere cum ioco.
Ipsum [g] me melior quum peteret [h] Venus,
Gratâ [i] detinuit compede Myrtale
Libertina [4 k] fretis acrior Adriæ
Curuantis Calabros sinus.

Analysis Dialectica.

PRimo quaternione Odes quæstio continetur: quòd Albio non sit nimis dolendum, si à Glycera exclusus sit, post ingentem in ea fouenda pecuniam frustra consumtam, & riualis alter florentiori ætate nunc priores habeat partes apud ipsam. Hæc quidem propositio enunciatur maiorum cōtentione, dum Albius dicitur nitore formæ inferior esse anteraste suo. Ea vis est in verbo *præniteat*, quam habet præpositio *præ* in similiter coniunctis, vt in *præluceo* apud Cic. *ego meis majoribus virtute meâ præluxi.* Talis autem obseruatio τῆς *præ* priùs à Donato facta est in Adelph. Act. 2. Scen. 3. *Quin omnia sibi pòst putarit esse præ meo commodo*: vbi locus ex Eunucho eiusdem facultatis citatur, *Hîc ego illum contemsi præ me.* & explicatur, comparatione mei commodi. Valet igitur τὸ *præniteat; anteponatur tibi*, aut multò sit Glyceræ carior suo nitore, quàm tu: ad cuius propositi confirmationem vel potiùs consolationem præcipuum adhibetur argumentum è paribus exemplis repudiationis. *Formosa Lycoris contemnitur à Cyro; hic à Pholoe: itaq; consolare te his contemtionis paris casibus. Vnde perspicis optimè nihil tibi separatim à reliquis amatoribus accidisse.*

2 Prior comparatio parium augetur alterâ, admodum hyperbolica minorum collatione, qualis est illa Tityri Virgiliani:

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Antè peregratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Sed hîc protasis quadruplex est, prima est de pascendis in æthere ceruis: secunda de futura maris deficcatione: tertia de Araris fluminis Celtici deriuatione in Parthiam: quarta de Tigridis fluminis Asiatici alueo

in Germaniam deducendo, quibus vnica apodosis seruit. Similis est collatio Philippica 13. ad finem: *Priùs vndas, flammamq́, vt ait Poeta, nescio quis, priùs denique omnia,* subaudi τὰ ἀδύνατα connectas, *quàm aut cum Antoniis Respub. aut cum Repub Antonÿ redeant in gratiam.*

3 Eadem confirmatur decreto Veneris, quæ gaudet dispari coniunctione amantium, vel inter ipsas bestias. Seruius non agnoscit initio lib. 3. Aeneid. in *visum est superis*, vim vllam arguendi, quum annotat: *quoties non apparet ratio sic τὸ visum interponitur.* & hûc locum profert: sed falsus est: omnia enim testimonia tam diuina quàm humana, prędita sunt facultate arguendi ex auctoritate arguentis, virtute ac moribus contestata, & comprobata. Quò autem facilius & vehementius persuadeat Poeta, quod propositum est, ex aduersis, se in exemplũ adhibet: *expetitus sum*, inquit, *aliquando à meliori puella; ego tamen cæcus declinabam ad alteram deteriorem.*

4 Hîc rursus vtitur collatione minorum ad sæuitiam Myrtales notandam: quòd freta Adriani sinus Calabriam alluentis minùs sunt aspera & periculosa, quàm ista Myrtale libertina.

Enarratio Grammatica.

Albi.] Horat. Epist. 4. l. 1. appellat hunc Albium, candidum iudicem suorum sermonum: is autẽ fuit Elegiographus, sectâ Epicureus, de quo sic Fab. Quintil. scribit l. 10. c. 1. *Elegia Græcos quoque prouocamus: cuius mihi tersus atq; elegans maximè videtur auctor Tibullus.* Hic præterea bello Aquitanico dicitur interfuisse sub Coruino Messala à Mæcenate suo.

Ne doleas.] Id est, ne fortè conficias te dolore, vel vt ne doleas. Hîc particula (*ne*) videtur dici de fine, non de interdicto. Nihil tamen intererit ad vim argumenti, vtram in partem acceperis.

Nimio plus.] Gal. *beaucoup plus, qu'il ne faut.* Sic Cic. l. 10. ad Attic. *te nimio plus diligo.*

Glycerą.] Quando tam in re amatoria sæpè mentio fit huius mulieris; non possum dubitare, quin ea fuerit publicum, meritorium, venale scortum: vel nomen commentitium, quo voluit adumbrare proprium vel Nemesis vel Deliæ, quas verum est Tibullum amasse: nec illas Poeta voluit propter legem Iuliam & verecundiam nominare.

Elegos.] Elegia fuit initiò in nænia funebri vsurpata: ideoque quidam statim παρὰ τὸ ἐλέγειν τοὺς τεθνεκῶτας, deductum putarunt, *à celebrandis carmine mortuis:* vnde Ouid. 3. amor. Eleg. 1.

Flebilis indignos Elegeia solue capillos;
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Sed ego crediderim παρὰ τὸ λέγειν ἔλεον, à permouenda miseratione, vel, quod eódem spectat, ἀπὸ τῆς ἐε, i. αἰ αἰ interiectionibus miserantis: ad quod posterius etymon videtur Poeta hîc respexisse.

Cur tibi.] Id est, propterea, quòd tibi præferatur.

Tenui.] Priscis temporibus angusta frons puellarum breuis & modica plurimùm commendabatur: quibus autem deerant tales frontis angustię, curaturâ ἐξ εὐρυμετώπων ἐγίνοντο βραχυμέτωποι: sed hęc formę ratio nũc placet, nunc displicet pro moribus hominum & temporum conditione, vt frontones etiam interdum in pretio habeantur. Queritur Poeta Epist. 7. l. 1.

——reddes
Forte latus, nigros angustâ fronte capillos.

de amissa frontis breuitate, dum à latere Mæcenatis nõ discedit rusticatum. Itaque, nisi velit ipsum aliquot anni menses esse rure, curet ipsi iam senescenti & calui-tio latam, nõ naturalem frontem habenti, in integrum illam angustiam restituendam.

Lycorida.] Martialis l. 7. iocatur in mulierem huius nominis, quæ quum audiisset cælo Tiburtino ebur vetustate corruptum renouari, eò profecta est, vt candida fieret è fusca: sed inde tamẽ rediit nigra. Sic autem ille:

Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur:
Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti
Aura valet? paruo tempore nigra redit,

Est quoque Martial. l. 6. ad mulierum eiusdem nominis Epigram. alterum, quam, vt Glyceram, amauerat: sed alteram propter vnges repudiauit: alteram propter iuuentam retinuit:

Fœmina præferri potuit tibi nulla Lycori,
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod hæc est;
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

Quidam censent hanc Lycorin esse illam Virgilij in Gallo, quæ, relicto Gallo, secuta est M. Antonium, & eandem à Cicerone Citherin vocari.

Capreæ iungentur, &c.] Syncritica hæc sententia traducta est in parœmiam, quam Erasmus vocat figuram ad inæqualitatem siue rerum, siue personarum arguendam, quâ vsus est Aristophanes in pace Comœdia, ἐν κακῷ λύκος οἶν ὑμεναίοι, i. *prius sibi lupus iunget ouem.*

Pholoen.] Puto hoc nomen à Poetis esse confictum, ad naturam huius mulieris notandam: videtur enim deductum παρὰ τὸ φωλεὸν, δῆλον ὅτι τὸ σπήλαιον ἢ παρὰ τὸν φωλεάν, *à lustro & latibulo*, licet quantitas videatur repugnare. Huic tamen etymo huius pudici mores, si non essent ficti, videntur repugnare, quæ scortatoribus tam obfirmato animo facere copiam sui recuset. Est prętereà hoc nomen Horatio commune cum Tibul. Eleg. l. 1. *Non ego celari possum, &c.*

Desistis lacrymare puer, non frangitur illa:
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Diui
Nec prodest sancta tura dedisse focis.

Quàm turpi.] Id est, priùs, quàm copiam sui faciat Cyro turpi, suo iudicio.

Adultero.] Hæc vox propriè de coniugibus, vt facilè est cognoscere è 7. Polit. Aristot. sub fin. *Viri cum vxore aliena, vel vxoris cum alieno viro consuetudo, dum coniuges & erunt, & appellabuntur, in rebus turpissimis habeatur.* Talis fuit amor Panis in Echo, & huius in Satyrum, & ipsius in Lydam:

Ὅσσον γὰρ τήνων ἐμίσει τὸ φιλέοντα
Τόσσον ὁμῶς φιλέων ἠχθαίρετο, πάσχεν δ' ἄποινα:

Quantum enim quisq; eorum odisset amantem; tantum, qui amabat, inimicus fiebat, & pœnâ afficiebatur.

Depromti sunt hi versus è Bucolicis Moschi Siculi, & memorantur à Stobæo in serm. 6. de Venere.

Peccet.] Grammatici præcipiunt verbum *peccare* propriè locum habere in adulterio & deflecti à pellicatu. Philosophi tamen nonnulli γενικώτερον definiunt, vt *peccare* sit non congruenter conuenienterque perfectæ naturę viuere, à qua quoties homo discedit peccat. (quod est Christianis ab imagine Dei, ad quam homo creatus est, aberrare. Manet autem ille in imagine Dei tantisper dum habet eosdem sensus ac motus, quos habet Dominus, ait Tertullian. vt Sat. 2. l. 1. *Quid interest, in matrona, ancilla peccésve togata.* Vnde apparet ellipsin hic esse præpositionis τῆς in *adultero.* Dicit etiã Poeta Epist. 1. l. 2. *in publica commoda peccem.* Operę autem pretium spero me lectori facturum, si vocis Græcæ ἁμάρτημα significatione respondentis Latinæ etymon aperuero. Hamartia igitur ἐπιμολογεῖται ὑφ' Ἑλλήνων παρὰ τὸ μάρπω, καὶ ἀποβολὴν τοῦ π ἁμάρτημα, κυρίως ἡ ἀπὸ τυχόν, ἢ ὃ βάλλεται μὴ μάρψασα, ὃ ὄζιν ἀποτελοῦσα·

ἀπο τῦ ὕσα. ἔνθα καὶ μάρτυς, ὁ μάρ φας καὶ εἰδὼς τὸ ἀληθὲς, i. notatione declaratur à Græcis à verbo prehendo, & reiectione τῦ π fit ἀμβρία, quæ propriè significat infelicem successum, qui quod vult, non apprehendit, nec assequitur. Hinc etiam deriuatur martus, martyr, is est, qui verum tenet comprehensum, & nouit. verbum quoque ἀμβρόνω est ab eadem origine, σημαίνον τὸ ἀστοχάνω καὶ μὴ καταλαμβάνω, i. significans non assequor, nec apprehendo scopum propositum, sed ab eo aberro.

Iuga.] Quamuis hæc vox dici videatur à iungendo; proximè tamen accedit ad Græcam ζύγον, quam Socrates in Cratylo nullam certæ significationis notationem scribit præ se ferre: ideoque veteres meliùs pro eo dixisse δυοῖν ἀφ' ἑνὸς ἀγωγὼ δυοῖν, à compactione duorum.

Abenea.] Notatio huius vocis planum facit notam aspirationis esse ascititiam, & tãtùm ad vitandum concurrentium vocalium hiatum insertam, vt monet Agell. l. 2. c. 4.

Sæuo ioco.] Gaudet hic Poeta huiusmodi oppositione: facili sæuitiâ, compede gratâ, insipienti sapientiâ, inepto ritu beato, παρθένῳ ἀπαρθένῳ, νύμφῃ ἀνύμφῳ, ἀόλῳ μόλῳ. Potest hîc *sæuo ioco* explicari difficili oblectamento.

Ioco.] Quidam nomine ioci Deum intelligunt, de quo Ode 2. & ioco sæuo, id est, Deo immiti & difficili: alij ludum & res ludicras. De Adria fuit suprà sicut de Calabria.

Acrior.] Id est, vehementior, mobilior.

Curuantis.] Id est, commouentis æstu, & sinuoso decursu in Calabriam influentis.

Explicatio Rhetorica.

METrum tribus primis Asclepiadeum, vt in prima Ode: quarto Glyconium, vt in tertio.

a Metonymicῶs dicitur, pro misericordiam commouentes, effectum pro efficiente.

b Quidam est climax & gradatio: Cyrum deperit Lycoris. & Cyrus Pholoen, non tamen sic Pholoe adulterum: estque simul polyptoton.

c Metaphora vsu frequentissima; qualis est in *flagrare, vrii, ncendi, ardere, inflammari.*

d Alia est à pari boum, vel potiùs à concubitu bestiarum diuersæ speciei & naturæ ad infamem & inæqualem hominum coniunctionem fugiendam.

e Synecdoche generis pro Cyro adultero.

f Nota est translatio à bestiis iugalibus.

g Quædam est species parecheseωs & paranomasiæ in *me* & *melior.* h Metonymia est causæ pro formosa & aptioripuella, quę talis effingitur à Dea. Sic tropicῶs Virgilianus Damœtas pastor Eleg. 3. loquitur:

Parta meæ Veneri sunt munera. & Propertius Eleg. 1. lib. 1. *In me nostra Venus noctes exercet amaras.*

Et Plautus: *Tun' meam Venerem vituperas?* i. *amicam.*

i Metaphora à captiuis, sed tamen pro seruitute voluntaria & grata, quam libenter & iucundè seruiunt amantes, & puellarum, quamlibet difficilium & illiberalium, dominationem ferunt.

k Synecdoche speciei pro grauissimo quoque & periculosissimo loco.

ODE XXXIV. IN EPICVREOS.

Theticum.

Quòd Deos offenderit Epicureâ impietate.

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
[a] Vela dare atq; iterare cursus
Cogor relictos: namq; Diespiter
[b] Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumq; per purum tonantes
[c] Egit equos volucremq; currum:
[z] Quo bruta tellus & vagafumina,
[d] Quo Styx & inuisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusq; finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare & insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc [e] apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; [f] hîc posuisse gaudet.

Analysis Dialectica.

POsset hæc Ode meritò Palinodia dici: quia, quum Poeta sæpè in Deos multa impiè dixisset ex doctrina Epicuri; nunc illorum metu magis, quàm amore perculsus & afflictus, agnoscit τῇ τῶν Θεῶν ῥοπῇ πάντα διέπεσθαι τὰ ἀνθρώπινα, *Deorum trutinâ res humanas regi*, ac illorum prouidentiâ mundum administrari. Ista quidem certè resipiscentia laudabilis videretur, si verè & ex animo fieret. Doctrina verò Epicureorum & Cyrenaicorum erat; Diis res humanas non esse curæ, neque vlla bonorum virtute flecti, aut malorum sceleribus irasci: ideoque illos non esse metuendos, neque colendos, nisi cuiusdam diuinæ maiestatis nomine, idque perexiguo & raro sacrificio. Sed multò facilius dicemus præsentem Oden esse μετάνοιάν τινα, *quandam resipiscentiam*: resipiscit enim Poeta, mentemque suam quasi ab insania recipit, dum animum suum instituit ad rectiùs sentiendum de Diis. Mutati consilij & sententiæ ratio est è loco contradicentium: Dij res humanas non curant, nec tanguntur iis vel benè vel malè gestis ab hominibus: nunc cõtrà Poeta sentit, Diis res humanas summæ curæ esse, & virtutibus hominum ad bene merendum de ipsis moueri, eorundem vitiis irasci. Ex antecedente quidem parte contradictionis efficiebat Deos neque metuendos neque colendos.

2 Caussa resipiscentiæ in Ioue collocatur, quę è pluribus factis, è quibus alia opponuntur aliis, illustratur: quòd terras & maria concutiat ab ipsis sedibus: inferos quoque terrore & metu concitet: humilia infimaque extollat: sublimia deprimat: obscura illustret: clara obscuret: alios honoribus spoliet: alios amplissimis ornet: quod hic Poeta tribuit vni Ioui, Xenophon pluribus Deastris facit commune, οἱ Θεοὶ ἱκανοί εἰσι καὶ τὰ μεγάλα τοῖς μικροῖς ποιεῖν, καὶ τὰ μικρὰ, καὶ ἐν δεινοῖς ὄντα, σώζειν ἀπὸ πάντων, ὅταν βούλωνται), i. *Dij sunt idonei ad faciendum citò è magnis paruos: & ad conseruandum facile paruos, si versentur in malis; quum illi placet.* At Christiani debent hæc Deo creatori & gubernatori rerum omnium tribuere, atque 1. Sam. c. 2. cum Anna matre Samuelis canere: *Dominus occidit & viuificat: deiicit in barathrum & rursus euehit*, & quum iustus sit, non temerè calamitates & aduersa immittit.

Itaque Christiani nihil fortuitum sibi accidere censeant. Quæ tamen duo postrema tribuuntur Fortunæ, non Ioui. Vbi perspicias Poetæ inconstantiam in ethnica superstitione: imò verò impietate. Quod enim priùs dixit fieri τῇ τῶ Διὸς προνοίᾳ, *prouidentiâ Iouis*, id nunc temerè & fortuitò, nulloque consilio administrari scribit. Ad hunc quidem locum videtur per appositum, quod Stobæus citat libello περὶ κόσμου, ὅ γε ἐν νηῒ μὲ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δ' ἡνίοχος, ἐν χορῷ δ' κορυφαῖος, ἐν πόλει δ' νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δ' ἡγεμών, τοῦτο ὁ Θεὸς ἐν κόσμῳ. Πλεῖον καὶ ὅσον τοῖς μὲ πλοΐῳ νύμφιον, τὸ ἀπάρθενον· πρὸς δ' τὸ ἄνυμφον, τὸ πάρθενον, i. *retulit quidem ad nympham*, τὸ *non virginem*; *sed ad non nympham*, τὸ virginem. Sic Mars l.1.Epigram.Græc.c. 7 quæritur ἄχαεν χάεται τότε αὖ τῷ ἀποδίδοται, ὅτι ἄκλαυτοι κῶνοι, ἀναίμακτοι ἀσπίδες, κάμακες ἄκλαυτοι ἀνατίθενται· id est, *gratiam non gratiam referri tum, quum galearum coni non fracti, nec clypei cruenti, nec loricæ non fractæ illi dedicantur.* Ibidem dicitur κόσμος ἄκοσμος. Quales sunt etiam voces dissensione quadam coniunctæ, σοφία ἄσοφος, ὕπνος ἄϋπνος, γάμος ἄγαμος. Sic dissentaneam vsurpauit phrasin Buchananus in metrica paraphrasi Psalmi 19. vbi Prophetam homines Epicureos omnipotentiæ ac prouidentiæ diuinæ irrisores inuitat ad contemplationem orbium cælestium, vt illi de tam impia opinione, quòd curatio & administratio rerum humanarum esset indigna majestate ac felicitate Dei Opt.Max. moueantur;

Insanientis Gens sapientiæ
Addicta mentem erroribus impijs,
Tot luce flammarum coruscum
Cerne oculis, animoq; cælum.

gubernator est in naui, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator: id Deus est in mundo: nisi quod illis quidem magno sit labori & solicitudini talium rerum administratio: Deo contrà nulli molestiæ, nec labori sit moderatio huius vniuersitatis, semota ab omni corporis defatigatione, vt meritò dici debeat cura secura. Priorem partem de Prouidentia Dei Stoici & Platonici semper tutati sunt, & vita moribusque sequuti. Ad huiusmodi autem impiorum resipiscentiam pertinet, quod Synes. scripsit Epist. 161. Ἔστιν ὁ Θεὸς τῆς ὑμέρας πλάκις· ᾗ πρὸς ἱκετείας ἦσαν οἱ ἄνθρωποι τῷ ἰωῇς ἁπλοΐς· τὸ γὰρ ἔδαφος ἐκρᾶδαίνετο· *sæpenumero Deus de die* (πλὴν γλῶ, terram) *concutiebat: atque plerique homines* inde *timore inclinabantur ad supplicationes: solum enim tremefiebat.* Quod etiam Pindarus videtur comprobare initio ᾠδῆς π. ἀνπς. α. Ολυμπ. ex plerophoria oraculorum; quæ Olympiæ edebantur: vbi decantatur, homines magnis ornari virtutibus operâ piorum virorum Ioui supplicantium: quales Iamidæ fuerunt ad hos versus,

ἀνύεται δὲ πρὸς χάειν δι-
σεβέων ἀνδρῶν λιταῖς. i.
perficitur autem (hoc) in gratiam
piorum virorum precibus.

Simili argumento Cicero vsus est ad prouidentiam Dei contra Epicureos asserendam: quorum grauis ἐπίμησις, i. increpatio est ibidem, atque ειδ. θ. προφ. β. vbi reprehenditur tractatio rerum de tribus Diis, Apolline, Plutone, Mercurio ab Hercule deuictis, vt fabulosa & reprehensionis ratio redditur.

Επεὶ τὸ γε, λοιδορῆσαι
Θεὸς, ἐχθρὰ σοφία κ'
τὸ χαυνοῦσθαι χαιρὸν
μανίαισιν ξυνοχρέκει, i.
Quia grauia facere conuitia
Diis, odiosa est sapientia, &
Gloriari intempestiuè
Insaniæ consonat, i. Simile insaniæ; quod fit, dum Herculi homini Dij postponuntur.

Enarratio Grammatica.

Parcus Deorum.] Parcus, ait Phauorin. l.3.c.19. apud Agell. neque ab arca, neque ab arcendo, sed ab eo, quod est parum & paruum denominatus est. Itaque parcè, inquit, ac rarò veneratus sum Deos, doctrinæ Epicureæ errore implicatus, quo certè ego cæcatus eam fuisse summam anteà sapientiam putaui: quum mihi stultè ac impiè hæc persuasa esset sententia: Επιχάρις Θεὸς ἔστι πρᾶγμα ἔχει, ἔστι ἄλλοις παρέχει. *Deus Epicuri neq; negotiũ habet, neq; aliis exhibet:* quod est mera insania Christianis. Tale quid Suet. refert de Tiber. c. 69. *Circa Deos, ait, & religiones negligentior, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisq; plenus cuncta fato agi: tonitrua tamen prætermodum expauescebat, & turbatione cæli nunquam non coronam lauream ceruice gestauit: quòd fulmine afflari negetur id genus frondis.* Sed contrà, inquit Poeta, comperi posteà maximam esse insaniam: quòd ex animis hominum extraheret radicitus religionem: quum Diis immortalibus opem & gratiam tolleret.

Insanientis.] Hellenismus est: ita enim Euripides vocat in Hecuba Polyxenam Νύμφων τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον: quod Scholiast. sic interpretatur: Νύμφων, ὡς μνηστευθεῖσαν τῷ Ἀχιλλεῖ· ἄνυμφον, ὡς τῆ μυηστείας μὴ τελεσθείσης· *Sponsam, vt nuptam datam Achilli: sed cõnubio frustratam virginem non virginem.* Idem Scholiast. his addit, ἐπήγαγε πρὸς μὲ πλοῦ νύμφιον, τὸ ἀπάρθενον· πρὸς δ' τὸ ἄνυμφον, τὸ πάρθενον, i. *retulit quidem ad nympham*, τὸ *non virginem*; *sed ad non nympham*, τὸ virginem. Sic Mars l.1.Epigram.Græc.c. 7 quæritur ἄχαεν χάεται τότε αὖ τῷ ἀποδίδοται, ὅτι ἄκλαυτοι κῶνοι, ἀναίμακτοι ἀσπίδες, κάμακες ἄκλαυτοι ἀνατίθενται· id est, *gratiam non gratiam referri tum, quum galearum coni non fracti, nec clypei cruenti, nec loricæ non fractæ illi dedicantur.* Ibidem dicitur κόσμος ἄκοσμος. Quales sunt etiam voces dissensione quadam coniunctæ, σοφία ἄσοφος, ὕπνος ἄϋπνος, γάμος ἄγαμος. Sic dissentaneam vsurpauit phrasin Buchananus in metrica paraphrasi Psalmi 19. vbi Prophetam homines Epicureos omnipotentiæ ac prouidentiæ diuinæ irrisores inuitat ad contemplationem orbium cælestium, vt illi de tam impia opinione, quòd curatio & administratio rerum humanarum esset indigna majestate ac felicitate Dei Opt.Max. moueantur;

Insanientis Gens sapientiæ
Addicta mentem erroribus impijs,
Tot luce flammarum coruscum
Cerne oculis, animoq; cælum.

Satis enim est futurus harum rerum aspectus & contemplatio ad earum effectorem, & moderatorem agnoscendum Deum & sanctè colendum. Τοιαῦτα μὲ γνώμαι ξὺν ἰωῇσι· καλοῦνται ὀξύμωροι, i. *tales quidem sententiæ acutè videntur pronuntiatæ, sed non satis prudenter & accuratè*, vt ratio vocis μώρος, id est, etymon requirit.

Consultus.] Sapientiæ consultus, pro prudens & peritus sapientiæ, vt iurisconsultus.

Dieſpiter.] Sic dictus est olim Iupiter ex opinione Varronis l.4. de Ling. Lat. quasi pater lucis ac diei, vnde Lucretius etiam appellatus fuit, de quo, sicut de nominibus aliorum Deastrorum, lege Agellium l.5. c.12.

Igni coruſco.] Naturale quidem est fulmen, quod fit secretione crassarum nubium: sed quod accidit summâ cæli serenitate & tenuitate, est contra naturam ominosum, prodigiosum, infaustum, & malum portendit. Xenophon tamen scribit Ἑλληνικῶν lib.7. τότων δ' ῥηθέντων, ἐξ αἰθρίας ἀστραπάς τε καὶ βροντὰς λέγουσιν αἴσιας αὐτῷ φανῆναι· *Concione habita, dicunt fulgura & tonitrua apparuisse Archidamo fausta ex sereno cælo:* qualia memorantur Æn. 8.v.527. *Arma inter nubem cæli regione serenâ*
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare:
vbi Seruius notat *sudum*, quasi *subudum*, *serenum*, & sub finem:

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura.

Item in Octau. Suet. c. 95. *Monumentum Iulij Cæsaris filia ictum est fulmine liquido ac puro sereno.* idem in Tito c. 10. *tempestate serenâ tonabat:* de quo sic præcipit Aristot. l. 2. Meteor. c. 9. καὶ διὰ τί ποτε τοῦτο γίγνεται κατὰ τὸν αἰθέρα, ὅταν ὀπτανέφελον ᾖ μόνον, ἀλλ' ἐκ συνεχῶς ὄντος· αἰθείας δ' ὄσης ἐγίγνετο· *hoc est, & quamobrem hoc fit* in cælo, quum est nebulosum & concretum tantummodo, & non ita perpetuò: cælo autem puro & sereno non fit? vnde Lucr. l.6. docet.

Fulmina gignier è crassis altè q; putandum est:
Nubibus exstinctis. Nam cælo nulla sereno
Nec leuiter densis mittuntur nubibus vnquam.

Per purum.] Ellipsis est τῦ aerem vel cælum, quomodo Cic. 2. de nat. Deo. dicit: *Est aer purus & tenuis*, contrà crassus

craſſus & concretus. Sic Virg. 2. Georg. dicit abſolutè, vbi loquitur de pampinatione & frondatione manu, non ferro, facienda;

—Dum ſe lætus ad auras
Palmes agit lauis per purum immiſſus habenis.

vt Græci dicunt αἰθρίαν ſudum & ſerenum, & Ariſtot. li. de mundo ſic definit: Ἐςὶν ἡ αἰθρία ἢ λιθία οὐδὲν ἄλλο πλὴν ἀὴρ ἀνέφελος, καὶ ἀόμιχλος, αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ὁμίχλη· *Aethria eſt nihil aliud, niſi aer nubibus & nebulis vacuus, cui opponitur ὁμίχλη, nebula*, quæ definitur li. de mundo ἀτμώδης, αἰθυμίασίς τις ἄγονος ὕδατος, ἀέρος μὴ παχυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα· *Nebula eſt vaporifera exſpiratio quædam aquam non gignens, aere quidem craſſior, ſed nube rarior.*

Tonantes equos.] Poeta de opinione vulgi ſcribit tonitru eſſe velut quendam ſtrepitum quadrigarum Iouis: quum fiant, vt ſcribit Plin. li. 2. è conflictu flatuum in nube, ſicut fulmina ex ardenti eruptione eorundem, & fulgetra de tractu longiori. De his autem vide plura in Grammaticis Od. 2.

Quo bruta.] Vis ipſius tonitru cernitur in terra, montibus ac mari conquaſſatis motibus concitatis. τὸ *bruta* autem aliquando valet iners, ſed propriè ſtupida, grauis & tarda terra; quam Homerus ſub initium Ἰλιαδ. α. dicit χωλὴν γαῖαν, αὐτὴ τὸ αἰσθητον, vt Scholiaſtes interpretatur. Idem Seruius videtur explicare per *immobilis*, in verſ. Æneid. 10.

Et tremefacta ſolo tellus, &c.

vbi hunc citat locum. Bruta quoque fulmina, pro grauia & ab aliis dicuntur vaga & volantia, & quæ nullâ nituntur ratione, cur fiant, cælo præſertim ſereno.

Styx.] Stygem ponit Pauſanias in Arcadia: Strabo lib. 9. dicit aquam eſſe apud Pheneum, quam Poetæ faciunt paludem inferorum ἀπὸ τὸ στυγεῖν, i. *timere & odiſſe*, quod paullò aliter Seru. notat in v. Aen. 6. *Bis Stygios, &c.* Styx mærorem ſignificat, vnde ἀπὸ τῆς στυγερᾶς, à triſtitia dicitur.

Tænari.] Tænarus eſt promontorium Laconiæ, per quod eſt deſcenſus ad inferos.

Atlanteusq;.] Atlas mons eſt productus hinc ad mediterraneum, illinc ad Oceanum. Herodotus hunc ſic facit duplicem, vnum ad columnas Herculis, alterum ad Oceanum inferioris Libyæ.

Concutitur.] Quod propriè Græci dicunt βράχεται καὶ σείεται καὶ κεχαλάνεται, quod Plinius interpretatur, tremit & vibratur, & Sen. intremiſcit: ἀλλὰ κινεῖται, quia non fit hinc illuc motus; quanquam terræ motus vulgò huiuſmodi tremor vocetur.

Valet.] Hoc verbum ponitur pro altero verbo potentiæ.

Valet mutare.] Sic loquitur Virg. *Si valeo meminiſſe.* Sic quoque Suet. in Calig. cap. 3. *Et ſtatuæ reſtitui ſaluis titulis non valuerunt.*

Attenuat Deus.] Hæc ſumta ſunt ex initio operum & dierum Heſiodi:

Οὐ τε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε
Ῥητοὶ τ' ἄῤῥητοί τε Διὸς μεγάλοιο ἔκητι.
Ῥεῖα μὲν βριάει· ῥεῖα δ' βριθοντα χαλέπτει.
Ῥεῖα δ' ἀείζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Ῥεῖα δ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Quomodo mortales non minùs ſunt obſcuri, quàm clari, honorati, quàm priuati, ſit magni Iouis voluntate: facilè enim extollit: facile etiam elatum deprimit: facilè illuſtrem obſcurat, & obſcurum illuſtrat: facilè etiam prauum corrigit, & ſuperbum arefacit Iupiter altitonans.

Hæc rurſus ſumta ſunt è doctrina Hebræorum. Primus enim Dauid Pſal. 75. ſcripſit: *Dixi inſanis ne inſaniatis. & impiis, ne extollatis in excelſum cornu veſtrum, nec exaltetis cornu, nec loquamini collo pingui: quia nec ab ortu ſolis, neq; ab occaſu, neq; ab Aquilone venit exaltatio: quoniam Deus iudex eſt: hunc enim humiliat & illum exaltat:* vbi Propheta cohortatur omnes inſanos & impios, ne propterea ſibi vanos & magnos ſpiritus ſumant, quòd ſummos honores, potentiam, vires, ſummaſque fortunas conſequuti ſint, quum hæc omnia nuſquã terrarum diuendantur, neque ex vllo emporio aduehantur: ſed à Deo ſolo proficiſcantur, quod impiè tribuitur rebus conditis & creatis, & Fortunæ, vt ab Ouidio 3. de Triſt.

Nempe dat & quod cuiq; libet Fortuna, rapitq;:
Irus & eſt ſubitò, qui modo Cæſus erat.

Eôdem vocat Iobus cap. 6. Sic quoque Chilon ἐρωτηθεὶς τί ὁ Ζεὺς εἴη ποιῶν· τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ· τάδε ταπεινὰ ὕψοι, ἔφη· *interrogatus quid Iupiter ageret, deprimit ſublimia:* inquit, *& humilia extollit.* Hæc oppoſita Demoſthenes Olynthiaca 2. expreſsit comparatè verbis ἀφελὼν καὶ καθαιρεῖν, ὥσπερ ἂν διὰ τέτων, ἤρθη μέγας, ἵνα ἕκαστοι συμφέρον αὐτὸν ἑαυτοῖς φονται τὸ παράπαν· ὅπως ὀφελῇ διὰ ταῦτ' αὐτὸν τέτων καὶ καθαιρεθῆναι πάλιν· ἐπειδὴ πάνθ' ἕνεκα ἑαυτῶ ποιῶν ἐξελὴ λέλεκται, i. *Itaq; vt quibus artibus Rex Macedonum Philippus in altum ſublatus fuit, & magnus euaſit, quum vnuſquiſq; putaret eum ſibi aliquod commodum laturum: ſic iiſdem ipſis debet etiam è cõtrario deprimi. Siquidem ſua ipſius commoda ex omnibus alienis ſibi comparaſſe deprehenſus eſt.* Ita Cicero hęc oppoſuit, *Etiamne vos meam fortunam deprimitis; veſtram extollitis?* pro hoc loquendi genere Sen. dicit lib. 1. cap. 1. de Clementia, inducens conſcientiam Neronis Cæſaris ſic loquentem, *alium dignitati donaui; alium humilitati.*

Inſignem.] Quem Græci dicunt ἀρίζηλον καὶ ἀρίδηλον.

Apicem.] Feſtus deflectit τὸ *apex* à priſco verbo *aperè*, quod ſignificat aliquid vinculo comprehendere.

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt nonæ ſimile. Hanc inſanientis ſapiẽtiæ apertam diſſenſionem inter ſubſtantiuum & adiectiuum Rhetores appellant ὀξύμωρον, i. *acutè ſtatuã*: quales aliquot ſunt iam in Grammaticis notatæ, & poſtea obſeruabuntur aliæ. Quintilianus eam diſſenſionẽ nomine ſententiæ dignatur; quàm rectè, quiuis iudicare poteſt ex his, ὀξύμωρον *eſt ſententia ex periculo petita, ſeu ita affectatè & acutè pronuntiata, vt primo intuitu fatua videatur: ſed tamen poſteà peculiari acumine coniuncta deprehendatur:* de quo plura dicentur, ſi Deus voluerit Epiſt. 17.

[a] Allegoria eſt à nauigatione, quam Perſius expreſſiſſe videtur per *funem reducere* Sat. 5. Eandem *Plato* vſurpauit in Phædone & Ariſtot. ad fin. l. 2. Ethic. vbi docet rationem medij inter duo extrema vitioſa inueniendi, quum ſcribit, Ἐπεὶ οὖν τὸ μέσον τυχεῖν ἄκρως χαλεπὸν, κατὰ δεύτερόν φασι πλῶν, τὰ ἐλάχιστα λυπηρῶν ἑλόμενον τῶν κακῶν· τοῦτο δ' ἔσται μάλιστα τῶν τρόπον, ὃν ἐλέγομεν, i. *Quoniam igitur ſummè arduum eſt modum conſequi, ſecundâ nauigatione vtendum eſt, vt abiit in prouerbium & minima malorum ſunt ſubeunda; idq; continget ad hunc, quem diximus modum:* ὁ δὲ τερὸς δὲ πλοῦς λέγεται, ὅτε ἄπορος ὢν τις ἀείᾳ κώπας πλέει καθ' ἡσυχίαν, i. *Altera verò nauigatio dicitur, quum quis vento proſpero deſtitutus, remigiò agit nauem, ex ſententia Pauſaniæ* ait Euſtath. in fin. Ὀδυσ. β. quo continuato tropo docet Poeta ſe priorem opinionem de Diis mutaſſe & quaſi παλινδρομῆσαι, *auoir rebroufſé chemin.* Et certè terrores cæli cogunt ſceleratiſsimos quoſque maximeque impios ad notionem Dei venire. Quæ profectò allegorica ſententia non poſſet puriori hic ſermone exprimi, primum quàm hoc Terentij etiam allegorico, *redire in viam*, deinde Ciceronis, *ad meliorem frugẽ ſe recipere.* Pro quibus Sen. l. 1. de *Clementia* propriè dicit, *ad innocentiam reuerti.* Præterea Cic. vſus eſt ſimili huic allegoriâ, *optimus poſt naufragium portus eſt pœnitentia.*

[b] Synecdoche generis periphraſtica pro fulgure.

c Altera allegoria, pro, aerem commouit tonitru & tempestate, qualis fuit Ode 12.

Tu graui curru quaties Olympum:
Tu parùm castis inimica mittes
Fulmina lucis.

d In *quo* bis repetito anaphora est.

e Sumtum videtur ab ornatu Flaminum, qui flocculos lanæ vel pãni serici in vertice pilei (qui fuit olim insigne Flaminum & ornamentum sacerdotum) habebant auctoritatem & dignitatem indicandam, quomodo sumitur in Catone maiore: *apex autem senectutis est auctoritas*, i. *decor senectutis*: quod Gaza interpretatur, ἔτω γήρως κολοφών ἐστι τὸ ἀξίωμα, i. eminens quædam dignitas, vitæ probitate, summâ ætate & rerũ experientiâ scienter parta. Similis tropus erit Ode 21. l. 3.

Post te potum *neq; irato trementi*
Regum apices.

f Metaphora est ab ingrato sonitu & turbulento murmure ad lamentum, quod fieri solet tali commutatione.

g *Hinc*, & *hîc* polyptoton habent, pro illi detraxit splendorem & huic dicat.

Ode XXXV. Ad Fortvnam.

Theticum.

Fortunæ, viribus explicatis, illi commendat precibus salutem Cæsaris, in Britannos expeditionem parantis.

O [a] *Diua, gratum quæ regis Antium,*
Præsens vel imo tollere de [b] *gradu*
Mortale [c] *corpus, vel* [d] *superbos*
Vertere funeribus [e] *triumphos:*
[2] *Te pauper* [f] *ambit sollicitâ prece*
Ruris colonus: [g] *te dominam æquoris,*
Quicunq; [h] *Bithynâ lacessit*
Carpathium pelagus [i] *carinâ.*
Te [k] *Dacus asper: te profugi Scythæ,*
Vrbesq; gentesq;, & [l] *Latium ferox,*
Regumq; matres barbarorum, &
Purpurei metuunt Tyranni.
[3] *Iniurioso ne pede* [m] *proruas*
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad [n] *arma cessantes, ad arma*
Concitet: imperiumq; [o] *frangat.*
[4] [p] *Te semper anteit sæua Necessitas,*
Clauos trabales & cuneos manu
Gestans ahenâ: nec seuerus
Vncus abest, liquidumq; plumbum.
Te [q] *Spes & albo rara Fides colit*
Velata [r] *panno: nec comitem abnegat,*
Vtcunq; mutatâ potentes
Veste domos inimica linquis.
[5] *At vulgus infidum & meretrix retrò*
Periura cedit: diffugiunt [s] *cadis*
Cum fæce siccatis amici:
Ferre [t] *iugum pariter dolosi.*
[6] *Serues iturum* [u] *Cæsarem in vltimos*
Orbis Britannos & iuuenum recens
[x] *Examen* [y] *Eois timendum*
Partibus Oceanoq; rubro.
[z] *Eheu cicatricum & sceleris pudet*
Fratrumq; [7] *quid nos dura refugimus*
Aetas? [aa] *quid intactum ne fasti*
Linquimus? vnde manus [bb] *iuuentus*
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam nouâ
Incude distringas retusum in
Massagetas Arabasq; [cc] *ferrum.*

Analysis Dialectica.

Hinc certè perspicimus, quàm vanæ, quàm inconstantes sint scriptorum Ethnicorum opiniones de Diis: hic enim Poeta Ode proximâ videbatur approbasse diuinam prouidentiam, & ita temeritatem & inconstantiam Fortunæ damnasse: nunc contrà quasi Palinodiam canens, Fortunam in omni re dominari dicit. Illius autem potentia primùm declaratur ex aduersis ipsius effectis: quòd alios in altissimo amplissimoq; dignitatis gradu soleat locare: alios inde ad infimum deuocare: alios locupletare: alios ad extremam egestatem deturbare: alios nobilitare: alios obscurare: quorum exempla repete è Valer. Max. l. 6. c. 10. aliisque historicorum libris.

2 Deinde eadem describitur variis adiunctis, quòd semper stipetur multitudine supplicantium agricolarum, nautarum, bellicosissimorum hominum, reginarum, regum.

3 Argumentum è fine talis concursus ad eam: vt status incolumitatem in his singulis conseruet ac tueatur, nec imperium euertat: nec seditionem concitet: nec populum armet in Tyrannum: nec denique deleat principatum.

4 Eadem ex eodem loco adiunctorum depingitur: quòd semper incedat septa & munita magno satellitio: necessitate, clauis, cuneis, vncis, plumbo fuso, spe, fide, perfidiâ hominum, periuriis, dolis.

5 Argumentatur ex diuersis: Fides semper te comitatur, licet muteris: sed infidi homines miseros deserunt amicos mutatâ Fortunâ.

6 Altera est pars Thetici, vbi Fortunæ, tantâ potentiâ præditæ, commendat Cæsaris profectionem, & ipsius exercitum, non è selectissimis bello ciuili absumptis iuuenibus conflatum, sed ex militibus collectitiis atque gregariis collectum.

7 Ratio conquerentis Poetæ petitur è malefactis Romanorum, vnde bellum ciuile ortum, cuius diuturnitate & immanitate iamdiu imperium est afflictum, & debilitatum, à quo talem Deæ iram tentat precibus ac votis in Barbaros deriuare, quæ loco priori deberent esse, nisi hyperbaton & longior verborum transgressio (vbi explicatur vis Fortunæ) impediisset.

Explicatio Rhetorica.

Diua.] Poetæ Fortunam ex imprudentia hominum Deam, vt ex ignorãtia caussarum Deos fecerunt, ille Iuuen. & Lucret. lib. 1.

Nullum numen abest, si sit prudentia, sed te.

Nos fa-

Nos facimus, Fortuna, Deam cæloq; locamus.

Ignorantia cauſſarum conferre Deorum egit ad imperium res. Sed Ariſtoteles lib.2. Phyſic. cap.5. & 6. τύχην καὶ ἀπτόματον annumerat Fortunam & caſum efficientibus cauſsis: licet ibidem ponat τύχην in ijs, quæ conſilio aguntur. Iſtâ philoſophi opinione vim efficiẽdi & perpetiendi Fortuna ſimul habebit: vnde noſter Poeta accepit & tribuit facultatem priorem Fortunæ. Huc etiam ſpectat, quod Athenienſis dicit apud Platonem lib.4. de legib. *Deus*, inquit, *omnia, ſecundùm autem Deum* τύχη καὶ καιρὸς *Fortuna & occaſio res hominum gubernant.* De hac Fortunæ facultate ſic Plinius lib.2. cap.7. *Inuenit tamen inter has vtraſq; ſententias medium ſibi ipſa mortalitas numen, quo minùs etiam plana de Deo coniectatio eſſet. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis omnium vocibus Fortuna ſola inuocatur: vna nominatur: vna accuſatur: vna agitur rea: vna cogitatur: ſola laudatur: ſola arguitur, & cum conuiciis colitur: volubilis; à pleriſq; verò & caca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix. Hic omnia expenſa, huic feruntur accepta: & in tota ratione mortalium ſola vtramq; paginam facit*, id eſt, ſi quid contigit boni, ea laudatur, quaſi dederit: ſi mali quid accidit, eadem inceſsitur, ceu illius auctor. *Adeoq; obnoxiæ ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo ſit, quâ Deus probatur.* Interpretationem Antonij Pineti Gallicam literâ Plinij Latinâ clariorem non ſine fructu legere poteris. At multò rectiùs, Plinio meâ ſententiâ, Theognis:

Θεοῖς εὔχε, σοὶ ὅτι μέγα κράτος· οὔτε ἄτερ Θεῶν
Γίγνεται ἀνθρώποισιν, οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν.

Deos precare, quibus eſt magna poteſtas: nihil ſine Dijs accidit hominibus, neq; bona neque mala.

Qui nullum reliquit prorſus locum Fortunæ & rebus fortuitis: ſed quemlibet rerum euentum Dijs acceptum refert, quibus ſuprà Iuuenalis videtur coniungere prudentiã humanam. In iſta tamen vel coniunctione vel diſiunctione ſemper de Dijs & euentis rerum ciubanter & inconſtanter loquuti ſunt ſcriptores profani. Nam idem Satyricus Satyrâ 7. canit:

Si Fortuna volet; fies de Rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Quid autem deceat Chriſtianos de hac inconſtantia ſtatuere, audiant illum ſapiẽtem Salomonem prouerb. 16. in fine: *In ſinum proijcitur ſors, ſed illius iudicium eſt à Domino*, vtram in partem ſortis iactus cadat: ille caſus ex Dei arbitrio pendet, & quoquo modo ceciderit, illi fuit curæ.

Vnde diſcimus nihil videri tam fortuitum, tam temerè factum, quod nutus Dei non regat. Itaque hanc vniuerſitatem non ſolùm verbo Dei concinnatam, ſed etiam prouidentiâ diuinâ fuiſſe conſtitutam, & ad vnam ipſius minutam particulam eandem adminiſtrari: ſine qua, vti Chriſtus docuit in Euangelio, ne minimus quidem capitis noſtri pilus in terram cadere poſſit. Proinde noli ô Epicure impiè obijcere, huiuſmodi ſollicitudinem diuinâ & excellenti naturâ Dei indignam videri; ſed velis cogitare potiùs in procuratione vel ipſarum atomorum, magnitudinem ipſius ſapientiæ & ſplendorem gloriæ elucere maximè, atq; maieſtatem vtriuſque cumulatiſsimè amplificari ab ijs rebus, quibus illam minui maxima pars hominum arbitratur. Quid enim obſcurare magis videtur ſapientiam & gloriam Dei, quàm impius? attamen ſcimus de Salomone ibidem: *Dominus omnes ſibi fecit, vel ipſum impium in diem calamitatis:* in quem iudicio dato gloria Dei cumulabitur.

Eſt igitur hominis Chriſtiani ſe, resq; ſuas commendare prouidentiæ diuinæ: & ita perficientur ipſius cogitata, ait ibidem Sapiens. Sed adhuc ſatis de Fortuna dictum videretur, niſi Diogenes Pythagoricus nobis ſuppeditaret quatuor cauſſarum genera, quibus omnia conſtare exiſtimantur, quę ſunt φύσις, νόμος, τύχη καὶ τύχη. Hic philoſophus docuerat primum Deum initiò cœnæ & prandij inuocandum: non quòd ei opus eſſet noſtris precibus, ſed vt animus noſter illius recordatione inſtrueretur, & exornaretur, qui ab eo pendeamus & numinis participes ſimus, ab illo iudicemur, & omnia iuſtè facere iubeamur.

Hîc agnoſco quidem Deum principem eſſe rerum omnium cauſſam: naturam autem, legem, artem & fortunam eſſe illius adminiſtras: quæ ſi quid ſunt aut poſſunt, id habent ab illa principe: à qua quum ad actũ moueantur tres primę, & quarta temerè, & fortuitò vagetur, hanc in cauſis non arbitror ponendam: quippe quæ definiatur πρὸς ὃ εἰκῆ τε καὶ ὡς ἔτυχεν ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ὁμοίως ποτὶ πίπτοντων τοῖς χρησοῖς τε καὶ πονηροῖς τύχαν τῶν τοιούτων αἰτίαν φάσκομες. *Dicimus fortunam eſſe cauſſam huiuſmodi rerum, quæ temere & fortuitò tam bonis quam malis eueniunt:* eamque ob rem dicitur Græcè ἀπὸ τοῦ τύχειν, quod eſt temerè & fortuitò accidere; quale eſt illud Homericum: Ἐτύχησε δ' ἰφθίμην νηῦς· *fortè accidit vt nauis iret, vel fortè fortuna nauis ibat.*

Eiuſdem eſt veriuerbij & notionis τὸ πότμος, vt Euſtathius in Odyſſ. 4. annotat πότμος γὰρ οὐ μόνον ὁ θάνατος, ἀλλὰ καὶ τύχη ἁπλῶς τὸ πεπρωμένον, ὁπερ ὅτι πιστεῖον, ἀφ' οὗ καὶ ἡ πεπιστευμένη· τὰ γὰρ ἀπὸ τύχης συμπίπτειν, λέγεται, ἤγουν συμβαίνειν· ὁ δὲ πότμος μὲν ὁ εὐτυχὴς, ὡς εὔποτμος, ὡς ὅτι εὐτυχὴς· πανάποτμος δὲ καὶ ἄποτμότατος, κακοτυχὴς, id eſt, *miſerrimus.*

Itaque Fortunam neque Deum putemus, neq; cauſſam rerum fortuitarum per ignorationem, certò perſuaſi omnia conſilio & voluntate Dei nobis euenire, quæ vt nobis cadent, æqui boniq́ue faciamus, atque ſummas ei gratias agamus; exiſtimantes hanc Philoſophicam, & Poeticam neceſsitatem eſſe decretum diuinæ prouidentiæ, quod quum educitur in actum, boni & æqui conſulendum eſt, nec Fortunæ tribuendum: atque quod Euripides in Helena: *Δεινῆς ἀνάγκης κρεῖσσον ἰσχύει πλέον· nihil dirâ neceſsitate potentius*, ſcribit: ad æternum & immutabile Dei conſilium referamus? atque quum Fortunam intelligamus nomine cæcitatis, brutæ ſtoliditatis & iniquitatis ſuſpectam vel ipſis paganis eſſe, quòd & rationis & iuſtitiæ prorſus omninò ſit expers, exiſtimemus ipſius nomẽ vt inane commentum Satanæ ad ſtatum fidei noſtræ de prouidẽtia Dei Opt. Max. conuellendum & labefactandum.

De Fortunæ temeritate lege Ciceronem lib. 3. de nat. Deorum & Pindarum 12. Olympiorum: vbi eam facit filiam Iouis liberatoris, & cuſtodem vrbium. Homerus tamen vt Heſiodus annumerat eundem filiabus Oceani & Tethydis.

Antium.] Vrbs fuit quondam Latinorum, vbi templum erat Fortunæ donarijs multorum principum nobilitatum, vnde Fortunæ Antianæ in Caligula c.57. quæ conſulebantur: *monuerunt & Fortunæ Antianæ, vt à Cæſio caueret*, ait Suetonius: & Macrobius lib.1. Saturn. cap.25. *vidimus apud Antium promoueri ſimulacra Fortunarum ad danda reſponſa.*

Præſens.] Id eſt, potens, efficax, promta & parata ad extollendos homines ſummis honoribus & inde ad nihilum deijciendos. Nuſquam aliàs legi hanc Syntaxin, *præſens tollere & vertere.*

Ambit prece.] Ambire prece eſt, vt antè, ſupplicatione flagitare & aſsiduè rogare. Pro hoc videtur Cic. dicere Epiſt.11. lib.8. ad fam. *Renunciatum nobis erat Hierum diutiùs dicturum, prendimus eum*: id eſt, rogauimus, vt, qui honores & magiſtratus ſectantur, ſolent circumeundo prenſare, à quo cupiunt aliquid impetrare.

Bithyna.] Bithynia est regio Asiæ iuxta Phrygiam & Mysiam, in cuius metropoli ciuitate Nicea habitum est concilium iussu Constantini Imp. 318. Episcoporum περὶ τῆς ὑποστ& καὶ ὁμοχίας τῦ Χριστῦ κατὰ Ἀρρίου. Huc accedit, quod scribit Eustath. in vers. Periegesis. Ἄγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαροῖο χθόνα ναιετάουσι· *proximè autem Bithyni pingue solum incolunt: cuius est hæc interpretatio Latina: Narrant Bithynos nauticæ peritissimos quondam fuisse, & ipsorum terram omnimodi fructus feracem, lætis arboribus consitam, excidendis lapidibus & metallis idoneam, crystallos proferentem, & multa alia bona.* Itaque non mirum si tam frequenter & cupidè illuc tum nauigaretur.

Laesit.] Id est, impellit vi remorum.

Carpathium.] Carpathos est insula Rhodiorum, vnde mare Carpathium vel Carpathicum nomẽ inuenit, situm inter Rhodum & Cretam cõtra Ægyptum. Plin. lib. 4. cap. 12. & Solin. cap. 21. Strabo lib. 10. & 14. sub finem vtriusque.

Te Dacus.] Daci fuerunt populi à Germania distincti Danubio, quem Istrum vocant. Scythę profugi sunt Parthi qui fuerũt Scytharum exsules, nam linguâ Scythicâ exsul dicitur Parthus.

Profugi.] Seruius initio Æneid. 1. vim huius vocis sic enucleat: profugos eos esse certum est, qui procul à sedibus suis vagantur, quasi porrò fugatos: falsum verò, quòd multi dicunt, profugos esse, qui necessitate excluſi de suis sedibus vagantur: Exsules verò, qui iam sibi sedes inuenerunt: nam & Lucanus profugos appellat, qui iam sibi sedes inuenerunt: vt

— Profugiq; à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

& Sallust. ad huc vagantes exsules nominat.

Latium ferox.] De quo sic Virgil. 5. Æneid.

Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est.

De hoc Epitheto *ferox* repete annotationem in Od. 15. huius libri.

Tyranni.] De hac voce & ipsius etymo dicetur, Deo volente, Ode 17. lib. 2. vbi τροπικῶς sumitur.

Mores autem Tyranni lege apud Plutarchum in vita Arati & Aristotelem in Politicis: vbi scribit non Tyrannidem in eadem familia permansuram ad quartam progeniem.

Stantem columnam.] Donatus citat hunc locum in Phor. Act. 2. Scen. 1. vbi notat columnam sumi pro columine, id est, pro sustentatione & decore familiæ: vt hîc pro maiestate Imperij Romani. Quintilianus refert veteres scripsisse *Columam* sine *n* vnde deflexum est hypocoristicon, *columella.*

Concitet.] Vt Iunius Brutus fecit in Tarquinios, & M. Brutus in Iulium Cæsarem.

Te semper anteit.] Hæc tormentorum genera fuerunt Antij picta in templo Fortunæ.

Saua Necessitas.] Intelligit necessitatem fati, quæ Græcè dicitur εἱμαρμένη ἢ πεπρωμένη, vbi desideratur perpetuò μοῖρα substantiuum, fatalis necessitas & ordo seriesque causarum, quum causa causæ connexa rem gignit, sine qua Fortuna nihil potest, vt Manilius scribit:

Hoc, nisi fata darent, nunquam Fortuna tulisses.

Clauos trabales.] Claui isti erant longi & ingentes instar trabis ad torquendos reos apti: quos dicet posteà Ode 24 lib. 3. adamantinos: quod videtur sumtum ab annali clauo, qui figebatur in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum.

Clauo trabali Cicero vtitur 7. in Verrem per metaphoram pro arctissimo vinculo: *&, vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum consilio causam Mamertinorum agnouit:* quomodo Herculeus nodus. Cunei quoq; erant frustula ferrea, quibus constringebantur compedes, manicæ & pedicæ. Vncus erat velut hamus ferreus, quo rei & miseri trahebantur.

Liquidumq; plumbum.] Rei liquefacto plumbo nonnunquam cruciabantur.

Te spes.] Quia in rebus aduersis homines nullâ re melius sustentantur, quàm spe, dum sperant semper Fortunam aliquando ad se redituram: sed fides in rebus secundis adhæret quidem Fortunæ comes: itaque vt ait Iuuenalis,

Quantum quisq; suâ nummorum seruat in arca
Tantum habet & fidei.

Sed in aduersis, *non rata fides, vbi iam melior Fortuna ruit,* Seneca in Hercule. Bias ἐρωτηθεὶς τί γλυκὺ ἀνθρώποις· ἔλπις, ἔφη· *interrogatus quid esset hominibus dulce: spes, inquit.* Quomodo autem spes sola remanserit in pixide, lege opera & dies Hesiodi, ad quam fabulam alludens Theognis, sicut annis superioribus in nostris prælectionibus annotauimus, dixit:

Ἔλπις ἐν ἀνθρώποισι μόνη Θεὸς ἐνθάδε ἔνεστι.
Ἄλλοι δ' Οὐλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

Sola spes versatur inter homines bona Dea: alij verò, relictâ terrâ, petierunt cælum.

Albo panno.] Seruius in illud Virg. 1. Æneid. vbi hic locus citatur,

Cana Fides & Vesta Remo cum fratre Quirini:

Varias affert causas, cur cana dicatur: vel quia sæpiùs in senibus reperiatur: vel quia sacra fiunt illi manu albo panno inuolutâ: quo significant fidem velandam esse & arcanam & tegendam.

Nec comitem.] Id est, non tibi negat comitatum, quandocunque tibi placet deserere, quem priùs ornaueras. *Vtcunque* posset etiam explicari, quomodocunque mutes vestem, vel in luctum & paupertatem, vel in triumphum.

At vulgus.] Sed bona pars hominum exemplo tuo, quos antè coluerat & dilexerat, eos deserit. Nomine vulgi intelligit vulgares amicos, assentatores & mensarum asseclas, paratos, trapezocoros, qui non ex animo, sed cibi causâ diligunt: in quos quadrat illa παροιμία· εἰ ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία· *si feruet olla, viuit amicitia.*

Ferre iugum doloſi.] Id est, fallunt amicos, quibus polliciti erant se participes fore tam calamitatis, quàm felicitatis.

De hac re multæ sunt sententiæ in Elegijs Theognidis: vnà contentus esto.

Πόλλοι τοι πόσιος καὶ βρώσιος εἰσὶν ἑταῖροι,
Ἐν δ' ἀνδρῶν πρήγματι παυρότεροι.

Multi sunt potionis & cibi socij & amici: In re autem seria & graui pauciores.

Iugum.] Iugum dicitur, quo duo priùs secreta & diremta, incipiunt teneri aliquâ iunctione: vnde Græci ζυγὸς antiquitus Bœoticâ dialecto δυγὸν dicebant, quasi duo agens & ducens, sub iugum missos. Socrates in Cratylo Platonis.

Vltimos.] Sic Virgilius 8. Æneid.

Extremiq; hominum Morini.

Romani versus Oceanum Britannicum putarunt vltimos hominum Morinos.

Itaque Britannus videbatur illis orbis alter vltra traiectum Caletum. Possimus etiam interpretari ex versu Melibœi.

Et penitus toto diuisos orbe Britannos:

Continentem, quem alluit Oceanus, esse orbem terrarum, extra quem sunt insulæ, vt Britannia, quæ Cæsari lib. 5. com. de bello Gallico est natura triquetra, sicut

Straboni

Straboni lib. 4. ἡ δὲ Βρεττανικὴ, τριγωνός ἐστι μάλιστα τὸ σχῆμα id est, *insula Britannica est figurâ triangulari:* quali Sicelia dicitur τριακρία: cuius vnum latus est contra Galliam: alterum vergit ad Hispaniam, atque occidentem solem: Tertium est contra Septentrionem. Cornelius autem in vita Iulij Agricolæ Britanniam hac declarat descriptione, *Britannia insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima spatio & cœlo in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur. Gallus in meridiem etiam inspicitur: septentrionalia eius nullis contrà terris, vasto atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniæ Liuius veterum, Fabius Rusticus recentiũ eloquentissimi auctores oblongæ scutulæ vel Bipennis assimulauere* & est ea facies citra Caledoniam, *Gall. au deça qu'elle apparoist vers l'Escosse.*

Eois.] Hoc adiectiuum ab hoc Græco deflexum est ἠῶος, ου Eous, a, um, & tenui spiritu afficitur & Ionicè ἠῶος triplici etiam fine ab ἠὼς, óος, οῦς tenuato. Aristoteles tamen dicit, πὲ ἀφ' ἕω, pro diluculo, vnde deriuatur *aurora & oriens.*

Varro tamen de Lingua Latina hac definitione & notatione declarat auroram, vt ea sit propriè πρόορθρου, id est, diluculum, vel coniunctim πρὸ ὄρθρου, id est, tempus circa auroram: quę quia ab igne solis aureo aer aurescit, dicta est aurora.

Timendum.] Hîc exercitus, quia constabat ex tyronibus, vt dictum est, non erat formidolosus extremis illis orientis populis Persis, Medis, Parthis & Arabibus: & occidẽtis Britannis & Morinis: sed metus Romanorum iamdiu fuerat iniectus à virtute veteranorum iam mortuorum, & ab exercitatione in armis, quibus nouæ istæ copiæ similes putabantur. Cur autem Oceanus ruber dicatur, Interpretes non declarant.

Equidem putarem ita dici, quòd partes cœli tam oriens, quàm occidua colluceant; vnde illustretur Oceanus fulgore solis ad horizontem. Quod hîc desiderabam ab Interpretibus, Eustathius mihi pòst suppetauit in Periegesin Dionysij ad vers.

Ἄγχι δ' Ἐρυθραίοντε καὶ Αἰθιόπων καλέουσι·

Sed mare propinquum vocant Erythræum & Aethiopium: quum annotat primùm *mare rubrum & Aethiopicum, sicut Persicum esse apocheteuma & derivationem ab Arabico sinu:* deinde *Erythræum vocari à terra rubra & miniata aquæ substrata, vel ab imminentibus eiusdem coloris montibus, quibus manè sol affulgens præbet mari speciem rubram:* postremò *à quodam rege Erythræo.* Quem Dionysius præfert Erythræ filio Persei & Andromedes, qui traiecit primus rate tumultuariâ in quandam insulam & illic habitauit cum imperio: de quo Plinius lib. 7. cap. 56. alij contrà hunc illi anteponit.

Quid nos.] Quod genus mali non designant homines huius tam peruersi seculi? de secunda ætate intelligit, quam Epodis 16. de bellis ciuilibus definiemus. Metus autem Deorum Græcè dicitur δεισιδαιμονία, quæ fit, quum homines adiguntur metu, vt Deos esse credant.

Pepercit.] Hoc verbum idem valet quod veniam dedit, vt distinguit hoc præteritum Donat. notione à *parsi* in Hecyra Act. 3. Scen. 1. *Hánccine ego vitam parsi perderei? Parco,* inquit, *conseruo, parsi facit: parco, veniam do, peperci. Nunc ergo, continui, abstinui ne perderem.*

Retusum.] Id est, in visceribus & corporibus ciuium hebetatum & obtusum: alij tamen legunt, *recusum* & refabricatum, & τὸ *diffingas* interpretantur in varias armorum formas, materiam quouis è metallo congestam effingas. Sed ego magis probro districtum ensem & gladium, aut defixum, (vt quidam legunt, defigas) in Massageras significari.

Massagetas.] Massagetæ populi sunt Thraciæ, vel vt alij volunt, Scythiæ, quibus plurimum auri & æris esse scribit Herod. nihil autem argenti vel ferri: de quorum morib. vide li. 10. Antiq. lect. Lud. Cæl. Rhod. cap. 28. & Eustat. in vers. Dionys. Perieg.

Μασσάγεται ναίουσι θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν·

Massagetæ habitant trans Araxem *iaculatores celerum sagittarum:* quos ego puto ex Interpretis Scholijs dictos ἀπὸ τὸ μασᾶσθαι à manducando; *quia*, inquit, *mortem apud Massagetas esse optimam ferunt, quum senes concisi cum carnibus ouillis comeduntur.*

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est nonæ simile.

[a] Dicitur per Synecdochen generis, quod alij malunt dicere κατ' ἐξοχὴν, pro specie Fortuna.

[b] Metaphora ab editioribus locis, quò gradibus & scalis ascenditur.

[c] Synecdoche quoque partis, pro toto homine.

[d] Metonymia effecti pro efficiente homines superbos.

[e] Alia Synecdoche speciei, pro amplissimis, magnificentissimisque honoribus in nihilum versis à Fortuna.

[f] Sumtum à petitionibus magistratuum, ad quos obtinendos candidati tribus circumibant & amicos prensabant.

[g] In *te* repetito anaphora est.

[h] Synecdoche speciei pro naui cuiusuis mercatoris, vt rectè Porphyrio monuit, qui illud mare percurrit quotannis.

[i] Synecdoche membri pro integra naui, de qua vide Grammat Odes 4.

[k] Allegoria est ex Synecdochis multiplicis speciei, pro asperrimis potentissimisque quibusque populis, quibus Fortuna est formidolosa.

[l] Metonymia subiecti pro Latinis animosis, vt in *vrbis & gentes* pro ciuibus.

[m] Allegoria è multis metaphoris ab ædificijs, pro, *ne labefactes & conuellas statum imperij* Ita στύλος καὶ ἑδραίωμα τροπικῶς vlurpantur Epist. 1. ca. 3. ad Timoth. vbi Ecclesia dicitur *columna & stabilimentum veritatis.* Item *Iacobus* & Cephas & Iohannes vocantur Epist. ad Galatas ca. 2. στῦλοι, vbi sic scribitur, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, id est, *qui putantur esse columnæ.*

[n] Epizeuxis, continua repetitio eiusdem soni & vocis in eadem sententia, ad furorem populi indicandum: non Epanadiplosis, quæ fit in diuersis sententijs.

[o] Sumtum est à corporeis ad incorporea, vt sæpè apud omnes scriptores, tam astrictæ quàm solutæ orationis; *frangere dignitatem, cupiditates, furores, consilia, &c.* quòd Gallicè sonat, *que le peuple à soule ne ruine la domination tyrannique*, quæ, vt alibi docuimus ex politicis Aristotelis, non solet permanere in eadem familia vltra quartam subolem.

[p] Epanaphora est.

[q] Metonymia adiuncti, pro homines sperantes & fide prædicti.

[r] Synecdoche est generis, pro veste vel pallio vili & sordido; quòd qui colunt fidem, ferè pauperes sunt & pannosi: contrà, perfidi diuites & pulcrè ornati.

[s] Ex hac specie boni consumti, intelliguntur exhausta omnia bona, per Synecdochen.

[t] Sumtum ab opere rustico.

[u] Synecdoche generis pro Augusto.

[x] Sumtum est à gregaria migratione apum, Græcè σμῆνος γερόντων, ἀφθίτων, ἡδυμέλισσα, pro quauis multitudine rerum aliarum.

y Metonymia subiecti pro Parthis, Arabibus & Scythis.

z Exclamatio per commiserationem ciuilium discordiarum, vbi propinqui, consanguinei & germani committebantur inter se & cædebantur.

aa Anaphora est in vehementia interrogationis, cui ἀνὴ τ ἀνθυποφ ἐρᾶς, id est, subiectione negatâ redditur exclamatio per optationem.

bb Metonymia adiuncti pro iuuenibus.

cc Metonymia materiæ pro armis inde factis, quæ districta in corpora Parthorum, Arabũ & Scytharum: & simul exclamatio optantis talem effectum.

Ode XXXVI. ad Pomponivm Nvmidam.

Theticum.

Pro Numida sospitalibus Dijs monet sacris & cantu faciendum, & ipsi saluo cœnam aduentitiam dandam.

1 a *Et thure & fidibus iuuat*
Placare & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos:
2 *Qui nunc Hesperia sospes ab vltima*
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen diuidit oscula,
Quàm dulci Lamiæ: 3 *memor*
Actæ non alio 4 *rege, puertiæ,*
Mutataq́; simul b *togæ.*
5 *Cressâ ne careat pulcra dies notâ:*
10 c *Neu promtæ modus amphoræ,*
Neu morem in Salium sit requies pedum:
6 *Neu multi Damalis meri*
Bassum Threiciâ vincat Amystide:
Neu desint epulis rosæ,
Neu viuax Apium, neu breue lilium.
Omnes in Damalim d *putres*
Deponent oculos: nec Damalis nouo.
Diuelletur e *adultero,*
7 *Lasciuis ederis* f *ambitiosior.*

Analysis Dialectica.

Et Vcharistica est hæc Ode & viatica cœna ad instituendam gratulationem Numidæ: ad quod valent quatuor primi versus è loco caussarum conseruantium eruti, & Enthymemate sic comprehensi: Dij sunt auctores incolumis reditus Numidę: sacris igitur epulis & carmine sunt celebrandi.

2 Argumentum est partim è conseruantibus incolumitatis, partim ex effectis, quæ amplificantur minorum collatione: Numida sodales suos multis osculis impertiuit: sed nullum pluribus, quàm Lamiam.

3 Apodosis confirmatur efficiente, quòd ad id impulsus sit præterito conuictu, ac disciplinæ studijq́ue coniunctione.

4 Idem significat ex similitudine doctorum: Numidam & Lamiam in pueritia eodem fuisse vsos Rectore & Magistro, & simul togam vitilem sumsisse.

5 Dies fausti & felicis reditus declaratur multis adiunctis: vbi latet quædam similium collatio, quòd ille ad perpetuam fauoris diuini memoriam candido calculo signandus sit: quòd nullus certatim bibendi, nullus saltandi more Saliorum, nullus adhibendi vnguenta modus statuendus sit.

6 Modus bibendi declaratur argumento à diuersis: vbi tamen pars illius consequens desideratur sic explenda: Non certet compotatione Damalis egregia compotrix cum Basso vetere amico: sed in hoc certamen bibendi cum Pomponio Numida nunc veniat.

7 Lasciuia huius Damalis explicatur loco minorum: Damalis plures vult & tentat amplecti iuuenes, quàm vagæ ederæ parietes vel arbores: vel per negationem parium, quæ idem contentionis genus format: Ederæ non tam arcto amplexu hærent fixæ in plantis & parietibus, quàm Damalis in amatoribus suis.

Illæ enim, quia non valẽt ex humo sese erigere, & sustentare per se, semper vel truncis & ramis harum, vel adminiculo illorum adnituntur, nec, nisi magnâ vi, vnquam inde diuelluntur.

Enarratio Grammatica.

Ad Pomponium Numidam.] Vetustissimus quidam codex habet Oden sic inscriptam: *Eucharistice* ad Numidam Lamiæ amicum ab Hesperia redeũtem: alij de reditu Plotij Numidæ.

Et thure.] In more veteribus tam Græcis, quàm Latinis fuit positum, vt illi amicos peregrè redeuntes festis ac conuiuijs magnificis exciperent, quæ à Græcis dicebantur δεῖπνα ὁδοιποικὰ καὶ ἀποδεικτικὰ, & à Latinis cœnæ viaticæ, aduentitiæ, vel aduentatoriæ.

Ratio vocis τῆς *Thus* repetatur è Grammaticis Od. 19. lib. huius. Hic autem, *& ture*, Polysynd. est: quale Epistol. 7. lib. 1.

Et properare loco & cessare & quærere & vti.

Item Cicero pro Quint. *& tædet & amore ardeo.* Item Virgil. 1. Æneid.

—— *Multum ille & terris iactatus & alto.*

Vbi Seruius scribit τὸ *ille* redundare, sed addere meo iudicio debuerat etiàm prius & ęquè redundare: quia nihil antecedit, quod aduinciatur consequenti. Præterea quidam malunt hîc pro Pomponio legere Pompeium Numidam.

Iuuat placare.] Hoc Græcè dicitur ἡδὺ ἔστιν τῷ λιβανωτῷ καὶ ταῖς ἐπιεικείαις φῶτας φαίνειν, καὶ καθίζειν τὰς Θεάς. Hoc autem verbum *placare* non videtur quibusdam aptè dici de custodibus & conseruatoribus, sed irâ vel aliâ perturbatione animi commotis, vt Cicero dicit 2. de legibus: *Iram Dei placare donis*, id est, lenire, mitigare, sedare. Itaque sumamus hîc pro, laudibus ornare & gratias agere.

Sanguine.] Debitum sacrificium potest dici sine voto: Quicunque enim ita seruantur, eo sunt obstricti ex officio grati animi & memoris.

Hesperia.] Quia vox ista est ambigua, tollitur ambiguum Epitheto, *vltima*, quo significatur Hispania vergens ad occidentem, nec Hesperia intelligi potest Italica, cuius fuerunt fluctus Hesperij Od. 28. Hanc autem

tem Seruius, Æn.1. notat dictam ab Hespero fratre Atlantis, qui pulsus à germano Italiam tenuit eiúque nomen pristinæ regionis imposuit. Videtur tamen Porphyr. nomine Hesperiæ intelligenda Mauritania.

Oscula.] Hæc vox deflectitur ἑτεροκλιτικῶς ab ore per diminutionem. Talia autem oscula veteres figebant oculis: quos quum osculamur, ait Plinius lib.11. cap.33. animum ipsum videmur attingere, qui in illis inhabitat. Sic Cicero Tyroni: *ego tuos oculos in medio foro dissuauiabor.* Sed non solum in reditu oscula dabantur. sed etiam in discessu, teste Suetonio in Tiberio cap.10. *paucos in discessu osculatus.* Pro *diuidere oscula* idem in Neron. cap. 37. *cerè neque aduenientes, neque proficiscentes quemquam osculo impertiuit.* Verùm Tiber. Cæsar, ait idem in ipsius vita cap.34. *quotidiana oscula prohibuit edicto, quæ passim dabantur à primis quibusq; occurrentibus.* Erant tamen & habebantur honesta inter cognitos & amicos oscula: sicut constat ex eodem historico in Claudio cap. 26. *sed illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ perius osculi, & blanditiarũ occasiones, pellectus est in amorem:* vnde Athen. li.1. de muliere Romana: *φιλῶ δεῖ τὸς συγγενεῖς, τὸς ἑαυτῆς: decet te basiare tuos consanguineos.*

Prætereà apud D. Paulum ius osculandi latiùs extendi videtur ad Rom. cap.6. ad Cor.1. ca.16. 2. Petr. c.5. *ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ: alij alios osculo sancto salutate:* Quâ puritate osculi distinguit osculum ab hypocrisi Ioabi cruenta 2. Samuel. ca.20. & Iudæ proditoris Christi: item ab omni impudicitia. Fuit autẽ osculatio Iudæis symbolum internæ salutationis, sicut gentibus alijs complexus, & dexterarum implicatio, ad animorum coniunctionem significandam.

Puertiæ.] Huiusmodi syncope familiaris est huic Poetæ pro *pueritiæ*, vt lamna, pro lamina, valdiùs pro validiùs.

Cressâ.] Ita Catullus ad Lesbiam.

O lucem dignam candidiore notâ.

Quidam putant ad hunc morem veteres impulsos doctrinâ Pythagoricâ, quæ docebat ad naturam boni album pertinere, & nigrum ad mali: quò spectat illud Ouid.15. Metamorph.

Mos erat antiquis, niueis atrisq; lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpæ,

De hac superstitione vide Plin.lib.7.ca.40. vnde discesnon à Cretibus, sed à Thracibus hoc acceptum, vnde legendum Thressâ notâ, non Cressâ.

Dies pulcra.] Nonius docet genere muliebri certum tempus significari, quòd fortassis hîc verum putaretur de noto reditus Numidiani tempore, nisi pòst fortè factus esset ille dies incertus obliuione, aut licentiâ Poeticâ muliebriter pronunciatus: quæ Nonij opinio facilè potest infirmari exemplis, ex quibus cognoscitur *dies* genere muliebri designare tempus incertum, vt in Epist. ad Pisones: *Carmen reprehendite, quod non Multa dies coercuit.* Item Epist.1.lib.1. *Diesq; longa videtur opus debentibus.* Contrà virili certum, vt, *totum flerẽ diem.* Satyr.3.lib.1. item, *dies festos & latos.* item Cicero Epist.2. lib.1. ad fam. *eo die cœnaui apud Pompeium* ibidem: *post tum discessum dies honestissimus fuerat* Seruius in vers. Æneid.5. sub fin. —*Quam* Iunonem *nec longa dies, pietas nec mitiget vlla,* dissentit à Nonio: tempus, ait, de quo licet meliùs fœminino genere dicamus; tamẽ etiã masculino dicimus: nam de certo die tantùm masculino vtẽdum est, id est, Asconio de spatio 24. horarum; qui tamen in 2. Verrinam scribit dies fœm. gen. tempus, & diescula dicitur breue tempus & mora, dies horar.12. masc.gen.est. Vnde *hodie* dicimus, quasi hoc die. Charisius hoc discrimen tribuit Varroni; à quo dissentiens addit illud non obseruari.

Neu promtæ.] Particula *neu* ferè subiungitur simplici *ne*: ex quo fit & ex *ve neue*, quæ concisè *neu* pronunciatur, pro qua Græci dicunt μήτε. Terent. Andr. Act.1. Scen.5. vers.57. *te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.*

Amphoræ.] De hac voce vide Grammat. Od.9.

Morem in Salium.] Salij fuerunt duodecim sacerdotes Martis Gradiui ex institutione Numę Pompilij: de quibus Liui.lib.1. & Dionysius lib.2. Macrobius tamen ostendit lib.3. Saturnal. cap.12. è Virgil. 8. Æneid. Salios fuisse Herculi assignatos: tu locum & disputationẽ Macrobij leges & Aduers. Adriani Turnebi Salios tribuenti Herculi, quorum auctor fuit Salius quidam Arcas. Vox autem *Salium* est ἀφ' οὗ πήδ, pro aliundè flexo, Saliarem in modum: & à saltando per vrbem hi sacerdotes dicti sunt, quod Græci efferunt ἐξάλλεσθαι καὶ πηδᾶν vt ex his verbis Dionysij Halicarnassei lib.2. est cognoscere: ὑπὸ δ' Ῥωμαίων ὑπὸ τ' οὐρανίας κινήσεως ὠνομασμένοι· τὸ γὰρ ἐξάλλεσθαι καὶ πηδᾶν σαλίρε ὑπ' αὐτῶν λέγεται· ὑπὸ δὲ τῆς αὐτῆς αἰτίας καὶ τὰς ἄλλας ἅπαντας ὀρχηστὰς, ἐπεὶ καὶ τούτοις πολὺ τὸ χόρδαμα καὶ σκίρτημα ἔνεστι, πυρριχαρόντες ὑπὸ τῶν Σαλίων τ' οὔνομα Σαλίρωτας καλοῦσι· κινοῦσι δὲ πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐναντίας κινήσεις, τότε μὲν ὁμοῦ, τότε δὲ πυρριχάζ, καὶ παιᾶνας πινες ὕμνους ᾄδουσιν ἅμα ταῖς χορείαις· hoc est, *quos Salios Romani à motu concitato nominarunt: hi enim quod Graci dicũt* ἐξάλλεσθαι καὶ πηδᾶν, *esse dicũt saltare. Iam verò ex eo alios etiam omnes saltatores, quandoquidem est etiam multa in his saltatio & tripudiatio, deflectentes à Salijs nomen, vocant salitores: nam cantu tibiæ in numerũm mouentur motibus ad arma accommodatis, modò simul, modò alternis, & patrios quosdam canunt inter choreas hymnos.* Affertur tamen versus è lib. Sat. Lucilij, vnde cognoscitur motus Saliorũ ab hoc paulò diuersus. *Præsul vt amburuat, sic vulgus redandruat inde:*

Quod saltationis genus & motus sumtus est ab vrinantibus, qui ita videntur demergere corpus in aquam, quod Græci dicunt κυβιστᾶν καὶ κολυμβᾶν, vt inde rursus emergant: ita hi Salij corpus inter saltationem iactabant deorsum, quod postea sursum erigebant, ac velut redire faciebant, sicut verbum redandruare sonat. Hæc coniectauit olim Iosephus Scalig. in Varronem: sed hæc posteà in Sext. Pompeium noluit præferri huic lectioni: *Præsul vt amtruat inde & vulgus adamtruat olli,* & notationi, à trua fit amtruare, id est, circumuoluere, vt quum truâ mouetur olla, circum mouetur.

Damalis multi meri.] Eâdem syntaxi dicit, quâ Cic.9. Epist. ad fam. *accipies hospitem non multi cibi, sed multi ioci,* quod Plautus coniunctè in Curcul. profert, *mulier multibiba & merobiba,* & Græci φίλοινος καὶ ἀκρατοπότης· sic breuiter Iuuenal. Sat.9. notat mulierem bibacem, *quantum Lausella bibebat.* Videtur autem vox *Damalis* è Græco nouata: pro qua & δαμάλη dicitur pro iuuenca.

Amystide.] Amystis fuit genus potionis & poculi, quòd clausis oculis vno haustu ebibebatur, ἀπὸ τοῦ ἀμυσίζειν, quod est ἀπνευστὶ καὶ χανδὸν πίνειν, *sine respiratione & magno faucium hiatu tractim bibere:* pro, ἀπνευστὶ πίνειν Henr. Stephanus habet l.γ. συμπος. προβλ. γ. τὴς γὰρ ἄθρους καὶ ἀπνευστὶ πίνοντας, *tractim & cum respiratione bibẽtes:* quod aduerbium concisè vsurpatur pro ἀναπνευστὶ, & opponitur πρὸς ἀπνευστὶ sine respiratione, vt doctè obseruauit German. Pimpon. in fin. 1. Æneid.

Rosa.] Valerius lib. 2. de Spartana loquens, scribit Ionas induxisse primùm consuetudinem mensæ secundæ, vnguenti, & scortorum in conuiuio dandorum. Apium quoque victoribus pro corona, teste Plin. lib.19. & 20. dabatur,

Breue lilium] Hoc epithetum aduersatur illi Virgiliano 10. Eclog. *grandia lilia*: hæc autem granditas referenda est è Plin. lib.20. cap.5. ad florem: *nullis,* inquit, *florum excelsitas maior.*

De breuitate huius plantæ nihil reperitur apud herbarios: neque multiplex est lilium, nisi colore, vt alterum sit candidum, alterum rubrum: hoc tamen est artificiale & factitium Plinio ibidem, & Dioscoridi lib. 3. cap: 116. est dubium & suspectum φασὶ δέ τινες καὶ περφυὲς ἄνθη κεῖνα γίνεσθαι, *affirmant nonnulli rubros esse flores lilij.* Restat igitur, vt breuitas περὶ τὸ ἀνθερικιῶδες sit, *in exigui temporis flore.* Quidam putant lilium manasse metathesi vnius literæ è Græco λείριον.

Deponent oculos in Damalin.] Pro hoc Virgil. dicit lib. 1. Æneid.

Fixos tenebunt oculos in virgine.

Diuelletur.] In re simili Terentius vtitur verbo distrahendi in Phorm. Act. 1. Scen. 4. *Si abs te distrahar, nulla est mihi vita expetenda:* quo verbo vis cohærentis ostenditur, ait, Donat. Ideoque geminantur lib. 1. de finibus bonorum & malorum, *nec diuelli, nec distrahi potest a voluptate.*

Lasciuis.] Lasciua valet hîc volubilis, vnde edera dicitur κισσὸς ἕλιξ ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν καὶ τὸ κεῖσθαι, quòd se implicet, & inuoluat corporib. alijs validioribus, nec potest se erigere sine illorum adminiculis humi strata & repens. Latina autem dictio *edera* dicitur, vt quidam volunt, ab arctè hærendo, vel ab edita petendo, vel ab exedendo id, quod amplectitur, vt Plinius scribit lib. 16. cap. 34. *Edera est inimica arbori satiq; omnibus, sepulcraq; ac muros rumpens, Galli ab arcte vinciendo Lierre* solent nominare. Huius mentio facta est Ode 1. lib. 1. de qua præterea vide Festum: quod posterius quantitate syllabica magis rationi versus congruere videtur. Catulli tamen versus ad rationem prioris etymi puto equidem respicere:

Tenax edera hac & hac arborem implicat errans.

Item ipse Epodis 15.

Arctiùs atq; ederâ procerâ astringitur ilex
Lentis adhærens brachiis.

Ambitioſior.] A propria notione verbi *ambire* deflectitur, quod est complecti & implicare, pro, quæ strictiùs amplectitur adulterum, quam ederæ arborem, cui adnituntur, & quàm certè tandem suo compressu enecant, vt lasciuæ puellæ suos amatores. Itaque nefas erat Flaminibus, id est, sacerdotibus Iouis, ederam aut tangere aut nominare, quod illos deceret esse castos & puros.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile tertiæ.

[a] Epanaphora est in &.

[b] Epistrophe est, idem sonus in fine vtriusque clausulæ.

[c] Epanaphora est eiusdem vocis sexies repetitæ.

[d] Sumtum est à terra, quæ arando redditur putris & soluta & subacta, vt facilius sparsa semina prælitus foueat sulcus; ad adolescentiam segetum lætiorem: vnde putris gleba & putre solum dicitur, Gallicè *terre bien meuble*, ad indicium profusæ & solutæ tam potionis, quàm libidinis, vt sumitur Satyr. 5. Persij

—— *Ille in Venerem est putris.*

• Synecdochicôs dicitur pro Numida, à quo non diuelletur.

[f] Est metaphora à magistratum petentibus: posset tamen propria notio retineri: quòd ederę non cessent oberrando inuestigare, ad quæ sese nexibus applicent: vnde potiùs hominum ambitio transferenda videtur. Nulla sunt alia modificata verba, nulla etiam oratio figurata, nisi fortè velis τὸ diuelli sumere à plantis, quæ propriè velli & exstirpari dicuntur ἐκριζοῦσθαι Græcè καὶ διασπᾶσθαι, διαλύεσθαι distrahi, vt membra.

Ode XXXVII. ad Sodales.

Theticum.

Cohortatio est Poetæ ad sodalitatem constituendam, & supplicationem Dijs decernendam, pro victoria nauali Augusti Cæsaris, de Antonio & Cleopatra reportata.

[1] *Nvnc est bibendum: [a] nunc pede libero*
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare puluinar [b] Deorum
Tempus erat [c] dapibus, sodales:
Ante hac nefas depromere Cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
[d] Regina [e] dementes ruinas,
Funus & [f] imperio parabat,
Contaminato cum grege [g] turpium
[h] Morbo virorum: quidlibet impotens
Sperare, fortunaq; dulci
[i] Ebria: sed minuit furorem
Vix vna sospes nauis ab ignibus,
Mentemq; lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia [k] volantem
Remis adurgens (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis niualis
Aemoniæ)[2] daret vt catenis
Fatale [l] monstrum: [3] quæ generosiùs
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit ensem: nec latentes
Classe citâ reparauit [m] oras.
Ausa & iacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes: vt atrum
Corpore combiberet venenum:
[n] Deliberatâ morte ferocior:
[5] Sauis [o] Liburnis scilicet inuidens,
Priuata deduci superbo
Non humilis [p] mulier triumpho.

Analysis Dialectica.

PRima cohortationis ratio est è dissentaneis diuersis, quorum pars antecedens est ad quintum versum: Non licebat Romanis anteà se iucunditati dare, per imminens imperio Romano ab Antonio & Cleopatra periculum: pars consequens est initio: Nũc autem id facere licet, ijs deuictis & è medio sublatis: quæ declaratur quadam distributione lætitiæ in comportationem, saltationes & in dies festos: pars antecedens

dens constat è descriptione Cleopatræ tum ex effectis: quòd machinata est pestem & perniciem in Romanos: quòd suis perturbationibus seruiens nihil non sperasset: (sic Tantalus Olymp. α.

Οὐ δυνάσθη μέγαν ὄλβον καταπέψαι,

Non potuit magnam concoquere felicitatem, ideoq; satietate illius decidit in extremam calamitatem:) persimile huic loco videtur quod Isocr. ad Demonic. sub fin. scripsit de diuitib. improbis, δικαίως ἄν τὺς πονηροὺς ὑπολάβοιμεν, μὴ μόνον χρήματα, ἢ δόξαν ἢ φίλους ἐνεχείρισεν οἰς ἄν τις αὐτὰ ἀναξίως τῆς παρ' ἑκόντος δαιμονίας κατέσκευε, i. *meritò igitur existimaremus eius generis homines non tantùm in seipsos iniurios, sed & fortunæ proditores, quæ cum eis opes, & gloriam, & amicos, in manus tradidisset, ipsi parata felicitate indignos se præbuerunt:* tum ex adiuncto comitatu hominum fœdissimorum: deinde ex aduersis, quòd acceptis damnis, amissæ classis, insolens eius lætitia in tristitiam versa sit consilio Cæsaris: qui celeritate vsus sit in adurgenda Cleopatra: duplici denique similitudine explicatur, cuius duplici πρότασι seruit apodosis vna, hoc modo: Vt accipiter adurget imbelles columbas; prior est propositio: &, vt venator leporem; altera: sic Cæsar acerrimè & proximè insectatus est Cleopatram fugientem; est simplex redditio. Simili argumento vtitur Hom. ιλιαδ. N. in celeri discessu Neptuni describendo.

Αὐτὰρ ὅ γ' ἰρηξ ὠκύπτερος ὄρτο πτηνῶν,
Ος ῥα τ' ἀπ' αἰγίλιπος πέτρης ἐσεμάσσατο ἀρδεὶς
Ὀρμήσει πεδίοιο διώκειν ὄρνεον ἄλλο
Ὡς ἀπὸ θυμὸν ἵει ποσειδάων ἐνοσίχθων, i.

Ipse autem vt accipiter perniciter volans concitatur ad volandum, qui à prærupta petra prælongâ lauatus, properat per planiciem, insequi auem illius generis: sic ab his digressus est Neptunus quatiens terram.

2 Proxima redditio declaratur fine, vt de regina tandem capta, eaque viua triumpharet. Fortitudo Camillæ celebratur contrà collatione parium ex eodem genere auium 11. Æn. v. 720.

Congreditur. pœnasq; inimico à sanguine sumit, &c.

Hic genus argumenti requirit interpunctionem membri, non ambitus, vbi Poeta canit virginem Camillam tam facilè vicisse iuuenem Aunum: quàm facilè vincit accipiter columbam: sed Hom. omnino similiter nostro Poetæ confert Achillem cum Hectore Iliad χ. sub initium, & ad versum:

Ὕπτε κίρκος ὄρεσφιν, &c.

vt accipiter in montibus, &c. quod Lectori relinquo quærendum & iudicandum.

3 Fortitudo mulieris, vel potiùs temeritas, declaratur reliquis 12. versibus: primò collatione maiorum: quòd maluerit fortiter manus cruentas sibi afferre, quàm incidere in illas hostis sui: deinde factis, quòd gladios districtos contemserit, quibus tamen non periit à Proculeio impedita: pressa ab hoste non se receperit in latentem & reconditam Aegypti regionem: in qua celeriter recuperata & occupata, & præsidio firmata poterat se & suos tueri & conseruare: qua de re dicitur moriens se increpasse, vt refert Seru. Æn. 8. v.

Pandentemq; sinus & tot à veste vocantem:

quòd ausa fuerit regiam suam euersam spectare vultu immoto: quòd serpentem tractare, illiusque atrum venenum in se admittere. Hoc tamen genus mortis Historia Dionis lib. 51. non asseuerat tale fuisse, καὶ τὸ μὲ τοιοῦτος θάνατος οἷος ἦν, ᾧ ἔστιν διεφθάρη κεντήματι δηλητηριώδει βεβλάπται μόνα ἑρέσθαι, i. *quo quidem mortis genere obierit, certum nemo nouit. Puncturæ enim tantum exiguæ in brachio eius repertæ sunt:* hæc sunt mulieris suâ fortunâ ebriæ præclara scilicet facinora: sed Ethnicis hæc, vt fortitudinis exempla, probantur, cuiusmodi est repetere illud ex historiis de vxore Asdrubalis, quæ Carthagine ab hostibus subactâ, seipsam cum ternis liberis in conflagrantis patriæ incendium immisit.

4 Argumentum ex efficiente tam excelsi, tamque magni animi, quòd iam prius fecisset ita mortem oppetere: vnde postea fuit animus in illa sibi conscisscenda.

5 Alia ratio fortitudinis ex fine. ne superbus triumphus de ipsa muliere nobilissima & potentissima Romæ ageretur: cuius quidem rei præscius Augustus frustra tentauit admotis Psyllis, qui venenum aspidis exsugerent, à morte vindicare: ait Suetonius in ipsius vita cap. 17.

Enarratio Grammatica.

Nvnc est bibendum.] Plutar. in Phocione dicit, pro victoria celebrare conuiuium, νικητήρια ἑστιᾶσθαι. Hæc autem Poetæ locutio imitatio est Alcæi, νῦν χρὴ μεθύσκεσθαι πάντα τὸν βίαν πίνειν· *nunc largè ad ferè coactos bibere oportet.* Hoc tamen interest inter congratulationem vtriusque: hic Horatius gratulatur Augusto, populoque Romano de obitu Cleopatræ: illic Alcæus morte Myrsili Tyranni lætatur, & de illa sibi vni gratulatur.

Pulsanda tellus.] Hoc valet, libere saltandum ademto nobis omni metu de Cleopatra. Ita Catul. in nupt. Iuliæ, *pelle humum pedibus*, id est, salta: sic ipse Od. 4. *Alterno terram quatiunt pede*, & Od. 1. l. 4. *Cădido pede in morem Salium ter quatiens humum.*

Saliaribus.] Designantur dapes lautissimæ, conuiniaque magnificentissima: qualia Salij Martis sacerdotes, de quibus Ode proximè antecedenti fuit, inter se agitabant. Hinc facilè cognosci potest discrimen, quod Seru. in v. Æn. 1. *Qui dapibus mensas, &c.* ponit, verum esse: dapes regum, quales sunt præsentes, qualemquoq; versus Martialis innuit;

Illa quidem lauta est, dapibusq; instructa superbis.

quod attinet ad rationem vocis, hæc creditur Festo apud veteres diuinis rebus attributa, & deflexa παρὰ τοῦ δαίω, τὸ μείζω, i. dispertio, & maximè à futuro δαίσω amotione τοῦ ω. Hæc est notatio; cuius definitio traditur, δαὶς ἔστιν ἡ μειζὼ δίοχα· τὸ γὰρ παλαιὸν δίενεμον τὰς ἑορτὰς, i. *daps est epulum & conuiuium diuiduum: antiquitas enim dispertiebat epulas*; quæ sunt priuatorum hominum, quales fuerunt illæ præcedentis Odes in gratiam Numidici reditus apparatæ: non desint epulis rosæ. Cum hoc videtur pugnare, quod est init. Æn. 1.

Tu das epulis accumbere Diuûm.

Puluinar.] Veteres Ethnici sternebant simulacris suorum Deastrorum lectos & puluinos, & lococedentiori proponebant, vel puluinaria dicebãtur lecti, qui sternebantur in templis, quum Diis apponebatur conuiuium: quod quidem sacrificij genus vocabant lectisternium aut dapem aut epulum; vnde epulones, qui sunt Eustathio Ὀδυσσ. Α. δαιτυμόνες, διασωτεῖς, συμπόται. Hi autem conuentus tum ferè agebantur, quum supplicatio decernebatur vel ad auertendum aliquod malum: quod aut impenderet, aut vrgeret: vel ob prosperos rerum successus ac euentus. Præterea talis supplicatio constituebatur nunc vni Deastro, nunc alteri, nunc omnibus ad omnia puluinaria: qua de re leges *Philip. 14. in Antonium. 3.* Catilina. *Suetonium* in *Cæsare & Domitiano Primo loco M. Cornutus prætor vrbanus supplicationes per dies 50. ad omnia puluinaria constituat. Secundo amplior etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali tensam & ferculi in pompa Circensi, templa aras, simulacra iuxta Deos puluinar, flaminem, Lupercos, &c. Puluinar* autem Grãmatici deflectunt à plumis, sicut *cella*, à celãdo & occultando ibi, quæ volumus condita seruare.

Tempus erat.] Enallage temporis pro, *est*: quamuis nonnulli aliter sentiant.

Nefas.] Poetæ vt plurimum sic nefas cum infinito construunt: Cic. tamen Dial. de senect. dicit *nefas dictu esse videtis*; quem etiam Virg. imitatus est Æn.3. *nefas dictu prodigium*: quod prius Gaza vertit in Græcum, ἄθεμιστον φάτιν: vnde liquet phrasin esse Græcam.

Cæcubum.] De hoc in Gram. Od. 20.

Capitolio.] Capitolium dictum est à capite humano in ipso monte Sabino reperto, dum fundamenta iacie- in ipso monte Sabino reperto, dum fundamenta iacie-
bantur, & arx Romæ construebatur à Tarquinio Superbo, de quo Plin. l.3. c.5. Tit. Liu. Dec.1. l.5. Varro lib. 4. de lingua Lat. Alij tamen malunt eandem vocem dici, quòd esset ἀκρόπολις, ἡ κορυφὴ τῆς πόλεως.

Cum grege.] Iosi. Scaliger & Cruquius ex antiquis exemplarib. putant per iuncturam legendum *congrege*. Sed de turpitudine Eunuch. lege Greg. Nazian. in Epitaph. Basil. Magni: vbi vocat *eos inter mulieres viros, inter viros mulieres, & ad patiendum magis, quam ad agendum promptiores.* De Eunuchis & Spadonibus dicetur copiosiùs Epodis 9. eiusdem cum hac Ode argumenti.

Morbo virorum.] Rectio est Grammatica pro conuenientia, *viris morbosis*. i, impuris, congregibus & effœminatis, impudicis, quomodo canit Catul. in Mamurram & Cæsarem: *Morbosi pariter gemelli vtriq;*.
Quid autem differant morbus & vitium lege lib. 4. c. 2. Agel. quos Hippocrates vocat ἐνυχίους, euiratos, quales sunt θλιβίαι, θλασίαι, ἀπάδονες, qui definiuntur ἄνδρες ἐχ' οἱ τε λαγνεύειν, τοῦτ' ὅτι ἀσπερματίζειν, vnde Pythia Terentiana Act. 4. Sc. 3. v. 23. Eunuch. *At pol ego amatores audieram esse mulierum eos (Eunuchos) maximos; sed nihil posse*, quos Iuuenalis Sat. 6. sic notauit,

Sunt, quas Eunuchi imbelles ac molli semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ.

Hìc τὸ *imbelles* sonat *inutiles* ad concubitum, vt versus sequentes similibus arguunt,

—— Et, si quando ad prælia, ventum est,
Vt quondam stipalis magnus iam viribus ignis,
Incassum furit.

Ex quo etiam ἀνανδροι nominantur effœminati: sic Phędria prodigiosè Dorum Eunuchum cognominat Act. 4. Sc. 4. ibidem: *Taces? monstrum hominis*: benè, ait Donat. Eunucho dictum est monstrum hominis, hoc est nec mas nec fœmina existēs: quorum operâ Cleopatra sperabat delere principatum Romanum. Est igitur hic casus caussæ.

Impotens.] Impotens est, quod Græci ἀκρατὴς ἄχετ& dicitur, qui affectibus suis non potest imperare, non autem qui corpore est inualido & debilitato, i. ἀδυνάτος ἢ ἄῤῥωστος, quo priori modo accipitur Od. 1. lib. proximè sequentis, *multa cesserat impotens tellure*. Ita Cic. Epist. 1. l. 10. Antonium vocat hominem impotentissimum & intemperantissimum, qui non poterat regere animum ratione, nec sibi imperare.

Ebria, &c.] Hoc ebrietatis genus Græcè vocatur ἄοινος μέθη, quomodo Plutarch. scribit in συμπ&. Theophrastum appellare solitum τὰ κυρτὰ, μέθην ἄοινον, i. *constrinas ebrietatem sine vino*: quòd non secus τοῖς φλυαρίαις ἢ λεπτολογίαις, i. *temulenti fierent, nugatoriis sermonibus*, quòs postea effutirent, qui otiosi desiderent illic, atque hi vino, qui totum diem potarent in oenopolio. Sic Plato lib. de legib. sumit τὸ μεθύσκειν ἰατρικῶς, ὅτα δ' ὑδονῆς μεθύσκοντα, παραφέροντα ποιεῖ, i. *quæcumque voluptate inebriant hominem, dementiâ deprauant.*

Ab ignibus.] De his & de tota hac historia lege Epod. 9. & Plutar. in vita Antonij.

Ab Italia.] Agell. l. 11. c. 1. scribit *terram Italiam de Græco vocabulo appellatum: quoniam boues Græcâ veteri linguâ, ἰτα-*
λοὶ vocitati sunt: quorum in Italia magna copia fuerit; bucerasq; ibi gigni & pasci solita sint compluria.

Lymphatam.] Hæc dictio à Græca deflectitur permutatione literæ *ν* in λ: itaque Lymphę valent idem, quòd Nymphæ, & Lymphatus, quòd νυμφόληπτ&, spiritu Nympharum correptus, ὁς κατέχεται& Νύμφαις, *qui perspectâ effigie Nymphæ è fonte semper furebat*. vt scribit Festus. Lymphatus pro eo sumitur, qui horrore aquę, in ipsam dat se sæpè præcipitem, & Græcè dicitur ὑδροφοβος. Morbus autem ille mentis est ὑδροφοβία ἢ νυμφολη̃πτος, quam Plinius Lymphationem appellat, & Lymphari pro Græco νυμφιᾶν, corripi furore Lymphatico.

Mareotico.] Mareotis pars est Ægypti è Strabone: Altera etiam pars Libyę contermina Ægypto l. 14. c. 3. Est quoque pars Epiri, vbi optimum nascitur vinum: de hac Græca vite 2. Georg.

Sunt Thasiæ vites, simul & Mareotides albæ.

Sunt autem Thasiæ ab Insula Thaso maris Ægæi: sed puto Horatium de Mareotide parte Ægypti intelligere velle, non ausim tamē affirmare: quia prælium commissum est ad Actium Epiri promontorium, de quo prælio lege Liu. Plutar. Suet. & Orosium. Præterea in Mareotico ellipsis est τῦ *vino*. Quidam intelligunt de vino Alexandrino à fonte Marea in Alexandria.

Accipiter sacer.] Seru. in lib. Virgilij modò in Dialecticis citato existimat his duobus verbis τὸ ἱερὸξ Græcum expressum: quo similis accedit Gallica interpretatio *sacre*. Etymum autem vocis Græcæ dicitur παρὰ τὸ ῥᾴων ἱέσθαι, ἢ παρὰ τὸ τὰ ἱερὰ ἁρπάζειν· quòd facilè feratur, aut magna rapiat: sed Latinæ vocis ratio ex sese satis est nota & accedit proximè ad naturam auium rapacium, quam Aristoteles lib. 8. hist. animalium tradit: *in genere auium*, inquit, *quibus vngues aduncì, omnes carnituræ sunt, vt aquila, miluij, accipitres, & rapaces è præda viuentes.*

Aemonia.] Aemonia dicta est Thracia ab Aemone monte: vel, vt aliis placet, sic Thessalia vocata est.

Monstrum, quæ.] De voce *monstrum, portentum & prodigium*, vide Isidorum & Nonium & Frōtonem: refertur ad Cleopatram sensu, non ad *monstrum*, verbo.

Ferocior.] Id est, fortior, animosior: ita Nonius distinguit *ferox* & *ferus*, vt illud per *fortis*, hoc per *sæuus* interpretetur, vt aliàs notauimus. Cleopatra autem κλεινὸν τὸ τῆς πατρὶδ& κλέ&, *patriæ gloria vocatur.*

Expauit.] Sic loquitur Suet. de D. Claudio c. 36. *quasdam insidias temerè delatas adeò expauit, vt deponere imperiū tentauerit*: vnde Regina cognoscitur animi fuisse virilis, & Imperator muliebris ac puerilis: vnde pauor definitur metus mentem loco mouens, l. 4. Tusc. 1.

Liburnis.] Liburni sunt populi Illyrij ad mortē semper paratissimi: horum classe Cæsar peperit victoriam contra Cleopatram. Liburnia autem est pars Dalmatiæ, de qua Appian. l. 2. & Plin. 3. lib. c. 23. Strab. l. 7. Hic Poeta consultò nullam Antonij mentionem facit, ne videatur hoc bellum esse ciuile, de quo non liceret agere triumphum.

Scilicet.] De hac voce sic Don. in Heaut. Act. 1. Sc. 3. ad hunc locum — *hic de nostris verbis errat videlicet: scilicet & videlicet* idem significare videntur, quod *certè*. Ideoque in Adelph. Act. 3. Sc. 4. vocatur ab eodem confirmatiuum, pro *videre & scire licet*: sed habent vsum suum per amaritudinem cum risu permixtam, i. per Ironiam, atque tum negatiuum, vt; *id populus curat scilicet*, i. non curat. Hìc Donat. non dicit, habent vsum διὰ τῆς ἐπεξηγήσεως, *per explanationem*, quomodo permulti vtūtur, dum sic loquuntur: *ibo ad te postridie Liberaliorum, si bene valuero scilicet*: quem loquendi modum boni Latinitatis auctores nunquam sequuntur,, vt Cic. fecit l. de senect. *Ennius ita ferebat duo, quæ maxima putantur, onera; paupertatem & senectutem.*

senectutem, non addidit ad onera, *scilicet*, paupertatem & senectutem.

Priuata.] Id est, vt mulier vulgaris nolens deduci superbo triumpho, & inuidens profectò Liburnis honorem talis deductionis, vt quæ esset clarissimo genere summoque loco nata, & animo excelso prædita. Vox autem *mulier* dicitur à mollitie, sed Græca γυνὴ παρὰ τὸ μολῶ, à genitura, Platoni deducitur.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est simile nonæ.

[a] Epanaphora est in triplici repetitione particulæ *nunc* initio sententiæ.

[b] Metonymia subiecti pro adiunctis simulacris Deorum.

[c] Sumtum à sumtuosis sacrificiis sacerdotum Saliorum. Tali tropo dicuntur hic Cæcubum & Mareoticum, quali Od. 1. lib. 1. Massicum & 20. Sabinum, Formianum, Falernum, Fundanum pro vinis generosis.

[d] Synecdoche generis pro Cleopatra.

[e] Metonymia est effecti pro caussa efficiẽte aut certè arguẽte dementem & insanum eum & insipienter excogitantem, qui illas moliretur ruinas. Sic Cicero ex Ennio in Catone maiore, *quò vobis mentes dementi sese flexêre ruinæ?* quod Græcè Gaza seruato tropo vertit, ἄφορα ἀπαρπόν.

[f] Metonymia adiuncti pro Romanis imperantibus orbi: qui modus est in Capitolio contrarius.

[g] Synecdoche periphrastica Eunuchorum & Spadonum reginæ satellitum: qui à Physiognomonibus iudicantur homines ferini, fraudulenti, maledici; impudici, timidi, suspicioſi, leptophoni, imberbes, voce gracili: qualis est sexus muliebris, ad quem proximè accedunt.

[h] Synecdoche generis, pro Cinædica obscœnitate & fœditate: ac præterea metonymia adiuncti pro viris ipsis è colluuie hominum collectis.

[i] Translatum est ab immodicè potis, pro nimis elata rebus secundis, & insolens luxuriosis Antonij amoribus. Non minùs est insignis illa Pindari metaphora in exemplo suprà in Dialecticis citato de Tantalo magnam felicitatem non coquente, quâ Cic. Epist. 4. l. 9. vtitur per verbum Græco καταπέπεσεν ὄλβον καὶ γόλον affine. *Diodotus πώτην χρίσιν non concoquebat*, i. improbabat & fastidiebat, sicut stomachus ingratos cibos. Simili tropo Virg. 1. Æn. sub fin. dicit de Didone.

—*longumq; bibebat amorem.*

vt Græci μεθύειν πλούτῳ, καὶ ἔρωτι καὶ τοῖς μεγάλοις πράγμασιν, i. *diuitiis, amore & mole negotiorum ebrium*, hoc est, infatuatum & obrutum esse: sed illud è Timoleontis vita apud Plutar. hunc locum maximè explanat: ἐπὶ παροινίᾳ δὲ τῆς τύχης, *nec q; fortuna ebrius*, vel potiùs petulãs & contumelioſus factus est rebus secundis. Simili metaphora Theocrit. est vsus εἰδυλ. κγ. διοσκόρ. Ἔστη δ' ἐπὶ παισὶ μεθύων, *sed Amycus stabat plagis ebrius*: Gall. *bien saoul & estourdi de coups & crachoit le sang.* Nonius incogitantiâ tropi tradidit ebrios dici posse qualibet re expletos.

[k] Nota est metaphora ad significandam fugientis Cleopatræ celeritatem, ne capta Romam deduceretur.

[l] Metaphora à re prodigioſa, quasi reseruata & destinata Cæsari triumphaturo.

[m] Synecdoche est partis pro tota Ægypto abditè latenti propter situm loci, vt Strabo libro decimo septimo duabus de caussis scribit illam iam inde ab initio pacatam fuisse; vt ingentibus copiis ex sese munitam, & gentibus exteris accessu perdifficilem (aliqua tamen ipsius regio videtur ab exteris tum detenta ex verbo *reparauit*) sicut videre ibidem licet è topographia: vnde Cic. Agrariâ 2. Ægyptum hac appellatione affecit: *quid Alexandria, cunctaq; Aegyptus? vt occultè latet? vt recondita est?* Ideoque Iustinus lib. 2. narrat, *Scythas ab Aegypto paludes prohibuêre.*

[n] Sumtum à libella & trutina, quâ quid perpenditur, iustíne, an iniusti sit ponderis, pro constituta & certò consulta & prouisa morte: Gall. *Pour pensee, & quasi pour pesee* ad rationem libellæ: quo verbo significatur maturitas quædam cogitationis, vt ait Don. Hec. Act. 3. Scen. 5.

[o] Hoc puto metonymicῶς explicandum, pro, inuidens Augusto honorem triumphi de se viua Romæ futuri: vbi laus victoriæ videtur tribui, non Imperatori, sed militibus; non Domino, sed ministris, ea de caussa, quam in Grammaticis modò attigimus.

[p] Synecdoche generis pro Cleopatra nobili.

Ode XXXIIX. Ad Puerum Suum.

Theticum.

Puero præscribit apparatum mensæ, quem ab eo requirat.

[a] *Persicos odi, puer, apparatus:*
Displicent nexæ philyrâ coronæ:
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Simplici myrto nihil allabores,
Sedulus curo: [2] *neq; te ministrum*
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

Analysis Dialectica.

VT Ode verbis, sic argumentis breuissima est: vno enim & altero nititur argumento. Priore exdiuersis: *Non ego delector splendido apparatu cœnæ, lectis, auro, & gemmis fulgentibus, vnguentis, odoribus, sertis operosis & intempestiuè quæsitis, & similibus deliciis: sed accubatione cespititiâ & vimineâ, victu maximè simplici ac tenuissimo*: quem Græci vocant δίαιταν ἀφελῆ καὶ λιτὴν, καὶ ἀπέριττον· qualis Horatianæ frugalitatis & sobrietatis mentio fit Sat. 6. L. 1. ad verba, *incedo solus, percunctor, quanti olus, ac far. &c.* qualem etiam fortasse memorat Cic. 5. Tuscul. Persis fuisse, antequam Medos subegissent: sed posteà Herodot. in Calliop. & Plutarch. narrant eum fuisse sumtuosum & luxuriosum. Item lib. 1. Pędię, Persarum victus, ait Tullius à Xenophonte exponitur, quos negat ad panem quicquam addere præter nasturtium.

2 Est hic quædam vis parium ἐκ παρὰ πρόσωπα, tum ad confirmandam posteriorem diuersitatis partem; tum ad puerum fortasis lautissimi victus studioſum & cupidum corrigendum. Perinde, inquit, te decet tenuiter viuere ministrum, atque me Dominum tuum: quare ne

studiosiùs ac delicatiùs quæramus epulari sub auratis laquearibus,& lectisterniis odoratis: quum turpe sit luxu & voluptatibus diffluere,& rectæ valetudini pernicioſum: contrà, honestum & salubre parcè, frugaliter, ac sobriè viuere: quò certè vocantur homines loco proverbij,

Ρόδον παρελθὼν, μηκέτι ζήτει πάλιν.
Ne quære rursum præteritam semel rosam.

Enarratio Grammaticà.

Persicos.] Valerius scribit Xerxem in tantum luxum olim effusum, vt, propositis præmiis, vbiq; conquirenda curârit noua deliciarum & voluptatum genera. E secunda quoque Ciceronis Catilinaria perspicimus eos, qui luxuriosius epulari solebant, & mollitiem profiteri, sertis redimitos,& vnguentis odoratis perfusos olim cœnitasse. Si hanc Od. conferas cũ Sat. 7.l.2. comperies à Dauo seruo lautiorem mẽsam obiici Horatio,qui studet hîc videri minimè edax conuiua & haberi inimicus cænis sumtuosis, atque apparatu contentus tenuiculo.Sen.valde commendat huiuscemodi frugalitatem mẽsæ Epist.25. *Diuitiæ paratæ sunt,aut gratuitum est,quo egemus, aut vile. Panem & aquam natura desiderat. Nemo ad hæc pauper est: intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat*, i. tam felix est, quàm ipse Iupiter, vt ait Epicurus: quod videtur sumtum è quadam Euripidis Tragœdia,

Επεί τι δεῖ βροτοῖς, πλὴν δυοῖν μόνοιν,
Δημήτερ' ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδρηχόου, i.
Quanquam quid opus est mortalibus, nisi duobus,
Frusto panis & potione aquatica?

Laertius in vita Epicuri idem refert, *χρῆσθαι μάζᾳ καὶ ὕδατι μόνον καὶ ὅλως τοῖς ἄρτου δεομένοις ἡδονὴν παρεκτείνειν, i. panis & aqua summam inijciunt voluptatem* Itidem Sen. l. 1. c. 7. de tranquillitate animi gloriatur sic de tali victus tenuitate, *Placet, ait, cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent, non ante multos dies paratus, nec multorum manibus ministratus: sed parabilis facilisq;, nihil habens accersiti pretio, sed vbilibet non defuturus, placet minister incultus ac rudis vernula, &c.*

Philyrâ.] Philyra, Gall. *teillet*, est tenuissima & subtilissima tiliæ membrana inter corticem & pulpam arborum, cui in orbem actæ flores & frondes inserebantur,& maximè ederæ, rosæ, violæ, lauri, amarici, lilij, narcissi, myrti ad ebrietatem & capitis dolorem ex nimia potione ortam discutiendam; partim cõstringendo, partim refrigerando: sed de Philyra lege Theophrast. l. 3. c. 10. Plin. l. 16. c. 14. Ælian. l. 14. c. 12. Quam Dioscorides lib. 1. *φιλύρεαν* vocat per geminum λλ. Herodotus tamẽ dicit *φιλύρεω τείχεα ξύσαι*, i. *vbi quis tiliam trifariam sciderit*: quia vt tradit Theophrastus loco superiori, lignum ipsius est admodum fissile, atque sequax: vnde tilia vox Latina putatur dicta, ideo texendis cistis & corbibus valde idonea. Huius etiam nominis fuit mater Chironis Centauri Phillyra.

Mitte sectari.] Hoc verbum cum infinito est cessantis, vt Epod. 13. *cætera mitto loqui*, & Andr. Act. 5. Sc. 3. *mitte mala loqui*, pro *desine*: sæpè cum casu idem valet, mitto singultus, lacrymas, iras, pro cesso irasci, singultire, lacrymare, sed sæpiùs exponitur pro dimitto, pono, & depono talia.

Quo locorum.] Non hoc accipiendũ est, vt illud Plauti, *quo gentium fugiam*? sed vt illud Ciceronis, *vt quod haberent militum, ad te adducerent.* Ideoque supplemus ellipsin præpositionis *in quo locorum.* Sera autem rosa hîc dicitur vt apud Varron. & Colum. corda frumenta, quæ serò matureſcunt. Valet igitur quibus in locis & rosariis post ver præceps rosæ tardè succrescant: quod quidem contingit oris frigidioribus & ab Italia remotioribus, vbi est ver serius, vnde non nisi magno sumtu rosæ petuntur: quibus vt nihil est suauius, ita nihil magis caducum ac perbreuis temporis. Itaque suâ tempestate ipsarum flores legendi sunt. Nam Auctore Varrone li. de re Rustica primo, dies primus veris est in Aquario: æstatis in Tauro: autumni in Leone: hyemis in Scorpione: cuius veris initium à Fauonio est huic Poetæ Ode 7. lib. 3.

Quid fles Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Fauonij.

& Cic. l. 7. in Verr. *Quum autem ver esse cœperat: cuius initium iste non à Fauonio, neq; ab alio astro, id est aquario notabat: sed quum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur:* Hæc autem dicta sunt à Cicerone ad summam Verris mollitiem notandam.

Allabores.] Allaborare est improbo labore adiungere ad aliquid alia.

Sedulus curo.] Antimeria pro sedulò, ex animo & instanter id vnum curo, vt nihil reliquarum plantarum curiosiùs ac exquisitiùs addas ad myrtum: cuius vires disce è Dioscor. l. 1. c. 156. Hac plantâ fortasis gaudet, quia parabilis est quoque tempore & Veneri à veteribus consecrata, vt dictum est Ode 4.

Sub arcta.] Id est, sub vmbraculo pampinaceo, quod prebet vitis pergulis arctè fulta: quę nisi sociaretur cum aliis firmioribus plantis, humi serperet.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Synecdoche est speciei ad magnificentissimum quemque & omni genere deliciarum cumulatissimum conuiuij apparatum indicandum, vt apparuit ex historia Valerij initio Gram. & certè huiusmodi sententias Parœmiographus retulit in adagia, quarum catalogũ ex hoc Poeta collectum lege Chiliad. 1. Centur. 4. qui quanquam ingens videtur, præsertim cum catalogis reliquorum cuiusq; generis scriptorum coniunctus, ex locis tamen tum inuentionis, tum Rhetoricæ elocutionis est depromtus & longè copiosissimè ex iisdem fontibus hauriri potest ab erudito & diligenti lectore cuiusuis scripturæ. Nihil est prætereà hîc modificatum, aut figuratum: nisi *τὸ locorum* velis etiam *συνεκδοχικῶς* intelligere pro speciali, quibus in regionum rosetis serò florent rosæ. Item, *sub vite*, pro sub pampinis vitis, & palmitibus eiusdem.

[b] Metaphora ab animatis ad inanimata, pro serò efflorescat rosa.

Finis libri primi.

Q. HORA-

Q. HORATII FLACCI VEN.

CARMINVM LIBER SECVNDVS.

ODE I. AD C. ASINIVM POLLIONEM.

Theticum.

Quòd Pollionis Tragœdia, vel historia Tragica de bello ciuili, non committenda sit theatro tempore pacis parùm confirmatæ.

[a] *Otum ex* [b] *Metello Consule ciuicum.*
Belliq; caussas, & [c] *vitia, & modos,*
[d] *Ludumq; Fortunæ, grauesq;*
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis vncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus [e] *aleæ*
Tractas: & incedis per [f] *ignes*
Suppositas cineri doloso.
Paullùm seueræ [g] *Musa Tragœdiæ*
Desit theatris: [2] *mox, vbi publicas*
[h] *Res ordinâris, grande* [i] *munus*
[k] *Cecropio repetes* [l] *cothurno:*
[3] *Insigne mœstis* [m] *præsidium reis,*
Et consulenti Pollio [n] *curiæ:*
Cui laurus [o] *æternos honores*
Dalmatico peperit triumpho.
4 [p] *Iam nunc minaci murmure cornuum*
Perstringis aures: iam litui strepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumq; vultus:
Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere sordidos,
Et cuncta terrarum [q] *subacta,*
Præter atrocem animum Catonis:
[5] *Iuno, & Deorum quisquis amicior*
Afris, inultâ cesserat impotens
[r] *Tellure: victorum nepotes*
Rettulit inferias Iugurthæ.
[6] *Quis* [s] *non Latino sanguine pinguior*
Campus sepulcris impia prælia
Testatur, auditumq; Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare [t] *Dauniæ*
Non decolorauêre cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
[7] *Sed* [u] *ne relictis* [x] *Musa procax iocis*
Ceæ retractes [y] *munera Næniæ.*
Mecum Dionæo sub antro
Quære [z] *modos leuiore plectro.*

Analysis Dialectica.

TOta hęc Ode prudentię est & consilij, quod Poeta cum Pollioni fidele tum vtrique salutare ac perutile Reip. dare videtur. Non enim poterat historia vel epopœia, vel tragœdia prætexta Pollionis de discordia ciuili tractari, atque multò minùs in scena tunc spectari, sine grauissima multorum offensione: qui se, quasi flabella illius concitatæ, maximo cum periculo Auctoris, notari existimarẽt. Talis autem tarditatis, & procrastinationis ratio, quamlibet harum scripturarũ intelligas, petitâ est è dissentaneis diuersis, hoc modo: Neutra, vel compositio historiæ, vel constitutio Tragœdiæ de bello ciuili hoc tempore publicanda est à Pollione: sed publicatio & actio illius in summam Reipub. tranquillitatem differenda. Admonet me hic locus, Lector, præter cęteros, vt te ad Dialectica Odes primæ libri 1. remittam: vnde disces vim huius argumenti à diuersis, si fortè tibi ex animo excideret, & quomodo distingui debeat à dissimilibus. Ad priorem autem partem huius dissensionis diuersæ, his verbis Poetæ breuiter comprehensam: *paullùm seueræ Musa Tragœdiæ Desit Theatris:* quæ valet: *Historia Tragica, quam Pollio scripsit de bello ciuili, nondum est in lucem proferenda*; pertinent octo versus primi ex causis huius belli, & euentis constantes. Sed cur in publicum nondum debeat prodire, & in scenam ascendere tale opus, docet Cic. 2. de Orat. *Quoniam*, inquit, *in rebus magnis memoriaq; dignis consilia primùm; deinde acta; postea euentus exspectantur: de consiliis quid scriptor probet, decet significari, & in rebus gestis declarari, non solùm, quid actum, aut dictum sit; sed etiam quomodo: & quum de euentu dicitur, vt caussæ explicentur omnes, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis, hominumq; ipsorum non solùm res gestæ, sed etiam, qui famâ & nomine excellant, de cuiusq; vita, & natura* Quare quum fundamentum historiæ iactum sit in dictione veri, & declinatione falsi, & in fugienda suspicione gratiæ & simultatis; certè historicus, horum omnium arbiter, in summo vitæ, & fortunarũ periculo versatur, si ab hac religione officij, vel tantillum quidem velit declinare, id est, historiæ leges, dum alicuius nomen scriptis ipsius illustratur, & celebratur, studio negligere. Eam ob rem Sallustius in historia Catilinæ querebatur. *At mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem & auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primùm, quòd facta dictis exaquanda sunt: deinde quòd, si delicta reprehenderis, pleriq; malevolentiâ & inuidiâ dicta putant.* Quòd autem Asinius Pollio Historiam rerum Rom. scribere tentârit, Suetonius Tranquillus testimonio est de illustribus Gram. *Coluit*, ait de Attejo Philologo, *postea familiarissime Crisp. Sallustium, & eo defuncto, Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos alterum breuiario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit; alterum præceptis de ratione dicendi.*

2 Quæ deinceps memorantur variè dilatata, spectant ad posteriorem partem dissensionis diuersæ, quæ

est eiusmodi: *Sed descriptio & publicatio discordiæ ciuilis in pacatum Reipub. statum reiicienda est à Pollione*, quum tutò & liberè quicquid gestum sit, & acciderit, penè sub aspectum nobis subiicere poterit.

3 Scriptor huius carminis præstat se prædicatorem meritorum Pollionis erga Senatum & reos, quos omnes volebat Augusto conciliare, qui fauissent Antonio contra Augustum. Id autem è loco effectorum & adiunctorum, quòd re & operâ reos, Senatum consilio adiuuerit: quòd honore triumphali de Solonis Dalmatiæ ciuitate ornatus fuerit.

4 Amplificatur eadem pars diuersorum descriptione historiæ è variis & factis & euentis, quæ discordiam ciuilem consequuta sunt, &, quasi nunc gerantur, ante oculos proponuntur.

5 Memoratur eòdem spectans princeps caussa belli ciuilis à Poeta, tanquam à Pollione repetita, & profecta à Diis Africæ tutelaribus grauiter offensis & iratis: quòd Romani crudeliùs se gessissent in Afros & Numidas, quàm æquum fuerat, & lenis hominum natura postulabat.

6 Deplorat imperij Romani ruinam ex subiectis, quòd illa vbique & facta & audita sit: vbique sanguis Romanorum profusus, vbique cædes Romanorum factæ.

7 Iã ostendit se ab hoc lugubri argumento velle digredi è loco simili superiori, sed breuiùs, quàm ille fuit, comprehenso: *Lugubria, & tristia*, (qualia sunt vulnera, cædes, incendia, vastationes, latrocinia, raptus mulierum) *quæ cõmemorare est proprium munus carminis lugubris: talia*, inquam, *non sunt nobis nunc canẽda, nec misera luctuosaq; hæc tempora versibus meis mandanda, sed iocosa, amabilia, facета, iucundissima denique omnia, quæ debent propriè mollibus aptari citharæ modis in loco ad id accommodato.*

Enarratio Grammatica.

Motum.] Hæc syntaxis, quia contexitur hyperbatico verborum traiectu, videtur retexenda rudioribus: *O Pollio, insigne præsidium mœstis reis, & curiæ consulenti, cui laurus, &c. tu tractas motum ciuicum, belliq; causſas, &c. & incedis, &c.* Dum ita hanc orationem retexo, non erit opus notâ periodi post *doloso*, neque illam postulat vis argumenti, quod obseruauimus, neque opinio eorum, qui versus nouem etiam ad Tragœdiam, non ad historiam, putant pertinere, eandem requirit. Hic igitur sensus erit: *Quanquam bellum ciuile tractas, & facta Principum, Consulum, Prætorum, Tribunorum plebis, personarum denique publicarum canis*; id est, *Tragicam historiam scribis*: vides in hac antecedente nostri argumenti parte sententiam nouem versuum contineri, & adhuc eam ipsam imperfectam, & suspensam esse: ad quam, si hæc pars consequens addita fuerit, *noli tamen istam scriptionem in aspectum, & lucem hoc tempore proferre*, habebis quidem perfectam sententiam: ita tamen vt aliam exspectet, quam ad plenum sic expleueris: *quum autem in Repub. sine vlla turba & rerum confusione, per tuam prudentiam viuemus; illam tum historiam tragicam populo spectandam & cognoscendam dabis.* Fuit autem hic Pollio, vel ex ipsa litera præsentis Odes, historicus, Poeta Epicurus, Tragicus, Orator, Iurisconsultus, & Imperator: idem videtur confirmare Seru. in 3. Ecl. præsertim de illius amore in Poeticam, & honoribus.

DA. *Pollio amat nostram, quamuis sit rustica, Musam.*
Pierides vitulam lectori pascite vestro.

ME. *Pollio & ipse facit noua carmina: pascite taurum:*
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

DA. *Qui te Pollio amat, veniat, quò te quoq; gaudet:*
Mella fluant illi: ferat & rubus asper amomum.

Verba Seruij sunt: *Blanditur Pollioni patrono: quem Horatius historiarum & Tragœdiarum scriptorem ponit: nam in secundo carmine de historia dicit: periculosæ plenum opus aleæ tractas. Item paullo post: paullùm seueræ Musa Tragœdiæ desit Theatris*, Hæc autem protuli, vt ostenderem hanc de Tragœdia opinionem hoc loco non esse tantùm interpretum recentiorum, verùm etiam antiquorum, ac simul cogitent, qui hîc arbitrantur τὸ *Musa seueræ tragœdiæ, desit Theatris* ἀλληγορικῶς solùm designare promulgationem historiæ de discordia ciuili; quantum derogent fidei testimoniis Historicorum & Poetarum de Pollionis eruditione & experientia. Vbi nomine carminum nouorum putat Tragœdiã significari, quæ exprimitur hîc: quanquam illic taurus (qui debetur Epicis) non hircus, Tragicis debitus, proponitur, vt Bucolicis vitula pro præmio, ex consuetudine veterũ. Deinde ex illa optatione similium bonorum intelliguntur illius Consulatus & Triumphus de captis Solonis, de cuius nomine posteà filium, sibi tẽpore expugnationis natũ, Soloninũ cognominauit, cuius carmen Φωσφόρον Virgil. fecit Ecl. 4. Pollionis nomine inscriptam. Fuerunt autem Soloni oppidum Dalmatiæ, quæ pars est Illyrij Liburniæ finitima. Videtur Sen. Epist. 101. hunc Pollionem agnoscere oratorem ex ipsius comparatione cum Cicerone: *Lege Ciceronem*, inquit, *compositio eius vna est: pedem seruat: curata, lenta &, sine infamia, mollis. At contrà Pollionis Asinij salebrosa & exsiliens, &, vbi minimè exspectes, relictura: denique apud Ciceronem omnia desinunt; apud Pollionem cadunt; exceptis paucissimis: quæ ad certum modum, & vnum exemplar adstricta sunt.* Meminit huius Sueton. in I. Cæs. c. 3. & 55. Priscian. quoque citat ipsius Annales: præterea Sen. lib. de tranquill. vitæ, sic de ipsius studio scribit: *Quidam nullum non diem inter otium & curas nõ diuidebant: qualẽ Pollionem Asinium oratorem magnum memininus, quem nulla cura vltra decimam retinuit: nec Epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid nouæ curæ nasceretur, sed totius dei lassitudinem illis duabus horis ponebat.* Seru. in hunc v. Æn. 6.

Atq; vmbrat agerunt ciuili tempora quercu:

citat hũc locum, ac videtur accusare suum & nostrum Poetam acyrologię, quòd hic dixerit motum ciuicum pro ciuili: ille ciuili quercu pro ciuica, i. corona, de qua lege Plin. l. 16. c. 4. & Agell. l. 5. c. 6.

Ex Metello Consule.] Exple, iam inde initum & inceptum, i. tuam historiam iam inde ab eo vsque tempore repetis, quum Metellus celer cum L. Afranio Consulatum gerebat. De hac phrasi & temporis designatione, per Magistratus, & Consules dicetur Deo volente Od. 8. lib. 3. Suet. in vita Iulij meminit cuiusdam epistolæ, quam Cicero dicitur scripsisse ad Appium: vbi nominatim notat Cęsarem in Consulatu confirmasse regnũ, de quo Ædilis cogitârat. Illo enim primùm Consule, leges multæ sunt latæ contra libertatem publicam & maiorum instituta. Prætereà anno ab Vrbe condita 694. Cæsar, Pompeius & Crassus conspirarunt: quod bellum Appianus τριέφενον, *triceps* vocat, de quo vide lib. Dionis 37. Alij tamen malunt altiùs repeti à Pollione vsque ad suam ætatem causſam discordię ciuilis, à Consulatu Q. Cæcilij Metelli Numidici, & M. Iunij Syllani anno 643. ab Vrbe condita: quo tẽpore hic Metellus gesit bellum aduersus Iugurtham, vnde ortæ sunt discordiæ inter hunc, & Marium ipsius legatum: deinde inter hunc Consulem & ipsius Quæstorem L. Cornelium Syllam ob prędreptam capti Iugurthæ gloriam: quarum historia est apud Plut. in vita Marij, & l. 2. Vell. Paterculi, & lib. 3. L. Flori de bello Iugurthino. Alij dicunt Metellum Syllę collegam fuisse. Alij ducũt

initium

initium huius belli à Consulatu Marcelli & Lentuli: quo negauit Cæsar se dimissurum exercitum suum, nisi Pompeius etiam suum dimitteret. Magna quidem est varietas interpretum, vt difficile sit certum belli ciuilis ortum assignare.

Causas.] Vera belli ciuilis causa, & primaria fuit in offensione Deorum, vti monuimus in Dialect. secundaria in cupiditate dominationis singularis & pleonexia: primùm Crassi Asiam, Pompeij Hispanias, Cæsaris Gallias tenentium: deinde Augusti, Antonij, Lepidi similiter imperium diuisum occupantium: quę libido dominandi dolosâ specie priuati odij induebatur.

Et vitia.] Quòd Cæsar non posset parem, neq; Pompeius superiorem ferre.

Modos.] Significatur hîc, quòd antè dixi in Dialecticis è Cicerone declarandum esse in historia, non solùm quid actum aut quid dictũ sit, aut deniq; quid contigerit; sed etiam quomodo. Commentarij autem Cæsaris de bello ciuili, Lucanus, Plutarch. in Iulio & Pompeio, Luc. Florus l. 4. ca. 2. Appian. lib. 2. belli ciuil. Orosius lib. 6. satis superq; narrant, quomodo bellum inter Cęsarem & Pompeium sit ortum & gestum.

Grauésque amicitias.] Amicitiæ Principum istorum fictæ & simulatæ erant, ideò & ipsis inter se & pop. Roman. pernicioſæ fuerunt. Vnde ferunt Catonem dicere solitum, non ex inimicitijs Cæsaris atq; Pompeij, sed ex ipsorum & Crassi societate amica omnia Reipub. profecta mala.

Arma vncta.] Arma confecto bello solebant oblini oleo, vt essent ab ærugine tuta: præterea expiabantur, vt à sanguine essent pura per quãdam religionem: quæ videtur sumpta ab Hebræis. Dauid enim prohibitus est templi constructione; quòd pollutus esset multorum sanguine; quamuis militiam Domini militasset, adeò detestabilis est homo sanguine pollutus: primi Chronicor. cap. 22. Item Psalm. 5. ἀνδρα αἱμάτων καὶ δόλιον βδελύσσεται Κύριος: *Virum sanguinarium & fraudulentũ execratur, & detestatur Dominus.* Ita veteres Græci à suo cõgressu arcebant humano sanguine cõtaminatos, tantisper, dũ ab aliquo superiore & puriore expiati fuissent, vt dictum est Od. 2. l. 1. ideoq; dicit arma Romanorum adhuc cruenta & impura ciuili sanguine priùs abluenda esse, quam historia de illis contexta diuulgetur.

Cruoribus.] Cruores & sanguines non dicuntur numero plurali, ait Seruius in 4. Æneid. sed in Virgil. vt hîc, sępè contrarium reperitur. Est autem cruor sanguis frigore perstrictus, vnde nomen videtur habere: τὸ γὰρ κρύος est frigus.

Aleæ.] Id est, si prætexta tua Tragœdia in scenam ascenderit; multorum vitia indicabit, quorum indicio animos potentum grauiter offendes.

Ignes suppositos cineri.] Videtur intelligere θερμοπότιδα calentes fauillas, vt dicet Od. 6. proximè sequenti.

Paullùm desit.] Valet hîc particula *paullùm*, quod Græci dicunt παυσείδιον δὴ χρόνου, *pauxillum temporis* hæc scriptura non prodeat in scenam.

Tragœdia.] Tragœdia dicitur propriè ἡ διὰ τράγου ᾠδή, *carmen de hirco*; sed pro fabula conscripta à Tragœdo ferè sumitur. De ea plura, si Deus voluerit, alibi dicentur. Intereà tamen Thespis agnoscatur primus inuentor cantus Tragici, qui consueuerat actores ipsius fœcibus perlinere, ne agnoscerentur, sicut Horatius ad Pisones scribit:

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camœnæ.
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti fœcibus ora.

Vnde nonnulli putant, & inter eos Athæneus l. 2. Tragœdiam ἀπὸ τῶν τρύγων dici, & initiò τρυγῳδίαν nominatam: vnde Aristoph. in Nebulis ἴθ' μὴ σκόλυε, κἂν ποιῇς ἅπερ οἱ τρυγῳδαίμονες οὗτοι: id est, *Nõ me ludas, neq; facias, quæcunq; trygodæmones isti*: τρύγες enim sunt fæces, quibus scenici sua perlinebant ora, priusquam inducerentur personæ. Alij ab asperitate cantus, tanquam παρὰ τραχύτητα ᾠδήν, dictam volunt, propter tristem illius exitum vel propterea quòd aspera, minimeque suauis auditu cantilena; quâ res mœstæ ac tristes, lamentabiles cõprehenduntur. Hæc quidem postrema notatio *Isaaci* veteris commentatoris Græci *Aldo Manutio Pauli* filio probata: ideoq; scribenda Tragœdia Donat. in Adel. Act. 3. Sc. 1. notat: *Hæc Scena Tragœdiæ ordinem seruat: nam Tragœdia in tria diuiditur, exspectationem, gesta & exitum:* Vide illic, vt ostendit, diuisionem. Sed Æschylus postea ornatu regali, & ad maiestatem argumenti aptiori personas induit, vt è 3. lib. Amor. perspicitur:

Venit & ingenti violenta Tragœdia passu,
Fronte comæ toruâ, palla iacebat humi:
Læua manus sceptrum latè regale tenebat:
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Theatris.] Vox ista notata est Ode 20. lib. 1.

Mox.] Mox dicitur de futuro non multùm remoto, vt Cicero, *mox reuertar.* Puto equidem τὸ *mox* in resoluenda sententia transferendum ad τὸ *iam nunc*, vt structura sit: *Sed mox iam perstringes, &c.* itaque τὸ *nunc* induet naturam discretiuæ *sed*, quomodo sumitur sæpè apud Ciceronem Tusculanâ 3. *Nunc paruulos nobis natura dedit igniculos.* Item lib. primo de Diuinat. *Quæ quidem multò plura euenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo & vino, confusa & perturbata cernimus.* Item Epist. 9. lib. 1. *Vellem, qui me saluum esse voluerunt, habuissent etiam rationem virium & coloris: nunc vt Apelles Veneris caput &c.* pro *sed vt Apelles, &c.*

Publicas.] Inclinatur hæc vox à *populus*, quasi *populicas*, & concisè & metaplasticè primæ vocalis *publicas.*

Ordinâris.] Res publicas ordinare, est hîc quibusdam scribere historiam de republica, non illam perturbatam componere & sedare: sed quum nobis constet, Pollionem fuisse Præfectum vrbi tum, cuius postas in crimina parebat ad centesimum vsque ab Vrbe lapidem; ordinare potest hîc valere, res componere, ἐπειδὴν τὰ τῆς πολιτείας διορθώσῃς & opem ferre reis & curiæ: sed Ode 1. lib. 3. arbusta ordinare, est illa componere, & in ordinẽ referre, sicut agmina ordinare, Epod. 17. Item ordinare prouincias, in Iul. Cæsar. Suetonius dixit cap. 18. pro ornare.

Cecropio.] Cecrops dicitur fuisse gener primi regis Atticæ, Actæi nomine: qui genere Ægyptius incoluit Athenas, vnde Athenæ dictæ sunt Cecropiæ, & Athenienses Cecropidæ. Aiunt illum fuisse διφυῆ, *duplicis naturæ hominem*, ac præcipuè Suidas in voce *Cecrops*, parte quidem superna marem, sed infernâ fœminam: quidam feram, quòd leges hominibus solerti ingenio adinueniisset, & à feritate ad humanitatem traduxisset: alij, quòd quum mares nullo discrimine consuetudinem cum fœmellis haberent, vt non agnosceretur inter hos pater à filio, aut filius à patre, ipse publicâ legum sanctione fecit, vt mares cum mulieribus consuescerent, & cum vna congrederentur, atque, quasi inuenisset duas naturas, homo geminæ naturæ vocatus est: de quo prætereà lege Diodorum Siculum, & Plutarchum, περὶ τῶν τοῦ θείου βραδέως πιστευομένων, ac deniq; Athenæum lib. 13. initio.

Cothurno.] Acturi Tragœdias prodibant in theatrum cothurnati, qui aliud repræsentabant, atq; ipsi essent: qualem ob incõstantiam, & mutabilitatẽ Theramenes Athenienſis Rhetor Prodici Ceij discipulus cothurnatus dictus est apud Plutarchũ in Nicia, quòd in vtram-

que partem ciuilis administrationis inclinaret, sicut cothurnus est calceamentum vtriq; pedi aptum, & vtriq; sexui accommodatum. De eodē vide etiam Ἑλλωτικῶν β. apud Xenophontem.

Insigne.] Id est, magnum & laudabile: quemadmodum Donat. illud Parmenonis in Eun. A. 5. Sc. 9. v. vlt. *insigne aliquid facere*; nempe magnum & nobile facinus. Sic igitur, ô Pollio, qui reos defensione, & Senatum consilio magnoperè iuuas.

Mœstis reis.] Hoc epitheton respicere videtur ad consuetudinem Romanorum, qui reis amicis & necessarijs suis, constituto die iudicij, in veste squalida & lugubri assistebant, pœnam deprecaturi. Reus autem nō solum à veteribus appellatus est, cui crimen aliquod inferebatur, sed quiuis etiam, cuius res quælibet, vnde nomen inuenit, in foro agebatur, Cicero de Orat.

Præsidium.] Sic Terentius loquitur in Hecyr. Act. 1. Sc. 2. *Illum autem esse vnicum præsidium velle se senectuti suæ.*

Curiæ.] De vocis *Curia* tota ratione habebis notas in Oden 5. lib. 3.

Aeternos.] Αἰωνίους πυμὰς, quibus opponuntur οἱ πρόσκαιροι.

Iam nunc.] Enallage est temporis præsentis pro futuro, vt res, tanquam geratur iam, sub aspectum subjiciatur. Ita particula *iam nunc & iam tum* videntur, ὡς τὰ τῦ χρόνε μόρια προληπτικά, *tempus occupare prius*, quàm venerit, vt hîc in ipso carminis statim initio, quomodo in vers. 348. lib. 8. Æneid.

Iam tum religio pauidos terrebat agrestes.

ante patefactionem numinis. Videtur enim sensus ex argumento & distinctione præcedentibus postulare hæc futura: *Sed mox repetes & perstringes aures.* Gallicè: *tu estonneras les aureilles.* Græcè ὦτα κοπτόσεις κεραυλήματι καὶ τὰ ὦτα ἀνοχλήσεις.

Terret equos.] Hoc Plutarch. scribit in vita Iul. Cæsar. contigisse in huius prælio cum Pompeio.

Audire videor.] Ἀκούειν δοκεῖ μοὶ τ' ἡγητόρων ἤδη μήτ' ἀτρεπῶς μήτ' ἀνικῶς κεκοσμένων· *audire iam mihi videtur duces non indecēter, nec indignè puluere respersos & puluerulētos:* quod est indicio strenui ac fortis Imperatoris, πρὸ νίκης ἐγκονι. τὶ καὶ ἀθυμάχως νικήσαντ@, *qui puluere & prælio rectè inito victoriam reportauit.* Supple hîc ellipsin *Audire iam videor Pollionem narrantem duces sordidatos puluere collecto in dimicatione pro imperio & patriæ salute &c:*

Cuncta terrarum.] Pro *cunctas terras*, vel *cunctas partes terrarum*: Sic *angusta viarum*, *extrema finium* pro, *angustas vias*, & *extremos fines*. Sic in Epist. ad Pisones: *Monstrare abdita rerum*, pro, *res abditas*. Item Satyr. 2. lib. 2. *Corruptus vanis rerum*, pro, *vanis rebus*. Satyrâ denique 8. eiusdem lib. *Ridetur fictis rerum*, pro *rebus fictis*: quæ locutiones sunt Græcis ac præcipuè Atticis specie quadam partitionis perfamiliares, vt huic Poetę Latino & Cornelio Tacito.

Atrocem.] Ex altero huius vocis etymo, quod Festus notat, videtur deflecti, ἀπὸ τὸ μὴ τρέσαι, ex eo, *quòd expers sit pauoris* & intrepidus, vel quòd eum metus minimè retundat: sed potest etiam etymon Ode 15. lib. 1. notatum hîc notari; vt animus Catonis dicatur nullâ ægritudine exedi, lacerari, confici potuisse: tanta fuit ipsius constantia!

Catonis.] De intrepido & constanti animo Porcij Catonis Vticensis, in consciscēda sibi morte, lege Plutarchum in ipsius vita: quam etsi Cicer. lib. 1. de officijs in capite de seruando in omni vitā decoro laudi ducit; diuus tamen Augustinus li. 1. de ciuitate Dei, è sententia quorundam Catonis amicorum, scribit id facinus imbecillioris fuisse animi, quàm fortioris. Reliqua vide ibidem & apud Lactantium lib. 3. cap. 19. Velleium Pater, Lucanum, Senecam & Sallustium.

Iuno.] Hæc Dea, sicut alij Dij tutelares Numidarum & Iugurthę, grauissimè tulerant immanitatem Romanorum in eorum necem. Iugurtha enim fuerat in carcere Romæ necatus, cuius posteà pœnas à posteris Romanorum repetierunt.

Impotens.] Id est, tali odio & irâ incensa, vt sibi nequiret imperare. Vnde Terentius dicit in Andr. Act. 5. Scen. 3. animo esse impotenti, Græcè, ἀκρατὴς θυμῦ, qui non potest animo suo temperare, de quo epitheto reuisenotas in Oden 37. lib. 1. Interea tamen addam τὸ impotens rarò id esse, quod tradidit *Nonius Marcellus*, vt sit non valde potens, quemadmodū reperitur sumtum in orat. pro *Murena*, pro inualido ac debili, *ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum hæc valeant.* Sed relatum ad animum significare imbecillitatem ipsius prauis affectibus imperandi, vt 4. Tuscul. *Inflammant* appetitione nimiâ; quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiā quandam animi à temperantia & moderatione plurimùm dissidentem *Græci* ἀκράτειαν *vocant.* Idem alibi, *nihil agunt, nil timeant, nil concupiscant, nullâ impotentiâ efferantur.*

Rettulit.] Hîc geminatur τ πρὸς ἔκτοπον, ad extensionem breuis syllabæ.

Inferias.] Per appositionem, *nepotes.* Inferiæ sunt victimæ mactatæ & immolatæ manibus: vel, vt Seruius definit in hunc locum Æneid. 10.

Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris.

Inferiæ sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur, ac propterea dicuntur, quòd τοῖς καταχθονίοις εἰς κωμίζονται, *Diis subterraneis & Tartareis inferuntur*: & dies festus, quo hæc fiebant, Feralia vocantur, & sic ab Ouid. notantur lib. 2. Fastor.

Hanc, quia iusta ferunt, dixêre Feralia lucem.

Festus hanc vocem bifariam notat, vt dicatur vel à ferendis epulis, vel à pecudibus feriendis. Idem legatur ad verbum *respersum* & Suetonius in Calig. ca. 15. Item aqua Arferia, quę ad mortuis libandum afferebatur. Pro quibus inferijs posteri Romanorū, qui priùs vicerant, fuerunt, ad iusta manib. Iugurthæ & Numidarum crudeliter occisorum soluēda, miserè cruciati: quia quum Cæsar vicit Scipionem, Afranium & Iubam ad insulam Tapsum, Romani ad hominū quinquaginta millia conciderunt, qui nepotes tali casu iusta soluerunt manibus Iugurthæ ob iram Iunonis, quæ impensè Carthaginem & Africam amabat, vt dicitur initiò Æneidos 1.

Quam Carthaginem *Iuno fertur terris magis omnibus vnam,*
Post habitâ coluisse Samo, &c.

Iugurthæ.] Vide Sallustium in libello de ipsius nomine. Quod autem Latini dixerunt *soluere iusta* & *inferias referre mortuis*, Græci pronunciarunt, ἀποκομίζειν τοῖς νέκροις πρὸς κηδείαν.

Sepulcris.] Hæc Græcè à Theocrito εἰδυλ. β. dicuntur ἤεια τῦτ' ἔστιν οἱ τάφοι, ἀπὸ τὸ ἀνηρεῖσθαι τῇ γῇ, ἢ ἀπὸ τῦ ἐπικρέμεσθαι τοῖς νέκροις ἔργα, ἤγουν τῷ γῷ, ἥπερ ἔστιν ἤεργα, id est, *quòd sepulcra sint terræ impacta*, vel *quòd terra sit mortuis aspersa, quæ est sacra.*

Etymologus tamen distinguit nomē sepulcri Græcum hoc modo, ἤεια καὶ ἠεία ὁ διάφορ@ τίν@ διάφορον ποιεῖ καὶ τῷ σημασίαν· πρὸ παροξυτόνως μὲν σημαίνει τὰ ἕεια. παροξυτόνως ἤτις τάφος ἀπὸ τῦ ἔργω· τὸ γὰρ πάλαιον ἐν τοῖς κειλώμασι τῆς γῆς ἐθάπτον, μήτε σιδήρῳ, μήτε χαλκῷ κεχρημένοι: ἢ ἀπὸ τὸν ἀέρα, ἤγουν τὸν ὑπκείμενον σκότον τοῖς τεθνεῶσι, id est, *diuersus harum vocum Græcarum accentus diuersam quoque earundem significationem efficit. Ea quidem cuius antepenultima accinitur, significat lanam; sed cuius penultima, signat*

signat sepulcra sic nominata à terra. Ipsa etenim antiquitas in cauis terræ mortuos recondebat, nullâ metallicâ materiâ ad hoc cauis terræ mortuos recondebat, nullâ metallicâ materiâ ad hoc funeris opus vsâ; vel dicitur ἠεῖα ab aëre, id est, à caligine mortuis offusâ. Hîc obseruandum est cõtra Grammaticos τὸ ἀῆρ in genere virili vsurpari pro tenebricosa caligine. Donatus in Andr. Act. 1. Sc. 1. *ad sepulcrum venimus*, dubitanter quærit rationem, huius vocis; κατ' ἀντίφρασιν, quòd sine re pulcra sit? an quod sine pulsu mortui sint? an quòd illic animæ à viuis sepeliantur, id est, separentur? sed tandem à sepeliendo dici asseuerat, quod humare, vel humo condere, Græcè θάπτειν dici solet.

Quod verbum idem Etymologus deflectit ἀπὸ τοῦ θῶ, τὸ τίθημι· εἴδιον γὰρ ἔχουσι τῶν ὑποθεσιν οἱ θαπτόμενοι, id est, *à verbo sonante pono. Qui enim sunt ita reconditi, in perpetuum manent sepositi:* quæ tamen ratio repugnat nostræ fidei Christianæ de carnis humanæ resurrectione, ex verbo θάπτειν nascitur τάφος, sepulcrum, quod etiã Græcè dicitur ἀφανίζεσθαι ὑπὸ τοῦ σῶμα ῥεῖν ἐν ὑγρῷ, id est, *quia in ipso corpus conditum defluere soleat.*

Daunię.] Vide Oden 22. lib. 1. de Daunia.

Cædes.] Grammatici ponunt *τὸ cædes* inter nomina, quæ numero singulari multitudinem significant, & Græcè vocantur, ἀθροιστικά, id est, collectiua, sed illos addere oportuit apud oratores, vt Catilina. 2. *eructant sermonibus suis cædem bonorum atque vrbis incendia.* Nam à Poetis, vt ab hoc & hîc in Epist. ad *Pisones* πανδωπικῶς vsurpatur.

Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

Decoloraueˆre.] Senec. lib. 2. quæst. natur. hoc verbum sic explicat: *Decoloratur id, cuius vitiatur color, non mutatur; nec est verbum adeò insolens.* Suetonius in Augusto c. 4. manus collybo coloratas dicit; Gall. *les mains de ſcoulorees du maniement d'argent de Bancque.*

Musa procax.] Ex eo, quod Donat. declarat in Heaut. Act. 2. Scen. 1. procax & procare non videntur satis aptè tribui Melpomenæ. Nam hoc est assiduè poscere, vnde meretrices procaces & ipsi proci sunt nominati. Ibidem, sed Act. 4. Scen. 6. hæc tria; *proteruitas, procacitas, petulantia* sic distinguit; vt primum sit leuior quædam contumelia; secundum maior; tertium maxima. Quare mihi Melpomene videtur dici procax, quòd importuna & inuerecunda sit, dum materiam lugubrem, & à lyra valdè alienam, expetit fidibus sociare, quæ iucunda, iocosaque præcipuè requirunt. Seruius in Æneid. 1. *Austros* dicit *procaces*, & interpretatur *perseuerantes*, additque: *procax est petax: procare enim petere, vnde proci.* Ita lib. 4. de rep. ab effectis notatur *petulantia* à petendo, vt *procacitas* à procando, id est, Græcè, ἀπὸ τοῦ ἀναισχύντως αἰτεῖν, id est, *ab impudenter poscendo.*

Cæ.] Nænia Cæa est carmen lugubre & lamẽtabile, in quo excelluit Simonides, qui fuit Κεῖος, i. e. ex insula maris Ægæi Cæo vel Cæa.

Retractes.] Hoc quidem verbum rectè conueniret lectioni *vulnera*: quomodo Ouid. dicit li. 3. Trist. Eleg. 4. *Retractari vulnera cruda.* & Cic. l. 8. ad Attic. Ep. 9. *Quamuis amemus Cn. nostrum; tamen hoc, quòd subuenit talibus viris, laudare non possum. Nã siue timuit, quid ignauius? siue, vt quidam putant, meliorem suam causſam illorum cæde fore putauit, quid iniustius? Sed hæc omittamus: augemus enim dolorem retractando.* Hoc autem verbum retractare ex Festo significat rursus tractare & commemorare aliquid, ac velut ἀναμεταχειρίζειν. Hîc autem longiùs immoror, ne quis fortè putet, hoc intelligendum de reuocatione & emendatione aliarum Odarum, quam alij vocant retractationem, & Græci παλινῳδίαν.

Næniæ.] Græci τὸν ἰάλεμον vocant, vt Apollon lib. 4. Argon. ἐλεεινὸν ἰύλεμον, vbi Scholiastes annotat εἰρῆσθαι ἀπὸ Ἰαλέμου τοῦ Μούσης παιδός, *dici ab Ialemo Calliopes filio*, & Athenæus ὅτως ἐν πένθεσιν ᾄδεσθαι, ὡς ὑμέναιον ἐν γάμοις. *sic in luctib. cani solitum nocte, vt hymenæũ in nuptiis.* Hoc carminis genere vita & mores defuncti, qui efferebatur, Phrygijs modulis celebrabãtur à præficis, id est, tibijs Phrygijs. Hunc autem morem Græci seruarunt primi: vnde Romani in vsum transtulerunt. Sed tamen historia est, Æmil. Lepidum & Pompeium Attic. mandasse liberis suis, vt sine tibicine efferrentur. Iudæi quoq; illum sequuti sunt, sicut perspicuum est è 9. cap. Matth. versic. 23. Καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον. Conspicatus tibicines, & multas præficas. Hæc autem exempla videntur tollere discrimẽ, quod quidam statuunt in funeribus: quòd in plebeijs adhiberentur tibicines; sed in Senatorijs efferendis, tubicines. Nænia verò definitur, ᾠδὴ ὀδυρτικὴ θεῶν, ἢ Καρικὴ, à Caribus populis, qui mercede lugebant mortuos alienos, vno verbo, θρηνῳδία, carmen funebre ad laudationem accommodatum: cuius rationem repete à Festo & ipsius castigatore. Non est tamen huic Poetæ solùm cantus funebris, vt existimauit Quintilianus lib. 8. c. 2. quum scripsit: *Carmen funebre propriè est nænia*, quâ obductæ iam Reipubl. cicatrices refricantur: vnde quædam vetusta exemplaria non malè, meâ sententiâ, videntur habere sequẽti versu *vulnera*, pro *munera*. Sed est præterea Nænia quodlibet carmen & vulgare dictum: vt *puerorum nænia* Epist. 1. lib. 1.

Dionæo.] Ex Cic. li. 1. de nat. Deor. Dione mater fuit Veneris quæ Διώνεια dicta fuit. Quare hoc antrum, intelligitur Venereum & aptum ad amatorias cãtiones. Sed de antro repete, quod est annotatum Ode 5. lib. 1.

Plectro.] Hæc vox dicitur ἀπὸ τοῦ πλήττειν, à pulsando & percutiendo: atque notat propriè aculeum & calcar, quale Aristophanes tribuit Gallo Gallinaceo, quum dicit; πλῆκτρον Ἀλεκτρύονος: vnde transfertur ad radiolum & calamum, quo fides & chordulæ citharæ pulsantur, aut nerui digitis alterius manus alternatim premuntur, & alterius totum tanguntur, vel radiolo, vt Virgilius canit 6. Æneid.

Iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est simile nonæ lib. 1.

[a] Συνεκδοχὴ est generis αὐτὶ τῆς στάσεως ἐμφυλίου ἢ πολεμου ἐμφύλου, *pro seditione tribulium vel bello ciuili & intestino*, cuius loco dicit Ode 24. lib. 3. hic ipse alio tropo, *rabiem ciuicam*: vnde facilè perspicias in *motum ciuicum*, non esse μείωσιν, quum bellum ciuile & domesticum multò sit capitalius, quàm externum: cuius res Gallorum tot iam annos ciuilibus discordijs attritæ maximo sunt heheu! argumento.

[b] Metonymia adiuncti consulatus Metellini vel adiunctæ dignitatis consularis ad tempus designandum: quo ille Magistratus gerebatur: quæ temporis circumstantia pronunciatur propriè Eclog. 7. Virgil. & eidyl. 11.

Ex illo Corydon, Corydon, est tempore nobis.
Καὶ τότω Δάφνις μετὰ πόλλεσσι θεᾶτο ἔγεντο.
Ex hoc etiam (tempore) Daphnis inter pastores primus habitus fuit.

[c] Ex hoc genere συνεκδοχικῶς intelligit hæc tria naturæ monstra; ambitionem, auaritiam, arrogantiam.

[d] Eodem tropi genere dicit *Ludum Fortunæ*, quo 2. Ode lib. 1. dixit ἀφωνικῶς.

Heu nimis longo satiate ludo!

Pro diuturnis ciuilibus discordijs, variisque euentis, quæ modò hilares, modò tristes, modò beatos, modò miseros efficerent ciues.

c Metaphora est ab eo genere ludi, vbi plus est incerti casus, quàm artis. Vnde transfertur ad quoduis periculum indicandum. Eodem tropo est T. Liuius lib. 1. *Qui non contenti libertate certâ in dubiam imperij, seruitijq; aleam Imus.* Eodem quoq; Seneca li. 1. c. 1. de Clementia, *magnam adibat aleam populus Rom. quum incertum esset, quo se statim nobilis indoles* (Neronis) *daret.* i. e. Resp. Romana versabatur in magno discrimine, prius quàm *Nero* certum dedisset specimen indolis futuræ.

d Est allegoria è continuatis metaphoris ad simultatem, quæ alit monstra, pericula creat incautis, insidiosa pace, & odia perniciosa fouet, notandam: qualis est dolus prunæ cinerib. in speciem frigidis tectus, qui tangentes incautè exurit. Hæc sententia etiam in prouerbium abijt in eos, qui in periculosis & grauibus negotijs versantur; quo Aristophanes prior vsurpauit in comœd. Lysistrata.

Κἂν μὲ χρὴ διὰ τοῦ πυρὸς
Θέλω βαδίζειν, id est,
Et, si me oportet, per ignem
Volo incedere.

e Metonymia efficientis pro carmine Tragico de bello ciuili condito.

f Metonymia est subiecti, pro, vbi scripseris historiam ordine de rebus gestis atque de statu præterito ac præsenti imperij Romani.

g Συνεκδοχικῶς describit partes Tragœdi esse graues.

h Allegoria est è duplici metonymia adiunctorum: primùm quòd auctores Tragœdiæ fuerint Athenienses, Thespis, Æschylus, Sophocles, Euripides: deinde quòd hi in graui ac sublimi materia, prætextæ Tragœdiæ cothurno significatæ, versentur, vbi graues tantùm personæ ac regiæ sustinentur.

Contrà humilis est illa Comœdiæ socco figurata: vbi personæ viles de rebus in medio positis inducuntur colloquentes.

i De hoc tropo repete, quod fuit in Oden 1. lib. 1. annotatum.

k Metonymia est subiecti, pro, dum Senatores summis de rebus deliberant.

l Metonymia est signi pro victoria sic ostentata, quâ de Solonis & Dalmatis reportatâ sublatus fuit ad diuinos, summosq; honores anno ab Vrbe condita 715. de quo vide Seruium in *Pollione* & Dionem lib. 48. Talis fuit hyperbole Ode 1. lib. 1. *Me ederæ miscent Superis.*

m Epanaphora particulæ *iam* quater iteratæ, ad animos vehementer commouendos plurimùm valet. Eódem quoque spectat narratio gestorum tanquam præsentium. Hæc autem illustris explanatio rerum, est quibusdam hypotyposis, de qua fuit Od. 9. lib. 1.

n Videtur allegoria respicienti ad exceptum Catonis animum & ad vim τῶ *subigere terram*; pro quo Cicero dialogo de senect. dicit *subigere humum*, & Varro *terram ferro subijcere*, pro, illam colere ac vertere. Inde *populos subigere & subijcere*, & *ingenia subacta*, μεταφορικῶς καὶ μετωνυμικῶς intelligimus sumta pro *domare & exculta & exercita.*

o Synecdoche est generis, pro speciali terra, cuius iniuriam non potuit vlcisci, & crudelitatem Romanorum tum persequi Iuno.

p Polyptoton est, dictionis figura ex *quis* variè toties cadente in *qui, quæ, quod, quæ.* Ibidem est etiam ἀποφατικὸν quædam percunctantis vehementer, num sit locus, quò non peruenerit fama, Romanos grauissimas immanitatis suæ pœnas dedisse.

q Metonymia subiecti pro, cædes Appulorum & Italorum infecerunt maria.

r Epanorthosis est, quâ reuocatur commemoratio rerum tristium & lamentabilium ad cantionem lætabilium.

s Synecdoche est generis pro Melpomene versibus Lyricis præsidente: prætereà est apostrophe: nam sermo ad aliam personam auertitur, atque institutus fuerat: vbi tres istæ sententiarum figuræ mirè conformant orationem & illustrem explanationem faciunt.

t Si legas, *retractes vulnera*; erit translatio à Chirurgis, qui cataplasmata vulnerum & vlcerum renouãtes, augent dolorem ægrotanti.

u Συνεκδοχικῶς dicit pro Lyricis versibus, atque aliter sumit, ac initio, *belli causſas & modos tractas.*

Ode II. ad C. Sallvstivm Crispvm.

Theticum.

Sallustij nomine Poeta quemlibet docet rectum pecuniæ vsum, veramque felicitatem.

1 *Nullus* a *argento* b *color est,* c *auaris*
Abditæ terris inimice d *lamnæ*
Crispe Sallusti, nisi temperato
e *Splendeat vsu.*

2 *Viuet extento* f *Proculeius æuo,*
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pennâ metuente solui
Fama superstes.

3 *Latiùs regnes, auidum* g *domando*
h *Spiritum, quàm si Libyam remotis*
Gadibus iungas: & vterq; Pœnus
Seruiat vni.

4 *Crescit indulgens sibi dirus* i *hydrops:*
Nec sitim pellit, nisi causſa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

5 k *Redditum Cyri solio Phraatem,*
Dissidens plebi, numero beatorum eximit
l *virtus: populumq; falsis*
Dedocet vti

6 m *Vocibus regnum & diadema tutum*
Deferens vni, propriamq; o *laurum,*
Quisquis ingentes oculo p *irretorto*
Spectat aceruos.

Analysis Dialectica.

PRimus huius documenti argumentum, ex quo constant primi quatuor versus, ductum est ex fine contrario, quòd pecunia non data sit hominibus, aut vt reconderetur inutiliter in thesaurum, & seruaretur metu valdè sollicito ac misero amittendi, dum prædium aliquod fructuosum minimo daretur venũ: aut vt homines eâ turpiter & profusè abuterentur in voluptatibus atque luxu: sed contrà, vt moderatè & liberaliter impen-

impenderetur in res ad cultum vitæ propriæ & alienæ necessarias, vt Satyrâ 2.lib.2. docetur,& his Theocriti versibus εἰδυλ.15. Χάειτες,Hieroni. apertè suadetur:

Δαιμόνιοι, τὸ μὲν κέρδος ὁ μόχθος ἔνδοθι χρυσοῦ
Κείμενος· ἐχάδε πλούτου φρονέοντι ὄνασις·
Ἀλλὰ τὸ μὲν ψυχᾷ· τὸ δὲ καί τινι δοῦναι ἀοιδῶν·
Πόλλοὶ δ' εὑρέσθαι παῦρ, πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλων
Ἀνθρώπων· αἰεὶ δὲ θεοῖς ὀπιβώμια ῥέξειν·

Miseri,quid lucri est in auro grandi domi recondito? non est hic diuitiarum vsus sapientibus: sed vt harum pars animo, pars alicui Poetæ (Theocrito) ô Hieron, detur: ex his etiam benignè multu propinquis fiat, multis quoq; aliis hominibus: ex his denique dona semper Dijs imponantur ad aras:

Et certè ad hunc pecuniæ vsum ratio Græcæ vocis χρῆμα nos inuitat apertè,quo velim intellectum quodcunq; vtensile vel bona Fortunæ ad hominum genus alendum,aut meliùs excolendum.

2 Legitimus illius pecuniæ vsus confirmatur exemplo Proculeij: cuius laudandi nomine non est instituta hæc Ode, sicut non rectè quidam putarunt. Hoc autem exemplum potest disponi, vt antè docuimus Ode 22.lib.1.primùm sic contractè: *Qui moderatè vtitur diuitijs, ac benignè facit alijs, vt Proculeius, illius memoria perpetua erit.*

Disponatur explicatè, id est, integro Syllogismo: *Proculeius pecuniâ moderatè vsus est, idem benignè alijs fecit: itaq; quidam homo liberalis ad immortalitatem bonæ memoriæ consecrabitur.* Sed prior argumenti contractio magis est popularis, quàm hæc explicatio, vix apud quenquam diserte loquentem obseruata.

3 Idem finis pecuniæ dilatatur collatione minorum, quòd qui exstinguet sitim habendi, & cupiditatem diuitiarum domabit, latiùs eo dominaturus sit, qui imperium Africæ & Hispaniæ tenebit, & immensas opes cumulabit. Non dissimilis erit admonitio lib.4.Ode 9.

Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti (callet)

4 Vis ἀποδόσεως de cupiditate pecuniæ declaratur similitudine affectuum animi & corporis: *vt sitis hominis hydropici non exstinguitur largâ frigidæ aquæ potione: sic sitis animi cupidi non exstinguitur pleonexiâ, nec vlla expletur copiâ diuitiarum.*

Hæc apodosis similium sumitur è præcedenti minorum de coniungenda Hispanię,& Africæ possessione. Apertiùs hæc comparatio proponitur 1. Fastor. vbi tamen res præcedit, & simile sequitur, contrà, quàm hîc enunciauimus.

Creuerunt & opes, & opum furiosa cupido,
Et quum possideant plurima,plura petunt.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab vnda,
Quò plus sunt potæ,plus sitiuntur aquæ.

5 Diluitur obiectio vulgi, eiusdemque opinio detrahitur de felicitate ex loco diuersorum. Phraates rex Persarum & Parthorum non iudicandus est beatus ex restituto ipsi regno,sed vt sapiens habendus est è domita opum cupiditate,in spectando constanter auri & argenti grandi aceruo, sine inuidia: quâ magnitudine animi & temperantiâ Solon aspexit olim gazas Crœsi, & Curius munera Pyrrhi. (Sic Plutarchus scribit Alexandrum Magnum temperanter se gessisse in victoria Persarum, quũ captiuas spectaret formâ corporis & magnitudine præstantes, per iocum dixit: ὡς εἰσὶν ἀλγεινὸν ὀμμάτων αἱ Περσίδες! id est, *quàm grauiter dolent oculi aspectu mulierum Persicarum!* libidini tamen noluit parere) vnde sunt illi ab omnibus continentissimi & sapientissimi judicati, ab hisq; maximè qui talibus machinis illorum integritatem oppugnare, & cõstantiam technis subruere studebant: ita in illis verè compertum est, quod Terent. scribit in Heauton. Act.1. Scen.2.de his, quæ dicuntur in homine bona. *Atq; hæc perinde sunt, vt illius animus, qui ea possidet: qui vti scit, ei bona: illi,qui non vtitur rectè, mala.*

Enarratio Grammatica.

10 NVllus.] Crispe inimice laminæ, nihili sit pecunia sine legitimo & moderato vsu. Potest hîc retineri *abdito* ad vtrumque pecuniæ abusum notandum, tam in ea asseruanda inutiliter, quàm in eadem effundenda prodigè: alij construunt cum *laminæ abditæ*. Hunc verò Sallustium quidam affirmant esse scriptorem Catilinariæ coniurationis & belli Iugurthini: alij filium eiusdem,vel potiùs sororis nepotem,vt mox dicetur è Tacito. Quicunque autem fuerit,notatur ipsius insciticia rectè vtendi opibus ac diuitijs, dũ vel illas conditas inutiliter seruat,vel easdem luxu profundit. Præterea ille gratiâ valuit apud Augustum: quamuis alter dissimili stylo scribendi pugnaret cum Imperatore, sicut ostendimus in Grammat. Od.1. quò placet etiam nunc addere,quod Suet.in Dialecticis 1.Od. huius libri citatus de ipso scripsit: *Asinius Pollio librum composuit,quo Sallustij scripta reprehendit,vt nimiâ priscorũ verborum affectatione oblita: contrà eidẽ suadebat Atteius Philologus Grammaticus,vt noto,ciuiliq; & proprio sermone vteretur.vitaretq; maximè obscuritatem Sallustij & audaciam in asyndetis,hellenismis,& translationibus*, quæ tamen hodie, vt tempore Taciti,affectãtur. Ad mores autem huius Historici pernoscendos,non parùm valet, quod scribit Tacitus li.3. Annal. *Fine anni concessêre vitâ insignes viri: L. Volusius & Sallust. Crispus equestri ortus loco, rerum Romanarum florentissimus auctor: ille, quanquam promto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate Senatoria multos triumphalium consularium;q; potentiâ anteit, diuersus à veterum instituto per cultũ & munditias,copiaq; & affluentia luxu propior: suberat tamen vigor animi ingentib. negotijs par, eò acrior, quò somnum & inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus,cui secreta Imperatorum inniterentur & interficiendi Postumij Agrippæ conscius: ætate prouectâ specie magis in amicitia Principis,quam vim tenuit: idq; & Mæcenati acciderat fato potentiæ rarò sempiternæ, an satias capit, aut illos, quum omnia tribuerunt, aut hos, quum iam nihil reliquum est,quod cupiant?* Item quod Lactant. lib.1. de falsa relig. cap. 21. & de orig. error. lib.2. cap 13. *Sallustius homo,ait, eruditus,quum scripsit: Omnis nostra vis in corpore & in animo sita est: animi imperio, corporis seruitio magis vtimur; rectè, si ita vixisset, vt loquutus est: sed fuit homo nequam: seruiuit enim fœdissimis voluptatib. suamq; ipse sententiam vitæ prauitate dissoluit,* vt apparebit è Sat.2. lib.1. Fuit tamen alienæ luxuriæ grauissimus obiurgator & censor, vt scribit Macrob. lib.2. cap.13. Hîc Poeta metri caussâ ὑστερολογικῶς dixit, Crispe Sallusti, pro C. Sallusti Crispe.

Auaris.] Non bene conuenit Agellio cum Nigidio l.10. c.5. de notatione huius vocis: hic enim putat auarus esse vocabulum coniunctum & idem valere, quod auidus æris vocali è diphthongi detritâ: sed Agellius cẽsebat esse simpliciter inclinatum ab *aueo*, & ipse hoc ab Hebraico אוה aueh *concupiuit* profectum puto.

Abditæ terris.] Ellipsis præpositionis hîc est supplenda,vt Cicero dicit: *Abditus in terris, & retrusa atq; abdita in terris.* Idem tamen, abdere se in aliquem locum: & Cæsar: *In proximas syluas se abdiderunt.* Quomodo loquitur Terent. de Sene, *qui se rus abdidit:* vbi in hoc verbo motus quidam ad locum cernitur. Huc spectat quòd

Aristoph. nummos in arca reconditos vocat, πλοῦτον ἀφανῆ ratione prædiorum, atque ædium, quæ non possunt abscondi. Similiter Pindar. Ἐπιν. α. Nemeor. verum diuitiarum vsum ostendit.

ἐκ ἔρραμαι πολλὰ ἐν μεγάρῳ πλοῦτον καταπρύψας ἔχειν κῆδος ἀκήδεσιν, φίλοις ἐξαρκέων, id est.

Non equidem multas domi cupio
diuitias abditas habere.
Sed cum præsentib. iuuerim
Amicos reliquus frui honeste,
Et apud homines benè audire.

Lamnæ.] Per syncopen dicitur pro laminæ, quæ Græcis est τὸ ἔλασμα ἢ ἡ λέπις χαλκοῦ καὶ σιδήρου, squama ferri, lamina & crusta æris, quam Grammatici deflectunt ab ἠλαμένη & hoc ab ἐλαύνω, id est, opus ductile facio, vt σίδηρον λεπτῶς ἐληλαμένον, *ferrum tenuiter ductum*: item ἐλαύνεται πέπλα χρυσοῦ, *laminæ aureæ ducuntur & extenuantur.* Crispus dicitur inimicus laminæ, quia illam splendore vsus temperati dum priuat, abutitur, eadem hanc pecuniæ laminam Græci prouerbij loco, afficiunt talib. epithetis, appellantes, πλοῦτον τυφλὸν, καὶ δύσπονον ὀχλικὸν, ἄζηλον, ἀφανῆ. Diuitias cæcas, operosas, improbas, miseras.

Viuet extento] *Proculeius animi paterni in fratres viuet notus quoextento*, id est, memoria ipsius nominis immortalis erit: eâdē syntaxi dicitur, atq; *hospitem non multi cibi, sed plurimi toci*, à Cicerone. Hic Proculeius fratres suos Scipionem & Murænam partes Pompeij secutos, ideoque omnibus fortunis euersos, donauit duabus partibus hęreditatis suæ, & sibi tertiam solam reseruauit, quasi repetitâ hæreditatis paternę partitione, quæ iam legitimè priùs facta fuerat. Plutarchus in Coriolano ponit hoc etymon Proculeij, quòd quum natus esset, pater eius procul esset peregrè profectus, quales fuerũt Telemachus & Telegonus Vlyssis filij è Penelope & Circe. Ex hoc certè perspicitur, quàm generosi & magnifici sit animi, atque Deum imitantis, miseros iuuare, & afflictis prodesse.

Fratres.] Fratris vocabulum P. Nigidius homo impensè doctus, non minùs arguto subtilique etymo interpretatur. *Frater*, inquit, *quasi ferè alter.* lib. 3. cap. 10. apud Agellium.

Penrâ.] Hîc potest explicari pro fama quæ citò, tutò & caute defertur & intelligitur Proculeij liberalitas indissolubili memoriâ semper prædicanda.

Metuente.] Frequens est vsus verbi huius pro Græco εὐλάττεσθαι, cauere, siue cum nomine, siue cum infinito. vt Epist. 1. li. 2. *metuit quę lituram*, cauet, ne deleatur, vel fugit lituram. Sic ad Quintium Epist. 16. lib. 1.

Labe amouet metuens audiri, cauens, ne audiatur. Sic etiam Virgilius Georg. 1.

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Qui locus est sumtus è Phænomenis Arati Poetæ & ferè verbo redditus ex verbo.

Ἄρκτῳ κυανέου πουλυαγέα Ὠκεανοῖο.

Arcti a cæruleo Oceano abstinentes & cauentes, ne occidant in mari cæruleo. Gall. *de sur.*

Fama superstes.] Talis benignitatis in fratres bonis euersos fama semper celebrabitur. Vix alibi hanc phrasin reperias; *fama superstes aget aliquem*, pro, ducet illum semper in notitiam hominum.

Libyam.] Regio est Africæ & pars vicina Ægypto: quæ vnde dicta sit, habes in Gram. Odes 1. lib. 1.

Gadibus.] Gades sunt Plinio lib. 4. Insulæ ad Bæticam Hispanię regionem, vbi Tyrij condiderunt vrbem priùs dictam Gadium, & posteà Erythream. Melùs Strabo scribit lib. 3. Gades extra columnas Herculeas sunt, quæ columnæ à duabus insulis efficiuntur. Sic *vterq; Pœnus* est intelligendus tam Carthaginiensis, quàm Gaditanus: cuiàs fuit Arganthonius quidam Tartessiorum rex, qui Gadibus octoginta regnauit annos; centum ac viginti vixit, vt ait Cicero in Catone maiore. Tartessium autem, siue Carteiam Mela inde natus lib. 2. de Hispania, ponit in littore maris prope Gadis insulam in ipsis freti angustijs, inter Herculis columnas. Opinio veterum de Gadibus fuit, quòd hic locus esset postremus nauigantibus terminus, nihilq; vltra patefactum, nec nisi caligo & inhospita loca: quæ opinio fecit, vt Gades in consuetudinem prouerbij venerit: quo vsus est Pindarus per allegoriam Ἐπιν. Νεμ. Δ. cũ epexegesi huiusmodi, Gadira sunt fines Europæ, vltra quos est caligo, nec habitata loca: Reduc igitur nauem à Gadiris ad Europam: id est, à longiori Æacidarum historia ad laudes Timasarchi. locus Poetæ sic habet,

Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ
περατὸν ἀποστεῖχε
Αὖτις Εὐρώπαν πατὴ
χέρσον ἔντεα ναός, id est,
Gadium (pars vergens) *ad occasum*
Non est transitu meabilis. conuerte
Armamenta nauis ad Europeam terram.
Ἄπορα γὰρ λόγον Αἰακῶ
πάσσειν τὸν ἄπωθέν μοι διελθεῖν,
Impossibile enim mihi est de Aeacidis
Historiam omnem carmine complecti.

Seruiatum.] Id est, tam Africani, quàm Hispani sint in vnius ditione.

Hydrops.] Qui & Plinio est *hydropisis*, Ciceroni *aqua intercus*, Celso per rectionem, *aqua inter cutem.* Nomen autem inuenit ἀπὸ τοῦ ὕδωρ, *ab aqua*, sicut pro eodē morbo hæc ὕδερος, καὶ ὑδρεία: cuius morbi caussa sic à Quinto Sereno Sammonico attingitur:

Corrupti iecoris vitio, vel splenis acerbus
Crescit hydrops, aut quum siccatæ febre medullæ
Atq; auidæ fauces gelidum traxêre liquorem:
Tum lympha interiùs vitio glisciente tumescit
Secernens miseram proprio de viscere pellem.

Si quis autem te roget, quid sit hydrops; poteris respondere, tumorem esse præter naturam, vel à flatu, vel ab humore per totum corpus effuso vel ab aqua solùm ventrem distendente, contractum vitio lienis, vel hepatis non conuertentis chylum in sanguinem. A primo dicitur τυμπανίτης, quod est à Galeno innouatum pro his Hippocratis: ἐμφύσημα καὶ παρεμφύσημα: ab altero σαρκίτης: à tertio ἀσκίτης. Hæc autem genera & symptomata petes à Medicis; Galeno 9. τῶν κατὰ τόπους, Paulo Ægineta lib. 3. Celso lib. 3. & ab alijs, vt ex definitionibus Ioannis Gorræi. Hieron. Mercurialis lib. 5. cap. 2. Variar. lect. ponit tres hydropis species: vnam, in qua ventus simul & aqua ventri insidet, quæ Tympanites vocatur: alteram, in qua solam venter continet aquam, Ascites: tertiam, quando venæ & minora totius corporis spatia humore aquoso plena sunt, quæ Hyposarca & Leucophlegmatias dicitur: de qua noster Poeta hîc loquitur, exprimens Græcâ lexin *albo corpore*, quod albescit hoc morbo; vbi Lambinus vellicatur. Sed de epitheto *dirus*, reuise Grammatica Od. 2. lib. 1.

Fugerit venu.] Ellipsis est τῆς ex venis, ad quas corporis particulas vel minutas, purus vel vitiosus sanguis manat, tanquam ad riuulos aquæ ex aliquo fonte.

Phraaten.] De hoc vide Od. 6. lib. 3. & Iustinum li. 1. Locutio autem hæc: *redditum Cyri solio.*

Phraatem.] Valet, Phraatem restitutum in regnum, quod Cyrus olim tenuerat.

Solio.]

Solio.] Seru. in vers. Aen. 1. *Septa armis solioq́, altè subnixa resedit.* sic notat & definit solium, vt sit *armarium vno ligno factum, in quo reges tutelæ causâ sedebant, dictum quasi solidum: abusiuè sella regia dicitur.* Alij per antistichon volunt dici *solium* quasi *sodium*, à *sedendo*, vt *sella* quasi *sedda*, *subsellia* quasi *subseddia*.

Dissidens plebi.] Familiaris est huic Poetæ hæc rectio, vt verbo discrepandi, pro qua Cic. dicit, *capitali odio à Q. Pompeio dissidet.* Item, *à senatu dissedisset.* de clar. Orator.

Beatorum.] Id est, felicium & fortunatorum. Hic versus est hypermeter, cuius redundens syllaba postrema in sequentem remittenda est.

Diadema, &c.] Seneca poeta in Hercule furente sic diadema periphrasi declarat,

Vidi regium capitis decus cum capite raptum.

Idem in Thyeste; *Regium capiti decus bis terq́, lapsum est.* Apparet autè Philippicâ 2. τὸ διάδημα fuisse aliud quiddam distinctum à corona, quum Antonius dicitur consul diadema & regnum obtulisse Cęsari coronato. Prętera Curtius scribit lib. 2. à Persis regium capitis insigne vocari Cydarin, fortasis à κυδαίνειν, id est, ab ornando & decorando.

Deferens.] Propriè deferuntur honores & munera publica: dantur diuitiæ & pecuniæ.

Vni, &c.] Id est, virtus sola defert ei soli regium tumque diadema & alios honores, qui nec opum, nec honorum cupiditate flagrat & ardet.

Propriam laurum.] Quam Pindarus εἰδ. ν. Πυθ. vocat; ἐστεφανωμένον ὑῶν ποίᾳ, Παρνασσίᾳ Δωρεῖτε κώμῳ, *coronatum filium herba Parnassiâ, à Dorico hymno.* Hic *Laurus* συνεκδοχικῶς dicitur ποίαι αὐτὴ φυτῶ, nisi Ἀλεξανδρεῖα ποία intelligitur, herba Dioscorid. li. 4. ca. 147. herba pro planta & arbore Apollini sacra, vt est mons ipse. Laurus autem Græcè dicitur δάφνη ἀειθαλὴς, *semper florens*, λεγόμενον ὅτω, ait Eustathius Ἰλιαδ. α. ὦζα· τὸ δὲ ὀπὶ παλικὸν καὶ τὸ φωνεῖν. τοιοῦτον γάρ ὅτι κωμόμενον καθὰ καὶ ὁ Πεῖν· *dictam a particula* ὀπὶ *intensionis & sonare: sic enim se habet, quum incenditur, vt Primus* frutex de genere ilicis: crepitum edit, quum crematur, vnde prouerbium, clamosior ardente lauro.

Irretorto.] Id est, non aliò conuertere & in rem aliam reflectere: sed hîc est aliquid aspectare, & defigere in re aliqua oculos sic, vt eius cupiditate non capiaris, & oculos mentis alibi occupes διὰ τῆς ἀπαιδείας πν· quomodo loquitur Epist. 14. lib. 1.

Non ist hic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, id est, oculos distorquet & strabo fit: vno verbo, inuidet. Imitatus est Buchananus hanc phrasin in metrica paraphrasi Psal. 33.

At Deus iustos oculo irretorto
Semper respicit & pios. Gallicè, *Mais Dieu a touſiours l'œil fiché ſans le tourner ne çà, ne là, ſur les iuſtes & ſur les bons.* Per verbum autem retorquendi in Catilinaria 2. *retorquet oculos profectò sæpe ad hanc vrbem*, exprimitur gestus eius, qui aliquid inuitus relinquit, & ad id subinde respicit: sed vis contraria hîc intelligitur præpositâ deriuato particulâ negandi, & homo describitur auri minimè cupidus.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est Sapphicum:

[a] Metonymia est materiæ pro pecunia & nummis ex ea cusis, qui pro nihilo putandi sunt, si homines illis abutantur intemperanter per effusionem, vel auiditatem tenacem.

[b] Metaphora à rebus ad aspectum venustissimis vel arte pictorum, vel bonitate naturæ, pro fructu, emolumento, gratia: quomodo accipitur Epist. ad Pisones: *Descriptas seruare vices, operumq́, colores*, pro gratia & venustate: vel pro caussa & prætextu, cur humi defodiatur. Vbi ærugine decoloratur, id est, vt ode præcedenti è Seneca dictum est, eius color vitiatur: quomodo Diuus Iacobus in graui illa obiurgatione loquitur cap. 5. ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται, id est, *aurum vestrum & argentum ærugine absumitur.*

[c] Sumtum est ab animato & affectibus prædito, ad ingratam terræ naturam, quæ non reddit fœnus accepti: nec respondet exspectationi datoris.

[d] Idem modus metonymiæ pro nummis excusis.

[e] Eadem metaphora, quæ in *color*, ad fructum temperati vsus indicandum.

[f] Metonymia est primùm subiecti pro adiuncto nomine vel liberalitate Proculeij, quę diutissimè celebrabitur & manebit: deinde metaphora ab animato ad exanime corpus, qualis est *in illum aget:* vel potiùs allegoria è metaphoris ab auibus citò & cautè volantibus ad celebritatem & æternitatem memoriæ Proculeianæ indicandam. *Splendeat, &c.*] Sic Cicero loquitur in præfatione paradoxorum, *nihil tam incultum, quod non splendescat oratione.* Propriè autem splendor argenti dicetur Satyr. 4. lib. 1. *Hunc capit argenti splendor.*

[g] Sumtum est à feris, quæ propriè dicuntur cicurari & domari.

[h] Metonymia subiecti pro adiunctis affectibus, qui mirum in modum concitant animos hominum, ac sępè spiritus tam animales & vitales, quàm naturales conficiunt. Propria autem significatio vocis Spiritus erit Epod. 11, *Arguit & latere*

Petitus imo spiritus, id est, halitus.

vt ode 12. lib. 4. *anima* pro flatu & vento, atque hinc pro vita, quam Physici affirmant in eo sitam esse maximè; quòd animal aerem per asperam arteriam in pulmones haustum recipiat: cuius vi, vt cibi ac potionis, vita cuiusque animantis tenetur. Inde quoque transfertur lib. 1. cap. 4. de Clementia, ad virtutem boni Principis indicandam. *Ille est vinculum, per quod Respub. cohæret, ille spiritus vitalis, quem hæc tot hominum millia trahunt:* quem etiam ob id Cicero lib. 2. de natura Deorum vocat animum spirabilem: & pro Sylla, pro elatione animi; vt hîc pro cupiditate sumitur.

[i] Dicitur per metonymiam adiuncti pro homine Hydropico, cui talis tumor accidit. Quidam pro hoc tropo annotauit, *subiectum pro prædicato posuit Poeta.* At hydrops est morbus, qui homini accidit, non autem ei subiicitur. Dicatur igitur accidens vel adiunctum poni hîc μετωνυμικῶς, pro homine hydropico, cui talis morbus accidit, nec sanitas potione restitui potest, vt apertè ostenditur verbo indulgendi, quod est nimiùm obsequi, ac plus concedere quàm deceat: ac propriè usurpatur de parentibus in filios. Cic ad Att. 10. *Q. filius indulgentiâ nostrâ deprauatus eò progressus est, quo non audeo dicere:* nonnunquam de filio in parentem, lib. 3. Offic. *Qui per indulgens in patrem, idem acerbus, seuerus in filium.*

[k] Procatalepsis est quædam, vbi Poeta occurrit falsæ opinioni de felicitate posita in copia diuitiarum, & ita Stoicum agere videtur.

[l] Hic mihi duplex videtur tropus: prior synecdóche generis pro sapientia, & integritate Stoica: deinde metonymia adiuncti pro sapientibus Stoicis, qui multùm abhorrebant ab opinione vulgi in æstimanda felicitate. [m] Συνεκδοχικῶς dicitur à partibus ad integras sententias mentis, & iudicia sensorum, vt Epist. 1. lib. 1. dicetur: *Sunt verba & voces, &c.* significanda. Simili eiusdem vocis tropo Cicero vsus fuit in oratione pro Archia poeta statim in exordio: *Quòd si hæc vox huius hortatu præceptiq́, confirmata nonnullis aliquando saluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari & alios seruare posse-*

mus, huic profectò ipsi, quantum est situm in nobis, & opem & salutem ferre debemus. Ita Demosthenes Ολωσδ. α. τῳ φωνῳ ἐμπικῶς vsurpauit, ὁ μὲν παρὼν καιρὸς μονονυχὶ λέγει φωνῇ ἀφιεὶς, i. *præsens occasio cum ratione suadet prope illud à vobis suscipiendum.* aliter, Itaq; hæc præsens temporis occasio ferè voce editâ loquitur, *viri Athenienses, quòd res istæ vobis suscipiendæ sint.* Epithetum *falsis* posset fortassis μετωνυμικῶς sumi pro fallentibus & in errorem inducentibus auditores; quomodo Seruius interpretatur illud hemistichium lib.1.Georg. sub finem: *Solem quis dicere falsum Audeat?* id est, fallacem. Nam & res ψευδεῖς etiam ab Aristot. dicuntur lib.4. μεταφυσ. quę inferunt menti falsam & mendacem opinionem, vt hæc epitheta geminat Cic. lib.1. de Diuinat.

a Vox est Græca ἀπὸ τὸ διαδεῖν, à reuinciendo, ac redimiendo: ideò τὸ *Diadema* propriâ notione valet redimiculum: sed inde transfertur ad regalem fasciam, & coronam, quâ regis caput exornatur: quale est ἀνάδημα lib.4. Lucretij, *Et bene parta patrum fiunt anademata mitta.* sic ἀναδεῖσθαι στέφανον, de regibus dicitur pro coronari. Plinius scribit lib.7.cap.56. hoc insigne regum primorum esse inuentum à Libero patre.

o Metonymia est adiunctæ coronæ pro gloria & triumpho, cuius laurus est insigne proprium, nec illius fortuna, nec quisquam hominum sibi vllam vindicat partem: vnde proprium dici videtur, quod propè semper adsit, & perpetuò adhæreat: de quo vide plura Satyr.6. lib.2.

p Hæc dictio cõflatur ab *in* priuandi particula: ideo *irretortus* est, qui nusquam aliò dimouet oculos. Gall. *qui ne regarde ne çà ne là:* sed hîc per metaphoram ab oculis ad animum à cupiditate longè alienum transfertur: verùm quia refertur eódem verbum spectandi, potest esse allegoria. Coactus sum hîc contra institutum agere Grammaticum vnà & Rhetorem ad tropos apertiùs indicandos.

Ode III. Ad Delivm.

Theticum.

Quòd animi constantia æquabilitasque in vtrouis rerum statu seruanda sit.

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, [2] moriture Deli.
[a] Seu mœstus omni tempore vixeris;
Seu te in remoto [b] gramine per dies
Festos reclinatum beâris
Interiore [c] notâ Falerni.
[3] Quà pinus ingens albáque populus
Vmbram hospitalem [d] consociare amant
Ramis, [e] quà obliquo [f] laborat
Lympha fugax trepidare riuo.
[4] Huc vina & vnguenta, & nimiùm [g] breues
Flores amœnæ ferre iube rosæ;
[5] Dum res, & ætas, & [h] sororum
Fila trium patiuntur [i] atra.
[6] Cedes coemtis saltibus & domo
Villáque, flauus quam Tiberis lauit:
Cedes: & [k] exstructis in altum
Diuitiis potietur heres.
[7] Diuésne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper & infima
De gente sub Dio moreris,
[l] Victima nil miserantis Orci.
[8] Omnes eódem cogimur: omnium
Versatur vrna: seriùs, ocyùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exsilium impositura cymbæ.

Analysis Dialectica.

Τὸν μὲν Δήλιον Ποιητὴς παρατρέπεται ὅπως τῷ εὐθυμίαν ἀσκοῦντα, ὡς τὸν διαβεβιωκότα βίον ἐν φιλοσοφίᾳ τῷ αὐτῷ παρυπαρχούσῃ. Hortatur Poeta Delium ad placidam animi quietem, tanquam ille vitam degisset in philosophia ipsam suppeditante; vt semper, tam in aduersis, quàm in secundis rebus sibi videatur esse similis, nec perturbationibus, nec Fortunæ casibus succumbat, sed lætus viuat. Hoc autem argumentum ductum est & depromtum è loco comparatorũ parium; quòd æquè debeat se præstare virum fortem in aduersis rebus, atq; in secundis: quum nihil sit magis decorum, quàm æquabilitas vniuersæ vitæ, & singularum actionum. Hîc quidem libentiùs agnosco paria, quàm similia: quia videtur mihi quantitas animi potiùs consideranda, quàm qualitas, vt ille in prosperis non sit immodicè magnus & excelsus, in aduersis nimis demissus, humilis & afflictus. Ad huiusmodi æquabilitatem animi hortatur D.Paul. Corinthios Epist.1. c.7. ἵνα καὶ οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες ὦσι, καὶ οἱ χαίροντες, ὡς μὴ χαίροντες· vt, *qui flent, sint tanquam non flentes; & qui gaudent, sint tanquam minimè gaudentes.* Sed longè alia est Apostoli philosophia, atq; illa nostri Poetę: ille iubet Christianos seruare modum in vtrouis humanæ vitæ statu, ne in aduerso sic dolori se dedant; vt de gratia & prouidentia Dei dubitent, ac malè quiritentur, abiectâ omni diuinæ bonitatis fiduciâ; sed cõtrà spe bonâ erecti de promissis Dei, omnem tristitiam fortiter ventis tradant: ne etiam in statu secundo, iidem immodicâ lætitiâ elati functionem negligant Christianam, vitæque cælestis cultum.

2 Hæc ratio, quę sumitur ex adiuncta moriendi necessitate, pertinet ad vtramque comparationis partem de æquabilitate & constantia in vtrolibet vitæ genere retinenda, siue tristi, siue lætо: quòd pariter æqualiterq; cuique moriendum sit: suadet tamen potiùs hilariter viuendum & temperatè.

3 Iam persuasa est Delio hilaritas vitæ, cuius traducendæ ratio nunc quęritur ex amœnitate & salubritate loci, multis circumstãtiis descripti ad animi requietem & delectationem: qualem Cic. in Epist. ad Q. Fratrem ex Arpinati dicebat percipi: *Ego ex magnis caloribus (non enim meminimus maiores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus: qualem quoq; ex insula, quâ nihil erat amœnius,* vt est 2.de leg. ad qualem denique inuitatur Galatea è mari Eclo.9.

Hîc ver purpureum, varios hîc flumina circum
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

4 Præter naturales circumstantias ingentis pinus, albę populi, præcipitantis riui, alias adiungit artificiosas; vini, vnguenti, florum & rosarum.

5 Ad eandem vitæ iucunditatẽ hortatur rursus Delium, ex adiuncta primùm fortunarũ & ætatis inconstantia,

stantia,& efficiente Parcarum voluntate, qualis est cohortatio Ode 9. lib.1.

6 Eódem deindè inuitatur ex adiuncta, vt suprà, moriendi necessitate, & relinquendi, quicquid ille habuerit carissimum.

7 Illa fatalis necessitas declaratur triplici parium collatione: quòd æquè sit è vita exiturus diues atque pauper, nobilis, atque ignobilis, æquè sit moriendum sub tecto, atque sub Dio.

8 Concludit omnes morti destinatos esse, siue citò siue tardè id eueniat.

Enarratio Grammatica.

HÆc Ode à Cruquio inscripta est L. Gellio: quòd anno Vrbis conditæ 707. è Sigonio didicisset L. Gellium Poplicolam cum M. Cocceio Nerua gessisse Consulatũ, quo tempore Horatius scripsit,& aliis coniecturis adductus fuisset ad mutationẽ vulgaris tituli.

Æquam.] Intelligit moderationem & æquitatem animi in vtroque Fortunæ statu placidè constanterque retinendam. Sed ad hoc possumus respõdere illud Pamphili in Hec. Act.3. Sc.3. *Omnibus nobis vt res dant sese, ita magni atq; humiles sumus.* Itaque rarò admodum hanc animi inuenias æquabilitatem in iis, quorum res sunt aduersæ: de quo lege Arist. l.1.Rhet. ad verb. οἱον εἰ δ' ὑπερέχων μὲν, ἀείσεται &c. Sed ad hoc ferendum non mediocre affert adiumentũ Plauti consilium in Captiuis: *in re mala, animo si bono vtare adiuuat. Nulla profectò tolerãdarum ærumnarũ melior rãtio, quam æquanimitas. Si autem quod necesse est ferre, inuitus feras; duplex malum est.* Itaq; seruetur, quod hic Poeta cecinit Ode 24.l.1. *Durũ: sed leuius fit patientiâ, Quicquid corrigere est nefas.* Et Virg 5.Æn.

Quò fata trahunt, retrahunt q; sequamur.

Quicquid erit, superanda omnis Fortuna ferendo est.

& Geta Phorm. Act.1. Sc.2. *Quod fors ferat, feremus æquo animo.* quod rectè fortasis dixeris Græcè, ἐγκρατῶς φέρειν, *ingenuo & æquo animo tolerare:* vbi summa animi tranquillitas maximè spectatur. Sic in oratore perfecto geminantur æquus & placatus: *Consequêris tamen, vt eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosq; dimittas.*

Non secus.] Hi maximè probantur codices, vbi legitur, *non secus ac bonis:* Et sic enunciatur huiusmodi comparatio à Sostrata in Hecy. Act.2. Sc.3. *Nunquam secus habui illam ac si ex me esset nata. Gallicè, ie ne l' ai tamais traictée autrement que si elle eut esté ma propre fille.* Quam lectionẽ tum Dialectica requirit; vt argumentum fiat planius hoc modo: *Non secus æquabilitas animi seruanda est in rebus aduersis,* hæc est πρόταοις comparationis: *atq; in secundis:* ἀπόδοσις eiusdem: tum Grãmatica. τὸ secus enim ἀπόφημα siue affirmatè, siue negatè enuncietur, particulas *quam, ac, & ac si, & atq;* semper postulat. Ex Plauti Aulul. quidam Grãmatici citant de primo: *Quid diximus tibi secus, quàm velles?* è Cic. pro Cælio: *Petulanter facimus, si matrẽfamilias secus, quàm matronarũ sanctitas postulat, nominamus.* Item è Cic.2. de Orat. *Cœpi secus agere atq; initiò dixeram.* Hæc pronunciantur affirmatè. Exemplum autẽ negatè enunciatum præter hoc, & illud Terentij, quæ ad manum hîc habemus, è Cic. peti potest: *Non secus hanc causſam defendissem, ac si lege Auitus teneretur.* Alij tamẽ hic legunt: *Num secus hanc causſam defendissem si lege Auitus teneretur?* Virg.l.3.Aen. *non secus, ac iussi, faciunt.* Quòd si tamen ab hoc loco nostri Poetæ abesset *non secus*; non minùs staret vis argumenti: *Memento seruare æquabilitatem animi in rebus aduersis, atq; in secundis.*

Lætitiæ.] Ex hoc loco potest confirmari differentia lætitiæ, & gaudij, quam Cic.4. Tusculanâ sic notauit: *Namquũ ratione animus mouetur placidè atq; constanter; tum illud Gaudium dicitur: quum autẽ inaniter effuse animus exsultat; tum illa Lætitia gestiens vel nimia dici potest:* quam ita definit, *sine ratione animi elationem:* quam Poeta vult hîc reuocari ad temperantiâ & æquabilitatem. Non dissimilis est definitio eiusdem affectus lib.2. c.27. apud Agell. *Lætitia dicitur exsultatio quædam animi, cum gaudio efferuentiore, euentu rerum expetitarum:* quod nõ hîc sine dehonestamẽto corporis. Neq; te abs terreat ab hac distinctione, quod Donatus annotauit in And. Act.5. Sc.4. ad versum: *Omnes nos gaudere hoc Chreme:* quo in loco, vbi distinxit verbum gaudere à gratulari; vt nostris dicamur gaudere, sed alienis gratulari; infert: *Plus est ergo gaudere quàm lætari:* mendosus est locus, & pro lætari reponendum est gratulari. Plurimùm hanc definitionem iuuat Varro l.5. de ling. Lat. & locus Terentij Libonis, quem ita citat: *Lætari ab eo dicitur, quod latius gaudium, propter magni boni opinionem diffusum: itaq; Terentius ait: Gaudia sua etsi omnes homines conferant vnum in locum, tamẽ mea exsuperet lætitia. sic enim se habent læta.* Liber hîc illustrationis gratiâ retexere syntaxim octo versuũ. *O Deli moriture, seu mœstus vixeris omni tempore: seu beâris te interiore notâ Falerni reclinatum per dies festos in gramine remoto, memento nõ secus seruare mentem æquã in arduis rebus, ac in bonis.*

Remoto.] Ex hoc intelligendus est locus liber, & ab interuentoribus vacuus.

Gramine.] Hæc herba creditur nominata à gradiendo, pro quo Dioscorides scribit illam ἕρπειν, *serpere* vel à fœcundè pignendo, quòd internodiis geniculatis mirificè soleat progredi: Græcè ἔρχνης, εἰλιτενὴς à Theocrito εἰδυλ. 3. quòd suis voluminibus se extendat, & quòd in agris facilius aliis herbis proueniat, dicta videtur: de qua vide Dioscor. lib.4. cap.30. Quanti verò facta sit olim Romę hæc herba, vide Plin. l.22. c.3.4.5. & cur obsidionalis nominata, & quibus dari solita graminea corona, dicetur etiam Od.7. li.3. & 1.l.4. Martium autẽ vocatur gramen, aut quòd in campo Martio nasceretur, aut quòd esset Marti sacrum, qui ob id Gradiuus.

Reclinatum.] Pro hoc dixit Ode 1. lib.2. *Stratum sub arbuto viridi.*

Notâ.] Quidam hoc referunt ad morem signandi vina præstantiora: quum lagenæ, quæ priùs stipatæ fuerant, interiùs aliis solerent recondi, & hac dispositione internoscerentur anni illorum è tempore Consulum. Sic Catull. ad Manlium:

Quare non scribit Veronæ turpe Catullo
Esse, quòd hic quisquam de meliore nota
Frigida de sæno tepefecit membra cubili.

Quam signandi consuetudinem Cic. vsurpauit Epist. 29. lib.7. ad famil. *Quare, Cicero mi perseuera conſtanter nos conseruare & Sulpicij successori* Acilio *nos de meliore nota commenda.* Malo equidem sumere translatum à Triumuiris monetalibus, vt Pomponius IC. lib.2. de Origine iuris vocat, & Græci τὰς κόμμα τὸ νομίσματα & μετοχετομένες, tractantes notas pecuniæ: vnde κίβδηλα νομίσματα, καλεῖται φαύλως ἢ κακῶς διακεκομμένα. cõtrà, παῦτα ὀρθῶς κοπέντα, *adulterina numismata vocantur malè procusa; eadem rectè signata, sunt legitima & probata.*

Quã pinus.] Pro epitheto *ingens*, Hom. in describendo Polyphemi antro dicit Odyss.ι.

——Εὗρε δὲ πυλὰς
Μῆλ' οἰῶν τε, καὶ αἰγὸς ἰαύεσκον· πρὸς δὲ ὁμιλὴ
Εὐρήλη δεδμητο καταπρηνέσσι λίθοισιν,
Μακρῇσίν τε πίτυσσιν ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν.

Ibi autẽ multa pecora & oues & capræ quiescebant: in circuitu autem caula alta lapidibus defossis ad fundamentum constructa erat, & proceris pinis, & quercubus in acumine comatis. Agell. l.8.c.4. reprehendit Herodotum, qui parùm verè dixerit lib.6. Οὔτι πίτυς μουνὴ δενδρέων πάντων ἐκκοπεῖσα βλαστὸν ἀδένα μετίει, ἀλλὰ πανελέθρῳ ἐξαπόλλυται.

quod fit interpretatur: *Vnam solámq; pirum arborũ omniũ cæsam nunquam denuò ex iisdem radicibus pullulare, sed omnino emori.* Sic credo, Theophrastus Agell. l. 3 c. 8. docuerat: ἀποκοπέντος δ' τὸ στελέχους τὰ μὲν ἄλλα πάνθ', ὡς εἰπεῖν, παραβλαστάνει, πλὴν ἐὰν αἱ ῥίζαι σφόδρα τύχωσι πεπονηκυῖαι· *caudice præciso, alia omnia, vt ita dicam, circumpullulant, emittuntq; enata, nisi radices antè laborauerint fathiscentes.* Πίτυς autẽ dicitur quibusdam ἀπὸ τῆς πίτυος, *à pice*, quam ex se copiosè fundit.

Albáq; populus.] Quæ Virgilio dicitur *candida*: atque Theophrastus scribit eam l. 2. in nigrorem verti, quod illi est ἐξαγειρῶδες, *degenerare in nigram*, quæ Græcè dicitur ἄγειρος μέλαινα, *populus nigra*, vt *alba*, λεύκη. Ob hanc coloris varietatem dicitur Græcè δίχροος ἄγχου, quod Virg. 8 Aen. v. 225. vertit *bicolor populus*: cuius hęc redditur ratio à Seruio ibidem: *Herculem, cui consecrata est populus arbos, quum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore coronâ sactâ caput velasse: vnde pars foliorum temporibus cohærens & capiti, albuit sudore: pars verò exterior, propter inferorum colorem, nigra permansit.* Plin. l. 6. c. 2 addit genus populi, quod vocat Libycum: vtrique tamen notatio τῆς ἀγείρου, ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἐγέρσεως καὶ αὐτὴ δένδρου αὐξήσεως, λέγεται, *quòd ambæ facilè se excitent, sublimesq; dent*, conuenit: ad quam respexit naturam Homerus, quum canit Odyss. ν.

Μακραὶ δ' ἄγειροί τε καὶ ἴτεαι ἀλισίκαρποι.
Et proceræ populi & salices frugiperdæ, vt vertit Plin.

Idem Odyss. ε.

Οἷά τε φύλλα μακὲδνῆς ἀγείροιο.
Qualia sunt folia populi altæ.

Eadem dicitur Hesychio, ἄπεν ὁρ: cur autem ita, nondum comperi. De differentia vtriusq; vide Theophrasti histor. plant. libri 3. cap. 1. & de causis plantarum lib. 5. cap. 8 & Dioscorid. l. 1. c. 114. vbi scribit: Ὅτι τὸ ἐξ ἀγείρου δάκρυον κατὰ τὸν Ἠείδανον ποταμὸν κατὰ χώμας ὀρύττουσι, καὶ γίνεται τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. *E populis lacrymã iuxta Padum flumen effusam concrescere, & inde fieri genus Electri*, quod vocatur ex arboribus. Alia genera vide apud Plin. l. 27. c. 2. & 3. Aristoteles quoq; in ea fuit sententia, succinum esse lacrymam, sed non definit, cuius sit arboris; alij gummi; alij resinam; alij pinguem terræ sudorem; alij è limo terræ gigni; alij è purgamento maris concreti fieri; alij, vt Georg. Agricola, esse bitumen fossile, quod in lapidem mutatum sit. Color autem Electri est triplex: candidus, qui est omnium præstantissimus; fuluus & perspicuus instar vitri; niger est deterrimus. Plinius, vt ait Seruius Aen. 8. ad versum: *Quod fieri ferro, liquidóve potest electro*: electri tria facit genera, non ex hac coloris varietate, sed ex ipsius essentialibus causis. Vide locum, vnde cognoscas; vt ex Isidoro Seruianæ commentationis fure electrum dici à sole, qui à Poetis Electror vocitatus sit. Plin. lib. 37. cap. 2. Sed addo, quod tres illi silentio præterierunt, τὸ ἐλέχθαι inclinari ἀπὸ τὸ ἐλεῖαν ἢ ἔλαν, τοῦτο τὸ ἥλιος αὐγὴν, *ab ipsius splendore.* De primo puto locum 3. Georg. intelligendum:

Purior electro campum petit amnis. Idem Dioscorides de alba populo lib. 1. cap. 110. Λεύκης τὸ δὲ δρυὸς ὁ φλοιὸς ἰσχάδας ὠφελεῖ καὶ στραγγείας: —— quod sic vertit Plinius: *Populi albæ cortex potus Ischiadicis & stranguriæ, id est, stillicidio vrinæ*, vel, vt Varro interpretatur: *lotio substillo prodest.* Fabulantur autem Poetæ, in primisque Virgilius, succum illum è populo stillantem, qui coalescit in Electrum, esse fletum Phaethontiadum, quę fuerunt; Phaethusa, Lampetia, & Lampethusa, sorores Phaethontis, & in populos conuersæ Iouis commiseratione: quòd eas videret confici fraterni interitus dolore, de quo sic 10. Aeneid.

Namque ferunt, luctu Cycnum Phaethontis amati
Populeas inter frondes, vmbramq; sororum
Dum canit. &c.

Quod Plinius lib. 37. capite 2. scribit falsum esse & Italiæ testimonio ita patere. Virgilius tamen in Sileno scribit eas mutatas in alnos fuisse.

Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Hinc quidam putarunt nomine τῆς ἀγείρου vtramque arborem, & populum & alnum significari posse: & certè posterior hic versus proximè accedit ad superius etymon. Vt autem populus Latinè dicitur à multitudine furculorum, facilè inde nascentium; sic alnus fit ex alumnus recisa media syllaba, tanquam diceretur alumna fluuij, vel quod ab amne alatur, nec extra vndas viuere queat. Inuitauit me, Lector, ad harum arborum historiam locus, quem aliquot iam annos incolo, alnis & populis pulcerrimè consitus secus ripas Aesonæ fluminis: vbi situm est Bellebarum Callionymum, pulcri nominis castellum huius meditationis principium, & à loci iucunditate Gallicè *Bellebat*, vereq; nominatum, & milliaria decem à Lutetia Parisiorum disitum.

Amant.] Vsitata est huic Poetæ hæc rectio verbi *amo* cum infinito pro cupit & solet, ad imitationem Græcorum in verbo φιλεῖν, qui dicunt etiam personaliter, vt Thucydides lib. 2. ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν, *quod solet multitudo facere.* & Herodotus in Vrania, οἷα φιλέει γίνεσθαι ἐν πολέμῳ, *cuiusmodi solent in bello fieri.* Talem Hellenismum, præter Horatium, vsurpauit sæpè Sallustius, *vt vulgus amat fieri*, & Tacitus, *vt fermè amat posterior adulatio.* Quod Fabius lib. 9. cap. 3. de figuris verborum notauit: attamen hîc *amat consociare* possumus etiam explicare per, *libenter consociant vmbram*, ac velut certatim faciunt maiorem & conspirant in suppeditando propugnaculo aduersus æstum.

Lympha fugax laborat trepidare.] Id est, properat fluere. Cic. dicit 4. Academico: *laboro, vt assentiar Epicuro*: Plin. tamen more Poetico loquitur Epist. 10. *laboraui amari ab eo*, pro, studui conciliare mihi eius amicitiam.

Vnguenta, &c.] In more fuit veteribus positum, vt in conuiuiis adhiberent vnguenta & odores: sed quum hæc sola cernas adesse, huiusmodi cõuiuia putato edentula, vt Martial. facetè l. 3. notauit:

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Conuiuis herè, sed nihil stitisti:
Res falsa est bene olere & esurire,
Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle,
Hic verò mihi mortuus videtur.

Sed cur vnguentis & coronis vterentur veteres in conuiuiis, l. 15. Athenæi legito c. 18. è Latina distinctione.

Breues flores rosarum.] De breuitate florentium rosarum tale est Elegiacum:

Quàm longa vna dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous.
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Sororum.] Filiæ sunt Noctis & Erebi: quarum ἡ Κλωθὼ dicta est ἀπὸ τοῦ συγκλώθειν, *à rebus humanis connectendis*: ἡ δὲ Λάχεσις ἀπὸ τοῦ τὰ ἀνθρώπινα λαχάνειν, *ab impertiẽda cuiq; sua sorte*: tertia est Ἄτροπος παρὰ τὸ ἀμετάστρεπτον τῆς μοίρας ἢ ἀνάγκης, ἢ ἀυτῆς τὸν νόον ἀτρέπεσθαι, *vel à non mutandamente, vel à necessitate fati immutabili*, vnde versus propter tria tempora: *Clotho colum baiulat, Lachesis net, Atropos occat.* Latinè autem Parcæ dicuntur, quæ sonant idem, quod fata: à partu; quasi Partæ, mutatione vnius literæ; vt Varroni placet, & Agellio probatur lib. 3. cap. 16. quòd infantibus horâ natalitiâ boni vel mali semina inserãt. Alij tamen malunt κατὰ τοῦναντίον ita dici, id est, per cõtrarium sermonẽ, vt Seruius in 1. Aen. interpretatur: quia

quia nemini parcant: sic lucus, quia non luceat: bellum, quia nulla res in eo bella sit, vt idem notat ibidem. De Parcis legatur *Aristoteles* in fine lib. de Mundo, ad locũ, τρεῖς μὲν γὰρ αἱ μοῖραι, id est, *Tres enim sunt Parcæ.* Sic Græcè à μμερείσθαι dictæ, *quòd ex partibus constent, vel potius, quòd res pro ratione temporum partiantur.* Quòd autẽ hæc tria, parca, lucus, bellum contrarij aliquid possint è mutatione proprię significationis designare, de hoc controuersantur Grammatici: Si qua tamen fortè dissensio in aliquod horum incideret, tribuenda potius videretur etymologiæ Grammaticæ, ac deriuationi, vel Logicæ notationi è loco dissentaneorum ortæ, quàm tropo: de quo iam monuimus in Gram. odes 32. lib. 1. Parcarum testimonio vtitur Maro in Pollione ad descriptionem ætatis aureæ sub Solonino Pollionis filio:

Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum nomine Parcæ.

Quod diuus Hieronymus & August. attribuunt Christo, vt à Sibylla primũ, deinde à Poetis inimicis Christo celebratum instinctu Spiritus sancti.

Villa.] Villa dicitur quasi vehilla, quò fructus ex agris conueherentur. Varro l. 4. de ling. Lati. Ideoque Donatus in Heaut. Act. 4. Sce. 4. definit: *Villa est domus in agris, quò rustici res vehunt, & inde euehunt.*

Cedes, &c.] Quod hîc dicitur ἐκλειπτικῶς *cedere saltibus*, domo, villâ, Gall. *quitter & abandonner ses forest, ses maisons, ses villes & des champs*, efferetur epistolâ ad Pisones ἐκπλέως, *non ut de sede secunda cederet*: quæ gemina syntaxis est oratoribus cum poetis cõmunis. nam Cic. vsurpat vtramque, cedere vitâ & è vita, ciuitate & è ciuitate, vrbe, ex vrbe, patriâ, ex patria.

Lauit.] Ἀ'ρχαϊκῶς dixit pro lauat, vt sæpè verba secundæ coniugationis per tertiam.

Diutiùs potietur.] Hoc verbum, quia deflectitur à *potis*; est propriè, *In sua potestate habere*, & aliquãdo cũ gignendi casu reperitur, *potior voluptatum*, lib. 1. de finibus, *potiri regni*, l. 1. Epist. fam. Epist. 7. *potiri rerum*, lib. 4. Academi. quod postremum Isocrates dicit Epist. 2. ad Philip. κρατεῖν τῆς θαλάττης. Grãmatici dicunt hanc syntaxin esse figuratam: sed ego interpretor hoc genus figuræ ideo dici, quia imitatio est Hellenismi: vnde Donat. in Adelph. Act. 5. Sc. 4. versu: *ille alter sine labore patria potitur commoda*; notat: *Accusatiuo casu extulit, quod nos ablatiuo dicimus, id est, patrio potitur commodo.* Idem scribit Seruius in ver. 2. Aen. *Ego insperata tandem, &c.*

Inacho.] Inachus primus rex fuit Achiuorum: de quo plura dicentur, si Deo placet, Ode 19. lib. 3.

Sub dio.] Hæc vox deflecti mihi videtur ab epithero Græco δῖος contracto ex δίϝος quod sonat Iouialis, aut ortus à Ioue, vt in Homero Iliad. α. Δῖος Ἀχιλλεύς. *Dius Achilles*, & Diana dicitur δῖα γυνή. *Ioue nata.* & in Prometheo Aesch. ὦ δῖα αἰθήρ, vnde δῖος ἡμέρα. *dies serenus.* Sub Dio igitur est, ἐν ὑπαίθρῳ, sub cælo & aere. Gallicè: *Soit que tu demeure à descouuert & sans maison*, vt dixit l. 1. Od. 1. *sub Ioue*, i. *foris & extra tectũ* habites, futurus Plutonis, tanquã victima, nihil miserâtis. Sic Phocylides:

Κοιναὶ μέλαθρα δόμων αἰώνια καὶ πατρὶς Ἅιδης,
Ζωὸς χῶρος ἅπασι, πενησί τε καὶ βασιλεῦσιν.

Communia domorum tecta æterna, & patria Orcus, communis locus vniuersis & pauperib. & regibus. Sic *sub dio* vtitur Cæsar li. 1. de bello Gall. de Germanis: *qui quatuordecim annos sub dio cubarunt.* Sic quoque Cic. 3. in Verrem. *in sylua denique sub dio posita vidimus.*

Moreris.] Absolutè hîc sumitur *moror*, pro habito. neque tamen planè pro hoc; quo ut significatur diuturna permansio, tanquam in propriis ædibus, quam Græci καθοικίαν καὶ κατοικεῖν dicunt: sic breuis mansio verbis παροικίαν καὶ παροικεῖν, tanquam in hospitiis & diuersoriis: quod vtriusq; discrimen Cicero nobis obseruauit in fine Catonis maioris, *atq; è vita ista discedo, tanquam ex hospitio, nõ tanquam ex domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis dedit*: quæ Theodorus Gaza sic fecit Græca per nomina, καὶ τῆς ζωῆς, ὡς οὐ παροχὴν καὶ οὐχ ὡς ἐξ οἴκου ἀναχωρῶ. διατριβῆς γὰρ καταγώγιον, ἀλλ' ἐ κατοικίαν ἡ φύσις ἡμῖν ἐδέδωκεν. Verbum autem *morari* Galli reddunt ex ipsius coniuncto demorari, *demourer* vel Doricè demeurer, quamquã propriè spatium breue temporis, vt paucorum dierum soleant designare verbo *seiourner*, vt longum, *demourer.* quod ὑμεταφορικῶς ἢ ἐνεργητικῶς, vt sæpè, pro *in mora detinere*: sicut Ode 12. lib. 1. de Orpheo, qui *arte materna rapidos lapsus fluminum moratur*, pro *sistit & tardat*: vt *morare riuos celeres, aureos currus, aures, tempora, oculos*, & similia. Est præterea non indignum obseruatu, quod Donatus scripsit in Heaut. Act. 1. Sc. 1. ad finem: *Egomet cõuiuas moror*, Gallicè, *ie fais trop attendre ceux, que i'ay inuité au banquet. à quibusdam*, ait, *morari pro exspectare exponitur*: sed meâ sentẽtiâ, magis Poeticè quàm Oratoriè. Nam morari aliquem minimè dixerim pro exspectare & manere aliquem, sed pro tenere & tardare aliquem quibusdam rebus obiectis.

Victima.] Festus, ex Aelij Stilonis opinione, putat hanc vocem dici à vigore vituli immolatitij: sed ex aliorum sententia, quòd vincta altari admoueatur: vel quòd post victos hostes immoletur: quod postremum etymon Ouid. lib. 1. Fast. notauit.

Victima quæ dextrâ cecidit victrice vocatur.

Vrna.] Vide fabulam de Minoe vrnam mouente 6. Aen. ad hunc versum:

Quæsitor Minos vrnam mouet.

Ellipsis videtur explenda: *siue seriùs siue citiùs exitura sors*: cuius veriuerbium est ab vrinando, id est, immergendo, ac denuò emergendo more situlæ demersæ, atq; mox cum aquâ extractæ instar vrinantis. vt docet Varro lib. 4. de ling. Latina, in qua vrnâ sortes coniiciebantur, nec solùm hæ; verùm etiam iudiciariæ tabellæ & nomina, quum Prætor iudices sortiebatur. Coniiciebantur enim primùm nomina Iudicum in vrnam, deinde qui exierant inde, iudicabant: quos poeta Satyrâ 4. lib. 1. Selectos iudices vocat. Verbo autem exeundi Seneca vsus est lib. 3. de beneficiis, cap. 8. in simili argumento, *Nemo huic rei satis idoneus iudex inuentus est: quod non admiraberis, si excusseris, quid habiturus fuerit difficultatis, quisquis in eiusmodi reum exiisset*, i. sorte ductus esset. Totuplex autẽ est vrna; quotuplex est ratio eâ vtendi, id est, multiplex: quanquam triplex videtur statui lib. 2. ad Q. fratrem, de Sex. Cælio. *Senatorum cum vrna copiosè absoluit: Equitũ adæquauit: Tribuni æraríj condemnarunt.* pro triplici iudicum ordine, *Senatorum, Equitum, Tribunorum ærariorum.* Has autem vrnas siue cistas, *Quæstor*, qui præerat quæstionibus rerum capitalium exercendis, custodiebat in tribunali paratas siue ad sortes ducendas, siue ad sententias iudicum, quæ in tabellis erant scriptæ, recipiendas: de quo vide Cicer. in Vatinium. Non est hîc improbanda Iani Douzę interpunctio: *omnium Versatur vrnâ seriùs, ocyùs Sors exitura*: atque tunc *vrnâ* erit sexti casus per ellipsin prępositionis: sors versatur & agitatur in vrna.

Nos in æternum.] Versus est hypermeter.

Ocyùs.] Admonui od. 2. lib. 1. hanc vocem à positiuo Græco ὠκὺς esse; quanquam Seruius in vers. Aen. 8. *Ocyùs ire equites & c.* annotat. *Ocyùs positiuus antiquus est, id est, celeriter: nec enim potest esse comparatiuus, vbi nulla est comparatio.* Sed est vsitatum hoc, Serui, comparatiua sumi pro positiuis. Prætereà hîc alter comparatiuus *seriùs* subiicitur, nec minùs rectè dicitur: *fugit ocyùs aurâ & ceruis*, quàm, ocyor per nomen.

Cymbæ.] Intelligit cymbam Charontis, quæ transvehebat vmbras sepultorum per Acheronta in Elysios campos. Hanc autem nauiculam minutam puto dictam, vt concauum cymbalum, ἀπὸ τοῦ κύπτειν *ab inclinando* quasi κύφαλον.

Explicatio Rhetorica.

METrum est nonæ lib. primi simile.

[a] *Seu mœstus, seu te, & vixeris, beârûs*, efficiunt symplocen: idem enim sonus in principiis ac clausulis sententiarum auditur iucundè. [b] Synecdoche est speciei pro quauis herba. Prætereà per metonymiam adiunctæ herbæ significatur locus herbidus.

[c] Ex adiuncta nota præstantia vini indicatur per metonymiam: atq; vnà per metaphoram, vt è Grãmaticis discere potuisti. De hoc vino Falerno vide Oden 27. lib. 1. [d] Metaphora est ab animatis ad inanimas plantas: item vmbra hospitalis dicitur, vt cubiculum hospitale, locus, sedes. In *amant* quidã putant Græcam esse metonymiam efficientis: Quæ enim lubentibus animis fiunt, facilè deducunt factores suos in consuetudinem crebrò similiter agendi: quali vsus est D. Matthæus Euang. cap. 6. v. 5, Καὶ ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ, ὥσπερ οἱ ὑποκριταί, ὅτι φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι, id est, *Et quum precaberis, ne sis, vt hypocritæ. solent enim in synagogis & in angulis Platearum stantes precari.* [e] Idem sonus atque eadem dictio per anaphoram repetitur initiò sententiarum: quæ peribit lectione *ramis* & *obliquo*, & alterâ: *Quò pinus ingens*, &c.

[f] Metaphora pro trepidè & laboriosè fluit.

[g] Translatum est à quantitate corporum ad tempus indicandum pro ἀπὸ βραχυχρονίας, quæ per exiguum tempus durant & citò defloreſcunt: quomodo dicitur breue lilium Ode 36. libr. 1. [h] Synecdoche generis pro Pârcis, id est, fatis. [i] Ex effecto efficiens intelligitur, vt Ode 28. lib. 1. *mors atra*, & *nigrum venenum.*

[k] Sumtum à congerie lignorum & lapidum, è quibus, dum ad alia applicantur alia, ędificia exsurgunt ad auxesin ingentem diuitiarum indicandam.

[l] Metaphora est à sacrificiis pro mortuis.

Ode IV. Ad Xanthiam Phocevm.

Theticum.

Quòd neminem pudeat amatæ ignobilis puellæ, ac præsertim castæ & pudicæ.

NE sit [a] ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: priùs insolentem
Serua Briseis niueo [b] colore
[c] Mouit Achillem.
Mouit Aiacem Telamone [d] natum
Forma captiuæ dominum Tecmessæ.
Arsit [c] Atrides medio in [f] triumpho
[g] Virgine raptâ:
[h] Barbaræ postquam [i] cecidêre turmæ
[k] Thessalo victore, & ademtus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
[l] Pergama Graiis.
[3] Nescias, an te generum beati
Phyllidis flauæ decorent parentes.
[4] Regium certè genus & Penates
Mœret iniquos.
[5] Crede non illam tibi de scelesta
Plebe delectam, neque sic fidelem,
Sic lucro auersam potuisse nasci
Matre pudendâ.
[6] Brachia, & vultum, [m] teretesq; suras
Integer laudo: [n] fuge suspicari:
Cuius octauum trepidauit ætas
Claudere lustrum.

Analysis Dialectica.

DOcet non esse dedecori & ignominiæ vertendum Xanthiæ Phoceo, ipsius in Phyllidem amorem, quem celabat, humilem, obscuram virginem, & ancillam, tribus exemplis trium summorum & clarissimorum principum. Viderentur tamen hæc exempla quibusdam sumta è loco distributionis, cuius hæc, tanquam partes, vel species, colliguntur ad hoc totum vel genus, *quod neminem pudeat*, explicandum: sed, quia hæc tria exempla tractantur comparatè, præstat certè sentire, Poetam argumentari ex parium comparatione, quâ positam quæstionem sic persuadet ἐνθυμηματικῶς: *Non erubuit olim Achilles amare Briseida seruam, nec Aiax Telamonius Tecmessam captiuam, nec Agamemnon Cassandram raptam: ne pudeat igitur Xanthiam Phoceum amoris erga Phyllida.* Quidam, dum in personas amantes solùm hîc intuentur, collationem maiorum agnoscunt: sed æqualis ipsarum amatio in eadem subiecta conditionis æqualis coget illos iuxtà mecum statuere parium contentionem. Hæc autem Enthymematica complexio est initio præsentis Odes.

2 Tertium exemplum amplificatur adiuncto tempore excidij & Cassandræ raptæ.

3 Complexio confirmatur procreantibus caussis, quæ nondum manifestò exstiterunt, aliquando tamen in lucem proditurus, & generum cohonestaturis.

4 Declarantur tales caussæ ex adiunctis frequentibus querelis, & luctu Phyllidis de suo genere regio & pecuniæ contemtu; id est, αἰσχροκερδίᾳ magno pudicitiæ argumento. Multò quidem certè magis confirmat felicitatem huius amoris Poeta ipsi Xanthiæ, dum virtutem puellæ, probitatemque morum illi proponit è loco adiunctorum: quæ si de honesto coniugij amore prædicarentur, probarem magis: qualia peti possunt ex Hipponacte & Euripide. Hipponax:

Γάμῳ κράτιστος ὅστις ἀνδρὶ σώφρονι,
Τρόπον γυναικὸς χρηστὸν ἔνδον λαμβάνει·
Αὐτὴ γὰρ ἡ τροφὸς ἐξ οἰκίαν σώζει μόνη.
Ὅστις δὲ πονηρῶς πὼ γυναῖκ' ἄγει λάβῃ,
Σωφρονοῦσ' ἔσω αὐτὴ δεσποίνης ἔχει·
Εὔνουν, βεβαίαν εἰς ἅπαντα τὸν βίον.
Optimum est illud coniugium prudenti viro,
Qui domum suam inducit vxorem spectatissimis moribus præditam:
Ipsa enim dos sola domum conseruat.
At qui delicatè tractat hanc vxorem,
Is habebit laboris sociam, non dominam:
Beneuolam, constantem per totam vitam.

Euripid. in Bellerophont.

Πολλοὺς δὲ πλούτῳ, καὶ δόξει γαυρουμένους
Γυνὴ καλὴ χὠ' ἐν δόμοισι νηπία.
Sed multos opibus & generis splendore elatos
Mulier stulta in ædibus dedecorat, & pudore afficit.

5 Ad eandem complexionem superioris Enthymematis pertinet hæc amotio falsarum caussarum, vt veras

veras iam positas magis stabiliat: *Non potest fieri, crede, ait, vt Phyllis inhonestis moribus prædita & obscuris parentibus prognata sit, quæ videatur tam aliena à perfidia & quæstu conueniente scortis impudicis: ex claro igitur, & honesto genere traxit originem.* Sic Geta in Phor. Act. 1. Sc. 2. commendat virginem: Illam *ciuem esse Atticam, bonam, bonis prognatam.* Sed de talibus procreantium causarum effectis lege Oden 4. lib. 4. & nostras ibidem notas.

6 Hic conatur suspicionem amoris sui in Phyllida Phoceo leuare & à se remouere, ex adiuncta sibi ea ætate, quæ minùs procliuis sit ad libidinem & Venerem, quàm adolescentia Xanthiæ, vel æqualium. Prudenter quidem hoc Poeta occupauit, ne, quòd aliàs Homerus propter vini laudationem audiuit vinosus, ipse audiret etiam laudibus Phyllidis mulierosus, aut riualis, ἀντερασ τής.

Enarratio Grammatica.

NE *sit.*] Quidam putant hîc τὸ *ne* αἰπολογικὸν τέλος ἔχειν, cur Xanthias non debeat erubescere propter suum in Phyllida amorem: sed non potest reddi ratio, nisi illius, quod antecesserit. Itaque, quum nihil præcesserit, malo τὸ *ne* monentis esse, & in his *priùs insolentem* ellipsin esse τῆ αἰπολογικῆ *enim*, vt sensus sit: *Ne te pudeat amare obscuram puellam. Priùs enim Achilles captus est inuerecundè amore seruæ Briseidis.* Sic primus versus est velut quæstio, quæ, vt thetica Stoica, posset ita proponi: Οὔπω μή συ, ὦ Ξανθία Φωκεύ, αἰσχύνοιο φιλεῖν πὼ δεσποινίδα· ἀσθενέστερον μὲν γὰρ Βρισηΐδος χαλλιπάρῃ θ' ἡνίνησεν ἄτεγκτον Ἀχιλῆα, καὶ τὸν ἀμήτιν πόθον δεινὸν ἑαυτῇ ἐνεποίησεν. Ode 33. lib. 1. similiter huic proposita fuit, sed clariùs, vt notæ nostræ iam tibi indicarunt. Ex illa igitur quæstione instituitur Ode, & proxima verba *priùs insolentem* cõtinent approbationem ipsius.

Ancillæ.] In notatione huius vocis Grammatici variant, dum alij à verbo prisco cillo, id est, moueo, & præpositione inseparabili *an*, quòd ancillæ semper debeant esse versaríque circum dominos suos, alij ab *Anco* Romæ rege quarto, qui mulieres bello captas primus coegit seruire: alij postremò ex obsoleto verbo *anculare*, pro ministrare: vnde ministri dicti sunt *anculi & anculæ*, Deorum ministræ.

Xanthia.] Grammatici quidam hîc malunt legere *Xanthiæ*, vt nomen patrium & gentile Phyllidis Phrygiæ à Xantho flumine Troadis, cuius aqua, sicut Tiberis, flaua erat: ξανθὸς enim est flauus: alij faciunt prænomen Phocei: vtros autem libebit, sequere.

Phoceu.] Declinatio Græca est, ὦ βασιλεῦ in vocatiuo, sic ὦ Theseu, & ὦ Orpheu.

Insolentem.] Potest sine discrimine vel pro insueto amoris, vel pro arrogante sumi. Quum autem pro hoc; definitur à Donato in Andr. Act. 5. Sce. 4. *qui præter legem agit humanam & naturalem*, quomodo se gerit quisquis est superbiâ elatus, καὶ παροξυνθεὶς πρός τινα θ' ὀργὴν τῷ θυμόνον, *& memori irâ commotus in aliquem*, qualis dictus est grauis stomachus Peleidæ Ode 5. lib. 1.

Briseis.] Priùs proprium nomen habebat Hippodamia, quę Lyrnesso Troadis vrbe rapta ab Achille, vt est Iliad. β. in sortem cesit ipsi: sed eâdem ab Agamemnone huic sublatâ, factus est ἄτεγκτος.

Aiacem.] De hoc vide Ode 7. lib. 1. & Iliad. β. quid Oileo præstaret, qui videtur nomen sumere ἀπὸ τῆς τελαμῶνος, *à fascia & balteo scuti.*

Tecmessæ.] Dicitur fortasis à Tecmone vrbe Thesprotiæ in Epiro. Prima huius vocis syllaba corripitur licentiâ Græcorum, propter mutæ & liquidæ concursum, vt sit vltima Chorei. De hac Tecmessa vide Sophoclem in Aiace: ac præterea cur singuli duces suas habuerint concubinas, præter Menelaum lege lib. 13. Athenæi.

Arsit.] Rarior est hæc syntaxis cum ablatiuo personę pro illa Virgiliana, *Corydon ardebat Alexin formosum*: at longè vsitatissima cum ablatiuo rei, ardere cupiditate, dolore, bello, amore, irâ, inuidiâ, ideoq; Grãmatici putant *raptâ virgine* ablatiuum esse absolutum, id est, postquam virgo Cassandra filia Priami & Hecubæ, & vates (de qua 2. Aeneid.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.) rapta est primùm ab Aiace Oileo, quæ posteà serua cessit Agamemnoni in diuidenda Ilij prędа. Quidam arbitrati sunt hanc virginem fuisse Chryseidem: sed refellit eorum opinionem definitum tempus captionis. Iamdiu enim Agamemnon hac potitus fuerat ante expugnationem, vt constat ex 1. Iliados.

Barbaræ.] De ratione huius vocis lege notas in Epistol. 2. lib. 1.

Turmæ.] In *Turma* quidam agnoscũt ὀνοματοποιίαν, nominis fictionem, à strepitu equorum terram pulsantiũ. Non quidem omnino improbo vocis etymon, vt neq; illud, quo dicitur deduci à Græco τύρμη, aut à τύρμος, vtróque significante modiolum rotæ, in quem axis solet inseri: sed istam nominis fictionem non possum sine ratione, vt facit Fabius Quintil. ponere in tropis: quia illius video significationem propriam & natiuã, qualis est in *Vesta*, quæ suâ vistat, & *focus*, qui flammam fouet: sic *turma*, quæ terram mouet, quarum certè vocum ratio est ex effectis: sed non immutatam & modificatam video, qualem tropus requirit. Quidam autem hîc statuunt ἀκυρολογίαν: quia turma de equitibus propriè dicitur: quos non est verisimile intra Pergama inclusos, sed cohortes peditum.

Thessalo victore.] Hoc non est referendum ad tempus expugnationis, ante quam Achilles iam pridem mortuus fuerat: sed ad commissum prælium inter ipsum & Hectorem: vbi hic & eius turma ceciderunt.

Tradidit.] Videretur Hector ex his auctor fuisse captę Troiæ, quum dicitur illam captu faciliorẽ Græcis tradidisse: sed obserua Poetam dixisse *tradidit* nõ *prodidit*: ideoque illum quidem causam fuisse, sine qua non, vt loquuntur Dialectici, & Aristot. lib. 2. Phys. cap. 3. non autem à qua tale excidium exstiterit. Quamdiu enim superstes fuit, semper Troia stetit. Sic Andromache Iliad. χ extremo:

Οἷ θ' γάρ σφιν ἔρυσο πύλας καὶ τείχεα μακρά.

Solus enim ipsis custodiebas portas & longa mœnia. & Virg. li. 9. Aen. —*Decimum quos distulit Hector in annum.*

Leuiora tolli.] Hellenismus est: (qualis fuit Ode 26. l. 1.

Tradam proteruis in mare Creticum

Portare ventis tristitiam) pro, desiderium Hectoris reddidit Troiam expugnatu faciliorem Græcis, militiâ & longâ obsidione fatigatis: de quo sic Iliad. ω.

Ῥ᾽ἦτοι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοισιν δὴ ἔσεσθε.

Multò enim captu faciliores eritis Achiuis.

Pergama tolli. &c.] Græci, vt Pindar. Ολυμπ. η. 2. Epod. Σκαιὰς καὶ ἐνικὰς vsurpant, ac præcipuè Homerus, sicut Eustathij notæ in vers. Ιλιαδ. ε. ad finem habent, —Νεμέσησε δ᾽ Ἀπόλλων Περγάμῳ ὀκχαπδών. —i. *Iratus fuit Apollo ex Pergamo despiciens*: huius interpretis scholia in hunc locum sic interpretor, Homerus solã Ilij arcem fœmininè nominat *Pergamum*, recentiores sic arces & propugnacula omnia vocant: qui etiam πληθυντικῶς καὶ οὐδετέρως dicunt Pergama. Mos enim fuit priscis vrbium conditoribus acropoleis, i. arces summas statuere in præcelsis locis & præsidij gratiâ & diluuij metu.

Beati parentes.] Ex hoc epitheto intelligenda est nobilitas, opes & potentia parentum.

Regium genus.] Phyllis queritur de familiarib. Diis, vt sibi, tali seruitute indignæ, iratis, quæ clarissimo genere orta esset. Nó dissimili studio Nero curauit libertam quandam Acten, vel Atten nomine, commendare, vt Suetonius refert in ipsius vita cap. 28. *Acten libertam paullùm abfuit, quin matrimonio sibi coniungeret, submissis Consularibus viris, qui regio genere ortam peierarent.*

Penates.] Seruius in ver. 3. Aen. *Cum sociis natoq; Penatibus & magnis Dîs.* scribit ex Varrone Penates eosdem esse atque magnos Deos: quod si ita est; quomodo Lares poterunt præesse Ioui, Mineruæ & Mercurio, qui Romæ colebantur? de quo lege Oden 12. lib. 1. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 4. & August. lib. 1. cap. 3. de ciuitate Dei, & qui sint Penates, & vnde dicti.

Crede.] Donatus in Terentium And. Prol. ver. 2. & 4. sic hoc verbũ distinguit ab *intelligere*; vt, quod credimus, sit plerunq; falsum; sed quod intelligimus, certũ.

Sic lucro.] Est hîc Ellipsis præpositionis, *à lucro*, vt *auertere* requirit, quũ dicitur, *animum auertere ab aliquo.* Sic Orator, *auersus à vero, Musis & proposito* σωτάτης.

Brachia.] Hæc vox ducta est à Græca βραχίων, ονος, atque dicta à breuitate illius ossis, vnde hæc pars nominatur, quòd interiacet humeris & cubitis, præsertim si conferatur cum osse cruris. Est autem βραχίων comparatiuum à βραχύς. Sic medici definiunt ac notant hanc vocem, maximeq; Galenus comment. 1. εἰς τὸ περὶ ἄρθρων, quum scribit id esse partem manus inter articulos scapularum & cubitorum. Idem tamen, vt Celsus & Aristot. lib. 1. cap. 15. de hist. animal. totum hoc membrum, non autem os solum, ab humeris vsque ad manum extremam, vocat brachium, sicut crus à coxendice vsque ad plantas pedum. Itaque Gaza Græcè interpretatur locum Ciceronis dialogo de senectute. *Milo Crotoniates aspexisse lacertos suos dicitur:* Μίλων Κροτωνιάτης ὀπτελέσθαι εἰς τοὺς βραχίονας αὐτοῦ λέγεται. Græci præterea, quum integri vtriusque volunt designare membra; dicunt, ad distinctionem tropi, ἄκραν χεῖρα, σκέλος ἄκρον, *extremam manum, plantam pedis:* quum integrum; ὅλην πρὸ χεῖρα, σκέλος ὅλον, *totam manum, totum crus.* Huius enim membra sunt; μηρὸς, κνήμη, πούς, *femur, tibia, pes:* illius βραχίων, ἢ μετὰ πήχυς χεὶρ ἄκρα, *brachium siue lacertus, cubitus, summa manus.*

Integer laudo.] Huius epitheti vim, ac etymon ipsius repete ex Ode 22. lib. 1. Quamuis autẽ hîc absolutè positum videatur; censeo tamen ita sumendum, vt apud Terentium: *Virgo à se integra est. Itaque integer laudo formam Phyllidis vultusq; modestiam*, valet Gallicè, *ie loue ses vertus & beauté sans que ie l'aye iamais souhaittée & touchée:* quale Plautus in Curcul. ita pronunciat: *Tam à me pudica; quàm mea si soror fiet.*

Fuge suspicari.] Est hîc Ellipsis τῦ me, *cuius ætas, &c.* Prętera *fuge* sonat, quod Græci sæpiùs efferunt, μὴ ἔθελε ἢ μὴ βούλου: *noli:* quomodo dixit Ode 9. lib. 1. *fuge quærere:* vbi Orator ferè diceret per nomen: *fuge suspicionem illius à me vitiatæ*, vt *defuge congressum hominis, fuge conspectum illius:* non autem, *cum homine congredi, illum conspicere*, & cætera id genus. Neque equidem affirmârim hanc syntaxin hellenicam esse, quòd rarò etiam Græci sic φεύγω construant: φεύγω διδάσκειν, καὶ κοινωνεῖν, pro, *nolo vel recuso docere & communicare:* αὐτὴ τῆς, φεύγω δίδαξιν καὶ κοινωνίαν. *Suspicari* autem, vt *suspicio*, ipsius primigenium, vnde inclinatur, propriè significat, *sursum aspicere eos, de quibus dubitatur cum metu.* In hac tamẽ notione non reperitur.

Trepidauit.] Verbum est celeritatis, qualis in tremefactis conspicitur: itaque Cæsar illud coniungit cum altero vis eiusdem, *trepidare & concursare.* Sic Ode proximè antecedenti tribuit aquæ decurrenti, vt hîc ætati fugaci.

Lustrum.] Hæc vox definitur spatium quinque annorum, id est, quinquennium: itaque quinquies octona faciunt 40: qualem ætatem attingebat Poeta, quum præsentem scripsit Oden. Inclinatur autem lustrum Varroni à *luendo*, id est, *soluendo*, quòd vectigalia quinto quóque anno soluerentur & locarentur. quod temporis spatium vocatur Lustrum, vt ex Epistola 13. lib. 2. ad famil. perspicuum est, *Publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum vlla querela conseruaueram.* Ciceronis enim operâ & auctoritate factum est, vt populi prouinciales nullo gemitu Publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri vectigalia reddiderint: qua ratione scribit epist. 2. lib. 6. ad Attic. se in oculis esse Publicanis. Sic Ouidius in Ibin initio lib. describit ætatem suam,

Tempus ad hoc lustris bis iam mihi quinque peractis
Omne fuit Musa carmen inerme mea.

Id est, sum iam quinquagenarius sine litera sanguinolenta. Vectigalia porrò quinto quoq; anno, quod temporis spatium vocabatur Lustrum, soluebantur, vt docent Varro & Festus, quibus magis est credendũ, quàm annotationi Glariani in Dionys. Halicarn. chronologiam, qui scribit lustrum constare quatuor tantum annis, vt quintus sit finis præcedentis lustri & principium sequentis.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est Sapphicum. [a] Synecdoche est generis pro Phyllide. [b] Idem est tropus pro candore & forma. [c] Anadiplosis est, eiusdem soni in fine præcedentis & principio sequentis sententiæ. [d] Alia est synecdoche generis, pro filio. [e] Idem tropus pro Agamemnone. [f] Metonymia est hîc effecti, pro victoria ipsius caussa. [g] Alia est synecdoche generis pro Cassandra. [h] Idem est tropus pro copiis & cohortibus Troianorum, cum Hectore ad pugnam ex vrbe egressorum. [i] Metaphora est à ruinis ædificiorum & arborum. [k] Alia synecdoche generis pro Achille è Lariſſo Thessaliæ oppido.

[l] Hîc synecdoche membri pro integra vrbe, cuius Pergama erant propugnacula.

[m] Quas Epod. 8. vocat tumentes suras, Gallicè *rebondies.* Est autem sura pulpa posterioris tibiæ torosa, à Græcis dicta ob id γαστροκνήμιον, vt anterior ἀντικνήμιον. Hîc puto σωεκδοχικῶς sumendum pro toto crure, vt brachia è descriptione in Grammaticis notata. Itaque ex vtróque membro, carne & osse integrum intelligitur vtrumque: alterum à coxa vsque ad plantas pedis, alterum ab humeris vsque ad extremas manus. Quin etiam putarem ex his tribus corporis partibus perfectam illius pulcritudinem significari, quemadmodum Homerus sæpè ἀπὸ μέρους Ἥρην καλὴν λευκώλενον, τὸ τ' ὄξι καλὼ. id est, ab vna parte Iunonem vocat pulcram, quòd candidis esset prædita lacertis.

[n] Προκατάληψις est, sed quibusdam ironica, quâ leuat suspicionem Xanthiæ Phoceo de suo in puellam amore.

Ode V. Εἰς Ἀνώνυμον Μνηστῆρα.

Theticum.

Quòd seuocandus sit animus à coniugio nondum maturæ viro puellæ.

Nondum

[a] *Nondum subactâ ferre iugum valet*
Ceruice: [b] *nondum munia comparis*
Aequare: nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
[2] *Circa virentes est animus tuæ*
Campos iuuencæ: [c] *nunc fluuiis grauem*
Solantis æstum, nunc in vdo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle [d] *cupidinem*
Immitis vuæ: [3] *iam tibi lmidos*
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore:
[c] *Iam te sequetur:* [4] *currit enim ferox*
[f] *Aetas:* [5] *& illi, quos tibi demserit,*
Apponet annos: [6] *iam proteruâ*
Fronte petet Lalage maritum:
Dilecta, quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiúsve Gyges:
Quem si puellarum [g] *insereres choro,*
Mirè [h] *sagaces* [i] *falleret hospites*
Discrimen [k] *obscurum, solutis*
Crinibus, [l] *ambiguoq; vultu.*

Analysis Dialectica.

PRoblema est in versu nono ad hæc verba: *Tolle cupidinem immitis vuæ*, cuius præcipuum argumẽrum est è diuersis, & potest sic concludi & iudicari: *Puella, quam procus, vel fortasse verius ipse Poeta, sibi nuptum cupit locari, est illi impar coniugio, sed puerilibus ludis solùm apta: ergo frangenda est illi cupiditas talis connubij.* Prior pars propositionis constat primùm ex adiuncta naturæ imbecillitate, vnde creditur ἄγονος, ideoque ἄπωρος inepta fœturæ puella, vel, vt loquitur Petronius, quæ non posset muliebris patientiæ legem accipere, deinde minorum comparatione: quòd non æquè sit habilis & accómoda procreationi, atque procus.

2 Pars autem posterior eiusdẽ propositionis enunciatur variis subiectis, quòd animus puellæ totus sit modò in campis viretibus, modò in opacis locis, modò in ludis cum suis æqualibus.

3 Complexio, quòd procus debeat animũ aliquantisper continere à cupiditate coniugij inæqualis, confirmatur ex effectis ætatis, quæ mox puellam maturabit, & nubilem reddet.

4 Rursus maturitas ætatis declaratur ex adiuncta illius celeritate, vnde tolerabilior videtur exspectatio.

5 Eódẽ spectat hæc collatio minorũ superiori contraria: *anteà fuit puella viribus te inferior: deinceps erit iisdẽ te superior.* 6 Illius auctę vires explicantur aliâ comparatione minorum: quòd non tantâ vi duæ puellę Pholoe & Chloris valebunt ad animos iuuenum in amorẽ sui alliciendos & attrahendos, nec tã vehemẽter à procis in coniugium appetentur, quàm Lalage iam adulta: cuius venustas duplici similium comparatione valdè cõmendatur: ad hæc verba: *albo sic* priori. vt luna summè splẽdet cælo sereno & mari placido: sic humeri Lalages candẽt: alterâ, vt quoq; Gyges formosus est puer: sic Lalage pulcra est puella. Vtriusq; comparationis est vnica ὑπόδοσις præcedens, quã sequitur protasis gemina, quæ cõtinet simile & arguit, & apodosis assimilatũ, & arguitẽ. Huius aũt formosi pueri laus ducitur, primùm è subiecto, q, esset è Cnido vrbe Carię, vt Ode 30. l. 1. dictũ est, vbi summus erat cultus Veneris Deæ, quę mater credebatur omnis pulcritudinis: deinde collatione pariũ. Ille .n. Gyges positus inter pulcerrimas quasq; puellas dignitate formę ipsas æquaret, vixq; posset ab iis distingui & internosci. hic locus videt alludere ad latitationẽ Achillis in Gynæcio puellarũ apud Lycomedem, de qua repete notas in Od. 8. l. 1. Castè profectò Cruquius hîc præmonuit adolescentes lectores de scopo Poetæ, in quem collineat hæc Cnidij Gygis comparatio cum Lalage puella: sanè vt, dum ætas huius matureſceret, concubino illo abuteretur libidinosus hic innominatus, ætateque iam grandis & maturus. O fœdissimum, naturæq; inimicissimum Horatij consilium!

ENARRATIO GRAMM.

Nondum subactâ ceruice.] Quia eius ceruix nondũ satis est firma, nec assuefacta & durata præliis Veneris, nec satis robusta ad tolerandã tauri admissũram, quẽ etiam fœturæ habilis, & catuliens & iam enixa vacca, vt propriè loquamur, dedignatur contumax ferre, propter rigidam & prędurâ tauri cervicũ: quâ lędit, vt Plin. alii; Physici obseruarũt, & quotidie obseruatur. quod eâ re dico vt ostendâ non minus esse in his verbis translatis obscœnitatis, quàm si res fuisset propriis enunciata, aut rigido pene, mutone (quem Græci vocant παῖρον καὶ πάσσαλον ἕνεκα τοῦ πήσεως) aut puella nondũ est munerib. Venereis potens, vt Ode 10. lib. 4. loquitur: verecundiã tamẽ vbiq; laudo & amo. Ceruicem autẽ subactam Græci vocant ἀδάμαλον αὐχένα ὕπνῳ ἀνυπότακτον καὶ ἄζυγον, vel vnico verbo χληραυχένα ἢ χληροδάχλον, *indomitam, immorigeram, non assuefactã iugo ferendo:* μὴ συνδυασικλῶ καὶ ἀσυζάλικτῶ καὶ ἀσυμπλοκλῶ, quæ cũ altero nequit copulari. Notationẽ ceruicis vide Ode 13. lib. 1. Talem puellam Plutarch. libello, quem ἐρωτικὸν inscripsit, σμικρὸν καὶ ἄχαρι appellat, quæ viro nondũ potest gratificari. Est autẽ *æquare munia comparis in iugalibus*, alterũ alteri respondere in opere faciundo. Gallicè, *faire autant que son compagnon de besongne.*

Animus est circa campos] Gall. *elle a le cœur aux champs:* pro quo Terentius dicit, *animus est in patinis:* quo modo videtur *circa* explicandum, vt in illo Quintiliani: *Præcipuè circa partis huius præcepta elaborauit.* Etsi voces Latinæ *Iuuencus & Iuuenca* sunt Porphyrioni interpreti Horatij nouæ propter translationẽ à iumẽtis, quæ possunt agricolæ adiumento esse in agris colendis, interpretationes tamẽ illarum Gallicas *iouuenceau & iouuencelle* minimè sunt Gallis; nulloque modo videntur recens nouatæ.

Solantis.] Pro hoc Virg. dicit, *auertere æstum vmbraculis, & frigus captare opacum.*

Salicto.] Græcè ἐν ὑγρῷ ἰτεῶνι. Salix, vnde salictũ. Gall. *Saulcoie* dicitur Latinis à celeritate saliendi, i. crescendi. Nam sata vel humo vda impacta facilè & citò inde virescens existit, vt ἰτέα Græcis παρὰ τὸ ἰέναι καὶ αὔξεσθαι.

Prægestientis.] Hoc verbum est effusæ lætitiæ Od. 3. lib. 2. & ex vi iuncturę, vbi τὸ præ est ὑπερβολικὸν, *vt in præpotens & prædives.* atque idem regit infinitum *ludere*, vt simplex passim in hoc poeta in epist. ad Pisones & alios, *Gestit paribus colludere, cõducere publica, deducere nummos in loculos.* Locum præsentem poetæ sic Gallicè reddas, *laquelle ieuniſſe ne demande qu' à saulteller en la moitte saulsaie auec les vitelots.* Sic Lucretius lib. 2. vsurpauit hoc verbum de agnis Hœdorum,

Et satiati agni ludunt, blandeq; coniscant. i. Gall. *Et les agneaux saules sautellent & s'entreheurtent de cornes doucement.* Sic Ode 11. lib. 3. de Lyde,

Quæ, velut latis equatrima campis
Ludit exsultim, metuitq; tangi.

Immitis.] Videntur Græci immitem vuam vocare σταφυλὴν ἀγρὴν ἢ ἀγήνορα, *vino faciendo minimè idoneam:* cõtrà ἀγρὴν

ἁρμόζων ἢ χρόνιον. *ad idem maximè aptam.* De vua & ipsius etymo fuit Ode 20. lib. 1. Vt Virgil. dicit, *sunt nobis mitia poma*, pro suauibus & maturis: sic immitia intelliguntur acerba & immatura, quorum frangenda est cupiditas, & amatio mittenda, pro quo Poeta dicit, *tolle cupidinem &c.* id est, desine illam concupiscere. Hæc autem duo verba, acerbum & maturũ, opponuntur, vt ex hoc Ciceronis loco apparet in Catone maiore. *Vua primò est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit:* quod Gaza vertit: βότρυς πρῶτα μὲν σφυρότατός ὅτι γλυκάζεται πεπαζόμενος. Ita Nonius notauit Varronem tribuisse virgini acerbitatem, vt maturitati oppositam: *maiores nostri virginis acerbas aures Venereis vocabulis imbui noluerunt: ideoq; iubebant illam de conuiuio abduci.*

Autumnus.] Videtur dictus, quasi *auctumnus*, ab aucto anno perceptione frugum. Græcè autem definitur ὀπώρα, ἡ μετὰ τὸ θέρος ὥρα, *tempus post æstatem:* ἢ τὸ πλησιαίτερον μέρος τοῦ θέρους, *aut postrema pars æstatis*, quam possis dicere Latinè autumnum ineuntem, vt eundẽ senescentem, τὸ μεταπώρον ἢ φθινόπωρον, quum arboribus decidũt folia.

Racemos.] Isidor. & Seru. in Georg. 2. consentiunt racemum esse partem botryonis: quibus Plinium addo, qui lib. 26 cap. 34. appellat corymbos ederæ etiam racemos, vt hæc vox inde cognoscatur non solùm dici de vite. Theophrastus lib. 3. cap. 22. de caus. plant. sic hanc temporis circumstantiam videtur expressisse, ὅταν ἄρχωνται πρασίζειν οἱ βότρυες, id est, *Quum vitis vuæ inceperint nigris pingi ac distingui maculis.* Hoc significat Græcum verbum πρασίζειν, nigrescere, vt πρασίνειν, denigrare. Etymologus οὕτως ἐπιμολογεῖ τὸν βότρυν, πρὸς τὸ πόσιν κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ χράμματος β. εἰς τὸ π. ὅπ τὸ πιτὺν ῥέων, id est, *quòd potum fundat.*

Ferox.] Aetas nemini cedens semper cursum suum tenet. De hac voce vide Oden 15. lib. 1.

Apponet annos.] Ita tamen accessio annorũ fiet firmior puellę, sine diminutione annorum sponsi. Ita *Seneca* epist. 83. dissimiliter & iocosè cõparat se cũ puero *Earino:* quem interpreteris ex primigenio ἔαρ, ἔαρος, i. vere, puerum veruum. *Ex progymnasiis*, ait, *meis vnus mihi sufficit Earinus, puer (vt scis) amabilis; sed mutabitur: iam aliquem teneriorem quæro. Hic quidem ait, nos eandem crisin habere: quia vtrique dentes cadunt: sed iam vix illum assequor currentem, & intra paucissimos dies non potero. Cito magnum interuallum fit inter duo itinere diuerso euntes. Eodem tempore ille ascendit: ego descendo: nec ignoras, quantò ex his velocius alterum fiat. Mentitus sum. Iam enim ætas nostra non descendit, sed cadit.*

Proterua.] Etymon huius vocis est Ode 19. lib. 1. Et hîc est valdè appositum ad lasciuientẽ & catulientem puellam, quam Plutarchus in Numa vocat παρθενον πέπερον καὶ ἀργῶσαν, *maturã & viri appetentem*, quę sibi temperare non potest circa libidines & improbè libidinosa: quales dicuntur Satyri Epist. ad Pisones: qualis etiam Clitipho Act. 4. Sce. 6. Heaut. *Quam penè tua me perdidit proteruitas!* Ita enim taurum ad admissuram sollicitat vacca: sicut etymum alterius Lalage Ode 22. lib. 1. & illius Pholoe Ode 33. libro 1.

Chloris.] Chloris habita est olim Dea florum, de qua sic Ouidius quarto Fastorum:

Floris eram, quæ Flora vocor,—— vt *flos* à χλόος originem traxisse certum sit, densâ literâ in digamma conuersâ: vnde nomen inuenit hæc puella, cuius ratio eadem reddi potest, quæ fuit Ode 23. libri 1. de Chloe. Nonnulli tamen interpretantur τὸ χλωρὸς, *pallidus & subuiridis*, & dicunt esse colorem languescentis naturæ, qualis cernitur in mensibus quarundam puellarum diu commorantibus.

Solutis.] Soluti crines opponuntur religatæ comæ Ode 11. sequente. Sunt autem casus auferendi caussę efficientis, quæ iudicium hominum impediunt de rectè dignoscendo tali puero, & distinguendo à puella. Sic Virgilius loquitur:

Et circùm Iliades crinem de more solutæ.

mutatâ tamen verborum syntaxi, qualis erit pòst dictâ Ode: *More comam religata nodum.*

Olim pueri cinædi, impudici, molles, concubini comas alebant, more puellarum, vsq; ad exitum ex ephebis: vnde Claudianus eos vocat crinitos, & Græci πυνδρίχας, promissos capillos gerentes. Huiusmodi est hoc seculum, imò verò longè corruptius, & effœminatius omni genere molliciei, libidinis, impudicæ turpitudinis ac intemperantiæ, vt parum absit, quin illud Aristodemi Tyranni redierit, de quo Plutarchus ita scribit in libello de virtutibus mulierum: Ἱστόρηται δ' ὅτι τοὺς μὲν ἄρρενας παῖδας ἔσκειρε κόμας καὶ χρυσοφορεῖν· τὰς δὲ θηλείας λιὰ γυμνάζεσθαι θέλαλα κείρεσθαι, καὶ φορεῖν ἐφηβικὰς χλαμύδας, καὶ ἐπ' ἀνακόλων χαμαίσκας. Id est, *literis proditum est, Aristodemum instruxisse mares pueros, vt comam nutrirent, & aurum gestarent: mulieres verò coëgisse, vt rotundè tonderentur, chlamydasq; epheborum ac tunicellas perbreues gestarent.* Sed quorsum hodierna φεσκόμια, φενάκη, φεῖτος κόμη, φεῖτος κεφαλὴ, ἔτι δὲ γυναιξὶν, ὡς ἐν ἀνδράσι γυναικιζομένοις, εἰ μὴ φεῖς τὸ τὰς θεατὰς φενακίζειν καὶ ἐξαπατᾶν.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile nonæ libri primi.

[a] Quanquam Dialectica verbis satis propriis hæc inuolucra allegoriarum explicarunt: ego tamen dicam rudiorum gratiâ, voces præcipuas vtriusq; allegoriæ, *Subacta* &c. videtur sumtum ab agricultura, vt ex hoc Virg. vers. Georg. 1. cognoscitur,

Ante louem nulli subigebant arua coloni.

vnde Cicero transtulit hæc in Catone Maiore, *Quum terra gremio mollito ac subacto sparsum semen accipit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hæc effecit, nominata est.* Idem lib. 1. de Orat. *Subacto mihi ingenio opus est (i. exculto disciplinis & exercitato) vt agro non semel arato, sed nouato & iterato, quo meliores fœtus possit & grandiores edere.* ταῦρον αὐτὶ λαγώρυ pro viro caudæ salacis, & ἰουνέναν αὐτὶ τῆς ἀδμῆτος παρθένου, pro virgine nondum à viro domita, vel pro tenera puella nondum matura viro, sumendas esse: sicut *immitem vuam & liuidũ racemum* pro impuberi puella, & puberi adolescentula, & *autumnum* pro iuuenco ætate maturâ. item pro pueris dicit vitulis. Reliquà autem verba, quæ his attribuuntur, similiter sunt modificata per continuationem metaphoræ, id est, per simile: qui tropus è loco Dialecticæ comparationis, vt alij ex cęteris locis inuentionis definiuntur, & intelliguntur, vti sæpè monuimus. Erasmus inter a Iagia retulit τὸ iugum ferre; quod sumsit è *Curculione Plauti*, vbi quidam inducitur percontans ab altero. *Iamne puella fert iugum?* atque ibidem noster poeta, vt certus iudex translationis continuatæ à iuuenco propter imbecillitatem virium ad arandum minimè apto: sed nó est in hac ode simplex tropus, vt in loco Plauti, quum maior pars verborũ sit modificata ad allusionem coniugij, vt lector videt; quo quidem tropo Seirachides vsus est cap. 26. in descriptione vxoris improbæ, ζυγὸν σαλευόμενον ἡ γυνὴ πονηρὰ: ὁ κρατῶν αὐτῆς, ὡς ὁ σφαδόμενος σκορπίου, id est, *vxor improba facit coniugium, velut tempestate iactatum nauigium. Qui eam habet, cum eo perinde agitur, ac si scorpium manu apprehendisset.* Idẽ tropus est Philippicâ 1. *Patriæ liberatores vrbe carebant eâ, huius à seruicibus iugum seruile deiecerant.* id est, malum seruitutis & incommodum propulsauerant.

[b] In *nõdum* initio sententiarũ repetito anaphora est.

[c] Simi-

c Similis est dictionis figura.

d Id est, ne concupiscas immaturam puellam, per metonymiam duplicem: primùm caussę pro effecto & iniecto amore talis puellæ: deinde adiuncti pro subiecto, id est, amica immatura. Hi duo metonymiæ modi sunt in 1. Eleg. lib. 1. Propertij:

Contactum nullis ante cupidinibus.

e Anaphora. f Synecdochica periphrasis est τῆς ἐφηβείας, iuuentutis, pro qua dicerem adolescentiæ, nisi Epithetum τὸ *ferox* aliquantùm obstaret. Propriè enim ferocitas est iuuenibus, vt infirmitas adolescentibus tribuenda.

g Pro, poneres inter puellas, &c. De hac metaphora dictum est in fine Rhetoricorum Odes 1. lib. 1.

h Ductum est à canibus venaticis, qui odorificâ vi narium subolfaciunt vestigia, & indagant cubilia ferarum. Hîc valet perspicaces & acutos.

i Synecdochicῶς intelligendum est pro ignotissimis quibusque hominibus, qui Gygen ita situm spectarent & intuerentur.

k Potest sumi per metonymiam effecti pro efficiente dissimilitudinem sexus admodum exiguam.

l Similis est modus metonymiæ reddentis spectatorem incertum, másne sit Gyges, an fœmina.

Ode VI. Ad Septimivm. *Theticum.*

Quòd cuique laboribus maximis ac periculis plurimis defuncto, locus optandus sit degendæ placidè, & claudendæ senectæ.

Septimi,[a] Gades aditure mecum, &
Cantabrum[b] indoctũ[c] iuga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes, vbi Maura semper
[d] Aestuat vnda:
Tibur Argeo positum[e] colono,
[f] Sit meæ sedes vtinam senectæ!
Sit modus lasso[g] maris & viarum,
Militiæq́!
Vnde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
[h] Rura Phalanto.

[2] Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus[i] ridet: [3] vbi non Hymetto
Mella decedunt, [4] viridiq́; certat
[k] Bacca Venafro:
[5] Ver vbi longum, tepidasq́; præbet
[l] Iuppiter[m] brumas: & [n] amicus Aulon
Fertili Baccho, minimùm Falernis
[o] Inuidet vuis.
[6] Ille te mecum[p] locus, & beatæ
Postulant arces: ibi[q] tu calentem
Debitâ sparges lacrymâ fauillam
[r] Vatis amici.

Analysis Dialectica.

POeta sibi atque Septimio equiti Romano & amico, post multos labores & peregrinas expeditiones, ad pacatè placideq́; senectutem degendam (quia, vt apud Euripidem dicit Euadne, ἥδιστον θάνατον συνθνήσκειν φίλοις, *suauissima est mors, quæ per senium oppetitur cum amicis.*) præter cætera hîc deligit Tibur vel Tarentum. Rationes talis delectus postremis duodecim versibus explicantur: totidem autem aliis primis optatio instituitur: ac primũ Septimius laudatur ex adiuncta animi alacritate & volũtate quidlibet periculi pro amico subeundi, si postulet vsus: quod hîc describitur æstibus perpetuis. Deinde delectus ex efficientibus vtriusque loci, Tiburno conditore Tiburis, Phalanto Spartiata Tarenti: sed potiùs Taras Neptuni filius illud condidit: Phalantus solùm eius amplificator fuit.

2 Primum autem argumentum talis delectus ducitur è collatione minorum: quòd ille sinus magnę Græciæ amœnitate loci longè præstet reliquis omnibus post Tiburis negatam habitationem.

3 Alterum argumentum est à paribus eôdem spectans: quia receptus ille suauitate & vbertate respondet Hymettio melli & Atticõ.

4 Eódem quoq; spectat hæc altera comparatio parium, quòd oliuæ Tarentinæ & copiâ & bonitate olei certent cum Venafrænis. Hic res non solùm me admonet de hoc genere argumenti; sed etiam verbum *certat*, quod Græcè & Doricè à Theocrito dicit ἐρίσδειν ἐΐδυλ. δ.

Φαίην νιν Ἡρακλῆϊ βίλλω καὶ χάρματ᾽ ἐρίσδειν.
Dicunt eum viribus & robore cum Hercule certare.

vbi Scholiastes apertè, & quasi digito, ostendit æqualitatis comparationem, ὁμοίως τῷ Ἡρακλεῖ ἐρίσδειν καὶ ἰσοῦσθαι, *aqualiter*, inquit, *certare & æquiparari Aegonem Herculi robore.*

5 Alia ratio ad commendationem Tarentinæ habitationis è loco adiunctorum: quia ibi longa est veris temperies: cælum quoque hybernum temperatum ibi circumiacet Aulon Calabriæ mons & oppidum diues lanificij, & vini: quod bonitate par est Falerno: vbi alia est parium collatio.

6 Hæc dicuntur complexionis loco: efficit enim ex tot vitæ commoditatibus, quas situs Tarenti suppeditat incolis suis, illic sibi ipsis senibus commigrandum & illic habitandum, & reliquum vitæ spatium simul decurrendum. Eódem spectat, quod Cicero scribit ad Atticum, lib. 12. Epist. 43. *Mihi verò & locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, & præterea* ἐγκήδεμα, id est, *requiem senectutis, & in quo insenescamus.*

Enarratio Grammatica.

Septimi Gades.] Epistolâ 9. ad Claudium Neronem cõmendat hunc Septimium Neroni, cuius etiam testimonio voluit vti Augustus ad persuadendum Horatio, quàm memor ipsius esset: hoc enim citatur è quadam epistola Sueronio tributa: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire.* Certissimo autem est hominibus indicio amicitiæ Pyladeæ, longè lateque cum aliquo peregrinari, & quodlibet vitæ periculum mari terraque pro eo negligere. Ob similem amoris indicationem celebrat Catullus Furium & Aurelium.

Furi & Aureli comites Catulli,
Siue in extremos penetrârit Indos.

Sed vereor, ne hæc Ode jocosè & liberaliter respondeat magnificis huius aulici Septimij & equitis Romani promissis de fidelissimo comitatu in laboriosis operibus & longinquis militaris expeditionis: atque cõtrà ipsi reponat Poeta simile cõmitatum, oblectãdo reli-

reliquum vitæ curriculum fructu iucundæ quietis,& amœnæ habitationis. Sed de Gadibus vide Oden 2. huius libri.

Cantabrum.] De Cantabris Hispaniæ Tarraconensis populis Strabo lib. 3. & Plinius lib. 25. consulantur: de quibus etiam sic Silius Italicus:

Cantaber ante omnes hyemisq; æstusq; famisq;
Inuictus. Illos tandem Augustus in suam ditionem redegit, Agrippâ duce, vt est Ep. ad Iccium lib. 1.

Barbaras Syrtes.] Hic versus citatur à Seruio ad versum Æn. 5. *Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus vsi:* Et ibi breuiter Syrtes describit. De his voraginib. vide Oden 22. li. 1. vnde cognosces eas esse inhospitas, inaccessas, & sæuas, propter dubios æstus maris & mótus.

Maura vnda.] Cruquius suam de lectione *Malua vnda*, quâ potest intelligi maximum flumen ab Oriente in Mauritaniam Tingitanam postremam Africæ regionem, coniecturam Lectoribus etiam considerandam reliquit, quam nihil dum ego reperi, quod vel approbet vel improbet.

Tibur.] De Tibure Argiuo conditore lege, quæ dicta sunt Ode 7. lib. 1. & 18. eiusdem.

Positum.] Id est, constructum: sic primo Georg.

—*sæpè exiguus mus*
Sub terris posuitq; domos.

Sic Cic. in Pisonem, *Positis fundamentis*, id est, iactis. Præterea est hîc ellipsis præpositionis ab Argeo, pro ab Argiuo colono conditum. Hîc colonus notat missum ad nouam regionem habitandam & occupandam. Postremò Argeo effertur formâ Græcâ. Ab Ἄργος enim deflectitur Ἀργεῖος, id est Argiuus, & hæc vox Latina ab Argi, orum.

Lassus.] Syntaxis est noua & Poetica, pro qua Scriptores alij dicunt, *lassus opere faciundo*, & *lassus de via.* Plaut. in Pseud. *vt lassus veni de via.* Cib. lib. 1. Acad. *fessus de via.* vbi hæc tria sumuntur, pro actibus ipsis nauigandi, eundi ac militandi. Ita sumitur Philip. 1. *quum de via languescerem, & mihi displicerem.*

Vndesi.] Aduerbium est pro nomine: *si Tibure nos prohibent Parcæ.* Aliàs monui apud Poetas sæpiùs, interdũ etiam apud Oratores πλὴν ἀντιφράσεως, id est, *vicariam partium orationis* reperiri; vt in Andr. Act. 1. Scen. 2. *E prædonibus, vnde emerat, se audisse abreptam è Sunio:* pro *à quibus emerat.* Sic Græci τὸ ὅπερ αὐτὶ τοῦ ἐξ ὅ, ἢ ἐξ ὧν, sæpiùs vsurpãt.

Parcæ.] Fata. De his paullò antè Ode 3. huius lib. dictum est.

Pellitis ouibus.] Oues pellitas dicit ad lanæ conseruationem, propter ingenium soli, in quo versantur, & lanæ ouibus facilè aut decidunt, aut spinis & eringiis auelluntur; ad cuiusmodi casum, & alias cæli iniurias, grex pellibus indui solet. Quis autem deflectitur ab ὄϊς interiectione τοῦ vau, vt ab ὦον ouum ad vitandum pronunciationis hiatum: quod Latini Grãmatici faciunt generis communis, Græcam vocem sequuti: quæ enim parit, propriè dicitur θῆλυ: quæ non parit κριὸς aries & verux: ille ab ara; hic ab inuersis testibus. Sed tamen θῆλυ à prouentu nomen habet, ait Eustath. πλὴν θῆλυ βοσκημάτων κτῆσιν καλῶν θῆλυν. *possessionem pulcrorum pecorum vocant prouentum*, sub finem Iliad. λ. vbi è Pindaro τὰς τοῦ Διομήδους ἵππους θῆλυς κοινῶς καλεῖ, *Equos Diomedis vocat communi notione,* θῆλυς: vt Sophocles θήλεια πάντα μῆλα· *omnes feras vocat communiter* μῆλα: sicut idem Scholiastes, in versu, Odyss. 1. Μῆλ' ὄϊές τε καὶ αἶγες ἰαύεσκον. *pecora ouesq; & capræ quiescebant:* notauit: vnde licet, si vis, plura repetere.

Galesi.] Galesus est fluuius Calabriæ iuxta Tarentum, quod Ode 5. lib. 3. Lacedæmonium dicitur: sed Virgilio lib. 3. Aen. Herculeum: quia Phalantus Spartanus illius rex fuit octauus ab Hercule: de quo Pausanias in Phocaicis.

Regnata.] A verbis neutris & absolutis fiunt interdũ pathetica participia, vt *pugnata, bellata, triumphata:* sed hîc in regnata Laconi ellipsis est præpositionis, pro à Lacone recta & administrata. quomodo Demosthenes loquitur, τὰς Θήβας βασιλεύεσθαι ὑπὸ τῶ Δίωνος.

Angulus.] Est originis Græcæ Festo ἀπὸ τοῦ ἄκρου, à *cacuitate*, vel ἀπὸ τοῦ ἐγγύς, à *propinquitate.*

Hymetto.] Hymettus fuit nobilis mons Atticus, suauitate mellis & lanæ bonitate, quali Hyblæ in Sicilia.

Bacca.] Baccæ dicũtur propriè de oliuis, cerasis, cornis, lauris, myrtis, lentisco, aquifolia, & quibusdam aliis: sicut acini de vuis, edera, sambuco, ebulo, malo Punico, & similibus.

Venafro.] Venafrũ dicitur oppidũ in littore Cãpaniæ sitũ, olei optimi diues, & viride propter oliuas virides.

Ver longum.] Longum ver dicitur, quia etiam viget hybernis mensibus. Seruius citat hunc locum 2. Georg. ad vers. *Hîc ver assiduum*, &c. interpretans hæc verba: *verna temperies: nam ver assiduum esse non potest.*

Bruma.] Bruma est quasi βραχέα ἡμέρα ex Festo, quæ fit quum sol est in Capricorno, signo penitus Australi & à polo Septentrionali longè remoto. Eandem Ouidius lib. 1. Fastorum sic describit,

Bruma noui prima est, veteris q; nouissima Solis.

Itaq; vulgo dicitur Solstitium hybernum: propriè tamen Ciceroni, Virgilio, Plinio dicitur accidere 3. & 2. Idus Decembris, id est eiusdem 12. & 11. die. Virgilij itaq; tempore 2. & 1. Democritus talem futuram hyemem arbitratur, qualis fuerit Brumæ dies & circa eum terni: item similem Solstitio æstatem, ait Plinius lib. 18. cap. 26. Hæc P. Ramus in lib. 1. Georg. Græcè dicitur τροπὴ χειμερινὴ, Ciceroni Latinè *brumalis reuocatio*, Gallicè, *le plus court iour de l'an.* Quidam à Brumo, id est, Baccho: quòd huius festa, id est Liberalia prima, (vt Ouidius 3. Fast.

Acceptus Geniis illa December habet.)

in solstitium hybernum incidant: altera autem in x vt. Calend. Aprilis: qui Brumus dicitur ἀπὸ τοῦ βρομεῖν, à *strependo & tonando*, vt illis diebus.

Aulon.] Aulon mons est Calabriæ, vini generosi parens, à vicina conualle, vbi est oppidum Aulonia, quasi Vallonia, quæ & Caulon & Caulonia dicitur 3. Aeneid. & 6. Strabonis 3. Plinij. significans tractum strictum & oblongum. Græcè Αὐλὼν, ῶνος dictus hic locus. *Amicus & gratus fertili Baccho non inuidet vuis Falernis:* id est, *non fert vinum deterius quàm colles agri Campani:* vel, *vinum Aulonianum certat bonitate cum Falerno.* Legitur etiam *fertilis Baccho*, vt mons ille valeat & gratiâ & copiâ vini, quod valdè probabo. De Falerno diximus, vt de oleo Venafro Ode 27. lib. 1.

Inuidet.] Semper præstantiora laborant inuidiâ: itaque miseri putantur ἄφθονοι καὶ ἀμίγαρτοι qui carent inuidia, vt Eumæus Odyss. ρ.

Fauillam.] Dicitur à fouendo igne quasi fouilla, quæ non admodum dissimili ratione notatur à Græcis πῦρ ἀπὸ τοῦ πύρειν, ab vrendo, & est cinis simplex adhuc subcalidus à Galeno dictus, θερμασθεία, quod potest reddi per τὸ μαείλα, vt sit quasi πῦρ μεμαεγμένον, id est, ignis extabescens & sensim exstinguens se; quomodo dicitur τὸ γῆρας μαραίνῃ τὸ θερμόν. i. *senectus arefacit. sensimq; exstinguit calorem.* Nõnulli putant fauillam posse reddi per Græcam vocem αἰθάλω. Sed Eustath. in Ιλιαδ. 6. leuat eos tali opinione ad vers. Αἰθαλόεν πρῆσαι, &c. vbi notat, ἢ αἰθάλη ἡ ὑλοῖ τέφραν, ἀλλὰ μᾶλλον εἶδός τι καπνώδους ἐκ πυρὸς, i. *æthale nõ significat cineritiam fauillã, sed genus quoddam fumosæ exhalationis ex igne*, vnde fuligo existit.

Quum

Quum autem cinis est permixtus carbonibus,& sordidus;Græcè σποδὸς dicitur. Hîc Poeta petit à Septimio superstite ipsi eadem solui sibi iusta, quæ à Troianis sunt Miseno persoluta 6. Æneid. consiliis & monitis Sibyllæ:

Postquam collapsi cineres & flamma quieuit,
Relliquias vino & bibulam lauêre fauillam.

Cum supradictis non conuenit definitio fauillę, quam Seru. protulit in vers. Æn. 3.

Turbine fumantem piceo & candente fauillâ.

Fauilla est scintilla ab igne deserta : quum scintilla sit ἀνθὴρ, qui excutitur è silice cum splendore. Neque mihi placet etymum Isidori, qui tradidit *fauillam dici, quòd per ignem effecta sit: nam φῶς ignis est.* Noluit dicere lucem, quæ propria est huius vocis Græcæ notio.

Explicatio Rhetorica.

GEnus carminis est Sapphicum.

a Dicitur synecdochicῶς pro locis longinquis & procul à Roma disitis, vt etiam Cantabrum pro Cantabris.

b Quomodo sæpè alibi dicit doctus cantare, & indocilis pati. Sed hîc videtur potiùs verbum consuetudinis pro, insuetus legibus Romanis parêre, quàm doctrinæ, vnde transfertur.

c Metaphora est ab intactis bobus ad insueta mandata veluti iussa, sicut hic auctor loquitur.

d Tam vsitatum est hoc verbum in agitationibus & commotionibus marinis, vt iam non videatur sumtum aliunde.

e Synecdoche est generis, pro à Tiburto Argiuo conditum Tibur.

f Exclamatio est per optationem, simul & anaphora in *sit* repetito statim initiò sententiarum.

g Est hîc allegoria è metonymiis subiectorum pro adiunctis, vt Tibur sit mihi finis laborum, quos ego tum mari, tum terrâ pertuli.

h Synecdoche est generis pro Tarentino solo.

i Sumtum est ab homine, cuius proprium est ridere, sed hîc placere & gratum esse. quomodo interpretatur Eustath. vers. Ιλιαδ. τ. sub finem,

Αἴγλη δ' οὐρανὸν ἶκε, γέλασε δὲ πᾶσα πέρι χθών, i. *Splendor autem ad cælum ibat; ridebat circunquaq; terra.* αὐτὶ τοῦ λαμπρὸν ἐφάνη ἐφάνη καὶ ἱλαρὸν, i. pro, *splendor circunsudit & exhilarauit terram*, & addit, καὶ ὅτι θαλάσσης ῥητέον ὁ γέλως ἐμπικῶς, i. risus etiam de mari translatè, vt omnia nunc rident prata & syluæ, i. exhilarant spectantes varietate florum. Simili tropo Græci dicunt, Εἰρήνη γλυκὺ μειδιᾷν, καὶ ἡμέρα δ' ἀγελᾶν, καὶ χθὼν καὶ αἰγιαλὸς γελᾷν κύμασιν ἐαρινοῖς ἠρέμα κλυζόμενα· λέγονται· *pax suauiter ridere, & dies ridere, & terra & ripa dicuntur ridere, hæc quum vernis fluctibus alluitur lentè.*

k Metonymia est materiæ pro oleo inde expresso ac effecto.

l Eadem metonymia, quæ fuit Ode 1. li. 1. in *Ioue.*

m Synecdoche partis pro tota hyeme.

n Metaphora est ab hominibus ad inanima : quia mons ille & magni fit propter vbertatem vini generosi, vel, si malis legere, vt Martialis,

Nobilis & lanis & Baccho fertilis Aulon:

vtro modo legeris, censeo sumendum τὸ Bacchum μετωνυμικῶς caussæ pro effecto, id est, illic *nato vino*, vt dicit Virg. 2. Georg. *deniq; apertos*

Bacchus amat colles.

o Metaphora est ab animatis ad inanima, pro, non cedit vinum Aulonium Falerno bonitate.

p Metonymia subiectorum pro adiunctis ciuibus & præsidiariis, nisi malis per metaphoram sic affectum & actum tribui rebus inanimis.

q Poeta videtur periphrasi synecdochicâ sentire mortem lugendam, sicut Virgilius modò fecit in exsequiis Miseni: Homerus in Patrocli: contrà Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, neq; funera fletu
Faxit.

r Synecdoche est generis pro Poeta Horatio & amico.

Ode VII. Ad Pompeivm Varvm.

Theticum.

Quòd à sospitibus testimonia grati ac memoris animi Ioui danda sint pro conseruatione, atque de incolumi reditu amici cuique gratulandum.

a *sæpè mecum* b *tempus in vltimum*
Deducte, Bruto militiæ duce,
c *Quis te redonauit Quiritem*
d *Diis patriis, Italoq;* c *cælo,*
a *Pompei, meorum prime sodalium?*
Cum quo morantem sæpè diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
3 *Tecum* f *Philippos & celerem fugam*
Sensi, relictâ non bene parmulâ,
Quum fracta virtus, & minaces
Turpe g *solum tetigêre mento.*
4 *Sed me per hostes Mercurius celer*
h *Denso pauentem sustulit aere:*
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Ioui i *dapem:*
Longaq; fessum militiâ k *latus*
Depone sub l *lauru mea: nec*
Parce cadis tibi destinatis.
m *Obliuioso læuia Massico*
Ciboria exple: funde capacibus
Vnguenta de conchis: 6 *quis vdo*
Deproperare apio coronas,
Curátue myrto? n *quem* o *Venus arbitrum*
Dicet bibendi? 7 *non ego sanius*
Bacchabor Edonis: 8 *recepto*
Dulce mihi furere est amico.

Analysis Dialectica.

HOc theticum, de benignitate Deorum in Varum & Poetam ipsum prædicanda, & de congratulando reditui prioris & hilarè epulando ex illorum effectis disputatur, atque ita concluditur & iudicatur: *Sospitalibus Diis fides voti soluenda: Pompeius Varus & Horatius, hic semel à Mercurio, ille bis à Ioue clementer liberati sunt*

à rabie Martis & ab interitu vindicati: ὀκείνους ἔν σέι θύειν τὸ σώτήρια καὶ φαιδρὸν λαμπρὸν θύσιαν· id est, *illi persoluant igitur Sospitantib. salutaria, & splendidas epulas Eucharisticas.* Propositio ex vltimo versu Pindarico ipsius Odes colligenda est.

2 Assumtionis prosyllogismus est: primùm de conditione Pompeij è comparatione minorum; *quòd Pompeius Varus Horatij sodalium intimus est, reliqui posteriores habent partes in sodalitate.* Deinde ex adiuncta salutis ac periculi societate sub ductu Bruti.

3 Ea assumtio simili communitate periculi dilatatur, ac præterea adiunctis: *quòd Horatius celeris ac turpis fugæ suæ fortissimos quosq; commilitones habuerit socios:* vnde putat se parte aliquâ inustæ notę leuari. Arma enim abiicere in pugna & locum in acie deserere valdè probrosum ac infame fuit: quin etiam pœna capitis olim in ἀποταξίας constituta erat, etiamsi notam infamię & ignominiæ conarentur delere Demosthenis hac excusatione, ὅπ ὁ φεύγων πάλιν μαχήσετ, *qui fugit iterum pugnabit*, aut Archilochi apud Ælianum:

Ἀσπίδι μὲ Σαίων ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἐντὸς ἀμώμητον κάλλιπον ἐθέλων.
Ψυχὴν δ' ἐξέσαωσα φυγών· ἀλλ' ἀσπὶς ὀπίσσω
Ἐρρέτω, ἧς αὖθις κλίσομαι ὐ κακίω.

Saion quidem exsultat, quòd clypeum reliquerim consultò integrum intra densas sentes. Animam equidem seruaui fugâ: sed clypeus pereat ille, quo recuperabo non deteriorem.

4 Alter prosyllogismus eiusdem assumtionis è loco maiorum: *quòd semel Horatius in vitæ discrimen, ille bis adductus sit.* Victo enim Cassio primùm periclitatus est capite: quo vitato, in alterum relapsus est morte Bruti, fusisque ipsius copiis.

5 Hic locus satis arguit, hanc congratulationem communiter à Varo & Poeta instituendam & conficiendam. Itaque priùs concludit, *præstandum Pompeio eucharistiæ officium Ioui pro beneficio salutis:* cuius approbatio est ex assumpto & inartificiali argumento: quale est votum & obligatio: deinde ex effectis quattuor per cohortationem, vt vires multo labore iam fractas ex imbecillitate reficiat: animumque recreet: terrores belli deleat & obruat obliuione potione optimi vini.

6 Altera est cohortatio ad puerum ex adiunctis, vt omnia ad festiuitatem & hilaritatem necessaria parentur.

7 Vt Varus magis inuitetur ad epulandum saliarem in modum, dicit è collatione parium se æquè bacchaturum: atque bibacissimi quique in dapibus festis id facere solent.

8 Ratio proximæ comparationis petita est è loco caussarum efficientium, quòd incolumitate & salute amici sui Vari excitatus sit ad tantam conuiuij lętitiam: vnde Poeta videtur posterius explere munus congratulationis.

Enarratio Grammatica.

O Sæpè.] Hic Pompeius Varus συσσρατιώτης commilito fuerat nostri Poetæ in castris Bruti & Cassij, quorum partes vterque turatus fuerat. Syntaxis autem verborum initiò hoc modo retexenda est. O Pompei prime meorum sodalium & deducte sæpè mecum, &c. Sic Cæsar, deducere in periculum, & deducere in discrimen extremum, quod & adducere dicitur.

Redonauit.] Redonare Diis patriis est reddere patriæ saluum & incolumen.

Quiritem.] Quid sit *Quiris* vide in prima & secunda Od. libri primi: est hîc singularis numeri contra Grammaticos.

Fregi.] Leuaui tædium longi diei compotando, Gall. *auec lequel i'ay souuent passé vn long iour d'este à boire.* De hac phrasi vide Ode 1. lib. 1.

Malobathro.] Malobathrum est descriptum apud Dioscoridem l. 1. c. 11. vbi legitur per (*a*) in secunda syllaba: quòd à regione Indica *malaber* dicatur, & à bathrum vel bethrum, quod est ipsum Ἰνδικὸν φύλλον, linguâ Indicâ, folium Indicum, ex quibus à Græcis conflatum est μαλάβαθρον: Neoterici præferunt in 2. syll. *a.* alij *o.* Plin. tamen l. 12. c. 26. legit malobathrum. Dat (*inquit*) & malobathrum Syria arborem folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad vnguentum. Veteres elegãtioris cultus & delicatioris studiosi caput perfundebant vnguentis odoratis. Catullus de Quintilij Vari scorto:

Cur quisquam caput vnctius referret——

Nempe è Bithynia prouincia rediret nummatior sub infesto & auaro Prætore.

Philippos.] Philippi ciuitas fuit in Macedonia, à Philippo rege condita, sicque nominata. Eam tamen alij locant in Thessalia, regione ferace equorum, dictam priùs Pharsalum. Alij denique Thraciæ asscribunt, vt Plin. & Mela. Sed Stephanus de vrbibus est in sententia priori, scribens πρὸς ὀκείνῳ τῇ) πόλιν ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, πρὸς παλαὶ καλουμένῃ Κρηνίδας, tãquam verteres *Fonticulosam.* Quicquid sit, locus est insignibus prœliis valdè celebratus: primò inter Cęsarem & Pompeium: secundò inter Augustum, Brutum & Cassium: postremò inter Augustum & Antonium, vnde Maro cecinit 1. Georg.

Romanas acies iterum vidêre Philippi.

Sensi.] Verbum sentiendi eleganter vsurpatur, quum significamus aliquam mali & periculi coniunctionem cum experientia: vt Odes 5. l. 3. *Qui lora restrictis lacertis Sensit:* quomodo sumitur Philip. 13. *Puerum Augustum appellat Antonius, quem non modò virum, sed etiam fortissimum virum sensit & sentiet.* Gall. *il le sentira & cognoistra à ses despens tres-vaillant:* & in Moreto:

Vestigatq; focum lęsus quem denig; sensit.

Sic Homerus Iliad. σ. vers. 269. de Achille:

——εἰδ' ἄμμε κιχήσεται ὀνδὰ δ' ἕοντας
Αὖτον, ὁρμηθεὶς σὺν τεύχεσιν εὐνύτης ἀυτὸν.

Quòd si nos deprehendet hîc crás, impetu facto probè quis γνώσετ) cognoscet, id est, sentiet, suo malo: hunc Homeri locum expressit Horat. Od. 15. l. 1. vt in Eunuch. Act. 1. Sc. 1. *Sentiet qui vir sim.*

Parmulâ.] Clypeus fuit peditum breuis, quem qui abiicit fugiens, Græcè dicitur ῥιψάσπις: qualis dicitur fuisse Cleonymus, qui ob id dedit locum prouerbio: *Cleonymo timidior & fugacior.* Ad quod *Cicero* videtur alludere in Orat. pro *Murena, vidésne illum tristem, demissum. lacet, diffidit, abiecit hastam;* atque lex Castrensis notare solebat ignominiâ, non eum, qui gladium abiecerat, sed qui clypeum: quia prior cura debet esse nostri conseruandi, quàm hostis feriendi. In quem Aristoph. scripsit ἐν νεφέλαις: qua de re sic Plato l. 5. de Rep. *Censeo eum, qui in acie ordinem deseruerit, vel arma eiusmodi abiecerit, vel tale quid commiserit, ad opificum, siue ad agricolarum ordinem esse amandandum:* quod tamen alij scribunt fuisse disciplinâ militari Græcorum capitale crimen, etiam scutum amittere in acie; sed gladium; leuius peccatum: quod honestius esset tueri se, ac defendere ab hoste, quàm in sui pernicię perdere hostem. De hoc fies multò certior legens Plutarchum ad initium Pelopidæ. Sed apud alias gentes, qui priùs admiserat, sacris & publicis consiliis excludebatur, vt ex Epistola 2. Isocratis cognosci potest: τοῖς Λακεδαιμονίοις αἰσχρὸν ὄν τὺς βασιλεῖς ἀυτῶν ἢ πολιορκήσοντας ἀπειδεῖν, ἢ τὺς ἀσπίδας ἀποβάλλειν: *Turpius erat Lacedæmoniis permittere suos reges in prælio interficiendos, quàm*

quàm clypeum abijcere. Prætereà ritù Romano milites velites gestabant parmas tripedales, quarum vsum C. Marius fertur sustulisse: dictas Varroni quòd à medio in omnes partes teneant par. Ex hoc loco & altero Epistolæ 2. lib. 2. vbi dicit: *ciuilisq; rudem belli*, &c. cognoscimus Horatium fuisse tum tyronem, & albâ parmâ inglorium: qualem Virgilius dicit Helenorem fuisse Æn. 9. vers. 548. E Polybio tamen cognoscimus exercitum Romanum habuisse tria militum genera: Equites, Pedites Legionarios cum signis, Pedites leuis armaturæ sine signis, qui Velites dicebãtur, inter conflictum excurrentes in spatio vtriusque aciei, instructi breuibus armis, rotundò ac leui scutò, i. parmâ, gladio ac pilo, ac inde recedentes dabant locum certandi Legionariis. In Velitibus fuit Poeta.

Minaces.] Minas intellige iactantiam & insolentiam copiarum Brutiniarum & Calsianarum ante ipsos conflictus.

Mento.] Hæc vox à Grammaticis dicitur ab eminendo.

Resorbens vnda.] Ad intelligentiam huius allegoriæ videtur operæ pretium cognoscere, vt hæc quasi resorbitio, & repotio aquę Græcè dicatur & efficiatur. Quod Latini dicunt mare resorbere, reciprocare, refluere, Græci vno verbo ἀναπίνειν, vnde ἄμπωτις ἢ ἄμπωσις contractè pro ἀνάπωσις, recessus & æstus marinus: de quo sic Arist. lib. de Mundo: Πολλαὶ δ' ἀμπώτεις λέγονται καὶ κυμάτων ἄφεσις συμφέρεσθαι δὲ δοκεῖν ἀεὶ τῇ σελήνῃ κατ' ὀλίγας ὡρισμένους χρόνους· id est, *multi quidem æstus marini reflui dicuntur & vndarum sublationes statis temporibus cum luna circumduci:* sed quum mare æstuat vndas, & affluit & accedit, ille maris accedens æstus dicitur πλήμμη ἢ πλήμμα, πλήμυρις ἢ πλήμυρις, definiturque τὸ πάσης θαλάσσης ἐναντίον τῇ ἀμπώτει, γινόμενον μάλιστα περὶ τὰ Ὠκεάνου· id est, *affectus propriè maris contrarius reciprocationi & recessui, qui fit præsertim circa Oceanũ.* Plutarch. autem docet ex Timæo Platonis æstuum marinorum rationem: Τὰς ἐμβάλλοντας ποταμοὺς εἰς τὸν Ἀτλαντικὸν, διὰ τῆς Κελτικῆς ὀρεινῆς, προωθοῦντας μὲν τοῖς ἐφόδοις πλήμυραν ποιῶν· ὑφέλκοντας δὲ τοῖς ἀναπαύλαις ἀμπώτιδας κατασκευάζειν· id est, *quum flumina in mare Atlanticum ingrediuntur, per partem Galliæ Celticæ montosam, protrudendo & prourgendo illud ad progressum, æstuosam maris exundationem efficit: quum verò se subducunt à quieta statione, faciũt recessus æstuosos.* Hi certè motus maris pulcrè à Virg. 10. Æn. exprimuntur:

Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosq; superiacet vndas
Spumeus, extremamq; sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò atq; æstu reuoluta resorbens
Saxa, fugit, littusq; vado labente relinquit.

Οὕτως ἡ Χάρυβδις λέγεται ἀναῤῥοιβδεῖν μέλαν ὕδωρ Ὀδυσσ. μ. Τοῦτ' ἔστιν ἀναῤῥοπτεῖν, id est, resorbere. Plin. mihi videtur hos locos illustrare l. 2. c. 97. *Æstus maris accedere & reciprocare maximè mirum: pluribus quidem modis: verùm caussa in sole lunaq;. Bis inter duos exortus lunæ affluunt: bisq; remeant, vicenis quaternisq; semper horis: & primùm attollente se cum ea mundo intumescentes: mox à meridiano cæli fastigio vergente in occasum residentes, rursusq; ab occasu subter cæli ima & meridiano contraria accedente inundantes: hinc, donec iterum oriantur, se sorbentes.*

Fretis.] Quidam suspicantur hoc intelligendum de freto Siciliæ, vbi Sex. Pompeius naualem exercitum habebat, quò Varus se recepit, victis Bruto & Cassio, ibique rursus periclitatus est prælio profligato & exercitu amisso: sed operâ cuiusdam amici, qui apud Augustum aliquid poterat, seruatus est; sicut Poeta ope alterius amici, quem hîc videtur per metaphoram appellare Mercurium, quòd quidem certè probabilius est, quàm ad Planetæ vires & ad horam natalitiam referre talem liberationem. Suspicor tamen nostrum Poetam fuisse hîc imitatum Homerum Iliad. 5. qui canit Paridem Menelao persequenti ereptum operâ Veneris nube circumfusâ densè. Sic Apollo seruauit Hectorem caligine obductum Iliad. υ. Sed ego quidem puto ignauiam ac timiditatem & Horatij & Paridis talib. Deastrorum subsidiis obtegi, qui se clàm à prælio subduxerant, furtiuâ illius fugâ.

Dapem.] Ἐνικῶς etiam hęc vox inclinatur, contrà quàm Grammatici tradunt.

Depone latus.] Id est, reclina sessum corpus sub vmbra lauri, vt priùs Ode 3. huius dixit: Te in gramine remoto beâris reclinatum. Plin. l. 15. c. 30. de lauro sic loquitur: *Hæc in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Sic quoque Cic. Philip. 13. *Quum in gremiis Mimarum mentum mentemq; deponeres*, id est, reclinares.

Lauru.] Hic casus antiquior est quàm *lauro*, & *domũ* quàm *domo*, vt apparet è Milite glorioso Plauti sub initium: *Ait sese Athenas fugere cupere ex hac domu.* Seru. tamen in Eclog. 2. notat: Lauri meliùs in secunda ponuntur declinatione; licet Horatius dixerit: *Sub lauru mea.*

Massico.] De vino Massico vide Od. 1. l. 1.

Ciboria exple.] Rectè potest Gallicè exprimi: *Vuide la coupe*, quòd Latinè diceretur exhaurire vel ebibere: nam *ex* aliquando priuat. Quòd si pro *imple* sumitur, puto ad οἰνοχόον sermonem auerti. Κισώριον autem est folliculus fabæ Ægyptiæ, & genus poculi parte imâ angusti: quod Alexandrini ex illa faciebant: Id dicitur etiam κιβώτιον diminutè ἀπὸ κιβωτοῦ, i. à capsa & arca. Dioscorides libro secundo cap. 128. & Athenæus lib. 5. & 3. & Palladius.

Conchis.] Ex testis conchyliorum fiebant etiam vasa vnguentaria.

Deproperare.] Hoc verbum dicitur μεταφατικῶς pro festinanter nectere serta: quomodo Græcè sumitur illud Synes. Epist. 37. μὴ καταπαυσάμενος τοῦ ὀλέθρου, *ne perniciem acceleret.* Ita simplex μεταφατικῶς sumitur Ode 14. lib. 3.

Indignoq; pecuniam
Heredi properet.

pro congerere citò opes per nefas heredi futuro. Item Propert. l. 3. Eleg. 21. *laborem properare*, pro celeriter opus facere. Hîc autem iunctum est verbum, pro dissolutis, properare coronas de apio vdo & viridi, id est, festinanter eas nectere. Huc pertinet, quod Scholiastes Theocriti εἰδυλλ. γ. docet ex Aristotele, quorsum in conuiuiis necterentur coronę: στεφάνοις ἐχρῶντο ἐν τοῖς συμποσίοις, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης, ἀστείαν, καὶ ἀφθονίαν αἱ τοιοῦτοι δοκοῦσι· *coronis vtebantur in conuiuiis, vt dicit Aristoteles, ad vbertatem & copiam frugum tectè significãdam.* Galenus scribit hoc in more fuisse primùm apud Ionas positum, vt coronæ & vnguenta in conuiuiis adhiberentur: quod postea à Romanis fuit vsurpatum.

Venus dicet arbitrum.] Id est, nominabit & statuet sympositarcham. E Donato in Act. 3. Sc. 1. Heaut. intelligimus arbitrum propriè dari his solitum, qui de finibus regendis ambigerent: *Symus & Crito vicini nostri hîc ambigunt de finibus.* Itaque arbiter est iudex ab iis, qui litigãt, electus, penes quem est omne totius rei arbitrium & facultas: dictus ab arbitrando, id est, existimando. Sunt autem duo arbitrorum genera: vnum eorum, qui vulgò arbitratores vocantur, qui, vt boni viri, debent aliquid arbitrari & constituere; iuris dispositioni minùs obnoxij, nec comminatione pœnæ formidabiles, quorum sententia transactioni magis, quàm iudicio, conformis est: alterum eorum, qui ex compromisso adeuntur, quorum sententiæ metu pœnæ standum est.

Edonis.] Edoni fuerunt Thraciæ populi bibacissimi.

Dulce mihi.] Huic non est dissimile, Od.12.l.4.

Misce stultitiam consilio breuem.

Dulce est desipere in loco.

Hoc igitur valet, iuuat infanis poculis indulgere & potare sarenter, more Edonorum: quales ferè sunt homines in regionibus frigidis, & nullo vineto consitis, vbi temulentia maximè viget. Quòd autem Edoni sint populi ita siti, docet Scholiastes Theocriti in septimum Eidyllium ad hunc versum:

Εἶος δ' Ἠδώνων ῥὰ ἐν ἄκρεσι χείματι μίσῳ
Ἔβρον παρ' πόταμον τετραμμένοι ἔγγυθεν ἄρκτου, i.
Habites in Edonorum montibus mediâ hyeme
Ad Hebrum flumen versus septentrionem.

ἤθυ Θρᾴκης. Οὕτω δὲ ψυχροτάτη ἐστὶν ἡ Θρᾴκη, ὡς ἂν τόν τινα ἐργασήριον ἀνέμων κληθῆναι· *Id est, Edoni sunt de natione Thracum. Est autem Thracia sic frigida, vt dicta sit quasi ventorum officina ab Homero.* Est hoc nomen flexũ ab Edone monte Thraciæ, de quo Plin. l. 4. c. 11. & ab his Strabo scribit lib.10. Cotyn Deam coli ex Æschylo: σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδώνοις· veneranda Cotys apud Edonos.

Amico recepto.] Id est, liberato & recuperato, vt Æn. 6. vers. 111.

medioq; ex hoste recepi.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est simile 9.l.1.

a Non tam est hîc appellatio Grammatica, quàm Rhetorica exclamatio exsultantis, & valdè gaudentis saluo reditu alterius.

b Per metonymiam subiecti pro exitio & extremis casibus, quæ certo tempore hominibus accidunt.

c Percunctatur de auctore impetratæ salutis præter spem, quasi id planè nesciret, vbi quidam agnoscunt genus exclamationis per admirationem, cui volunt hoc subiici: Oportuit certè summam huic fuisse potentiam & clementiam, qui hominem hostem iudicatum restituerit in statum pristinum: & præter hanc sententiæ figuram est metaphora ab obtinentibus ius ciuitatis, de quo fuerant deiecti consortes Bruti & Cassij.

d Synecdoche est generis pro Diis tutelaribus & Penatibus & laribus. Est præterea metonymia adiunctorum pro subiectis ciuibus & propinquis, illos Deos, id est, illorum simulachra possidentibus & impiè colentibus. Similem phrasin videtur D. Paulus expressisse Epist. ad Philemonem sic Græcè & ἅμα δὲ καὶ ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν· ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν, i. *Simul autem etiam para mihi hospitium: Spero enim me per preces vestras donatum iri vobis.* Sic loquetur sine tropo Ode 3. lib. 3.

Troica quem peperit Sacerdos,
Marti redonabo.

e Dicitur per metonymiam circumstantis aeris pro subiecta regione Italica, qualis est illa:

Cælum non animum mutant qui trans mare currunt, &c. i. mutãt regionem, non ingenium. Pompei dissyllabum est, efficiens spondeum, quem sequitur, iambus per Synalœphen τῆς jod consonantis in vocalem.

f Metonymia est loci pro prælio ibi commisso, vbi Poeta fuit cum vitę periculo ἀσπίδα ποβλῆς, id est, abiecto clypeo fugit. In *virtus* metonymia est adiuncti pro strenuis militibus, qui fracti conciderũt, & terram momorderunt humi prostrati. Simili tropo dicitur *indomita virtus colitur* pro viro illâ prędito, quod fortissimis quibusque animis, qui se inuictos putârant, sępè vsu venit, vt apud Hom. Iliad. β. & ω.

Οὐδὲ δάξ' ἕλον ἄσπετον ἔδαρ.
Mordicus prehenderunt multum soli.

Sed præter metonymiam posset etiam primùm obseruari synecdoche generis pro specie, fortitudine: deinde ex hac adiuncta μετωνυμικῶς intelligi fortes viri: qualis tropus est Epist. 3. l. 10. ad famil. Plancum, *Furnius tuam in re militari virtutem mihi exposuit:* qualis etiam in Orat. pro Marcello, *& certè in armis militum virtus multum iuuat*, i. fortes ac strenui milites multum iuuant: Imperatorem ad victoriam de hostibus reportandam.

g Potest hîc ἐμπικῶς sumi pro eo, quod turpat corpus cœno, per metonymiam effecti pro efficiente. Quidam tamen propriè & per αἰτιμέειαν ὀπρόρημα τικῶς, *turpiter* accipiunt. Alij per exclamationem indignantis, quomodo τὸ *malum* Act. 4. Sc. 2. Adel. Ter. *Quid hoc, malum! infelicitatis*: vbi tamen quidam dicunt esse interiectionem anxij hominis, & nimis perturbati, & ita obiurgantis & detestantis.

h Synecdoche est generis pro nube, i. definitio pro ipso definito. In *vndare sorbẽs* allegoria est è continuatis metaphoris ab æstuariis æstibusque marinis, pro, vitato vno periculo relapsus est in alterum.

i Per synecdochen partis pro totis conuiuij epulis & apparatu, non voto vel promisso, sed τῆς δ' χαιρεσίας ἕνεκα constituto.

k Synecdoche est membri pro toto corpore.

l Hoc quibusdam placet per metonymiam rei adiunctæ pro subiecto victore Augusto laureâ coronato sumere, vel pro tutela & præsidio Poetæ, qui iam apud Cæsarem aliquid poterat.

m Metonymia effecti pro efficiente & inducente obliuionem præteriti mali & timoris: è qua vi efficiendi vinum dicitur Græcè οἶνος ὑπνοφόρος, λαθικηδὴς, παυσίλυπος, i. soporiferum, obliuionem curarum inducens & sedans dolores.

n Polyptoton est in *quis* & *quem.*

o Per metonymiam caussæ dicitur pro iactu tali ad eligendum conuiuij regem: in quo nota senarij dicebatur iactus Veneris index sympositarchi futuri, cuius partes semper Cato recusabat, ait Plutar. in ipsius vita. De quo etiam fuit Ode 4. li. 1. & qui Aristophani dictus est ἑσπάτωρ καὶ συμποσίαρχος. Præterea est hîc quædam ἀπορία addubitatio.

Ode IIX. In Barinen.

Theticum.

Quòd quum ea peierando non puniatur, nec fiat deformior, non sit promissis ipsius fides adhibenda.

Vlla[a] si iuris tibi peierati
Pœna, Barine, nocuisset vnquam;
[b] Dente si nigro fieres vel vno
Turpior[c] vngui;
Crederem:[2] sed tu simul[d] obligasti
Perfidum votis[e] caput: enitescis

Pulcrior multò, iuuenumq́ prodìs
Publica[f] *cura.*
3 *Expedit matrìs*[g] *cineres opertos*
Fallere, & toto[h] *taciturna noctis*
Signa cum cælo,[i] *gelidaq́ Diuos*
Morte[k] *carentes.*
4 [l] *Ridet hoc (inquam) Venus ipsa: rident*
Simplices Nymphæ: ferus & Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote[m] *cruentâ.*
5 *Adde, quod*[n] *pubes tibi*[o] *crescit omnis:*
Seruitus crescit noua: nec priores
Impiæ[p] *tectum dominæ relinquunt,*
Sæpè minati.
Te suis matres metuunt iuuencis;
Te senes parci: miseræq́ nuper
Virgines nuptæ: [7] *tua ne retardet*
[q] *Aura maritos.*

Analysis Dialectica.

DOcet fidem promissis Barines non habendam, quę, quantò impudentiùs peieret, tantò pulcrior enitescat, hominesque vehementiùs aspectu sui maceret. Hoc autē theticum declaratur è disparatis: vt sunt detrahi aliquid formæ periurio, & eandem eodem ornari: vel turpiorem fieri & pulcriorem, quę σωπμένως ita tractantur, vt tamen consequens propositionis dubium sit, de pollicentisne scorti fiducia an de punitione Deastrorum statuendum sit: sed hoc statuatur loco priori expositionis gratiâ: *Si Barine aliquâ perfidiæ suæ pœnâ turpior fieret; Deastri crederentur vitia hominum vindicare: atqui quum hi non ea vindicent*: (videntur enim versus sequentes, *ridet hoc Venus ipsa rident Nymphæ, &c.* confirmare sic esse assumendum negatè consequens propositionis) *non est*, inquam, *mirum, si Barine pulcrior fiat peierando.* Hęc impia & Epicurea assumtio per commiserationem videtur condonanda quidem infidelibus & Ethnicis, qui tot sibi Deastros confinxerunt & commenti sunt, quot animi motus & appetitus traducebant illos aliò atque aliò, quorum suum cuique Deastrum, tanquam præsidem, præfecerunt, quibus siquid fortè contrà contigisset, atque ipsi sperassent, confestim eò prolabi querimoniæ impiæ vidisses, quò libidinosum adolescentem apud eundem,

Esse Deos credam ne, fidem iurata fefellit, (impudica, mulier)
Et manet in solito, qui fuit ore decor.

Et apud Propertium,

Et queritur nullos esse relicta Deos.

Similis est impietatis, q, profertur è quadam tragœdia:

Τολμῶ κατειπεῖν, μήποτ' ὢν εἰσὶ θεοί.
Κακοὶ γὰρ ὄντες ὤλεσάν με δυστυχῆ.

Sed Christiani condemnāt opinionem istam, *quòd Deus non curet flagitia & res humanas*, summę impietatis: quippe quâ fundamentum Christianæ religionis euertitur. Neque verò impunitate & beatitate conscelleratorum Dei prouidentia metienda est atque æstimanda.

2 Itaque potiùs antecedens tollendum est in assumtione: *atqui peierando non fit turpior: quare non est illius promissis credendum*: tunc certè perfidum esse, & pulcritudinem acquirere perfidiâ magis disparari quàm aduersari videntur: Nam, vt primùm illa se ream facit exsecrationis suâ perfidia, existit formosior, & iuuenes curâ conficit. Est præterea inter pulcram & turpem media forma, quàm alibi diximus ab Agellio statam vocari.

3 Eiusdem est amplificatio è triplici collatione parium per incrementum orationis: *Si tibi tantum gratiæ accedit ad formam ex periurio, fis quoq; periura in mortuos parentes, his non persolutis, quæ viuis promisisti: fis etiam in ipsa sidera: fis deniq; in Deos immortales, qui omnes deuocantur, vt sacramentis dicendis præsint: his*, inquam, *peieres & perfidum dicas sacramentum, vt semper parem inde capias vtilitatem & formæ accessionem.*

4 Assumtionis prosyllogismus est ex efficientibus, quòd Deastri, Venus, Cupido, Nymphæ, Iocus risu periurium Venereum approbant, & ita videntur ipsius auctores, vel certè adiutores esse: quod Ouidius Eleg. 3. lib. 3. Amor. testatur:

Scilicet æterni falsum iurare puellis
Diy quoq; concedunt, formaq; numen habet.

Idem, *Iuppiter ex alto periuria ridet amantum,*
Et iubet Aeolios in freta ferre notos.

Tota certè hæc Elegia est similis huic Odæ, argumenti ac querimoniæ genere.

5 Confirmatio est complexionis: *non est igitur credendum Barinæ*, ex maioribus: quòd illa tali impunitate & licentiâ peierandi plures habeat, qui ipsam ament, expetantque: plures, qui ipsi seruiant: etsi priores amatores minati sunt sæpè se ab ea secessuros propter perfidiam: illi tamen obliti malum & minas priores, eam rursus periuram ambiunt, & certum eius lupanar frequenter adeunt. Hæc ratio est è loco diuersorum.

6 Eadem illustratur effectis illius ad maiorem formosæ Barines commendationem: quòd metum iniiciat matribus iuuenum, senibus, puellis recens nuptis.

7 Talis metus caussa est è fine, ne venustas & nitor illius attrahat & alliciat ad ipsam iuuenes, & animos eorum sponsorum à nouis nuptis abalienet: Cic. in Orat. pro Rab. Postumo remedium inuenit huic malo: *Vbi semel quis peierauerit, ei credi posteà, etiamsi per plures Deos iuret, non oportet.*

Enarratio Grammatica.

INscriptio Odes inuenta est à Georg. Fab. in Anhaltino, *in Iuliam Barinem Romanam*, & à Cruquio in codice Blandiniano, *in Iuliam Barinem.* Primus Odes quaternio potest Græcè reddi: Εἰ μὴ οἱ νεμεσίωνες τῆς ἐπορκίας ἰσχυρότατοι ἀμυντῆρες, ἐπάνω τῆς ῥινὸς τῆς σῆς ἀναβλαστήσωσι τὰ ψυδράκια, τοῦτ' ἔστι, τὰ τῶν ψευδῶν σῦ σημεῖα, τοῖς σοῖς ὑποχρίσεσιν ἀσμένως ἐγὼ πιστεύσαμι, i. *si Dij superi acerrimi vindices periurij, naso tuo supercrescere facerent pustulas mendacij signa tui promissis tuis ego crederem libenter.* Nomen autem, *Barine*, videretur quidem fictum & flexum ab exhibenda molestia, ἀπὸ τοῦ βαρύνειν, nisi discreparet scriptura à primigenio suo. Valdè tamen est accommodatum ad meretricias technas & mores. Sed quadraret fortassè rectiùs ad hoc scorti cognomen βαρὶν Θ-, piscis Arist. l. 4. anim. ἄπορ Θ- καὶ ἄτεκν Θ-, *sterilis*: qualia ferè sunt publica scorta: cuius rei caussa cuiuis est satis perspecta & cognita ex intemperie seminum variorum: atque probabile est Poetam experimento sensisse perfidiam huius scorti; cui iterum noctem pollicenti credere non potest: quam tamen videmus tantum potuisse in eum & ipsius riuales, vt ipsam non potuerint illi ex animo delere.

Iuris peierati.] Id est, si pœnas tui periurij tulisses, vel, si pœna tuum periurium sequuta fuisset. Sed hìc ius pejeratum valet periurium, πρὸ ἐπορκίαν *iusiurandum*: cuius vim illa Tibulli ἀστλγοτεχνία libro primo expressit:

Nec iurare time, Veneris periuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Ioui: vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupidè, quicquid ineptus amor.

Idem confirmat Ouid.

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum,
Et iubet Aeolios infreta ferre Notos.

Plura vide apud Parœmiographum vbi hic locus citatur. Αφροδίσιος ὅρκος ἀνεπίπληκτος· *Venereum iusiurandum non punitur.*

Pœna.] Vox est è Græco fonte deriuata: quanquam Isidorus l.5.& Varro l.4. velint à Latino, vt à puniendo deductam. Est autem ποινὴ Pausaniæ in Laconicis πημονὴ ἢ τῆς ἁμαρτήματος ἀκδίκησις· *peccati vltio.* Hîc obseruandum est quod Isidorus ibidem docet, τὸ *pœna sine adiectione non habere plenum sensum: additis, pœna carceris, pœna exsulij, pœna mortis,* vt hic pœna periurij, *& imples sensum.*

Dente.] Si fieres deformior liuido morsu. Alio tropi genere dicit Epist. 1. lib. 2. cruento dente lacessiti, pro, maledico carmine læsi.

Vno vngui.] Leuissima offensa formæ est grauissima mulieribus venustis. Notandum est *vnguis* etiam facere ablatiuum in *i* sed sæpiùs in *e*.

Simul.] Vide de hoc Od. 4. l. 1.

Obligasti caput votis.] Græcè διὰ τῆς ἀρᾶς ὁρκώσας πῶς κεφαλῶ ὀπόρκως, per caput falsò iurasti, & illud deuouisti Diris, ac sæuissimis quibusque pœnis mortis addixisti, si peierares. Vanitas iurisiurandi per caput prohibetur Christianis Math. 5. μή τε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς· ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι· *non item per caput iurabis: quia ne pilum quidem ipsius dealbare potes aut denigrare.*

Pulcrior.] Quamuis huius primigenium τὸ pulcrum notatum sit in Odes 16. Grammaticis: addam tamen à quibusdam deflecti à Græcis πολὺ ὂν χρῶμα, quod sit multi coloris & elegantiæ: aliis à polio, pulcrum, vt à fulcio fulcrum, sepelio sepulcrum.

Prodis cura.] Te vnam iuuenes posteà cogitant, curât, expetunt, quàm in conspectum ipsorum prodieris & peierâris.

Expedit.] Id est, prodest. Hoc autem impersonale sæpè geminatur cum, *optimum est & expedit.* Item *vtile est & expedit* ad incrementum formæ, violare ius sepulcri: quod Cicero Philip. 9. sanctum testatur. *Sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nullâ vi moueri, neq; deleri potest: atq; vt cætera extinguuntur: sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate.*

Non semper autem sepulcrum designat locum cadaueris humo conditi; sed etiam alterum, vbi sunt ossa corporum priùs sepultorum, ablumtis carnibus, congesta: quomodo videtur à Virg. sumi 1. Georg.

Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulcris.

Fuit præterea lege 12. tab. vetitum, ne mortuorum cadauera in vrbe conderentur humo, neue vrerentur: *Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neve vrito:* cuius rei Cic. l. 2. de leg. affert rationem: Quod idipsum etiam posteà vetuerunt Impp. Diocletianus, & Maximianus.

Matris cineres.] Quia religiosè cineres parentum & amicorum olim seruabantur corporibus crematis: per illos etiam supplicabatur, vt est Verrinâ 3. *obsecrauit per fratris sui cinerem.* Sic etiam per sidera & elementa iurabatur, vt est 12. Æn.

Hæc eadem Aenea, terram, mare, sidera iuro,

Signa Varroni idem sonant, quòd sidera, dicunturque ab habitu cæli significando: ita Græci sidera nominant σήματα, vt Hom. Iliad χ.

Λαμπρότατος μὲν ὅδ' ἀστὴρ κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται.

Canicula est quidem sidus splendidissimum, sed malum:

Numerãtur autem signa ab Astrologis septem & quadraginta præcipua: in Zodiacô duodecim: in septentrione viginti, in meridie quindecim. Stellæ verò mille duæ & viginti, ex quibus illa signa constituuntur: quarum sunt in Septentrione 260. in Zodiaco 346. in meridie 316. ex his signorum nonnulla constant pluribus, alia ex paucioribus: verbi gratiâ: Vrsa maior est signum, vel sidus, vel astrum (hæc enim idem sonant) ex stellis conflatum 27. in forma, & 8. extra formam. Boötes verò signum etiam Septentrionale in cauda maioris Vrsę constat 22. stellis formatis, & vnâ informi: quarum princeps est Arcturus dictus Arctophylax, & sic reliqua signa sunt aliis alia numerosiora.

Ridet.] Hæc ad malam Ethnicorum consuetudinem disputantur, qui ex Callimacho putarent, τὰς ἐν ἔρωτι ὅρκους μὴ δίκην ἔχειν ἐξ ἀθανάτων, *iusiurandum in rebus amatoriis datum non accedere aures Deorum immortalium,* neq; ipsam scortationem. Item ex Platone in Philebo: quod quidem Terentianus ille Mitio vsurpauit, ad Demeam fratrem placandum, in Adel.

Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum scortari, neq; potare: non est: neq; fores effringere. Quãquam autem in Eun. *In amore omnia hæc insunt vitia: iniuria, &c.* non videntur tamen tanti esse delicta, vt flagellis digna existimẽtur. Ita Cic. in Orat. pro Cęlio: *Datur enim cõcessu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ si erumpunt, vt molliùs vitam labefactent, molliùs domum euertant, faciles & tolerabiles haberi solent.* Hęc citaui, quia viderem adolescentiam nimis ad libidinem & intemperantiam procliuem esse, καὶ ἵνα πλικρώτερα μὲν ἀφοβίαν τῆς ἐθνικῶν πρὸς πλὴν διαβολὴν θείων λογίων, νεότητι δὲ πλὴν φαύνῃ ἀφαιρεθείσης· *& vt tanta audacia & licentia Ethnicorũ contra obseruationem diuinorum effatorum ipsi iuuentuti adimeretur:* quę nobis æquè interdicũt omni scortationis genere, atque cædis, furti, reliquorumque flagitiorum, & vitiorum turpitudine. Audiatur ergo D. Paulus ad Corinth. c. 6. *Neq; scortator, neq; immundus adibit hereditatem regni cælestis:* audiatur quoque Sapientia initiò Prouerbiorum de ratione vitandi meretricias artes.

Simplices.] Pro hoc Virgilius dicit *faciles Nymphas,* ad ignoscendum quiduis promtas.

Semper ardentes.] Quod annotauit Don. in hunc Terentij versum Andr. Act. 1. Sc. 1.

Vt semper tibi apud me iusta & clemens fuerit seruitus. continuationem significat clementiæ τὸ *semper:* id potest hîc dici, *semper ardentes sagittas.* Nam hoc aduerbium *semper* cum *ardentes* ideo construo, ad perpetui ardoris indicationem, quòd omnia Cupidinis arma igne tincta credantur. Quidam id ipsum componũt cum *acuens,* quod minùs probo, vt rem infiniti laboris. Idem Eustathius Ὀδυσσ. β. initiò annotauit ad hæc verba:

——δύο δ' αἰὲν ἔχον πατρώια ἔργα.

duo autem semper & perpetuò exercebant paterna opera. ὁρᾷς ὅτι τὸ αἰὲν, τὸ συνεχὲς δηλοῖ τῆς περὶ παίδων τῶ Αἰγυπτίω ἀσπουδίας ὅτι πῶς πατρώοις ἔργοις· *sed vide particulam hanc αἰὲν indicare cõtinuationem studij puerorum senis Aegyptij in operibus paternis.* Inuentio autem sagittæ & arcus tribuitur Scythæ Iouis filio, vel Persæ Persei filio. Plin. l. 7. c. 56. videtur etiam sagitta dici à sagacitate icendi, i. feriendi, aut à latis longa iaculatione & agitatione.

Cote cruentâ.] Quę dicitur θηκάνη παρὰ τὸ θήγειν, ab acuẽdo, & ἀκόνη, vnde Isocratis apophthegma, καὶ γὰρ ἡ ἀκόνη αὐτὴ μὲν οὐ τέμνει, τὰ δ' ξίφη ὀξέα ποιεῖ, quod ferè hic in Epist. ad Pisones exprimit: ——*fungar vice cotis, acutum*

Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Quod Plutarch. etiam apertius exprimit in eiusdem Isocratis vita, καὶ πρὸς τὸν ἐρόμενον, διὰ τί μὴ καὶ αὐτὸς ἄλλους ποιεῖ, εἶπεν, ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι, αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσιν, id est, *Interroganti, cur, quum minimè idoneus esset*

esset oratoriæ facultati, alios efficeret ad eandem rem aptissimos? respondit, quod ipsæ etiã cotes, quanquam secare nequeant, ferro tamen secandi facultatem largiuntur. de varijs autem cotium generibus lege Plinium lib. 36. cap. 22. Sed in primis laudatur cos Naxia capite octauo eiusdem lib. quam commendationem maximè illustrat Pindarus ὠδ. πυθ. 5. ἐπωδ. 2. quùm Lamponem comparat cum Naxia cote sic.

Φαιὸς κέ νιν ἀνὴρ' ἐν ἀθλητᾶσιν ἔμμεν
Ναξίαν πέτρας ἐν ἄλλαις
χαλκοδάμαν' ἀκόαν. —— id est,
Diceres illum virum inter athletas esse
Naxiam cotem aris domitricem
Inter alios lapides.

In pari præstantiæ dignitate tantò Lampon antecellit viribus alios athletas; quantò Naxia cos omnes alias cotes: Inter quas Naxia tenet primas commendationis partes, Armenia secundas, Cilica tertias &c. Effodiuntur etiam hodie in plerisque Germaniæ regionibus, Hassia, Saxonia, Bohemia valdè vtiles cotes; quas tribuunt ex adiunctis in olearias, quòd illinantur oleo ad tenuandam ferri aciem. His tonsores vtuntur; in aquarias, quarum vsus est tam apud tonisecas, quàm apud fabros lignarios; in cotes mixtas oleo & aquâ; in saliuares, quibus & scribæ & tonsores vtuntur in scapellis acuendis. duplex autem vocis Græcæ ἀκόνη redditur à Grammaticis, vt alij deflectant ἀπὸ τοῦ ἀκμῆς, id est, à cuspide: alij ἀπὸ τοῦ κονεῖν, τὸ λεπτύνειν καὶ φθείρειν· atque ita τὸ α ὀξυτονὸν, ὅπως ἡ ἀκόνη λίγνυται πέτρα, ἥτις τὸ σίδηρον λεπτύνεται. Ideo dicitur χαλκοδάμας, quòd æs & ferrum domet. Non equidem putarem alienum ex his Græcis facere τὰ cos & acuo παραγωγὰ Latina.

Adde, quòd pubes tibi crescit omnis.] Hæc oratio est bene Latina: sed non Latinè dicitur, *audiui, quòd in Asia est*, pro eo Terentij, *audiui in Asia esse*: quia recta eiusmodi est ratio per infinitum: annotat Donatus in Heaut. Act. 1. Scen. 2.

Nec priores.] Intellige veteres amatores, qui ad eam, licet exploratos illius mores habeant, tamen recurrunt.

Iuuencis.] Ἀχυρῶς dictum videtur pro filijs adolescentibus: Nam propriè dici passim reperitur de bobus, nec nisi ὑποκοριστικῶς iuuenculus vsurpatur de hominibus adolescentibus, vt Porphyrio in hunc locum annotauit, tam masculis, quàm fœmellis: dicitur autem hæc vox Varroni à iuuando domino in agri cultura. Idem auctor lib. 2. cap. 5. de re rust. quatuor ætates pecoris bibuli sic distinguere videtur, vt primam vitulis, secũdam iuuencis, tertiam bobus nouellis, quartam vetulis tribuat.

Miseræ nuper nuptæ metuunt, &c.] Ferè cũ miseria coniungitur metus. Terentius in Andria *misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.* Plaut. in Pseud. nunc malè eũm metuo miser.

Aura.] Seruius citat hunc locum in vers. Æneid. 6.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit

& interpretatur *auri aura* per splendor auri, annotans: *hinc & aurum dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & aurarij dicti, quorum fauor splendidos reddit.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum. [a] Anaphora est.

[b] Ex his singularibus intelligenda est generatim quælibet pars corporis per synecdochen, ac præterea per metonymiam efficientium, i.e. instrumentorum, pro laceratione genarum aliáue depraúatione ac fœditate vultus liuida, quæ sint symbola τῆς ψολοίας: ideoq; Scholiastes Theocriti εἰδυλ. ιβ. illa vocat ψολόεντα, definitq; φύσκας καὶ φλυκίδας ὅλας τῆς ῥινὸς λευκὰς, ἄλλως ἰόνθους· pustulas & notas albas naso supercrescẽtes, aliter ionthos. Alij malunt χοιάδας intelligere: contrà ego τροπικῶς.

[c] Metaphora est à corporibus quæ propriè dicuntur obligari, ad fidem hominum obstringendam & ad pactorum & conuentorum confirmationem.

[d] Metonymia est subiecti pro vita, quam homines paciscuntur sæpè, pro firmitate & constantia promissorum suorum.

[e] Metonymia est effecti pro efficiente iuuenes sollicitos, vt omnes illam cogitent & appetant.

[f] Puto hoc synecdochicῶς dictum pro, matris cadauer in puluerem iam resolutum, & hinc manes illius significari.

[g] Metaphora est ab animatis ad sidera interdiu latentia, quorum lux retunditur summo solarium radiorum splendore: sic sæpè tribuitur Lunæ silentium. Neque verò talibus Poetarum figmentis opinio Platonis extenuatur, qui singulis sphærarum circumuolutionibus suam attribuit harmoniam & sonum: vnde sidera τὰ ζῶα putantur: sed quia talis sonus ab his inferioribus minimè auditur; superiora feruntur silere.

[h] Eodem genere tropi dicitur, quo, *pallida mors* Ode 4. lib. 1. ex effecto efficientem significante.

[i] Carentes morte est interpretatio τῶν ἀθανάτων per periphrasticam synecdochen.

[k] Anaphora est cum polyptoto eiusdem soni initiò membrorum.

[l] Ex effecto etiam hîc efficiens quædam caussa cruentandi intelligitur: ac præterea metaphora à sagittarijs ad vim amoris indicandam, quo vulnerantur amantes: & mille periculis exponuntur.

[m] Hîc quoq; signum pro re significata ponitur; iuuentute vel iuuenibus, quorum numerus augetur per metonymiam, sicut seruitus pro seruis.

[n] In *crescit* circa clausulas iterato genus est quoddam Epistrophes.

[o] Συνεκδοχὴ est partis pro totis ædibus ac potiùs καὶ χοιρώτερον pro Lupanari & prostibulo & fornice Barines.

[p] Metaphora est ab aeris serenitate, pro venustate & nitore tuo.

Ode IX. ad Valgium.

Theticum.

Quòd neminem deceat tam efflictim quicquam deperire, vt nullum det sibi consuetis delicijs orbato locum.

[1] *Non semper imbres nubibus hispidos*
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant [a] inæquales procellæ
Vsque: nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies [b] iners
Menses per omnes: aut Aquilonibus

Querceta Gargani[c] *laborant:*
Et foliis[d] *viduantur orni.*
2[e] *Tu semper vrges flebilibus modis*
Mysten ademtum: nec tibi vespero
Surgente decedunt amores,
[f] *Nec rapidum fugiente solem.*
3 *At non ter æuo functus amabilem*
Plorauit omnes Antilochum[g] *senex*
Annos: nec impubem[h] *parentes*
Troilon, aut Phrygiæ[i] *sorores*
Fleuêre semper. 4. *Desine mollium*
Tandem querelarum: 5 *&*[k] *potiùs noua*
Cantemus Augusti trophæa
Cæsaris, & rigidum[l] *Niphatem,*
[k] *Medumq́; flumen gentibus additum*
Victis, minores voluere vortices:
Intraq́; præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Analysis Dialectica.

POeta studet consolatione mederi Valgij dolori, quem ex obitu pueri ceperat, non mediocrem: idque conficit primùm ex dissimilium collatione: cuius Protasis est quadruplex primis octo versibus comprehensa, sed multò sic breuiùs contracta: *Non, quemadmodum imbres, procellæ, glacies, venti aliquando intermittunt agros, mare Armenium, arbores vexare, nõ*, inquam, *sic tu facis, qui sine intermissione lugendi lacrymis conficiaris, ac mœrore de obitu Mystæ excrucieris.* Videtur quidem certè hæc propositio quibusdam absurda & inæqualiter facta, si ab alio Scriptore exstitisset: sed à Poeta profecta boni ac æqui consulenda est, quamuis res animata rationisq́; particeps cum inanimis ac eiusdem expertibus conferatur. Hoc tamen enunciatum posset aptiùs & breuiùs sic enunciari: *Nihil cuiquam in perpetuum dolet: tibi casus iste perpetuâ turpitudine dolet.* Simili consolandi ratione vtitur Ouid. lib. 4. de Ponto Eleg. 4.

Nulla dies adeò est Australibus humida nimbis;
Non intermissus vt fluat imber aquis.

Idem non dissimili:

Nec sterilis locus vllus ita est; vt non sit in illo
Mista serè duris vtilis herba rubis.

2 Antapodosis est aucta perpetuitate temporis adiunctâ, quòd dies noctesq́; continuas angatur desiderio Mystæ, quem luctuosis carminibus persequatur, quorum singula tot fletus renouant.

3 Ad approbationem eiusdem antapodoseos duo apponuntur exempla dissimiliter etiam cum eo ipsius Valgij comparata: *Nestor, tertiam iam ætatem agens, & Priamus non semper, sed semel, plorauerunt suos liberos interfectos, Antilochum & Troilum:* In Epistol. Senec. 99. sunt multa exempla eorum, qui liberos, iuuenes, sine lacrymis extulerunt. *iniquum enim queri de eo, quod vni accidit, & omnibus restat.* Quanquam illi magnis firmisq́; senectutis ipsorum præsidijs ac ornamentis orbati: atq; despe olim videndi nepotes depulsi, id est, quorum certè desiderio non possunt, nisi fortissimi ac sapientissimi quiq́; viri, à summi luctus acerbitate abesse, quibus, quum rebus aduersis pars animi mollis & tenera se parùm constanter gerere soleat, præstò adest ratio, quæ illam afflictam & iacentem erigit vocibusq́; librorum philosophicorum corroborat & confirmat, vt omnis ignauia, infractioq́; animi abijciatur: vnde cognoscitur, qualis sit Valgius, dum puerum suũ semper luget, insolabiliterq́;, vt Poeta loquitur, deflet, & vt Homerus loquitur Ὀδυσ. ο. ἀπάνευθ' ὀδύρεται, id est, *mirum in modum lamentatur.* Hic autem vulgi fletus, & ferè persimilis eiulationis illius, quam 12. tabulæ vetuerunt in funeribus adhiberi, & veteres notarunt scriptura varia, Losum, Lausum, Lesum, Lessum: de quo lege lib. 2. de leg. & Tuscul. Cic. vbi scribit: *sed hoc quidem in dolore maximè prouidendum, ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ignauè, ne quid seruiliter, muliebriter etiam agamus.*

4. Ex antecedentibus efficit dissimilitudine atque exemplis finem querelarum tandem faciendum, ac fletum reprimendum quod ita repetitum ἐνθυμηματικῶς concludas: *Non imbres, non procellæ, non glacies, non venti semper vim exercent suam: non item Nestor, non Priamus liberos semper plorarunt suos: nec tantam copiam lacrymarum de illis profuderunt,* temporis longinquitate non minuentes ac mollientes dolorem suum, è sententia Diphili, more insipientum:

Λύπης δ' πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος.
Doloris autem omnis fuit tempus medicus:

Desinat igitur Valgius puerum tam vehementer deflere ac flebiliter cantare suum. Hic tamen potuisset suum immodicè lugendi modum similiter excusare, atq; Laconicus quidam fecit apud Ælianum lib. 9. cap. 27. qui se reprehendenti lugentem ἀνθ' ὅτου respondit: Οὐκ ἐγὼ ἀπώλεσα τοῦτο, ἀ φύσις δ' μυρεῖ, id est, *se non esse huius luctus auctorem, sed naturam sibi eum vi exprimere.*

5 Complexio dilatatur prosyllogismo è maiorib. quòd *longè præstet res Augusti Cæsaris præclarè gestas, eiusdemq́; victorias scriptis mandare ac monumentis consecrare, quàm vnius pueri mortem muliebriter deplorare, impatienterque ferre,* quum nihil sit turpius viro ἀπαμυθήτως ἀλγῆσαι fletu muliebri. Quantò enim quisq́ue præstat alijs vel scientiâ, vel dignitate; tantò certè minimè debet casus aduersos lugere, multò quidem iustior fuit Ciceroni causa magni luctus Epist. 20. lib. 9. ad famil. Papyr. Pætum, *Patriam eluxi iam & grauius & diutius, quàm vlla mater vnicum filium.* De quo sic Ennius fecit:

Plebes in hoc regi antestat loco: licet
Lacrumare plebi: regi honestè non licet.

Mirum quidem mihi videtur, cur Poeta nõ proposuerit Valgio, ad tantum ipsius luctum comprimendum, domestica C. Iulij Cæsaris & Augusti exempla: quorum ille, amissâ vnicâ filiâ, hic nepotibus ereptis, tristitiam abstruserunt: sicut refert Tacitus lib. Annal. 3. sub initium. Horum enim exemplorum magis, quàm peregrinorum appositione sic lugentem lenire potuisset, animosq́; Romanorum sibi conciliasset: nisi fortè mors nepotum, vt illa filiæ, non interueniisset viuente ipso Poeta.

Enarratio Grammatica.

HIc Valgius fuit homo Consularis, amicus Horatij ac doctus Poeta, cuius meminerit Satyr. 10. lib. 1. vt optimi, inter tredecim alios suorum versuum iudices doctos, approbatoris: quem etiam Tibullus Eleg. 1. lib. 4. facit ab Homero facilè secundum:

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero.

Ille autem fletorum dabat versibus elegis de obitu Mystæ faciendis.

Imber.] Non alienum videbitur, si, quid imber differat à pluuia, hîc ostendatur: quod docet Aristoteles lib. de Mundo: Ὄμβρος δὲ γίγνεται μὲν κατὰ ἐκπίεσιν νέφους δ' μάλα πεπαχυμμένου. Διαφορὰς δ' ἔχει τοσὰς δὲ, ὅσας καὶ ἡ τοῦ θλίψεως ἦπα γὰρ ἔστι μαλακὰς ψιχάδας διαπέμπει· σφόδρα δ', ἀ-

δραπέρας·

δραπέρας· καὶ τοῦτο καλοῦμεν ὑετὸν ὄμβρος μείζω καὶ σωρευτὴν συρρέοντα ἀπὸ γῆς φερόμενα. id est, *Imber gignitur ex valdè densatæ nubis compressione. Habet autem totidem differentias, quod ipsa nubis compressio: quum enim nubes remissè comprimitur, stillas molles guttulasq; minutas dispergit: sed quum vehementer, stirias pleniores: atq; illud vocamus pluuiam, imbre maiorem & stillas conglobatas, quæ iugiter in terram cadant.* Prouerbiũ autem ψιχάδες ὄμβρων γενῶσιν minutæ guttulæ ac tenues irrorationes *imbrem parientes*, differentiam pluuiæ atq; imbris breuiùs notat: quo quidem prouerbio reb. initiò paruis maxima sæpiùs afferri incrementa, vt quotidie licet videre in litib. significatur. Vox *imber* est originis Græcanicæ ab ombros, quod per pleonasmum β. Etymologici deducunt ἀπὸ τοῦ ὀμᾶν ῥεῖν. id est, *quòd simul fluat.* Prætereà diximus Ode 3. lib. 7. materiam pluuiæ constare ex humidis terræ vaporibus, qui in mediam aeris regionem sublati coalescunt in nubem; & hæc postea in pluuiam soluta nobis videtur cadere in terram: Sed ὑετὸς deflectitur ἀπὸ τοῦ ὑεῖν, *à pluendo*, vel magis propriè, à primigenio ὕω id est, à mittendo, de quo reuisè notas in Oden 37. lib. 1.

Agros.] Hic agri dicuntur *hispidi*, vt apud Ciceronem *informes, spinisque ac rubis asperi horridi, & incult*i, Gallicè, *espineux, pleins de ronces & mal accoustrez & entretenus.*

Manant nubibus.] Ex eo autem, quòd imbres dicantur, vt infantes ex vtero mulierum nasci, sic è nubibus emanare, Pindarus εἰδ. ια. definit οὐράνια ὕδατα τὰς πέδας πεφέλης. Hic quoq; Ellipsis est præpositionis, quã ipse 16. Epodis expressit, vt cæteri Poetæ per concessam ipsis licentiam solent vtrumlibet facere: *Mella caua manant ex ilice.* Sic Cicero lib. 1. Tuscul. sic loquitur, *multò studiosius Philosophiæ fontes aperiemus, è quibus etiam illa manabant.*

Caspium.] Hoc mare dicitur etiam Hircanũ, à montibus Caspijs & Hircanis ita nominatum, & vergens ad Septentrionem Scythiæ: de quo Strabo lib. 5. & 11. & Dionys. in Periegesi ad vers.

Ἀλλ' εἴη τοι σχῆμα περίδρομον ἀμφιέλικτον
Πάσης Κασπίης μεγάλης ἁλὸς· ἐκ δὲ ἑκείνῳ
Νῆϊ περησείας τριτάτης δὴ κύκλα σελήνης·
Τόσσον γὰρ πόρον δηΐν ἀμείλιχον.
Sed fuerit sanè forma rotunda & vndiq; sinuosa
Totius maris Caspij magni: non illud
Transmiseris naui intra tres lunæ periodos, id est, menses:
Adeò enim traiectus est immitis & sæuus.

Eustathius Scholiastes dimetitur hoc mare ex Herodoto nauigatione quindecim dierum in longitudinem, & octo in latitudinem, & ita facit illud vt Ptolomæus, heteromeces, *alterâ parte longius.* De illo vide ibidem plura.

Vexant.] Deflectitur hoc verbum à veho: quanquam ab eodem fit etiam vecto, asporto, as, quo Virgilius vtitur: *Corpora vectare carinâ.*

Vis tamen quædam in *vexare* apparet vehementior è Probo Grammatico pro euertere; vt hæc geminata indicant: *Diripere & vexare, & vastare & diripere, violare & vexare*, cuius videre potes defensionem & vim apud Agellium lib. 2. cap. 6. quæ sic notatur, vt de vi & motu vehementiore dicatur.

Ita explicat Asconius Pædianus vsum huius verbi de vi calamitatis ingentis: qualis exprimitur sub finem orat. pro *Sex. Rosc. Am. idcircóne experrecta nobilitas, armis atque ferro Rempub. recuperauit; vt ad libidinem suam liberti, fortunasq; nobilium bona, fortunas vestras, nostrasq; vexare possent*, id est, diripere & vastare.

Nam qui fertur & raptatur, hucque atque illuc distrahitur, is propriè signateque vexari creditur. De quo lege lib. 6. cap. 7. apud Macrobium. Quod facit tibi perspicuum Virgil. Eclogâ 6.

Dulichias vexasse rates Scyllam:

ubi est quædam allusio ad etymon Scyllæ, quæ ἀπὸ τοῦ σύλλειν, ab infestando & vexando nominatur.

Procellæ.] Hæc quoque vox inclinatur à procell o, id est, prosterno, vt Græca ἄελλα ἀπὸ τοῦ ἀείλλεσθαι, τὸ πνεῖν. id est, *à facultate spirandi:* vnde etiam nomen Harpygiæ ἀέλλῃ inditum est, quòd rapidissimos quosq; flatus suâ celeritate æquet. Quando autem Græci magnam & vehementem procellam volunt designare, vtuntur voce Ζάλη, quam tradunt factam è duabus particulis epitaticis ζα καὶ λίαν, quasi interpreteris procellam vehementer nimiam, vt Pindarus ὀλυμπ. ιβ. οἱ ἀνιαραῖς ἀνηκόοισιν ζάλαις, ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μικρῷ πεδάμενοι χρόνῳ. id est, *quum verò alii inciderunt in molestas & tristes procellas, speratum ingens bonum breui commutarunt cum damno.*

Quid autem illa sit, Plinius docet libro secundo capite 48. sic: *Flatus vagi & ruentes torrentium modo, tonitrua & fulgura edunt: maiori autem illati pondere incursuq;, si latè siccam ruperint nubem; gignunt procellam, quæ Græcis est* ἐκνεφίας. Addit hùc: *Sin verò depresso sinu arctiùs rotati effregerint sine igne*, hoc est, sine fulmine, *vorticem faciunt, qui typhon dicitur*, id est, vibratus ἐκνεφίας. Aristoteles quoque sic definit libro de Mundo: Οἱ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι ἄνεμοι καὶ ἀκάλυπτοι τῷ πάχει πρὸς ἑαυτοὺς πνεύμενοι, ἐκνεφίαι καλοῦνται: quod ita Budæus interpretatur: *Qui in fractura nubis resoluendaq; eius crassitudine venti colliduntur inter se, quasi quidam nubigenæ* ἐκνεφίαι *dicuntur.*

Idem Seneca lib. 5. Quæst. natural. *Sunt quædam ventorum genera, quæ nubes ruptæ & in pronum solutæ præmittunt: hos Græci ventos* ἐκνεφίας *vocant: qui hoc (vt puto) modo fiunt; quum magna inæqualitas ac dissimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in sublime eat, & alia ex his corporibus sicca sint, alia humida; ex tanta discordia corporum inter se pugnantium quum in vnum conglobata sunt, verisimile est quasdam cauas effici nubes, & interualla inter illas relinqui fistulosa, & in modum tibiæ angusta. His interuallis tenuis includitur spiritus: qui maius desiderat spatium, quum euerberatus cursu parum libero incaluit, & ob hoc fit amplior, scindit cingentia, & in ventum erumpit: qui est fere procellosus: quia superne demittitur, & in nos cadit vehemens & acer: quia non fusus, nec per apertum venit, sed laborat & iter sibi vi ac pugnâ parat.* Cætera ibidem legantur.

Armenijs.] Armenia sita est ad Septentrionem ait Strabo libro vndecimo & Dionysius in Periegesi ad versum:

Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ' ὄρεος Ἀρμενίοιο·
Incipiens primùm è monte Armenio.

Vbi Scholiastes annotat, ὅτι πρὸ Ἀρμενίαν χώραν εἰς τέσσαρα διελεῖν λέγεται Ἰουστῖνος ὁ βασιλεύς· *Armeniam regionem in quatuor diuisisse Iustinus rex dicitur.*

Singularum descriptionem illic vide, & quomodo ex Herodoto & Eudoxo Armenij fuerint è colonia Phrygum:

Aquilonibus.] Sic Aquilo lib. 6. Metamorph. vires ostentat suas:

Apta mihi vis est quâ tristia nubila pello,
Quâ freta concutio, nodosaq; robora verto.
Induroq; niues, & terras grandine pulso, &c.

Querceta.] Hæc vox scribitur etiam Cuercetum, pro qua Græcis est δρυμὸς ἢ δρυμών, ῶνος, Sylua glandifera. Latinam putat Festus dici à duritia, vnde febris querquera pro graui. Alij malunt inclinare à Græco καρκαίρειν, id est, cum strepitu pulsare & tremefacere: quod facit rigor febrilis, vt Homerus vsurpat Iliad. υ.

Αἴτ' ἄνεμον μίμνοισι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα
Ῥίζησιν μεγάλησι διωλένεος' ἀμφίγυα.

Quæ ventum sustinent & pluuiam omni tempore radicib. magnis & in longum porrectis firmata.

Gargani.] Garganus **mons est** Appuliæ seu Iapygiæ hodie mons Santagello.

Orni.] De hac arbore **vide notas** in Oden 9. lib. 1. de qua tamen addam, quod Virgilius lib. 2. Georg. scribit, eam, vt alias quasdam, subiectis locis explicari, ad feliciorem nascendi facultatem:

Fluminibus salices, crassusq; paludibus alni,
Nascuntur steriles saxosis montibus orni, &c.

Mysten.] Ita fortasse hic puer nominatur, quia sacris initiatus mysteria discebat, vt placet Grammaticis, qui huiusmodi etymi inuolucro suspectam obscœnitatem contegere maluerunt.

Ademtum.] Sic antè Ode 4. lib. huius dixit absolutè *Hectorem* **ademtum** τὸν ἀναιρεθέντα, occisum & è medio sublatum. Hoc Gallicè redditur: *Tu ne chantes autre chose, que le dueil de ton Mystes decedé.*

Vespero.] Vt à voce Græca ἕλη fit Helia, & accepto digamma Velia, vt ab Henetus Venetus; sic ab ἕσπερος fit vesperus, qui est Planeta Veneris, vnus è septem vagis, qui sole occidente oritur atque tum dici videtur τὸ ἑσπερεῖσθαι αὐτὴ τῷ ἕπεσθαι, quia solem subsequatur, atque eodem oriente occidit.

Quum autem hoc fit; tum Φωσφόρος ἢ Ἑωσφόρος dicitur Græcè, & idem Latinè Lucifer. Martialis fecit alterum è Græco Latinum:

Phosphore, redde diem; quid gaudia nostra moraris
Cæsare venturo? Phosphore redde diem.

Latino vsus est Ouidius 11. Metamorph.

—— diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.

Quarum quidem vocum vim δοκεῖ μὲν ὁ ὅμηρος ἑρμηνεύειν ἐτυμολογικῶς in vers. Iliad. φ.

ἦμος δ' ἑωσφόρος εἶσι φόως ἐρίηον ἐπὶ γαῖαν, id est,

Quando verò Lucifer venit lumen nuntians terræ.

διὰ τὸ φόως ἐρίηον, ὡς ταυτὸν ὂν ἓω φέρειν καὶ φῶς ἐρεῖν ἤτοι ἀγγέλλειν, id est, vt sit idem lumen dicere, siue nuntiare, atque lumen ferre, ait Eustathius: qui in lib. β. Οδυσ. versum primum,

ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ὁδοδάκτυλος ἠώς, id est,

Quum verò manegenita apparuit aureis digitis aurora.

Sic hoc epithetum ab altero χροκόπεπλος dilparat. Scholiorum autem interpretatio Latina tibi satisfaciat, lector, *Quum poeta designat horam matutinam per crocum, obscurè innuit multum quidem noctis, sed perexiguum lucis: quum eandem per roseos digitos, plurimum diei ac minimum noctis subindicat. Itaque post Luciferum non statim continuò venit aurora rosea.*

Sed Crocea D. Petrus cap. 1. vers. 19. Epistol. 1. tantam Luciferi claritatem vsurpauit ad virtutem euangelij μεταφορικῶς indicandam, ad verba, ἕως ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, id est, *vsquedum dies illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus vestris*: vbi Apostolus ratione clarioris doctrinæ posthabet sermonem propheticum apostolico; hunc assimilans Lucifero, illum lucernæ.

Definitur præterea Vesper vel Hesperus à Iosepho Scaligero lib. 2. de Emendatione temporũ, stella dicta Castor, Dioscuros & desultor, cui tribuitur ab Ouidio vespere fuscus equus & manè candidus:

Hesperus & fusco roscidus ibat equo.

Ita Hesperus erit interdum planeta, interdum sidus, de quo lege notas in Oden 3. lib. 1.

Quò accedat descriptio huius planetæ ex lib. 2. *De natura Deorum Ciceronis. Infima est quinque errantium terra*q; *proxima, stella Veneris, quæ φωσφόρος* & Græcè, *Lucifer Latinè dicitur, quum antegreditur solem: quum autem subsequitur, Hesperus. Ea cursum anno conficit, & latitudinem lustrans & longitudinem: quod idem faciunt stellæ superiores: neque vnquam ab sole duorum signorum interuallo longius discedit, tum antecedens, tum subsequens, &c.*

Surgente.] Quum sol oritur, stellæ vulgò fugere putantur, quæ tamen solùm cessant fulgere, vt superius Ouidij distichon indicauit. Sic plantæ dicuntur surgere tanquam è lecto, quum è terra nascuntur. Illud autem fit quum sidera & planetæ incipiunt se tollere in nostrum hemisphærium, de quo lege Plin. lib. 2. cap. 8. Tempus verò illud vespertinum Homer. vocat Iliad. π. βουλυτὸν, quo boues soluuntur iugo.

Functus ter.] Sic loquetur Epistolâ 1. lib. 2. *Temporibus defuncta videt* carmina, pro vetustissimis, quæ iam annos iustæ ætatis compleuerunt. Pro phrasi Horatij Cicero dialogo de amicitia dicit de Nestore: *tertiam iam ætatem viuebat*: quam Plutarchus in vita Catonis maioris circumscribit ter tricenis annis: vnde surgunt nonaginta. Ita Homerus Iliad. α. ad vers.

Τῷ ὃ ἤδη δύο μὲν γενεαὶ, &c.

Vbi Eustathius profert ex Herodoto ὡς γενεὰ τρεῖς ἀνθρώπων ἑκατὸν ἔτεα εἰσί. *quòd tres ætates hominum sint anni centum.* cum accessione tamen aliquot annorum ad nonaginta. Hæc autem ætatis circumscriptio videtur indicare τὸν τοῦ γήρα παρειμένον, id est, senio confectum.

Antilochum.] Hic Nestoris filius est occisus ab Hectore, cuius tamen mortem Homerus non describit, vt neq; Achillis: tantùm Odyss. γ. Nestor interrogatus à Telemacho Vlyssis filio, num patrem vidisset, memorat filium & Achillem mortuos ad Troiam.

Troilon.] Hic casus accusandi est Græcæ inflexionis. De hoc autem sic fecit Virg. Æneid. 1. vers. 478.

Parte aliâ fugiens amissis Troilus armis.

Desine.] Hæc syntaxis est Græca sic pronuncianda: λῆγε τῶν ὀδυρμῶν καὶ δακρύων, quę conueniunt molliusculis mulierculis: sic enim loquitur Isocrates λῆγε τῶν πονῶν, ἐπὶ πονεῖν δυνάμενος, loquens de moderata exercitatione: quod imitatus est Buchananus Psalm. 90.

O tandem placidus fauensq;
Desine irarum.

Cic. tamen Epist. 1. lib. 7. ad fam. dicit: *libenter desinerem artem*: vbi per ellipsin aliquod infinitum desiderari videtur, vt tractare aut exercere forensem actionem, sicut Eclog. 5. & 9. *Desine plura puer*, dicere aut obtundere.

Potiùs.] Valet, quod Virgilius Eclog. 2. & Æneid. 4. *Quin tu aliquid potiùs, &c.* Quin tu potiùs pacem, &c. pro quo Cicero: *ac potiùs* & Terentius: *imò aliud*, quæ certè omnia sunt ἐπανορθώσεως manifesta indicia.

Trophæa.] Hæc insignia dux merebatur, qui hostem verterat in fugam & ipsius exercitum fugârat: ὅτε τὸ τὰς πολεμίους τρέπειν, dum illi erigebatur monimentum, vbi hostes fusi fuerant, & ipsorum tam fugatorũ, quàm fugantium inscribebantur nomina. Eam vocis rationem affert Seruius in vers. Æneid. 10.

Indutum spoliis ipsum te, Lause, trophæum.

Qui autem hostem occidisset aut cepisset, triumphum consequebatur.

Niphatem.] Niphates est plerisq; fluuius Armeniæ, Straboni tamen, Solino, Melæ, mons est: ad quos potest aggregari Eustathius in versum Dionysij Periege.

Οὔνομα Θωνῖτις, ἧς ἔλκεται ἐς μύχα Τίγρις.

Cuius nomen erat Thonitu, in cuius abditos recessus trahitur Tigris:

Vbi Scholiastes annotat Tigrim fluere è Niphate, dicto ἀπὸ τῆς νιφάδος à vehementi niuis descensu, quæ copiosè in montem decidit, & eâ liquefactâ fit torrens.

Huius

Huius meminit Virgilius 3. Georg. in dedicatione templi Augustani.

Addam vrbes Asiæ domitas, pulsumq; Niphatem;

id est, Armenios illius accolas.

Medumq; flumen.] Dicit hoc per anomaliam generis bonis auctoribus Latinitatis vsitatam, pro Araxe aut Euphrate. Ita Ciceroni in Bruto: Scipio corculum, Cæsari 1. comment. Garumna flumine, & Rhenum flumen.

Sed de populis ab Augusto victis legatur Ouidius lib. 15. Metamorph. & Virgil. sub finem 8. Æneid. Appianus in Illyrico. Medus quoq; fuit amnis Mediæ regionis, quorum quidem omnium scribit cursum lentiorem factum, quasi cladem sensissent suorum accolarum: Armeniorum & Indorum.

Vortices.] E lib. 8. cap. 2. Quintiliani discimus vorticem esse contortam in se aquam, vt quicquid aliud similiter vertitur, vt de vento, qui modò dictus Græcè τυφών, qui etiam τρόβιλος eâdem Dialecto dici potest. Quòd autem hîc dicantur minores voluere vortices, intelligimus illos omnes sentire se quasi superatos, quemadmodum Virg. Æneid. 8. loquitur.

—— Euphrates ibat iam mollior vndis.

Sic Homerus de Xantho vndis & vorticibus intumescente Iliad. φ.

—— Ζωοὺς δ' ἐσάωσε κατὰ κλυτὰ ῥέεθρα
Κρύπτων ἐν δίνῃσι βαθείῃσιν μεγάλῃσι·
Δεινὸν δ' ἀμφ' Ἀχιλῆα κυκώμενον ἴστατο κῦμα.

Viuus seruauit inter pulcra fluenta, occultans alijs magnisq; vorticibus: horrendum quoque in modum Achilli constitit vnda circumfusa.

Gelonos.] Hi fuerunt populi Scythiæ Solino, quos Augustus compulit in tam angustos limites, vt posteà non potuerint aliò excurrere: ideoq; in ipsius laudem sic fecit Virg lib. 2. Georg. vers. 114.

Aspice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasq; domus Arabum, pictosq; Gelonos.

Hos ponit Dionysius in Periegesi inter Boreales, vbi Eustathius scribit nominatos à Gelono Herculis filio & fratre Agathyrsi, de quibus vide plura ibidem.

Equitare.] Idem Poeta precatus fuerat à Mercurio lib. 1. Ode 2.

Neu finas Medos equitare inultos
Te duce Cæsar.

quod impetratum proponitur nunc ad decantandum. Quòd autem hîc *exiguis equitare campis* dicitur, eò spectat, vt significet Gelonos & Scythas in tantas locorum angustias redactos copijs ac viribus Augusti, vt tunc temporis prohiberentur excursionibus in vicinas regiones faciendos cogerenturque in exiguis ditionis suæ terminis se continere paucorum hominum Domini.

Explicatio Rhetorica.

METrum est nonæ lib. 1. simile.

[a] Metonymia est effecti pro procella efficiente mare inæquale ex æquali, vnde sibi ipsi nomen æquor inuenit.

[b] Idem tropi modus pro glacie reddente homines inertes. *sic ignauum frigus.* Quid sit glacies, vide Ode 4. lib. 1.

[c] Metaphora ab animatis, de qua vide ibidem.

[d] Metaphora est à coniugibus, cum alter altero orbatur. Sic Virgilius, *vrbem viduare ciuibus*, & Ouidius, *pectus amoris viduum.* Ita Græci vocant δρυμὸς χήρης, syluas comis destitutas, χῆρον λέχος viduum lectum.

[e] Quidam hîc agnoscunt ἀποστροφήν: qui, si definitionem ipsius memoriâ repeterent è cap. 1. lib. 4. & è cap. 2. lib. 2. apud Quintilianum, *esse sermonem à persona auersum ad aliam*; viderent, hîc sermonem Horatij directum fuisse initiò ad Valgium, *amice Valgi*, nec hîc, *tu semper*, ab eo auerti ad alium, eamque ob rem non esse apostrophen.

[f] Nec *tibi, nec rapidam* habent anaphoram.

[g] Synecdoche est generis pro Nestore.

[h] Idem tropus pro Priamo & Hecuba.

[i] Idem etiam genus tropi pro *Cassandra, Creusa, Polyxena* & alijs.

[k] Ἐπανόρθωσις, vt è Grammaticis innotuit.

[l] In *Niphaten, Medum, Gelonos*, allegoria est è metonymijs subiectorum, pro adiunctis: cantemus victorias Augusti de Armenijs, Medis, Parthis, & Gelonis populis superatis ab Imperatore Romanorum, ac illorum insanis vorticibus, quibus antè insolescebant, repressis.

Ode X. ad Licinium.

Thēticum.

Licinio suadet mediocrem vitæ statum, vt periculis minùs obnoxium, sedulò retinendum.

[1] *Rectiùs viues Licini, neq; altum*
Semper [a] vrgendo: neq; dum procellas
Cautus horrescis, nimiùm [b] premendo
Littus iniquum.
[2] *[c] Auream quisquis mediocritatem*
Diligit, tutus caret obsoleti
[d] Sordibus [c] tecti: caret inuidendâ
[f] Sobrius [g] aulâ.
[3] *Sæpiùs ventis agitatur ingens*
[h] Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt [h] turres: feriuntq; summos
Fulmina [h] montes.
[4] *Sperat aduersis: metuit secundis*
Alteram sortem bene præparatum
[i] Pectus. [k] informes hyemes reducit
Iuppiter: idem.
Summouet. [6] non si malè nunc, & olim
Sic erit. [7] quondam cithară tacentem
Suscitat Musam: neq; semper arcum
Tendit Apollo,
[8] *Rebus angustis animosus, atq;*
Fortis appare: sapienter idem
[m] Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida vela.

Analysis Dialectica.

HVius thetici sententia, *quòd aurea mediocritas in omni re tutissima sit, εἰδικῶς* primo quaternione tractatur, atque deinceps reliquis præter vltimum, *γενικῶς*· expressa porro videtur ex his verbis Isocratis ad Nicoclem: *Ὅταν μὲν οἱ ἰδιῶται δύοντες ἀποβλέψωσιν εἰς τὰς τιμὰς, καὶ τὰς πλούτους, καὶ τὰς δωρεὰς τῶν τυραννούντων, ἰσοθέους ἅπαντας νομίζουσι τοὺς ἐν ταῖς μοναρχίαις ὄντας· ἐπειδὰν δ' ἐνθυμηθῶσι τοὺς φόβους καὶ τοὺς κινδύνους, καὶ διεξίοντες εὕρωσι, τοὺς μὲν ὑφ' ὧν ἥκιστα ἐχεῖν διεφθαρμένους, τοὺς δ' εἰς τοὺς οἰκειοτάτους ἐξαμαρτεῖν ἠναγκασμένους, τοῖς δ' ἀμφοτέροις ταῦτα συμβεβηκότα, πάλιν ὁπόσῳ ζῶν ἡγοῦνται λυσιτελεῖν μᾶλλον, ἢ μετὰ τούτων συμφορῶν ἁπάσας τῆς Ἀσίας βασιλεύειν·* id est, *Quum priuati homines intuerentur in honores, & diuitias, & ditionem imperio potientium, eos omnes, qui soli principatum tenerent, Diis æquales existimabant: vbi autem se animo & cogitatione conuertissent ad terrores & pericula, illaq; mentis agitatione comperissent, alios quidem ab aliis interfectos, à quibus minimè liceret: alios autem coactos offendisse coniunctissimos sibi quosq;: aliis deniq; hoc vtrumq; contigisse; duxerunt sibi magis quoduis vitæ genus profuturum quàm totius Asiæ regnum habere, cum tot rebus aduersis coniunctum.* Item ex his Pindaricis Πυθ. Odes 11. *τῶν γὰρ αὖτε πόλιν διέλσκων τὰ μέσα· μακροτέρῳ σὺν ὄλβῳ τεθαλότα, μέμφομαι αἶσαν τυραννίδων·* id est, *Quum inter bona ciuitatis comperiam ea florere longiori felicitate; quæ sunt mediocria, deploro conditionem dominatus regij.* Hanc autem mediocritatis rationem sic videtur poeta inire ac suadere, vt qui genus præsentis vitæ mediocre maturè delegerit, atque diligenter *σὺν ἀυταρκείᾳ* coluerit, idem sibi munierit facilem viam ad vtrius libet fortunæ commutationem, *μεγαλοψύχως καὶ φιλοσόφως μικρὸν ἀπαθῶς* ferendam. Sed suasio thetici nititur primùm duplici collatione minorum: *melius ac tutius viuitur in mediocri statu, quàm in amplissimo vel in angustissimo.* Sic Isocrat. Liberis Iasonis Ep. 6. suadebat, *ἐμοὶ ἀσφαλέστερόν βίον ἔδοξεν, καὶ βελτίων ὁ τῶν ἰδιωτευόντων, ἢ τῶν τυραννευόντων.* i. *vita hominum priuatorum securior ac melior, quàm eorum, qui sunt, cũ imperio mihi videtur.* Hæc autem gemina comparationis redditio apertiùs sic posset enunciari: *quàm in honoribus ambitiosè petendis, atque in diuitiis auidè congerendis:* Item: *quàm in angustiis & sordibus rei domesticæ timidè sustinendis.* Hæc ratio sumta est è doctrina Stoicorum. Similis est admonitio Theognidis de extremis aureæ mediocritatis declinandis:

Μήτ' ἀρετῶ δ' ὄχ' Πολυπαΐδη ἔξοχον εἶναι,
Μήτ' ἄφενος, μοιρῶν δ' ἀνδρὶ γένοιτο τύχη.

Ne optes eminere in amplissimo honorum statu, ô Polypæda, neq; diuitiarũ, modò solùm adsit tibi tolerabilis status. Ex hac quidem Ode perspicit lector poetam præstare, quod ipse postea epistolâ ad Pisones docebit,

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ.

Nam è tribus illic propositis finibus solum hîc primum persequitur, qui est simplex in docendo *παραβολικῶς καὶ ἀλληγορικῶς* mediocrem vitæ statum, vt rem perutilem, minusque periculis opportunam & inuidiosam, persequendum esse.

2 Protasis positæ comparationis confirmatur loco adiunctorum: quòd mediocri statu contentus ab omni inuidia & contemtione sit tutus: quæ semper comes solet esse amplissimæ Fortunæ.

3 Prior pars redditionis dilatatur collatione similium, cuius protasis est triplex: *vt proceræ arbores sæpè ventis agitantur: vt excelsæ turres sæpe decidunt grauiori ruinâ: vt deniq; summi montes sæpe fulminibus tanguntur: sic homo summis honoribus ac opibus circundatus varijs in periculis versatur*, quod Apollodorus clarè docet his Iambicis:

Τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον,
Καὶ τὸ παντὺ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ·
Οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὑφ' ὃ ἐν θνητοῖς γένει.

Magna munera sibi coniunctum habent Fortunæ metum, & quòd valdè splendet non periculo vacat: nec tuta est omnis sublimitas mortalium nationi.

4 Hoc argumentum ex aduersis, spe & metu, rebus miseris & beatis pertinet ad superiorem protasin minorum de mediocritate retinenda: *qui illam colit, se constanter & honestè tueri nouit in vtráque vitæ conditione, aduersa & secunda.*

5 Hoc rursus argumentũ est ex efficiente, quòd mutabilitas summi status in infimum & huius in illum à Ioue pendeat: vnde confirmat mediocrem esse tutiorem.

6 Illa inconstantia status declaratur ex argumento dissimili: *non continuò sequitur, vt, si status hodie malus est, talis posteà futurus sit, & contrà.* Huic loco respondet vers. Phocylidis in consolandi ratione,

πῆμα καὶ ἀχθομένοισι, κακὴ λύσις ἦλυθεν ἄφνω, id est,
Grauatè quidem homines subitò patiuntur damnum, sed citò etiam malo soluuntur.

Qui versus his præcedentibus, tanquam remedium, adhibetur.

Μήτε κακοῖς ἄχθου, μήτ' ὀὠ ἐπαγάλλεο χάρμῃ,
πολλάκις ἐν βίοτῳ καὶ θαρσαλέοισιν ἄπιστον, id est,
Ne animum despondeas in aduersis, neque immodicè lateris secundis.
Sæpè in vita experimur infidum, cuius fiducia nos tenebat.

7 Eadem inconstantia summæ ac infimæ conditionis exemplo Apollinis explicatur diuersè tractato: *Apollo non semper tristibus bellis vacat: neque semper homines graui peste tentat: sed inde sæpiùs se deducit ad iucundiora.*

8 Ex antecedentibus conficit colendam esse mediocritatem: in qua animi magnitudo spectatur, dum premunt aduersa: eiusdemque submissio, dum spiritus tollunt secunda. Vnde perspicimus illud Plutarchi in vita M. Catonis ad finem verissimum: *Μέγα τὸ δ' πλὲς καὶ αὐταρκὲς, ὅπου τῆς ὀρθυμίας ἅμα καὶ τῆς φρονηματίδος ἀπαλλάττει τῶν περιττῶν·* id est, *Res est permagni momenti frugalitas & mediocritas, quæ cupiditates vnà & mordaces curas nobis rerum superuacanearum eximat.* Ideoque Plato 12. leg. monebat. *Χρυσὸν ὃ καὶ ἄργυρον ἐν ἄλλαις πόλεσιν, ἰδιάτε καὶ ἐν ἱεροῖς ἔχειν ὀνείδους κτῆμα·* quod ita vertit Cic. lib. 2. de leg. *Aurum & argentum in vrbibus & priuatim in fanis inuidiosa res est.*

Enarratio Grammatica.

Licini.] Non satis constat, quis fuerit hic Licinius. Quidam putant fuisse Valgium ipsum cognomine Licinium: alij Licinium Crassum oratorem Romanum, qui Augusto impediente nõ est adeptus Consulatum, ad cuius incommodi cõsolationem hæc Ode videtur instituta: alij Licinium Murænam. Scimus tamen (quod longè præstat) ad quid hæc cohortatio susceptа sit, *ἵνα ὡς μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλεστέρα*, nempe vt *mediocritas in omnibus tutior ostendatur*, vnde est illud cuiusdam Palladæ optantis.

—*Ἀλλὰ τὸς εἴλω*
Μήτ' ἄγαν δύσδαίμων, μήτ' ἐλέειν ἐγώ.
Ἡ μεσότης γὰρ ἄριστον, ἐπεὶ τὰ μὲν ἄκρα πέφυκε
Κινδυνους ἐπάγειν, ἕξις δ' ὕβριν ἔχει·

Id est, —*Sed vtinã ego neq; nimis felix neq; miserabilis essem! Quòd mediocritas sit res omnium optima, atque summus status*

solea

soleat pericula creare, & infimus contumeliam facere. Aristoteles quoque lib.4. Polit.cap.11.docet eos posse in ciuitate tutò viuere,qui cum Phocylide hoc sentiunt & faciunt.

Πολλὰ μέσσιον ἄριστα· μέσῳ δέλω εἶναι πόλει ἐν.

Multa sunt medijs optima: ideóq; volo medius esse in ciuitate.

aut versui Græco respondens Latinus:

Esse volo ciuis medius: namq; optima multa
Sunt mediis.

id est:Auream in omni re sequentibus mediocritatem, tuta est ab omni periculo vita.Eódem spectat illud Sosiæ Act. 1. Sc. 1. Andr. *Id arbitor apprimè in vita vtile esse,ne quid nimis.* Talem vitæ statum Salomon à Deo petiuit, &petitionis rationem reddidit honesto fine,de quo vide Prouerb.30.cap.

Altum vrgendo.] Id est,neque nauem propellendo longiùs in mare, neque illam, declinatis procellis ab alto inbreuia & vadosa reducēdo. Altum est Seruio ad hęc verba 1. Æn. *iactatus & alto:* superior & inferior altitudo,& hæc nomen est mensuræ. Πέλαγος est mare à littoribus valdè remotum,vt veriloquium indicat.

Horrescis.] Εὐλαβικῶς sumendum,pro reformidare tēpestates cautè & prudenter: vnde perspicis ἀπιμέλειαν esse: qualis cautio & præuisio exprimitur eleganter aduerbio *pedetentim*, translato ab his,qui loca conglaciata & lubrica prætentant summis pedum articulis, antequàm ingrediantur viam: quomodo Cic. loquitur 1. de Off. *Sin minus; sensim erit,pedetentimq; faciendum.*

Premendo.] Premere littus nimis,est quod Ode 22.lib. 1. legere diximus,lambere, radere nimis ripas, littora, quæ sunt iniqua propter saxa & vada, scopulosque latentes & apparentes:ob id σῖνες dicuntur ἀπὸ τῆ πάνεσθαι, ὅ ἐστι τυπτεσθαι τῇ προσρέξει τῶν κυμάτων, *à collisione fluctuum:* vnde dicuntur Ouidio lib.3. Trist. Eleg. 11. *inhospita,* id est, aspera & appulsu difficilia littora. Sic Liuius vocat locum iniquum, quem Galli *lieu mal vni, mal applani & raboteux.* Hic autem primus quaternio Gallicè potest reddi: *Tu iras plus seurement Licine, en mer,pendant que tu crains, comme homme sage, l'orage & tourmente,en ne tenant & poursuiuant tousiours la haute mer, & ne t'approchant par trop du dangereux riuage.*

Obsoleti.] Grammatici hanc vocem deflectunt ab obsolesco. quod fit ex ob & oleo interiectu τῆ ſ,non ex soleo. Valet autem obsoletus idē, quòd nimis antiquus, vilis, qui iam natiuum odorem perdidit. Itaq; tectum obsoletum est carioſum, vietū, squalidum, vile & ruinosum. Hic τῷ *tecto sordibus obsoleto* opponitur *inuidenda aula,*& hoc sermonis genere dicetur Epod. 17. Canidia εἰρωνικῶς *non paternis obsoleta sordibus.*

Inuidendâ.]Hæc vox interpretatur Græcam ὀπτὴ φθονον vt illa Ciceronis suprà in fine Dialecticorum, *inuidiosa.*

Sobrius.] Videtur hæc vox Grammaticis dici quasi sebrius,& maximè Donato And.Act.4. Sc. 4. versu 39. *Tu pol homo non es sobrius.*id est, sanę mentis,quasi sebrius, hoc est, ab ebrio separatus, & ab inseparabili præpositione *se* vel à *seorsum* facta, vtraque vim habente separandi & negandi.

Idem consulit Ouid.3.de Trist.Eleg.4.de mediocritate.

Viue tibi,quantumq; potes præclustria vita.
Sæuum præclustri sulmen ab arce cadit.
Tu quoq; formida nimiùm sublimia semper:
Propositiq; memor contrahe vela tui.

Fulmina feriunt.] Hoc Græci dicunt, σκληροὶ χειμωνοὶ εἰς τὰ μεγάλα καὶ ὑψηλὰ ὄρη ὀπτοκόπτειν.

Sperat aduersis.] Aliàs legitur infestis.Infestum sæpè geminatur cum inimicum: opponitur hîc secundo, & ita sumendum est pro aduerso & vexante : explēda tamen est prepositio *in: sperat in aduersis.*

Alteram sortem.] Significat statum alterum & vitæ conditionem diuersam.

Informes.] Quod Græcè dici potest, ἀτυπώτους καὶ ἀμόρφους χειμῶνας, καὶ δυσχεῖς καὶ ἀχρήμους, *deformes & indecentes, horridas.* Ita λειμῶνες ἄμορφοι dicuntur, *prata informia, squalida, inculta.*

Non si.] Ita Virgilianus ille Sinon Æn.2. fidem faciebat iis, quæ Troianis renunciabat de obsidione soluta Græcorum:

——non,si miserum Fortuna Sinonem
Finxit;vanum etiam mendacemq; improba finget:

quæ negatio statuit, si sit antecedens enunciati connexi,non ideo consequens eiusdem esse.

Olim.] Olim dicitur hîc de futuro, posthac, vt *quondam* de incerto tempore, non de præterito, pro *interdum & aliquando:*quomodo sumitur Epist.3.& 10. l.1. & certè hoc aduerbium tria tempora notare compertum est & obseruatum à Latinis, sicut τὸ πάλαι à Græcis maximeque ab Eustathio in Homerum.

Rebus angustis.]Res angustas appellat infimum ac miserum statum.

Sapienter idem.] Istam animi æquabilitatem in vtrolibet vitæ statu, ita Isocrates docet seruandam Demonico ex consideratione rerum instabilium. Νόμιζε μηδὲν εἶναι ἀνθρωπίνων βέβαιον· ὅπου δ' ἂν τύχῃ ἔστι πάντα χαρὴς, ὅ τε δυσχῶν πάλιν. *Existima nihil rerum humanarum esse firmum & stabile: hoc enim modo non insolenti lætitiâ exsultabis propter res secundas: neq; animum dolore conficies ob aduersas.* Eódem Theognis Cyrnum suum inuitat versu 591.

Τολμᾶν χρὴ τὰ δίδωσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσι.
Ῥηιδίως δ' φέρειν ἀμφοτέρον τὸ λάχε.
Μήτε κακοῖσι νόσων λύπη φρένα, μήτ' ἀγαθοῖσι
Τέρφθης ἐξαπίνης, πρὶν τέλε ἄκρον ἰδεῖν.

id est,*Toleranda sunt, quæ Dij donant mortalibus, Æquo animo autem sors vtrius q; rei ferenda est. Neque malis pressus; animum despondeas, nec bonis oblecteris citò, antequam extremum videris exitum.*

Idem Apollod.

Οὐδέ ποτ' ἀθυμεῖν χρὴ κακῶς πεφόρτα δεῖ,
Ἄνδρες, τὰ βέλτιω δ' πεφοδοκᾶν ἀεί. i. *nunquam decet eum, cui res malè procedunt animum despondere, ô viri, sed melioribus se integrum seruare.*

In *nimium secundo,* vt paulò antè in *benè præparatum:*illustres Grammatici *Seruius & Donatus* adnotarēt τὸ ὑφ' ἕν, tanquam diceres,sub vnitatem, quòd instar vnius vocis vtrumque pronunciari videatur, sicut ille in vers.1. Æneidos,

——neq; enim ignari sumus antè malorum

hic in Andr.Act.1.Sc.2. 4.adnotauit.

——Et heri semper lenitas
Verebar,quorsum euaderet,

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Alleg.est è continuatis metaphoris à nautis,de cuius ratione vide Od.14.l.1. Sed apertior fuisset, si pro duobus primis verbis reposuisset, *tutiùs nauē ages.* Nunc pro verbis modificatis sumantur propriè,erudītionis gratiâ. *Vrgere* igitur altum est ambitiosè summos honores consectari & cupidè opes quærere.

[b] Premere littus, est timidè in angustiis rei domesticæ & sordibus commorari, & animum despondere. Itaque sensus erit, ne ad summa cupidè Licinius aspiret:ita tamen infima deuitet. Extrema enim omnia

vitiosa & periculosa sunt.

c Metaph. à prestantissimo metallorum, cui non cedit pretio mediocritas.

d Propriè sumendum est, pro extrema rerum tenuitate, à qua non possunt abesse sordes: aliquando pro auaritia, quæ etiam non caret suâ turpitudine.

e Synecd. est membri pro integra domo. In *caret* autem initio incisi repetito est *Anaphora*.

f Sumtum est ab esculentis & poculentis ad ἀυταρκείαν animi indicandam.

g Potest hoc sumi σωεκδοχικῶς pro regia & domo magnifica: vel potiùs est metonymia subiecti pro suppellectile sumtuosa & luxuriosa, quæ domino suo conflare maximam inuidiam consueuit, quâ homo re mediocri contentus caret, quomodo loquitur Martialis Epigram. 2. lib. 1.

Inuidiosa feri radiabant atria regis.

Gall. *auſquels on porte à iuſte cauſe enuie & haine.*

h Alleg. est è multis synecdochis specialibus, pro altissimis quibusque rebus, i. amplissimis honoribus.

i Synecdoche est alia partis pro toto homine, qui doctrinâ instructus & temperatus est.

k Ex effecto hîc significatur efficiens terras hispidas & informes, detractâ omni iucunditate plantarum, arborum & herbarum, & formâ: & pro his, omnia gelu, pluuiâ, niue sunt horridè plena: quo verbo vtitur lib. 1. Sat. 8. *triſtes Albis informem ſpectabant oſibus agrum.*

l Dicuntur hæc per allegoriam temporis: Iupiter facit, vt serenitas tempestati, hæc vicissim succedat illi, ad demonstrandam talem rerum mutabilitatem à Ioue profectam.

m Alia est allegoria à nautis, vt prima, qui vela pandunt vento secundo & moderato: eadem contrahunt eodem procelloso. Hic autem significat è rebus secundis nec ingentem spiritum, nec arrogantiam sumendam esse, nec aduersis demittendum animum. Similis est concursus troporum l. 1. Epist. 1. ad Q. Fratrem. *Quapropter hoc te primùm rogo, ne contrahas, aut demittas animũ, néue te obrui, tanquam fluctu, ſic magnitudine negotij ſinas: cõtrahq; erigas, ac reſiſtas.* Similis est concursus troporum Πυθ. ωδ. Γ.

ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοαὶ
ὑψιπετᾶν ἀνέμων
ὄλβου δ' ἐκ ἐς μακρὸν
ἀνδρῶν ἔρχεται, ἰ.

Interdum enim alij ſunt flatus ventorum altiuolorum. Felicitas hominum non diu permanſura accedit.

Hunc tamen locum si comparatè, vt Scholiastes, acceperimus ad inconstantiam felicitatis humanæ indicandam, protasis collationis ἀπρόπως sic enuntianda est, ὥσπερ οἱ αὐτοὶ ἄνεμοι, φησι, διὰ παντὸς πνέουσιν, ἀλλ' ἄλλοτ' ἄλλοι· ὅτω καὶ αἱ τύχαι τῶν ἀνθρώπων, οὐχ αἱ αὐταὶ φέρουσιν; ἀλλ' ἄλλοτε μὲ εἰς κακὸν μεταβάλλουσιν, ἄλλοτε δὲ εἰς ἀγαθόν, id est, *quemadmodum, ait, non iidem venti ſemper ſpirant, ſed alias alij: ſic felicitas hominum non eadem permanet; ſed interdum in malum, interdum in bonum commutatur:* quod Euripides simpliciter expressit. ὦ μέγας ὄλβος, οὐ μόνιμος ἐν βροτοῖς, i. *magna felicitas non est hominibus ſtabilis.* Similis est sententia Ολυμπ. β. ωπηρ. β. quam lectori iudicandam relinquo.

Ode XI. Ad Quintium Hirpinum.

Theticum.

Hirpinum hortatur, vt se iam senescentem à magistratibus, publicisque negotiis remoueat, & vitæ iucunditati dedat.

Vid bellicoſus[a] *Cantabet & Scythes*
Hirpine Quinti, cogitet, Adriâ
Diuiſus obiecto, remittas
Quærere[2] *nec trepides in vſum*
Poſcentis æui pauca:[3] *fugit retrò*
Læuis iuuentas, & decor, aridâ
Pellente laſciuos amores
Canitie, facilemq; ſomnum.
[4] *Non ſemper idem floribus eſt*[b] *honor*
Vernis: neq; vno Luna rubens nitet
[c] *Vultu:*[5] *quid æternis minorem*
Conſiliis animum fatigas?
[6] *Cur non ſub alta vel platano, vel hac*
Pinu iacentes ſic temerè, &[d] *roſâ*
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaq;[e] *nardo,*
Potamus vncti? [7] *diſſipat Euius*
Curas edaces. [8] *Quis puer ocyùs*
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lymphâ?
Quis deuium[f] *ſcortum eliciet domo*
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum[g] *Lacænæ*
[9] *More comam religata nodum?*

Analysis Dialectica.

VIdetur hæc Ode ex officina Epicuri prodiisse, cui breuitas humanæ vitæ non satis visa est habere spatij ad voluptates perfruendas. Itaque suadet nullum esse prætermittendum locum, nullumque diem intermittendum Hirpino, delicatè molliterque viuendi: quod ab eo fiet, si ad securitatem & lætitiam se maturè comparet, positis curis, quæ animos exedũt, & mærore corpora conficiunt. Sententia tamen huius Od. non videtur Aristoteli satis explorata, cuius sit, quum ita scribit lib. 10. cap. 7. Ethico: cuius loci hæc est interpretatio, *Oportet autem, non quemadmodum quidam monent, humana ſapere, quum homo ſit; neq; mortalia, quum ſit mortalis: ſed quoad fieri poſſit, ſe immortalem reddere, omniaq; efficere, vt eam degat vitam, quæ ab eo manat, quod eſt in ipſo præſtantiſſimum. Nam tametſi ſuâ illud mole videtur puſillum, poteſtate tamen & dignitate omnibus antecellit. Videri autem poſſit merito vnuſquiſque eſſe hoc, Siquidem principatum obtinet ac melius eſt.* Philosophus dissuadet hîc, quod nonnulli more nostri Poetæ suadebant, desideria corporis explenda in hac mortali vita, idque refellere videtur è partibus hominis, qui quum totus constet ex animo & corpore, illum, vt principem

ac ce-

ac cælestem, omnibus honesti partibus ornare debet. Quamquam autem mens hominis res videatur pusilla, suâ tamen potestate & dignitate superat omnia, quæ cernuntur in homine. Itaque debet vnusquisque cogitare se nihil aliud esse, nisi idipsum, quod est mens & consilium. Hæc autem ratio est ex amotione caussarum, id est, impedimentorum vitæ beatæ: in qua felicitatem Epicurei falsò putant sitam.

2 Hæc ratio constat ex fine latenti: vt Hirpinus non se excruciet propter breuis huius vitæ cultum, ad quam benè traducendam pauca satis videntur esse.

3 Ad confirmationem caussarum superiorum, de aculeis sollicitudinum priuatarum & domesticarum euellendis, adhibetur argumentum è loco adiunctorum: quòd iuuenilis ætas celeriter prætereat, & celeriùs ipsi opinione hominum senectus subrepat. Itaque non tam mordacibus curis de viatico parando, nec non de honoribus mox ponendis Hirpino est opus ad vitam hominis breuem sustentandam & tuendam. Vnde Poeta vult efficere, maturè Genio indulgendum esse. Verùm, prudentissime consultor & vates, voluptas ista, quam tantopere decantas, celeriùs ac turpiùs accelerat senium, atque adeò mortem ipsam, quàm mediocris & honesta vitæ occupatio, quâ, præterquàm quòd inertia & otium ad grauissimum quodque vitium; vt illecebræ maximæ, deuitantur: optima quoque valetudo corporis confirmatur & sustentatur. Itaque magis audiant Platonem in 1.de Repub. adolescentes, vbi Cephalus inducitur senex ita loquens: *Aliquando familiariter vsus sui Sophocle Poetâ, qui quum ex eo ætate iam confecto quæreretur, vteretúrne rebus Venereis, Dij meliora respondit. Libenter verò istinc, tanquam à domino agresti ac furioso profugi.* Idem tamen ipse dicitur reprehensus ab Isocrate apud Plutarchum in ipsius vita, quòd puerum sectaretur, captus eiusdem amore, ὡς δεῖ σὲ αὐτὸν φάμενος, ὦ μῶν δεῖ, Σοφόκλες, τὰς χεῖρας ἔχειν μᾶλλον πρὸ αὑτῆς, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις, id est, *non solùm, ô Sophocles, monebat Isocrates, te decet manus apud teipsum continere, sed ipsos etiam oculos.* Atque iidem potiùs expectent à senectute moderata & sapiente honores, quos Agellius scribit lib.2. cap.15. Lycurgi legibus antiquitus maiori ætati habitos. Huc accedit sententia Aristot. in arte Poeticâ, ὅτι ἡ εὐδαιμονία ἐν πράξει ἐστί, *felicitas consistit in actione.*

4 Citatus iuuentutis celeris transitus declaratur collatione dissimilium, cuius protasis est duplex de floribus & habitu Lunæ: *non vt flores citò marcescunt & decidunt: nec vt Luna sæpè mutat vultum, in vicissitudine crescendi ac decrescendi, dum modò apparet clara, modò obscura, modò alba, modò rubicunda, modò plena, modò corniculata.* Hęc varia Lunæ figura fit è vario ipsius situ ad solem, & interiectu terræ, à quo, quum sit eius corpus densum & opacum, non potest illustrari in synodo, id est, coitu; sed pro ratione illius à sole semoti recipit splendorem diuersæ figuræ. Antapodosis huius comparationis latet in hac interrogatione: *Quid æternis?* Supplenda tamen ex antecedente fuga iuuentutis: Non sic ætas iuuenilis fluxa & caduca, mutabilis & varia fugit ac redit. Ideoque impar longè in posterum prospiciendis futuris, quæ nullâ circumscriptione temporum & intelligentiâ metiare. Magna quidem est commutationis hæc dissimilitudo: flores enim verni quotannis renascendo redeunt & decidunt plantis: nitor Lunæ & plenitudo tolli reddique solet: homini autem adimitur, sed non restituitur prærerita iuuentus.

5 Poeta facit hîc impiè animum mortalem & ea-

ducum, vt corpus: sed contrà Phocylides piè, & congruenter pietati Christianæ:

Ψυχαὶ δ' μίμνουσιν ἀκήδειοι ἐν φθιμένοισιν·
Πνεῦμα γὰρ ὅτι θεοῖς ἐπιείκελον θνητοῖσι, καὶ εἰκών.
Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἐσμέν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν· ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

id est, *Animi manent immortales in mortuis: spiritus enim est Dei, res hominibus accommodata, & imago: corpus autem è terra habemus & omnes in ipsam soluti, sumus pulvis. Sed cælum suscipiet spiritum.* Similiter Platonici & Pythagorei de immortalitate animi, atque Phocylides senserunt: cuius rei reperire licet multa testimonia in Phędro, aliisq; dialogis Platonis, quorum vnum è multis proferam è Phædone: Καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν, ὅπως, ὡς ἔοικεν, ἐγγυτάτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, ἐὰν ὅτι μάλιστα μηδὲν ὁμιλῶμεν τῷ σώματι, μηδὲ κοινωνῶμεν, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη, μηδὲ ἀνιμπλώμεθα ταύτης τῆς τοῦ σώματος φύσεως· ἀλλὰ καθαρεύωμεν ἀπ' αὐτοῦ, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς· καὶ οὕτω καθαροὶ ἀπαλλαττόμενοι τοῦ σώματος ἀφροσύνης, ὡς τὸ εἰκὸς μετὰ τοιούτων ἐσόμεθα, καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινές. *Atq; dum,* ô Socrates, *in vita sumus, ita nos, vt decet, debemus parare, vt minimum nobis sit cum corpore commercij, nisi summa cogat necessitas, nec ipsius naturam imbibamus, sed puri & integri ab ipso simus, donec Deus hinc nos migrare iusserit: atque ita puri & ab insania corporis liberati, vt consentaneum est, cum talibus,* id est, puris & integris, *versabimur, & per nos ipsos cognoscemus, quicquid est sincerum.* Item è Pythagora hoc proferam extremum carminum aureorum:

Ἡνίκ' ἀπολείψας σῶμ', εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.

Quòd si corpore relicto ad purum æthera peueneris: eris immortalis Deus, diuinus, incorruptus, nec amplius mortalis. Solet tamen ad excusandam Poetæ impietatem τὸ *minorem* referri ad temporis spatium, quo animus manet inclusus in tenebricosa corporis custodia: quo circumfusus impeditur perspicientia veri æternique consilij: Ideoque deliberatio de rebus abstrusis & æternis hominis captum longè superat. Iam redeo ad nostrum Poetam, qui ex his comparatis studet efficere, vanas esse hominum curas de futuris, quæ humanus animus præsentire non potest breuitate mundanæ permansionis suæ.

6 Iam satis persuasâ vitæ humanæ tam corporalis quàm spiritualis inconstantiâ & breuitate, inuitat se & alios ad hanc exiguam lucis vsuram in voluptatibus conterendam, hac impiâ ratiocinatione: Si vita nostra more nubis præteruolat, & instar vmbræ euanescit, ac spiritus ritu aeris diffunditur; curemus, vt dum viuimus viuamus. Hanc impietatem c.2.Sap. legito & conditionem huiusmodi impiorum miserrimam. Videtur hæc admonitio de vanitate rerum humanarum & vitæ breuitate ex Ecclesiaste Salomonis desumta. Sed hoc interest inter Poetam, & nostrum sapientem: hic enim omnes curas, omnia hominum studia, omnes denique cogitationes subiicit vanitati, vt inde homines abstracti, toto animo omniq; studio & operâ discant vnicè Deum amare, colere & timere: quia in hoc solo firma, stabilis, vera est, & æterna hominis felicitas: admonitio autem Poetæ de sollicitudine futuri omnino remittenda, est solùm cohortatio ad vitam voluptariam, delicatam, & mollem: in qua quum homines huius sectæ satis superque fuerint bacchati, summum bonum putant se assecutos. Apparatus autem conuiuij ex subiectis & adiunctis explicatur. Locus enim primùm designatur idoneus ad iucundè & beatè epulandum: qualis memoratur Ode 3. huius libri. Deinde ad epulas adhibentur vnguenta, odores & flores, optimum vinum.

7 Argumentum est ex efficiente caussa securitatis & delectationis.

8 Adhibentur quoque ad hanc, tanquam adiuantes, Oenochous, & Leno, & scortum, quod postremum describitur ex adiunctis, musico instrumento & cultu Lacedæmonio. Notata est modò nostri Poetæ impietas, nunc eiusdem impuritas ac impudicitia notetur ac vitetur.

9 Ornatus scorti exponitur breui similitudine, vt illud veniat comtum more Lacænæ puellæ, quæ se solet comere & exornare ad tales delicias accommodatè.

Enarratio Grammatica.

COniectat Cruquius è Chronographia, pro hac inscriptione, *ad Quintium Hirpinum* (vbi tamen legit *Quintum* contra opinionem quorundam) reponendam hanc: *ad Quintium Crispinum*, qui gesit illo tempore Consulatum cum *Druso Nerone*, quum huius frater *Tiberius Nero* bellum faciebat aduersus Dalmatas & Pannonios & Dacos qui hîc Scythæ vocantur, quod equidem neque probare omnino, neque improbare hîc nunc possum. Vox autem *Hirpinus* videtur ducta Seruio in vers. 11. Æn.

Summe Deûm sancti custos Soractis Apollo.

ab Hirpis, qui linguâ Sabinorum sunt lupi, vnde populi in Flaminia sic dicti fuerunt ad montem Soracte siti, aliàs Sorani. Vide ibidem fabulam.

Cantaber.] De Cantabro vide Od. 6. l. huius.

Scythes.] Hæc vox ponitur hîc Glareano pro *Daco*, quem Virg. 8. Æn. vers. 728. *indomitum*, vt hic *bellicosum*, & Ode 3. l. 3. *bellicosos* etiam *Quiritcs* vocat, πολεμικὺς, *fortes ac strenuos*. Sed Scythæ sunt populi Septentrionales, priùs dicti *Scoloti*, vt scribit Herodotus: Scythæ verò nominati à rege ipsorum, qui originem suam traxit ab Hercule, de quo idem historicus.

Adriâ.] De Adria lege Od. 3. l. 1.

Diuisus.] Id est, quem Dacum interiectus maris Adriani lõgè disiungit à nobis, vt Alpes & traiectus maris Tyrrheni disparant Romanenses à Cantabris.

Remittas quærere.] Remitto ita cum infinito ponitur à Terentio, *remittas iam me onerare iniuriis*, pro desinas, Gal. *Deporte toy de m'outrager d'iniures*: quod possis etiam explicare: remissiùs ac minori studio quæras, pro quo dixit Ode 9. l. 1. *fuge quærere*, & 4. huius, *fuge suspicari*, pro noli. Aliquid tamen videtur interesse: priori aliqua inquisitio permittitur, posteriori nulla.

Nec trepides.] Appositè natura hominis nimis rerum futurarum trepidi, vt loquitur Virgilius, hoc exprimitur verbo: cui nihil vnquam est satis confirmatum, certum & ratum, quod ad vsum vitæ pertinet & necessarium est: sed de eo semper dubitat, noctesque diesque trepidè sollicitatur. Diximus Ode 4. huius ad finem:

Cuius octauum trepidauit ætas
Claudere lustrum.

verbo trepidandi festinationem significari cum aliqua commotione animi.

Iuuentas.] De qua fuit Ode 30. lib. 1. Iuuentas non dicitur læuis, quia est imberbis & depilis, sed quia est sine asperitate cutis & rugarum, quum recta ætatum distinctio iuuentutem faciat barbatam: neque hîc obiicienda est modificatio vocis pro Dea vel imagine illius, quæ rei expressæ & effictæ debeat similitudine respondere.

Decor.] Intellige venustatem & splendorem, quem Ouidius de medicamine faciei sic ait euanescere:

——formam populabitur ætas,
Et placidus rugis vultus aratus erit.

Pro his vtetur Epod. 17.

Fugit iuuentas & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta luridâ.

Aridâ.] Physici quidem tradunt insomniam & canitiem hominib. nasci penuriâ naturalis humoris, mordacibus curis, aliisque animi perturbationibus, quibus exsiccatur & absumitur triplex illa facultas spirituum naturalium, animalium & vitalium, quam absumtam consequitur ἀπεψία morborum omnium mater: Sed huc addo, citiùs homines etiam canescere, ex immodica humorum copia calidique penuria vnde vapores spirituum auctores relanguescunt & pituitosam materiam radicibus pilorum affundunt.

Aridâ canitie.] Arida canities αὐη ἡ ξηρὰ πολιότης, de qua lege Aristot. lib. 3. de generat. animal. & 5. vbi docet τὸν πολιότητα οὐκ εἶναι αὐότητα, *canitiem nõ esse siccitatem*, id est, non ex hac nasci, sed ex inopia caloris, quam superior ἀπεψία consequi solet, & ab hac humorum imbecillitas; qui postea transmittunt in cerebrum debiles vapores ac fuliginis exsortes: vnde capilli possent denigrari. Hę sunt causę canitiei: quibus nomine eruditatis comprehendimus morbos ab ea concoctionis deprauatione omnes profectos. Quamuis autem Porphyrius tradiderit cap. 4. de quinque vocibus proprium hominis esse in senectute canescere, πολιὸς τρίτον τρόπον, tertio modo, quibusdam tamen παρ' ἡλικίαν canescentibus viridis ac valida contingit senectus: cuius rei ἡ πεῖρα μοι ἔδωκε σαφὴ ἀληθινὸν ἔλεγχον, id est, *experientia nobis verißimum fecit indicium apud Pindarum* εἰσὶ. Δ. Ολυμπ. in Ergino Clymeni filio ex Argonautis vno; qui stadii curriculum ingressus est magis tamen canis, quàm annis obsitus, non sine risu Lemniadum mulierum: sed vbi vicisset cursu filios Boreę, Zeten & Calain, ille spectantium risus traductus fuit in admirationem: (vnde natum fuit Grecis prouerbium, Ἐργίνου πολιαὶ, i. *Ergini Cani* in eos, qui ἀωρὶ πολιοῦνται, i. *intempestiue canescunt* & senescere vel curis vel morbis videntur. Item in eos, qui ætate quidem sunt iuuenes, sed prudentia, moribus ac vitæ ratione senes: de quibus sic Persius, quum inuehitur in Neronis infantiam sub persona Alcibiadis, εἰρωνικῶς tamen,

Scilicet ingenium & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

ἡ δὲ ἱστορία τοιαύτη. Ὑψιπύλης ἀγῶνα ὀπτελούσης ὀπτάφιον Θόαντι τῷ παρὰ λημνίων βασιλεῖ, συμβέβηκεν Ἀργοναύτας ὀπῖσε ἡλύθειν, καὶ προτρεπέντας εἰς τὸν ἀγῶνα ἀγωνίσασθαι· εἰς ὧν ἦν αὐτάδελφος Ἐργῖνος νεώτερος μὲν χρόνῳ, πρεπόλιος δὲ τὸν κόμιν, ὡς μὴ ἱκανὸς ἀγωνίσασθαι διὰ τὸν ὄψιν τῆς πολιὸν, ἐγελᾶτο ὑπὸ τῶν γυναικῶν, καὶ ἐπικερτομεῖτο· ὡς δὲ διὰ τῆς ἔργον ἐδείχθη ὑπερβαλλόμενος τοὺς ἀγωνιστὰς πολὺ δὲ οἱ τοῦ Βορέου παῖδες Ζήτης καὶ Κάλαις· ἐπαύσατο ἡ γινομένη χλεύη κατ' αὐτοῦ, τοὐναντίον ἐθαυμάσθη· διὰ τοῦτο ἔν λέγει τὸν πρόσχημα πεπαυκέναι τῆς ὕβρεως τῆς κατ' αὐτοῦ τὰς λημνιάδας γυναῖκας, id est, *Historia est huiusce modi. Quum Hypsipule Indos funerales appararet patri Thoanti Lemniorum regi, accidit, vt Argonautæ ad vellus aureum proficiscentes illuc aduenerint, & ad certamen concelebrandum inuitati fuerint. Ex his igitur vnus nomine Erginus tempore quidem iuuenis, sed præcanus capillitio, adeò vt minimè idoneus ratione canorum videretur ad cursu concertandum, & rideretur à mulieribus, conuitiisq; vrgeretur. Postquam verò re & opere declaratus est viciisse suos syndromos. Erant autem hi, filij Boreæ Zetes & Calais, desiit contumelia in ipsum fieri, contrà obtinuit admirationem.* Eam ob rem Pindarus canit experientiâ feciisse finem contumelię, quam ipsæ Lemniades priùs in ipsum iaciebant. Lectio Pindarici locī admonebit lectorem, quorsum hæc historia tendat. Ac prętereà quomodo capilli magis canescant tecti quàm difflati, & ad tempora & ad bregma & sinciput priùs, quàm ad occiput, vt iam Od. 9. l. 1. attigimus, vide quo-

que

que Alexandrum Aphrod.l.1.problem. *Cur tempora hominum primùm canescant.*

Lasciuos.] De his amoribus repete nostras è Seruio notas in Od.9.l.1.ad verba, *nec dulces amores, &c.*

Animum fatigas.] Fatigare animum consiliis, est illum sollicitare & angere sollicitationibus & cogitationibus rerum longè futurarum, quarum ille minimè capax est, nec eas præsentire potest. Fatigare pectora etiã dicet Ode 14.l.4.

Vel platano.] *Platanus* deflectitur παρὰ τὸ πλατύνειν, à dilatando, vnde dicitur ἀμφιλαφὴς, *ampla:* quò Virgilius respiciens dixit:

——Pronâ surgebant valle patentes
Aeriæ platani.

Eódem quoque Cic. de Orat. *Hæc tua platanus ad opacandum hunc locum patulis diffusa ramis.* de qua lege Plin.l.12. c.1. & l.17. c.16. Ex illa tamen, præter gratiam vmbræ, fiunt rigidi mali. Virg.2.Georg.

Et steriles platani malos gessere valentes.

hoc epithetum *sterilis* potest interpretari alterum Odes 15. sequentis *cælebs* & *vidua* apud Martialem, pro non maritata vitibus. & 4. Georg.

Iamq; ministrantem platanum potantibus vmbram.

De pinu autem fuit anteà Ode 3.lib. huius.

Sic temerè.] Hæc similitudinis nota exprimit quendam accumbentis gestum. Prætereà *iacere humi*, est nullo consilio, nullâ arte, nullâ ratione vel locorum, vel personarum habitâ, in gramine sub vmbra platani discumbere, quod Græci dicunt καθὼς ἔτυχεν, *pro vt inciderit*, & quisque locum occupârit.

Odorati capillos.] Pro hoc dicet Sat.7.l.2. *Odoratum caput* Hellenismus est, qualis hic est ἀναδέμενοι τῷ κώμῳ, item αἱ γυναῖκες ἀναλειφόμεναι τῷ κώμῳ τὸ φαρμάκῳ· *religatus comam, mulieres comam medicamento perunctæ*, τεῖχας θυμιαθέντες, *capillos suffiti*: vbi eleganter supprimitur τὸ χρῖ, tam Græcis, quàm Latinis perusitatum, in quo Grammatici malè statuunt synecdochen, pro, habentes capillos rosaceo & nardino vnguento perfusos. Prætereà notant Grammatici multa inclinari adiectiua è nominibus substantiuis ad speciem participiorum passiuorum, vt ab odore *odoratus*, quod aliunde accipit odorẽ, ait Seru. interdum pro, *odorifer*, habens in se odorem & spirans: sed neutra huiusmodi vis sumitur à verbo *odoro vel odoror:* ita inclinatur togatus, comatus, sagatus, barbatus, figuratus, stellatus, virgatus, baccatus & similia infinita. *Dum licet.*] Pro hoc dixit Ode 3. huius:

Dum res & ætas & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Assyriaq; nardo.] Adscribitur nardus à Physicis inter frutices, eaque triplex è varietate regionum inuenitur; nardus Indica, Syriaca & Celtica: quæ postrema nascitur in Alpib. Liguriæ. Poeta videtur hic intelligere Syriacam. Huc addit Plin. præter vinum & vnguentum nardinum commendari etiam nardinas coronas: quas non malè hoc loco intelligas. Præterea τὸ ναρδος videtur ortum vocabulum ab Hebræis, qui נרד *nerd*, sumunt nunc pro frutice, nunc pro herba, vnde pretiosissima fiebant vnguenta: quale dicitur mulier effudisse Christo in caput, Mar.14.c. & Ioh.c.12. vbi τοῦτο Μύρου dicitur in loco priori πολυτελὲς, in posteriori verò πολύτιμον.

Dissipat Euius.] Μεείμνας διασκέδασαι Græcè dicitur. Verbum autem *dissipare* est Festo duplex. Fit enim à simplici *supare* vel *sipare*, quod est ipsi *iacere*: vnde *dissipare* valet *disiicere* & *dispergere*. Variè construit Poeta τὸ *cura* nunc cum *abigere*, nunc *eximere*, nunc *pellere*, nunc *summouere*, nunc *auferre, mittere, deponere, tollere curas &c.* Propriè autem sumetur Epod.16. *Ossa Quirini dissipabit.* & 17. *Nouendiales dissipare pulueres.* Similis efficientia vini declaratur à Theognide:

Τῦ πίνων ἀπὸ μὲ χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας
Θωρηθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφρότερος.

Vini potione discuties curas graues, eoq; munitus eris multò alacrior. Talis quoque ab Ouidio:

Cura fugit, multo diluiturq; mero.

Talem potes legere Odyss.φ. sub finem ad vers.

Οἶνός σε πρῶτα μελισδὴς, ὅς τε καὶ ἄλλους
Βλάπτει, ὃς αὖ μὴν χανδὸν ἕλῃ μηδ' αἶσια πίνει.

Vinum te lædit, quod et tam alios lædit, quicunq; ipsum hauserit abundè. Reliquos versus lege sequentes.

Euius.] De Euio fuit Ode 18.l.1. ac de ipsius vocis etymis & scriptura: vt de Falerno Ode 27.l.1.

Restinguet.] Staphylus Sithemi filius dicitur à Plinio l.7.c.56. induxisse primus morem aquâ vinum diluendi contra mentem Thyadum, quæ vetant aquam infundi vino bacchantium, sed malè: ὅτε γὰρ ἀκρατοποτῆται οἶνος, κεφαλαλγικόν ἐστι· *Vinum enim quum bibitur merum, tẽtat cerebrum:* Εὔκρατος ἢ ὡς ἓν ὀκτάπους, διάφορον παρέχει τῷ αὐτὸν πίνειν, sed vbi bene dilutum fuit sumtum, exhilarat potorem.

Deuium.] Sic dicitur scortum, vel quòd ignarum sit vicorum & viarum & ædium, vel quòd domum habitet à via publica remotam, minimeque prostet omnib. & vulgare sit. Ego verò crediderim potiùs ita notari, quòd vias publicas & hominum aspectus vitet, domosque solùm notas sibi latenter oberrans adeat, sicut de Pholoe dicet Ode 15.lib.3.

Filia rectiùs Expugnat iuuenum domos.

nisi malis hoc epithetum referre ad rationẽ vocis Græcæ mox infrà explicandæ.

Scortum.] Propria huius vocis notio est Grammaticis, vt crassius corium significetur, idque durius: ex quo tuso soleæ calceorum fiunt, Gall. *semelle de souliers*, quæ nomine soli intelligendæ sunt hoc Epigr. l.9. Martial.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusq; solum.

Inde nominatur quisquis suo corpore quæstum facit, siue πόρνος παῖς, ἢ πόρνη, *meritorius puer & cinædus, siue mulier prostituens & vendens suum corpus.* nam τὸ περνᾶν καὶ πιπρᾶν sonat Eustathio τὸ πωλεῖν πέραν καὶ μακρὰν τὰ οἰκίας, *vltra & procul è patria exportare aliquid venum:* sed ad scortum propius accedit vox Græca χαμαιτύπη ἀπὸ τοῦ χαμαὶ κειμένου τύπτεσθαι, ὁπότε αὐτὴ ὀχεῖται: de quo lege Donatum in vers.34. Act.3. Sc.1. Eunuch. *fortè habui scortum:* vnde discès aliud etymum: sed ad Græcum πόρνη spectat etiam illud Donati in Phor. Act. 2. Sc. 2. apud veteres peregrinas mulieres in meretricum numero habitas fuisse: vnde ab Hebræis extranearum nomine notantur, vt est videre cap.5. Prouerb. vers.3. vbi labia extraneæ dicuntur stillare fauum & palatum mollius oleo.

Eliciet.] Id est, blanditiis educet è lupanari suo huc. Sic Cic. dicit 2. de nat. Deor. è terræ *cauernis aliquid elicere*, i. effodere & eruere. Ode 12.l.4.

Nardi paruus onyx eliciet cadum, i. è cella proferet, vt *elicere manes* Sat.8.l.1.

Lacænæ.] Lacones sunt incolæ Laconicæ, quæ regio est Peloponnesi; & huius caput fuit Lacedæmon regia Menelai, vnde fuerat abducta Helena quæ Lacæna ob id dicitur, sed σωφρονοῦσαι quælibet puella Spartana hîc intelligitur.

Incomtum.] Quidam malunt disiunctim legere: religata in nodum comtum more Lacænæ. Verùm cum hac explicatione cultus Lacedæmoniarum puellarum pugnat, vt dictum est. Alij legunt *incomtam comam*, & in *maturet* τὸ venire supplent. Equidem malo hanc syntaxin verborum: *vt Lyde religata comam more Lacænæ maturet nodum incomtum*, id est, properè illum faciat, vt *maturare*

fugam. Sic vrgebitur puer Ode 14. l. 3.

Dic & arguta properet Neæra
Myrrheum nodo cohibere crinem.

Sententia igitur est: *O puer, age, dic Lydæ, vt neglecto cultu confestim colligat crines suos, & veniat cum lyra.*

Religata comam.] Similis est syntaxis superiori, *Odorati capillos.* Mulieribus autem Lacænis in more positum erat, vt comâ in nodum collectâ iuxta radices capillorum, atque iisdem passis imis negligenter capillis incederent. Ratio præterea vocis, *comam*, petenda est à Græco: κομᾶν γὰρ σημαίνει τὸ θεραπεύειν καὶ τρέφειν ex Artemidoro, *curare & nutrire*: vnde γηροκομεῖν, *curam senectutis gerere*: quod sanè etymum præferendum est τῆς παρὰ τὸ κείρειν, *à tondendo*, quanquam ex hoc *cirri* videantur Isidoro declinari. Sed pro *religare comam* Virg. dicit *vincire*, Claudianus *renodare*, Græci ἀναδεῖν καὶ διακεῖνειν. Meminit quoque Ouid. Eleg. 5. l. 1. de Trist. cuiusdam Lydes:

Nec tantùm Clario Lyde est dilecta Poetæ:
Nec tantùm Goo Battis amata suo.
Pectoribus quantùm tu nostris vxor inhæres.

Explicatio Rhetorica.

METrum Odes similiter, æqualiterque respondet illi Odes 9. l. 1.

[a] E geminata synecdoche vocum *Cantaber & Scythes* videtur mihi allegoria constituenda pro quibuslibet hostibus populi Romani longè ab Italia remotis, ideoque non esse anxiè percunctandum, quid illi moliantur, aut machinentur in Romanos, mari præsertim Adriano inter hos & illos interposito, sicut Tyrrheno inter Hispanos & Romanos interiecto.

[b] Videtur sumtum ab hominibus ad colorem & vigorem plantarum indicandum, qui sunt instabiles ac mutabiles, nec idem decus semper in illis manet. Similis tropus erit Epodis 11.

Hic tertius december,
Syluis honorem decutit.

[c] Vide num per metaphoram hîc sumi debeat *vultus* ab animatis ad alia. Vultus enim est animi imago & index mentis & voluntatis, quibus propriè non sunt prædita corpora cælestia, etiamsi Philosophi & Poetæ tribuant animum stellis. Eodem genere tropi videtur sumi ab Ouidio lib. 1. Metam.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe.

pro quo dicitur facies, vt arboris & loci, montis figura & similitudo.

[d] Duplex metonymia est materiæ pro succo & aqua rosacea & vnguento nardino inde expresso & facto.

[e] *Euius* habet eundem tropum, sed efficientis, i. inuentoris pro vino inuento; quod pellit curas edaces, vt Græci dicunt etiam translatè, vt Latini, à rebus corporeis ad animi affectus σκεδάζει γηροκόμους μελεδῶνας, *dissipat curas membra depascentes.*

[f] Metaph. est à crassa & dura pelle animalis, quæ vt sequax sit & flexibilis, subigitur & teritur: sic meretrix tradit se permolendam, vt loquitur Sat. 2. l. 1. & conterendam, vt Plautus.

[g] Synecdoche speciei pro Lacænarum puellarum.

ODE XII. AD MÆCENATEM.

Theticum.

Quòd res graues solutâ, & leues strictâ oratione à Poeta scribendæ sint.

[a] *Olis longa feræ bella Numantiæ,*
[b] *Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare*
Pœno purpureum sanguine mollibus
[c] *Aptari citharæ modis:*
Nec sæuos Lapithas, & nimium mero
Hylæum, domitosq; Herculeâ manu
Telluris iuuenes, vnde periculum
Fulgens contremuit [d] *domus*
Saturni veteris: [2] *tuq; pedestribus*
Dices historiis prælia Cæsaris
Mæcenas meliùs, [f] *ductaq; per vias*
Regum colla minantium.
[3] *Me dulces dominæ Musa Liciniæ*
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare ioco, nec dare brachia
Ludentem teneris virginibus, sacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ [g] *Mygdonias opes,*
Permutare velis crine Liciniæ?
Plenas aut Arabum domos?
Dum [h] *fragrantia detorquet ad oscula*
Ceruicem: aut facili sæuitie negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi:
Interdum rapere occupet.

Analysis Dialectica.

HOc quidem principium videtur responsio Poetę ad voluntatem & cohortationem Męcenatis, de rebus Augusti carmine scribendis: de quo ita se purgat apud eum, vt præfixum Theticum disputetur principe ratione diuersæ dissensionis: quòd res bello gestæ nō conueniant humili stylo, qui cernitur in versibus Lyricis Poetæ: sed historicâ & liberâ oratione à Mæcenate, ac potiùs ab alio sint conscribendæ. Locus tamen Virgil. 2. Georg. ad v.

Tuq; ades, inceptumq; vnà decurre laborem. &c.

videtur intelligendus de Mæcenate gesta Augusti Cęs. descripturo pedestri oratione, vt Seru. interpretatur. Huius autem dissensionis prior pars constat quintuplici distributione è subiectis, id est, è materia ad scribendum apta: belli primùm contra Celtiberos Numantinos: deinde contra Annibalem: prętereà contra Pœnos nauali prælio victos: posteà inter Lapithas & Hylęum: postremò inter Centauros & Herculem; quod postremum ex efficiente explicatur.

2 Mæcenas facultate liberæ orationis & præsidiis septus

ceptus meliùs poterit facta virorum fortium, vt Cæsaris, memoriæ posteritatis prodere, quàm Horatius: qui locus est à minoribus.

3 Iam primis partibus bellicæ scriptionis Mæcenati concessis. Poeta sibi assumit secundas, quæ solùm versantur in munere scribendi strictiùs de iudicris & amatorijs: quod ne Mæcenas Poetam sibi delegisse per se putaret, admonet ex efficiente, id ita Musæ Lyricæ placuisse. Ratio autem Musæ sic volentis sumitur è laudatione materiæ, quę fit primùm ex adiuncta pulcritudine Liciniæ per partes ipsius tributa, & peritia numerosæ saltationis, & multis decentibus factis sic à Poeta existimatis: deinde à minori ad maius, vt vulgò dicitur, quòd sola Liciniæ coma præstet opibus regum ditissimorum. Hæc summa est artificij logici, quòd hîc potui obseruare.

Enarratio Grammatica.

Nolis.] Ne requiras à me officium facta Cæsaris resq; gestas describendi Lyricis versibus.

Longa.] Memoratur hæc bellorum diuturnitas à multis Historicis; Orosio lib.5. cap.6. Eutropio lib.4. cap.3. Augustino lib.3. de ciuitate Dei.

Numantiæ.] Numantia fuit celeberrima Hispaniæ ciuitas Celtiberæ, quæ Strabone lib.3. sub fin. & Floro lib.2. cap.18. auctoribus obsidionem Romanorum annos 20. fortissimè & constantissimè sustinuit sine mœnibus, tãtùm sita in tumulo modicè edito, & à quatuor Celtiberorum millibus solùm defensa: illa tandem capta est ab Æmiliano Scipione, qui propterea Scipio Numantinus cognominatus est. Liuius quoque lib.30. scribit Annibalem contra Romanos annos 16. pugnasse in Italia, & bellum confectum anno 18. ex Polybio lib.1. cui hoc epithetum *dirum* ex historia aptè conuenit, quòd illius corpus nullis laboribus frangebatur, animus inuictus erat: primus prælium inibat: vltimus bello confecto excedebat: hinc videtur *durum* legendum & explicandum, laboris militaris patientem.

Siculum mare.] Liuius narrat lib. 17. Cneum Duillium primum Romanorum egisse triumphum naualis victoriæ, quam reportârat Consul in Sicilia Luctatio duce, & Pœnis nauali pugnâ superatis: huius victoriæ meminit Cic. in Catone maiore.

Pœno.] Ode 6. li. 3. pro hoc vtetur inde flexo, *Infecit æquor sanguine Punico.*

Aptari.] Ita loquetur Epist. 3. lib. 1.

fidibúsne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa?

Est autem τὸ *aptare* Seruio quidvis aptè, congruèq; locare in li. Æneid. 2. ad vers. initiò. *Bellipotens aptat rorantes.*

Lapithas.] De Lapithis & Centauris vide Oden 18. lib. 1. & 12. Metamorph. quorum posteriorum Hylæus erat vnus, & auctor pugnæ cum Lapithis commissæ: Ouidius tamen loco modò citato facit Eurytum talis tumultus concitatorem, seditionisque stimulatorem, de quo Hylæo Virgil. legatur 8. Æneid. & hymnus de Hercule & Diodorus lib.5. postremò Ælianus li.13.c.1. de Atalanta.

Nimium mero.] Hic Hylæus dicitur nimius mero, quòd intemperanter bibisset & ebrius esset, ideoq; præ ebrietate turpiter se ac libidinosè gereret. Liuius tamen alteram tribuit syntaxin huic epitheto, quum dixit: *Manlius nimius animi ac imperij spernit alios principes*, id est, superbus & imperiosus. Sic Tacitus: *nimius sermonis*, id est, loquax & verbosus.

Telluris iuuenes.] Ἄκυρον est, pro natis & filijs. Eos autem intelligi oportet, quos Latini è Græco vocant Gigantas, terrigenas, Græci γηγενεῖς, *terræ filios*, propter ingentem corporis molem, quos Callimachus hymno εἰς Δία πολύονας, ὥς φησι τὸ ὂν πολὺ γενέσθαι, *quòd è luto facti sint*, appellat, & Iouem eorum expulsorem ἐλατῆρα, τοῦτ' ὄχθων ἐξωθητῆρα, non Herculem, vt hîc facit Horatius.

Vnde periculum.] Cor. Frontoni & Nonio discrimen salutis, quod contra rem quamlibet timetur, periculum dicitur; quod contra necem, pernicies. Vis illius spectatur è primigenio *perire*: quod teste Nonio de re leuiori dici solet, habetq; inuentionis spem, & non omnium rerũ finem, vt ostenditur hoc vers. è Capt. Plaut.

Qui per virtutem perbitat, non pol interit.

Id est, perit. Vox autem Græca κίνδυνος & Latinę respondens inclinatur ὥς φησι τὸ τὰς ὀδύνας κινεῖν, i. *à doloribus concitandis.* Est præterea τὸ periculum interdum rei alicuius experimentum, quòd rarò fit sine aliquo incommodo. Gigantum igitur graui metu Olympus, id est, cælum perculsum & concitatum fuit: quia illud rescindere Deosq; omnes inde conati sunt deturbare.

Domus Saturni.] Nomine Olympi intelligitur cælum stellatum & astriferum, de quo Virg. initio lib.10.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

& hîc Saturnus vetus dicitur, vt Æneid. 7.

Saturnusq; senex, Ianiq; bifrontis imago.

Ideo autem à Poetis Saturnus insignitur cognomine vetustatis, vel quia regnauit primâ ætate ante Iouem, vel quia creditur senibus præesse.

Historijs.] Quas Græci vocant περὶ ἱστορίας, de quibus rectè conscribendis lege libellum Luciani de arte talis inscriptionis. Dicuntur autem pedestres: quòd liberâ & solutâ oratione conscribi soleant, ita tamen vt initia & clausulæ sententiarum numeros habeãt suos, id est, pedes literis soni partim tenuis, partim plenioris, itidem syllabis breuibus ac longis temperatos, beneque sonantes. Vox autem *historia* inclinamento fit ab ἴστωρ, quod interpres Homeri vers. Iliad. σ. sub finem & post descriptionem Clypei Achillei in contentione duorum hominum coram populo de ratione multandi homicidæ:

Ἄμφω δ' ἱέσθην δὴν ἴστορι πεῖραρ ἰδέσθαι

Ambo autem cupiebant apud iudicem finem litis capere: explanat δὴν μάρτυρι, ἢ κριτῇ· id est, *apud testem aut iudicem*: quia Historicus nihil, nisi cognitũ & perspectum, non secus atq; iudex statuere, debet commemorare. Eadem de re iterum audies Ode 7. lib. 3.

Ductaq;.] Victoribus olim mos fuit captiuos reges catenisque ligatos ducere ante currum triumphalem per vicos.

Minantium.] Pro hoc alij legunt *Minacium*, sensu tamen eodem.

Liciniæ.] Quidam malunt legere *Licymniæ* propter carmen & vsum. Fuit autem Licymnia quibusdam Terentia Mæcenatis vxor. Alijs tamẽ id minimè probatur: quòd illius descriptio ab honesta Matrona planè discreper, quæ contra decorum prædicaretur domina patroni sui. Ideoque hoc referunt patrocinium ad Horatiũ, qui sub tutela Mæcenatis, & huius Licymniæ viueret. Alij prętereà censent hanc fuisse mulierem impudicam & nostri Poetæ amasiam & dominam, sic à suauitate cantus dictam, allusione quadam ad Luscinam: quales nostris moribus corruptis dicuntur amasiæ. Imitatione huius Æneid. 6.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Est autem, fuitque semper amatorum solenne, amicas suas appellare reginas, Augustas, dominas.

Lucidum fulgentes.] Pro lucidè clareque splendentes quale fuit eritq; *dulce ridentem κατὰ τὸν ἀπημέλητον τρόπον τῆς Ποιητικῆς πεφυλαγμένως*, vt Ode 22. lib. 1.

Dedecuit.] Le. plurimum laudis tulit è peritia saltan-

dii in numerum: quod quidam hîc dictum putant κατὰ τὸ μείωσιν. Ego autem malo κατὰ τὸ ἀπρέπειαν, non decuit, pro, honestè illam decuit in choreis mouisse pedem numerosè.

Sacro die.] Natalis Dianæ celebratur à puellis, vt Apollinis à iuuenibus, vbi miscebantur alij cuiuslibet ætatis homines. Agebatur quoque dies festus vtrique Deo centesimo decimo quoque anno, vt Ode 21. lib. 1. dictum fuit.

Celebris Dianæ.] Quæ Græcè πολυθρύλλητος, πολύφατος, πολύμνητος dicitur, *multorum sermonibus celebranda.*

Achamenes.] Hic quibusdam fuit rex Persarum è li. 4. Herodoti, alijs Parthorum.

Pinguis Phrygiæ.] Ex hoc pingui solo Phrygiæ regionis mollities Phrygum videtur cõtracta: vnde passim audiunt semiuiri, Virg. Æneid. 4. vers. 215. de Ænea:

Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu.

Idem lib. 21. ad vers.

Semiuiri Phrygis & fœdare.

Eam ob rem Sylla postulatum suorum militum, qui ab eo petiissent sibi potestatem fieri ex asperis, macrisque locis migrandi in plana & pinguia, quanquam æquum postularent, denegauit, prospiciens animos hominum amœnitate locorum relanguescere. Hunc autem nostri Poetæ locum Seruius citat ad confirmationem eius, quòd Virgilius dicit initio 2. Æneid.

Troianas vt opes eruerint Danai, &c.

Quæ profectò ingentes erãt. Opum autem nomine intellige totum id, quo potentissimus quisque dicitur valere, & ita opes plus sunt, quàm diuitiæ, sicut alibi monuimus.

Mygdonias.] Hæc regio Plin. lib. 5. ca. 33. est finitima Phrygiæ: sed C. Iul. Solin. ca. 15. *Qui Edony quondam populi, quæq; Mygdonia erat terra, aut Pterium solum, vel Aemathium, nunc omne vniformi vocabulo, Macedonica res est, &c.* Dicta autẽ est à Mygdone rege, cuius fit mentio Iliad. γ. vers. 184. Λαὸς Ὀτρηῦς καὶ Μυγδόνος ἀντιθέοιο, i. ego Priamus vidi in Phrygia *copias* regum *Otrei & Mygdonis diuini*, ac illis annumeratus sum rex, ferens auxilium aduersus Amazonas. Vide in hunc locum Homeri notas Eustathij & in Periegesin de tribus Phrygijs.

Permutare opes crine.] Hoc Græcè dixeris, διαμείβεσθαι πλοῦτον θριξὶ, ἢ πλοκάμῳ τῆς Λιχυμνίας.

Plenas.] Absolutè dicitur pro opulentas. Ita loquetur Ode 12. lib. 4.

Plena dies vt in domo.

Detorquet ceruicem.] Id est, molliret reflectit & inuertit: pro quo Catullus dicit ad Verranium:

applicansq; collum
Iucundum os oscula q; suauiabor,
Tanquam animi fenestras.

Oscula.] Hanc alibi vocem declaraui notatione suâ: Donatus autem in Eunuch. Act. 3. Scen. 2. ad vers. *Meum suauium, quid agitur?* tria facit osculorũ genera, vt oscula sint officiorum, basia pudicorum affectuum, suauia libidinum & amorum, vt iam dictum fuit.

Facili sæuitie.] Id est, fictâ & simulatâ crudelitate: quæ creditur elegans ἀπόθεσις pro sæuitia coniuncta cum facilitate.

Poscente.] In *poscente* explenda est ellipsis τῷ *a*, à poscente.

Occupet.] Anteuertat & prior oscula figat: quomodo Theocritus loquitur εἰδυλ. 18. ὃ κἀντεῖ τὸ φίλαμα, id est, *non figit osculum*, vbi ex vi verbi datur signum libidinis, contrà in *libare oscula*, salutationis solùm, ac si pro priori dixisset suauium, ex superiori distinctione. Hoc quidem occupandi verbo vtetur Satyr. 9. lib. 1. *nunquid vis? occupo*, pro illum interrogatione præuenio.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile sextæ lib. 1. vt argumentum.

[a] Προκατάληψις est quædam voluntatis, quam affingit Poeta Mæcenati de desiderio conscribendi res ab Augusto multis bellis gestas, vt se cautiùs insinuet in sermonem de forma Licymniæ: quod Mæcenati pergratum fore sciebat.

[b] Epanaphora est in *nec* ter repetito.

[c] Sumtum ab ædificantibus, qui lapides lapidibus imponunt & annectunt aptè ac decenter, pro, ne cupias à me res tragicas describi facilib. odis.

[d] Synecdoche generis, pro cælo, ac præterea metonymia subiecti pro Dijs superis, qui metuerunt periculum sibi fore à Gigantibus.

[e] Metaphora videtur à viatoribus, qui liberè viam regiam terunt nullis intercluſam impedimentis. Non tamen τὰ πίζα omnino prorsus opponuntur τοῖς μέγεσι.

[f] Periphrasis est synecdochica victoriarũ & triumphorum Augusti Cæsaris.

[g] Synecdoche est speciei pro ingentibus ac magnificis opibus: qualis in *domos Arabum plenas*, quæ simili tropo dictæ sunt Ode 29. lib. 1. *Beatæ Arabum gazæ*: atque dicentur Ode 24. lib. 3. *Intacti Arabum thesauri.* Item Epist. 7. lib. 1. *nec.*

Otia diuitijs Arabum liberrima muto.

[h] Metaphora est commendatior ab odoribus mellitis, quàm ab igne, si legeres *flagrantia.* Propriè autem vsurpauit τὸ *fragrare* Virg. 1. Æneid. vers. 440.

Redolentq; thymo fragrantia mella.

Ode XIII. in Arborem.

Theticum.

Detestatur, tanquam infaustum auspicium, consitionem huius arboris: quæ in agello ipsius consita repentino casu penè ipsum oppressérat incautum.

Ille & nefasto te[b] posuit die:
Quicunq; primùm & sacrilegâ manu
Produxit arbos,[2] in nepotum
Perniciem, opprobriumq; [c] pagi.
[3] Illum & parentis crediderim sui
Fregisse ceruicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis: ille venena [d] Colchi-
ca: Et quicquid vnquam concipitur nefas,
Tractauit: agro qui statuit meo
Te [e] tristle lignum, te caducum
In [f] domini caput immerentis.
[4g] Quid quisq; vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas: [5] nauita Bosporum
[h] Pœnus perhorrescit: neq; vltrà
Cæca timet aliunde fata:

Miles

Miles sagittas & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus & Italum
Robur: [6] *sed improuisa Lethi*
Vis rapuit; rapietq; gentes.
[i] *Quàm penè furuæ* [k] *regna Proserpinæ.*
Et iudicantem vidimus Aeacum,
[l] *Sedesq; distinctas piorum, &*
Aeolis fidibus querentem
7 Sappho puellis de popularibus:
[s] *Et te sonantem plenius aureo*
[m] *Alcæe plectro, dura nauis,*
[n] *Dura fugæ mala, dura belli:*
Vtrumq; sacro digna [o] *silentio*
Mirantur vmbræ dicere: [9] *sed magis*
Pugnas & exactos Tyrannos
[p] *Densum humeris* [q] *bibit aure vulgus.*
[10] *Quid mirum? vbi illis carminibus stupens*
Demittit atras bellua [r] *centiceps*
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
[10] *Quin & Prometheus & Pelopis* [s] *parens*
Dulci laborum decipitur sono:
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

Analysis Dialectica.

MAgna sæpè ingenia se oblectarunt leuibus argumentis, vt Homerus batrachomyomachiâ: Virgilius suo culice, alijsque non multò grauioribus: Ouidius suâ nuce: à quibus non abludit hoc carmen Horatij de fatali arbore: vt Epo. 3. de allio, in quam hęc Ode, velut formula quędam iniuriarũ, videtur intenta. Eâ re quidam existimant eandem versari partim in iudicio, partim in demonstratione, quum initiò accusetur arbor: deinde Alcæus & Sappho laudentur: sed triplex videtur hoc Thericum quibusdam, quòd hîc de tribus agatur; casu arboris, malis hominum insperatis, laudatione duorum Lyricorum: sed rem penitiùs intuenti simplex apparebit: ex quo duo reliqua, tanquam è viuaci trunco frugiferi rami diffunduntur.

Casus autem huius arboris (cuius inopinatâ ruinâ sic animo perculsus Poeta fuit, vt iam ipse apud inferos videretur esse) è caussa procreante disputatur: quòd ipsius consitor sceleratus & impius fuerit: qui die nefasto & interdicto tali arbore suum agrum consecuerit: vbi vel parentem vel hospitem, vel alium quempiam sustulisset ense aut veneno. Ita certè Poeta ingenij ostentandi gratiâ ex ignota & fortuita caussa certam ac definitam fecit. Ex eodem genere caussæ Dido 4. Æneid. probris insectatur Æneam: quòd negatis procreantibus caussis Venere & Anchise, tãquam falsis, veras subijciat & affirmet, Caucasum pro patre, duras cotes pro matre, tigrim pro nutrice, sic:

Non tibi Diua parens generis, nec Dardanus auctor
Perfide, sed durus genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanaq; admorunt vbera tigres.

Sic Myrmidones Achillem irâ nutritum accusabant Iliad. π.

Σχέθλιε Πήλεϊ ἦε χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ. &c.

Dure Pelei fili, ira te nutriuit mater, non Thetis, non Peleus eques: sed iratum mare, sed scopuli naufragi: quia tibi est mens inhumana.

2 Superior caussa ex fine declaratur, quasi consitor ille perdendæ posteritatis, & pagi dedecore infamiaq; operiendi consilium habuisset.

3 Eadem illustratur factis consitoris impijs, parricidio, xenoctoniâ & veneficio, alijsque sceleribus vindicatis semper pœnis exquisitis grauibusque supplicijs.

4 Illâ caussâ superiùs definitâ & circumscriptâ ad fortuitam relabitur, quum ex illa ruina sententiam efficiat communem; *hominem non satis prospicere casus sibi futuros*: quod è loco diuersorum tractatur: *Homo non potest vitare vim improuisam & insperatam mortis: sed timidè tantùm pericula quædam vitæ declinare.*

5 Prior pars diuersorum amplificatur triplici distributione hominis ex adiunctis, in nautam militem, & Parthum, qui non aliunde sibi metuunt: ille nisi ab æstuoso mari, hic celeribus sagittis, tertius à grauibus catenis Romanorum: à cæteris autem tutos se putant omnes esse.

6 In illa securitate docet homines sæpè incautos opprimi morte: cuius exemplum in se statuit, quod dilatatur è subiectis, euentisq; huiusmodi ruinæ: *Isto casu, inquit, ego tam parùm abfui à morte, vt iam apud inferos esse, illicq; viderer manes videre.*

7 Hæc Sappho describitur ex suis querelis de puellis suæ ciuitatis Lesbiæ, quòd non sibi responderent in amore.

8 Hic quoque vates Alcæus declaratur ex his tribus, quæ apud inferos visus est ipsi facere. Primùm canebat mala nauigationis, deinde exsulij, postremò belli.

9 Cantus vatis vtriusq; explicatur à maiori ad minus, quòd vulgus libentiùs audiat pugnas & Tyrannorum expulsiones, quàm res ludicras & amatorias.

10 Idem augetur eodem genere argumenti; *Non est mirum, si cantu Alcæi vmbræ delectentur, quum Cerberus eo demulceatur: quum Furiæ & damnati eodem capiantur: cura deniq; venandi leones cessatum ducatur ab Orione:* diximus tamen Ode 1. li. 1. τὸν κυνηγέσιον τῶν τερπνῶν ὑπερήδιστον εἶναι· *ex delectabilibus venationem esse maximè delectabilem.*

Enarratio Grammatica.

NEfasto.] Dies nefastus similis est notationis, atq; ἀποφρὰς ἡμέρας: nam Eustathio dicitur quasi μὴ δι' ἅ τις ἔσται φράζεσθαι, *quæ non possit dici*, vt nefastus à non fando: sed aperriùs describitur à Luciano in libello περὶ τῆς ἀποφράδος, ὅταν μήτε ἀλφὶ χαὶ χρηματίζωσι, μήτε εἰσαγώγιμοι αἱ δίκαι ὦσι, μήτε τὰ ἱερὰ ἱερεύηται, μήθ' ὅλως τὶ τῶν αἰσίων τελῆται. *quum neq; magistratus ius dicunt: neq; caussæ & lites intenduntur: neq; sacra celebrantur: nec denique quicquam publicorum munerum perficitur.* Ideoq; Attici talem diem solebant appellare πὸν μίαεφον, ἀπάκτιὸν, ἀπύσιον, ἄπρακτον· *funestam, infaustam, inauspicatam & ad opus infelicem.* De differentia dierum lege Plutarchum in vita Camilli, vbi ista distinctio ab Hesiodo inducta reprehenditur, quòd vna & eadem sit omnium dierum natura, contra vanam Hesiodi atq; veterum superstitionem.

Posuit, produxit.] Horum verborum prius est consitionis. Sic Virgil. Georg. 2.

Arboribus positis sectò via limite quadret.

sic quoque Eclog. 1.

Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Propertius 3.

Ipse seram vites, pangamq; ex ordine colles.

Posterius culturæ: quod apertè cognoscitur è lib. 2. c. 11. Senecæ de beneficijs: *Perdet agricola, quod sparsit, si labores suos destituet in semine. Multa rura producuntur fata ad*

egetem, nihil in fructum peruenit, quòd non à primo vsq; ad extremum æqualis cultura prosequitur.

Sacrilegâ.] Hæc vox à sacris sublegendis & furto surripiendis deflectitur. Manus ergo impia intelligitur ex sceleratis factis.

In perniciem.] Εἰς τὸν τῶν ἐπορόνων φθόρου.

Pagi.] Pagus est Festo villa rustica ἀπὸ τῆς πήγης, & hæc ἀφ' ὃ τὸ πηδᾶν, *à saliendo*, vt fons à fundendo, vel fodiendo, vel feruendo: quia ferè veteres videmus sua domicilia construxisse ad scatebras aquarum.

Fregisse ceruicem.] Non est nouè dictum: familiare enim est Ciceroni frangere ceruicem, guttur, coxam, brachium & similia: quorum primum Græcè dixeris τραχηλίζειν, ἢ τραχηλοπεῖν ἢ τράχηλον ἀποτέμνειν: secundum autem non tam propriè dicitur, quàm iugulare, aut iugulum confodere, aut mucrone resoluere & petere, vt Græcè λαιμὸν τέμνειν καὶ λαιμοτομεῖν. De ceruice fuit Ode 13. lib. 1.

Penetralia.] Penetrale substant. valet τὸ ἐνδόμυχον; interiorem & abditum domus recessum: sed adiectiuum dicitur, quod penetrat, vt telum, & penetrabile quod penetratur, vt corpus: ait Seruius.

Sparsisse.] Valet hoc cruentasse partem domus interiorem & sanguine hospitum contaminasse & infecisse.

Colchica.] Est hypermeter. Syllaba enim *ca* in versum sequentẽ remittenda, quæ in *&* absorbetur. Quòd si legeris *Colcha*, nihil opus erit reiectione, vel sorbitione. Celebrabantur autem olim talia venena: de quibus Ptolomæus lib. 5. Virgil. Eclogâ 8.

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.

Pontus est regio Asiæ, nunc Anatolia Turcorum, cui olim Mithrydates præfuit, de quo Martialis lib. 5.

Perfecit poto Mithrydates sepè veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Plinius quoq; lib. 27. ca. 72. scribit præter alias venenatas plantas esse apud Heracleam Ponti aconitum, herbam præsentissimi veneni. Hic locus Plinij habet Eustathium in Περιήγησιν Dionysij secũ mirè consentientem: Περὶ δὲ τὴν τῶν Μαριανδυνῶν γῆν βοτάνη φύεται σκληπιάδης τὸ ἀκόνιτον. περὶ ἧς ὁ μῦθός φησιν, ὅτι ὁ Κέρβερος χαλκόφρων καὶ ἄδην κύων ἀνελκόμενος ἐξ ἄδου τοῦ μεγαλόφρονος Ἡρακλέους, καὶ λυπήσας δεινὸν ὀκεῖ ἀπὸ στόματος ἔβαλε σαλώδη χυμὸν ἢ χυλὸν, ὃν δεξαμένη ἡ γῆ αὐτοθι πῆμα ἐφύτευσε, τὸ ἀκόνιτον. ὄνομα δὲ φαρμάκου τότε ὃ ἐκ θεοῦ κονισαμένου καὶ ὄλον παλαίσαντος τοῦτο γὰρ καὶ ἀκόνιτον λέγεται ἀπὸ τοῦ πάλαιστον. id est, *Circa terram Mariandynorum (in Ponto) nascitur aconitum herba venenata: de qua hic differtur rumor: quòd Cerberus inferorum canis prænalidi latratus extractus inde ab Hercule prudentissimo, & rabie vehementi correptus, dirum ex ore profudit saliuæ succum, qui in gremium terræ receptus, exitium prótulit nomine aconitum venenatum, contra quod nõ est pugnandum ac veluti luctandum: ob id enim dicitur ineluctabile.* Alij tamen quòd ἐν τοῖς ἀκόναις nascatur, sic volunt nominatum: quibus assentitur Ouid. lib. 7. Metam.

Quæ, quia nascuntur durâ viuacia cote,
Agrestes aconita vocant.

Sic Dioscorides lib. 4. & 6. & sic quoq; Theophrastus histor. plantarum lib. 9. cap. 16. Nicander in Alexiphar. vocat ἀκόνιτον παρδαλιαγχὲς ex eo, *quòd pantheras strangulet:* De aconito lege plura lib. 3. cap. 4. Hieron. Mercurialis variarum lectionum.

Concipitur nefas.] Sic loquitur Ouid. 10. Metamorph. *Mente concipere nefas.* & Cicero pro C. Rabirio: *Magnum scelus concipere.* Gallicè *Faire & dresser vne grande & meschante entreprinse.*

Statuit.] I.e. panxit, &, vt modò, posuit & plantauit.

Caducum.] Id est, delapsurum in caput meum.

Bosporum.] Bosporus est fretum Thracium & mare angustum, vbi est Byzantium, id est, Constantinopolis, dictum ἀφ' οὗ τὸν βοῦν Ἰὼ διαπορθμεύσαι: *quòd Io in vaccam mutata illud traiecit:* vnde apparet non esse scribendum per aspirationem.

Cæca.] Id est, obscura & ignota hominib. Hîc *timet* posteriorem habet syllabam longam per cæsuram.

Celerem fugam.] Sic Ode 7. huius locutus est, *celerem fugam sequi.* Parthi fugientes grauiùs pugnant. Vnde Virgilius.

—— *missam Parthi post terga sagittam.*

Hoc tribuit Plato Scythis in Lachete & confirmat testimonio Homeri Iliad. ε.

Improuisa vis.] Βίαι ἀπροσδόκητοι.

Lethi.] Sic scriptum ἀπὸ τῆς λήθης, ab oliuione: sed sine spiritu à leo, quòd deleat mors omnia.

Furuæ.] Id est nigræ. Ab hac voce Seruius deflectit furnus, fumus, fuligo, & furtum & fur, sed ὡς ἐπανορθωτὴς subijcit aut certè à Græco φῶρ citans hunc locum in 3. Georg. ad vers. *Nocturnum.*

Proserpinæ.] De Proserpina lege Od. 28. lib. 1.

Aeacus.] Æacus auus Achillis & Iouis filius ius dicit cum Adamantho apud inferos, tenens virgam, cuius mater fuit Ægina, quæ nomen indidit suum insulæ inter Cycladas nobilissimæ, de qua lege lib. 7. Metam. Stephanum, Strabonem & Plinium.

Distinctas.] Distinctionem sedium apud inferos vide lib. 6. Æneid. & in Homeri νεκυίᾳ. id est, postremo li. Odyss. vbi Mercurius videtur deducere animas procorum occisorum in Orcum, & sedes piorum distinguere à sedibus impiorum.

Aeolis.] Id est, Lesbijs. Æolia enim est latissima regio & vicina Troiæ ex 15. lib. Strabonis.

Sappho.] De hac puella est Epigram. lib. 1. cap. ξζ.

Ἑλικὼν ἔθρεψέ
Λεσβιάδων Σαπφὼ κόσμον ἐϋπλοκάμων, id est,

Mons Helicon aluit Sapphonem decus puellarum Lesbiarum.

Item:

Μνημοσύναν ἔλεγε θάμβος, ὅτ' ἔκλυε τὰς μελιφώνους
Σαπφοῦς γυῖα δεκάτην Μοῖσαν ἔχουσι βροτοί.

Matrem Musarum cepit admiratio, quum Sapphonem audiuit melliſonam: nunc homines decimam habent Musam. Hanc ferunt vixisse sub annum 4587. æqualem Alcæi & Stesichori Sappho accusatiuus est per quartam inflexionem Græcorum.

De popularibus.] *Populares* interdum de conditione & gente dicitur, vt hîc Sappho & Lesbiades erant inter se populares: eiusdem conditionis, quia puellæ: eiusdem gentis, quia Lesbiæ. Interdum de amore, quomodo Cicer. 4. Catil. definit animum verè popularem, qui saluti populi consulit, quem Græci φιλόδημον, Latini publicolam, quasi poplicolam vocant. Interdũ de conspiratione & consensu quorundam hominum, vt Sallust. in Catilin. *declaratio Coss. M. Tullij & C. Antonij populares coniurationis conciuerat. Item populares sceleris*, id est, conscios. De Sapphone & Alcæo etiam dictum fuit Ode 1. lib. 1. dicam tamen hîc nomine fugæ intelligendum esse exsulium: in quod Pittacus Tyrannus illum proiecit: sed Herodotus scribit li. 5. Alcæum armis abiectis se prælio subduxisse, & fugisse quod refutat Plutarch. lib. de malignitate Herodoti. De plectro Ode 1. lib. huius, & de Eumenidibus Ode 28. lib. 1.

Et te.] Repete *vidimus* sonantem dura mala, id est, grauia pericula nauis, fugæ & belli.

Vtrumq;.] Sapphonem & Alcæum.

Sacro digna.] Rectiùs hîc sentit Henricus Stephanus, quàm interpretes reliqui, dum sacrum silentium

exponit sacrariu m, & confirmat Virgilij testimonio Æneid. 2.

Vimq; Deûm infernam & diri sacraria Ditis.

Analysis autem syntaxeως est: *Vmbræ mirãtur Sapphonem & Alcæum dicere digna sacro silentio*, quæ passim à Poeta dicuntur loca silentia & regna: deinde tropum prudenter agnoscit.

Densum humeris.] Stipatum, & diuturna gestatione armorum corroboratũ, vel etiam frequens & cõfertum.

Demittit aures.] Pro hoc verbo Lactantius de ira Dei cap. 7. vtitur altero in re simili pronuncianda: *Risus quoque est hominis proprius: & tamen videmus in aliis animalibus quædam signa lætitiæ, quum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciuiam resoluunt.* Hîc demulcent aures valet demittunt, id est, gaudent lusu, vt hîc Cerberus cantu. Sat. autem 9. lib. 1. *demitto auriculas* significat animi infractionem & demissionem spe alicuius rei deturbati.

Atras aures.] Id est, deformes & horridas.

Intorti angues] Seruius in vers. Æneid.

—— immensis orbibus angues

Incumbunt pelago, &c. è subiectis locis distinguit anguem, serpentem & draconem; vt primus sit aquarum, alter terrarum, tertius templorum, vt hoc, inquit, loco apparet, sed non obseruatur semper.

Eumenidum.] De Eumenidibus Ode 28. li. 1. dictum fuit: de quibus lege etiam 4. Metamorph. & Senecam in tragœdia Herculis Furentis.

Decipitur laborum.] Quod sic exprimitur, ὑπολανθάνεται πόνων, quòd apud inferos sensus laboris & miseriæ auertitur tali cantu. Legitur etiam *decipitur laborem.* Phrasis Græca, quam nonnulli explicant per κλέπτεται τὸν πόνον καὶ λύπην, *furatur laborem & dolorem*, id est, non sentit dolorem pœnarum delectatus cantu: quæ tamen interpretatio paucis probatur, qui volunt *laborum* à *sono* regi, vt Prometheus & Tantalus decipiantur, & obstupefiant audiendo Alcæum sonantem labores ipsorum, quos in vita tolerarunt.

Prometheus.] De Prometheo fuit antea Ode 3. lib. 1. & 16. eiusdem lib.

Orion.] Orion venator fuit Odyss. λ. & habitus velut alter Nimrodus Gen. cap. 10. cuius vmbra præstulit carmen venationi, de quo vide 28. Oden lib. 1. & de etymo eiusdem. Constat ipsius imago in parte meridionali 38. stellis quarum 12. sunt illustriores, quantitate & situ distinctæ.

Lyncas.] Lynx est animal maculosum, de genere luporum ceruariorum, de quo vide Plin. lib. 8. cap. 3. & Oppia. li. 2. & Virg. 4. Georg. vbi Musâ Orphei dicuntur manes capti ad hunc locum:

Vmbræ ibant tenues, &c.

Huc addam, quod Seruius annotat in vers. Æneid. 1.

Succinctam pharetrâ & maculosæ tegmine lyncis.

Lynx, ait, *fuit rex Thraciæ. Hic Triptolemum, vt hominib frumenta monstraret à Cerere missum, suscepit hospitio, ac mox, vt gloria in se migraret, occidere tẽtauit. At Ceres irata illũ in lyncem, feram variæ pellis, conuertit, vt ipse variæ mentis fuerat.*

Explicatio Rhetorica.

HÆc Ode constat metro simili 9. lib. 1. Tres autem primi quaterniones versantur in colloquio Poetæ cum arbore de impietate consitoris.

[a] Polyptoton est in *illè & illum.*

[b] Epistrophe est in repetitione similis soni circa finem sententiarum.

[c] Dicitur per metonymiam pro incolis loci.

[d] Posuit *Colchica* per synecdochen speciei pro præstantissimis venenis.

[e] Modus est secundus metonymiæ effecti, pro efficiente tristem.

[f] Synecd. est generis, pro Horatio possessore loci.

[g] Ἐμφωνηματικῶς est hoc pronunciandum in miseram hominis conditionem, qui ob id Hebraicè dicitur אנוש *Enosch*, à perpetuo vitæ dolore Psalm. 9. versic. 19. Consterna gentes; vt sciant quòd homines sint, id est, misera sit ipsarum conditio.

[h] Videtur etiam dici per synecdochen speciei pro quoliber nauigatore: sicut miles & Parthus pro milites & Parthi timent, è quibus synecdochis allegoria constitui potest.

[i] Exclamatio est admirãtis liberationẽ tanti mali.

[k] Habet etiam synecdochen generis pro Orco.

[l] Alia est synecdoche pro campis Elysijs.

[m] Apostrophe ad Alcæum.

[n] Epanaphora est in *dura* ter repetito initio incisorum.

[o] Metonymia est subiecti pro adiunctis incolis, id est, manibus & vmbris, quæ cantu Sapphonis & Alcæi delectantur, & tacitæ, tanquam sacra fierent, auscultant illum auidissimè: quod vmbræ mirantur: id est, quo stupent, ac velut extra se rapiuntur, vt Eclog. 8. *quos mirata est iuuentas.*

[p] Synecdochica est periphrasis vmbrarum, quarum corpora & humeri, dum in vita manerent, fuerũt assuefacti gestandis armis: ideoque auidiùs cæteris audiebant internecionem Tyrannorum decantari.

[q] Metaphora est à liquoribus hauriendis: sed catachrestica, ad sonos, pro, populus auidiùs audit & libentiùs spectat pugnas, quum frequens & confertus in theatro solet coire.

[r] Synecdochica est periphrasis Cerberi qui ab Hesiodo in Theogonia πεντηκοντακέφαλος *quinquaginta capitibus* præditus dicitur. In huiusmodi admirationem Orpheus suo cantu rapuit totam Plutonis domum 4. Georg.

Quin ipsæ stupuêre domus, atq; intima lethi
Tartara, cæruleosq; impexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitq; hians tria Cerberus ora.

Quum autem Cerberus, qui primùm ab Homero canis Orci appellatus est, centiceps dicitur à nostro Poeta, id est referendum ad centum angues, quibus stipatur eius caput.

[s] Synecdochica est periphrasis Tantali, de quo Ode 2. lib. 1.

Ode XIV. ad Postvmvm.

Theticum.

Postumum docet nihil esse in terris, quo possit homo à morte vindicari.

[1a] *Heu[b] fugaces, [c] Postume, Postume,*
[d] Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæq; morti.
Non si[e] tricenis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem

Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonq́ᵉ [f] *tristi*
Compescit vndâ, scilicet omnibus,
Quicunq́ᵉ terræ munere vescimur,
Enauigandâ: [2] *siue reges,*
Siue inopes erimus coloni.
3g *Frustra cruento* [h] *Marte carebimus,*
Fractusq́ᵉ rauci fluctibus Adriæ:
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusq́ᵉ longi
Sisyphus Aeolides laboris.
4 *Linquenda tellus, & domus, & placens*
Vxor, neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Vlla brevem dominum sequetur.
5i *Absumet heres Cæcuba dignior,*
Seruata [k] *centum clavibus: & mero*
Tinget pavimentum [l] *superbum;*
Pontificum potiore cœnis.

Analysis Dialectica.

DEmonstratur hoc theticum, ὅτι οὔτις ἄποινα δίδωσι ἀθανάτου φύγοι· *quòd nemo pretio dato mortem effugerit* (eiusdem argumenti fuit Ode 9. & 11. lib. 1. & 3. & 13. huius) arguitur, in quam, theticũ amotione caussarum, quæ tamen tractantur è loco diuersorum, & videntur plerisq́ᵉ; tales caussæ, præsertim pietas & sacrificia, plurimum valere ad mortem vitandam, aut certè tardandam: in qua opinione verisimile est hunc Posthumum fuisse: qui ita diceret: *Si non potero è morte euadere, illius certè aduẽtum pietate, sacris, fugâ belli, nauigationis, vitæ temperantiâ tardare potero.* Hanc opinionem Poeta illi minuit: *Nihil*, inquit, *istis omnibus efficies: decretum enim est firmum & immutabile, vt omnes omninò homines vitâ excedant:* cuius pretium multò maius est, quàm ab vllo queat homine persolui, tantum abest, vt si ingens pecuniæ aceruus interceserit, immortalitas cuiquã tradi possit. Prior pars huius dissentanei argumẽti est secundo loco ad hęc verba: *Si tricenis*, quę sonant: *Etsi tot dieb. sacra facias, quot sunt in anno*; hæc pars antecedens paria continet: *senectutem tamen non effugies, neq́ᵉ mortem, neque implacabilem Plutonem:* qui primùm describitur ex odio inexpiabili & adiuncta crudelitate: eam ob caussam dicitur ab Hesiodo in Theogonia, *cor immite habere*, νηλὲς ἦτορ ἔχων qualia memorantur à Virgil. 4. Georg. de Dijs inferis:

Nesciaq́ᵉ humanis precibus mansuescere corda.

Deinde ex effectis: quod robustissimos quosq́ue homines immanissimosq́ue Gigantas Stygiâ palude detineat.

2 Est hic vis quædam parium inclusa, quòd omnes tam reges, quàm priuati, tam diuites, quàm inopes homines sine vllo conditionis & ordinis discrimine ad Stygiam paludem adigentur. Vide multò augustiorem hac Poetæ cohortationem Dauidis Psalm. 49. ad vanæ & mundanæ felicitatis contemtionem & miseriarum leuamentum.

3 Eodem dissentanei argumenti genere necessitatem moriendi ostendit: *Fugeris quam longissimè voles, sæuitiam præliorum, maris æstuosi inclementiam, autumni morbos, morieris tamen:* quæ posterior pars dissensionis complectitur hos quatuor versus, vt prior quatuor antecedentes.

4 E varijs circumstantijs declaratur forma discedentis domini à suis rebus: quæ breuiùs ita enunciari possunt: *Carissima tibi quaq́ᵉ relinquenda erunt.*

5 Eadem forma ex aduersis confirmatur, quòd heres effusè ac prolixè res, quibus in vita dominus parcè vtebatur, mox consumet. Hic fuit parcus & tenax rerum suarum: nulli commodus: ille erit earundem profusus & luxuriosus: multorũ tamen vsui seruiens. Nam prodigus propter vsum, licet immodicum, meliùs audiet apud populum, quàm auarus. (Ideoque dicitur hic dignior heres; cui tamen nõ vult relinqui occasionem intemperanter, profusè ac libidinosè viuendi ex successione possessionis alienæ.) Vbi est breuis maiorum collatio, qualis est in *mero potiore cœnis* quòd vinum bonitate superet ea, quę in conuiuijs Pontificum magnificentissimis apponi soleant.

Enarratio Grammatica.

Fugaces.] Hoc Græcè dixeris τὰ ἔτη ταχέως τῷ δρομικῶς διαπορδεύεται, citò & cursim anni tranleunt.

Sed epithetum *fugaces* etiã posset referri ad exiguam temporis durationem: quemadmodum Plin. scribit lib. 1. ca. 12. esse genus mali Persici, *quo non aliud fugacius: quia longissima decerpto bidui moræ est, cogitq́ᵉ se venũdari facillimâ corruptione.* Propriè tamen τὸ *fugax*, vt alia eiusdem inclinamenti habitum quendam animi notat ad actionem primigenij atq; ἐπὶ τῶν φλεπικῶν ζώων λέγεται κυρίως, vt Ode 1. huius dixit *equos fugaces* & 2. lib. 3. *Mors & fugacem persequitur virum*: item 6. lib. 4. *fugaces lyncas & ceruos:* quanquam Seru. in vers. 724. Æneid. 10. explicat τὸ *Palmum fugacem*, & *capream fugacem* per *velocem.* Possemus etiam interpretari *annos & lymphas fugaces*, vt Sophocles dicit δραπέτην κλῆρον *fugacem sortem & hereditatem citò manibus elabentem*, vt δραπέτην τύχην, *instabilem Fortunam.*

Posthume.] Magnâ mihi est suspicio hunc Postumum fuisse hominem auaritiæ impensè deditum ac diu viuendi percupidum: vnde Poeta conatur illum reuocare. Hoc autem nomen veteres Grammatici inde putant dictum, quòd post patris conditum testamentum, vel post ipsius obitum & inhumationẽ longè sit natus qualem Græci nominant πλυγέντα. Seru. minùs propriè in hoc hemistich. l. 6. Æn. 763. *Tua Postuma proles*, notat *Postumum*, qui post parentis inhumationem sit creatus. Recentiores γενικοτέρᾳ διαχαφῇ ex Agellij ca. 16. l. 2. declarant, qui postremus, vel serò, & postremo loco natus est, & ita sine nota densitatis scribũt *Postumus*, sicut extumus vel extimus ab extra, intumus vel intimus ab *intra.* Quod autem ad vitæ breuitatẽ attinet, Epictetus illam comparat cum torrente, propter summam ipsius celeritatem: ὁ τύχῃ βίῳ συμπεπλεγμένῳ ἔοικε χειμαῤῥοῇ ποταμῷ· καὶ γὰρ παρχάδης, καὶ ἰλύῳ αἰάμενος καὶ δυσίμβατος καὶ πυρετικὸς, καὶ πολύηχος, καὶ ὀλιγοχρόνιος, id est, *vita est casibus Fortunæ implicata & similis torrenti: quippe quæ turbulenta, imò plena, difficilis introitu, violenta, obstrepera, ad paullum temporis momentum duret.*

Nec moram.] Id est, non senium retardabit, quin frõtem exaret rugis senectus, quòd Græcè dicitur, μήθ' ἡ μὲν διάβεια τῶν ἐν ἐυτιδῶν καὶ τῆς ἐνεργοῦς γήρως, καὶ τὸ ἀδαμήτου δυνάτου αἰαβολὴν ποιήσοιτο. Pugnat autem hæc sententia cum literis sacris, vbi Deus pietatis caussâ sæpè vitæ diuturnitatem promisit ac præstitit; si quid tamen dici potest diuturnum, in quo est aliquid extremum, quod non sit à præsenti longiùs abfuturum.

Contemna-

Contemnamus igitur, ait Seneca lib.8. Epist.59. *omnia quæ adeò pretiosa non sunt, an sint omnino, dubium sit. Illud simul cogitemus, si mundum ipsum non minùs mortalem, quàm nos sumus, prouidentia periculis eximit, potest tamen aliquatenus nostra quoq; prouidentia longiorem prorogare huic corpusculo moram. si voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere & coercere. Plato ipse ad senectutem diligenti â se pertulit*, & cætera, quæ ibi non sine fructu leges.

Rugis.] Caussa rugarum existit è penuria humoris, sicut canorum è nimia siccitate corporis: ideoque rugæ dicuntur Græcè ῥυτίδες, quasi contractiones cutis post exhaustum humorem, qui illam distendebat, de quo lege Oden 11. huius libri.

Quotquot eunt.] Græcè dicitur: ὅσαι ἡμέραι παρέχονται, quod puto sumtum ex Iliad.ξ. vers.93.

Ὅσσαι γὰρ νύκτες τε, καὶ ἡμέραι εἰσὶν ἀπὸ Διός εἰσιν.

Quot enim noctes & dies sunt à Ioue.

Hoc autem *quotquot eunt dies*, non plus valet, quàm *si quotidie places Plutonem, &c.* id est, καθ' ἡμέραν: & voces hoc modo coniunctim geminatæ; *quantus quantus, qualis qualis, quis quis, vt vt, vbi vbi*, exponuntur per simplices subiectione τὸ cunq; *quantuscunq; qualiscunq; quicunque, vtcunq;, vbicunq;*. Itaque τὸ quotquot eunt, sonat: quotcunque dies fluunt singulis mensibus. Grammatici docent Varronem ita locutum, quotquot annis, pro quo dicitur à Virgilio quotannis, vt à Cicerone *quo modò* pro quocunque modo, & à Catullo:

Adeste hendecasyllabi quotquot estis,

pro quotcunque estis.

Illacrymabilem.] Id est, ἀδακρυ, ἀμείλιχον, qui nullis lacrymis ad misericordiam flecti potest.

Plutona.] Plutonis ortus & habitatio, quæ est Virgilio sine luce domus, vnde dicitur ἄδης, à defectu visus, ideoque cæcus fingitur ab Aristophane in Pluto Comœdia, ortus, inquam, reperatur è Theogonia Hesiodi, & ratio vocis vtriusque Plutarchi libello, περὶ δεισιδαιμονίας ad finem. Ἀ μήστρις δὲ ἡ Ξέρξου γυνὴ δώδεκα κατώρυξεν ἀνδρώπους ζῶντας ὑπὲρ αὑτῆς τῷ ᾅδῃ, ὃν ὁ Πλάτων φησὶ φιλάνδρωπον ὄντα καὶ σοφὸν καὶ πλούσιον, πεισθῆναι καὶ λόγῳ κατέχεσθαι τὰς ψυχὰς ἀδίκως ἀνόμασε. *Amestris vxor pro se duodecim homines viuos defodit Plutoni: quem Plato dicit perhumanum esse & sapientem & diuitem: suadelaq; & oratione animas retinere, ideoq; Plutonem nominatum.* De quo Cic.2. de nat. Deor. sic per ὀνομάσιον scribit: *Terrena res omnis atq; natura Diti patri dedicata est, qui diues, vt apud Græcos* Πλούτων, *quòd recidãt omnia in terras & oriantur è terris.*

Ter amplum.] Id est, *tricorporem.* Quum Oratori exprimenda est rei magnitudo, præposito τῷ *magnus* substruitur *amplus* per incrementum sententiæ: vt Cic. pro Sextio: *Nõ aggrediar ad illa maxima & amplissima.* & lib.6. fam. ad Cæcinnã: *Quanquam id magnum & amplum est:* Idẽ lib. 1. ad Lentulum: *Magna negotia & ampla in Prouincia habet.*

Geryonem.] Geryon fuit filius Chrysaoris regis Iberiæ: hunc Hesiodus tricipitem, Virg.6. Aeneid.

—*& forma tricorporis vmbræ.*

vide quoque de eodem l.4. Diodori. Sed Iustinus lib. vlt. narrat Poetas finxisse Geryonem tricorporem, quũ tres fuerint fratres sic inter se concordes, vt vna videretur anima in tribus corporibus.

Tityonq;.] Casus est Græcæ inclinationis. Sede immanitate Tityi lege 6. Æneid. ad hæc verba:

Nec non & Tityum terræ &c.

Filius autem fuit Ionis ex Elara Orchomeni filia, qui, quia Latonam sollicitauerat de stupro, telis confixus est ab Apolline, vnde epithetum Τιτυοκτόνου & etiam tribuitur Dianæ, *Tityi interfectrix.* De hoc sic in Culice:

Et Tityo Latona tuæ memor anxius iræ
Implacabilibus diris iacet alitis esca:

Quicunq;.] Hic versus imitatio est huius Simonidei:

Εὑρέσθαι ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.

Quicunque percipimus fructum vastæ terræ.

Sed hoc non solùm de Cerealibus inuentis intelligendum est: verùm etiam de omnibus, quæ fundit humus, vel sustinet, vel ex ea effodiuntur, quicunq; fuerunt eorum auctores, quibus vita nostra sustentatur, ac quouis modo adiuuatur.

Siue reges.] Hinc perspicimus τὸ *rex*, non semper sumi pro regnatore, sed interdum pro domino, diuite & potente, quos certè omnes parasiti, vt clientes, obseruant & colunt. Hic autem Reges sonat diuites, & opponitur τῷ *inopes erimus*, quod Gall. reddas, *soit que nous soyons gens sans terre.* Vis huius epitheti petenda est è notis in Od.28. lib.1. ad versum:

Ossibus & capiti inhumato.

Metuemus.] Ex hoc loco perspicitur discrimen Donati in Phor. Act.1. Sce.2. non seruari, vt τὸ *metuere* dicatur de iis, qui nos amant, & τὸ *timere* de inimicis.

Cocytus.] Odyss.κ. est fluuius defluens è Styge, & in Acheronta, vt Phlegeton, confluit: dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν à lamentando, vel, vt Seruius notat Aeneid. 6. ab eo, quod est κωκύζειν, *lugere.*

Danai genus.] Quidam genus Danai sic recensent: E' Ioue primò Paphus ortus est; & ex hoc Belus priscus superioris Aegypti rex; ex hoc bini liberi, Danaus & Aegyptus; è priori quinquaginta filiæ, toridemq; filij ex posteriori: qui inter se cõnubio coniuncti sunt: vxores autem Belides dictę ex nomine aui, & ex patris nomine Danaides, (vt apparet è symposio septem sapientum apud Plutarchum: Ἀλλ' ὥσπερ εἰ διαπορῶεν αἱ Δαναΐδες, πίνα βίον βιώσονται, καὶ τί πεφάξονται, ἀπαλλαγεῖσαι τῆς περὶ τὸν πίθον λατρείας καὶ πληρώσεως· ἄτοπα διαπορῶμεν ἡμεῖς, εἰ ἠβούλοντο παύσασθαι φοροῦντας εἰς πίθῳ σάρκα πίθῳ ἄπυστον ἐν γῆς ἁμὰ καὶ θαλάττης τοσοῦτα, τί πεφάξομεν· id est, *vt Danaides dubitarent, quam essent acturæ vitam & quid facturæ, si defunctæ ministerio implendi dolij essent. sic nos dubitaremus, si finem ingerendi in carnem insatiabilem res tantas, tam è terra, quam è mari contingeret; quid nobis esset agendum*) illæ, inquam, occiderunt suos maritos præter Hypermnestram: de quibus vide Epistolam Ouidij, Hypermnestram & Ibin: sed de ipsarum androphonia & punitione sic Tibullus fecit:

Et Danai proles, Veneris quòd numina læsit,
In caua Lethæas dolia portat aquas.

Parua autem scholia Græca in Iliad.α. proferunt è lib.2. Apollodori histor. apertè originem huius historiæ ad vers. Τίσιαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν: quorum lectionis non te pœnitebit, studiose Lector.

Sisyphus.] Fabula Sisyphi longissima est, & maximè varia, quòd plures fuerint & Sisyphi & Aeoli. Ideoque remitto lectorem ad Odyss.λ. & ad Metamorph.3. & 13. ad Eustathium in Iliad.ζ. ad Lucretium li.3. Sed videtur Theognis mythologiam illius indicare, quum scribit: Πλείονα δ' εἰδείης Αἰολίδα Σισύφου.

Si quis plura nouerit Sisypho.

qui creditur rex Corinthiorum fuisse, & inuentor æris fundendi & temperãdi, de quo Satyr.3. lib.2. Idem Cicero sub finem primæ Tusculanę affirmat. *Tentarem*, inquit, *etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam & Vlyssis Sisyphiq; prudentiam.* Tanta igitur rerũ multarum scientiâ tentauit immortalitatem comparare, & inexplebilis illa sciendi cupiditas, labores, quãuis improbos, fecit illum facilè sustinere. Alij tamen referunt tales labores ad ambitionem, quorum nullus est finis. Sed libet Eustathij verba Iliados ζ. ad hos versus:

Ἔνθα δὲ Σίσυφον ἔσχεν ὁ κέρδιστος ἠὲ καὶ ἀνδρῶν
Σίσυφος Αἰολίδης, ὃ δ' ἄρα Γλαύκου πάις υἱός.

Illic Sisyphus habitabat, qui solertissimus fuit virorum:

Sisyphus Aeolides, qui Glaucum genuit filium.

huc ascribere: ὃς καὶ τὸν θάνατον δεσμοῖς, ὡς ὁ μῦθος φησὶ, καρτεροῖς ἔδησεν ὁπότε φθείλαι αὐτῷ, ὅτε τὸν Ἀσωπὸν ζητοῦντι τῷ θυγατέρα Αἴγιναν, ἀρπαγῶσαι αὐτῷ ὑπὸ Διὸς καταμηνύσειν. ὁπνίσας καὶ σιωπήσαντα. φασὶ μηδένα τῶν ἀνθρώπων θνήσκειν, ὡς τοῦ θανάτου ἐν δεσμοῖς ὄντος, ἕως αὐτὸν ὁ Ἄρης ἐλύσειν. ἔοικε δὴ ὁ Σίσυφος εἰρωνείαν φέρων ἀρχαῖα, καὶ τοῖς ὕστερον αὐτὸν ἀκίνδυνον. διὸ καὶ δῆσαι τὸν θάνατον λέγεται. Τὸ Σίσυφος ταὐτὸν καὶ τοῖς παλαιοῖς δοκεῖται τὸ θεόσοφος· σὶς γὰρ παρὰ Πελοποννησίοις καλεῖται θεός. τὸ δὲ σόφι σύφι λεγόμενον Αἰολικῶς κατὰ τὸ ὄνομα, ὄνυμα. Id est, *Qui mortem arctis vinculis, vt fabula est, constrinxit ad ipsum missam, quum Asopo Aeginam filiam à Ioue raptam indicasset, vnde fiebat, vt aiunt; vt nemo moreretur ob mortem vinctam, donec ipsam Mars soluisset: sed verisimile est Sisyphum pacatum regnum tenuisse & subditis nullum periculum creasse. Ideoq; dicitur mortẽ vinxisse.* Ratio præterea vocis ab eodem Scholiaste redditur, quòd *Sisyphus idem sonat veteribus, quod Theosophus, qui diuina sapit: σὶς enim apud Peloponnesiacos dicitur Deus, & Aeoles pro σόφι dicunt σύφι, sicut pro ὄνομα, ὄνυμα.* Vides hîc, Lector, quantùm distet hic locus Eustathij ab eo, quem Lambinus dicit se accepisse è scholiis eiusdẽ libri. Helias autem Vinetus in annotationib. ad versum Theognid. 702. videtur interpretatus fabulam non expresso loco: vbi de varia & multiplici scientia Sisyphi agitur. Pœnam autem laborem Sisyphi apud inferos vide sub finem Odyss. λ. Interpretationem præterea Lambini subieci, vt è comparatione cognoscas discrimen vtriusque loci. *Quum Iupiter Aeginam Asopi filiam ex Philunte in Oenonem per Corinthum transtulisset; Sisyphus Asopo filiam suam inuestiganti eam à Ioue esse raptam enunciauit, locumq; quò esset delata, indicauit: ex quo Iouis in se odium concitauit. Quare mortem in illum, vt eum exanimaret, immisit: ille mortẽ durissimis & solidissimis vinculis constrinxit. Morte à Sisypho vinctâ, euenibat, vt nemo moreretur, donec morte solutâ Sisyphum ei constringendum domandumq; tradidit. ille autẽ priùs quàm moritur, vxori mandat, vt sibi parentalia celebret, inferias ad inferos mittat: id non præstat vxor: ille Orcum orat, vt sibi ad vxorem reuerti liceat hanc iniuriam expostulatum, impetrat. Cum vxore & suis, vt olim solebat, sese oblectat, neq; iam de reditu ad inferos cogitat: vix tandem eò redit senio confectus. Ibi saxum voluere iubetur, ne se subducat, iterumq; ad superos profugiat.*

Placens.] Hoc epitheton videtur interpretari alterũ Græcum πεφιλωμένος quo Menander vtitur in dando vxoris deligendæ consilio:

Δύ' ἐστ' ἃ κρῖναι τὼ γαμοῦντι μέλλοντα δεῖ·
Ἥ τοι πεφιλωμένη ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον·
Τὼ ὁμόνοιαν γὰρ τὼ πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ. id est,

Duo sunt ducturo vxorem spectanda: placida illius species, moresq; probi: hæc enim concordiam mutuam pariunt & tuentur.

Vxor.] Veriuerbiũ huius vocis ita proponitur à Donato in Hecyr. Act. 1. Sc. 2. ad locum: *vxorem deducit domum:* vxor, ait, dicitur vel ab vngendis postibus, & figenda lana: id est, quòd quum puellæ nuberent, ianuarum maritalium postes vngebant, ibiq; lanam figebant: vel quòd lotos maritos ipsæ vngebant: cuius rei testis Ennius:

Exin Tarquinium bona fœmina lauit & vnxit.

Cupressos.] Cupressus erat sacra Diis inferis, rogis & luctibus ἄκαρπος, *infructuosa*, ideoq; funesta, feralis, & funebris dicitur, & cæsa non reuirescit, solaque ex bonis dominum suum mortuum sequitur: quia, vt homo nudus bonis omnibus prodiit in lucem, talis exiturus est inde. Seruius in hæc verba 3. Aen. *Atraq; cupresso*, citat hunc locum. Vnde licet cõiicere olim in more Romanis fuisse positum, vt domui funestæ ramus cupressi affigeretur, ne quis Pontifex per imprudentiam eò ingressus contaminaretur. Sed de ratione vocis quod annotatum est antè, repete ex nona Ode libri 1.

Breuem.] Referri debet hoc epithetũ ad tempus, non ad staturam corporis. Valet igitur μικρόβιον, ὀλιγοχρόνιον, ὀκύμορον, *parumper viuens & durans.*

Cæcuba.] De Cæcubo lege Oden 20. lib. 1.

Tinget.] Id est, inspergetur solum domus vino. Sic Cic. Philip. 2. *Natabant pauimenta vino; madebant parietes.* Memorat Athenæus lib. 15. in deliciis habitum solum respergi vino fragrantissimo & vnguento præstantissimo, & ab Alexandro vsurpatum: quod tamen Numæ regis lex Postumia vetabat: *Vino rogum ne respergito:* scribit Plinius, quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubiter.

Pauimentum.] De pauimento vide Plinium libro 36. cap. 25.

Pontificum cænis.] Macrobius lib. 3. Saturnal. sub finẽ cap. 13. interpretatur cænas sumtuosis & opiparis magnificisq; epulis instructas luxuriosè, vt ibi legere poteris: quales fuerunt cænæ augurales, quas augures sacerdotium ineuntes dabant collegis, lautas inprimis atque opiparas, vt meminit Varro lib. 3. cap. 6. *Primus pauones augurali cænâ posuisse dicitur Qu. Hortensius:* quæ vocatur etiam adiicialis cæna, quales etiam Cereales & adipales; item dapes Saliares Ode 37. lib. 1. quale etiã celebrabatur olim Lutetiæ vinum Theologicum, de quo lege Parœmiographum Chiliad. 3. Cent. 2.

Cænis] Scriptura huius vocis est controuersa apud Grammaticos: qui illam scribunt sine diphthongo, nituntur auctoritate veterum exemplarium & lapidum, vbi sic reperiunt scriptam. Festus per æ scribit, alij per œ, arbitrati illã fluere è Græco κοινὸς, quòd Cœna sit commune quiddam, vt conuiuium vitæ coniunctio.

Explicatio Rhetorica.

O De respondet metro nonæ libri primi.

[a] Duplex figura sententiæ; procatalepsis & exclamatio per commiserationem querulam & patheticam.

[b] In notis Grammaticis potes cognoscere hanc vocem translatam ab animato ad inanima, quomodo dixit antè Ode 3. huius: *lympha fugax trepidare riuo.*

[c] Ἐπίζευξις, dictionis figura, partim ad conquestionem, partim ad obiurgationem adhibita: non ἀναδίπλωσις in continua repetitione eiusdem soni in eadem sententia: quum ἀναδίπλωσις fiat in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ: tales sunt continuæ repetitiones in eadem sententia, *crux crux, Ah Corydon Corydon.*

[d] Synecdoche est, quâ è specie genus est intelligendum, *tempus*, eiusque duratio: qualis est in *pietas*, pro qualibet morum probitate, vitæ innocentia, integritate & temperantia.

[e] Synecdoche finiti pro infinito, id est, quotidie.

[f] Metonymia est effecti, pro Styge palude, efficiente tristes nauigantes.

[g] Eadem dictio, & idem sonus repetitus initio sententiarũ facit anaphoram: qualis notata est Od. 15. lib. 1.

[h] Metonymia causſæ pro pugnis & bellis.

[i] Idem etiam hîc sonus in *absumet* & *tinget* auditur per anaphoram.

[k] Synecdoche finiti pro infinitis, id est, vigilantissimè ac diligentissimè seruata, qualis fuit modò in *tricenis tauris.*

[l] Dicitur per metonymiam effecti pro efficiente & indicante vel superbiam domini, vel superbum & sumtuosum dominum.

ODE

ODE XV. DE LVXV ÆTATIS SVÆ.

Theticum.

Quòd non sic hodie, vt olim, viuitur.

Iam pauca aratro iugera[a] regiæ
Moles relinquent: vndiq; latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu: platanusq;[b] cælebs
Euincet vlmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia[c] narium
Spargent oliuetis[d] odorem
Fertilibus domino priori.
Tum spissa ramis laurea feruidos
Excludet[e] ictus: [2] non ita Romuli
[f] Præscriptum, & intonsi[g] Catonis
Auspiciis veterúmque[h] norma.
[3] Priuatus illis census erat brevis;
Commune, magnum: nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat[i] arcton:
[4] Nec fortuitum spernere cæspitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu iubentes & Deorum
Templa nouo decorare[k] saxo.

Analysis Dialectica.

QVeritur singularem veterum frugalitatem & continentiam luxuriâ & voluptate suæ ætatis commutatam. Ad hanc querulam de luxu Rom. quæstionem pertinet, quod Aristoteles disputat lib. 4. cap. 2. Ethic. περὶ μεγαλοπρεπείας, i. de magnificentia, quæ est sumtus in magnitudine decenter suggestus: cuius extrema sunt, ἔλλειψις, μικροπρέπεια, indecora parsimonia: exsuperantia, quæ βαναυσία ἢ ἀπειροκαλία vocatur, id est, vilitas & omnis honestatis imperitia. De insanis autem structuris, ædificiisq; sumtuosis vide Varronem & Ciceronem lib. 2. de officiis. Comprehenditur autem tota hęc querela vno dissimilium loco, vt perspicuum est è Thetico. Protasis hæc est dissimilitudinis quæ debuerat inter principes luxuriosorum Horatij æqualium nominatim appellare Lucullum, Mæcenatem, Cocceium, vt Antapodosis frugales priscos, Romulũ, Catonem appellauit, nisi Poeta veritus esset illos offendere priores. Similis est querela libello de vita beata Senecæ obiecta: *Quare cultius tibi rus est, quàm naturalis vsus desiderat? cur non ad præscriptum tuum cænas? cur tibi nitidior supellex est? cur apud te vinum tuâ ætate vetustius bibitur? cur autẽ domus disponitur? cur arbores præter vmbram nihil daturæ cõseruntur? quare vxor tua locupletis domus censum auribus gerit? &c.* Illa autem protasis dilatatur variâ comparatione minorum: quòd hodie plura sint ædificia in mare sumtuosè exstructa, piscinæ latiores, quàm arua, quàm Lucrinus apud Baias lacus: quòd plures platani voluptatis, quàm vlmi vtilitatis gratiâ: quòd plures odoratæ plantæ, quàm felices & fertiles oliuæ conserantur. Prætereà Laurus, quamuis arbor minimè vmbrifera sit, propter erectos ramos & frondes minimè diffusas; in deliciis tamen huiusmodi adhibetur.

2 Ἀντιπόδοσις illustratur argumentis ab arte remotis, & repetitis à primis conditoribus Vrbis & legum, quibus superior luxuries repugnat. Non dissimili argumento Demosthenes vtitur Olynthiacâ 3. in comparatione veterum & præsentium magistratuum; vnde hęc videntur depromta. *Priuatim*, inquit, *adeò temperantiæ & institutis ciuilis administrationis illi erãt addicti; vt si quis vestrũm cerneret hodie quales olim fuissent ædes Aristidis & Miltiadis clarissimorumq; illius ætatis virorum; eas nihilò splendidiores illâ vicini cõperiret, Non enim Remp. quisq; administrabat augendæ priuatæ gratiâ sed publicæ certatim amplificandæ.*

3 Eiusdem approbatio ex aduersis, quòd minima olim erat rei familiaris & domesticæ tenuitas: quâ veteres contenti viuebant honestè. Summa contrà Reipublicæ & communis amplitudo: in quam quotidie amplificandam illi summâ contentione, omniq; studio & operâ, omni etiam ratione olim incumbebant. In priuatis ædibus sumtuosas porticus non curabãt: quas singuli penè ciues huius ætatis prætendunt ædib. suis: vt totam plagæ Septentrionalis auram frigidam summis caloribus excipere velle videantur.

4 Eódem spectat hæc ratio è diuersis: leges & instituta veterum non permittebant construi villas sumtuosas ad requiescendum, sed casas cæspititias fortè oblatas, & opere tumultuario exstructas: magnifica quoq; ædificia templis Deorum immortalium destinabant. Itaque sunt hodie mores nostrorum hominum longè diuersi ab illis maiorum nostrorum, vt illorũ luxus fugiendus, & horum frugalitas expetenda & colenda.

Enarratio Grammatica.

NOn infrequenter etiam alij scriptores inuehuntur in luxum hominum, vt Sallustius, Seneca, Velleius, præter Poetas. Hîc autem τὸ *iam* vsurpatur de futuro.

Moles.] Grãmatici tradũt molem & moliri à mouendo deduci: vnde & ex appositio *Regiæ* magnitudo taliũ substructionum & insanarum molitionum perspicitur ad reges pertinere, qualem in Epist. ad Pisones notat:

Debemur morti nos nostraq;, siue receptus
Terrâ Neptunus.

Quintilianus quoque iugera putat à iungendo boues dici: quòd tantum sit soli, quantum par boum possit vno die arare: i. ex dimensione Columellæ quadringentos quadraginta passus. Nam ex illa sexdecim digiti faciunt pedem: quinque pedes passum: 220. passus actum: actus duplicatus iugerum, id est, 440. passus: Galli vocant hoc terræ spatium *Arpen*: quæ vox non tam est Gallica, quàm Latina. Nam Romani perticâ decempedâ, vel fune in dimetiendis agris vtebantur, quod posterius dicebant aruipendium, pro quo posteà Galli aruipennium, sicut doctè Iosephus Scaligerus in *Diras* Virg. annotauit.

Visentur.] i. non solùm vicini populi, sed exteri quoq; summo studio huiusmodi structuras visendas putabũt.

Stagna.] Vt Grammatici Latini censent, dictũ, quòd illic aqua stet: sic Græci στέγανον, vel per Syncopen στεγνὸν παρὰ τὸ στέγειν, à continendo dici volunt. Sed hoc duobus modis fit; vel propulsando, ne quid ingrediatur & instilletur, quomodo Xenophon dicit in Cynegetico de cane, ἔχει δ' καὶ πρὸς τοῖχα στεγανὼ, *Habet villos pluuiis impenetrabiles.* Sic στεγανὰ πλοῖα, *quæ rimis nõ patent, nec aquas admittunt.* τὰ δ' ἀγγεῖα καὶ στεγανὰ λέγεται διὰ τὸ στέγειν τὸ ἐν αὐτοῖς· *vasa etiam dicuntur stegana, quòd liquorẽ infusum contineant, nec transmittant.* Hinc prouerbium ἐμοὶ μὲν τὸ νυῦ Ἀρεοπαγίτης στεγανώτερος· *esto mihi nunc Areopagitâ taciturnior.*

Lucrino lacu.] Sueton. ſcribit in Auguſto cap.16. *hunc effeciſſe portum Iulium apud Baias viginti ſeruorum millibus manumiſſis, & mari in Lucrinum & Auernum lacum immiſſo,* de quo vide lib.2.Georg.vbi digreditur Poeta in laudes Italiæ. Lucrinum autem lacum quidam putant ex eo dictum, quòd ex illius piſcatu magni ac vberes quæſtus & lucra fierent. Dicetur de eodem lacu Ode 1.lib. 3. ad hunc verſum,

Contracta piſces æquora ſentiunt.

Platanusq́, calebs.] De qua fuit Ode 11. huius libri, & apud Dionem lib.48. Addam tamen ex Plinij li.12.c.1. *Sed quis non iure miretur arborem vmbræ gratiâ tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, per mare Ionium in Diomedis inſulam eius tumuli gratiâ primùm inuecta: inde in Siciliam trãſgreſſa, atq́, inter primas donata Italiæ & tam ad Morinos vſq́, pervecta ad tributarium etiam pertinens ſolũ, vt gentes vectigal & pro vmbra pendant.* Vnde Iuuenalis ſcribit Satyr.1.ad notandum luxum & magnificentiam:

Frontonis platani conuulſaq́, marmora clamant
Semper.

Ad talem luxum dicitur Hortenſius in Tuſculano habuiſſe platanos, quas vino conſueuerat irrigare; de quibus, vt de reliqua Hortenſij mollitie & luxu lege Ciceronianum Petri Rami. Vide prærereà Phędrum Platonis de platano Socratis, & quia miniſtrat potantibus & ſacrificantibus vmbram, dicitur à Nicandro in Ther. Θερειλεχὴς πλάτανος, *Vmbroſa platanus*, è cuius foliis lectus æſtate poteſt ſterni: & ab Homero Iliad.β.

Ἕρδομεν ἀθανάτοισι τελήεσσας ἑκατόμβας
Καλῇ ὑπὸ πλατανίστῳ.

Integras facimus Hecatombas Diis immortalibus ſub pulcra plataniſto: hoc dicitur ſpecie diminutionis, & magis Poeticum eſt.

Myrtus.] De myrto fuit anteà Ode 4. lib.1.

Copia narium.] Dicitur copioſa delectatio ex ſuauiſſimis odoribus, quos in viridariis ſpirãt odoratæ plantę.

Oliuetis.] Quæ Græci dicunt ἐλαιῶνας, *loca oleis conſita*, pro cella etiam olearia interdum ſumta. Ad hanc formam ſunt à priſcis Latinis facta Latina πλατανὼν καὶ δαφνὼν, platanetum & lauretum, loca platanis & lauris conſita. Petronius: *Rogaui, vt in platanôna produceret dominam. Itáque flexit ſe in daphnona qui ambulationi hærebat.* Lucanus:

Diſpoſuit daphnôna ſuis Torquatus in hortis.

Ellipſis eſt præpoſitionis, pro in Oliuetis fructuoſis plantabunt roſaria & odoratas plantas. Eſt prætereà Syntaxis verborum inuerſa: dicendum enim videretur, ſpargent oliueta odore, vel ſine tropo, plantis odoratis, vt Virgil.Eclog.5:

Spargite humum foliis,

& Aeneid.6. —*Corpuſq́, recenti*
Spargit aquâ.

Laurea.] Laurea eſt Plinio lib.6. folium lauri, quod non tangitur fulmine. Sed hîc pro ipſa lauro. Sic Virgil.Eclogâ 2.facit lauros myrtis aſsitas, vt inde maiores exciantur permiſtè odores.

Et vos, ô lauri, carpam, & te proxima myrte:
Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores.

Excludet feruidos ictus.] Hoc Græcè interpreteris: ἡ μὲν δασύχλαδος δάφνη πλῶ ὑπὲρ ζεφυρ ἀκλινοβολίαν ἀποκλείσει· pro defendet homines ab æſtu ſolis, ſicut Virgil. dicit, *defendet à frigore myrtos*, id eſt, arcebit æſtũ & frigus ab illis.

Non ità præſcriptum.] Id eſt, non erat ita conſtitutum legibus Romanis, qui non ſuis legibus conſtituiſſent talem viuendi rationem, ſed ſolam agriculturæ & militiæ exercitationem, vt Plutarchus in vita Romuli ſcribit. Habes lib.1.de leg.apud Ciceronem definitionem legis & notationem Græcæ vocis ac Latinæ: *Legis ea vis eſt, vt rectè facere iubeat, vetetq́, delinquere, eamq́, ob rem illi Græco putant nomine à ſuum cuíque tribuendo νόμον appellatum: ego noſtro à legendo: nam vt illi æquitatis; ſic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen vtrumque legis eſt.* Hinc ab Hebræis תורה *thorah*, à recto docendo dicitur.

Intonſi.] Græcè ἀκείρετοι ἢ ἀκέρσι, ἢ ἀκερσεκόμαι. Plin. ſcribit l.7. c.59.è Varrone, *Publium Ticinium Menam primùm in Italiam adduxiſſe tonſores è Sicilia, anno ab Vrbe condita 454. & Africanum omnium primum illis vſum fuiſſe.* Hoc Epitheto ſignificatur vel antiquitas, vel ipſius modica curatura in vita degenda.

Cenſus.] Cenſus erat æſtimatio rei familiaris: pro hoc dicit Epiſt.7. lib.1. *Tenuem cenſum*, pro paruis fortunis & opibus, quæ tum perexiguæ erant. Græci opulentos vocant τὲς ἀπὸ μεγάλων τιμημάτων, & tenuiores, τὲς ἀπὸ μικρῶν τιμημάτων. De ratione cenſus lege Feſtum & Aſcon. Pædianum in lib.de Diuinat. & Ciceron.lib.3.de legib. Heſychius meminit huius vocis: Κλῶσθ', ait, βοτάνη τις· τὸ δὲ τέλθ', κινοῦς διὰ τοῦ ἰῶτα· *Cenſus eſt herba quædam: ſed tributum ſignificans ſcribitur per iota cinſus.* Legitur tamen ſic coniunctim Matth.cap.17.verſ.25. & ſcriptum: Οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον; *Reges terræ à quibus accipiunt tributa aut cenſum?* atque inde Græci Iureconſulti vocant eos, qui ſunt eodem tributo cenſi, ὁμοκλώσους.

Commune.] Commune hîc vſurpatur ſubſtantiuè, vt aliquando à Cicerone pro publicis opibus, & communi Rep. & Titus Liuius, *optimo publico*, vt Græcum, τὸ κοινὸν in ſuperiori Demoſthenis loco dialect. *le bien public:* quod ita dictum videtur, quia omnium ciuium cõmune ſtudium, cura, opera, diligentia & gratia cõferri debet ad illud adminiſtrandum & amplificandũ: quemadmodum Iſocrates Epiſt.2.ad Philippum ſcribit ciuitates Græciæ εἰωθυίας εἰς ἀσφάλειαν καταστάναι τὸ κοινὸν, *ſolitas remp. tutò collocare: vel ærarium publicum ſeruare tutò.*

Metata.] Παθητικῶς vt metatus agellus: reperitur etiam *meto, metas:* ſed ſæpiùs deponẽs, *metari cælum:* quod eſt metâ & limite circumſcribere locum aliquem: ſeu perticis & decempedis definire ac dimetiri. Decempeda dicitur etiam δεκάπους, *à decem pedibus*, qui duos paſſus putantur continere. Inde Philippic.13. dicitur decempedator agri publici & priuati, id eſt, menſor & diuiſor.

Porticus.] Porticus inſtruebatur vel ad iniuriam cæli declinandam, vel ad ambulationem. Vnde Martialis lib.1.Epigram.2.

Claudia diffuſas vbi porticus explicat vmbras.

Græcè περίστομον ἢ περίστυλον ἢ περιώπιον, *ambulacrum columnis ſeptum.*

Cæſpitem.] Hoc quidem inſtitutum maiorum Tiberius Cæſar non ſpreuit, vt refert Suetonius in ipſius vita cap.18. *Trans Rhenum verò eum vitæ ordinem tenuit, vt ſedens in cæſpite nudo cibum caperet, ſæpè ſine tentorio pernoctaret.* De huiuſmodi accubatione epulari ſic Tibull. Elegiâ 5. lib.2.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet altè
Cæſpitibus menſas, cæſpitibuſq́, torum.

Cæſpes autem à cædendo & feriendo pede dici Feſto videtur, Græcis βῶλαξ à gleba terræ nominatur.

Fortuitum.] Ὡς βῶλακα, τὸν τυχόντα. Hic locus citatur à Seruio in verſ.Aen.6. *Itur in antiquam ſyluam, &c.* ad oſtendendum quemadmodum τὸ ῐ & corripi & produci poſsit. Illud è Iuuenali:

Non quaſi fortuitus, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignes.

hoc ex Horatij præſenti loco. Illic interpres componit *fortuitus* à fortuna & eundo.

Expli-

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri idem, quod illud nonæ lib.1.

a Synecdochica periphrasis palatiorum est, pro operosis structuris, magnificisque ac superbis Regum ædificiis, quorum magnificentiam priuati volunt per luxum imitari. b Sumtum est ab animantibus: (vt propriè vsurpabit Ode 8.lib.3. de se ipso:

Martiis cælebs quid agam calendis.

& generatim Epist.1. lib.1.

Melius nil cælibe vitâ.)

ad sterilitatem arboris indicandam, vt antè Ode 11. huius monitum fuit.

c Videtur hæc metonymia quibusdam paullò audacior, vbi adiunctum pro subiecta quauis materia odorum ponitur: nares enim adiunguntur & occupantur circa suauitates odorum.

d Modus est metonymiæ, quo significatur ex odore adiuncto planta illum spirans.

e Sumtum quoque videtur ab iis, qui lædunt, pro radiis acutis solis, qui etiam dicuntur à Lucretio *verbera solis.*

f Alia metaphora à ludimagistris, qui priùs dictant discipulis, quod ipsi posteà discant & imitentur. Sic Suetonius loquitur in Nerone cap.10. *Ex præscripto Augusti imperaturum se professus est.*

g Synecdoche est speciei pro priscis magistris admirandę singularisque frugalitatis, quibus ampla porticus non erat; quam decempedâ metirentur.

h Metaphora est ab Architectis, qui, vt longitudines ad regulam & lineam, & altitudines ad perpendiculum; ita solent angulos operis exigere ad normam.

10 Valet igitur hîc statuta & leges rectè viuendi & mores veterum.

i Metonymia est adiuncti pro plaga Septentrionali, in qua visitur signum Vrsæ non procul à polo Arctico. k Synecdoche est generis pro marmore cuiusq; coloris aliunde petito & aduecto: siquidem aduehebatur è Laconia viride, & pretiosum ex Armenia, Ægypto, Numidia, Carysto, Chio, vt Iuuenalis scribit Satyr.14. —*Græcis longeq; petitis*

Marmoribus.

20 Per *nouum* intellige translatè hîc elegans, exquisitum & sumtuosum, vt Cicero dicit, *Columnam efficere ab integro nouam, nullo lapide rediuiuo*: Gallicè *sans y mettre aucune pierre, qui ait autresfois serui.*

Ode XVI. Ad Grosphvm.

Theticum.

Grosphum docet tranquillitatem animi non tam aliunde petendam, quàm à se ipso sumendam.

Tium[a] *Diuos rogat in patenti*
Prensus Aegæo, simul atra[b] *nubes*
Condidit lunam, neq; certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furioso[c] *Thrace:*
[d] *Otium Medi pharetrâ decori,*
Grosphe,[2] *non gemmis, neque purpurâ venale, nec auro.*
Non enim gazæ, neque Consularis
Summouet[e] *lictor*[f] *miseros*[g] *tumultus*
Mentis, & curas laqueata circum
[h] *Tecta*[i] *volantes.*
3 *Viuitur paruo bene, cui paternum*
Splendet in mensa tenui[k] *salinum:*
4 *Nec leues somnos timor, aut*[l] *cupido*
Sordidus aufert.
5 *Quid breui fortes*[m] *iaculamur æuo*
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exsul
[n] *Se quoque fugit?*
60 *Scandit æratas vitiosa naues*
Cura: nec turmas equitum relinquit,
7P *Ocyor ceruis, & agente nimbos*
Ocyor Euro.
8 *Lætus in præsens animus, quòd vltrà est,*
Oderit curare & amara lato
30 *Temperet risu:* 9 *Nihil est ab omni*
Parte beatum.
10 *Abstulit clarum cita mors Achillem:*
Longa Tithonum minuit senectus:
11 *Et mihi forsan, tibi quod negârit,*
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum Apta quadrigis equa: te bis Afro
[r] *Murice tinctæ*
40 *Vestiunt lanæ: mihi parua rura, &*
[s] *Spiritum Graiæ tenuem Camænæ*
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere[t] *vulgus.*

Analysis Dialectica.

SEntẽtia huius Odes depromta est è doctrina Stoicorum: vbi duo primùm genera hominum notat: nauticum, id est, mercatorium & militare, à quibus otium vel tum maximè exoptatur, quum in maximo vitæ discrimine versantur: quod quidem certè non rarò accidit huiusmodi vitæ instituturn sequentibus: in quod quidem otium possent illi, nisi cupiditate occæcati essent, se facilè collocare. Quamuis autem mercatores illi auari & ambitiosi milites nullâ ferè pietate & religione, quum sunt in tuto, teneantur: in periculo tamen versantes ad Deos confugiunt supplices, quos Bias dicitur in Laertio sic cauillatus: Ἐκεῖνοι δὲ συμπλέοντες ποτὲ ἀσεβέσι, χειμαζομένης τῆς νεὼς, καὶ κεινουμένων τῶν θεῶν ὑπολαμβάνουσι, σιγᾶτε, ἔφη, μὴ αἴσθωνται ὑμᾶς ἐνδὰδε πλέοντες. *Ille namq; cum impiis nauigans, quum hi periclitarẽtur, naue graui tempestate agitatâ, & Deorum opem implorarent; silete, inquit, ne illi vos hîc nauigare sentiant,* vestro malo & nostro. Præcipuum autem argumentum, quo proposita quæstio disputatur, est è loco dissentaneorum diuersorum: *Otium non emitur diuitiis, neq; honoribus, neq; locorum mutationibus: sed* αὐταρκείᾳ μόνῃ, *solâ aureâ mediocritate, quam victus tenuitas solet consequi: non illis igitur periculosè danda est opera; sed mediocria tutò quærenda.*

2 Hæc tria; gemmæ, purpura & aurum, sicut proximè sequentes versus quatuor, pertinẽt ad primam partem dissensionis de imbecillis viribus honorum & opum ad tranquillũ animi statum & quietem parandam.

3 Altera est pars dissensionis ex subiecto, quæ valet,

quod iam dixi, tranquillitatem hominis animo rebus suis contento metiendam & æstimandam esse.

4 Prosyllogismus est, ad eandem partem ex adiuncta ei securitate, qui paruo contentus viuit, vno autem verbo dictus αὐταρκής. Is enim non cruciatur metu vel amittendi, vel edaci curâ custodiendi parta: neque sitis pleonexiæ diuellit ab eo somnum.

5 Hic prosyllogismus alter ex effectis referendus est ad partem priorem de imbecillitate diuitiarum & honorum: quòd homines non diu victuri curam debeant remittere ea parandi, quorum nec appetitione, nec longinquâ peregrinatione summoueant miseros mentis tumultus.

6 Cõfirmatio proximę rationis ex adiunctis: quòd curæ & cupiditates nunquam sese abstrahant ab assiduo comitatu auarorum & ambitiosorum, quocunque illi abierint & vbicunque futuri sint.

5 Celeritas curarum declaratur duplici collatione minorum: quòd illæ cursu superent ceruos: quòd celeriùs volent ventis. Huiusmodi curarum vim dicitur Aeneas sensisse Aeneid. 8. vers. 20.

Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc:
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

8 Repetitur altera pars loco effectorum aucta: quòd ille αὐταρκὴς solùm ad id, quod adest, & præsens est, sese accommodet & tueatur: res aduersas summâ animi æquitate & moderatione ferat: nec futurorum cogitatione se nimis angat: nec præteritorum recordatione.

9 Hoc axiomate Poeta suum sapientem, quem videtur hîc describere, ostendit non degere vitam omnis planè mali immunem: quòd nemo omnium omnino hominum vsquequaq; in hac vita possit beari: sed hoc interesse inter sapientẽ & insipientem: quòd ille nunquam ita frangatur aduersis, repentęque cadat, quin se facilè possit ad æquitatem animi extollere: neq; ita secundis efferatur, quin moderatus semper conspici queat: hic verò in vtrouis statu non videtur esse apud se. Hoc axioma, *Nihil est ab omni parte beatum*, factũ est prouerbiale, ac videtur desumtum ex hoc senario Græco, qui citatur ab Aristotele lib. 2. Rhetoricorum, ἐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ, i. *non est quisquam qui in omnibus sit felix.* Hanc autem humanę felicitatis inconstantiam eximia Pindarus declarauit similitudine Πυθ. π. αὐτερ. ἀ.

——— ἄλ-
λοτε δ' ἀλλοῖαι πνοαὶ
ὑψιπετᾶν ἀνέμων·
ὄλβος δ' οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται. i.
Interdum enim diuersi sunt flatus
Ventorum altè volantium:
Felicitas quoq; hominum accedit non diu (mansura.)

Scholiastes apertius hanc enuntiat comparationem, ὥσπερ οὐκ οἱ αὐτοὶ ἄνεμοί, φησι, διὰ παντὸς πνέουσιν, ἀλλ' ἄλλοτ' ἄλλοι. ὅτω γὰρ καὶ τύχαι τοῖς ἀνθρώποις, οὐχ αἱ αὐταὶ διαμένουσιν· ἀλλ' ἄλλοτε μὲν εἰς κακὸν μεταβάλλουσιν, ἄλλοτε δὲ εἰς ἀγαθόν, i. *quemadmodum non iidem venti*, ait Pindarus, *semper flant, sed alij aliàs: sic felicitas etiam hominum non eadem permanet: contrà interdum quidem in malum mutatur, interdũ verò in bonum.* Idem vates confirmat Pelei & Cadmi exemplis eiusdẽ odes, ἐπῳδ. δ'. ——αἰὼν δ' ἀσφαλὴς
ἐκ ἐγένετο τ' Ἀλακίδᾳ παρὰ Πηλεῖ
τέ παρ' ἀμπτέῳ
Κάδμῳ. λέγονταί γε μὰν βροτοῖς
ὄλβον ὑπάτων οἱ ἔχειν, id est,
——*at vita stabilis ac firma*
Neq; Aeacidæ Peleo contigit:
Neq; Cadmo diuino, quamquam dicantur
Illi felicitatem hominum summam consequuti.

Hîc paraphrasis Scholiastæ duplex est. Βίος δὲ ἀσφαλὴς οὐ ἄπαιστος ἐδαμῷ ἐγένετο, ὅτε θεὸς τῷ ἰσοθέῳ Κάδμῳ, ὅτε θεὰ τῷ Αἰακίδῃ Πηλεῖ· καί τοι λέγονται ὑπὲρ ἀνθρώπων δαιμονίαν μοῖραν ἐσχηκέναι. Ἄλλως, βίος δ' ἀεὶ ἀσφάλιστος οὐκ ἐγένετο καὶ βλάβης, ὅτε τῷ Πηλεῖ, ὅτε τῷ Κάδμῳ.

10 Superius axioma confirmat triplici exẽplo tanquam genus quoddam suis formis. Primum est Achillis, qui, rametsi clarus & fortis habitus est, iuuenis tamẽ obiit. Alterum est Tithoni, qui ab aurora immortalitatem quidem consecutus est, sed miseram & languidam senectutem expertus: cuius quum ipsum tæderet, in cicadam aridissimam maximeque garrulam mutatus est: vnde Tithoni senectus vsurpatur prouerbij loco pro misera & laboriosa. Quemadmodum Lucianus vsurpauit in dialogo Zenophantæ & Callidemidæ, καὶ ὑπὲρ τὸν Τιθωνὸν ὁ γέρων ἔζη, i. *& senex supra Tithonum viueret*, id est, longius ac diutius Tithono.

11 Tertium est sui ipsius & Grosphi: quod è loco dissimilium tractatur: *Tu es dines pecoris, multisq; rebus aliis circumfluis:* quarum tres hîc species memorantur, Greges, armenta, panni murice infecti: antapodosis, *mihi verò summa rerum tenuitas, tenue quoq; ingentum adest.* Simili quoque argumento Virgil. Eclog. 1. tractauit otia Tityri & labores Melibœi. *Itaq; in conditione vtriusque, licet tam dissimili, si sapimus, tranquillitatem animi possumus tueri.* Hoc putaui confici posse exantecessione.

Enarratio Grammatica.

Otium Dinos.] Hæc Ode inscribitur Grospho, qui, teste Porphyrione, fuit eques Romanus & Siculensis. Prærereà quia otium est verbum μέσον, id est, potest in meliorem, vel in deteriorem sumi partem; illud primùm definiam, deinde distribuam in suas species. Aristot. Polit. 7. scribit πῶς χρὴ σχολὴν εἶναι πρὸς τῆς ἀσχολίας, *otium esse finem negotij & occupationis:* confecto enim negotio requiescimus. Hinc perspicitur otium & requiem opponi priuationi negotij & laboris. Est autem otium duplex: vnum laudabile, cuius honestum aliquod opus & vtile Reipub. exstat: quale fuit illud P. Scipionis Africani in præfatione lib. 3. de offic. Quale etiam sibi fumebat aliquando ipse Cicero, quamuis sæpè magis inopiâ negotij, quàm requiescendi studio constitutum: eo tamen excitabatur & acuebatur ipsius animus ad scribendi operam. Vnde multa quidem exstiterunt opera breui tempore, vt ipse ibidem dicit: atque adeò sæpè in libro de finibus bonorum & malorum, & in Tusculanis huiusmodi otia vocat scholas, id est, lucubrationes & disputationes per otium in vtramque partem agitatas: qualem otij præstantiam si perfectâ imitatione P. Ramus consequi minùs potuit, voluntate certè proximè eò accedere tentauit ad bonam & immortalem publicæ vtilitatis memoriam: dum suas de liberalium artium distinctione meditationes & commentationes, scholarum Grammaticarum, Rhetoricarum, Dialecticarum, Physicarum, Metaphysicarum, Mathematicarum nomine vocauit. Alterum autem otium est illiberale & turpe; de quo sic Euripides in Iphigenia:

Τίκτει γὰρ ἥδιστον εἰκαία σχολὴ
Θεὸς ὃ τοῖς ἀργοῖσιν ἀεί ποτε.

Nihil parit boni otium inane, neq; Deus desidiosis adest. Tantum verò abest à perfectione alicuius boni operis inertissimum ac desidiosissimum otium, vt Aegysthum impulerit ad nefarias cædes Atrei & Agamemnonis, ad fœdum adulterium cum Clytemnestra: vnde Ouidius lib. 1. de remedio amoris:

Quæritur, Aegysthus quare sit factus adulter,
In promtu causſa est; desidiosus erat.

Eódem

Eódem spectat hoc eiusdem distichon:

Nonne vides, tota vt corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ.

Eam ob rem hîc potest audiri admonitio nostri poetæ è tertia Satyr. lib. 2.

——vitanda est improba Syren
Desidia:

Similiter Catullus ad Lesbiam de hac esca malorum:

Otium reges prius & beatas
Perdidit vrbes.

Tale fuit illúd Romanorum, quod Sallustius deplorat in 1. histor. *Eâ tempestate mihi imperium populi Romani multò maximè miserabile visum est: cui quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis paterent: domi otium atque diuitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent; fuêre tamen ciues, qui seq; Remq; publicam obstinatis animis perditum irent, &c.* Meritò igitur Hesiodus, vt Plutarchus scribit in vita M. Catonis ad finem, *τὴν ἀρχὴν ὡς ἀδικίας ἀρχὴν κελοιδόρησε, ignauiam, vt iniustitiæ fontem conuiciis insectatus est.* Non igitur immeritò dicitur Solon in Laertio statuisse, *ὁ ἀργὸς ἴσα δ' ἔθων & ἔχω παιτὶ τῷ βουλομένῳ χρᾶσθαι*, i. *vt, qui sectaretur otium, is esset cuius accusare ipsum volenti obnoxius.* An verò etiam otiosos dicemus eos, qui tesseris ludant, luxui, iocis, risui & voluptatibus se dedant? Hîc audiatur Xenoph. lib. 3. de dictis & factis Socratis: *Et si*, inquit, *videntur aliquid facere, qui talibus vacant; otiosi tamen dicendi sunt: Liceret enim illis meliora facere talibus dimissis.* Liber mihi quidem hucetiam Platonem appellare, iuuentutis admonendæ gratiâ, qui in Theæteto efficientiam otij & laboris ita proponit: *Ἡ τῆς σωμάτων ἕξις ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας διαλύεται· ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων, ὡς ὑπὶ τὸ πολὺ σώζεται. Ἡ δ' ἐν τῇ ψυχῇ ἕξις ὑπὸ μαθήσεως μὲν καὶ μελέτης, κινήσεων δὲ τοιούτων τε μαθήματα καὶ σώζεται καὶ γίνεται βελτίων. ὑπὸ δ' ἡσυχίας, ἀμελετησίας τε καὶ ἀμαθίας ὅσης, ὅτε τι μανθάνει ἔπειτα αὖ μάθῃ, ὑπολανθάνεται. Habitus quidem corporum desidiâ & otio dissoluitur: sed exercitationibus, vt multum, alitur & augescit & sustentatur. Habitus autem animi institutione & meditatione, qui sunt motus, præter quàm quòd comparat disciplinas, & his Rempub. iuuat, maior & melior efficitur. Contrà verò si in otio viuit, inertia & disciplinæ contemtione, nihil discit, & quæ didicerit, obliuiscitur.* qua de re celebratur hoc Catonis dictum, *nihil agendo homines malè agere discunt:* cuius ratio potest hæc reddi: quòd ingenium hominis naturâ sit inquietum, semperq; vel meditatur, vel agit aliquid. Itaq; fieri non potest, quin animus, sic inquietus, nisi ad honestũ aliquem se applicet laborem, in prauas cogitationes conuertatur. Scribit quoq; Plinius in præfatione naturalis Historiæ illũ hominis inquietem animum pasci opere, vt corpus cibo & potione sustentari. Audiatur quoq; Plutarch. in vita Alexandri: *Δικαιότατον μέν ἐστι τὸ πειθαρχεῖν· βασιλικώτατον δὲ τὸ πονεῖν. Maximè est seruile delicatam, mollem, & otiosam agere vitam: Contrà maximè regium est laborare.* Hæc Alexandri sententia vera fuit & est regia, ideoq; iuuentuti semper ob oculos proponenda, memorięq; mandanda, vt se maturè à praua Thracum consuetudine abstrahat, *οἵ γε ἥδιστον τὸ ἄρχειν εἶναι φάσκοντες· γῆς τε ἐργάτην, ἀπιμώτατον· qui summæ ducebant laudi otiosum esse, sed summo dedecori cultorem esse terræ.* Cõtrà meminerit illud Platonis, *οὐ παιδῶν ἀσκεῖν δεῖ παίζοντα καὶ ἀπεδάζοντα· à paruulo exercendam esse ludicris ac seriis rebus, in quibus excellere volet.* Itaq; Scipio Africanus consulere solebat, dandum potius esse negotium Populo Rom. quàm otium faciendum: *αὖτη γὰρ, οἶμαι, ἀρχὴ μὲν ἐν φρεσὶν ἐκείνων κακίας πάσης, μάλιστα δὲ πλεονεξίας ἐνέφυσεν· Hæc enim, puto, otij abundantia illorum animis inseuit omnia vitia, maximeq; perfidiam,* quâ notãtur à Demosthene Olynth. 1. quanquam hîc dicuntur *ἄπιστοι φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις εἶναι*; illam tamen naturæ propensionem auxit consuetudo viuendi. Sed Poeta non videtur hîc apertè intelligendus de alterutro hoc otio, imò de tertio quodam genere, quod Socrates definiebat tranquillitatem animi ab omnibus cupiditatibus, negotiisque turbulentis maximè vacui.

Aegæo.] Varia est huius vocis ratio. Quidam enim existimant hanc maris mediterranei partem Græciæ finitimam, quæ distinguat Asiam ab Europa. dici à scopulis effigiem capræ ostendentibus: alij ab Aegęo Thesei patre illuc præcipitato, vel ab Aegæa regina Amazonum demersa: alij aliunde. Ideò creditur Aegæum mare valdè procellosum & periculosum, patulũ & vastũ, propter confractos multarũ insularum exitus, quarum situ refertur etiam quædã similitudo caprarum, vt iam dictum est. Videtur præterea referre Aegæum speciem adiectiui, vt Masicum: attamẽ alteri adiectiuo adstructũ habet vim substantiui, vt in pocula veteris Masici.

Simul.] Id est, simul atque, & quum primùm nubes atra Lunam occultauit & obscurauit, mercator deprehensus in mari rogat Diuos, Pollucem, Castorẽ & Neptunum. Virg. 1. Æneid. sic tempestatem circumloquitur: *Nox incubat atra*, quam Græci appellant *νύκτα σκότον*.

Thrace.] Regio Europææ Græciæ finitima Macedoniæ & amplissima vel à Thrace Martis filio, vel *ἀπὸ τῆς θρᾴκης*, quod posterius tamẽ mihi non improbatur, propter dissimilitudinem scripturæ, quum natura regionis sit aspera & intractabilis soli & cæli, cuius topographiam lege apud Strab. l. 7. & de moribus Thracum lib. 13. sicut de Medis ac Persis pharetratis libr. 11. Plinium quoque l. 4. c. 11. *Thraca* verò & *Thrace* Græco fine verba Poetica sunt vt Thracia historicum & oratorium. In *Thrace* autem & in *Medi* repete à superiori, *rogant Diuos otium nullo precio venale.*

Venale.] Hæc vox dirimitur & cæditur versus caussà, vt *interlunia* Ode 25. lib. 1.

Gazæ.] De hac voce repete, quod dictum est Ode 29. lib. 1. Præterea omnes populi orientales, Parthi, Medi, Persæ, iaculandi peritiâ excelluerunt.

Lictor summouet.] Quod Græcè dicitur *ὁ ῥαβδοῦχος ὄχλον πολὺν ἀπωθεῖται*, non tamen solùm lictoris erat turbam summouere magistratui, sed etiam iubere, vt animaduerteret, attenderetque ea, quæ proponenda erant. Suetonius in Iulio Cæsare cap. 8. *Quum lictor animaduerti ex more iussisset, ab vniuersis conclamatum est.* Sed de officio lictoris in summouenda turba incedenti magistratui lege Liuium li. 3. in caussa Virginiana, & lib. 24. de Fabio Maximo.

Laqueata.] Hæc vox speciem præ se fert participij: deflectitur tamen à laquear, vnde prius fit *λακουάριος* à lacunar, & hoc à lacu: ait Seruius citans hunc locum. At quoniam c. & q. literæ sunt *ἀντίστοιχοι*, quæ vicarias sibi & mutuas tradunt operas in vocibus coniungendis aut deflectendis (quales sunt literæ tenues & aspiratæ Græcorum) pro Lacunar dicitur laquear. Priori Cic. vtitur Tusc. 5. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari setâ equinâ appensum demitti iussit.* Item ipse Poeta 18. Ode huius libri:

Mea renidet in domo lacunar:

posteriori Virgil. Æneid. 8.

Erigitur, summoq; ferit laquearia tecti.

quæ sunt tabulata magnarum ædium & cameræ variis coloribus aspersæ: quales erant Carthagine apud Didonem: *pendent Lychni laquearibus aureis.* Gallicè *Planchers lambrissez.*

Mensa tenui.] Quam Martialis vocat *sine arte mensam* & facilem conuictum *καὶ ἀπέριττον*· cui opponitur illa Virgilij, *epulis varijs onusta*, lib. 1. Aeneid. Epulis onerant mensas.

Salinum.] Sic Satyr.3. lib.1.

——modò sit mihi mensa tripes &
Concha salis puri, & toga, quæ defendere frigus,
Quamuis crassa, queat.

Hoc est imitatus Persius Sat.3.

——sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.

In profanis olim habitum est, mensam carere salino, vt ex illo Arnobij constat: *Sacras facitis mensas salinorum appositu & simulacris Deorum.* Ita Valer.lib.1. scribit, C. Fabricio & Q. Aemilio Pappo fuisse patellam Deorum & salinum in mensa in tutelam conuiuarum: vnde illud hemistichium Statij:

Castæ Genius tutelaq; mensæ,

de Hercule ὀπισθαπεζίῳ.

Cupido.] Hæc dictio multùm Grammaticos habet sollicitos, quâ notione & genere distingui debeat: quo certè cruciatu facilè illos liberabit genus tropi pro auaritia, vt in Rhetoricis dicetur.

Breui æuo.] Est interpretatio adiectiuorum ὀλιγοχρόνιοι καὶ μινυνθάδιοι.

Quid terras alio calentes sole mutamus?] Id est, *quid mutato alio solo migramus in regionem alio sole calentem?* Hoc quidem non eò dictum putes, quòd plures sint soles; sed quia pro varietate climatum videtur regiones orbis diuersâ radiorum suorum temperie afficere sol vnicus. Vel explica per expletam ellipsim: *quid mutamus terras alio calentes sole cum nostris?* Aristoteles quidē lib.1. Rhetor. scribit τὸ μεταβάλλειν ἡδύ, *commutationem esse rem iucundam:* vnde senex Terentianus in Eunucho Act.5. Sc. 6. maximam capiebat voluptatem quum ex vrbe conferebat se rus propinquum: Vbi satias cœpit fieri; commuto locum. Idem tamen lib.7. Ethic. sententiam Euripidis in Electra videtur improbare: ὅτιμὴ εἴρηται μεταβολὴ πάντων γλυκύ· vnde cōmutatio rerum omnium dicitur *suauis & iucunda:* sed vt hæc vera sit, culpâ humanæ naturę & nostræ imbecillitatis fieri docet.

Quis exsul.] Horatius quidem dicit exsul patriæ; sed Liuius, *exsul & extorris à solo patrio*, à quo Grammatici deflectunt exsul, vt extorris à terra, quasi extra solum, & extra terram.

Scandit.] Hæc sententia repetitur Ode 1. lib.3.

Timor & minæ
Scandunt eodem quò dominus.

Turmas.] Grammatici putant turmam dictam à terra terenda pedibus equorum, & constantem ex triginta equitibus, cui vox Græca ἴλη vel ἡ ξιξ ιχὸς, vel τὸ ςιφω respondet significatione: alij tamen affirmant esse agmen sexaginta quatuor equitum. ἴλη dictum ἀπὸ τὸ εἰλεῖν, à cogendo in arctum.

Cerui.] His epithetis donantur cerui à Latinis Poetis; alipedes, leues, alati, æripedes, quod postremum Græci dicunt χαλκόποδες & interpretantur ςερεὺς καὶ ἀκοπάστους, quasi solidis vngulis indefatigabiles.

Agente nimbos.] Hanc vocem puto inclinamentum habere ἀπὸ τ. νέφω, quod definitur ab Aristotele libro de Mundo: τὸ πάχος ἀτμῶδες συνεςραμμένον, γόνιμον ὑδάτω, *densitas vaporum conglobata, & aquæ fœcunda:* & à Plutarcho lib. de primo frigido & notatione & definitione simul declaratur: νέφω ὁ συμπιεσθὲν καὶ πυκνωθεὶς ἀὴρ, ἀποφαπὸς φωτὸς κέκληται. hoc est, *nimbus vocatus est aer coactus & densatus, quasi è negatione,* id est priuatione *lucis.* Seruius in vers. Aeneid.1.

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris.

hanc vocem sic enodat: *Nimbi nunc ventos significant: plerunq; nubes & pluuias.* Ergo prout locus fuerit; intelligendū est. Propriè tamen dicuntur nimbi repentinę ac præcipites pluuiæ. Nā pluuias vocamus lętas & iuges.

Euro.] De ventis orientalib. dictum est Ode 28. lib.1.

In præsens.] Ita loquitur Epist. ad Pisones, *Præsens in tempus omittat.* Isocrates hoc videtur reddere per ἐν τῷ παρόντι, non, εἰς τὸ παρὼν, quum ita Epistolâ 2. loquitur: ἐν δὲ τῷ παρόντι περὶ τῶν ἰδίων διηλώσομεν, id est, *in præsenti verò de priuatis rebus agemus.* Cicero etiam imitatus Græcos sic loquitur epistolâ 10. lib.2. ad famil. *Hæc ad te in præsenti scripsi, vt speres te assequi id, quod optasti.* Sic quoq; Liu.l.34. *Daret talenta centum argenti in præsenti:* quale temporis momentum iidem alibi exprimunt per, *in præsentia,* vt epist.5. lib.4. ad famil. *Quæ in præsentia mihi venerunt in mentem.* & hoc Cicero primâ Catil. opponit huic, *in posteritatem,* & ad Brutum, *in posterum.* Hunc autem locum existimo sumtum è Theognide, sicut monui, quum Huraltho spitaliis hunc ipsum Græcum Poetam prælegerem:

Νῶῖ μὲν πίνοντες τερπώμεθα, καλὰ λέγοντες·
Ἅσσα δὲ ἔπειτ' ἔσται, ταῦτα Θεοῖσι μέλει, id est,
Nunc potione nos oblectemus, sermonibusq; honestis:
Quæ futura sunt, hæc Dij curent.

Nihil est.] Hoc quoque depromptum est ex eodem Poeta:

Οὐδείς τοι πάντ' ὄξι παρόλεῖ· ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς
Τολμᾷ ἔχων τὸ κακὸν κ' ἐκ θυμοῦ δηλῶ ὅμως.
Δειλὸς δ' ὅτε κακοῖσιν ὑπίσατai, ὅτε ἀγαθοῖσιν
Θύμον ἔχων μίμνειν.

Iam in Dialecticis huius sententiæ vis comprehēsa est, sed non ad verbum de Græco expressa: ideo sic verto:

Nemo est in omnibus omnino beatus: vir quidem bonus
Sustinet confidenti animo malum, nec id tamen prodit vultus:
Sed improbus neque in bonis neq; in malis sibi constans manet.

Huc pertinere videtur illud Pindari εἰδ. ε. ἐπωδ. κωλ. δ. Πυθ. Πόνων δ' ἄπῃς ἀπόκληρός ὄξιν, ὅτ' ἔσται· id est, *Nemo est expers malorum, neque futurus est:* quod est sumtum è conditoribus testamentorum, qui, dum volunt aliquem exheredare, dicunt se ἀπόκληρον αὐτὸν ποιεῖν, aut vno verbo ἀποκληρῶν, illum hereditate priuare.

Achillem.] De Achille vide Oden 6. lib.1. vt de Tithono Oden 28. eiusdem libri: quem senectus extenuauit, & Eustathius initio Iliad. λ. narrat ex Hieronymo quodam: ὅτι Τιθωνὸς ἀδελφὸς Πριάμου ἦν βαθὺ γήρως ἐλάσας, καὶ ζῆν μηκέτι ἐθέλων, ἠτήσατο θεὸν τῆς Ἠοῦς θάνατον· id est, *Tithonus frater Priami, summâ senectute prouectus, & nolens longiùs viuere, mortem ab Aurora precatus est.* Vides hîc Tithonum esse fratrem Priami qui fuit filius Laomedontis; atqui huius fratrem facit Tithonum Seruius in 4. Aen. sicut Ode 24. li.1. Τὸ δ' Τιθωνὸς ὅτι τῶ πταίνειν ab extendendo flectitur, quòd æuo vixerit extento ait Eustath. in Ιλιαδ. α.

Bis tinctæ.] Interpretatio est vocis Græcę τῶ διφάφω παρὰ τὸ δὶς βάπτειν· quā Cic.l.2. Epist. ad fam.15. fecit Latinam.

Murice.] Murex est piscis de genere conchyliorum, vel ipsum conchylium, cuius cruore & liquore (qui ostrum dicitur) inficiebantur lanæ & purpureæ fiebant: copiosè autem excipitur conchylium in Africa, Sidone, & Tyro, vt dicetur Epist.10. & lib.2. Epist.2. *Gætulo murice:* quia Gætuli fuerunt etiam primi Libyci, qui tenuerunt Africam.

Spiritum.] Pro, ingenium tenue mihi Parca constans & vera afflauit.

Malignum.] Pro illiberale, inuidum & iniquum.

Spernere.] Syntaxis videtur Græca, qualis est Iliad. γ. Ζεῦ ἄνα δὸς πῖσαθαι, ὃ μὲ πρώτερον κάκ' ἔοργε. id est, Iupiter rex da mihi vlcisci eum, qui me prior malo affecerit. sic Virgilius Aen.5. bis,

——Argenti magnum dat ferre talentum.

& paullò pòst: *Loricam dat habere viro.* vbi Quintilianus

nus lib.9.cap.3.docet esse vsum verbi pro participio ferendum & habendam donat. Ad cuius normam hîc interpretari licet: Dedit vulgus spernendum, vel, dedit mihi facultatem spernendi vulgi.

Explicatio Rhetorica.

GEnus carminis est Sapphicum.

[a] Συνεκδοχὴ generis pro Castore & Polluce, quos Διοσκόρους Græci vocant, & mercatores deuocant, quum Africum Icariis fluctibus luctantem metuunt, vt dictum est Ode 1. lib.1. [b] Metonymia est caussæ pro tempestate futura,& mox oritura. Existimo autem hęc duo hominum genera latiùs sumenda esse per synecdochen pro quibuslibet grauiter laborantibus in opibus& honoribus parandis: sicut *Aegæo* pro quouis periculoso mari. Qui in Aegæo metonymiam notarunt, explicantes pro vasto quolibet & amplo mari, non animaduerterunt, talem explicationem designare modum synecdoches,quo è specie significatur genus: non autem vllus metonymiæ modus. [c] Metonym.subiecti pro Thracibus in prælium furiosè ruentibus.

[d] Ter repetitur *otium* initio sententiarum per Epanaphoram. [e] Metonym. est adiuncti pro dignitate Consulari. [f] Altera meton. sed effecti pro efficiente miseros homines. [g] Metaphora est à bello pro perturbationibus animi & cupiditatibus. [h] *Tecta* synecdochen habent membri pro integra domo diuitum laqueatis, vel laquearibus coloratis splendida.

[i] Ab auibus sumtum est, quarum assiduis motibus similes sunt curæ hominum,huc atque illuc impellentes subinde animos eorum. Hîc quidam agnoscunt hypotyposin. [k] Synecdoche est speciei pro quouis genere supellectilis tenuis & apparatus, frugalis victus, & minimè sumtuosi. [l] Cupido metonymiam habet, qualem sæpè *Bacchus, Venus, Ceres*, quum pro rebus à se inuentis vsurpantur, vino, amore, frugibus, id est, caussæ sunt, pro effectis. Sic Cupido Deus cupiditatum, pro ipsis cupiditatibus, quas epithetum, vt hîc, sæpè distinguit genere minimè mutato, quamuis vulgò ὡσὲ τὸν ἐρωτικὸν ἵμερον ἢ τὸν ἐρωτικὸν ὀπτυμίαν μόνον, ad amorem solùm referatur, vt ad affectum reliquorum maximè furiosum & ardentissimum, vt εἰδύλ.α. Moschi mater ipsius de eo sic loquitur:

Τοὶ πικροὶ κάλαμοι, τοῖς πολλάκι κἠμὲ πιέρωσκει·
Παῖπα μὲν ἄγρια, πάντα, πτερὸν πλέον δὲ οἱ ἀμπώ·
Βαιὰ λάμπας ἐοῖσα τὸν ἄλιον ἀντὸν ἀναίθει. id est,

Illi acres sunt sagittæ, quibus sæpenumerò etiam me vulnerat. Omnia crudelia, omnia, atq; adeò eidem parua est fax, quæ solem ipsum adurit. Non sum equidem nescius hanc tropi notam non omnibus gratam fore: placuisse tamen quibusdam etiam certò scio, & in his maximè Henrico Stephano, dum vocem ἵμερος interpretatur, vbi Seruius obiter notatur. [m] Metaph. est à sagittariis, pro, affectamus, molimur, proponimus tanquam scopum: quo tropi genere Græci sæpè dicunt στοχάζεσθαι.

[n] Meton.est subiecti pro adiunctis cupiditatibus & affectibus, quibus non soluitur quàm longissimè fugiens. [o] *Scandit & relinquit* similiter sonant in principio & clausula sententiarum per Epanalepsin.

[p] Anaphora est. [q] Videtur hîc esse Allegoria è gemina metaphora à Pharmacopœis, qui solent amara dulcibus,vt Aloen,Saccharo temperare: Sic ἀυλαχὴς res aduersas summâ æquitate animi & moderatione tanquam fomentis lenire ac ferre solet. [r] Synecdoche integri pro solo ipsius piscis cruore ad lanas purpurâ tingendas. [s] Metonymia est subiectæ mentis pro vena & facultate Lyricæ Poeseos sibi adiuncta per Parcam: quâ priori vtetur Ode 18. huius libri *Benigna vena*, per tropum alium. [t] Metonymia est subiecti pro spernere vulgi plausum, fauorem & malitiosa suffragia ad honores consequendos.

Ode XVII. Ad Mæcenatem ægrotvm.

Theticum.

Quòd Mæcenas non obiturus sit ante Horatium ex astrorum consensione,& indissolubili ipsorum coniunctione, Ἀφ' ἧς πρὸς ἀμφοτέρους ἀδιαιρέτως καὶ αὐτοβλήτου φιλίας.

VT me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum est, [a] *nec mihi, te priùs*
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, [b] *columenq; rerum.*
[c] *Ah! te meæ* [2] *si partem animæ rapit*
Maturior [d] *vis; quid moror alterâ,*
Nec carus æquè, [3] [c] *nec superstes*
Integer? Ille dies vtramque
Ducet [e] *ruinam:* [5] *non ego perfidum*
Dixi [g] *sacramentum:* [6] *ibimus,* [h] *ibimus,*
Vtcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
[7] *Me nec Chimæræ spiritus igneæ,*
Nec si resurgat centimanus Gyas,
Diuelleti vnquam: [8] *sic potenti*
Iustitiæ placitumq; Parcis.
[9] *Seu Libra, seu me Scorpius aspicit*
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu [i] *tyrannus*
[k] *Hesperiæ Capricornus vndæ:*
Vtrunque nostrûm incredibili modo
Consentit astrum. [10] *te* [l] *Iouis impio*
Tutela Saturno refulgens
[m] *Eripuit, volucrisq;* [n] *fati*
[m] *Tardauit alas,* [11] *quum populus frequens*
Lætum theatris ter [m] *crepuit* [o] *sonum:*
Me truncus illapsus [p] *cerebro*
Sustulerat, nisi Faunus ictum
[q] *Dextrâ leuasset,* [12] [r] *Mercurialium*
Custos virorum. [13] *Reddere victimas*
Aedemq; votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

Analysis Dialectica.

MIhi quidem fit verisimile, vt quibusdam aliis, Poetam, vt fidum clientem aut ægrotanti patrono suo Mæcenati assidentem hoc ceciniſſe, quòd eum audiret de sua ipsius salute desperantem, & insolabiliter apud amicos querentem, aut grauiter de conditione præsentis status dolenti. Quàm autem mortis fuerit metuens, ὡς φιλόψυχος, indicat illud votum in Gram.Odes 1.lib.1.è Seneca notatũ. Itaq; studet illum aliquâ consolatione iuuare, & mortis metũ illi adimere, tanquam eum moneret, μὴ λέγε μεμψίμοιρος ἐφ' ἑκάστῳ ῥήματι

ῥήματι, ἀποθνήσκω, *ne dicas cum querimonia ad vnumquodque verbum, morior.* Prima autem ratio consolationis est è diuino testimonio, quòd Dij non statuerint eum ante Poetam moriturum: vnde videtur efficere id certò vtrique simul ita futurum. Deinde proprio, quòd ipse, cui aliquid Dij propter constantiam veræ amicitię concedant, nolit ita euenire, tanquam Poeta diceret Mæcenati: διαφερόντως σε φιλῶ, ὥστε καὶ συζῶν καὶ συναποθανεῖν ἕτοιμός εἰμι, id est, *tam egregiè te prosequor amore, vt tecum vnà & viuere & mori alacri animo statuerim.*

2 Approbatio est propositionis è distributione totius in partes: quòd tam arcto beneuolentiæ vinculo constricti teneamur ambo, inquit, & in vnum conflati, vt vna pars nec secerni, nec distrahi possit, quin altera simul intereat. Sic Propertius fecit Ioui de puella lib. 2.

Si non vnius; quæso, miserere duorum,
Viuam; si viuet: si cadet illa; cadam.

Sic quoq; Cicero Philip. 13. Antonio de Rep. tanquam de puella vnicè amata: *Fatum meum est, sine Rep. nec vinci posse, nec vincere:* vt alterum sine alterius copula consistere nequeat, quasi esset illi caussa, sine qua non, οἷον ἄνευ τοῦ πάντως ἢ μή. Sic quoque Pamphilus de Philumena Hec. Act. 3. Sc. 1. *Si periculum vllum in te est; periisse me vnà haud dubium est.* Vbi Donatus annotat: *tantus affectus non est mariti tantùm, sed amatoris quoq;.* Ex hoc igitur conficit alteram non obituram sine interitu alterius. Hoc autem argumentum sic σωημμένως enunciatur: *si mors te vnam nostri partem opprimet: me quoq; alteram rapiet.* Hoc consequens enunciati confirmatur loco parium, cuius apodosis sic explenda est in *nec carus æquè: quia non futurus esset posteà, qui me, vel quem ego possim æque amare, atq; tu me, & ego te vicissim amo,* vel, vt Terentius loquitur, Quicum mihi esset æqua pars amoris.

3 Pertinet hæc ratio ex adiuncto ad Protasin, quòd post mortuum Mæcenatem, nulli poterit pariter æqualiterque in amore respondere: quia supererit illi vita dimidio mutilata. Non equidem ignoro quosdam esse, qui illud *Nec carus æquè* referant ad amorem Poetæ in seipsum reciprocum, quòd se non æquè sit amaturus, vt anteà, qui nõ integer erit: sed sensus prior videtur præstare: quia quùm homines duò se mutuis animis amãt, & iidem amantur, is amor cultu est optimus: qualis celebratur à Theocrito εἰδυλλ. ιβ.

Αλλήλυς δ' ἐφίλασαν ἴσῳ ζυγῷ· ἦ ῥα τότ' ἦσαν
Χρύσεοι πάλαι ἄνδρες ὅτ' ἀντεφίλασ' ὁ φιλαθείς.
Mutuò sese illi amabant æquâ lance: tunc sanè homines
planè aurei erant, quum qui amaretur, vicissim amaret.

Per me tamen liceat cuique, vtro velit frui: vel suo meliori vti.

4 Videtur concludere vtrumq; eodẽ die interiturũ.

5 Complexionem confirmat argumento ab arte remoto, cuius generis sunt pacta & obligationes. Itaque Poeta dicit se non reuocasse sacramentum, quo se Mæcenati aliquando obstrinxerat, nolle illi superstitẽ fore: *Ego,* inquit, *iam adhuc teneor illo sacramento, atq; adeò tenebor ad obitum vtriusque nostrùm.*

6 Repetitur idem sacramentum ex adiuncto vnà decedendi paratu.

7 Idem dilatatur collatione parium, vt constantia sacramenti magis appareat: quòd illud tam firmum sit apud se futurum, quàm quod firmissimum: vel tam tenacissimè illud retenturus sit, vt nullâ re, quamuis tetrâ, truculetâ, & terribili possit inde diuelli ac distrahi.

8 Iteratur superius Deorum decretum ad eandem confirmationem.

9 Augetur rursus eadem indissolubilis coagmentatio Mæcenatis & Poetæ caussis efficientibus, quæ maximè cernũtur in cõuenientia horoscopi & astrorũ, quæ pollicentur eundem vitę terminũ vtriq; futurum.

10 Eadem consensio fatalis vtrique necessitatis declaratur parium comparatione: *Te clementia Iouis eripuit à pestilentia Saturni, dum radiis huius aduersa refulsit,* vt loquitur Virgil. *me quoq; dextra Fauni & Mercury liberauit ab arboris casu: quem mihi inuexerat Martis iniuria in Scorpio, cui me fecerat hora natalitia maximè opportunum.*

11 Protasis habet approbationem ex adiuncto, quòd Mæcenas tum ereptus & conseruatus videbatur ab inclementia Saturni, quum populus eidem ab ægrotatione confirmato in theatro maximè congratulatus est & applausit.

12 Apodosis habet etiam breuem approbationem è caussa conseruante, quòd Faunus sit tutor doctorum virorum.

13 Cohortatio est ad extremum loco complexionis vniuersalis, vbi Poeta παρακελεῦται τὸν Μαικλώαν λύειν πῖσι Θεοῖς τὰ σῶρα, vt pro sua vtérque incolumitate votum Diis sospitatoribus persoluat, quo præcipuè Mæcenas se obstrinxerat de construenda Diis æde, si conualesceret: ipsum verò mactaturum paruam victimam pro tenuitate rerum suarum.

Enarratio Grammatica.

CVr me.] Hæc Ode posset iure inscribi συζῶντε καὶ συναποθνήσκοντε, i. *duo conuiuentes & commorientes:* fabulas de huiusce modi nominibus scripsisse dicuntur Diphilus, Philemon, Alexis: huius quoq; principium Græcè pronunciari: ὁπί πινι σὺ καταπλήττεις με καὶ δεδίττεις; ἢ πάνυ ἕνεκα μ' ὀκπλήττεις καὶ δειμάτως μεμιμημένου, id est, *cuius rei causâ me perterrefacis, & animum meum percellis querulus?* propriè autem exanimare dicitur ἀεὶ τὸ λειποθυμοῦντος, ἢ τὸν ψυχὴν ἀδημονοῦντος, ἢ λειποψυχοῦντος, *de eo, quem animus deficit* velut extra se positum & semimortuum aut è metu, aut è cursũ concitatiori omnibus corporis partibus omnino dissolutis. Eiusdem est coniunctionis ac ferè notionis ἐκφοβεῖν illud verbum lib. 3. de Orat. è quodam Poeta Tragico, *Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat,* id est, mentem ex sua sede & statu demouet, quod Græcè etiam dixeris: ἐξίστασθαι καὶ διαφορεῖν φόβῳ. Geminatur quoque hoc verbum cum *interimere* in Orat. pro Milone: *Me exanimant & interimunt voces Milonis:* Gallicè *le cris de Milon me font mourir.* Sic Terentius in Eunucho Act. 3. Sc. 5. *qui me rogitando obtundat, & enecet.* Sic dicitur Poeta gloriosus exanimari à lento spectatore Epist. 1. lib. 2. Sic Cælius Ciceronis Epist. 16. lib. 8. *exanimatus sum tuis literis.* Item Cicero Papirio Pæto Epist. 15. lib. 9. *miraris me tantâ perturbatione valetudinis tuæ tam grauiter exanimatum fuisse?* incendere autem querelis aliquem, est velut gradus ad exanimationem, quomodo loquitur Virgil. lib. 4. Aeneid. vers. 360.

Define meq; tuis incendere teq; querelis.

Donatus in Hecyr. Act. 3. Sc. 3. distinguit *exanimatum* ab *exanimum,* quòd illud sit summè conterritum & conturbatum: hoc autem occisum & mortuum. Attamen exanimari gaudio, vt tristitiâ, sæpè homines dicuntur, pro mori & exanimes decidere: quorum exempla repete è lib. 3. cap. 15. apud Agellium.

Nec Dîs amicum.] Interpretatio est huius Græci, ἐ φιλοῦσι θεοῖς, vel vnâ verbi iunctiurâ, ἐ θεοφιλὲς, pro, non est Diis carum, neq; acceptum, neq; placet: quibus opponuntur θεοῖς ἐχθρὸν καὶ θεομισὲς, *Diis inimicũ & inuisum.* Hoc modo interpretamur illud Homericum Iliad. β.

Οὔτω πῃ Διὶ μέλλει ἀφαμενεὶ φιλὸν εἶναι

vno verbo Δίφιλον.

Ita fortasse Ioui maximo gratum futurum est & placebit. Sic debet sumi τὸ δισταικὸν (πῃ) per addubitationem

nem ex Eustathio. Illud quoque Theognidis initio:

Ὅ'τι καλὸν, φιλόν ἐστι· τὸ δ' οὐ καλὸν, οὐ φιλόν ἐστι·
Quod est pulcrum, est amabile: contrà
quod non est pulcrum, non est gratum neq; placet.

Grande decus.] Quod Pindarus Πυθ. β. sub finem dicit, ὃς ἀνέχει τότε μὲν τὰ κείνων,
τοτὲ δ' αὖθ' ἑτέροις ἔδωκε μέγα κῦδος, id est,
Qui (Deus) *ornat interdum res illorum,*
Interdum autem aliis tribuit
etiam magnum decus. Grande decus & columen dicitur, vt Ode 1. lib. 1. geminauit *præsidium* & *dulce decus*, aliquando *decus* & *ornamentum*. Varro deflectit columen à columo pro quo posteà culmo. Sic Terentius *Columen familiæ, L'appuy & pilier de la maison.* hic locus est in Phorm. act. 1. Scen. 5. εἰρωνικῶς tamen intelligendus,

——*oh,*
Bone custos, salue columen verò familiæ,
Cui commendaui filium hinc abiens meum.

Item actione 7. in Verrem, *Timarchides autem columen familiæ vestræ premit fauces defensionis tuæ, vt loqui pro te non possit.* Quod etiam Græci dicunt, ἱκρίον, τὸ ξύλον ὀρθὸν βαστάζον τὸν ὄροφον, *lignum erectum sustinens tectum* aut τὸ κατήλιφα. Pro columine Poeta vsurpauit columnam Ode 35. lib. 1.

Iniurioso ne pede proruas Stantem columnam:

vt annotauit Donatus in Phorm. Act. 2. Sce. 1.

Partem animæ.] Sic erga Virgilium profitetur se bene animatum Ode 3. l. 1. vbi vide, vnde sumtum sit.

Maturior.] Quanquam vis comparati addit aliquid ad huius vocis notionem; primigenia tamen & *maturum* & *maturè* valent interdum festinum, repentinum, citò & ante tempus, quomodo Donatus interpretatur illud Eunuchi Act. 5. Sc. 5. *cognoscere mores meretricũ maturè.* & Cic. pro Cæcinna: *Sed huic fructum maturè Fortuna ademit*, i. citò & ante tempus. De vi huius vocabuli & ab ipso declinatorum lege lib. 10. cap. 11. apud Agell.

Moror altera.] Ellipsis est substantiui *pars*, id est, quid ego alter amicus retardo meum decessum è vita te mihi erepto? sic loquitur Sinon accelerans simulatè festinationem Troianorum ad supplicium de se sumendũ, *Quidve moror.* Aeneid. 2.

Nec superstes.] Ita Horatius loquitur de se & de Mæcenate, quasi de viro & vxore, vbi mortuus maritus dicitur ab Ouidio superstes parte dimidiâ, vxore in vita manente: aut potiùs imitari videtur Poeta Gallos Adcantuanni Soldurios, vel, vt Eustathius appellat in lib. χ. Ιλιαδ. sub finẽ, Σιλοδόρυς δὲ χωλιμαίους, τὰς τῷ βασιλεῖ σφῶν συζῶντας καὶ συναποθνήσκοντας, *Siloduros deuotos vnà cum suo rege viuere & mori*: quod Cæsar apertiùs memorat lib. 3. bell. Gall. sub finem: *Quorum hæc est conditio, vt omnibus in vita cõmodis vnà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dederint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant, aut sibi mortem consciscãt. Neq; adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret*, vt vno cadente nè queat alter stare. Seneca lib. 1. c. 4. de Clemẽtia idem prædicat, quum de Nerone sic loquitur, *Olim ita se induit Reip. Cæsar, vt diduci alterum nõ posset sine vtriusque pernicie. nam vt illi viribus opus est: ita & huic capite.* ἡ γὰρ κεφαλὴ ἔχει τινὰ συμπάθειαν πρὸς ἓν ἕκαστον μέλος, i. *Caput enim quendam habet cum vnoquoq; membro consensum perpessionis.* Profertur etiam alia ex Athenæo huius nominis scriptura, innixa Nicolai Damasceni auctoritate, qui dicitur succreuisse Cæsaris ætati, & eosdem nominasse Σιλοδόνους, homines semper votis suis satisfacientes, sicut epithetum Eustathij suprà indicauit, & locus Cæsaris fusiùs conuertit Latinè. Cæsar eos vocat lib. 7. clientes, & vt olim vox communis fuit Germanis & veteribus Gallis: Sic etiam hi ad illam alludentes dicunt milites ære merentes, solidarios, Gall. Soldars; quamquam verius videntur sic nominari à genere nummi aurei, quem Solidum Lampridius in Alexandro appellat.

Ducet ruinam.] Pro, adducet ruinam & funus vtrique & vtrumque labefactabit. Aliter pro ducere ruinam dixit Sat. 8. lib. 2.

Interea suspensa graues aulæa ruinas
Impatinas fecêre. Hic autem valet, iisdem mortis telis concidet vtérque. Propriè autem Virgilius secundo Aeneidos de turris lapsu dicit:

——*ea lapsa repentè ruinam*
Cum sonitu trahit.—— Et 12. Aeneid.
——*dabit ille ruinas*
Arboribus stragemq; satis: videt omnia latè, i. euertet.

Perfidum sacramentum.] Hoc Græci sic efferunt: ac primùm Homerus Iliad. δ. mutatis temporibus: Οὐ μέν πως ἄλιον πέλεται ὅρκιον, quod interpretes explicant ἀδαμῶς μὲν μάταιον καὶ ἄπρηκτον ἡμῖν ἔσται τοι ὅρκιον· *nullo modo vanum & irritum erit iuramentum*, affirmabat Agamemnon fratri Menelao vulnerato. Deinde οὐκ ἐγὼ μὲν ἄπρηκτόν σοι ὅρκον ἔδωκα. Formula militaris iurisiurandi est apud Agell. lib. 16. c. 4. quæ breuiter è lib. 2. Vegetij pronunciari potest: *milites iurabant se strenuè facturos, quicquid eis Imperator præscriberet, nec militiam deserturos.* Iidem obstricti & auctorati sacramento dicebantur, sed eodem soluti, exauctorati & liberati: cuius vocis ratio redditur à Varrone lib. 4. de ling. Lat. *Ea pecunia, quæ in iudicium venit in litibus sacramentum dicitur à sacro: Qui petebat & qui inficiabatur de alio rebus, vtérq; quinquagenos aris ad Pontificem deponebat: de alis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat: victi, ad ærariũ redibat*, vnde *sacramento cõtendere cum aliquo* lib. 7. ad fam. *Volumnium* Epist. 32. Item li. 1. de Orat. Itẽ Valer. Max. libell. 7. c. 7. & 8. Vide etiam de sacramento Festũ.

Vtcunq;] De hac voce monuimus Ode 32. lib. 1. Sensus autem est: *quandocunq; te sentiam præire, paratus ero vnà tecum viam, vt viuendi, sic moriendi ingredi.*

Chimæræ.] De *Chimæra* Ode 27. eiusdem libri.

Carpere parati.] Ita Plancus lib. 8. ad familiares Epist. 8. loquitur per infinitum: *vt ipse ita sum animo paratus vel prouinciam tueri, velire, quò Respublica vocet*: sed Cicero sæpiùs per ad: *paratus optimè ad omnia prouidenda, ad bellum, ad fortunam, ἕτοιμος πρὸς τύχην.*

Gyas.] Hesiodus in Theogonia tres ἑκατογχείρους, *Centimanos* memorat Cæli & Terræ filios: Cortum, Briareum, Gygen, qui Ode 7. lib. 3. ita nominabitur. Centimanorum, vt Centaurorum, Originem multi improbant: in his Aristoteles, Galenus, & Lucretius. Sed Plutarchus in Libello, *an ratio brutis insit*, videtur tribuere ortum monstrorum promiscuis hominum cum bestiis congressibus. Quidam pro vltimo Γύγης, Γύης, & pro primo Κόττος, Κόττος putant legendum esse: & hi etiam Titanei dicti sunt, & bellum cum filiis Saturni decennium gesserunt: quos Dij tandem victos in Tartara deiecerunt: propterea hîc dixit, *nec si resurgat*: vide Ιλιαδ. α. de Briareo. Parùm autem hîc intererit vim argumenti ponderantis, quomodo legas hæc nomina.

Potenti iustitiæ.] Hanc vim iustitiæ referunt ad officium veræ amicitiæ, quæ libenter vitæ periculo pro amico sese obiicit, vt de Pylade & Oreste: Niso & Eurya-lo: Naæræ & Charmiones amicitia erga Cleopatram; & de aliis amicorum paribus memoratur.

Placitum.] Verbum *placere* veteres vsurparunt pro statuere ac decernere de re aliqua: vnde placitum est velut decretum quoddam & statutum: quo quidem nomine sententiæ Philosophorũ, & ratæ Medicorũ opiniones dicun-

dicuntur Plinio placita: vnde hîc interpretor, sic Parcæ decreuerunt & statuerunt: ita Satyrâ 6. lib. 2. loquetur. *sic Diis placitum:* Græci τὸ ἄρεσον, vt Galli in foro *arrest* dicere solent: valet tamen τὸ placitum interdum φίλον, *gratum*, & tunc participium est sine origine, ait Donatus in prolo. Hecyr. ad verba, *vbi sunt cognita, placitæ sunt.*

Parcis.] De Parcis fuit Ode 3. huius libri.

Libra.] Libra Astrologis est sidus Zodiaci solum inanimum octo stellis exornatum, pro quo, Chelæ & Brachia Scorpionis olim dicebantur, de quibus sic Virgilius libro primo Georgicῶν:

Quà locus Erigonen inter Chelasq; sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius.

Erigone filia fuit Icarij & soror Penelopes, & ob mortem patris se suspendit: quam Dij miserati in sidus retulerunt. Sidus autem Scorpionis constat stellis octo in forma, nouem extrà, totidem iuxtà, nihil formam iuuantibus: quidam tamẽ illud 27. stellis tantùm conformant. In hoc Sol faciebat tempore Columellæ lib. 11. cap. 2. transitum Calendis Octobris. Quanquam autem Virgil. videtur tribuere huic signo ardorem, sicut hîc Poeta quũ dicit *pars violentior natalis horæ*, quã Ptolemæus vocat τὸν ἀναιρέτην, *interfectorem*, vel μοῖραν ἀναιρετικὴν, id est, θανάσιμον, *fatum lethale Horoscopi*, quem dicit hîc Poeta horam natalem, quæ fuit exoriente Librâ: Hîc tamen ὡρόσκοπον pronunciandũ est περιφερῶς ad eam Signiferi partẽ, quę ex Orientali plaga surgit in Hemisphærium nostrum tempore nostri ortus, indicandam. Ille autẽ ardor ad naturam Martis referendus est, qui dominat in illo signo naturâ frigido & aqueo.

Iouis tutela.] Id est, præfectura Iouis eiaculantis suos radios ac velut opponentis, quod Ptolemæus dicit ἀκλινοκολίαν ἐναντίαν, inhibuit cursum celeris mortis, ὅταν ἐπέσχε τὸν Κρόνον τὸ τὸν Μαικλώαν φονεύειν, *quum repressit & continuit Saturnum à cæde Mæcenatis*, quam vis verbi expressit aptissimè: nam eripi propriè dicitur is, qui iam oppressus tenetur malo, ait Donatus: quod ita esse ostendit versus Sat. 3. lib. 2.

Verùm ego, vt hærentes aduerso littore naues
Eriperem: ostendit quoque locus Ciceronis Epist. 10. lib. 10. de bono: *Illud planè molestè tuli, quòd certissimum & iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam.* Mirum quidem certè mihi est, Poetam tanti nunc facere doctrinam Genethlialogorum, Babyloniorum, Chaldæorum, Mathematicorum, vatum, magorum, Planetariorum, quos magnopere Ode 11. li. 1. contemsit, & Ode 28. eiusdem libri in eosdem opprobria figi à nauta fecit: quem induxit insectantẽ & exagitantem genus mortis, quod Archytas futurorum diuinus turpiter ignorauit: vti nos illic docuimus è literis tam diuinis, quàm prophanis, ac meritò etiam, negligendos esse: atque fusiùs aliàs ostendimus hæc præsensionis genera, non modò diuinis effatis esse interdicta, verùm humanis legibus etiam, esse improbata: quanquam Cicero lib. 1. de Diuinat. scriptum reliquerit, *veterem opinionem esse, iam vsque ab Heroicis ductam temporibus, eamq; & populi Rom. & omnium gentium firmatã consensu, versari quandam inter homines diuinationẽ, quam Græci μαντικὴν appellant, id est, præsensionem & scientiam rerum futurarũ:* quò addit: *Itaq; vt alia nos meliùs multa, quam Græci; sic huic præstãtissimæ rei, nomen nostri à Diuis; Græci, vt Plato interpretatur, à furore duxerunt.* Sed nos, præter licentiam mentiendi Poetis permissam, libenter etiam concedemus Horatio, quacunq; ratione & consilio potuerit dolorem Męcenatis leuare, hoc genus cõsolationis.

Aspicit.] Οὐκ ὀξὺ μαθηματικὴ κυκλολογία· *inusitatum est & improprium hoc loquẽdi genus Mathematicis disciplinis*, quòd inter nascentem & astra & Planetas nullus intercurrat aspectus: sed Planetæ, & signa stationesque cæli sese mutuò dicuntur aspicere & intüeri. Aliâ quidem ratione dicitur Melpomene nascentem videre placido lumine Ode 3. lib. 4. Vis enim afficiendi visu nascentia illic Deastris attribuitur, quomodo vetus quidã loquitẽ apud Eustathium: Οὓς δ' ἀφορῶσιν αἱ Μοῦσαι, τούτους πολῷ δηλήσατο Κίρκη· *quos non aspiciunt Musæ, his Circe nocuit potione.* Pro verbo *aspiciendi* Iuuenalis vtitur altero *excipiendi*, Satyr. 7.

——distat enim quæ
Sidera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Seruius citat hunc locum in vers. Aen. 4.

Et diræ vltrices & Dij morientis Elisæ
Accipite hæc &c. explicans *hos Deos* Poetã aut *Manes* dixisse, aut *Martem & Saturnum* ἀναιρετικοὺς *Deos, qui intercidunt vitæ rationem, si radiis suis ortum genituræ pulsauerint: & bene tardauit alas dixit Horatius: nam fati necessitas tardari potest, non penitus tolli;* quod firmat versu Æn. 8.

——nec fata vetabant
Stare, decemq; alios Priamum superesse per annos.

& admonet: *Sciendum est secundùm Aruspicinæ libros & sacra Aruntia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri.* Idem interpres ad vers. Aen. 7.

Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atq; immota manet fatis Lauinia coniux:
Attrahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

annotat fata penitus tolli, ne à Diis quidem, sed retardari tantùm posse.

Atqui noster Poeta Ode 14. huius libri negârat vllo modo fatis & morti moram posse afferri. Sed de fato lege disputationem interpretis doctrinæ Peripateticæ Alexandri, qui secutus Peripateticos nihil interesse putat inter fatum & naturam: & Seruij notas in hunc Virgilij versum:

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna peregi.

Vnde disces tribus mortis generibus vitam hominis terminari; naturâ, fato, fortunâ siue casu, ac iisdem eandem contineri.

Formidolosus.] Scorpius tribuitur Marti, quod Manilius lib. 4. sic notauit:

Scorpius armatâ violentâ cuspide caudâ
In bellum ardentes animos, & Martia castra
Efficit & multo gaudentem sanguine ciuem,
Nec prædâ, quam cæde magis, &c.

Formidolosus autem dicitur, non qui timet, vt alibi, sed qui terrore alios concitat & exitium illis minatur. Verùm de viribus Planetarum, & eorundem efficientia cum signis & Horoscopis coniunctorum vide Ptolemæum libro 3. & 4. operis quadripartiti, & de prædictione & genituris verbo 32. centiloquij: quod Ptolemæo tribuitur falsò: quia multa hîc scribuntur à superioribus discrepantia: vnde disces Planetas, Iouem, Venerem, Lunam & Mercurium prosperos & salutares esse temperatione caloris & humoris: contrà Saturnum & Martem maleficos esse, illius frigiditate, de quo sic Propertius:

Et graue Saturni sidus in omne caput:

Item Iuuenalis Satyr. 6.

Hæc tamen ignorant, quid sidus triste minetur
Saturni.

& huius siccitate. Et quoniam hora natalitia Mæcenatis particeps erat Iouis & Saturni contrariorum Planetarum, Poeta dicit huius inclementiam fuisse clementiâ illius superatam, & ita vim mortis retardatam: se verò liberatum è casu arboris dextrâ Fauni. Hoc Persius imitatus est Satyr. 5. vbi inter causas mutui inter

ipsum

ipsum & Cornutum Philosophum Stoicum amoris ponit diuinam & cælestem affectionem, quâ vterque impulsus est ad fraternam amicitiam conciliandam & tuendam.

Non equidem hoc dubites; amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab vno sidere regi.
Nostra vel æquali suspendit tempora librâ
Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum,
Saturnumq; grauem nostro Ioue frangimus vnà.
Nescio, quid certè est, quòd me tibi temperat astrum.

Tyrannus Capricornus.] Hoc signum 18. stellis figuratum dicitur oriri 16. Calend. Ianuar. & occidere 18. Calend. Febr. ideoq; hyemale & rigidum: vnde quidam etiam putant vocari Tyrannum: sed Porphyrio annotat illud signum magis tempestatibus sæuire in occasu per Hesperiam vndam significato, sicut per Tyrānum sequitia eiusdem notatur, quàm in ortu. Ideoque dicitur à Manilio lib. 4.

Tu Capricorne regis, quicquid sub Sole cadente
Expositum.

Item à Propertio, lib. 4. Eleg. 1.

Lotus & Hesperiâ quid Capricornus aquâ:

vnde constat id signum occidentali plagæ præesse. Præterea sub hoc natum esse Augustum è nummo imagine Capricorni signato coniectant: & tantos honores, tantamque dominationem inde consecutum: sed Astrologia & Manilij & aliorum tradit huic signo alias vires. De hoc tamen viderint ἀστρολογικώτεροι.

Tyrannus.] Deflectitur ἀπὸ τοῦ τύρειν τὸς λαὸς, καὶ ἀνίας ὅπ. φέρειν, τιμωτὸν τῷ τείρειν, à vexando populo & molestia exhibenda, vel ἀπὸ τοῦ τυράννειν ἤγουν ταράττειν ἢ μηχανᾶσθαι, à conturbando & fraude struenda. Quæ autem afferuntur à Grammaticis etyma, vel à Tyri, vel à Tyrrhenorum sæuitia, nō mihi probantur. Huc adde, vocem hanc ab ætate Homeri & Hesiodi fuisse innouatam, & inter μίσους λέξεις, vt vocant, positam, tam pro bono quàm pro malo principe & gubernatore: sed hodie pro posteriori vsurpatum. Apparet autem non fuisse principibus Poetis vsitatam ex hoc versu Odyss. 6. sub initium:

Εἰς Ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δυσμήνεα πάντων.

Mittam te *ad Echetum regem hominum pessimum omnium, id est, tyrannum.* Sed ex Aristot. lib. 3. Polit. c. 10. discimus Græcos in ciuili administratione Cumęorum vsurpasse τὸ ἐφημότερον τοῦνομα αἰσυμνήτης ἀπὸ τυράννου, dictum vel ab æquitate distribuendi, vel à fausta celebratione in ipsius creatione & electione adhibita. Alij posteà Poetæ cœperunt vsurpare nomen tyranni in eos, qui suâ potestate abuterentur in subditos: vnde Aristoteli eorum familia non videtur solita potiri imperio vltra quartam progeniem. De tyranno autem sic Euripides:

Οὐδὲν τυράννου δυσμενέστερον πόλει,
Οὔτε, τὸ μὴ φρόνιμον, οὐκ εἰσὶ νόμοι
Κοινοὶ, κρατεῖς δ' εἷς τ' νόμου κεκτημένος.

Nihil ciuitati hostilius tyranno, vbi, quod est caput, non sunt leges communes, sed vnus imperat legis dominus. De hoc sic Ser. Æn. 7. versu:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Apud Græcos tyranni & regis nulla discretio est licet apud nos incubator imperij tyrannus dicatur. Gallicè *vsurpateur de royaume.*

Theatro.] De etymo huius vocis vide Oden 20. l. 1. Ibidem quoq; vide plausum dare, καὶ κροτεῖν τῇ χειρὶ. Postremò de Fauno vide Od. 4. l. 1.

BREVIS RECENSIO CORporum cælestium, ad præsentis Odes intelligentiam, quam quidem Ode 8. huius libri iam attigimus.

PRimùm commemoratio signorum & enumeratio est eiusmodi. Astrologi cōstituerunt in octaua sphæra circulum gradus duodecim latum, quem de nomine animalculorum Græci ζῴδιον vel ζωδιακὸν appellarunt, Latini signiferum. Eundem Arist. l. 2. c. 10. de generatione λοξὸν κύκλον vocat, vbi disputat ad hæc verba: διὸ ἐχρῆν πρώτην φορὰν αἰτίαν εἶναι γενέσεως καὶ φθορᾶς· ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον· *primam cæli lationem non esse solam caussam ortus & interitus rerum, sed obliqui etiam circuli, id est,* Zodiaci lationem esse caussam effectricem rerum: quod Virgil. secutus est 1. Georg.

Obliquus qua se signorum verterat ordo.

Hic autem circulus, per quem Sol ac reliqui Planetæ meant, distinguitur signis, vt ibidem Virgil. scribit.

Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Sed de prima Zodiaci obseruatione & inuentione sic Plin. l. 2. c. 8. *Obliquitatem* Signiferi *intellexisse, hoc est, rerum fores aperuisse, Anaximander Milesius traditur primus Olympiade quinquagesimâ octauâ. Signa deinde in eo Cleostratus, & primùm Arietis ac Sagittarij. Sphæram ipsam antè multò Atlas.* Hîc tibi notandum est τὸ ἄστρον καὶ τὸ ἀστέρι discrimen. Aster simplex est stella, sed astrum est σημεῖον καὶ τέρας. hinc τέρεα, astra, καὶ ζῴδιον ex multis conflatum stellis: vnde Pindarus creditur locutus κατὰ χρησικῶς Ode 1. Olymp. φαενὸν ἄστρον pro φαενὸς ἀστὴρ de Planeta Sole, sicut Scholiastes etiam annotauit. Dicuntur autem Phurnuto τὰ ἄστρα, οἱονεὶ ἀστατέοντα, καὶ οὐδέποτε ἱσταμένα, ἀλλ' ἀεὶ κινούμενα, *quasi sint instabilia, id est, nunquam stantia, sed qua semper moueantur:* paullò secus τὸ ἀστὴρ eiusdem syzygiæ est in 1. Oden. l. 1. notatum ad *feriam sidera.* Sed Plato in Cratylo aliter notat, dum scribit astra nomen inuenisse τῆς ἀστραπῆς id est, fulguris: ἀστραπὴ autem, quòd ὥσπερ αὖ ἀναστρέφῃ *suo fulgore oculos inuertat:* illud Latini dicunt sidus & signum: cuius ratio repetatur ex 8. Ode lib. 2. sicut etiam perspici potest è descriptione libræ superiori, & reliquorum, quibus hæc sunt indita nomina:

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.

Quorum omnes stellæ, è quibus constant, additæ & septem Planetæ fiunt 346. Cur autem initium signorum ducatur ab Ariete, caussam repete ab Astrologis, & maximè à Ptolemæo in quadripartito & à multis posteà huius discipulis: ab iisdem quoque disce affectiones signorum, quæ sunt in tribus à Poeta nominatis frigidæ & siccæ, humanoque generi perniciosæ, & ab Astrologis dicuntur violentæ: disce præterea, quid efficiant signum & Planeta ab inferiori hemisphærio ad superius surgentia, quâ horâ nos in lucem edimur: ad quod coniectandum illi tribuunt cęlum in duodecim partes, quas vocant domos siue stationes: sed, quum Poeta nullum hic cęleste thema descriptum reliquerit ad suum & Mæcenatis tempus natalitium, quippe cui signum natalis sui exoriens incertum esset ex hac disiunctione, *seu Libra, seu Scorpius, seu Capricornus*; nullus certè patet aditus ad inuētionem iudicij Astrologici. Præterea, si vis nosse numerum ornatus cælestis perfectum, præter duodecim signa Zodiaci è 346. stellis constantia, in Septentrione sunt 20. signa ex 360. stellis conflata: In meridie sunt 15. signa ex stellis 316. In summa sunt 47. signa, & stellæ 1022. At verò dicet aliquis, quis te docuit rationem subducendi calculos stellarum? Non equidem ascendi in cælum, neque sum ille Barjesus Elymas, filius Iosuæ, consiliarius Dei, id est, perditus ille magus, vt ego numerum illarum

subducere possim: sed nauta quidam, vt Virgilius 1. Georgic. translatè à recensione militarium copiarum cecinit,

Nauita cum stellis numeros & nomina fecit.

vel potiùs Astrologus diuturnâ obseruatione in hos numeros distribuit singula notata. Ex sacris tamen historiis didici summæ esse molis cælestem enumerare exercitum: primùm è 15. cap. Geneseos, vbi Deus pollicetur Abrahamo tantam nepotum multitudinem futuram, vt numerum æquatura sit stellarum: quarum quum Deus iubet conficere summam, si posset, satis ostendit posteritatem ἀνάριθμητον, *innumerabilem* fore. Augustinus lib. 16. cap. 23. de ciuitate Dei ex hoc loco Mosis refellit talem enumerationem his verbis: *Postremò quicunq; vniuersum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse iactantur, sicut Aratus & Eudoxus, vel siqui alij sunt, eos libri huius contemnit auctoritas.* Huc accedit opinio Aristotelis & aliorum magnorum virorum in via lactea innumerabilem esse stellarum multitudinem, quæ internosci nullo humano obtutu queant. Nullum equidem ex omnibus Astrologis, (vt cum bona venia Augustini dicam) puto tam magnificè vnquam se iactasse, vt crediderit certum sibi ac definitum esse stellarum numerum, qui soli Deo est cognitus & perspectus, vt diximus. Psaltes canit Psalm. 47. *Qui computat numerum stellarum, omnes appellans nominatim*, id est, cuique, quâ est auctoritate atque potentiâ in omnia creata, imperans, vt exponit Iesaias cap. 40. versic. 26. *Attollite in sublime oculos vestros & videte, quis creauerit illa, producens numero suo exercitum: omnibus istis indiderit nomen præ amplitudine virium, prout fortis est robore, adeò vt quidquam non desit, quin sistat se coram vocante & pareat ipsi.* Homini autem incertus ac infinitus vtcunque cælum suspicienti facilè apparet. Primùm è Catulli Epithalamio Flau. & Manlij.

Ille pulueris Erythræi,
Siderumq; micantium
Subducat numerum priùs,
Qui vestri numerare vult
Multa milia lusus.

Deinde è lib. 2. cap. 41. Plinij legenti, qui scribit ab antiquis cælum in 72. signa tributum: in quibus illi obseruarunt 1600. stellas præter cæteras tum efficientiâ tum magnitudine insignes. Verùm maiori parti Astrologorum numerus 1022. satis idoneus visus est cum accessione paucorum ad munus Astrologicum. Aristoteles autem in Meteoris falsò viam lacteam in aere collocauit, quum illa sit in æthere, & constet è radiis, tanquam scintillis, maiorum stellarum. Nolo præterea, Lector, hîc tibi silentio dissimulare, Mathematicos mihi datos adiutores ad enodandos, explicandósque huius Odes laqueos, vt omnibus, nedum tibi, notum testatumque esset, me non solùm meo labori non hîc peperciisse, quò tuis studiis magis fauerem, atque commodis seruirem: sed auxilium etiam amicorum mihi libenter adiunxisse: quos quanti olim P. Ramus Philosophiæ & Eloquentiæ professor fecerit, id inter omnes constat satis. Itaque quum ipse pararem editionem harum lucubrationum, measque schedulas scrutarer, in illorum ἀνεπίγραφα (quæ fuerant quondam studio & operâ veteris amici. D. N. Molæi vnius è generalibus regiæ pecuniæ procuratoribus fide semper spectatâ & probatâ, Lutetiam perlata, & inde rus ad me fideliter remissa) forte incidi: quorum tibi nunc exempla propono ante oculos, vt quid ipsi mecum sentirent & inter se dissentirent de præsenti quæstione fideliter haberes descriptum & in illo iudicium interponeres tuum.

D. PETRO GVALTERIO *Chabotio amico suo multùm obseruando. S. D.*

A. D. XI. Calend. Septemb. redditæ mihi abs te sunt Nœsæi literæ, quas tu 9. Calend. August. Vignæi scripseras, adeò vt mensis integri spatium intercesserit, antequam ad meas manus peruenirent. In iis grata mihi vehementer fuit memoria mei tua: quam vt conserues maiorem in modum te rogo: ego quoad viuam, te amare, colere & obseruare nõ desinam. Quòd petis caussam consensionis astri Horatiani cum astro Mæcenatis à me tibi explicari: equidem pro veteri nostra amicitia nihil facerẽ libentiùs, si Poeta ad vtrumq; natalitium tempus cęleste thema descriptum reliquisset, vt ad iudicij Astrologici inuentionem aditus esset. Veruntamẽ ne voluntatem hac in re mihi defuisse existimares, vt memoriâ tui me summâ beneuolentiâ tenere intelligeres, visum est faciundum, vt qualemcunque huius loci cõiecturalem explicationem ad te mitterẽ. Quòd igitur ait Poeta, Libram, Scorpium, vel Capricornum, se nascẽtem aspexisse, inusitato Astrologis genere sermonis vsus est. Neq; enim inter nascentes & signa vel Planetas aspectus vllus intercedit: sed Planetę tempore alicuius exortus è signis, in quibus versantur, tum signa alia & stationes cæli, tũ sese mutuò aspicere & intueri dicũtur: vt si Scorpius sit in prima domo seu statione cęli, Mars, Saturnus, vel alius quiuis Planeta in Leone: hîc Mars quadrãgularibus radiis: seu quadrato aspectu dicetur aspicere Scorpium & Planetas ibidem positos. Inter Scorpium autem & natum, vel inter Planetas quoscunque & natum configuratio nulla, vel aspectus erit. Quare quum Horatium nascentem nec Libra, nec Scorpius, nec Capricornus, nec denique vllum aliud Zodiaci signum, neque etiam Planetarum quisquam aspexerit; tenendum est, Poetam per aspectum Libræ, Scorpij vel Capricorni ad se, indicare atque innuere voluisse, signum horâ suâ natali exoriẽs, quod ab Astrologis modò Horoscopus, modò signum ascendẽs nuncupatur, fuisse vnum è tribus dictis Zodiaci signis: vnde perspicuum est, ipsum de signo tempore suo natalitio Horoscopante, sicut tu rectè opinaris, incertum fuisse. Huc accedit, quòd, quum vulgò dicimus aliquẽ sub tali vel tali signo natum esse, intelligimus signum Zodiaci horâ natalitiâ exoriens κατ' ἐξοχὴν, quòd ex eo & Planetis gubernatorib. vniuersim de vita & quibusdam aliis, sine quibus prædictiones aliæ nullę fuerunt, iudicium sumatur. Sunt autem, vt & hoc obiter admoneam, tria illa signa ab Horatio nominata propter insitas frigoris ac siccitatis qualitates naturæ humanæ inimica & exitiosa, & in mortis quæstione ab Astrologis violenta appellantur. Atque hæc de aspectibus & Horatiano Horoscopo. Quòd verò summæ ac indissolubilis inter Horatium & Mæcenatem amicitię caussam attingit, eam Ptolemæus lib. 4. c. 7. de amicis & inimicis generatim ita exposuit. Obseruare oportet, inquit, in vtraque genitura præcipua loca, Solis videlicet, & Lunæ, & Horoscopum partemque Fortunę. Nam si in eadem signa inciderũt, aut loca mutuò permutauerunt, aut omnia, aut plura, maximè quando vtriusque Horoscopi 17. partibus inuicem distiterunt, amicitias constituunt sinceras & insolubiles, nec vllis offensionibus expositas. Hactenus Ptolemæus. Quare in duabus Horatij & Męcenatis genituris, Solis, Lunę, Horoscopi & partis Fortunæ locus idẽ tantò amoris vinculo caussam dare potuit, vel etiam horũ locorum permutatio:

vt si Sol

vt si Sol fuerit Horatio in Leone, Mæcenati in Sagittario: Luna verò, Horoscopus vel pars Fortunæ illic sit in Sagittario, hîc in Leone. Itē si Horoscopus Horatianus fuerit Scorpius, Mæcenatis Pisces: Sol autem, Luna, vel pars Fortunæ Horatio sit in Piscib. Mæcenati in Scorpione. Idem erit de reliquorum locorū permutatione iudicium. Hinc igitur consensionis astri Horatiani cū astro Mecenatis ratio facilis & expedita est. Vides autē, quam ex interpretib. quibusdam adduxisti, Horoscopi & medij cæli permutationē, à Ptolemæo, Astrologo longè omnium clarissimo, prēteritam & neglectā esse: attamen non prorsus ratione carere videtur. Nā & ipse Ptolemæus c. vlt. l. 4. de temporum diuisione, significationem amicitiarum medio cæli attribuit. Quòd autē hanc præcipuorum locorum permutationē, è qua sincerus amor & insolubilis amicitia inter natos proficiscitur, cōmunem vtriusq; interitū necessariò consequi oportere opinantur, vt scribis, totâ re errant: neq; enim vitę terminus ex quacunque duorum, vel plurium, vel etiam omnium, prēcipuorum locorum permutatione sciri, cognosci, aut prædici Physicè potest: sed eius præuisio, siqua exquisita est, vniuersa consistit in deductionibus partiū anæreticarum ad Aphetas, vitæq; moderatores in vtraq; genitura: quæ res tantam industriam, solertiamq; requirit, vt haud sciam, an nemini Astrologorum cōtigerit, prēter Taruntium quendam Romanum, cuius Plutarchus in vita Romuli & Iustinus meminerunt. Hę sunt nostrę de loci Horatiani interpretatione cōiecturæ: quę cuilibet in rebus Astrologicis mediocriter exercitato in mentem venissent. Quod superest, mi Gualteri, rogo te, vt quę ab optimo animo, tibiq; deditissimo meditata & scripta sunt, optimam in partem accipias. Si quando Lutetiæ, quò nos, Deo propitio, propediem redituros esse arbitror, tui prēsentis optabilis mihi data fuerit potestas, pluribus tecum communicabo. Vale optimè. Nœsæo 5. Cal. Septemb.

Tui obseruantiss.

Fridericus Reisnerus.

D. IOANNIS STADII Annotatio in eosdem huius Odes versus.

AD PET. GVALTH. CHABOTIVM.

Seu Libra, seu me Scorpius aspicit
Formidolosus pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus vndæ.

MAnifestè hoc carmine exprimit, quod à Mathematico didicerat, sese sub Horoscopo, quē natalem vocat horā, Libra, siue Librâ exoriente fuisse natum, atque id signum ipsi, vt natale, eâ ratione fuisse attributū. At esto, Saturnus successione aut radiis, quod hîc aspicere vocat, Scorpium occupauerit: erit itaque Scorpius secundū Climatis ascensiones sensim ad Horoscopū obrepturus ipso occursu aut radiis fatalis Horatio, à Mathematico, vt ex Ptolemæi præceptis patet, designatus. Quare Scorpij aspectum sibi formidolosum, vtpote fatalem, verebatur. Quod ad Capricornum pertinet, poterat Mars illum tempore natalis horæ tenuisse: atque iste cum Libra exoriente ex quadrato, & quidem sinistro, dissidebit. Quare secundùm Ptolemęi præcepta, eiusdem ad Horoscopum, quem quadrato aspiciebat, occursum, vt violentum & tyrannum ex Climatis ascensionibus metuendum putabat. Cur Capricornum vocet Hesperię vndę tyrannum, explicandum est: quia ad nullum toto in Horatio locū frequentiùs impingunt omnes ipsius interpretes: totaque ratio est Astronomica, & ex antiquitatis monumentis repetenda. Cæterùm hoc tuæ industriæ relinquo. De mea opinione sententiam aliquando propositurus sum. Ex Ptolemæi doctrina manifestum est, malignorum Planetarum vires & nocendi potestatem mitigari & refrēnari, quando benigni Planetæ ipsis vel corpore, vel rādiis succedunt vel præcedunt, & præcipuè, si id fiat in prefectura, quam hîc vocat tutelam, benignorum Planetarum. Saturni ergo malignitatem vis & benignitas Iouis succedētis retardauit & fatalē occursum auertit.

Explicatio Rhetorica.

METrum huius Odes cum nona l. 1. conuenit atque principium eiusdem habet ἐπιμηκόν τι τῆς ἀτλασίας περὶ πολυτὸ φίλον πόνον: hoc quidem verbo incredibilis Poetę dolor de morbo Mecenatis ostenditur, à patientibus πολὺ λειποψυχίαν sumto.

a Hæc per anaphoram pronunciantur.

b Metaph. est ab ædificiis, quę columnis fulciuntur: quali tropo Hector à Pindaro dicitur κίων Τροίας ἄμαχος, ἀσφαλὴς. *firma, inexpugnabilis & inconcussa Troiæ columna* Olymp. β: quali etiam Cotyla Varius columen annorum Antonij Philip. 13. & pro Flacco. *At istud columen est actionis tuæ Mithridates:* quali denique ad Galatas c. 2. Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης δοκοῦσιν στῦλοι τῆς ἐκκλησίας. qualis denique tropus est in hoc prouerbiali Græco senario:

Στῦλοι οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες, i.
Liberi mares sunt columnæ familiarum.

c Exclamatio est dolentis πρὸς τὸ πάθος.

d Synecdoche est generis pro morte intempesta, i. definitio, quæ latiùs patet, pro definito ipso.

e Altera est anaphora.

f Translatum quoq; est ab ædificij fractura, vt Virg. 2. Æn. *Dedit ruinam domus*, pro interitu.

g Est tropus à disciplina militari: qui enim nomen dederant imperatori, obligati erant illi sacramento, vnde illud Taciti: *Miles longo Cæsarum sacramento imbutus. Le soldat obligé par serment de long-temps à batailler pour les Cæsars.*

h Malo hîc agnoscere epizeuxim: quia idem sonus continuò iteratur in eadem sententia, vt illa pro Milone, *Occidi, occidi non Spurium Melium:* illa etiam Ode 20. huius libri, *non ego, non ego sanguis pauperum parentum obibo*, repetita est eadem sententia: ἀναδίπλωσις autem habet similitudinem soni in clausula præcedentis & initio sententiæ sequentis, quæ multiplicata incidit in Climacem, i. gradationem. Huius anadiplosēos exemplum est prima Catil. *Hic tamen viuit: viuit?* &c. Item Climacis Eclog. 2.

Torua leæna lupum sequitur; lupus ipse capellam
Florentem cytisum sequitur lasciua capella.

i Tyrannus habet metaphoram ab imperatoribus feris, & immitibus, sæuisque regibus, sine lege & ratione dominantibus: quarum loco sola est ipsis vitiosa libido ad malignitatem huiusce signi notandam.

k Metonymia est subiecti pro adiuncto Capricorni occasu.

l In *Iouis & Saturno* metonymia est subiectorum pro adiunctis planetis.

m In *eripuit, tardauit. & crepuit* est similitudo soni in clausulis per Epistrophen.

n Τὸ *fati* dicitur μετωνυμικῶς pro infelici casu & exitio: nā Philosophi annumerant fatum inter causas, quę mihi occasio exstitit, cur hîc metonymiam effecti inde interitus annotārim: ad cuius celeritatem clariùs

indicãdam non videbitur, meo iudicio, alienum etiam annotare in *alas* metaphoram ab instructione exercitus, in quo duo equitum genera erant olim; quorum vnum dicebatur esse alariorum auxiliarium, alterum Legionariorũ. Ratio nominis redditur à Cincio apud Agellium: *alæ dictæ exercitus equitum ordines, quòd ciuium legiones dextrâ sinistrâq; tanquam alæ in auium corporibus, locabantur:* similis redditur à Seruio in hęc 4. Æn. *dum trepidant alæ:* equites ob hoc dicti alæ, quia pedites tegunt, alarum vice: est autem hic tropus valdè appositus ad syntagma corporum cælestium passim in literis sacris exercitus nomine significatum.

o Synecdoche est generis, pro applausu.

p Altera est synecdoche, sed partis pro capite toto, in quod truncus illapsus fuit.

q Metaphora ab hominibus ad Deos, pro, nisi opem mihi tulisset Faunus.

r Altera est metaphora, sed à Diis ad homines, qui sententiâ & ingenio ad Mercurium accedere solent.

Quemadmodum distinguendæ sint quædam dictionis figuræ.

Enimuero, Lector, tibi, credo, non videbitur alienum ab officio interpretis, si te hic paucis monuero de orationis numero, quem nos metimur nõ solùm pedum dimensione, sed temperatione primùm literarum plenè vel tenuiter sonantium: deinde temperatione longarum & breuium syllabarum: postremò repetitione eiusdem soni continuâ, vel discontinuâ, præcipuè circa principia, & clausulas sententiarum. In his tribus versatur dictionis figura, quę nihil aliud videtur esse, nisi harmonia quædam & numerus elocutionis, quo nihil est hominum animis cõgnatius. Illo enim homines excitantur aut incenduntur: languescunt aut ad hilaritatem tristitiamque deducuntur. Sed quum in oratione coniunguntur figuræ dictionum, & figuræ sententiarum, tum illa fit neruosior & torosior, vnde motus animorum existunt multò vehementiores. Idque fit maximè accessione decentis & aptæ pronunciationis & actionis. Quod autem Hermogenes scribit in libello de ratione grauitatis adhibendæ in oratione, Epanalepsin tribus de caussis fieri, vel docẽdi, vel laudandi, & cõtrà, vel confirmandi gratiâ: verum quidem illud est, sed in hoc nõ sunt posita omnia: tot enim sunt repetitionum caussæ, quot animorum motus & affectus, qui certè sunt varij; quod facilè perspicitur vel ἐκ μίας ὑπαζεύξεως, quæ est figura repetitionis continua in eadem sententia: vt alias præteream Virg. Eclog. 2.

Ah Coridon, Coridon, quæ te dementia cepit.

Cicero pro Milone iam citatus, *Occîdi, Occîdi, non Spurium Melium.* Item hîc Poeta, *Ibimus, ibimus: Non ego sanguis pauperum parentum, non ego obibo.* Hîc varij sunt affectus, qui quales sint, non ex sola repetitione eiusdem soni & dictionis, id est, ex figura: sed ex re & vi argumẽti debent iudicari. Prætereà illic Hermogenes Epanalepsin facit quoddam genus repetitionum, vt ἐπαναφορὰν lib. 1. de formis orationum, quod vt tibi planius faciam, libet illius exempla nunc apponere. Primum ex initio Ὀδυσσ. α.

Αλλ' ὁ μὲν Αἰθιόπας μετεκιάθε τηλόθ' ἐόντας:
Αἰθιόπας, τοι δίχθα δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν.

Sed ille Neptunus mutato loco inde abiit ad Aethiopas procul remotos, Aethiopas scilicet, qui hominum postremi bipartitò tributi sunt. Vt alij spectent ad Orientem, alij ad Occidentem: ille, inquam, Neptunus abiit incidens in sacrificia taurorum & agnorum & conuiuio sese oblectans. Hũc autem locum eò pluribus interpretor, quòd Ioannes Sturmius doctissimus Hermogenis scholiastes, optimeque de literis meritus illustri artium organicarum tractatione, ac fidus interpres eiusdem Rhetoris intellexit illud, Αλλὰ μέν, de Ioue ad Aethiopas profecto, quum de Neptuno sit intelligendum, vt facilè perspicitur ex Eustathio in hunc locum. Alterum exemplum est ex Iliad. β.

Νίρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας.
Νίρεὺς Αγλαΐης τ' ἠΰς, Χαρόποιο τ' ἄνακτος,
Νίρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ιλιον ἦλθε.
Nireus autem è Syma insula Cariæ adduxit tres naues æquales
Nireus Aglaiæ filius & Charopi regis,
Nireus, qui pulcerrimus vir ad Ilium venit:

Tertium est ex Iliad. ξ.

Αρες Αρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.
Mars, Mars, hominum interfector, fœdate cade, muris admote.

Quartum est ex Iliad. υ.

Τῷ δ' ἐγὼ αὐτῷ εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν.
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἰδῶι σιδήρῳ.
Aduersus Achillem procedo, etiamsi manus igni similes habeat
Etiamsi manus igni similes habeat & vires ferro candenti.

Prætereo reliqua Rhetoris exempla ὀκ τῆ πεζῆ λέξι, quòd ex his quattuor possum ostendere Epanalepsin esse Hermogeni communem figurarum dictionis notionem, non cuiusquam propriam & præcipuam. In primo quidem exemplo video eundem sonum bis iterari in principiis sententiarum, qui constituit ἀναφοράν: neque eam impediet, quòd prior dictio αὖθις πάλιν primi exempli non exactè principium sententiæ primæ occupet: neque enim æqualis loci ratio sic est exigenda: ac ne quis fortè existimet hîc vnam esse sententiam, in posteriori τὸ αὖθις πάλιν repetendum est, Neptunus migrauit ad Aethiopas: in secundo est ἀναφορὰ, sępiùs quàm bis iteratus eiusdem vocis sonus: qualem Eustathius in vers. Ιλιαδ. Ε. statuit,

Εν δ' ἔρις, εν δ' ἀλκὴ εν δ' ὀρυδεσται ἰωκή.
Εν δέ τε χαρχείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου, i.
Inerat autem contentio: inerat fortitudo: inerat horribilis insectatio:
Inerat etiam Gorgonium caput Diri monstri.

Annotat: δεῖ) τὸ χῆμα ἀπὸ καλλιὲς, & rationem vocis ostendit, καλεῖται, φησι, ἐπαναφορὰ διὰ τὰ κῶλα ἐπαναφέρειν, ἢ ἀπὸ τῆς λέξεως ἀρχεσθ, i. *vocatur à repetendis sententiarum membris & ab eadem dictione inceptis.* Hucaddit idem Interpres, εἰσὶ δὲ καὶ παρ' ἑτέροις ὅμοιαι ἐν προθέσεσιν ὀνόμασι, οἷς καὶ παρ' ἡροδότῳ, &c. i. *Sunt autem etiam apud alios, similes in præpositionibus continuatæ moræ.* Hæc profectò Eustathij obseruatio poterat extendi ad omnes omnis generis dictiones initio sententiarum repeti solitas. In tertio autem agnosco ὑπάζευξιν, de qua iam proximè dictum est. In quarto denique est repetitio eiusdem soni in clausula præcedentis, & initio sequentis sententiæ: vnde existit ἀναδίπλωσις, de qua fuit antè. Ita sanè similitudo soni distinguenda est in figuris dictionis ab eo, qui rectè & perspicuè hanc artem discere & docere volet è locis sententiarum certis ac definitis.

ODE

Ode XIIX. In Ambitiosvm qvendam & auarum.

Theticum.

Ab ambitiosis & auaris naturâ, & moribus se differre ostendit.

[a] *On ebur, neq; aureum*
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltimâ recisas
[b] *Africâ: neq; Attali*
Ignotus heres regiam occupaui:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides & ingeni
Benigna[c] vena est: pauperemq; diues
Me petit.[2] nihil supra
Deos lacesso: nec[d] potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus vnicis Sabinis.
[3] *Truditur dies die,*
Nouæq; pergunt interire Lunæ:
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus: & sepulcri
Immemor struis domos:
Marisq;[e] Baijs obstrepentis vrges
Summouere littora,
Parùm locuples continente ripâ.
[4] *Quid quòd vsq; proximos*
Reuellis agri terminos, & vltra
Limites clientium
Salis auarus? pellitur paternos
In sinu ferens[f] Deos
Et vxor, & vir sordidosq; natos.
[5] *Nulla certior tamen*
Rapacis Orci sede destinatâ
[8] *Aula diuitem manet*
Herum: [6] quid vltra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur,
Regumq;[h] pueris: nec[i] satelles Orci
[k] *Callidum Promethea*
Reuexit auro captus: hic[7] superbum
Tantalum atq;[l] Tantali
Genus coercet: hic[m] leuare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atq; non[n] vocatus audit.

Analysis Dialectica.

Opponit nomen æquitatis suæ, continentiæ & paupertatis iniquitati, auaritiæ, & philotimiæ cuiusdam, quem nominatim non appellat, vt solet propriis parcere nominibus in acri reprehensione & vituperatione, deterritus fortasse lege Tab. *nequis vllum pangeret carmen ad alterius iniuriam.* cuius meminit Suetonius in Octauio capite 55. Depromta est autem hæc Ode è doctrina Stoicorum, qui hominem existimant beatum ἐκ τῆς αὐταρκείας (qui ob id ab Hebræis dicitur שדי schedai, qui sibi totus per se sufficit, atque in se vno posita habet omnia: quod soli Deo propriè conuenit) ἀλλ' ἐκ τῆς ἀξενείας χρημάτων, *ex animo rebus suis contento, non ex abundantia diuitiarum.* Præcipuum autem argumentum est è loco diuersorum, cuiusmodi fuit illud Odes antecedentis 16. quod sic breuiter potest enunciari: quia solutus curâ superbè atque insanè ædificandi fruor ἀκενόσπουδος otio iucundissimo, non ego cupidè appeto magnificas ædes, agros alienos & summos honores: hæc prior pars dissensionis huius producitur vsque ad hæc verba *At fides:* vbi altera pars sic enunciatur: sed fidem studiosè colo: ingeniique bonitate fruor, Sabini fundo vnico contentus & ita me sic contineo à cupiditate & libidine, vt splendida ædificia, opes artibus iniquis partas, summosque magistratus minimè curem, sed domum exiguam libenter colam: quæ me à frigore & æstu, reliquaque cæli inclementia defendat.

2 Hîc Poeta ex adiunctis effectisque se describit.

3 Locus est è disparatis & repugnantibus: hominis dies, menses, quàm celerrimè prætereunt: ille igitur τυμβογέρων, proximus capulo semper, vicinusque sepulcro in ædificiis superbè construendis per iniuriam alienam non debet totus occupari.

4 Post reprehensam ædificandi intemperantiam & insaniam redarguuntur hominis rapinæ, qui auaritiæ deditus describitur è turpibus factis: quòd reuulsis agri alieni limitibus adeat iniustè hereditatem alienam, atque possessionibus veros eiiciat dominos cum misera familia.

5 Idem rursus ex diuersis: Etsi construis ædes in mari, & in solo alieno expulsis iustioribus dominis, tamen reseruatur certò tibi certa domus Plutonis apud inferos. Pars antecedens huius dissensionis diuersę videtur constare collatione maiorum: nullum certius domicilium tibi potes Orco parare.

6 Tanquam diceret, reuocans eum à cupiditate rapiendi aliena: quorsum igitur congeris tantas opes & ædes construis? putásne te istis immortalem fore? falleris, vt respondet Poeta è collatione parium: quia non euades, neque effugies Orcum rapacem, qui te perinde atque pauperrimum quemq; ad se rapiet. Nam, vt ipse idem dicit Epist. 2. l. 2. —*metit Orcus*
Grandia cum paruis, non exorabilis auro.
Ne putes igitur, quòd diues sis, te tuis opibus à morte vindicari posse, quod tribus etiam prolepticis exemplis demonstrat; Promethei, Tantali, & generis ipsius, qui nunquam auro se potuerunt ab Orco redimere, ἅπαξ ἄποινα δοῦναι θανάτου φύγοι ait Theognis, quę sententia fuit Ode 14. huius lib. in quæstione, & Ode 4. lib. 2.

7 Latent hîc quædam diuersa: Non audit Charon vel Orcus superbos diuites & astutos, sed pauperes quos leuat laboribus.

Enarratio Grammatica.

On ebur.] Grammatici deflectunt *ebur* à Barro, qui est linguâ Sabinâ Elephas, & barrire vox

eius. Est autem ebur Elephantis dens Plinio teste l. 8. c. 3. *dentes casu aliquo vel senectâ deciduos defodiunt: hoc solum ebur est, &c.* & os in magno pretio habitum, propter eximium candorem, postquam luxus gratiâ *cœpêre tingi animalium cornua, dentes secari, lignumq; ebore distingui, mox operiri.* Idem Plin. l. 16. c. 43. Vnde Cicero, *pulcerrimum ex ebore signum Mineruæ.* Interdum Elephas pro eo sumitur. Virg. Elephantus candens, & Georg. 3.

In foribus pugnam ex auro solidoq; Elephanto
Gangaridum faciam.

Renidet.] Renidere est ita splendere, vt inde hilaritas, & risus quidam existat, sicut de oratione Quintilianus loquitur, *Hilarior renidet oratio.* & os renidens & vultus, *face ioyeuse & visage soubsriant*: sic dicta est Luna Ode 5. huius, *renidere nocturno mari.* Syntaxis huius verbi est ordine casuum recta lib. 2. Lucret. sub initium:

Nec domus argento fulget, auroq; renidet.

Quomodo videtur hîc dicendum, non eburneò, nec aureo laqueari, meâ domus renidet: sed apud Catullum est ore patenti dentibusque nudatis subridere.

Lacunar.] De hac voce fuit antè Od. 16. huius libri, vbi hunc locum citaui.

Hymettia.] Hymettus mons est Atticæ: vbi nascitur mel optimum & vnde effoditur marmor pulcerrimum: vnde etiam aduehebantur olim longę & densæ trabes: de quo lege Strabonem lib. 9. & Plinium l. 36. cap. 3.

Vltima Africa.] Intelligitur Numidia pars Africæ, vbi lapis optimus ad columnas effodiebatur.

Neq; Attali.] Perstringit obiter iniuriam populi Romani, qui per tyrannidem & auaritiam fortunas aliorum sibi vendicauit, vt Attali, qui rex erat Pergami: quò ex libris Sibyllinis ab hoc rege arcessita est statua Megalesię, i. magnæ Deę, & inde post aduecta Romam, vt res pretiosissima: de quo Varro l. 5. De lingua Lat. de quo etiam Ode 1. l. 1.

Nec Laconicas.] De purpura Laconica lege Plinium lib. 9. cap. 36. vt de Tyria & Gætulica, vbi scribit purpuram etiam capi circa Tænarum Laconicæ regionis promontorium. Hic *trahere purpuras* sumitur, vt *deducere fila*, id est, nullæ mulieres formosæ ex mea clientelâ nent mihi purpuras ad magistratus futuros.

Purpuras.] Græcè dicitur πορφύρα genus conchæ marinæ, & liquor eiusdem Latinè murex, de quo Ode 16. huius libri. Plures eius colores sunt l. 5. c. 38. & 39. apud Plinium, purpuræ violaceæ, rubræ, Tarentinæ, Tyrię dibaphę ab infectu duplici & sumtu magnifico: de hoc postremo genere sic Cicero lib. 2. Ep. fam. ad Cœlium: *Curius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur.* aliter dicitur ἀλυργὶς, ἰδ ὅ, quæ videtur dici quasi ἄλλο ἔργον, maris opus ex marina concha, vt iam dictum est. Quis autem color sit ἁλυργὸς Aristot. docet lib. de coloribus: *Dum*, inquit, *botri vuarum matureſcunt οἰνωπὸν* gerunt colorem: dum nigrescunt, φοινικοῦν, qui mutatur in ἁλυργὸν, nomine Latino carentem. Plato tamen in Timæo videtur definitione sic declarare: *τὸ ἁλυργὸν esse rubrum albo nigroq; permixtum.*

Clientas.] Quamuis cliens sit communis, reperitur tamen clientæ in fœminino. Quid autem sit cliens è Plutarcho licet discere in Romulo: ἑτέρους μὲν τοὺς δυνατοὺς ἀπὸ τοῦ πολλῶν διήρει πάτρωνας ὀνομάζων· ὅπερ ἐστὶ προστάτας· ἐκείνους δὲ Κλίεντας ὅπερ ἐστὶ πελάτας· *Alios quidem potentes à plebeiis distinxit appellans patronos, id est, tutores & defensores: Illos autem clientes, id est, ventitantes domos potentiorum* præsidij & tutelæ caussâ, & eos colentes, ideoque *τὸ cliens* à colendo deflectunt Grammatici, atque inter eos Seruius in Æn. 6. v.

Pulsatúsve parens & fraus inuexa clienti.

Legibus quoque 12. tab. scriptum est: *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Si enim clientes quasi colentes sunt; patroni, quasi patres; tantundem est clientem, quantum filium, fallere. Et hoc posse fieri ex Horatij dictis intelligimus, qui, quum loqueretur de auaris potentibus, ait de vicino cliente: *Pellitur paternos*, &c: Et Gaza in Catone Maiore interpretatur verba Ciceronis: *Non clientes desiderant vires meas*, οὐδὲν οἱ πελάται πρὸς τὴν ἐμὴν ἰσχὺν, πλὴν τὸ πελάζειν ἑτέροις τοῖς δυνατοῖς τῆς βοηθείας ἕνεκα, *quòd potentioribus appropinquent auxilij accipiendi, non ferendi caussâ.* De hoc lege Budęi commentarios in Pandectas & de necessitudine patronorum & clientum inter veteres Gallos lib. 6. commentariorum Cæsaris de bello Gallico: ex qua nostri consultissimi quique iuris existimant feuda, quæ sunt velut militaria quędam iura longâ bellorum continuatione nata, esse, vt aliquando à D. Michaele Hospitalio Frãciæ Cancellario, summo & prudentissimo viro didici.

At fides.] Hîc intelligit perpetuam in dictis & factis constantiam.

Ingenî.] Apocope est pro ingenij.

Nihil suprà.] Sic aduerbia scit *suprà* pro vltrà, vt facilè in eo intelligatur casus, nihil supra famam fidelitatis, & bonitatem ingenij à Diis postulo.

Lacesso.] Valet hoc quod Ode 2. lib. 1. precibus fatigent.

Flagito.] Flagitare est verbum vehementioris petitionis, & plus significat, quàm rogare, ex illo Epist. 8. l. 8. ad famil. Varronem: *Mandaui vt te rogarent non autem flagitarent.* Itẽ ex orat. pro *Quint. Tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat.* Item ex illa pro *Plancio, poscere, atq; adeo flagitare.* Videt lector in hoc postremo exemplo vim huius verbi coniunctione, *atq; adeo*, auxetica supra præcedens *poscere* apertius indicari, quod tamen significat cum imperio petere, vti iam præmonitum fuit Ode 32. l. 1.

Vnicis Sabinis.] Hîc Mæcenatem notat, à quo fundum acceperat in agro Sabino. Potest autem τὸ *vnicis* hîc sumi, vt vnicus filius pro ἀγαπητὸς, id est, vnicè carus: quo est contentus. Poeta tamen videtur respicere, aut ad frugalitatem priscorum, quibus singulis bina tum iugera satis erant, nulliq; maiorem modum Romulus attribuit, vt scribit Plinius l. 18. c. 2. sed idem alibi post exactos reges septena fuisse assignata refert: aut ad descriptionem viri beati è sententia Anaxagoræ Philosophi lib. 7. c. 2. apud Val. Max. Non erit ille diuitiis & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in secessu, quàm in fronte, beatior.

Truditur.] Ellipsis est discretiuæ *etsi* aut similis per asyndeton sic explenda: Etsi probè scis, dies, menses & tempora hominis quàm celerrimè præterire: tu construis tamen sumtuosas domos iam silicernium & fastruis tamen sumtuosas domos iam silicernium & fastruis quasi semper victurus, quæ sequuntur vsque ad versus quasi semper victurus, quæ sequuntur vsque ad versus: *Nulla certior tamen*, &c. vbi redditur tandem altera discretiua diu suspensa, quę quum non expressâ priore subijcitur, Donatus in Terentium ἀνακόλουθον figuram velut inconsequens vocat: quale est illud And. Act. 3. Scen. 3. *Tamen hanc habere studeat cum summo probro.* Frequenter reperitur hoc ἀνακόλουθον in hoc Poeta, vt Od. 12. lib. 1. vers. *Proximus.* ibidem Ode 32. vers. *Qui ferox.* ibidem Od. 36. vers. *Nulli plura tamen.* Dies die trudi significat tantam celeritatem esse temporis, vt vnum ab altero protrudatur ad citatiorem volubilitatem, quæ illum admoneant tumulum potiùs ipsi ponendum & struen-

ſtruendum quàm intempeſtiuè ædificandum, nihilq; hîc ſtabile ac perpetuum eſſe, hanc profectò temporis perpetuam, velut in quendam orbem actam, volubilitatem *Senecæ* clarius expreſsit Epiſt.24.ad fin. *Quouſque eadem*(exple,faciam?)*nempe expergiſcar: dormiam: ſatiabor: eſuriam: algebo: æſtuabo? nullius rei finis eſt: ſed in orbem nexa ſunt omnia: fugiunt ac ſequũtur: diem nox premit: dies noctem: æſtas in autumnum deſinit: autumno hyems inſtat: quæ vere compeſcitur: omnia tranſeunt, vt reuertantur: nihil noui video: nihil noui facio: ſit aliquando & huius rei nauſea. Multi ſunt, qui non acerbum iudicent viuere, ſed ſuperuacuum.*

Nouaq;.] Ad eandem temporis breuitatem pertinet, quòd Luna ἐκ συνοδικῆς *ex intermenſtrua fiat* μηνοειδὴς, *falcata*: ex hac mox δίχομηνος *dimidiata*, pòſt non diſpari morâ πανσελήνη, *plena*: quam Pindarus dicit Ολυμπ. ιῶπτε. ἀὴρ ϛ. λάμπει δ' ἀστὴρ σελαίας ἐρατὸν φάος, id eſt, *pulchræ aſpectu Lunæ amabile lumen*: quæ periphraſis eſt pleniunij elegans. Eſt præterea notandum τὸ luna hîc πληθωρικῶς vſurpari propter varias ipſius formas atque luminis viciſsitudines, porrò dicitur interire, quum deliteſcit tempore ſynodij & interlunij. Poſtremò breui ac pari gradu diminutionis ad ſynodum deuenit, id eſt, ad coniunctionem cum ſole, cuius radij quia in denſum & opacum ipſius corpus non poſſunt peruadere, manet inaſpectabilis vſque ad diem tertium.

Locãs ſecanda.] Gall. *Tu tailles à tailler du marbre*, quod Græcè dicitur: μισθοῖς μαρμαρογλύφους, καὶ ἐργολάβους τῆς μαρμαρίνης ἐργασίας. *Mercede conducis ſculptores marmoris, & redemtores marmoreæ ſculpturæ.* Marmor autem ἀπὸ τὸ μαρμαίρειν, quòd reſplendeat, & ſcintillis micet: vnde adiectiuum μάρμαρος, id eſt, λευκὸς, candidus: quod ſubſtantiuè τὸ μάρμαρον pro μάρμαρος λίθος, *lapis marmoreus*, læuis, duriſsimus, qui varij coloris reperitur.

Sub ipſum funus.] Præpoſitio *ſub*, cum accuſatiuo temporis propinquitatem notat, vt, ſub veſperum, & ſub primi lumina ſolis, *enuiron le ſoleil couchè & leuè*: ita τὸ ὑπὸ κυνὰ Græcè ſonat, tempore caniculæ vel diebus canicularibus.

Mariq; Baÿs obſtrepentis.] Id eſt, ſtrepitum concitantis incolis Baiarum. Pendet dariuus (*Baÿs*) à participio *obſtrepentis*. Quid autem *Baia* ſint, declaratur à Poeta 1.Epiſt.lib.1. compa ratione & Lucrini lacus & maris acceſsione:

Nullus in orbe ſinus Baÿs prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus & mare ſenſit amorem
Feſtinantis heri——

Eſt autem oppidum Campaniæ, cæli temperie & varijs ſitus commoditatibus celebratiſsimum. Ideo potentiſsimi quique veterum Romanorum & ditiſsimi certatim illic ædificabãt: ibi portus Iulius effectus eſt, de quo fuit Ode 15. huius lib. de ſitu Lacuum, Auerni, Lucrini & Baiarum lector poterit conſulere Dionem lib. 48. ſub finem, eò tamen loci tam amœni Seneca lib 7. Epiſtolâ 52. ad Lucilium ſcribit virum ſapientem nunquam veniſſe habitationis cauſsâ: *quia*, inquit, *Baiæ diuerſorium vitiorum eſſe cœperunt: illic ſibi plurimùm luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſoluitur: non tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus.* Denique amœna loca hic Philoſophus docet multis rationibus & exemplis vitanda eſſe, vt ad animos hominum eneruandos atque effœminandos tantum conquiſita: quod ibidem ſic comprobatur, *vim Annibalis hyberna ſoluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruarunt fomenta Campaniæ. armis vicit: vitijs victus eſt.* Lacum autem Lucrinum & totum ipſius littoris tractum Poetæ tantâ amœnitate prædicant eſſe, vt Martialis li.10. Epigram. de littore Formiano eum Salmacim translatè appellet, fontem in Caria Venereum & obſcænas ipſius vndas, de quo ſic Ouidius lib.4. Metamorph.

Vnde ſit infamis, quare male fortibus vndis
Salmacis eneruet, tactosq; remolliat artus,
Diſcite, &c.

Ideo Macer Baias appellat Salmacias, & meritò Seneca præcipit fugiendas. Herod. ad finem lib. 9. narrat, quòd eodem ſpectat, cõſilium Cyri ad Perſas, à quo petierant, vt imperio in multos homines potitis liceret demigrare ex exigua & aſpera regione in latiorem & molliorem: Cyrus reſpondit, ſic naturâ comparatum eſſe, vt è mollibus regionibus molles viri exiſtant. Quidam putant Baias dici à quodam Vlyſsis ſocio, Baio, illic ſepulto: inter quos eſt auctor Etymologici magni. Βαιαὶ, inquit, αἱ ἐν Ἰταλίᾳ, ἀπὸ Βαιῶ τῶ Οδυσσέως κυβερνήτου ἐκλήθη, τελευτήσαντος κατὰ τὴν Αὔερνον τῆς Ἰταλίας, id eſt, *Baiæ Italicæ cognominatæ ſunt à Baio gubernatore claſsis Vlyſſeæ, qui ad Auernum mortuus eſt*, de quarum laude ſic Martial.lib.11.ad Flaccum.

Vt mille laudem Flacce verſibus Baias,
Laudabo dignè, non tamen ſatis, Baias.

Seruius tamen aliter notat, cum Baias ἀπὸ τῆς τῶν βοῶν αὐλῆς, *à ſtabulis boum* nomen inueniſſe putat.

Vrges ſummouere.] Pro inſtanter & accuratè das operam, non contentus terrâ continente ſatagis, properas, vt iacias fundamentum, & ædifices in mari littoribus ſummotis. Hoc Gallicè reddas, *tu inſiſte & trauaille fort inſtamment à reculer & loigner riuages de la mer.*

Sed de differentia littoris & ripæ, atque de etymologia vtriusq; & vocum Græcarum his reſpondentium Latinis notione, dicetur ſi Deus voluerit, Ode 7. libri quarti.

Ripa.] Summæ & incontinentiæ & incredibilis cupiditatis eſt tollere maris littora ad ædes illic locandas.

Terminos.] Translatio limitum non ſolùm legibus diuinis eſt interdicta Deuteron.cap.19. verſ.14. & cap.27.verſ.7. Item Prouerbiorum cap.22. verſ.28. Ibidem cap.23. verſ.10. verùm etiam humanis, quæ transgreſſores peſsimè mulctant.

Vltra limites ſalis.] Id eſt, vno verbo coniuncto, tranſilis & transgrederis terminos agrorum vicinorum vel ædificando vel arando, vel quauis alia ratione occupando.

Clientium.] Pro hoc dicet Ode 5.li.3. per ſyncopem, *clientum longa negotia.*

Nulla certior.] Syntaxis horum verborum eſt: nulla aula certior ſede rapacis Orci deſtinata manet diuitem, id eſt, exſpectat: vel, nullũ tam ſtabile, nec tam firmum domicilium ſibi poteſt dives collocare, quàm humum, in quam breui redibit & reſoluetur.

Orci.] Heſiodus in Theogonia ſcribit Orcum fuiſſe filium Ἔριδος, id eſt, *contentionis*: interdum ſumitur pro Plutone. Arrianus tamen dicit etiam eſſe Bithyniæ fluuium è Stygia palude profluentem, per quem iurare erat iuſiurãdum omnium ſanctiſsimum ac firmiſsimũ apud Superos: vnde vulgò credebatur ille fluuius rapere periurum vorticibus inuolutum: quam vocem Grammatici Græci deflectunt ἀπὸ τῆς ὄρκου, ὅτι ὀμνύων καθέρκυται πῶς ὅτε ὁμολόγει, *quia iurans tenetur concluſus & conſtrictus quodammodo ab ijs, quæ conſenſione affirmat.* Latini verò, vt Feſtus, tanquam vox eſſet Romani municipij, docent ab vrgendo dici: vnde dicebatur Vrgus: item Summanus, velut Deus manium ſub terra regnans. Hinc Plauto in Curculione ſummare eſt rapere & tollere. Hũc autem locum Græci vocant, ᾅδου, ac definiunt τόπον σκοτεινὸν ὑπὸ γῆν *locum tenebricoſum ſub terra*: γίνεται δὲ πρὸς τὸ μὴ συμπίπτειν καὶ τὸ εἰδέναι, τὸ βλέπειν: ideo fit

è particula priuandi a & verbo videndi: vnde mihi fit mirũ, cur Damascius crediderit lacteum circulũ esse viam animorum peragrantiũ Orcum cęlestem quò vbi ascenderunt, ibi purgantur, & posteà inde descendũt, quam etiam sententiam Iohannes Grammaticus refellit.

Fine destinata.] Meliùs quidẽ videretur mihi legendum sede destinata: quòd hæc vox magis conueniat in studium cupiditate insatiabili ædificantis. Hunc autem locum Seruius citat in versum 6. Æneid.

Sedibus hunc refer antè suis & conde sepulcro: vbi sepulcrum sedes vocatur: sed Horatius:

Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata:

Quod Lambinus annotauit: quæ lectio τῷ *sede* habet hæc opposita *superbum aulæ ædificium & sepulcrum.* Alterа τῷ *fine*, id est, quàm finis Orci, quæ est mors & ipsius comes sepultura, habet intelligentiam posteriorum ex ipso priori, sicut monuit Xylander.

Aula.] Hæc vox dicitur ἀπὸ τοῦ ἄυλου à perflando. Ratio trimetri iambici requirit meritò alteram lectionem, *regumq; natis.*

Tantalum.) Huius vocis Etymon est in Cratylo Platonis, vbi Tantalus dicitur id nomen inuenisse ab extrema & in vita & post mortem miseria: tanquam ταλαίπατον, *miserrimus ac infelicissimus* vocaretur: locũ consule ad intelligentiam fabulæ pleniorem & scholia Eustathij in vers. Homeri Odyss. λ.

Καὶ μὲν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλεπ' ἄλγε' ἔχοντα.

Et ipsum Tantalum vidi graues dolores patientem. Sed de notatione Promethei habuisti Ode 3. & 16. lib. antecedentis.

Audet leuare.] Phrasis est Græca, pro, audit, vt leuet.

Vocatus atque.] Parœmiographus Chiliad. 2. cent. 3. scribit nostrum Poetam hîc alluisse ad oraculum olim Lacedæmonijs redditum: καλούμενος κἀκλητος θεὸς παρέσται. *Vocatus & non vocatus Deus aderit*, ad significandum multa nobis euentura, quæ nec arcessimus, nec procuramus: vt senectutem, pœnam, mortem celerem, velimus nolimus.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est dicolon, distrophon: cuius prior versus est Trochaicus, dimeter catalecticus, vbi deest vna syllaba ad eius perfectionem locis quidem imparibus recipit trochæum, tribrachym, & interdum dactylum: sed paribus eosdem, & præterea spondeum & anapæstum: versus secundus est iambicus trimeter & catalecticus, cui etiam deest vna syllaba: metrum dicitur Hipponactium ab auctore, item Euripidium, quia Euripides eo frequenter vsus est.

ª *Non, neque, non, neque,* per anaphoram alternis reperuntur.

ᵇ Synecdoche est totius, pro parte Numidia.

ᶜ Metaphora à corpore animalium ad animum fæcundum & fertilem, pro quo dixit Ode 16. huius lib. *spiritum tenuem:* vel significantiùs à meatibus terræ: vbi sunt venæ metallorum & lapidum pro fæcundo & vberi. Communis autem est hic tropus Poetarum cum Oratoribus. Iuuenalis Satyr. 7.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, id est, vulgare & rude ingenium. Cicero lib. 1. de Orat. *Venas cuiusq; generis hominum tenere*, id est, naturam & mores pernoscere. Propriè sumit Virgil. lib. 1. Georg. *Silicis venis abstrusus ignis:* & lib. 2. de nat. Deorum. *Nos aeris, auri & argenti venas penitus abditas inuenimus.* Et certè sunt hæc posteriora translata. Nam vena propriè de αἱματοδόχοις animaliũ, id est, receptaculis sanguinis & spiritus in animantib. Vnde vinum dicitur sanguis terræ ab Aristotele in quadam Epistola ad Alexandrum translatè.

ᵈ Synecdochica periphrasis Mæcenatis.

ᵉ Metonymia subiecti, pro ciuibus & incolis.

ᶠ Metonymiæ alius modus, pro simulacris & imaginibus ac signis domesticorum Deastrorum. In hac vna voce modificatio est: sed Cicero in Epist. 12. li. 2. ad Q. Fratrem vsurpauit translatè de Cæsare: vel potiùs de Pompeio: iampridem istum canto Cæsarem mihi credo, in sinu est, neq; ego discingor: id est, tam carè colo & obseruo illum, quàm carissimum quidque & pretiosissimum: cuiusmodi sunt res sacræ, quæ solent in sinu gestari, ac, ne fortasse inde excidant, non se discingit, qui gestat.

ᵍ Aula dicitur σωματικῶς pro qualibet firma & stabili habitatione, qualem sibi imprudenter auari & ambitiosi in hac vita pollicentur.

ʰ Duplex est synecdoche: prior speciei pro potentissimis quibusque viris Principibus & opulentis: posterior generis pro filijs familias.

ⁱ Synecdoche est generis pro Charonte ianitore & portitore Orci, vt vocat Virg. propriè enim satelles est quiuis minister mercede conductus, vel ad custodiam, vel ad aliam operam.

ᵏ Προκατάληψις est & præoccupatio speratæ redemtionis, quæ soluta est, vti monui in Dialecticis.

ˡ Synecdoche generis pro posteris, Pelope, Niobe, Atreo, Thyeste, Agamemnone, & Oreste.

ᵐ *Hîc hîc* per anaphoram geminatur.

ⁿ Est ἐπάνοδος regressio, quâ sonus idem iteratur *i*. initio & medio.

Ode XIX. In Bacchvm.

Theticum.

Cur Bacchi laudes resque gestas decantare nunc paret.

ᵏ *Bacchum in remotis carmina rupibus*
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasq; discentes, & aures
Capripedum Satyrorum ª *acutas.*
Euœ, recenti mens trepidat metu,
Plenoq; Bacchi ᵇ *pectore turbidum*
Lætatur. ᶜ *Euœ, parce Liber,*
Parce graui metuende thyrso.
ª *Fas peruicaces est mihi Thyadas,*
Vinique fontem, lactis & vbera
Cantare ᶜ *riuos atq; truncis*
Lapsa cauis ᶠ *iterare mella.*
Fas & beatæ ᵍ *coniugis additum*
Stellis ʰ *honorem* ⁱ *tectaq; Penthei*
Disiecta non leui ruinâ,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu ᵏ *flectis amnes, tu* ˡ *mare barbarum:*
Tu ᵐ *separatis uuidus in iugis.*
ⁿ *Nodo coerces viperino*
Bistonidum sine fraude crines:

Tu

Tu, quum • parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia:
Rhœcum retorsisti, leonis
Vnguibus horribilique P malâ:
Quanquam choreis aptior & iocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris: 4 Sed idem
Pacis eras, mediusque belli.
5 Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

Analysis Dialectica.

OCto primi versus, tanquam exordij loco, causam mihi videntur explicare, quâ Poeta nũc adductus de Bacchо scribere paret: *visum*, inquit, *mihi obiectum est, quo me sensi à Bacchi numine afflari. Itaque volo, quicquid est mihi boni afflatum, id in eius auctorem, vt par est, conferre.* Declaratur autem talis visi ratio è subiecto & relatis & adiunctis quòd in secessu nemorum & rupium, qualem locum & afflatus diuini & carmina aurea requirunt, viderit Bacchum docentem, Nymphas Satyrosque discentes, cui viso, vt rei certissimæ verisimęque, voluit posteros fidem habere: quòd etiam ex illa visione fuerit animi commotio exorta: ideoque metu perculsus cœpit, vt tali viso indignus, precibus illud numen placare.

2 Adhuc fuit caussa efficiens huius cantionis, cui subijcitur iam materia cantandi primùm ex memorabilibus inuentis Bacchi; vino, lacte, melle: deinde ex eiusdem factis, quòd Ariadnen coniugem inter stellas retulerit coronę appellatione decoratam: quòd impios homines Pentheum & Lycurgũ graui exitio strauerit. Posteà quòd flumina per gyros fluere coegerit: mare Indicum procellis sæuum domuerit: quòd Baccharum comas in viperinũ nodum sine malo collegerit: quòd denique Gigantas cum Dijs pugnantes deuicerit.

3 Videtur Poeta hîc aliquantùm eleuare facta superiora historico & vulgari testimonio, quod tractatur loco diuersorum: *quanquam*, inquit, *historiæ memorant te de delicijs ac voluptatibus aptiorem esse, quàm armis: hæc tamen ingeniosè sunt à te inuenta & fortiter gesta.*

4 Infirmatur testimonium historiarum collatione parium: quòd æquè Bacchus posit & pacem tueri & bellum gerere.

5 Confirmatio collationis ex adiuncta Baccho facultate sibi crudelissimum quidque mitigandi & conciliandi: qualis Cerberus semper creditus est. Sensum autem mysticum huius Odes περὶ τῶν τῆ Ὀρφέως ἡθικῶν γνώμων relinquo ijs considerandum, qui hæc iudicant μυστικώτερα, præsertim quum in Epist. 3. lib. 2. ad Pisones satis ad hunc locum:

Syluestres homines sacer interpresque Deorum.

videantur explicata.

Enarratio Grammatica.

Bacchum.] Annotauimus Ode 12. lib. 1. rationem duorum huius nominum, Liberi, & Lyæi: nunc de Bacchо & Dionysio dicatur, vbi primum te monuero, eum è Ioue & Semele filia Cadmi & Hermiones natum ex lib. 5. Diodori cap. 1. Grammatici quidem Bacchum deflectunt ἀπὸ τὸ βάζειν βίβαχα à nugando & deblaterando, additamento τοῦ κ per Pleonasmum: hinc βίβακτοι, *nugatores. Gall. bauars.* Διονύσου autem ab eo sic notatur lib. 5. eiusdem cap. 4.: *à patre Ioue & loco, quæ est Nysa, vrbs Arabiæ.* Vnde illud etymon ἀπὸ τὸ διδύναι τὸν οἶνον nõ satis firmâ nititur ratione. Quum verò Διόνυσος dicitur de Sole, ἀπὸ τὸ διινεῖσθαι *à circũagendo* nominatur ab Orpheo: Οὕνεκα διινεῖται κάτ' ἀπείρονα μαχρὸν Ὄλυμπον. *Cuius rei caussa immensum circumeurrit Olympum.* Bene quidem conuenit Diodoro cum Hesiodo in Theogonia de genere huius: sed ille memorat alios fuisse Bacchos, quem locum tu videto quoque lib. 3. de natura Deorum, vbi Cicero sic scribit, *Dionysios multos habemus, primum à Ioue & Proserpina natum: alterum à Nyso, qui Nysam dicitur condidisse: Tertium à Capio patre, eumque regem Asiæ præfuisse: cuius Sabazea sunt instituta: Quartum à Ioue & Luna; cui sacra Orphica putantur confici: Quintum à Nyso & Thyone; à quo Trietirides existimantur constitutæ.* Illi autẽ etymo modò improbato ἀπὸ τὸ διδύναι τὸν οἶνον opponitur, quod à duobus grauissimis auctorib. *Platone & Moschopulo* scriptum est. Hîc statim initio suæ exegeseως in opera & dies Hesiodi hoc adnotauit, Διόνυσον ἀπὸ τῶν διδόναι τὸν οἶνον. Ille οὕτω παραγει, καὶ διδύναιον αὐτὸν ποιεῖ, εἶτα Διόνυσον, id est, *ex eo deriuat nomen Dionysij quòd det vinum, tanquam hinc fingeret didoneusum, atque inde Dionysum.*

Credite.] Ellipsis est, *mihi oculato fideliterque narranti.*

Nymphas.] De his vtrisque vide Oden 1. & 4. lib. 4. & Pausaniam in Atticis.

Discentes] Verbum *disco* ab inusitato Græco δάσκω, cuius primigenium vsitata tempora seruat δάω, δαήσω καὶ δαήσομαι, &c. pro διδάσκω καὶ μανθάνω.

Capripedum.] Interpretatio Græcarum vocum αἰγίποδες, τραγοπόδες, τραγοσκελεῖς, quales pedes quidam è Luciano putant etiam tribuendos Pani.

Euhoe.] Hæc vocula è Græca facta est εὖ οἷ, tanquam εὖ οἷ, *bene ipsi sit*, vt monuimus Od. 18. li. 1. in *Euius*. Interdum geminantur εὐοῖ βάκχαι, quod Latini vertũt Euhoe Bacche: malo densare, vt à pronomine dẽsato profectũ. Quidam putant εὐοῖ deflecti ex Hebręa voce אר oi vel è coniũcta אברי, *aboi*, Prou. c. 23. vbi incómoda temulẽtiæ memorantur, quæ aliàs notauimus. Fuit autem λόγιον ὑμνητικὸν, quod acclamabatur in canticis Baccho.

Turbidum.] Ἀντιμετάβολα est, nomen pro aduerbio turbidè, vt sæpè aliàs monuimus, pro lætitia turbidissima, inconstantissima, & quâ mistâ timori mens concitatur & quasi abalienatur.

Thyrso.] Vox est Græca: θύρσος est ῥάβδος Βακχικὴ, *baculus Bacchicus*, & hasta frondibus pampineis vestita, vt constat ex hoc Nasonis versu de Baccho:

Pampineis agitat velatam frondibus hastam:

citatur tamen è Iustino Martyre, ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ χόρτου εἰρηνικῆς τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν, vt *Baccha per gręcum habitumque pacis lanceas in thyrsis circumferunt in festo vindemiali.* Eustathius in vers. Dionys. periegeseως:

Ἐγγύθεν ἀβρήσεια ὑπὸ ψυχοῖς Ἀγαθύρσοις, id est,

In propinquo videas sub frigidis Agathyrsis: annotat Agathyrsos populos dici ab Agachyrso Herculis filio aut à Thyrsis Dionysij Bacchi, qui sunt rami, quos Θυάδες, Μαινάδες, Λυσιάδες Bacchi sacerdotes furore & rabie percitæ solebãt gestare in Dionysiacis & Bacchanalib. His etiam possum addere Φοιβάδες, quia Macrobius lib. 1. Saturnalium scribit Aristot. sensisse Apollinem & Bacchum vnum esse Deum & eundem. Quidam putant thyrsos pro mollibus foliis sumi à Virg. Eclog. 5.

Instituit Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Sed hîc significatur potiùs symbolicum conuiuium, (vnde sumta est scribendi materia) & pompa, choreaque Dionysiaca, Petrus Victorius in lib. 8. Arist. de moribus ad locum, Ἔνιαι δὲ τῶν κοινωνιῶν, δι' ἡδονὴν μὲν δοκοῦσι γίνεσθαι διασωτῶν καὶ ἀφρονεστέρων· αὐτὴ γὰρ θυσίας ἕνεκα καὶ συνόδου. id est, *nonnullæ autem communiones propter voluptatem con-*

flatæ perſpiciuntur, veluti eorum, qui gregis, Thiaſos vocatos, colunt, & collatâ pecuniâ vnà epulantur, annotat, Thiaſum à Græcis vocatum fuiſſe gregem *Satyrorum, hominumq́, qui ſacra liberi patris celebrarent, ſatis notum verſibus Catulli ac Virgilij, neque tamen nomen hoc* ductum eſt à θύειν, vt quidam falsò putarunt, qui Thyaſum *falsò ſcribunt, etſi potiſſimum eo tempore, quo hoſtiæ mactabantur, coibant.*

Hic quidem interpres, vndè vocabulum non duceretur, rectè docuit: ſed quis eiuſdem ortus eſſet, minimè aperuit: quem equidem defectum nunc tibi, lector, è ſcholijs Euſtathij in verſ. Ὀδυσ. λ. Καὶ μὴν Σίσυφον Διαῖδην, &c. Suppleo Latinè redditis. *vocabatur autem, ait Derpnoſophiſtes Athenæus, Thiaſus etiam grex aſſecla Dionyſij à Deo quem Lacones & Peloponneſiaci Sion vocabant*, de quo reuiſe notas Gram. Odes huius lib. 14. ad vocem *Siſyphus. Itaque ex Siaſus mutatione τῶ σ. in θ fit Thiaſus.* Quæ nunc dicitur θυμελικὸς, cœtus in honorem Bacchi, qui ſic deſcribitur à Blondo lib. 2. de Roma triumphante: *Et Bacchanalia, Libero patri Baccho dicata, temporis longitudine per autumnum, Saturnalibus paria, maiore luxu celebrata ſunt. Nudi enim viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis, & virginibus ad ſacra conueniebant: quæ non niſi nocturna erant. Caput omnes pariter femoraliaq́, pampinis & vuarum racemis cinctæ: alios item vuarum racemos manu tenebant, & tumultuario inuicem commixti cœtu in ſublime ſaltãtes, variaq́, geſticulatione, brachia, ceruicem caputq́, mouentes carmen Baccho inconditum decantabant, nec prius erat ſaltationis modus, quàm defatigati, & toto corpore vacillantes partim reſupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pauimentum fanatici amentesq́, procumberent, vt rectè ſenſerit M. Varro, talia, niſi ab amentibus, fieri non potuiſſe.* Quid verò inceſtuum, conſtuprationumq́; in eiuſmodi nocturnis conuentibus, ſit commiſſum, Liuius l. 40. docet, adhuiuſcemodi flagitia quomodo Antiochus cogerit Iudæos, lege lib. 2. capite 6. Maccabæorum. Hæc autem feſta Donatus in Heauto. Act. 1. Scen. 1. verſ. *Dionyſia hîc ſunt. Dionyſij, inquit, qui & Bacchus dicitur, ſacra apleruq́, Græciæ vrbibus triennio quoque celebrabantur.* Romæ poſteà ſub finem hyemis. Secundus quidem verſus citatus ex Eclog. 5. periphraſis eſt Thyrſi, de quo idem Poeta Æneid. 7.

—— etenim molles tibi ſumere thyrſos,
Ter luſtrare choros.

De his Plutarchus in Alexandro: Velleius quoque Paterculus narrat Antonium iuſsiſſe, vt nouus Liber appellaretur, quẽ voluit ipſius habitu ſic referre, quum redimitus ederâ coronaq́ue velatus aureâ & thyrſum tenens, cothurnisq́ue ſuccinctus, curru, velut Liber pater vectus eſſet Alexandriæ: quod etiã Tacitus ſcribit l. 11. Annal. Meſſallinam & Silium imitatos. *At Meſſallina non aliàs ſolutior luxu, adulto Antonino, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri præla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant vt ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ. Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens iuxtaq́, Silius ederâ vinctus gerere cothurnos, tacere caput, ſtrepente circùm procaci choro.* Ex his perſpicis, Lector, quàm immania fiant ſpecie religionis facinora, quæ Barbaros Scythas minimè latuerunt, vt Herodotus refert in Melpomene: Scythas vitio Græcis vertiſſe conſuetudinem agendi Bacchanalia, negantes rationi conſentaneum eſſe, excogitare Deum, qui homines ad inſaniã adigat.

Fas peruicaces.] Hac voce, *fas*, quæ valet, θέμις & ad Deos, vt ius ad homines, ait Seruius ad verba Virgilij, *fas & iura ſinunt:* ſed Iſidorus clariùs diſtinguit lib. 5. *fas eſt lex diuina: ius lex humana, vt tranſire per agrum alienum fas eſt, ius non eſt.* Hic autẽ eximit ſe Poeta è numero τῶν βεβήλων, qui à tractatione myſteriorum Bacchicorum, vt indigni, arcentur, contraque inſerit ſe ordini numine Bacchi afflatorum, cuius vi dictatrice ſe profitetur hæc canere.

Thyadas.] Hæ fuerunt Bacchi ſacerdotes ἀπὸ τοῦ θύειν ab impetu furioſo vel, à ſacris faciendis ac victimis offerendis dictæ. Peruicaces autem vocatæ, quod non, niſi peruicerint, ceſſent rem inſtitutam peragere.

Viniq́.] Lege Diodorum lib. 5. de rebus à Baccho inuentis. Sacræ tamen literæ profanis multò antiquiores ac certiores memorant Noeum Patriarcham vini inuentorem.

Coniugis.] Heſiodus in Theogonia auctor eſt Ariadnem Dionyſij vxorem fuiſſe, quam retulit poſteà, permiſſu Iouis, inter ſtellas: vnde Virgil. in Georg. appellat coronam:

Cnoſſiaq́ ardentis decedat ſtella coronæ.

Fabula tamen aliter narratur ab Homero Odyſ. λ. & à Plutarcho in Theſeo, quos, vt Higynum & Ouidium, in hunc locum poteris conſulere, à quibus præterea diſces genus Ariadnes.

Tecta diſiecta.] Maior vis ruinæ ſignificatur verbo diſiiciendi, quàm illo Ode 2. lib. 1.

Ire deiectum monumenta regis.

Illo enim ea notatur diſsipatio tectorum, vt partes ipſorum colligere nequeas: hoc autem deiectio eorum, quæ colligas.

Penthei.] Diodor. lib. 4. ſcribit Dionyſium ex orbe ſuſtuliſſe impios maximeq́; Pentheum & Lycurgum Thraciæ regem, cuius decreto vineta abſciſsa ſunt, vt malorũ miniſtra. Sed in primis adeò memorabile fuit ſupplicium Bacchi in Lycurgum ἀμπελόφθορον, vt vitis lib. 1. Epigram. Græcorum κεφ. κ. huius commemoratione deterreat homines ab offenſione ſui:

Μνίσεο καὶ Βάκχου ἐνυβρίζοντι τἀκείνε
Ἔργα. Λυκόοργε μὴ λαθέτω σε τύχη.

Iraſcetur etiam Bacchus opus ſuum iniuriâ afficienti: Lycurgica ne te lateat fortuna. Idem memorat Seruius in verſ. 3 Æneid. ſub initium.

Terra procul ſæuo quondam regnata Lycurgo.

Hic Lycurgus, ait interpres, *dum Bacchum contemnens vites amputare parat, ſibi crura amputauit.* Sed conſtat eum abſtemium fuiſſe, vnde fuit acrioris naturæ, vt de Demoſthene legitur. Exiſtimo ab hoc Lycurgo Mahumetem vel genus duxiſſe: vel eius decretum repetiſſe, ac Turcis ſanxiſſe. Pentheus autem ex Ouid. lib. 3. Metamor. ſub finem; fuit filius Echionis ex Agaue coniuge, & filia Cadmi, qui propter contemtum τῶν Διονυσίων, irâ numinis laceratus eſt à matre & ſorore furioſis: qua de re ſcripſit Euripides Tragœdiam *Bacchæ* inſcriptam: vnde videntur hæc tranſlata.

Vuidus.] Id eſt, madidus vino, coerces crines, id eſt, componis. Seruius ita diſtinguit vuidus ab humidus, in hunc verſ. Eclog. 10. *Vuidus hyberna venit de glande Menalcas. Humidum eſt, ait, quod extrinſecus habet aliquid humoris: vuidum verò quod intrinſecus: vnde & vuæ dictæ ſunt: quod tamen plerunq́, confundunt Poetæ.*

Biſtonidum.] Biſtonides dictæ ſunt mulieres Thraciæ à Biſtone illius rege vel gente.

Sine fraude.] Id eſt, ſine damno, offenſione, periculo & malo.

Rhœcum.] Diodorus lib. 4. narrat Iouem deleuiſſe Gigantas, Mineruæ, Dionyſij cæterorumq́ue Deorum ope: vnde Iupiter cognominatus eſt à Callimacho hymno in Iouem πηλογόνων ἐλατῆρ, *expulſor Gigantum è luto natorum*, & Γιγαντολέτης, & Pallas, Γιγαντολέτης. Τὸ δὲ Γίγας dicitur ἀπὸ τῆς γῆς γεγονὼς *è terra editus.* Hic Rhœcus fuit vnus Gigantum, quem Dionyſius, indutus pelle leonis, deuicit.

Quanquam choreis.] De tripudijs & mollitie Dionyſij lege

lege Diodor. lib.5. Quid Lucianus memoret de Dionysio exercitum in Indiam ducente, vide eius Dialogum περὶ παλαίας, vel Διόνυσος.

Medius pacis.] Indicium istud est boni fortisque Imperatoris vtrumque tempus regere posse: quomodo maiestas Imperatoris definitur in proœmio Institut. è maiorum collatione, ac fine huiusmodi, *vt vtrumq; tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernare.*

Hæc verba, *Tu pacis eras, mediusq; belli*, mihi constituere videntur Bacchum, tanquam virtutem quandam inter duo extrema sibi velut è regione aduersantia: quæ dissensio fiet illustrior etymo vocum Græcarum, Ἄρης καὶ εἰρήνη, quod Eustathius in Iliad.β. profert. διότι τινὲς τὸν Ἄρεα ἀπὸ τοῦ τέρπειν τὸ λέγειν ἐπὶ πολέμου ἔθους, τὴν δ' εἰρήνην ἀπὸ τοῦ εἴρειν, ὅ ἐστι λέγειν παρέχουσι, id est, *nonnulli Martem notant à facultate agendi verbis cum aduersario sublata dictum. Summus enim vigor belli*, his non gaudet; sed ipsa pax in primis contrà ijsdem delectatur. Quidam referunt *tò medius pacis & belli* ad vim moderatè & immoderatè sumti vini: quòd dicit posteà ad gratificationem & extenuationem Historiæ. Alij malunt ad vim Bacchi indicandam hîc alludi, qui pro ratione corporum, quibus infunditur, illa dicitur modò ad mansuetudinem, modò ad feritatem impellere.

Te vidit.] Bacchus, impetratâ veniâ à Ioue patre, descendit ad inferos, vt Semelen matrem inde reduceret, cui Cerberus tantum abest, vt nocuerit, vt caudâ etiam illi adulatus sit, & ore trilingui pedes abeuntis demulserit. Hunc locum profert Seru. in ver. Æneid.4.

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Vbi quæritur, quid illud sit, quod inferos petat: *Nam tribus*, inquit ille, *constamus: animâ, quæ supernam suam originem petit; corpore, quod in terra desinit; vmbrâ, quæ si ex corpore creatur, vnà secum perit: nec est quicquam reliquum ex homine, quòd inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum, inferos petat, & est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus.*

Præterea sciendum est, simulacra esse hæc etiam eorum, qui per ἀποθέωσιν Dij facti sunt: vnde aut visi esse apud inferos, aut illuc descendisse dicuntur vt Horatius de Libero canit.

Insons.] Ἄκακος καὶ ἀβλαβής, id est, vacans omni noxâ, nihilq; tibi nocens, non damnosus. Gallicè: *Sans te faire aucun mal, mais au contraire te flattant & amadouant, comme vn chien priue & domestique.*

Cerberus.] De Cerbero fuit Ode 13. huius libri: sed ipsius etymum non fuit notatum, quod nunc affero è Seruio in Æneid.8.

Te Stygij tenuêre lacus: te ianitor Orci.

Cerberus est terra, quæ corpora sepulta consumit, vnde ille consumtor corporum vocatur. Tunc enim animæ locum suũ recipiunt, quum fuerit corpus consumtum. Inde Cerberus dictus est, quasi Κρεοδόρος. Ideo vocat Hesiodus in Theog. illum Κέρβερον ὠμηστὴν πεντηκοκέφαλον, Ἀϊδρηικῶά χαλκεόφωνον.

Aureo cornu.] Homines quidem Bacchum finxerunt propter virtutem & acumen ingenij in excogitandis rebus ad vitæ cultum necessarijs, cornutum, ait Diodorus lib.5.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri par nonæ lib.1.

a Metaphora à cultris penetralib. & gladijs. Sic idem nares acutas & oculos pro sagaciter odorantibus omnia & perspicacibus: sic pro arrectis & attentis auribus. Quidam tamen hoc acumen aurium referunt propriè ad earum figuram. Præstat tamen προσωποχῶς propter antecedens τὸ *discentes* accipere, quomodo *aures arrectas impulit.* Æneid.12. vbi, vt in plerisq; alijs locis Seruius annotat metaphoram à bestijs: quod peculiariter Plinius tribuit ceruis, *qui quum aures surrexerint; nihil est ipsis auritius: quum verò easdem demiserint; nihil ijsdem surdius.* Idem priùs animadu erterat Aristoteles li.1. animalium.

b Hîc duplex est metonymia: primùm subjecti pro adiuncto animo: deinde in *Bacchi* caussæ pro effecto afflatu & numine præsenti: de quo hic versus tractatus simili tropo:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

c Apostrophe est: aliò enim sermonem auertit, quàm instituerat, quum initiò compellârit posteros, ac prætereà exclamatio deprecantis immoderatum afflatum.

d Metaphora est ab aquis: quæ in viscera terræ receptæ sponte prorumpere solent perennes, eamq; ob rem Poeta dicit Bacchum aperuisse fontem largum vitigeni laticis. Hoc Ouidius & Hesiodus ad seculum aureum referunt:

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

e Similis tropus, ex quo & altero exiit allegoria.

f Est hîc quoque metaphora, sed à viatoribus iter idem sæpè terentibus, pro sæpè decantare & celebrare beneficium mellificij, in fas Anaphora est.

g Synecdoche est generis pro Ariadne.

h Metaphora pro corona Astro.

i Idem etiam, sed membri pro integris ædibus.

k Metaphora à teneris plantis, & alijs corporibus flexibilibus & sequacibus, quales sunt fluuij, Ganges & Indus hîc significati synecdochicῶς.

l Synecdoche generis pro mari Indico.

m Epanaphora est, eiusdem soni repetitio initijs sententiarum.

n Sumtum est à spiris anguium, quos ita implicatos capitibus Baccharum loco serrorum Bacchus imponebat.

o Synecdoche est generis pro Ioue, Deûm atque hominum parente.

p Metonymia est subiectæ maxillæ pro dentibus illuc insertis: in hanc enim feram conuersus talia gessit. Ita videtur γνάθος accipiendum in Vespis Aristophanis: ἀλλ' ἔπαγε πρὸς σὴν γνάθον, *verum impinge maxillam tuam*, id est, dentes tuos molares, vt exedas rete, quo cinctus es. Ita sumi potest ἢ ἡ κάτω, ἢ ἡ ἄνω γένυς, *siue inferior, siue superior, maxilla.*

q Προκατάληψις est ad Dionysio obiecta diluendum, vt Dialectica explicârunt, ac præcipuè mollitiem ipsi à Pentheo exprobratam lib.3. Metamorph.

Ode XX. ad Mæcenatem.

Theticum.

Quòd nihil sibi futurum sit opus funebribus iustis ad prædicationem sui nominis ac generis obscuri illustrationem.

[1] *On vsitatâ, nec tenui ferar*
Pennâ biformis per liquidum æthera
Vates: neq; in terris morabor
Longiùs: [a] inuidiaq; maior
Vrbes relinquam: non ego pauperum
[b] *Sanguis parentum, [c] non ego, quem vocas,*
Dilecte, Mæcenas, obibo,
Nec Stygiâ cohibebor vndâ.
[2] *Iam [d] iam residunt cruribus asperæ*
Pelles, & album mutor in [e] alitem,
Supernè: nascunturq; leues
Per digitos humerosq; plumæ.
[3] *Iam Dædaleo ocyor Icaro*
Visam [f] gementis littora Bosphori,
Syrtesq; Gætulas canorus
Ales [g] Hyperboreosq; campos.
[h] *Me [i] Colchus, & qui dissimulat metum*
Marsæ cohortis Dacus, & vltimi
Noscent Geloni: [k] me peritus
Discet Iber, Rhodaniq; potor.
[4] *Absint inani funere næniæ,*
Luctusq; turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte superuacuos honores.

Analysis Dialectica.

HOc carmen videtur Stoicum paradoxum, quod ita potest concludi & iudicari: *Quorum laus emori non potest, ijs nihil est opus honore sepulturæ, ad nomen ipsorum æternitati commendandum. Fama autem nominis Horatiani ex ipsius scriptis collecta, ijsdem postea terminis ac regionibus, quibus solis, cursus semper continebitur. Quare Horatius expers funeris egregie facti poterit immortalis, & ab omni iniuria oblitionis assertus suis scriptis esse: quicquid obscuri generis obiecturi sint inuidi ac maleuoli homines.* Propositio declaratur ex efficientibus, quòd versus & poemata ipsius parient vbique immortalem auctori suo gloriam, etiam patrijs terris & vrbibus relictis: & ita videbuntur à morte illum vindicare. Cicero pro Milone prædicat ipsum fore talem descriptione gloriæ: *ex omnibus præmijs virtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium gloriam: esse hanc vnam, quæ breuitatem vitæ posteritatis memoriâ consolaretur: quæ efficeret, vt absentes adessemus, mortui viueremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere.* Vnde conficit, *vbi corpus hoc sit, non laboro: quoniam omnibus in terris etiam versatur & semper habitabit nominis mei gloria.* Tanta vis à Theocrito tribuitur versibus Simonidis εἰδυλλ. ις.

Ἀμναστοι ὄ, τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τέκνα λιπόντες,
Δηλοῖς ἐν νεκύεσσι μακρους αἰῶνας ἔκειντο,
Εἰ μὴ δεινὸς ἀοιδὸς ὁ Κήῖος Ἀΐολα φωνέων
Βάρβιτον ἐς πολύχρυσον ἐν ἀνδρασι τῆλε ὀνομάσεις.

Verùm ditissimi illi reges, multis & præstantibus illis bonis relictis, miseros inter mortuos per longa secula latuissent obliuione obruti, nisi solers Ceius Simonides Poeta varias voces barbito edente illos gloriâ & prædicatione extulisset apud posteros iuniores.

2 Illa efficientia versuum iam elucet in prædicatione clari & glorioſi nominis inchoata & instituta.

3 Assumtio est: *nomen ipsius vbiq; celebre futurum*, illustrata minorum collatione: *Icarus famam nominis sui Icario mari solùm terminauit: Ego verò vastissimum quodq; mare peruolabo: terras remotissimas perlustrabo: ibiq; memoriam nominis mei consecrabo.* Amplificatur autem hæc ratio è distributione subiectarum orbis plagarum; Septentrionis, Orientis, Meridiei, & Occidentis: in quibus orbis partibus nominis Horatiani fama in perpetuum manebit. Quod breuius potest hoc versu Græco comprehendi. ὅπερ ἀεὶ φθογγὴ γαῖαν πᾶσαν ἱκάνει, id est,

Cuius vox & sonus semper totam peruadit terram.

4 Conficit tandem, quod initio positum est, nihil esse omnino necesse, vt Mæcenas ac reliqui amici, sine sordibus illi sepulcrum exstruant & sepulturâ querulâ præclarisq; exsequiarum iustis ipsum cohonestent ad perpetuam ipsius commendationem: quòd hæc vno tantùm in loco possint Horatianæ vitæ monumenta ciuibus tenere: ipsius autem scripta vbique terrarum perennem nominis Horatiani famam & laudem exteris celebrare. Vnde non immeritò fortasis videretur posse allusio quædam ad alterum nominis Horatiani etymum coniectari, quod ὁρατὸς futurus esset, omnibus aspectabilis.

Enarratio Grammatica.

Non vsitatâ.] Id est, inusitato modo per aerem purum volabo, mutatusq; in cygnum cantu orbem implebo. Hîc τὸ *non* negat solùm epitheta, non verbum *ferar*, vinculum enunciati.

Vates.] Non definiendus est hîc vates, qui arte diuinandi præditus sit, ac triformis dici è triplici artis suæ subiecto possit. Ἔστι γὰρ τελέως μάντεως τὸ δύνασθαι τὰς τρεῖς χρόνους ἀφιβῶς· id est, *Est enim perfecti vatis exactè nosse tria tempora*, qualem Homerus describit Iliad. α.

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος
Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα·

Calchas Thestorides augurum longè præstantissimus, qui sciebat & instantia & futura & præterita. Sed qui scit versus tam Lyricos, quàm Epicos canere & scribere: quibus sæpiùs oracula & vaticinia exprimebantur.

Biformis.] Hanc geminam Poetæ formam quidam referunt ad ipsius metamorphosin in cygnum: sed meliùs, meâ quidem sententiâ, ad duplicem ingenij Horatiani dotem: quòd vbiq; vates & Epicus, & Lyricus prædicabitur sine cuiusquàm inuidia: quam vel summa felicitas dissoluit, vel mors tandem exstinguit: de quo sic ipse facit 1. Epist. lib. 2.

Comperit inuidiam supremo fine domari.

Aethera.] Ex hoc versu Nasonis 1. Metamorph.

Et liquidum spisso secreuit ab æthere cælum.

Perspicis facilè *liquidum* opponi spisso, claritatemque ætheris significari per *liquidum*: vnde deflecti φῶς τὸ αἴθειν, ab vrendo & incendendo, idque Μεταβατικῶς, vel à fulgendo, & ardendo, atq; hoc ἀμεταβατικῶς putatur ab *Anaxagora*, quem *Aristoteles* reprehendit lib. de cælo de tali etymo: Idem tamen videtur probare notationem ipsius lib. 1. τῶν μετεωρῶν, vbi scribit Anaxagoram accepisse æthera pro igne. Sic tamen lib. 1. de mundo mauult ita dici διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, id est, quòd semper currat. Sed hîc, vt in versu *Ouidij* superiori videtur sumendum τὸ æther pro aere: vnde volatus auium aerius & volucres aeriæ. Nam è quatuor elementis æther dicitur *Pindaro* ἔφημος è sententia Philosophorum: quia quum ignitus sit, animalia non habet; ἅπερ οὐ δυνάμενα παυσάζειν αὐτῷ διὰ τὸ ἄγαν πυρώδες, id est, *quæ ad ipsum nequiuent ἐκνεφοῦσθαι appropinquare propter nimium æstum*, sicut fabulæ *Icari & Phaethontis* testantur. Reliqua autem elementa perspiciuntur habere animalia; mare pisces; terra quadrupedes & reptilia præter animal his sanctius, mentisq; capacius altæ; aer volucres. Itaq; cælum liquidum, valet hîc τὸ aer purus ac tenuis. Contrà spissus æther

ponitur

ponitur pro aere nimboso, crasso & concreto: ob id *Aristophanes* in Comœdia *nubes*, vocat æthera, patrem nubium & nutritorem omnium, intelligens aerem: pro quo etiam sumitur à *Virgilio* in *Tityro* ad versum:

Antè leues ergo pascentur in æthere Cerui.

Eadem autem est ratio vocis τῆς αὔρα: cuius est hîc mentio, quam modò diximus τῆς αἰθέρος, præterquam q, illud ἀνωμάλως deflectitur à præter. Passiuo τὸ αὔω, ῆσμαι, vnde dicendum esset, αἴσμα, vt ἆσμα ab ἄδω: sed amotione τὸ σ & mutatione spiritus tenuis in densum vsus obtinuit αὖρα: cuius causam materialem Medici statuunt in chylo à ventriculo concocto; efficientem partim in carne Hepatis, partim in nativo calore; formalem in spiritu; finalem in generatione & nutritione sanguinearum partium per se, sed spermaticarum per interuentum seminis.

Morabor.] Nero ad hoc genus locutionis alludens, cauillatus est mortem D. Claudij Cæs. quum dicit eum morari inter homines desiisse, decreta ipsius, vt deliri hominis, reputans.

Longiùs.] Id est, non diutiùs mihi futura est vitæ consuetudo cum inuidis hominibus. Sic Sallust. τὸ *longiùs* de tempore vsurpauit, quum de Cicerone loquitur in coniuratione, *quod neq; Vrbem ab insidiis priuato cõsilio longiùs tueri poterat*, i. diutiùs. Sic Cic. l. 7. ad fam. Epist. 3. *hæc tecum coràm malueram: sed, quia longiùs fiebat, volui per litteras eadem, vt haberes, quid diceres, si quando in vituperatores meos incidisses.* Neque verò hîc comparatiuus solùm vsurpatur in quantitate temporis notanda, sed etiam positi. & superlat. longè & longissimè. Prioris hîc vers. Eclogæ 4. fit pro exemplo:

O mihi tam longè (i. tam diu) *maneat vltima vitæ!*

posterioris in Sticho Plauti Act. 4. 24. v.

PA. *Quid agitur, Epignome?* EP. *Quid tu? quamdudum in portum venis huc?* PA. *Longissimè.* Gall. *Il y a fort long temps que ie frequente.* Eædem quoque dictiones passim vsurpantur de loci spatio.

Maior.] Id est, superior, quàm inuidi possent mihi nocere Romæ. Ex hoc cognoscitur terminus inuidiæ, quum illa supremum quicque nequeat pertingere & infimum soleat negligere: qui sunt prioris status, ἄφθονοι καὶ ἀμίγαρτοι vocantur, *sine inuidia*, qualem se Horat. dicit Od. 3. l. 4. non tamen ad plenum *& iam dente minùs mordeor inuido.* Inuidia igitur solet pares vel aliquantò superiores exercere, vt figulos & cantores inter se atque alios eiusdem opificij & ordinis, quales numerantur ab Hesiodo initio operum quinque,

—— Ξυλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ, i.
—— *æmulatur vicinus vicinum.*
Et figulus figulo succenset; & fabro faber,
Et mendicus mendico inuidet, cantoriq; cantor.

Quod Pindarus demonstrat apertius εἰδ. ια. Πυθ. exemplo Agamemnonis:

ἴσχει τε γὰρ ὄλβος ἐ μείονα φθόνον,
ὁσ' ἐ χαμηλὰ πένεων ἄφαντον βρέμει, i.
Sustinet enim opulentia non minorem inuidiam:
Sed qui abiecta est fortunæ, viuere securè potest.

ἔχει γάρ, φησὶ σχολιαστὴς, ἡ δυτυχία ἐ μικρὸν φθόνον, ὅτι ἀεὶ τοῖς δυτυχοῦσι βασκαίνουσιν οἱ ἔξωθεν· ὁ δὲ ταπεινὸς καὶ οἰκτρὸς πένων, τυτέστιν ὁ δὲ τελὴς καὶ πένης ἀφάνως ἔχει, οἷον ζῇ· διὰ γὰρ τὸ πένιαν δὲ τελὴς πεφυκέναι, καὶ ἀφανὴς ὄντος, id est, *Sustinet enim, ait Scholiastes, prosperitas non exiguam inuidiam: propterea quòd prosperè agit antibus homines alterius sortis indignantur & inuident semper. Qui autem est conditionis humilis ac miserabilis, vilis, abiectæ, paupertinæ denique, instar muti sonat; ad quem degit modum. Ob paupertatem enim, quum sit vilis ac simplex, redditur obscurus & ignotus.* Itaque per vniuersum orbem, vbi contra æmulos honoris mei honorificè prædicabor, vt inter Diuos ponar, breui euolabo.

Sanguis parentum.] Quia è patre libertino natus erat Horatius, qui pater, vt auus ipsius, rem priuatam non potuit facere amplam herilibus commodis priùs addictus, nec suis ac domesticis seruiens, vt erat conditio seruorum.

Dilecte.] Hanc vocem sic Festus interpretatur pro gemina ipsius notione, *dilectus militum, & is, qui significatur amatus, à legendo dicti sunt:* sed hic dubitatur, vtri hîc vocandi casus tribuendus sit, Horatione, quo sic à Mæcenate suauiter appelletur: quod si ita est, τὸ *dilecte* sumendum πεχνικῶς videtur: an Mæcenati, quo sic à Poeta honorificè appellatur: quod probabilius est & *vocas* absolutè positum explicandum: tu mihi das apud te accubationē epularem, vt Sat. 6. l. 1. dicit se Mæcenatis conuictorem σύσσιτον καὶ ὁμοδίαιτον. Nō multùm quidem certè interest, vtri potiùs tribuas, quum mutuus inter eos amor omnibus satis constet.

Non ob bo.] Vt Latinè dicitur obire pro mori, idque absolutè, vel mortem & diem obire pro eodem: sic Græcè τελευτᾶν τὸν βίον καὶ ζωὴν, *vitam finire*, vel, vt Xenophon, ὅταν τελευτήσω, *quum è vita exiero. ô mei liberi.* quod attulimus in Gram. Od. 28. l. 1. Pro hoc dicet Ode vltimâ l. 3. *Non omnis moriar multaq; pars mei vitabit Libitinam & lib. 4. dignum laude virum Musa vetat mori:* Præterea *obire mortem* eâdem dicitur ratione quâ *obire vadimonium*, vt positum sit pro *adire* sicut Festus tradit. Similiter dicetur Sat. 6. l. 1. sub finem *obeundus Marsya.*

Nec cohibebor.] Hoc verbum est vincientis, comprimentis, impedientis: quâ notione dicet Ode 4. l. 3.

—— *amatorem trecentæ*
Pirithoum cohibent catenæ.

Stygiâ vndâ.] De Styge dictum est Ode 34. l. 1.

Resident.] Id est, iam iam tibiæ meæ induerunt scabram & asperam pellem: qualis est in tibiis oloris, pro illa hominis læui ac polita: quomodo residere per coniugationem tertiam propriè dicitur, vt simplex *sido* de auibus: pro eo quòd diceretur, pelles asperæ iam insident fixæ meis cruribus. Epodis tamen quintis de cælo subsidente vsurpatur:

Priusq; cælum sidet inferius mari
Tellure porrectâ super, &c.

Alitem.] Cygnus significatur, auis Apollini sacra, de qua sic Eustathius in Ιλιαδ. α. Καὶ κύκνῳ δ' ᾧ τὸ Ἀπόλλωνι, ὃ μόνον διὰ τὸ ᾠδικὸν καὶ μαντικὸν ἀφιέρωται, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ λευκὸν, ὅθεν ἐν τοῖς λεύκοσιν ἤτοι βλέπειν παράγεται· Οὔθεν Ἀπόλλων δὲ παραπλησίως ὄνομάζεται, ὡς φῶλα καὶ φέρτατα πάντα ποιῶν· *Cygnus non solùm est auis Apollini consecrata, quia sit canora & futuri præsaga: sed etiam quia candida & alba: quæ vox Græca inclinatur à verbo clarè videndi: vnde per adiunctionem nominatur Apollo Delius: quòd sit auctor claritatis, faciatq; clara, facileq; conspicua omnia.* Ex eodem fortassis etiam fonte Latina lux, luceo, lucidus non malè dicerentur manare. Eidem Apollini consecrati sunt boni Poetæ: qui eam ob similitudinem cantus & numinis rectè inter se comparantur. Præterea de cygno canoro sic Cic. 1. Tusc. *Cygni non sine caussa Apollini consecrati sunt: quòd ab eo habere diuinationem videantur: quia prouidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Sed de suauitate cantus mortem præsentientis cygni sic fecit Martialis:

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Vnde prouerbium Græcum κύκνειον ᾆσμα, *Cygnea cantio*, quam sic Cic. 3. de Orat. vsurpauit: *illa tanquam Cygnea fuit diuini hominis vox & oratio*: qualem voluit quidam

dicteriorum studiosus imitari l.4. Athenæi, qui,quum iugulandus esset à carnifice,dixit se velle, vbi velut cygneam cantilenam priùs cecinisset,mori. Eam tamen modulationem Aelianus lib.2. cap.32. variæ Historiæ commentitiam & fictam scribit esse, & ita ferè iudicatam à Socrate in Phædone: quanquam aliter à vetustissimis quibusque Poetis sæpè celebratam: sed verbis Græcis Aeliani prætermissis subiiciam tantùm interpretationem paullò à Græcis alienam, veram tamen. *Iam vulgari sermone tritum est, cygnum esse cantus studiosum,* vt carmine Callimachi 5. εἰς τ' Ἀπόλλ. ὃ κύκνος ἐν ἠέρι κάλον ἀείδει. *& olor in aere pulcrè canit.* & Aristoteles l.1. Hist. animal. ᾠδικοὶ δ' οἱ περὶ τὰς τελμὰς τὰς μάλιστα ᾄδουσιν· *canori quidem sunt: sed maximè sub vitæ finem. Non equidem tamen illum canentem audiui, neq; fortasse quisquam alius. Itaq; vulgò istud persuasum est, sicuti hoc: quòd dicitur ipse tum maximè quidem vocalis & canorus esse, quum postremo vitæ actui proximus est.* Idem affirmat Plinius l.10.c.23. *olorum morte narratur flebilis cantus, falsò, vt arbitror, aliquot experimentis.* Contrà mali Poetæ cum anseribus obstreperis comparantur,vt Lycida Ecl.9. vbi tamen quidam putant allusum ad eos malos Poetas qui laudes Antonij tum dicerent,vt Philippicâ 13.συνεκδοχικῶς significatur ad hæc verba:*de falerno anseres depellentur.*

Nam neq; adhuc Vario videor neq; dicere Cinnæ
Digna,sed argutos inter strepere anser olores.

Hinc præterea discendum est κύκνον vocem esse Græcam Eustathio dictam Ιλιαδ.β. ἀπὸ τῆ κυκᾶν à cœno agitando, dum inuestigat & perscrutatur alimentum omnia miscendo,vt olorem Latinam quibusdam:non desunt tamen,qui eam inclinent παρ' ὅλον τ' ὠρεῖον, *quasi totus pulcer sit.*

Mutor supernè.] Sic potiùs ὑπερῤῥηματικῶς legendum videtur,pro,è superiori parte corporis. Quemadmodum Sat.7.lib.2.sumitur,*peccare supernè.* Ita quoque Suet. in Tib. c.39. *Complura & ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt*, pro è sublimi loco. Si vis tamen retinere *supernè*; Syntaxis erit Græca per ellipsim κτλ & Latinè interpretandum secundùm superna, vt breuis sit vltima pro ratione metri: sed quum *supernè & infernè* posteriores syllabas breues habeant libro sexto Lucretij:

Tecta supernè timent, metuunt infernè cauernas.

potest *supernè* retineri.

Dædaleo.] De Dædalo vide Od.3.lib.1.sicut de Bosporo Oden.13. huius libri. Præterea de his Syrtibus Od.22. eiusdem lib.

Hyperboreosq;.] Sic dicti sunt populi Scythiæ, supra quos,id est,vltra quos,sicut interpretatur Seruius,*spirat Boreas ventus Septentrionis.* Festus tamen addit alteram huius vocis notationem, ὅτι ὑπερβαίνουσι τὸν αἰῶνα ὅρον· *quòd terminum vitæ humanæ transcendant.* Sed de Hyperboreis, & Hypoboreis si plura requiris, lege Baccanum,qui Venetica,Hyperborea,Hottodamica,& similia scripsit. Vide etiam cosmographiam Strabonis lib. 1.&7.&15.qui prudenter refutat lib.1.Historiam Herodoti in Melpomene negantis hos populos esse: quia si Superboreales essent, necesse quoque esset, vt Supernotij essent: atqui tales nulli sunt: itaque nec Hyperborei. Sed rectè Strabo respondet,non propterea dici Hyperboreos,quòd Borreas apud eos non spiret;sed quòd sint proximi Borreæ. Eosdem nonnulli,quorum vnus dictus est modò Festus, putant dici,ὅτι ὑπερβαίνουσιν ὄρον, id est, quòd termino humanæ vitæ gentes reliquas excedant.De his lege plura lib.4.c.14.Plinij.

Dissimulat.] Est fingere se non id metuere,quod quis metuat maximè. Cõtrà τὸ *simulare* est fingere quòd non est:quomodo Dauus dicit grauiter in herum Sat.7.*Non es, quod simulas.* Pro vtroque Græci vsurpant τὸ εἰρωνεύεσθαι, vt apparet ex Epist.4.l.4. ad famil. Sallustius in coniuratione vtitur alterâ Syntaxi: *Vulturtius fingebat alia omnia dissimulare de coniuratione.*

Marsæ.] De his populis repete, quod annotatum est Ode 1.l.1.sicut de Dacis Ode 35.l.1.

Geloni.] Geloni sunt populi Scythiæ.

Peritus Iber.] Iustinus lib. postremo narrat Hispaniam primùm ab Ibero amne Iberiam cognominatam, posteà ab Hispano Hispaniam. Huc addit Eustat. in Dionys.κτλ δέ τινας ἀπὸ τινος βασιλέως ὁμωνύμου οἱ Ἴβηρες ἔλαχον τὸ ὄνομα τῆς χώρας. Κελτὸς γὰρ ὁ Ἴβηρ, παῖδες Ἡρακλέους ἀπὸ βαρβάρου γυναικὸς ἐξ ὧν τὰ ἔθνη οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Ἴβηρες· *ex opinione quorundam Iberi à quodam rege eiusdem nominis sortito vocãtur. Celtus enim & Iberus fuerunt Herculis filij ab vxore barbara:è quibus gens Celtorum Iberorum existit.* Hispanis tribuitur hoc cognomen *peritus*, propter longinquas frequentesque illius gentis nauigationes,quæ pariunt hominibus experientiam ac multarum rerum vsum.

Rhodaniq;.] Rhodanus est flumen ex Alpibus Rhæticis fluẽs per Lemanum lacum versus meridiem: quod nomen creditur inuenisse à Rhodia colonia.

Absint inani funere.] Orator sæpiùs sine ellipsi,abesse ab vrbe,à consilio fugiendi,à spe Consulatus.

Funus.] Sic definitur à Donato in And.Act.1.Sc.1.& simul notatur,vt sit pompa exsequiarum, dictum ab accensis funibus,aut funalibus. Etenim noctu efferebantur cadauera propter sacrorum celebrationem diurnam. Itaque propriè hîc sumitur: sed trãslatè priùs dixit,*lacrymosa funera*,& posteà dicet *maturo propior funeri*, pro,*cadibus & morte.*

Nænia.] Nœnia est cantus lugubris:quę definitio Græcis existit ὀπικὸν ᾠδὴ, ὀπικὸν λόγος, ὀπικὸν θρῆνος, ὀπὶ τάφου, μνημα τῆς λόγος καὶ ὀπὶ τύμβιος, *sepulcralis oratio*, vt abundè dictum est¶ Ode 1. huius & dicetur 28.sequentis: aliquando etiam puerilis cantilena vt Epist.1. lib.1.

Explicatio Rhetorica.

PErsimilis est hæc Ode 9. l. 1. metri genere. Ode tota,præter admodum paucos versus,allegoria est è continuatione complurium troporum & variorum:ac primùm metaphorarum,sicut ipse Poeta videtur ostẽdere,dum se in olorem mutari admonet,&nos carmen ipsius nouum & inauditum in pennas & plumas conuersum interpretamur: quo ipse, vt Ennius dicebat, volitabit per ora virûm, &, sicut idem versu postremo dixit Odes 1.l.1.*sublimi feriet sidera vertice* (vbi leges nostras in Rhe. notas) id est, nomen ipsius præclarum & memorabile, non obscurum apud omnes nationes celebrabitur perennius ære, vt etiam ipse dicet in fine libri sequentis.

[a] Metonymia adiuncti pro *inuidis superior.*

[b] Metonymia caussæ materialis pro subole ac prole inde orta. Simili tropo dicitur Æneas carmine seculari, *Clarus Anchisæ, Veneriq; sanguis*, & Pisones, *sanguis Pompilius*, Epist. de arte Poetica. Sic Græci τὸ αἷμα sumunt Iliad.ζ.vers.211.

Ταύτης τοι ἠγεῖς τε, καὶ αἵματος εὐχομαι εἶναι.

Ex hoc quidem genere & sanguine me glorior esse. Verba sunt Glauci,vbi Eustathius annotat: Αἵματος δὲ τὸ σπέρματος φασὶ οἱ σοφοὶ, ὡς τὸ σπέρματος ὕλην τὸ αἷμα ἔχον. *Physici hîc dicunt sanguinem poni pro semine,& hoc habere sanguinem pro materia.* Sic Aristagoras dicitur sanguis Νεμ. ια. στροφὴ γ.

συμβαλεῖν λίαν ἀμβρὲς ἰῷ τό, τε Πε-
σάνδρου πάλαι
αἷμ' ἀπὸ Σπάρτας, ἰὼ

Perspicuè

Perspicuè coniicere ex certis indiciis facilè erat

Pisandri vetustum sanguinem, i. prolem generosi parentis. Hæ interpretis notæ confirmant opinionem Hesychij, qui tradit τὸ γνεῦς ad patrem & τὸ αἷμα & ad matrem referri, eademque operâ nostrum tropum.

c In *non ego, non ego* est epizeuxis.

d Epizeuxis altera, vti non ita pridem docuimus Ode decima septima huius libri, nec interiectio verborum *quem vocas dilecte Mæcenas* est impedimento, quin idem sonus audiatur in continuatione earundem vocum.

e Synecdoche generis pro Cygno, nam & *Iouis ales* dicitur Aquila lib. 1. Æneid. vers. 398. *quæ Cygnos aperto turbabat cælo.* De quorum pugna lege li. Arist. in Grammaticis citatum.

f Sumtum est ab animatis pro murmurantis, & traductum ad inanima, vt grauiter aliquid gemere & plorare: quod est Græcis στένειν, ἢ στενάζειν· sed hoc lib. 5. Æn. *amnes repleti gemunt*, & illud:

——*gemit imposito sub pondere cymba,*

videntur potiùs respicere notionem verbi Græci, vnde creditur hoc Latinum manare, τὸ γέμειν pro plenum esse & repleri: ibi tamē est aliquod murmur & sonitus, quum agitantur & gubernacula gemunt.

g Similis est tropus superiori *albus ales.*

h In *me* meton. subiecti, pro, memoria mei & fama Horatij perueniet ad omnes nationes.

i Synecd. singularis pro, incolis Colchidis, Eadem est in *Dacus*: eadem in *Iber*: eadem in *potor Rhodani* pro, Daci, Iberi, Hispani, Galli, Lugdunenses: qualis concursus eiusdem synecdoches habet alteram allegoriam.

k Me repetitum initio sententiarum habet anaphoram.

Finis libri secundi.

Q. HORATII FLACCI VEN.

CARMINVM LIBER TERTIVS.

Ode Prima.

Theticum.

Quòd nemo curæ & metus expers, animoque tranquillo esse possit præter eum, qui facilè suâ virtute & sorte viuit contentus.

Di [a] *prophanum vulgus & arceo:*
Fauete linguis: [b] *carmina non priùs*
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisq; canto.
[2] *Regum timendorum in proprios* [c] *greges,*
[d] *Reges in ipsos imperium est Iouis,*
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta [e] *supercilio mouentis.*
[3] *Est, vt viro vir latiùs ordinet*
[f] *Arbusta sulcis.* [4] *hic generosior*
Descendat in [g] *campum petitor:*
Moribus hic meliorq; famâ
Contendat: illi turba clientium
Sit maior: [5] *Aequâ lege necessitas*
Sortitur insignes & imos:
Omne capax mouet [h] *vrna nomen.*
[6] *Districtus ensis cui super impiâ*
Ceruice pendet, non [i] *Siculæ dapes*
Dulcem elaborarunt saporem:
Non auium citharæq; cantus
Somnum reducent: [7] *somnus agrestium*
Lenis virorum non humiles domos
[k] *Fastidit, vmbrosamq; ripam,*
Non Zephyris agitata [l] *Tempe.*
Desiderantem, quod satis est, neq;
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hædi:
Non verberatæ grandine [m] *vineæ,*
Fundusq; mendax [n] *arbore nunc aquas*
[o] *Culpante, nunc torrentia agros*
Sidera, [p] *nunc hyemes iniquas.*
[8] *Contracta pisces æquora sentiunt,*
Iactis in altum molibus, huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominusq; terræ
Fastidiosus: sed timor & minæ
Scandunt eodem, quò dominus: neq;
Decedit æratâ triremi, &
Post equitem sedet atra cura.
[9] *Quòd si dolentem nec Phrygius* [q] *lapis,*
Nec [r] *purpurarum sidere clarior*
Delenit vsus, nec [s] *Falerna*
Vitis Achæmeniumq; [t] *costum:*
[10] *Cur inuidendis* [u] *postibus & nouo*
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Diuitias operosiores.

Analysis Dialectica.

Hic proponitur apertè, apud quos,& quid dicere velit Poeta: vbi quędam est forma methodi & proœmij primis quattuor versibus comprehensi & è loco dissentaneorum petiti: Non statui, inquit, hominibus impuris, indocilibus, indignis proponere & tradere hanc Philosophiæ moralis partem, vulgi opinionibus contrariam de vitæ tranquillitate è schola Stoicorum depromtam: sed integris, docilibus, omniumque scelerum puris: quæ tametsi quibusdam hîc videtur per varios & multiplices sensus deduci posse, vt difficile sit ad certum caput illam reuocari: tu tamen, si ad τέλικον spectes, quod initiò proposuimus, facilè omnia sequentia referes ad id quod nemo omnino hominum, cuiuscunque fuerit ordinis & conditionis eximatur è metu & cura præter hominē virtute & suâ sorte contentum: idque mihi sic σωημμένως concludendum videtur: Si dominatio regum, abundantia opum, summi honores, magnifica palatia, superbæ ædes, dapes exquisitæ, suauissimi cantus, purpureæ vestes, vina generosa non adimunt metum & curam suis Dominis: nihil est, quòd ea omnia tam perditè amem, tantoque opere consecter: atqui hæc omnia non pellunt curas, nec metum tollunt: non igitur perditè amem, neq; consecter potentiam, opes, honores, tecta magnifica, quæ mihi posteà summam conflarent inuidiam, & augerent dolorem, variè animum distraherent in tetras curas: sed meis rebus contentus tranquillè viuam. Partes huius Argumentationis permixtæ sunt in litera: vis enim propositionis est in quattuor penultimis versibus ad hæc verba, *quòd si dolentem, &c.* Assumtionis autem ad hæc, *Districtus ensis, &c.* Complexionis denique in vltimis quattuor versibus, quæ tibi fuerit clarior ἐπιφωνήσεως enunciata, ad hæc verba, *cur inuidendis, &c.* Ita mihi videtur præsentis Odes summa & ratio breuiter subducenda & existimanda, tāquam præfatio quędam ad doctrinam de vita & moribus è cæteris huius libri Odis facilè percipiendam. Non dissimili fuit argumento Od. 10. l. 2. quam relegere poteris. Iam singulas illius partes examinemus.

2 Nostra assumtio confirmatur distributione hominum εἰς τὲς φοβερὸς καὶ ἀφόβους, in perterritos & intrepidos: priorum quidem est rursus quadruplex subdistributio, quorum prima sumitur è relatorum conditione, quòd alij regnent: alij regnentur (licet, credo, mihi sic cum Plinio, Ouidio & Tacito loqui) vbi Iupiter ex præstantissimis, omniumque summis factis explicatur.

3 Altera est agricolarum è maiorum collatione quòd alij aliis fiant agri ditiores, neque id sine sollicito timore.

4 Tertia est ambitiosorum eodem comparationis loco comprobata: quòd hic ad summos honores aspiret maiori generis splendore, & clientum multitudine: ille virtutis commendatione & morum probitate: neque id etiam fit sine maximo repulsæ metu. Quarta restat, & infrà significatur ad versum: *Contracta.* de luxuriosis, quibus non satis est ædificia in solo hominum proprio ingenti sollicitudine construere, nisi etiam illud piscium insanè vsurpent.

5 Ex his efficit stultam esse contentionem dominationis, possessionis honorum, idque è collatione pariū, quòd nullo discrimine moriendi agantur καὶ οἱ ἄρχοντες καὶ ἀρχόμενοι, qui sunt cum potestate & qui sunt priuati, & qui diuites & qui pauperes: nec vllum esse animal, vt de omni genere loquamur, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est, quasi ferendi & patiendi necessitatem.

6 Adhuc habuimus prosyllogismum & approbationem assumtionis, quę iam apertè exprimitur. Atqui regales epulæ, suauissima musica, reliquæ etiam deliciæ potentum non pellunt illorum curas: fastidia ciborum non abstergunt, non dant quietem.

7 Pars est altera primę distributionis de intrepidis, bipartita rursus in agrestes & mediocria consectantes, qui dissimiliter comparantur cum perterritis. Nam hi fastidiunt omnes cibos, quamlibet lautè apparatos & suaues, insomniâ laborant & magno curarum æstu fluctuant: metu cruciantur: aliisque compluribus animi perturbationibus commouentur: agrestes primùm longè aliter, in cibos, etiam Persico nasturtio viliores & tetriores appetentiâ quasi ferinâ feruntur. Nam *cum sale panis latrantem stomachum benè leniet*, vt lib. 2. Sat. 2. ipse canit. Arctissimos lenissimosque somnos ducunt vbique vel ἐν στιβάσι θρίνων χαμαὶ δύναι, καὶ γναμπτοῖς in iunceis cubilibus humi dormientes & terricubæ, quod vtrumque sibi conciliant non tam corporis defatigatione, quam animi securitate. Deinde qui suis rebus viuunt contenti, sunt animi securi de omni inclementia astrorum & signorum, de omnibus vitiis atque iniuriis aeris, terræ, aquæ, & temporum. Hunc tamen statum Seneca Stoicè reprehendit Epist. 68. è Demetrio, qui vitam securam & sine vllis Fortunæ incursionibus vocat mare mortuum, nihil habere ad quod exciteris, id est, ad quod te concites, & cuius denunciatione incursuque firmitatem animi tui tentes. In otio autem inconcusso iacere, non est tranquillitas, μαλακία est, cuiusmodi est ἡδὺ καθεύδειν καὶ σφόδρα τινὰ κατὰν καθεύδειν *somnum facilem, iucundum & lenem dormire.*

8 Hæc pars quarta subdiuisionis, de luxuriosis quos ad perterritos aggregauimus, demonstratur loco diuersorum. Quanquam, ô luxuriose, sic in mari ædifices vt illud pisces sibi angustius sentiant fieri & contrahi: non tamen inde soluens velificatione excuties timorem, nec contundes hominum minas, quod argumentum altero ex adiunctis confirmatur: quia metus & curæ adiungunt sese comites immoderatæ cupiditatis: nec ab ea, quocunque abieris, diuellentur vnquam, penitus in animo hominis insidentes.

9 Propositio est argumentationis iam contextæ: vbi ad commendationem purpurę adhibetur maiorum comparatio: quæ quantumuis superet claritate coloris ipsum solem, non mitigabit tamen dolorem domini sui.

10 Complexionis locus est, quę magis apparet citra figuram pronunciata, vt dictum est: non igitur auidè persequar potentiam: nec ingentes cōgeram opes: nec ædificia superba construam: nec appetam honores, id est, viuam tranquillè virtute, meaque sorte contentus. Hæc enim vitæ conditio sola est metus & sollicitudinis expers: quod initiò positum fuerat.

Enarratio Grammatica.

ODi *prophanum.*] Videtur Poeta, dum arcet à sua doctrina imperitos, auaros & vitiosos imitari Aristotelem, qui 1. lib. Ethicorum ab auditione & lectione moralis doctrinæ reiicit incontinentes, quod mihi non satis probatur: præsertim cùm huiusmodi homines maioris medicinæ videantur egere ad emendationem, nisi ea planè desperanda, facto periculo, putaretur. Sed Plato dialogo περὶ ὁσιότητος moderatiùs arcet à

cet à ſtudio philoſophiæ homines ignauæ & illiberalis naturæ, & ita prophanos deſcribit alloquens Theætetum, ἄθρει δὴ περισκοπῶν, μήπῃ τῆς ἀμυήτων ἐπακούσῃ. εἰσὶ γάρ τοι, οἱ ἁδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ ἃ ἄν δύνωνται ἅπερ ἐξ τῶν χερσὶν λαβέσθαι. *Obſerua igitur attentè, ne quis prophanorum exaudiat: hi autem ſunt profani, qui nihil aliud eſſe putant, niſi quod præſtrictis manibus tenaciter apprehenderint*: hoc videtur ſumtum è 29. cap. Exod. 1. verſ. 30. קודש ליהוה Codeſch Lajouah. *ſanctitas ipſi Iouæ*. Ita princeps Medicorum Hippocrates inſtruit medicum futurum ſimili diſtinctione & initiatione ſtatim in principio ad legis tractatum & finem: τὰ μὲν ἱερὰ ἐόντα ἱερὰ ῥήματα ἱεροῖσιν ἀνδράσι δείκνυται, βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν γε τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἢ ἐστὶν· *res excellentes cum eximis hominibus communicari debent, non autem cum profanis, antequam initiati fuerint myſteriis ſcientiæ*. Sic καθολικῶς interpretor τὰ ὄργια: quæ vox quanquam videtur quibuſdam deflecti ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *à furore*; mihi tamen magis probatur notatio ſcholiaſtæ Apollonij, qui ſcribit hâc dici ὡσεὶ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν, *quod ab illis ſacris arcendi ſint prophani*. Ad inueſtigandum autem hoc etymon inuitauit me verbum *arceo*, quo Poeta noſter vtitur ad illud accommodatè: quod videtur interpretari illud Euripidis in Ione: τοὺς μὲν δὴ ἀδίκους βωμοὺς ἔχειν ἐχελῶ, ἀλλ' ἐξελαύνειν, *iniuſtos non oportet aræ adſtituere: ſed inde expellere. Perſpicis ex his Ethnicos excludere ſolitos & repellere impios & ſceleratos ab vſu communium ſacrorum*: quod apertiùs narrat Cæſar lib. 6. comment. de Druidis: *Si quis*, ait, *aut priuatus, aut publicus eorum decreto non ſtetit ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos grauiſſima eſt: quibus ita eſt interdictum, in numero impiorum ac ſceleratorũ habentur: ab iis omnes decedunt aditum eorum, ſermonemq; defugiunt; ne quid è contagione incommodi accipiant. neq; iis petentibus redditur ius, neq; honos vllus communicatur*. Prophani dicuntur Latinè eâdem ferè dictionis notatione, atque βέβηλοι Græcè. Illi Varroni quaſi ante fanum, ſed Feſto qui fani religione non tenentur, quaſi porrò, id eſt, procul à fano: quibus opponũtur in Pſeudolo Plauti, *ſacri*: vnde Virg. alludens ad vim nominis dicit:

—*procul ô procul eſte prophani.*

hi verò ἀπὸ τοῦ βηλοῦ *à limine*. Euſtathius etiam putat βέβηλον dici quaſi βάσιμον, ὡς τόπον, vt *locus peruius*: & vulgò adeundus. hinc Muſæus θύρας ὃ ὀπίσσατε βεβήλους ſortes *obdite prophanis*: ſimiliter Callimachus ἐκὰς, ἐκὰς ὅστις ἀλιτῇ λόγε, *lõge, lõgè quiſquis ſceleratus eſt*. Sic non initiatus ſacris ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος dicitur ἀμυσταγωγίας καὶ ἀτελέστου, quam quidem certè vocem Scholiaſtes Theocriti ſic interpretatur ἀντὶ τοῦ, βέβαλοι τοῦτ' ἔστι ἀνάξιοι τοῦ μυστηρίου τοῦ ἔρωτος, ἀλλοτρίου ἀμύητοι, ἀμυσταγωγίας, μυστηρια μὴ ἔχοντες. παρεμφαίνει δὲ μυστικὸν τὸ ἔρωτα ἰασίονος, καὶ Δημήτερος· i. *Bebeli ſunt indigni myſterijs amoris, non initiati ſacris. Adſignificat autem arcanum laſionis & Cereris*. Quod autem Ethnici dicebant profanis, vt ſe procul à ſacris remouerent ἐξέλασε τε θύρας βέβηλοι, Chryſoſtomus in cap. 10. ad Hebr. ſcribit Diaconos etiam proclamare ſolitos, *qui non eſt ſanctus, ad myſteria non accedat*, quæ ſolùm πρὸς τὰς μύσεις, τοῦτ' ἔστιν, ἁγίους καὶ ὁσίους, Latinè ad initiatos pertinebant: vnde Catechumeni ac energumeni iubebantur exire foras. De his autem vocibus; *ſacer, prophanus, ſanctus & religioſus* lege l. 3. Satur. c. 3. Macrobij. Opponuntur *ſacer* & *profanus*: *celebris* & *deſertus*: *publicus* & *priuatus* lib. 1. ad Herennium: *hic tamen prophanus & ſacerdos nullam quæſtionem probant: ſed quid alterum ab altero differat, oſtendant*.

Arceo.] Sumtum eſt è Græco ἀρκέω quod eſt propulſo, vt quum dicunt ἀρκεῖν ὄλεθρον ἢ θάνατον, *mortem propulſare, & arcere*.

Fauete.] E varia interpretatione Euſtathij in v. Οδυσ. γ. ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράσσατε δ' οἶνον· *ſed age, diuidite linguas, & miſcete vinum*: poſſumus etiam interpretari παύσατε τοὺς λόγους *fauete linguis*: vel vt Iliados Ἴσχετε initio, ἀκλὴς γένεσθε σιωπῇ *conticete ſilentio*. Hæc loquendi formula ſumta eſt, vel à Pontifice, qui ſacra facturus à præſentibus ſilentium in fauſtam ominationem poſtulat: vel à prologo Comœdiæ qui ſic initiò captat ſpectantium beneuolentiam, & attentos eos facit: quod vtrumque Terentius in Prologis & Andriæ. *ſauete adeſte aquo animo*: & Eunuchi, *cum ſilentio animaduertite* coniungit. Eſt igitur linguis fauere idem, quod faucibus, verbis, ore, tacere, nec ſubmurmurare, ac ſine ſtrepitu diligenter attenteque audire. Sic Plautus in Amphitr. *ita hunc ſacietis fabulæ ſilentium*: quod Sophocles in Philoct. dicit, δ' στόμ' ἔχε πᾶν, & Scholiaſtes interpretatur σιώπα *ſaue linguâ & tace puer* & Herodotus in Eut. χρὴ πάντως μοι περὶ δ στόμα κείσθω· *de hac mihi ſauendum eſt linguâ & verbis parcendum*: quod Galli rectè exprimunt & propriè, *Il me faut auoir bon bec & tenir ma langue touchant cela*: quod Plutar. per Ellipſim prepoſitionis effert propriè συμπ. 2. περὶ ὅλ. ſ. τ' ἄλλα μὲν δ' στόμα κείσθω· ἔστι γὰρ μυστικώτερα, *& de reliquis, quia ſunt plena myſterij, fauebo linguâ & tacebo*. Feſtus in explicando τὸ *fauentia* copulat inter ſe δ' φημίαν καὶ σιγὴν. Seru. in verſ. Æn. 5. ſub initium, *ore fauete omnes* citat hunc locum & annotat: apto ſermone & ſacris & ludis vtitur. Nam in ſacris taciturnitas, in ludis fauor neceſſarius eſt. Fauet quis ore etiam per taciturnitatem. Hâc etiam phraſin Seneca in fine capitis 26. de vita beata ſic explicauit: *Quoties mentio ſacrarum literarum interuenerit, ſauete linguis: hoc verbum non, vt pleriq; exiſtimant, à fauore trahitur: ſed imperatur ſilentium, vt rectè peragi poſſit nullâ voce malâ obſtrepente*. quod Epigramm. lib. 1. cap. λε, de Echo, dicitur.

Εὔφημ' γλώσσῃ φθεγμοίβιο παῦε λάλον ἠχώ.

Tu linguâ fauens præteri vocalem Echo.

Non priùs.] Hic Poeta videtur ſe primum Poetam Lyricorum Latinorum prædicare: quod clariùs iactabit Ode poſtremâ huius lib. ad verſum: *princeps Aeolium carmen*, &c. Anteiit quidem illum Liuius & ætate & ſcriptione carminis: ſed quia illud inconditum fuit, caruit plauſu & prædicatione.

Imperium regum.] Hic duplex imperandi gradus à Suetonio memoratur in Iul. Cæſare. cap. 6. *Eſt ergo*, inquit, *in genere & ſanctitas regum, qui plurimùm inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges*. Buchananus vſurpauit hunc locum in metrica interpretatione Pſalmi 82. *Deus ſtat in ſynagoga, &c.* vbi Deus prædicatur ſuperior omnibus & regibus & iudicibus. *Imperium eſt Ioui in reges* etiam legitur, quod non improbarem, ſi priùs dixiſſet, regibus timendis imperium eſt in ipſos greges: certè ita dicitur & Latinè, *eſt mihi imperium in te* Plauto in Menæch. Plutarchus lib. πρὸς ὑσημόνα ἀπαίδευτον quærit, τίς ἐν ἀξίᾳ τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὡς φησι Πίνδαρος, οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένοις, οὐδὲ πισσῷ ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τῷ ψυχῷ ὧν ἔρημον ἡγεμονίας, quæ verba D. Amiotus fideliſſimè ſic in Gallicum vertit: *mais qui ſera-ce doncques qui commandera au Roy & au Prince? ce ſera la loy, qui eſt royne de tous & mortels & immortels, comme dit Pindare, non pas vne loy eſcrite dehors en quelque liure, ou deſſus quelque bois: mais la raiſon viue imprimée en ſon cœur, touſiours demeurant auec luy, touſiours le conſeruant & iamais ne l'abandonnant ſans conduite*. Hæc certè lex tam latè regina nititur ratione, quam Chriſtiani debent anteponere omnibus Ethnicorum Deaſtris, vt imaginem Dei, ad quam ſunt ab ipſo conditi. Ita εἰς Δία Callimachus.

Ἐκ γὰρ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον· τῷ καί σφι τιμὴ ὀκείνατο τάξιν, &c.

A Ioue ſunt reges: quia nullus horum eſt diuinior ipſo. Ideoque

tuum illis decreuisti ordinem. Huic est simile illud Elegiacum Ouidij:

Nil ita sublime est supraq; pericula tendit:
Non sit vt inferiùs suppositumq; Deo.

Triumpho.] De ratione huius vocis repete, quod est annotatum in Gramm. Odes 2. lib. 1. Triumphum autem Iupiter egit de Gigantibus, id est, de impiis & sceleratis hominib. operâ Dionysij & Herculis; quos eam ob rem virtutis gratiâ, licet ex hominibus natos, iussit Olympios postea vocari, & Iouem Γιγαντολέτην.

Cuncta mouentis] Id est, moderantis hanc vniuersitatem nutu suo contra Cyrenaicos: nos Christiani damnemus hanc impietatem, contraque tribuamus honorem vniuersitatis conditræ & administratæ nostro soli Deo patri Domini nostri Iesu Christi.

Est, vt viro vir.] *Est* sæpè ita vsurpatur, ἀπροσώπως *impersonaliter*, pro, conuenit, licet, euenit: sicut dicitur, *sæpe est, vt ij, de quibus optimè meritus fis, plus noceãt: il aduient souuent.* Videtur talis vsus à Græcis sumtus, ἔστιν ὡς, vel ἔστιν ὅπως, & negatè οὐκ ἔστιν ὅπως, pro fieri potest, vt &c. videtur tamen hic locus intelligendus per distributionem, *vt vir virò* valeant, alius alio est ditior agri fructuosi, aut qui plus soli conferat arboribus frugiferis, & maximè, qui locum ordinet vitibus, vt loquitur Columella li. 3. Quòd autem arbustum sit locus vitiferis etiam arboribus consitus, quem Græci dicunt ἀμπελῶνα, arguit Seneca Epist. 87. sub fin. *Illud etiam nunc vidi vitem ex arbusto suo annosam transferri.* Sumitur tamen γενικῶς αὐτὶ τοῦ δενδρῶν, pro arbusto & arboreto, id est, loco arboribus consito.

Descendit.] Hoc descendendi verbo situs Vrbis & campi Martij indicatur. Atque ex hac locorum ratione Cicero sæpè vsurpat hoc verbum, propterea quòd Romæ ingenui ciues, maximeque nobiliores in collibus habitarent: vnde nota est iis, qui Romæ fuerunt, descensio, vel in forum vel in campum Martium. Id Cicero facit primum lib. 3. in Verrem, *Sæpe à me quæris, Hortensi, quibus inimicitiis, aut quâ iniuriâ adductus ad accusandum descenderim.* Deinde Philippicâ 2. *Hodie non descendit Antonius.* Postea Philip. 12. *Consul se cum præsidio descensurum esse dixit.* Postremo in Orat. pro Muræna, *Siquis hoc fortè dicet Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset.* Idem facit in aliis pluribus locis.

Petitor.] Iurisconsultis & Ciceroni hæc vox est interdum actor, & reo opponitur: sed vetustioribus est candidatus, vt scribit Macrobius lib. 3. Saturna. cap. 14.

Contendat.] Intellige, de honoribus & magistratibus impetrandis certet postposito competitore, quod Græcè diceres: ἤδει γυνὴ κωπήρῃ καὶ δόκιμήσει σωτεταμένως δέοιτο ληφοφόρων, τὰς τ' ἀρχὰς, καὶ τὰς τιμὰς διώκει, ἢ δ' ἄλλων ἢ πρὸς ταῦτα ἀντιφιλοτιμουμένων τῆς ἢ ἀρχῶν δόξης ὑστερησάντων καὶ ἀπολιπομένων. De clientibus diximus Ode 18. li. 2.

Aequâ lege.] Est ellipsis τῷ *tamen.* De hac moriendi æqualitate fuit Ode 1. lib. 2.

Insignes & imos.] Insignes & imi non opponuntur propriè, nisi quòd summa possunt insignia dici tanquam valdè aspectabilia: sed hæc opponuntur: necessitas facit omnia summa infimis paria.

Districtus.] Alludit Poeta ad historiam Dionysij tyranni Siculi: quam hîc tibi perstringo. Quum assentator Damocles admiraretur & suspiceret Dionysij potentiam & felicitatem (quod nunquam certè præstitisset Diogenes philosophus, vt nonnulli falsò putant) iussus fuit à tyranno sustinere ipsius personam, & fortunam experiri. Ille igitur regio cultu & habitu sibi vehementer initiò placebat: sed quum animaduertisset accumbens splendidæ mensæ fulgentem gladium capiti suo de lacunari impendere, mutato vultu cœpit auersari & detestari regiam potestatem & conditionem. Hic Damocles similis erat amicorum eorum, qui liberis amicorum Iasonis suadebant capessendam esse tyrannidem, vt est Epist. 6. Isocratis, qui solum intuebantur quidem potestatem, quæstum, voluptates, illisque sese sperarent fruituros, sed non perspicerent turbas, terrores, incommoda, quę principibus & ipsorum amicis accidere solent. Eodem pertinet, quod memoratur de Alphonso Aragonum rege, viro apprimè docto ac erudito: cui cœnãti, quum senex quidam importunus & garrulus ἀδιαλείπτως obstreperet, hęc de illo excidit querela, melioris esse conditionis asinos, quàm reges. Illis enim parcũt Domini, dũ pascuntur, his nemo. Vnde perspicitur solus mediocris hominum status & cultus molestiis ac terroribus minimè opportunus. Vide Tusc. 5. & Satyr. 3. Persij. Hîc verborum syntaxis rudioribus videtur aliquando implicatior. Itaque sic illam habeant explicatiorem. Dapes Siculæ non elaborarunt dulcem saporem homini, cui ensis districtus pendet super ceruice impiâ.

Dulcem saporem.] Quia sapor est genus, quod per se sæpiùs est ἀσαφὲς, διὰ τὸ ἔνιότε γλυκὺς, ἐμφανίζεσθαι. Ideò hic dicit distinctionis gratiâ: est enim sapor alius amarus, alius gratus & ingratus, tristis & iucundus. *Elaborare* sumitur hic μεταφορικῶς. Orator tamen alia vtitur syntaxi. Epist. 6. l. 2. ad famil. *Scio te videre, quantopere mihi esset elaborandum in petitione Milonis.* Plinius pro elaborabunt saporem, διεπίνησε τὸν χυμὸν δεῖς ἢ Σικελικὴ dicit, non præstabunt illi appetentiam & efficient: Gall. *ne luy pourrõt faire prendre appetit & trouuer gouſt.*

Somnum reducent.] Pro hoc Virgilius in Tityro affirmatè dicit:

Hinc tibi quæ semper vicino à limite sepes
Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpè leni somnum suadebit inire susurro.

Fastidit.] Hoc verbum propriè significat cum fastu aliquid repudiare, vnde Virg. 2. Eclog. dicit *superba fastidia*, & Plautus, *fastidit gloriosus*, & 2. Philip. *Si essent arrogantes, non possent ferre fastidia.*

Humiles domos.] Notaui alibi humi, humus & humilis inclinari à χαμαὶ. Est autem domus humilis hîc, quod Eclog. 2. *Humilis casa* χαλύβη ταπεινὸς, *depressum & in rupe cauatum tectum.*

Zephyris.] De Zephyro vide Oden. 4. l. 1. sicut de *Tempe* Oden 7. eiusdem.

Sollicitat.] Id est, citat solo, & mouet loco: vnde perspicias literam *l* geminari epectaseos gratiâ, & propriè humus & terra dicuntur sollicitari à Virgilio 2. Georg. & Tibullo.

Arcturi.] Arcturus est insignis & eximiè splendens stella inter 22. alias, è quibus constat signum Bootę, quę tẽpore Virgilij & Horatij oriebatur pridie nonas Septembris: Columellæ verò ætate nonis ipsius mensis: nunc denique 10. Calend. Octobris, id est, circiter 15. diẽ Septembris. Ducit autem nomẽ ἀπὸ τῆς οὐρᾶς καὶ ἄρκτου, *quòd sequitur caudam vrsæ*, vt est à Seruio annotatum in vers. *At si non fuerit tellus, &c.* Georg. 1. Eius vim scitè Plautus expressit in Rudente, vbi sic inducitur loquens: *Increpui hybernum & fluctus mouimaritimos, Namq; Arcturus signum omnium sum acerrimus, Vehemens sum oriens: quum occido, vehementior.*

Hœdi.] Huius nominis duæ sunt paruæ stellæ in sinistra Erichthonij, id est, Draconis, in cuius etiam humero capra Amalthea insidet. Sic à Scholiaste Theocriti in εἰδυλ. 7. definiuntur hœdi, ἔειφοι δ' εἰσὶν ἀστέρες ὅταν δ' ἀνατέλλωσιν, ἀξειαίνει ἡ θάλασσα: *hœdi sunt stellæ, quorum ortu mare exacerbatur & exæstuat.* Oriebantur ætate Columellæ

lib.12.5. Calend. Octob. sed Plinij lib.18. pridie nonas Octobris, quum Sol est in sagittario. Hœdi autem solum πληθωπικῶς vsurpantur Latinè, vt etiãab hoc Scholiaste Græcè, qui tamen meo iudicio id debuerat δυικῶς præstare.

Non verberatæ.] Quòd Græcè dicitur, οὐκ ἄμπελοι χαλαζοκοπτεῖται. Donatus in Eunuch. Act.1.Scen.1.ad verba: *nostri fundi calamitas* annotat: propriè calamitatem rustici grandinem dicunt, quòd calamitas comminuat calamum, hoc est, culmum & segetem, vnde ager calamitosus Varroni dicitur, pro quo hic *fundus mendax.* Plin.lib.18.natur.histor.scribit: *Hordeum ex omni frumento minimè calamitosum: quia tollitur antequam triticum occupet rubigo:* hinc calamitas pro quouis detrimento.

Fundus mendax.] Fundus sic dicitur, quòd non respondeat votis & exspectationi agricolæ: eiusq; spem seges mentiatur. Alio sensu Pittacus appellat πιστὸν γλῶ, ἄπιστον δὲ θάλασσαν: quòd illa tutò pedibus teratur, hoc cum periculo nauigetur.

Torrentia agros.] Intelligit morbum plantarũ, quem Latini sideration̄em & vredinem, Græci ἀστροβολίαν καὶ κωθμὸν appellant, & Theophrastus li.5.de causis plantarum cap.10. scribit ἀστροβλητὰ γίνεσθαι τὰ φυτὰ καὶ μίχνις, *sidere afflari plantas nouellas & surculos* siue pediculos: sic Aristoteles de iuuentute & senecta, εἰ τὰ θέρους ἰσχυρὰ συμβαίνει κωθμάτα καὶ μὴ διώσατο τὸ ἀπόμικτον ἐκ τῆς γῆς ὑγρὸν κατὰ ψύχειρ, φθείρεται μαραινόμενον τὸ θερμὸν, καὶ λέγεται σφακελίζειν καὶ ἀστροβλητὰ γίνεσθαι τὰ δένδρα: *Si æstate vehementes contingunt calores, nec potest tractus è terra humor refrigerare, calor innatus absumitur tabe radicibus nigrescentibus, & arbores dicuntur carie mori:* sed quum inclementia cæli percelluntur, caussa tribuitur sideribus, & dicuntur sidere percuti.

Molibus.] Similis luxus à Sallustio in coniuratione Catilinaria notatur: *à priuatis compluribus subuersos montes, maria constructa, vel tabulis constrata: quibus mihi ludibrio videntur fuisse diuitiæ, &c.* Tales sumtus in Caligula c.37. Suetonius memorat, *& iacta itaq; moles infesto atq; profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, quum morã culpa capite lueretur.*

Cæmenta.] Cæmenta sunt propriè frusta è maiori b. saxis excisa & decussã, à cædendo. Græcè οἱ χάλικες ἢ αἱ λάτυπαι, *minuti lapilli è crastoribus abrasi.*

Redemtor.] Id est qui conducit opus aliquod faciendum & certo pretio præbendum & vtendum, de quo vide Festum. Gallic. *entre preneur de besongne*, quomodo sumi non potest τὸ λυτρωτὴς Græcum, quod, vt primigenium, λυτρώσασθαι, significat eum, qui captos in bello, aut pœnæ obnoxios pretio soluto liberat & redimit; quemadmodum Cicero lib.2.de officijs loquitur, liberales suis facultatibus aut captosa prædonibus redimunt, aut æs alienum suscipiunt amicorum: quod pretium Græci vocant ἄποινον, tanquam quis diceret ἄφοινον δι' ὃ τις φόνος λύεται, id est, *quo quis cæde liberatur.* ait Eustathius ιλιαδ. α. initio ad vers.

Παῖδα δέ μοι λύσατε φίλου, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε. id est,
Filiam autem (Chryseidem) mihi soluite, & pretia liberationis accipite.

Vnde vocatur λύτρον propriè à Græcis ὅτι ἐξωνήσεως αἰχμαλώτου, ἢ ζῶντος, ἢ καὶ τεθνεῶτος, ὅπου ὁ Ἕκτωρ. i. *de redemtione captiui, siue viui, siue mortui,* qualis fuit Hector: sed quum quis alio quodam modo aliquem oppressum eximit ab hostibus nihil soluens, dicitur ῥύεσθαι & talis actionis merces dici solet, σῶτρον; interdum etiam Ζωάγριον, vt Odyss. Θ. ad vers.

Μνήσῃ ἐμεῖο, ὅτι μοι πρώτῃ Ζωάγρι' ὀφέλλεις, id est,
Memor esto mei, quòd mihi conseruatæ vitæ mercedem debes.

Hæc sunt verba Nausicaæ, quæ filia fuit Alcinoi regis Phæacum, cuius beneficio Vlysses animum languidum durisque casibus debilitatum collegerat & refecerat. Sed hæc obiter, Festi autem descriptioni respondet illud Ciceronis 1. de Diuinat. *Et redemtor, qui columnam illam de Cotta & Torquato*, id est, *à Cotta, &c. conduxerat faciendam non inertiâ aut inopiâ tardior fuit, sed &c.*

Hoc autem Græci propriè dicunt ἐργολαβεῖν, καὶ ἐργολάβον pro eo, qui opus suscipit faciendũ. *Fastidiosus colendæ terræ* valet hîc, quem satietas colendæ terræ facilè capit, vel qui citò aliquid fastidit, quẽ Græci dicũt ἀψικόρον ὁ ἅμα τοῦ ἅψασθαι τῶν σιτίων κορεννύμενον, *qui satiatur statim, vbi gustauit esculenta.* Paulò aliter sumitur Ode 29. huius. *fastidiosam desere copiam*, pro, quæ parit fastidium & molestiam exhibet vel fastum inducit ἐνεργητικῶς.

Scandunt.] Id est, nunquã discedunt ex animo, quocunq; te contuleris: vnde suprà dicit Od.16. li.2. *Patriã quis exsul se quoq; fugit?* Memoriã quoq; repete, quæ dicta sunt in hanc sententiam de constantia & æquabilitate animi in vtroq; statu retinenda Ode 3.lib.2. Ad claritatem purpuræ indicandam spectat, quod ad Pisones scribit: *Purpureus pannus, qui latè splendeat.*

Delenit.] Pro hoc dicit Epist.2.lib.1.

Non domus & fundus, non aris acernus & arui, pauci,
Aegroto domini deduxit corpore febres.

Hæc sententia celebratur à plerisque Poetis, Lucret. lib.1. Tibul.

Non opibus mentes homini, curæq; leuantur.

Plutarchus lib. περὶ τῆς ἀθυμίας, ὅτε ποδάγρας ἀπαλλάττει καλὴ πύελος, ὅτε δακτύλιος πολυτελὴς παρωνυχίας, ὅτε διάδημα κεφαλαλγίας, *neq; podagram calceus pretiosus, neq; annulus carus, neque diadema dolores capitis tollit.*

Costum.] Costus siue costũm est planta ex cuius radice aroma & vnguentum fragrantissimum fit: Plinius tamen lib.12. cap.12. dicit esse fruticem, quum ibĩ sic scribit: *Radix costi, gustu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili.* Præstat autem Arabicus Indico & Syriaco, vt scribit Dioscorides lib.1.cap.15. quod hîc Achæmenius dicitur, id est, Persicus: puto Arabicum Dioscoridis significari, & nomen inditum est ab Achæmene rege; vt Propertius dicit Achæmenias sagittas lib.2. Eleg.10. à quo, sicut Plato docet in Alcibiade *a.* reges Persarum traxerunt originem.

Moliar.] Hoc verbo, vt nomine *moles*, & inde *molitio*, significatur magna difficultas eius mouendi, quod fit, vnde dicitur; vt act.2. Scen.2. Heaut. — *nosti mores mulierum: dum moliuntur: dum communtur, annus est.* Hic occupatio & tarditas in multiplici cultu præparando, & ornando calamistris capillos indicatur; quemadmodum lib.4. in Verrem, *Horã amplius iam in demoliendo permulti homines moliebantur*, sic lib.5. in eundem, *Tunc cæteræ naues suo in loco moliebantur*, id est, magno conatu satagebant in fuga paranda.

Hoc quoque in loco significatur constructio magni conatus & improbi laboris; sic in Epistol. ad Pisones dicet *oppida moliri, &c.* In loco autem Terentij modò citato τὸ *moliuntur* videtur παθητικῶς sumtum, pro, dum studiosè & artificiosè parantur, aut dum in cultu elegantiori morantur occupatæ, si, inquit Poeta, hæc quatuor; tecta magnifica, vestimenta splendida, vina generosa, fragrantia vnguenta non deleniunt, nec mitigant dolores sui domini, nec curas abigunt, non ego illa consectabor.

Atrium.] Hoc videtur factum ex Græco αἴθριον, quod est serenum & apertum, quod idem facere videtur Agellius lib.16.cap.5. cum vestibulo. Sed Plinius lib.25. scribit in atrijs politas imagines, fuitq; atrium primus

n domum aditus, vbi ex annotatione Seruij antiqui facere culinam solebant, vnde atriũ dicitur, quasi atrum fumi fuligine. At quoniam illic imagines maiorum statuebantur, licet inclusæ ligneo armario, fumosæ tamen fiebant: vt Cic. ad Pisonem dicit: *Obrepsisti ad honores fumosarũ imaginum commendatione, hominumq; errore.*

Operosiores.] Id est, in quibus parandis & custodiendis operâ ingenti est opus, *acquises auec grand trauail:* sic carmina operosa dicuntur ab hoc Poeta παθητικῶς: contrà autem ἐνεργητικῶς dicitur à Cicerone, *senectus operosa & semper agens aliquid & moliens*, vt mulier operosa ab Ouidio. Sic Græci τὸ ἔργον, vt Virgil. pro difficili, Xenoph. ἔργον μὲν νυκτὸς λῦσαι ἵππους, ἔργον δὲ χαλινῶσαι, ἔργον δὲ ἐπισάξαι. difficile est atq; operosũ nocte soluere equos, difficile frænum ijsdem inijcere, & onera imponere. Diuitias operosiores Græci dicunt ἐργωδέστερα χρήματα.

Explicatio Rhetorica.

HÆc Ode conuenit genere metri cum 9. lib. 1.

[a] Allegoria à sacrificantib. qui aditu sacrorum prohibebant homines vitijs ac flagitijs contaminatos.

[b] Hîc synecdochicῶς carmina sumuntur, vt genus pro specie, pro Lyricis: quæ tamen argumento constent ab amatorijs rebus alieno, de doctrina morum pueris tradenda. Vt autem tibi, Lector, hic tropus continuatus notior sit, primùm sacerdos est pro Poeta Lyrico Musarum ministro, vulgus prophanum pro indoctis & vitiosis auditoribus, virgines ac pueri pro integris ac puris & docilibus.

[c] Metaphora à pecudibus, quâ sæpè & Terentius & Cicero vtuntur pro cœtu hominum.

[d] Polyptoton est, vt paulò pòst in *vir viro:* non climax, qui constat pluribus gradibus.

[e] Metonymia caussæ pro nutu facto & indedato: contractione enim vel remissione superciliorum, sicut oculorum, declarantur sæpè hominum voluntates, vt olim παντόμιμοι gestu totius corporis sine sermone omnia exprimebant. Sine tropo idem de Ioue Virg. Æn. 9.

Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.

quod Homer. effert, ὀπυίειν ὀφρύσι, *supercilijs annuere.*

[f] Duplex est tropus: metonymia primùm subiecti pro adiunctis vitibus; deinde synecdoche speciei pro arboribus, & maximè frugiferis.

[g] *Campum* eandem habet synecdochen pro Martio, vbi petebantur honores.

[h] Hoc mihi videtur dictum allegoricῶς ex consuetudine veterum; quæ seruatur adhuc in Italia, qui iudicia faciebant, delectumq; habebant magistratuum & controuersiarum eductis sortibus ex vrna, in quam singuli sua suffragia & sententias conijciebant, & ex illa quassa & mota educebantur ad hunc vel ad illũ huc vel illuc destinandum: sic vrna illa, tanquã Censor Minos, primùm quemque sine discrimine conditionis, sexus, ætatis, Fortunæ demittit ad Orcum: Seruius tamen in hunc locum 3. Æneid.

Sic Fata Deûm rex Sortitur volutq; vices.

Scribit Poetam alludere ad id, quod sortibus Apollo dat responsa, & *sortitur* interpretatur, disponit & ordinat: hoc certè firmatur loco Pindari Πυθ. ᾠδ. δ. στροφ. θ.

Μάντις ὀρνίχεσσι καὶ λλά-
ροισι θεοπροπέων ἱεροῖς
Μόλῳ ἄμβασε στρατὸν
ἀφθίτων.

Sed Iasoni vates Mopsus auibus & sortibus sacris diuinans prudenter exercitum fecit conscendere naues. Vnde appareat oracula primùm edi solita sortibus, id est, iactu talorum in mensis sacris. Vides hîc motum vrnæ rei inanimæ tribui per metaphoram. Eadem vox propriè sumta est, Ode 3. lib. 2. *Omnium versatur vrna.* item *nomen*, pro tessera, vbi suffragium erat inscriptum per metonymiam adiuncti pro subiecto.

[i] Synecdoche est pro exquisitissimis & lautissimis epulis: de quo vide Parœmiographum in *mensa Syracusana.* Idem tropus est in *ceruice*, sed partis pro toto homine impio.

[k] Metaphora est, vbi sensus & iudicium tribuitur somno rei omnium inanimæ.

[l] *Tempe* synecdochicῶς videtur sumẽdum pro quouis loco amœno: vbi non secus agrestis homo sub dio dormit placidè, atq; in molli lecto. Quod autem hîc Horatius dicit *Tempe agitata Zephyris*, Virgilius videtur 2. Georg. dicere *frigida Tempe.* Gallicè *lieux frais.*

[m] Metonymia est subiecti pro vitibus ipsis.

[n] Synecdoche est singularis pro plurali, arboribus.

[o] Est metaphora ab hominibus, qui culpam cuiusq; mali, quod non fecerint, conferunt in ipsius auctorem: sic plantæ quasi à consitore suo accusatæ sterilitatis faciunt intemperiem cæli ream illius.

[p] In *nunc* ter repetito anaphora est, cuius loco Cic. pro Fonteio vtitur *modò* per epanaphoram, *ab nostris Imperatorib. subacti, modò bello domiti, modò triumphis ac monumentis notati, modò ab Senatu vrbibusq; multati sunt.*

[q] Metonymia est caussæ materialis pro columnis ex ea factis, ac rursus synecdoche generis pro Synadico marmore sic dicto à Synada Phrygiæ vrbe, vnde cæditur marmor præstantissimum.

[r] Non mihi probatur illa interpretatio per synecdochen de gleba pumicosa Plinij lib. 36. quæ aliquoties igne cocta & vino perfusa paratur more purpuræ ad inficiendas lanas.

[s] Metonymia est subiecti pro vino in vineto Falerno Italicæ Campaniæ nato, & rursus pro generoso vino per synecdochen.

[t] Est metonymia materiæ pro vnguento inde facto. Idem tropus Epodis 13. erit in *Achæmenia nardo.*

[u] Synecdoche est membri pro integris foribus.

[x] Anaphora est in hac voce bis repetita.

Ode II. ad Amicos.

Theticum.

Quòd puero necessaria sit ad virtutem tolerantia paupertatis & laboris.

ANgustam, [a] amici, pauperiem pati
Robustius acri militiâ puer
Condiscat: & [b] Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ:
Vitamq; sub dio & [c] trepidis agat
In rebus. [a] illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo,
Suspiret: [d] Eheu ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem [e] cruenta
Per medias rapit ira cædes!

[3] Dul-

5 *Dulce & decorum est pro patria mori*
4 *Mors & fugacem persequitur virum:*
Nec parcit imbellis[f] *iuuentæ*
Poplitibus,[g] *timidoq; tergo.*
3 *Virtus, repulsæ nescia sordidæ,*
Intaminatis[h] *fulget honoribus:*
Nec sumit aut ponit[i] *secures*
Arbitrio[k] *popularis auræ.*
Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negatâ tentat iter viâ
Cætusq; vulgares, & vdam
Spernit humum[l] *fugiente pennâ.*
6 *Est & fideli tuta silentio*
Merces. Vetabo, qui Cereris[m] *sacrum*
Vulgârit arcanæ sub ijsdem
Sit[n] *trabibus, fragilemq; mecum*
0 *Soluat phaselum. Sæpè Diespiter*
Neglectus,[p] *incesto addidit integrum:*
79 *Rarò antecedentem scelestum*
Deseruit pede pœna claudo.

Analysis Dialectica.

Ἄτη μὲν ἤδη δύναται παρ' ἡμῶν ψυθεπικὴ δικαίως λέγεσθαι: meritò hæc Ode pótest monitoria à nobis appellari, (vt ita dicam) quia vt in prima huius libri præfatus est, *ego sacerdos carmina non priùs audita cantabo pueris, &c.* præcepta tradit de matura & honesta pueritiæ educatione & exercitatione: in qua Diorogenes Pythagoricus præcipua omnium rerum publicarum fundamenta iaciebat. Prima autem ratio huius quæstionis petita est è loco efficientis caussæ: quòd vbi illa pueritia ἐν πάσῃ τῇ σώματος σκληραγωγίᾳ τετραμμένη, *educata in omni dura corporis tractatione*, obduruerit vsu & incredibili patientiâ laboris, paupertatis, inediæ, frigoris, æstus, reiq; maximè periculosæ; illi summa inde prudentia, magnitudoq; animi ac virtus omnis existet. ita Plato 12. de legibus docet, καρτερήσεις τ' οὖν ἕνεκα πόνων τε καὶ ποτῶν καὶ χειμώνων καὶ τῶν ἐναντίων καὶ κοίτης σκληρᾶς, *assuescendum esse tolerandæ fami ac siti, frigori, æstui, & duro cubili.* Cæsar 6. Comment. de bello Gall. refert veteres Germanos sic educatos: *Vita, inquit, omnis in venationibus atq; in studijs rei militaris consistit: à paruulis labori ac duritiæ student.* Huc etiam pertinet, quod Aristot. docet 8. Polit. *Conducit*, ait, *admodum infantes ad frigoris patientiam assuescere. Id enim est ad valetudinem & bellicas laudes aptissimũ. Itaq; nonnullis Barbaris, vt Celtis, ea consuetudo est, vt in frigidum amnem natos immergant, ac tenui amiculo vestiant. Nam quibuscunq; rebus iuuentus assuescere potest, commodius est eam sensim paullatim q; à primis teneris q; annis assuescere. Est autem pueritiæ habitus ob ingenitum calorem ad tolerantiam frigoris opportunus. Quamobrem hæc atq; huiusmodi alia cura imprimis adhibenda erit.* vt idem Philosophus lib. 1. Rhetor obijcientibus duritiem talis educationis intolerandam sic respondet: πολλὰ καὶ τῇ φύσει μὴ ἡδέα· ὅταν ἐθισθῶσιν ἡδέως ποιοῦσιν. i. *Multa etiam suâ naturâ minimè iucunda, vbi homines his assuefacti fuerint, iucundè faciunt.* Consuetudo enim vitam optimè institutam reddit suauem: quę caussa fuit Pythagoræ, cur præceperit, ἕλκε βίον τὸν ἄριστον· ἡδὺν δ' αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει: quod Cornificius lib. 4. ad Herennij sic expressit: *optima viuendi ratio est eligenda, eam iucundam consuetudo reddet.* Ideò Menedemus in Heaut. non patitur sibi tolli rastros ab humeris, intolerandos alijs, vt Chremeti, insuetis. Hunc autem locum P. Ramus citat lib. de moribus veterum Gallorum, & addit *ab Aristotele quidem hîc Celtas appellari Barbaros, sed horum mores nequaquam barbaros existimari: quum Græcos his moribus imbuendos esse præcipiat. Scio tamen equidem mores istos à Galeno libro de sanitate tuenda vehementer improbari: quum sic hoc mandauit scripto.* ἡμεῖς οὔτε Γερμανοῖς, οὔτ' ἄλλοις τισὶν ἀγρίοις, ἢ βαρβάροις τισὶν τοῖς σφόδρα, οὐ μᾶλλον ἢ ἄρκτοις, ἢ λέουσιν, ἢ τινι τῶν ἄλλων θηρίων, ἀλλ' Ἕλλησι, id est, *Nos, nec Germanis, nec alijs vllis agrestibus, aut Barbaris hæc scribimus, non magis, quàm vrsis, aut apris, aut Leonibus, aut alicui aliarum ferarum, sed Græcis. Verùm ego quoque ex historijs exploratum habeo tales lautioribus Galeni Græcos delicatulos & molliusculos à leonibus Celtis, quos vocat, fuisse deuoratos. Scio prætereà Lacedæmona Græcarum ciuitatum longè florentissimam hoc Celtico laboris & tolerantiæ studio præcipuè nobilitatam*, sicut Plutarchus in Agesilao & Lycurgo & Xenophon in Cyropædia scribunt. Hic lib. 1. & 2. institut. Cyri permulta de hac disciplina tradidit præcepta; cuiusmodi est hoc sub initium lib. 1. sic Latinè redditum, *Persæ docent pueros, vt ventre & potu abstineant.* Afferunt quidem domo panes in cibos, nasturtium verò pro opsonio: Item fictile poculum, vt si quis sitiat, è flumine posset haurire. Præter hæc sagittas ex arcu emittendi & iaculandi vsum sibi comparant. Pueri autem se in his exercent ad decimum sextum & septimum vsque ætatis annum; ac inde ad adolescentes se conferunt. Qui hoc rursus modo viuunt circum archeia. i. ædes principis & regis cubant. Eo autem venatum exeunte dimidia custodiæ pars ab ipso educitur. Causa, cur educatur, hæc est, quod bellicarum rerum hæc meditatio verisimilima videatur esse; consuefacit enim adolescentes ad surgendum diluculò, & ad frigora calores q; perferendum, atq; etiam ad itinera & cursus exercet. Latini quoque superiores vtrosque imitati non solum suos tempore pacis liberos informabant ad gubernacula Reipub. olim rectè ac sapienter tenenda, verum etiam ad patriam armis tuendam à pueris illos erudiebant exercitijs asperioribus atque duris corporis laboribus: quò accedit etiam illud Strabonis: *proprium esse Gallorum laboribus exerceri, ne craßi ac ventrosi fiant, iuuenemq;, qui zonæ modum excesserit, plecti & multari.* Huc etiam spectat, quod Herodotus narrat in Clio sub medium: *Persæ liberos suos à quinto anno incipientes, ante quod tempus hi non veniunt in conspectum patris vsq; ad vicesimum trib. duntaxat instituũt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui:* De qua puerorũ institutione lege Areopagiticum Isocratis ac præterea de voluntarijs Socratis laboribus exercitijsq; corporis ad fortuitas patientiæ vices Agell. l. 2. ca. 1. & eundem li. 4. c. 19. vbi sic agit de moderando puerorũ impuberum victu: *Pueros, ait, impuberes cõpertum est, si plurimo cibo nimioq; somno vterẽtur, hebetiores fieri: aduertimusq; hinc elici tarditatẽ, corporaq; eorũ improcera fieri, minusq; adolescere: idem pleriq; alij Medicorum, Philosophorumq; & M. Varro scripserunt.* Ita Thucydides præcipiebat, πάτριον ἡμῖν ἐκ τῶν πόνων ἀρετῶ κτᾶσθαι: *nobis est patrium & auitum virtutes laboribus comparare.* Ita quoq; Hesiodus fratrem suum Persen docebat:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι.

Ante virtutem Dij sudorem posuerunt immortales.

Ita Cicero Leptæ hunc versum proponebat, *Lepta*, inquit, lib. 6. Epist. ad fam. *ediscat Hesiodum & habeat in ore,* τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ, &c. Ita denique nos in Dialogo de labore fusè explicauimus, nihil posse citra laborem parari. Ideò autem Poeta docet puerum incommodis egestatis & periculis militiæ, quia in vtroque longè plurima grauissima insunt, præcipuè assuefaciendum:

quæ caussa fuit Persis, vt duritiam sæuitiamq; vtriusq; venatione, vt quodam præludio, lenirent, sicut Xenophon lib. 1. Pædiæ scribit. Ita etiam Cicero. 2. Tuscul. *Lycurgi laboribus eruditiunt iuuentutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando.* Nec est hîc solùm putandum militiæ laborem à Poeta requiri ad puerum rectè instituendum, & iuuandæ aliquando Reip. destinandum & parandum: præsertim quum τὸ εἰκῇ ἐμ παρατάξει ἀναστρέφεσθαι ταῖς χερσὶ διαμαχόμενον τοῖς πολεμίοις, ἀπάνθρωπόν τι δοκεῖ καὶ θηριῶδες, *sit ingenij feri & immanis solis valere viribus corporis, temerè in acie versari, rabiosè cum hoste manu confligere, nihil consilio agere, prudentiâ nihil prospicere soleat:* sed id etiam requiri, vt ad puerum bellicis laudibus cumulãdum robori corporis & agilitati vires ingenij accedant, & fortitudinis perpetua comes sit prudentia. Hæc enim sola per se plurimùm valet: illa verò minimùm vbiq; potest, imò verò, vt mox canet,

Vis consilî expers mole ruit sua.

Vnde Phocylides:

Βέλτερ' ἀληθέντ' ἐφὺ σεσοφισμένῳ αἰνῆ·
Ἀγρὸς καὶ πολίας σοφίη καὶ νῆα κυβερνᾷ.

Vir sapientiâ præditus præstat robusto: agros, vrbes, naues sapientia gubernat.

Ita videtur exercitatio duplex adhibenda & ingenij & corporis: ita etiam geminus formator Phœnix & Palæstricus Linus & Gymnastes, qui sic Achillem & Herculem simul ad huiusmodi laudem bellicam erudierunt. Ea mihi videtur mens Poetæ, ὅτι πόνῳ ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει, *labore virtutem multùm iuuari:* qui hîc intelligitur ex aliquot ipsius subiectis, vbi occupatur; in tolerandarerum inopia militiæ, in periculis vitæ fortiter subeundis, in fortunæ discrimine ferendo, in excubando, in vita sub dio constanter agenda. Ætiologia videtur esse ex adiuuante causa, i. labore, ἀλλ' ἢ μὴ δύνατον ἦν ἀρετὴ κλεαΐζεσθαι. id est, *sine quo virtus nequit parari & possideri,* καὶ διὰ τῆς ἀκολουθίας, nec ipsius fructus, qui sunt laudes publicæ, honores, dignitates percipi facilè poterunt; de quo sic Ouidius lib. 5. de Tristibus,

Scilicet aduersis probitas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope fœlix, sed sine laude foret,

Quod etiam Pindarus ἐν Ἰσθμ. ιωτα, στροφ. 2. ὀλυμπ. pulchrè cecinit,

ἄποινοι δ' ἔλαχον χάρμα παῦροί πνες,
ἔργων περὶ πάντων βιότῳ φάος, id est,
Pauci sunt consequuti gloriam laboris expertem,
In qua inest præ omnibus factis vitæ, splendor.

Intelligitur autem hîc victoria olympiaca, vt Scholiastes interpretatur, ὀλίγοι δέ εἰσιν, οἱ χωρὶς πόνου νικήσαντες ἢ οὕτως, οὐδένες χωρὶς πόνου χαρὰν τινὰ ἔσχον ἔργου. id est, *pauci sunt, qui citra laborem sibi victoriam pepererunt.* aut sic, nulli sine labore lætitiam perceperunt ex opere vllo præter Polycratem Samium lib. 3. Herodoti, cuius factum instar prodigij fuit: mors tamen eius ærumnosa & infamis docuit ante mortem beatum esse neminem: de qua lege Strabonem lib. 1. & lib. 5. Cic. de finib. bon. & mal.

2 Iam ex efficiente puero sic exercitato & instructo inijcietur ingens terror vxoribus matronis, ac puellis, quæ fortitudinem illius & audaciam metu perculsæ prædicabunt: & in media ruentes arma maritos & sponsos inde vocibus querulis reuocabunt.

3 Argumentum est ex adiuncta gloria, quam sic pugnans, vel etiam gloriosè cadens consequitur.

4 Ratio est è loco diuersorum, quâ respondet cuidam ignauo: tu, quanquam induxisti animum fugâ quærere salutem: mors tamen ingloria & turpis te fugientem, timidum & ignauum, atque adeò imbellem iuuenem crudeliter persequetur. De hac autẽ pugnandi ratione fugienda lege disputationem Socratis in Lachete dialogo, vbi copiosè agitur de puerorum institutione in armorum tractatione & disciplina militari. Vis autem huius Horatiani consilij apparet maximè ex hoc loco Æneid. 10. vers. 697.

Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumq; fugacem.

deinde subijcit:

—poplite Palmum
Succiso volui segnem finit.

Itaque mors fugacem, i. fugere solitum, tandem assequitur & opprimit. Restat igitur, vt te præstes virum strenuum & intrepidum pro communi salute, cuius caussâ, quum omnibus omnino hominibus cuiusque ætatis & ordinis aliquando sit moriendum; multò quidem certè glorioſius ac illustrius fuerit illos morte occupari. De hac autem virtute bellica vide Tyrtæi Elegiaca. & Isocratem Epist. 2. ad Philippum: τὰς μὲν τελευτὰς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ τῶν γονέων, καὶ τῶν παιδῶν, ἐπαίνων ἀξίας, *laudabiles quidem esse illas mortes, quæ pro patria, parentibus ac liberis oppetuntur.*

5 Hæc virtutis laudatio est è Caregoria adiunctorum, partim quòd satis per se clara & honorata sit: partim ex altera effectorum: quòd cultores suos in cælo collocet, & immortalitati cõsecret. Hæc autem è Schola Stoicorum desumta est: neque est, quòd quisquam putet eam hîc adhibitam per digressionem: nihil enim habet alienum à proposito, nec, quod sequitur de silentio: sed vtrumque appositum est, cùm ad diluendum hominis ignaui obiectum, tum verò etiam ad excitandum huius equitis & cuiuslibet alîus animum, atque maiorem faciendum in periculis pro Repub. adeundis. Itaque qui factis memorabilibus virtutis famam adeptus est, satis per se videatur ornatus: nec vllâ ambitione illi opus est, vt supplex prensetullum ordinem ciuitatis ad honores & magistratus captandos, qui debeat in omni munere ciuitatis rogari, nõ rogare, prensari, non prensare.

6 Eadem virtus militis laudatur ex adiuncta taciturnitate, quæ etiam optimè norit mandata & consilia Reipub. & Imperatoris tacenda tacere, atque dicenda enunciare, & à Solone præclarè instructa: Σφραγίζε τοὺς μὲν λόγους σιγῇ· τὸν δὲ σιγὸν καιρῷ· *obsigna sermonem silentio: silentium autem opportunitate.* Quare omnes cum homine tali virtute prædito volent & auebunt societatem salutis & periculi coire: contrà verò, nemo audet & vult in congressum & colloquium hominis futilis & rimarum pleni ac sceleſti venire. Ratio hæc est ex dissentaneis aduersis, rursus paribus adauctis: quòd à Ioue perinde graues maneant pœnæ eos, qui consuetudine talis viri vtuntur, atq; sceleratũ ipsum & impium.

7 Eadem collatio illustratur adiunctis pœnis cerò in impios constituris, & ab illis tandem aliquando exigendis, vt spes impunitatis planè sceleſtis resecetur: quia, vt Seruius scribit de sera Deorum vindicta in vers. Æneid. 1.

At sperate Deos memores fandi, atq; nefandi.

Et bene memores, ait, *quia etiamsi non statim puniant crimina; sunt tamen memores,* & ad huius sententiæ confirmationem hunc citat locum. Eôdem spectat, quòd Homerus canit Iliad. δ. v. 160. de Menelao vulnerato, & consolatione Agamemnonis leniendo spe vindictæ diuinæ:

Εἰ περ γάρ τε καὶ αὖτις Ὀλύμπιος ἐκ ἐτέλεσσαν,
Ἐκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ σύντε μεγαλῳ ἀπέποσιν.
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξίτε καὶ τεκέεσσι.

Id est, *Quamquam autem Iupiter Olympius rem ad finem non perduxit, perducet tamen lente: & magno damno in suis capitibus, vxoribus ac liberis pœnas luent (fontes.)*

Enarratio

Enarratio Grammatica.

ANguſtam.] Χρὴ πάντα ἄνδρα ἡγήσασθαι, πλὴν τῶν νέων παιδείαν καὶ ἐγκράτειαν, εἶναι ἔδραν καὶ ῥιζὰν τῆς πολιτείας· id eſt, *exiſtimare quiſq; debet, inſtitutionem & moderationem puerorum eſſe ſedem & fundamentum Reipub.* de quo lege lib. 5. de Republica Platonis: vbi ſanciuntur leges, quibus παῖδες ἀνδρὶ aſſuefaciendi ſint ad paupertatis tolerantiam, quæ hîc anguſta, vt Od. 12. l. 1. tæua & 9. l. 4. dura & Archeſilas πλὴν πενίαν λυπρὰν ἔλεγεν εἶναι, ὥσπερ καὶ πλὴν Ἰθάκης, λυπρὰν χώραν καὶ νῆσον, ἀγαθὴν δὲ κουροτρόφον ἐθίζουσαν σωφρονεῖν καὶ καρτερεῖν, καὶ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμπροσθεν· *paupertatem dicebat quidem minimè lætã eſſe, ſed aridam, ſicut eſt Ithaca regio & inſula frequentibus ſcopulis: aptam tamen ad prolem alendam & rerũ tenuitati & tolerantiæ aſſuefaciendam, & in ſumma gymnaſium & ſcholam eſſe efficacem ad virtutem.* Et certè ita rem eſſe cõfirmat Ælianus ex varia hiſtoria: περὶ ἑκάστου ἐγένοντο οἱ ἄριστοι τῶν Ἑλλήνων· Ἀριστείδης ὁ Νικομάχου, καὶ Φωκίων ὁ Φωκου, καὶ Ἐπαμινώνδας ὁ Πολύμνιδος, καὶ Πελοπίδας Θηβαῖος, καὶ Λάμαχος ὁ Ἀθηναῖος, καὶ Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου, καὶ Ἐπάλτης ὁ Σοφωνίδου· *Armis præſtantiſſimi Græcorum quiq; pauperrimi fuerũt Ariſtides filius Nicomachi, Phocion, Phoci. Epaminondas Polymodis, Pelopidas Thebanus, Lamachus Athenienſis, Socrates Sophroniſci & Epialtes Sophonidæ.* Prætereà quis fuit Lyſandro Spartano honoratior? quis omni genere honorum magis cumulatus in tãta rerum tenuitate, vt dos ipſi, quam deferret ducturis filias duas vxores, deeſſet? Ita Eteocles è paupertate iuuentutis apud Argiuos aſcendit ad ſummos honorum gradus. Eódem dignitatis paupertas euexit laudatiſſimos illos Romanos, Fabricium, Curium, & P. Furium Camillum: de quibus Ode 12. lib. 1. Itaque veriſimilè à Luciano ἡ πενία καλεῖται διδάσκαλος τῶν ἀρίστων, id eſt, *paupertas vocatur rerum honeſtarum magiſtra:* cuius magiſterium *Seneca* ſuadet ſuo *Lucilio* Epiſtolâ 18.

Incipe, mi Lucili, cum paupertate habere commercium,
Aude, Hoſpes, contemnere opes, & te quoque dignum
finge Deo.

nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contemſit. Nemo, ait idem ipſe 25. epiſtolâ, *pauper eſt, quiſquis intra panem & aquam deſiderium ſuum clauſit; atq; ita cum Ioue ipſo de felicitate contendere ex ſententia Epicuri poteſt.*

Hæc quidem pugnãt cum opinione Ariſtotelis, qui 1. Ethic. cenſet non poſſe fieri, vt is, cui nullæ ſupperetrent facultates, res gerat præclaras: facultates autem eas collocat in amicorum opera, diuitijs, potentiaque ciuili. At verò ſine huiuſmodi inſtrumẽtis, ij, quos modò recenſuimus, compluresq; alij ad felicitatis ſplendorem peruenêre. In hanc opinionem adductus eſt ille Philoſophus ſententiâ Theogn.

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος, οὔτε τι εἰπεῖν
Οὔθ' ἔρξαι δύναται· γλῶσσα γὰρ οἱ δέδεται.

Quiq; enim paupertate domitus, neque quicquam dicere, neq; facere poteſt: lingua enim eſt ei conſtricta.

Deinde multis pòſt verſibus tales de eadem fundit querelas.

Ὦ δειλὴ πενίη, τί ἐμοῖσι καθημένη ὤμοις,
Σῶμα καταισχύνεις καὶ νόον ἡμέτερον;
Αἰσχρὰ δ' μ' ἀκελεύστοντα βίῃ, καὶ πολλὰ διδάσκεις,
Ἐσθλὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ κακ' ὁππάζοντα, id eſt,

Miſera paupertas, quid meis humeris incumbens, corpus & mentem pudefacis; Nam me inuitum multa turpia doces, qui bona ab hominibus & honeſta ſciam. A quo diſſentit Theocritus Idyl. 22.

Ἀ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἀτείρει·
Αὐτὰ τοὶ μοχθεῖο διδάσκαλος.

Paupertas, ô Diophante, ſola artes excitat: ipſa laboris eſt magiſtra. Item: πολλῶν ὁ λιμὸς γίνεται διδάσκαλος· *Fames multorũ eſt magiſtra, vel ipſarum beſtiarum,* vt ſcribit Perſius initiò, à quo etiam ipſe Poeta lib. 2. Epiſt. 2. diſcrepat:

—— paupertas impulit audax,
Vt verſus facerem.

Ex his pugnantibus inter ſe ſententijs orta eſt illa diſputatio de paupertate in partem vtramque, quam verſiculus Græcus poteſt componere.

Πενίαν φέρειν ἀ παντὸς, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ,
Pauperiem ferre non cuiuis, ſed viro ſapienti datur.

Aget igitur paupertas cum hominib. pro ipſorum natura. Nam ſi quem naturâ ſolertẽ, induſtrium, diligentem, ſapientem deniq; nacta fuerit, illius animum excitabit, maioremque faciet ad omne facinus honeſtum & memorabile. Contrà verò ſi in hominem naturâ ſocordem, ignauum & inſipientem (vt ex hiſtoria priùs memoratorũ cognoſcere licet) incubuerit, ad rapinam & maleficium eum ſtimulabit. Hoc ita eſſe argumento eſt, quod ſcribit Plutarch. in vita M. Catonis adfinẽ. *Pauureté n' eſt aucunement mauuaiſe, ny deshonneſte de ſoy-meſme ſinon là où elle eſt ſigne de pareſſe, de vie deſordonnée, de ſuperfluité & de folie. Car quand elle ſe trouue en vn perſonnage bien viuant laborieux, diligent, iuſte, vaillant, ſage & bien gouuernant vne choſe publique alors, ell' eſt vne grande preuue de magnanimité & de grandeur de courage, &c.* Lege ibidem alia multa huc pertinentia. De homine eiuſmodi paupertate preſſo loquitur Theognis loco citato: eâ re tamen non deſinamus ſentire cum hoc Poeta, τὸ καρτερεῖν θεὸς πενίαν καὶ θεὸς λιμὸν καὶ θεὸς δίψος καὶ θεὸς ῥιγὸς ἢ ἐκ ἀγυμνάστου ἔχειν πρὸς τε ψύχος καὶ θεὸς θάλπη τοῖς νέοις λυσιτέλησεν, vt cum Xenophonte loquar, *tolerare paupertatem, famem, ſitim & frigus, aut non inexercitatum eſſe & ad frigora, & ad æſtus pueris profuturũ.* Itaq; hiſtoricus, idemq; Philoſophus ſic gloriabatur lib. 4. πωδ. ἐκ ἐν χλιδῇ τεθράμμεθα, ἀλλὰ χωρικῶς, id eſt, *non in delicijs mollitieq; muliebri educati ſumus, ſed ruſticè ac duriter: quò ſpectat illud Ageſilai, qui diceret paupertatem aſperitate quidẽ parem Inſulæ Ithacæ; hanc tamen optimam eſſe puerorũ educatricem: quippe quæ frugalitati, & moderationi eam aſſuefaceret, atq; vt abſoluam paucis ſaluberrima virtutis eſſet ſchola.*

Dictionis autem Latinæ, *paupertas*, ratio non tam mihi conſtat, niſi à paucitate rerum partarum dictam velis: quæ conſentit cum hac Varronis l. 4. pauper à re paullula: ſed alij ſcribũt vocem manare ex altera Græca πωῤ per reduplicationem primæ literæ, idem tamen ſonante: quam dicunt Græcè πενίαν, hanc Grammatici παρὰ τὸ πένεσθαι putant notari. ὅ, τι δεῖ τὸ σπουδαίως ἐνεργεῖν. *quod eſt ſtudioſè & diligenter opus facere.* Itaq; πενία eſt illa paupertas, quæ labore & opere faciundo victum quærit: πτωχεία δ' mendicitas verò, quæ oſtiatim eundem quæritat: diſcrimen πτώχου καὶ πένητος ſic oſtendit Ariſtophan. in Pluto: πτωχὸς μὲν γὰρ βίος, ἢν σὺ λέγεις, ζῆν ὅτι μηδὲν ἔχοντα· τὸν δὲ πένητα, ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις ἐπεξέχοντα· περιγίνεσθαι δ' οὐδὲν μηδέν, μὴ μέντοι μηδ' ὁπωστιοῦν· i. e. *ſiquidem mendici vita, quam tu dicis, eſt ita viuere, vt nihil poſſideas: ſed illa pauperies coniunctam habet cũ inculta parſimonia aliquam operis effectionem, vt nihil ipſi ſuperet, nihil etiam deſit:* & in hac mediocritate viuat honeſtè. Eódem ſpectat, quod Euſtathius in principium Odyſ. σ. annotauit, πένης δ, ὁ χερσὶ πονούμενος καὶ ὅτου ζῶν, τοὺς δὲ τοιούτους, χειρομάκαρ πληθὺν ὄζειν ἐν τοῖς τῶν Ἀθηναίων δήμοις, καὶ ὅτι τὸν πτωχὸν ἀστείως νεκρῷ εἴκασεν ὁ Μένανδρος εἰπών· Ἄνθρωπε πέρυσι πτωχὸς ἦθα καὶ νεκρὸς νῦν δ' πλουτεῖς· *pauper eſt, qui manibus laborat, & ita vitam tolerat; tales infinitos reperias in libris Athenæi, vel tales licet inuenire in libris Athenæi, qui in magna multitudine victum manibus ſibi parãt.* Præterea Menander facetè mendicum cum mortuo comparauit dicens: *Heus tu homo, ſuperiori anno mortuus eras, nunc verò es diues,* vt diſcrimen paupertatis & mẽdicitatis modò didicimus; ſic nũc diſcamus

τὸ *egestas* plus esse, quàm paupertas ex Epist.17.Senecæ *nõ est, quòd paupertas nos à Philosophia reuocet, ne egestas quidem.* Item ex epistola eiusdem 58. *Quanta verborum nobis paupertas, imò egestas sit, nunquam magis, quàm hodierno die intellexi.* Quid autem *egere* ac *indigere* differant, reuise notas Grammat.in Oden 22.lib.1. Huc attinere videtur, quod literis proditum legimus, pauperem olim Romæ sub Traiano Imperatore definiri solitum, cui pauciores aurei, quàm quinquaginta, supperetẽt; quam definiendi pauperis rationem Hebræi memorantur in suis pandectis ita sequuti, vt eos vetarent mendicare, quibus esset census quinquaginta aureorum. Vox autem *angusta* deflectitur ab *angendo*, & hoc à Græco ἄγχω, quod est stringo & coerceo, vt dictum est alibi : atque angusto opponitur latus, vt τῷ στενῷ πλατὺς ἢ εὐρύς, *arcto & angusto latus & amplus*, & εἰς στενὸν συνελαύνειν est, quod Latinè dicitur *in angustum adducere.*

Puer robustus.] Habetur hîc delectus pueri labori militari destinandi, vt non quilibet, sed bene habitus & corpulentus talibus exercitijs maturè assuefiat, qualem describit Aristot. lib.1. Rhet.cap.5. Agonistam, quem Græci dicunt ἄλκιμον Ῥωμαλέον, ἀνδρεῖον, ἐρωτῶν νεανίσκον, cuius γυμνάσια τὰ μέγιστα τὴν εὐεξίαν ἐπιποιεῖ, *mediocres bonum habitum alent exercitationes.*

Condiscat.] Hoc verbo notatur assuetudo quædam incommoda belli & pericula ferendi: qualis memoratur à Plutarcho in libel. περὶ τῶν ὁπλισμάτων Λακωνικῶν. *de institutis Laconicis:* vbi traditur ratio pueros assuefaciendi perferendæ inediæ, omniq; labori sustinendo, *maximè iuuenilis ætas à libidinibus arcenda est, exercendaq; in labore, animiq; & corporis patientia, vt eorum & in bellicis & ciuilibus officijs vigeat industria*, ait Cicero lib.1. de officijs in doctrina decori. Condiscere autem & condocefacere sunt de Categ. τῶν πρός τι hæc progymnasmata militis futuri & tirocinia sunt lib.7.Æneid. ad vers.

—— *Exercentur equis domitanq; in puluere currus.*

Parthos.] De Parthis fuit Ode 35.lib.1.

Vexet.] A vehendo ductum videtur, pro infectetur, premat. De hoc verbo reuise notas in Oden 9. lib.2. ex Agellio & Macrobio.

Sub dio.] De hoc, sicut de *sub Ioue* & *sub Diuo*, vide Oden.1.& 19.lib.1.

Suspiret.] Suspiria ducat ab imo pectore, quod Homerus videtur dicere Iliad.ν. μέγα δ' στοναχίζετο θυμῷ, & vno verbo, βαρύστονον εἶναι, *grauiter ingemiscere.*

Rudis.] Varia est syntaxis huius vocis: Liuius dicit rudis ad bella, Gallicè *qui ne sçait faire marcher vne armée en bataille, ny faire la guerre.* Cic. rudis in iure ciuili: idem rudis Græcarum literarum, & coniungitur sæpè cum imperitus, ignarus & tiro.

Agmen.] Ab agendo: vnde Virgil.dicit agmen agere, Gall. *mener & conduyre vne armée.* Itaque agmen propriè est exercitus, qui ordinatus incedit & progreditur.

Pro patria.] Vtriusque nominis notatio & Græca & Latina τῶν πατρὶς & *patria* est à patre, vt annotat Eustathius sub initium ιλιαδ.β. πρωτότυπον δὲ πατρὶς ἡ πάτρα, δηλαδὴ ἡ γῆ ὀπ πατέρων : eamque ob rem Hierocles sic eam describit : ἔστι γὰρ ἡ πατρὶς ὥσανεὶ τὶς θεὸς καὶ πρῶτος καὶ μείζων γονεὺς· διόπερ ὀφεῖλον παρακαλεῖ καὶ προτιμᾶν αὐτὴν τῶν γονέων· *est enim patria tanquam alter quidam Deus, & primus & maximus parens: propterea hortatur nos, vt ipsam pluris faciamus, quàm nostros parentes, atque adeò, quàm nosmetipsos.* Sic Leonidas illam & ipsius commilitones cariorem habuerunt seipsis, quum libertatem Græciæ & suorum popularium salutem anteposuerunt suæ ad Thermopylas contra maximum Xerxis exercitum. Ita Cic. inter infinita moriendi genera hoc certè suadet 10.Philip.

Ita præclara est recuperatio libertatis, vt ne mors quidem in repetenda libertate sit fugienda. Quòd si immortalitas sequeretur periculi fugam, tamen eò magis ea non fugienda videretur, quòd diuturnior esset seruitus. Quum verò dies & noctes omnia nos vndique fata circumstent, non est vestri Romaniq; nominis dubitare, eum spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere.

Mors &.] Interpretatio est sententiæ Simonideæ, ὃ δ' ἂν θάνατον ἔκιχε legitur etiam ἐφῆκε, vrget καὶ τὸν φυγόμαχον, *mors assequitur & nanciscitur etiam pugnæ fugitantem.* Hic autem σωσδεσμὸς &, vim habet τῆς αἰτιολογικῆς, pro quia mors persequetur, &c. Quemadmodum posteà in alijs locis ostendetur. Sic accipiendã tradunt nonnulli Theologi coniunctionem *vau* Hebræam initio vers.2.ca.1.Genes. ארץ *veharetz*, id est, terra enim erat inanis & vacua.

Imbecillis.] Græcè dicitur ἄμαχον καὶ ἀπόλεμον.

Tergo.] Eâ parte milites timidi & fugaces vulnera solẽt accipere: cõtra verò fortes & audaces aduersis vulnerib. petũtur: quod est strenui & fortis animi testimonium.

Virtus.] Ἀρετὴ δὲ εὐδοξία τῆς ἀποδοξίας αἰσχρᾶς, *virtus turpem repulsam non experta, ἣν πολλοὶ φέρουσι τοῦ θανάτου δεινότερον, quam nonnulli grauius ferunt morte*, & quasi ignominiam & infamiam existimant perpetuam.

Intaminatis.] Id est, puris, sinceris. Nusquam ferè alibi reperias hoc epithetum, sed pro hoc, incontaminatus sæpè. Virtus ex sese satis est clara & honerata, ideoque arbitrium popularis cuiusq; contemnit non ingressa viã vulgarem : qui enim ex arbitrio mobilis vulgi ornatur honoribus, nihil habet, quod ipsius sit : quia honor (ait Aristot.1. Ethic.) ad eos, qui illum deferunt, non quibus tribuitur, solet pertinere.

Sumit.] Ponit, id est, non assequitur honores emendicatis mobilis populi suffragijs, neque se ijsdem abdicat. In ponit, est ἀφαίρεσις pro deponit.

Secures.] Quæ dicitur Græcè πέλεκυς. Cur autem τῶν στρατηγῶν αἱ ῥάβδοι σωσδεσμευναι προσηρτημέναι τῶν πελέκεων, *Prætorum fasces virgarum colligati ferantur, appensi securibus*, vide Plutarch.82.quæst.Rom. Seruius 1. Æneid. ad hæc verba.

Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Quirinus dictus est, quòd hastâ vtebatur, quæ linguâ Sabinâ dicitur Quiris vel Curis, telum oblongum: vnde securis quasi semicuris è Seruio, vt Ode 1. lib.1. dictum est.

Arbitrio popularis aurã.] Arbitrio populi sumebantur aut ponebantur fasces & leges ferebantur, & hoc erat agere cum populo Messallæ lib.13. cap.15. apud Agellium, id est, *rogare populum, quod suffragijs suis aut iubeat, aut vetet*, postquam ex agris per cornicinem euocatus esset ad concilium aut comitia.

Cœtusq; vulgares.] Cœtus vulgares dicit vilium hominum conuentus. Nam Cic. in Orat.pro Rosc. Amerino coniungit vile & vulgare, contrà in Oratore opponit vulgarem & excellentem oratorem. Ita Ouid.4. Fast. *Puellas vulgares*, & Sueton. in Vitellio cap. 2. *mulierem vulgarem*, pro his, quæ sunt alicui communes cum multis, id est, meretrices. *Est merces, &c.* interpretatio est sententiæ prouerbialis & Græcæ,

Ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, id est,

Est quoq; silentij tutum præmium,

Quam *Plutarchus* in Στωϊκ. tribuit *Augusto* approbanti consiliũ Athenodori. *Valerius Maximus* tribuit *Xenocrati* lib.7.ca.2.qui interroganti, cur taceret, respondit, quia loquutum me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

Vetabo.] Scilicet, ne soluat. Est hic ellipsis aduerbij, ne sit, & ne nauiget mecum. Reperio tamen sæpiùs hoc verbum

verbum cum infinito, *vt ridentem dicere verum quid vetat?* apud hunc ipsum, & *lex peregrinum vetat in murum ascendere* apud Ciceronem.

Cereris sacrum.] Sacra Cereris dicebantur θεσμοφόρια, in honorem illius agitari solita à mulieribus & virginibus, quotannis, quinto calend. Aprilis: quòd prima inuenisset & tulisset leges inuento frumento: quum priùs homines nullis legibus vsi vagarẽtur: vnde dicta est Δημήτηρ θεσμοφόρος Ceres legislatrix, de qua sic Virgilius: *——mactant lectas de more bidentes*

Legiferæ Cereri——
Prima Ceres vnco terram dimouit aratro
Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus:
Prima dedit fruges alimentaq; mitia terris.

De religione silentij in his sacris vide Hesiodum in Theogonia & Ciceronem 4. Verr. & Scholiastẽ Theocriti in Idyl. 8. Magna fuit olim opinio, eos qui mysteria Cereris palàm feciſſent, aut, quum essent scelerati, illis interfuissent, perditum iri. Itaq; ferunt Neronem non ausum fuisse initiari talibus mysteriis. Contrà li. 1. Epigram. cap. κη. εἰς Εὐσέβειαν, hæc mysteria legitimè obseruata & culta dicuntur ζωοῖσιν ἀκηδέα, τῶν ὄξι πιοῦσι τὰ τὲς ἀνθρώπες ἀφροντίσες καὶ ἀμελεῖς· planè omnino curis homines liberare. Seruius in hunc ver. 1. Geor. sub initium *Liber & alma Ceres, &c.* veriuerbium τῆς Cereris ducit à *cereo*, pro quo nunc *creo*: sed Cicero lib. 2. de natura Deorum paullò aliter notat, quod eódem tamen mihi videtur redire: *mater*, inquit, *est agerendis frugibus, Ceres tanquam Geres: casuq; primâ literâ itidẽ immutatâ vt a Græcis. Nam ab illis quoq; Δημήτηρ quasi γημήτηρ nominata est. Terra mater.*

Phaselum.] Masculini & fœminini generis est, nauigium oblongum & velox, Gallicè *Galion*: hæc tamen definitio non planè cõuenit cum descriptione Baridis, quem ego in Herod. Euterpe Lectori legendam relinquo, vt ipsemet pernoscat, an hic Phaselus & Virgilianus Georg. 4. vers. 288. similis sit Baridi Ægyptiacæ.

Et circumpictis vehitur sua rura phaselis.

Cognoscitur tamen aperte Baridis vius è fine dicti libri Euterpes & his verbis Vallensis interpretationis: *Quòd si quis in aliud aliquod Nili ostium appulisset, is necesse habebat deierare se venisse inuitum, datoq; iureiurando eadem nauì ad Conobicum nauigare, & si id minùs per cõtrarios ventos posset onera fluuialibus nauigiis*, id est, ἐν βάεσι & *phaselis circumagere lustrando Delta, donec perueniret.* Si quid est hîc coniiciendũ, suspicor τὸ phaselum dici ab vrbe Dorum φάσυλις, vbi fortassis primùm est huiusmodi nauigium inuentum, & posteà inde aduectum & hac scripturâ distinguetur à fasello vili genere leguminis: βάεις autem est vox sonum propria.

Diespiter.] Seruius in vers. Aeneid. 9. circa finem:

Ilioneus saxo atq; ingenti fragmine montis
Lucetium portæ subeuntem, &c.

annotat solum hoc nomen est, quod dictum à Virgil. in nullo alio reperitur auctore. Sanè linguâ Tuscâ Lucetius est Iupiter dictus à Luce, quam præstare hominibus dicitur. Ipse est nostrâ linguâ Diespiter, id est, diei pater. Vbi citatur locus Odes 34. li. 1. *Namq; Diespiter igni corusco, &c.* Hic autem significat Iouem sumere æquale supplicium de homine casto & integro qui familiaritate & consuetudine coniunctus sit cum prodente sacra mystica, atque de incesto & flagitioso, sicut non ita pridem docuimus in Vigneo Heliodum interpretantes ad hunc locum ἔργων καὶ ἡμερῶν·

Οἷς δ' ὕβρις τε μέμηλε κακὴ καὶ ἔργα χέτλια ἔργα,
Τοῖς ὀλιγὴν Κρονίδης τίνυται τεκμαίρετ' ἀρύσσας Ζεύς.
Πολλάκι δὴ σύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαύρει,
Ὅς τις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάται.

Verùm qui student iniurias (aliis faciendas) & praui factis, his Iupiter Saturnius latè videns pœnas molitur & denunciat. Sæpè tota ciuitas præstat culpam vnius improbi hominis, qui peccat & mala machinatur.

Incesto.] Incestus vel incestum est flagitiosa libido inter sanguine & genere coniunctos: hîc est adiectiuum pro eo, qui tali vitio pollutus est.

Rarò antecedentem scelestum.] De hoc præsenti supplicio scelleratorum sic Plato lib. 5. de legibus: πανοῦργον δ' ἀδικίας ἀκόλουθος, *pœna comes est* & pedissequa, ac potius συμφυὴς καὶ ἡλικιώτης, i. congenita & coætanea *iniustitiæ*, ac de ipsa dilata Stobæus sic, cap. de Iustitia & Vaticinio Serapis Dei Ægyptiorum:

Κήδεαί μοι δοκεῖς, ἄθλιε, περὶ ἀδίκων;
Εἰ μὴ νῦν μεθῆκα δαμεῖς θάνατον μὲν ἄλυπον
Νῦν ἔφυγες σαυρῷ δ' ἔσει φυλαπόμενος. id est,

Putásne, ô miser, iniustos mihi curæ esse? etsi nunc tibi vitam prorogaui, & mortem per indolentiam nunc effugisti: scias tamen te cruci reseruari. Hoc supplicij genus est notum è Val. Max. lib. 1. ca. 2. de Dionys. Syracusano, qui, tametsi debita supplicia non exsoluit, dedecore tamen filij mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat. *Lento enim gradu ad vindictam sui Diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.*

Explicatio Rhetorica.

O De metro similis est nonæ lib. primi.

a Potest, meâ sententiâ, agnosci quędam hîc species synecdoches, quamuis videam carmen nomine amicorum inscribi, & quoslibet parentes & magistros intelligi: quibus traduntur præcepta durandæ iuuentutis. Cruquius tamen è manuscriptis omnibus censet *amicè* potius ὑπερφυῶς legendum, & Oden relinquendam ἀδιαφόρου, vt ad omnes ciues pertinentem: Ita τὸ *amicè* videretur construendum cum *pati*, quasi diceretur, φίλως φέρειν, ac potius ἀγαπητῶς φέρειν, cupidè ac suauiter ferre. Non alia est mea coniectura de acri militia pro improbissimo quóque labore, quo puer maturè exercendus est, ne nimio otio diffluat & det operam amori, aliisque factis indignis. Ita Cic. lib. 1. de Officiis docet *adolescentes aut ingenij industriâ aut militari, aut alio quouis labore exercendos esse ne per otium in amorem incidant.*

b Idem tropus est, vt puer ille insuescat non imbecillos hostes, sed robustissimos quosque & immanissimos adoriri, figere, premere, & fatigare.

c Res trepidæ dicuntur per metonymiam effecti, pro solitis efficere trepidos homines, vel, vt Liuius loquitur, trepidationem iniicere hominibus.

d Duplex est hîc figura, primùm exclamatio per lamentationem: deinde leuis & obliqua prosopopœia, vbi puella regia deterret sponsum ex mœnibus vrbis tanquam congressu imparem strenuo equiti Romano, ne ille tam ferum hostem prælio lacessat: qui per metaphoram cum leone comparatur, immanissima bellua, quam nemo irritat impunè.

e Metonymia est effecti pro efficiente cædẽ cruentam & sanguinis effusionem, Gallicè, *qui ne cherche, qu'à tuer, meurtriz & espandre le sang.*

f Metonymia adiuncti pro iuuene. Hic autem versus de morte mihi videtur explicandus χρὴ τὸν ἐσχατόλοφον, vbi eques vel aliquis alius timidus & parùm studiosus communis salutis obiicit Poetæ: tibi quidem Horatij perfacilè est suadere talem equitum cohortẽ, sed non fit hoc facinus sine magno vitæ discrimine: cui ὑπερφυῶς respondet: *dulce & decorum est, &c.*

g Hoc quoque per metonymiam effecti pro indicante trepidantem equitem.

h Insignis est metaph. à sole, qui vt suo per se lumine clarus est: sic vir suæ virtutis præstantiâ satis fulget:

Simili tropo Cic. vtitur Philippicâ 13. *ornamenta magistratuum in virtute & industria posita lucent.*

i Hæc quoque metonymicῶs vsurpantur pro magistratibus, Consulatu & Prætura ceteriśque honoribus, quorum erant insignia, fasces & secures: & reuera hoc tetrastichon est allegoricum à peritis viatoribus, qui norunt vias breuiores ac tutiores eò perueniendi, quò tendunt, derrità pedibus vulgi derelictâ viâ: sic vir prędditus virtute longè aliam init rationem honores adipiscendi. Valdè quadrat hæc interpretatio ad discrimẽ viæ ac itineris quod notatum est Ode 28. lib. 1.

k *Popularis auræ, &c.* Nota est metaphora ex his, quæ in verbis *mobilium turba Quiritium*; ad indicandam populi flexibilem voluntatem adscripta sunt, quę reuises.

l Metaph. est nota, quâ fingitur virtus cælum petere celerrimè: qualis fuit in *auræ*, sed ab aere ad indicandam vulgi mobilitatem, ac inconstantiam fauoris in honoribus deferendis.

m Synecd. est speciei pro quouis arcano. n Idem est tropus, sed membri pro integra domo & iisdem tectis.

o Synecd. quædâ partis pro tota nauigatione: nam soluere nauem è portu *de sanc rex*, est, veluti primus actus nauigationis: valet igitur, prohibebo, ne mecum nauiget. p Ego puto hîc Synecdochen esse speciei pro quouis flagitio. q Allegoria quædam est è continuatis metaphoris à celerrimè fugientibus & tardissimè sequentibus. Sensus igitur est, incestus ille & scelestus fugerit quàm longissimè poterit: pœna tamen illum assequetur, quantumcunque moræ interpositum ipsi videatur.

Ode III. Ad eosdem Amicos.

Theticum.

Quòd homines gradibus virtutis in cælum ascendant: & qualis status Imperij Rom. ex oracolo Iunonis sit futurus.

Iustum & tenacem [a] *propositi virum,*
Non ciuium [b] *ardor praua iubentium,*
Non [c] *vultus instantis Tyranni*
Mente [d] *quatit solidâ: neque Auster*
[e] *Dux inquieti* [f] *turbidus Adriæ,*
[g] *Nec fulminantis magna Iouis* [h] *manus.*
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.
Hac [k] *arte Pollux & vagus Hercules*
Innixus, arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem [l] *Bacche pater tuæ*
Vexêre tigres, indocili iugum
Collo trahentes: hac [m] *Quirinus*
Martis [n] *equis Acheronta fugit:*
[o] *Gratum eloquuta consiliantibus*
Iunone Diuis: [s] *Ilion,* [p] *Ilion*
Fatalis [q] *incestusq́; iudex*
Et mulier peregrina vertit
In puluerem, ex quo destituit [r] *Deos*
Mercede pactâ Laomedon, mihi
Castæq́; damnatum Mineruæ
Cum populo & duce fraudulento.
[s] *Iam nec* [t] *Lacænæ splendet adulteræ*
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achiuos
Hectoreis opibus refringit:
[t] *Nostrùsq́; ductum seditionibus*
Bellum [t] *resedit.* [7] *protinus & graues*
Iras, & inuisum [u] *nepotem,*
Troica quem peperit [x] *sacerdos,*
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire [y] *sedes, ducere nectaris*
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

[s] *Dum longus inter sæuiat Ilion,*
Romamq́; pontus, qualibet exsules
In parte [z] *regnanto beati:*
Dum Priami Paridisq́; bustо
Insultet armentum, & catulos fera
Celent inultæ: stet [aa] *Capitolium*
Fulgens, triumphatisq́; possit
[bb] *Roma ferox dare iura* [cc] *Medis.*
Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat [dd] *oras:* [ee] *quà medius* [ff] *liquor*
Secernit Europen ab Afro:
Quà [gg] *tumidus rigat* [hh] *arua Nilus.*
Aurum irrepertum, & sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
Quàm cogere humanos in vsus,
Omne sacrum rapiente dextrâ.
[ii] *Quicunque mundi terminus obstitit,*
Hunc tangat armis, visere [kk] *gestiens,*
Quâ parte [ll] *debacchentur ignes,*
Quâ [mm] *nebulæ, pluuiiq́; rores.*
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimiùm pij
Rebusq́; fidentes, auitæ
[nn] *Tecta velint reparare Troiæ:*
Troiæ renascens alite [oo] *lugubri*
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis & sorore.
Ter [pp] *si resurgat murus* [qq] *aheneus*
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argiuis: ter [rr] *vxor*
Capta virum puerosq́; ploret.
[ss] *Non hæc iocosæ conueniunt lyræ:*
Quò Musa tendis? desine pertinax
Referre sermones Deorum &
Magna [tt] *modis tenuare paruis.*

Analysis Dialectica.

HÆc Ode pro certo appendicula quædam est & continuatio secundæ ex eadem officina Stoicorum depromta. Nam illic Poeta docuit ciues & amicos ortum virtutis è patientia laborum & rerum humanarum tolerantia, illiusque vires in cælo suis cultoribus aperiendo: quas hîc nunc persequitur, dum à virtute statũ viri sic figi, sic fundari cantat, vt eum nulla Fortunæ temeritas, nulla hominum iniuria, nullæ cæli & pelagi

pelagi minæ conuellere & labefactare posſint. Nec tibi mirum videatur, Lector, ſi quod illic virtuti tributum eſt, nunc hîc iuſtitiæ perſpicis attribui: quia è ſententia Platonis iuſtitia eſt reliquarũ virtutum harmonia quædam & cócentus, ſicut à Theognide didicerat.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή' ἐστ

Πᾶς τ' ἀνὴρ ἀγαθὸς, Κύρνε, δίκαιός θ' ἁμά.

Iuſtitia complectitur omnem virtutem: quum omnis vir bonus ſit iuſtus. Vir igitur iuſtus præſidio virtutis ſeptus nullo animi terrore de recta ſententia & honeſto inſtituto deduci poterit; quin huiuſmodi firmis & ſemper fixis gradibus cælum petat. Hæc quidem omnes veriſsima (vt ſunt) putabunt eſſe, tanquam vniuerſale quoddam & Diuinum decretum: ſed ſi quis velit attentiùs conſiderare, quod aſſumit de Romulo & Auguſto & fortaſſe de aliis, comperiet eos ſceleratiſsimos fuiſſe latrones, funeſtiſsimos piratas, maximeque nefarios prædones, vt nihil videri poſsit alienius à dignitate τῆς ὑποθέσεως, quam Poeta, nimis ad aſſentationem eruditus, curat vtrique habendam. Iam eius rationes ſubducamus. Conſtantiam viri virtute muniti (quem Poeta hîc dicit propoſiti tenacem) primùm declarat collatione quinque parium: quæ rurſus totidem exemplorum inductione confirmatur, è quorum poſtremo Poeta captauit occaſionem reliqui carminis de Iunone Romanis conciliata & ſtatum Romanæ gentis futurum præfata. Itaq; vir ſic ſtipatus intentatis omnibus periculis nunquam cedet: populo irato & praua iubenti non aſſentietur: qualem aiunt Zenonem fuiſſe Stoicorum principem ſub Phalaride tyrãno, & Q. Scęuolam ſub Sylla, vt Val. Max. refert. Sed huc attende, Lector, partes huius comparationis logicâ gradatione (quam ita voco propter Rhetoricum climacem, qui in alterna ſoni ſimilitudine & repetitione vocum tantum cernitur, nullâ ratione habitâ maius aut minus ſignificandi, ideoq; præſtaret hîc incrementum nominare) gradatione, inquam ſemper auctâ conſtare, vt conſequens maior & grauior ſit antecedente: nam ferus præſentis Tyranni vultus grauior eſt irâ populi: hoc vultu æſtus maris ab Auſtro concitatus: hoc æſtu prætereà Iouis fulmina: his deniq; ruina vniuerſi orbis: quibus certè omnib. pariter æqualiterq; ſuſtinendis vir noſter ſe parẽ ſemper præſtabit: quia virtus à ventoſa plebe vehementer diſsidet, vt dixit Ode 2. lib. 2. & vitioſis. Talem inconcuſſæ ſtabilitatis virum Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 2. informare *Serenum*, aut quemdã alium videtur. *Quod autem deſideras, magnũ & ſummum eſt, Deóq; vicinum, non concuti. Hanc ſtabilem animi ſedem, Græci εὐθυμίαν vocant; de qua Democriti volumen egregium eſt: Ego tranquillitatem voco. Nec enim imitari & transferre verba ad illorum formã neceſſe eſt. Res ipſa, de qua agitur, aliquo ſignanda nomine eſt, quod appellationis Græcæ vim debet habere, non faciem. Ergo quærimus, quomodo animus ſemper æqualis, ſecundóq; curſu eat, propitiúsque ſibi ſit, & ſua lætus adſpiciat, & hoc gaudium nõ interrumpat; ſed placido ſtatu maneat, nec attollens ſe vnquam, nec deprimens, id tranquillitas erit. Quomodo ad hanc perueniri poſſit, in vniuerſum quæramus, &c.*

2 Hîc eſt confirmatio comparationis, vbi vir prędit⁹ virtute, tanquam genus quoddam, diſtribuitur in Pollucem, Herculem, Auguſtum, Bacchum & Romulum, tanquam ſpecies: quibus certè omnibus cælum iudicio Poetæ aperuit virtus, hæc autem argumenta non aliam iudicij normam requirunt, vt ſatis ſuo lumine clara.

3 Pars eſt altera Odes, vbi initio Dea Iuno è duplici cauſſa excidij Troiani παρεκβάλλων (vt fiet Ode 27. ſequenti) per quandam digreſsionem more Pindari argumentatur: quarum altera fuit perfidia Laomedõtis: altera fœdiſsimum Paridis adulterium. Hîc Poeta callidè principem illius excidij cauſſam ſubticuit, & ſpecie prædictarum voluit celare implacabilẽ iram & inuidiam Iunonis & Palladis Troianis conflatam ob iniuriã ſpretæ vtriuſq; formæ iudicio Paridis iniquo. Legatur libri 1. Epigr. ca. 9. de Palladis ira, querela Ilij vrbis,

Ἀλλὰ σύ με προέλοιπας ἑλὼ ἕνεκ' οὐτὶ θυμήλου

Πᾶσαν ἀποδρέψω τεῖχε θ' ἁλὸς ἅλιον.

Sed tu ô Pallas tradidiſti me in prædam, propter pomum omnem vrbis ſplendorem exſtinxiſti. de quo iudicio eſt videre Iliad. Δ & Ω. & 2. Æneidos & Lucian. Dialog. Deorum. Id verò fecit Poeta decorè in gratiam Iunonis vt illa magis videretur vlciſci alienam iniuriam, quàm priuatam.

4 Argumentum eſt è circumſtantiis temporis, quũ Troia damnata fuit talis ruinæ à Minerua.

5 Quid tales cauſſas conſequutum ſit, explicatur: obſcuritas & inquinamentum ſplendoris Alexandrini & interitus, exitiumque Troianæ gentis.

6 Cauſſa Ilij tam diu obſeſsi fuit in diſsidiis Deorũ: quòd illorum alij Troianis, vt Apollo, licet fraudatus, Mars, Diana, Latona, Xanthus: alij Græcis, vt Neptunus, Minerua, Iuno, Mercurius, Vulcanus fauerent: de quo vide Iliad. υ.

7 Iuno deſcribitur ex propriis factis, quòd pacata conſentiat Romulum Diuis adſcribendum. Romani tempore Ciceronis crediderũt, omnibus, qui patriam conſeruârint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo ac definitum locum: vbi beati ſempiterno æuo fruantur: hunc autem locum, excelſum, ſtellarum plenum, illuſtrem & clarum putarunt eſſe ſedem fortunatorum & beatorum, nec eſt dubium, quin ſit via lactea, de qua ſic Ouid. lib. 1. Metamor. *Eſt via ſublimis, &c.* & Manilius lib. etiam 1.

An ſortes animæ dignataq; nomina cælo,
Corporibus reſoluta ſuis, terraq; remiſsa,
Huc migrant ex orbe, ſuumq; habitantia cælum
Aetherios viuunt annos, mundoq; fruuntur?

8 Conſenſio pactis confirmatur: quæ tractantur è loco aduerſorum: volo Troianum regnum ſemper deſertum iacere, & nomen illius gentis in æternum exſtinctum eſſe: imperium autem Romanum ſemper latiſsimè patere & ſtare, nomenque generis omnibus ad ſidera vſque notum eſſe.

9 Temperantia veterum Romanorum in contemtione auri declaratur maiorum collatione: Romani veteres fortiores fuerunt non cognito, nec reperto, nec poſſeſſo auro & ipſius negle&tu, quàm poſteri eorum in eo ſtudioſè cudendo, & in res humanas inſumendo & è templis rapiendo.

10 Eadem pacta repetuntur: ac primùm ex fine declarantur, ne Romani Troianorum poſteri rerum potiti, piâ maiorum ſuorum recordatione, Troiam reparent & regnum reſtituant: deinde è paribus, quòd Iunone duce toties Ilium reparatum funditus excidetur: quoties à Romanis inſtaurabitur, quod fortaſſe Romani conati ſunt, dum reſpub. ipſorum floreret: adiunctâ prædicatione maieſtatis diuinæ vt cauſſæ inuictæ (qualis eſt 1. Aeneid.

Aſt ego quæ Diuũm incedo regina Iouisq;
Et ſoror & coniux.)

eâdem pariũ collatione auctâ expugnatæ vrbis euẽtis.

11 Iam Poeta velut ſe ab Hiſtoria huiuſmodi reuocat è loco diuerſorum: quòd explicatio diuinorum conſiliorum aliena ſit à carmine Lyrico, ſed Heroici propria.

12 Reuocatur etiam Muſa ex fine, vt res graues, quę maieſtatem Heroicam requirunt, deſinat extenuare tam leui modulatione.

Enarratio Grammatica.

Vsum.] Hîc duæ Reipub. formę significantur, popularis & regia: in quarum vtralibet versetur vir notter virtute instructus, retinebit tamen semper animi æquitatem & moderationem: & quum sæuiet ignobile vulgus in prauis legibus constituendis, & iniquis rebus imperândis: quum etiam leges à Tyranno per vim populo imponentur: quum denique nefariis, crudelibus, Tyrannicisque modis omnia gerentur: etiamsi in Phalaridis taurum descendere iussus fuerit à Tyranno. Talem tuendę veritatis constantiam Iuuenalis docet Satyr. 8.

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ si quando citabere testis
Incertæq; rei, Phalaris licet imperet, vt sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causſas.

Tyranni mente quatit.] *Ne le fait varier & changer d'opinion par crainte.* Pro quo Cic. dicit in Pisonem, deiicere de sententia, & deducere à mente & consilio. In litera videtur ellipsis præpositionis, de mente deturbare: posset etiam absolutè sumi pro mente intrepida & immota viri iusti ad quem libet casum. Sic idem alibi dicit, *risu aliquem quatere*, Gallicè *faire creuer de rire.*

Auster.] De Austro, id est, de Noto, sicut de Adria fuit Ode 3. lib. 1. vbi pro Austro duce dictus fuit Notus arbiter Adriæ.

Fulminantis.] Sic 2. Ode lib. 1. dicitur *iaculatus arces rubente dextrâ*, & Virgil. 1. Georgicôn, *fulmina molitur dextrâ*, de quo vide Od. 2. lib. 1.

Si fractus.] Hunc loquendi modum est imitatus Buchananus interpretatione metricâ Psalmi 125. sed hoc dicitur de opinione Anaxagoræ, qui cælum instar lapideæ testudinis factum putauit: ideoque ruinam illius aliquando futuram, vt est apud Laertium & Aristotelem lib. 5. περὶ μετὰ τὰ φυσικὰ, & Poetas, qui fabulantur id tum euenturum è cessatione Atlantis cælum sustinentis, vt Theog. γνώμων 866.

Ἐγὼ μὲν ἕστηκα πέσοι μέγας ἔφυν ὡς ὄφρυς ὕπερθε
Χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα παλαιγενέων·
Εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω οἵ με φιλεῦσι,
Τοῖς δ' ἐχθροῖς ἀνίη καὶ μέγα πῆμ' ἔσομαι.

Nisi ego opem amicis meis tulero, inimicis autem damnum & molestiam dedero, ruat in me immensum, lateq; patens cælum, æreum superne, prisci in hominibus terror.

Hæc sententia indigna est Christiano, cuius est bonum reddere pro malo. Ruinam verò cæli & interitum aliquando futurũ acceperunt profani scriptores tam Philosophi, quàm Poetæ ab Hebræis & literis sacris.

Impauidum.] Εἰς ἀδόρυβον αἰ πτώσεις καὶ ἀπλήκτους.

Arte.] Hîc *ars* in bonum sumitur, contrà quàm lib. 2. Aeneid. de Sinone:

Dolis ille instructus & arte Pelasgâ.

sicut nos admonuimus ad Oden 12. lib. 1. hac voce virtutes ac vitia vocari ab antiquis. *Inniti arte* ita dicitur vt 1. de Offic. *niti consilio & auctoritate senum est, adolescentis.* Sic Græcè Demosth. dicit 1. Ολυνθ. πρεσκαθίζειν καὶ προσηδρεῦσι τοῖς πράγμασι, *rebus gerendis incumbere.*

Pollux.] De Polluce fuit Ode 3. lib. 1. & de Hercule.

Recumbens.] Id est, quos Iupiter amat ac semideos facit, eos dignatur honore suæ mensæ: vnde Virgilius 1. Æneid.

Tu das epulis accumbere Diuûm.

Bacche.] De hoc fuit Ode 12. libro 1. & 19. lib. eiusdem.

Tigres.] Tigres currum Bacchi trahunt vel etiã Lynces, vt Statius cecinit;

—Effrenæ dextrâ leuâq; sequuntur
Lynces & vda mero lambunt retinacula tigres.

Collo trahentes.] Ode 13. lib. 1. docuimus, quid ceruix esset, ac vnde diceretur: nunc quid τὸ *collum* & vnde, sciendum est. Grammatici illud eâ definitione declarant, vt sit fulcimentum, ac velut sustentaculum capitis: ideoque à columna dictum, cuius partes sunt: anterior, gula, & posterior, ceruix. Alij deflectunt à cultu, quia torquibus colitur & ornatur: alij à colle, quòd assurgat ab humeris more collis.

Acheronta.] De Acheronte vide Oden 3. lib. 1.

Perrupit Acheronta Herculeus labor,

id est, *inferos.*

Consiliantibus.] Grammatici tradunt huic verbo vim dandi & capiendi consilij vnde oritur: hîc est deliberare & consultare de Romulo in ordinem Deorum cooptando, Romanis reconciliatâ Iunone.

Ilion.] Iidem docent *Ilios* pro Vrbe esse fœmin. gen. & *Ilion* pro arce esse neutrius: Virgilius tamen dicit initio tertij Aeneid.

—cecidit q; superbum
Ilium: quod ex hoc Græco conuersum est, Ἴλιον ὀφρυόεσσα κατήειπεν, vt hîc pro vrbe.

Incestu q.] De hac voce dictum est Ode antecedente, sicut de Paride Ode 15. lib. 1. quomodo nõ fuerit auctor excidij Troiani. Iliados tamen ω indicatur causſa belli Troiani sub initium, & odium Iunonis, Neptuni, & Palladis in Troianos & Paridem.

Ὅς νείκεσσε θεὰς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκανον,
Τὴν δ' ἤνησε, ἣ οἱ πόρε μαλοσύνῃσιν ἀλεγεινήν.

Qui in contentione Deas spreuit, quæ venerunt ad ipsius casam: illam autem laudauit, quæ ipsi damnosam libidinem dedit.

Vertit.] Donatus in vers. 1. Aeneid.

Tyrias quæ verteret arces, &c.

dicit hoc verbum eam habere intellectus expressam rationem, vt nihil post excidium supersit, quin funditus perierit, huicque simile illud subiungit. *Quæ te genitor sententia vertit.* hoc est, sic mutauit, vt nihil pietatis remanserit in sensibus Iouis.

Ex quo.] Est hîc ellipsis *tempore* ferè perpetua, pro iam inde ab illo tempore.

Destituit.] Destituere & decipere, priuare aliquem, & fidem destituere pro fallere, Cicero.

Laomedon.] De hac fraudulenta perfidia dictum est Ode 2. li. 1. & Iliad. φ. vbi solus Neptunus dicitur suam operam Laomedonti locasse ad constructionem Pergamorum, & Apollinem pauisse boues illius. Ita dicũt ambo, Ἀγλωοεὶ Λαομέδοντι ἐπιδάσαμεν εἰς ἐνιαυτὸν μισθῷ ὀπὶ ῥητῷ, *superbo Laomedonti seruiuimus in annum cõstituta mercede*, pro quo Horatius hîc dicit, *pactâ mercede.* Pindarus tamen Olymp. ἑβδ. ii. adiungit Neptuno Apollinem & Aeacum: vnde Virgilius Apollinem vocat auctorem Troiæ in principio 3. Georgic. *& Troiæ Cynthius auctor.* Quidam tamen putant hoc intelligendum de pecunia, quæ templo Apollinis & Neptuni erat sacra, ab hoc rege Laomedonte accepta, ad instauranda & reficienda Pergama, eâ lege & conditione, vt ille Diis sponderet & reciperet, se breui eam redditurum, quod quum non præstitisset, superueniente iniquo Paridis iudicio de formis Dearum sibi & toti genti odium implacabile illarum & Neptuni concitauit.

Damnatum.] Damnatum est hîc cum datiuo per Antiptωσin, pro, Ilion damnatum à me castaque Minerua talis excidij: pro his Ode 7. lib. 1. dicta est, intacta Pallas & ratio vtriusque nominis reddita & alibi: quò addam nomen aliud generis index sui è Plutarch. χορυφαίη ex eo ductum, quod Pindarus cecinit in Ode Diagoræ Rhodij 7. Olymp. πατὴρ Ἀθανία κορυφὰν κατ' ἄκραν

ἄκραν αὐρύπαο᾽ ἀλάλαξεν ἐβρόμησε βοᾷ· id est, *ex patris summo vertice Minerua prosiliens vociferata est ingenti clamore*, quod imitatus est Terentius in Heaut. Act. 5. Sc. 5. Chr. *non, si ex capite sis meo natus, item vt aiunt Mineruam esse ex Ioue, ea patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri*, quod & Lucanus,

Hunc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata est.

Lacænæ.] De hac voce fuit Ode 11. lib. 2.

Famosus.] Sæpiùs hoc nomen in malam partem accipitur, pro infami & cooperto vitiis & flagitiis.

Achiuos.] De Origine Achiuorum lege Scholia Eustathij & Didymi in Iliad. α. initiò.

Opibus.] Hæc vox etiam in plurali, vt in singulari, significat auxilia.

Ductum.] Ductum valet productum & prorogatum.

Seditionibus.] Hæc vox dicitur à seorsum eundo, quũ homines seorsum alij ab aliis sentiunt, vt Virgil. dicit, *Quum in contraria studia scinduntur.*

Protinus.] Protinus aduerbium est instantis temporis & iungitur cum continuò. Plautus, *Continuò mecum exercitum protinus abducam.* Gallicè, *tout maintenant.* Verùm hîc de paullò remotiori, pro in posterũ, deinceps, porrò. Protinus contrà est loci, vt in illo Virgilij,

——*En ipse capellas*
Protinus ager ago.

id est, longè, ait Seruius & Caper.

Graues iras.] Pro quo epitheto Virgil. lib. 1. Æn. dicit de Iunone Dea & regina, *Iram memorem*, quam Græci vocant ὀργὴν ἀείμνηστον καὶ ὀθνείονον, ἔστι δὲ ὀργὴν τιμώρον καὶ ἀποτρωπικήν· i. *Semper in memoria retentam & manentem. præterea etiam vltricem & obseruantem omnes occasiones vindictæ*, ita Seruius interpretatur τὸ *memorem Iunonis ob iram*, non quæ meminerat, sed quæ in memoria videbatur esse: qualem Calchas prædixit Achilli fore illam Agamemnonis in ipsum, si causam exponeret, cur castra Græcorum tam graui conflictaretur pestilentia. Itaque voluit ante suam expositionem ab Agamemnonis ira tutus esse, interposita fide Achilleæ clientelæ,

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι,
Ὅς τ᾽ ἤδη τὸν χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ κατατρέψῃ,
Ἀλλέγε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ
Ἐν σήθεσιν εἷσιν. σὺ δὲ φράσαι, εἴ με σαώσεις, id est,
Potentior siquidem est rex, quũ irascitur inferiori viro,
Quamuis enim iram vel eodem die decoxerit,
Postea tamen retinet iram, donec perfecerit.
Tu autem dic, an me seruaturus sis.

Interpres sic versum explicat penultimum, λέγει δὲ ὅτι βασιλεὺς ἀνδρα ταπεινὸν κυρώσει ἀμυναθῆναι, μήτι τὸς ὄτιμ. i. *Homerus dicit, quòd quum Rex in animo statutum & deliberatum habuerit vlcisci virum obscurum, propositi tenax & inuictus est.* Vtinã Reges ac principes Christiani tali animi perturbationi superiorib. annis nõ succubuissent, nec etiã nunc succũberent! quâ peccatur ab illis grauius Ethnicis contra interpositam fidei publicæ religionem.

Troica sacerdos, &c.] Nescio equidẽ, quâ impulsus opinione auctor Etymologici magni quæsuerit huic voci Latinæ veriuerbiũ Græcum, ita scribens, Σακέρδως Ῥωμαῖοι ἱερέας· σάκρα γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς λέγεται τὰ ἱερά. σακέρδως οὖν, ὁ τὰ ἱερὰ ἔρδων. i. *Sacerdos igitur est, qui res sacras administrat.* Hunc certè locũ Fridericus Sylburgius meritò reprehendit in suis notis, dum Etymologiam vocis *sacerdos* docet esse petendã è cap. 2. lib. 1. controuersiarũ Senecę; vbi de prostitutâ sacerdote sic ἐτυμολογικῶς est scriptum, *Pretia stupri accepisti; & manus, quæ diis datura erat sacra, capturas, id est, turpes quæstus, tulit.*

Nepotem.] Ratio huius vocis Latinæ reddita est, è Græca νέπτε. Ode 2. lib. 1. Valet autem τὸ ἀπόγονον τοῦ Ἄρεος.

Redonabo.] Iras redonare est remittere; sed cum *nepotem* est reddere & restituere, vt Ode 7. lib. 2. *Quis te redonauit Quiritem.*

Ducere nectaris succos.] Idem valet, quod dixit anteà, haurire nectar: sic ducere naribus odores, pro olfacere, & sequens adscribi quietis ordinibus Deorum: Homerus tamen scribit turbas sæpè inter Deos ortas: verùm τὸ *quietis* referendum est ad heroas, Pollucem, Castorẽ, Herculem, & similes: qui defuncti multis ærumnis apotheosin consequuti sunt.

Ordinibus.] Hæc vox videtur Iulio Scaligero è Græca disciplinæ militaris consuetudine deducta, vbi Tribuni militibus dicebant hæc, *hactenus tibi licet: hîc consistes: eò progrediere: huc reuertere:* ὅρον δῶ, inde ordo, quasi termini constitutio, aspiratione Aeolicè reiectâ. Vnde Cicero sub finem lib. 1. de Offic. definit ordinem ita, *vt sit compositio rerum aptis & accommodatis locis*, quæ Græcis est διάταξις, in qua Cic. docet ibidẽ consecrationem ordinis intelligi. Hîc autem Poeta videtur ad formã Reip. Romanæ, quæ distincta erat in tres ordines, Senatorium, Equestrem, & Plebeium, disponere imperium cæleste.

Busto.] Bustum erat locus, vbi olim cremabantur cadauera à comburendo: inde pro sepulcro, vbi Troiâ deletâ feræ suos fœtus occultent tutò & impunè.

Feræ.] Pro hac Græci vtuntur φηρὲς Aeolicâ dialecto, vnde Latina oritur, pro communi θηρὲς, vt φήεια pro θήεια, quanquam Latini *feras* dici tradunt, quòd toto corpore ferantur, & quatuor pedibus vtantur.

Capitolium.] Arx fuit Romæ à Tarquinio Superbo exstructa in monte Tarpeio & ab humano capite in iaciendis fundamentis dicta reperto, de quo vide Plin. li. 3. c. 5. & Plutarch. in Furio Camillo.

Triumphatis.] Triumphatus dicitur à verbo absoluto, quâ formâ diximus anteà pugnata, regnata, Bacchata, pro debellatis Medis & in triumphum actis: vel vt loquitur Virg. lib. 3. triumphatis.

Possit dare.] Hîc τὸ *possit* ἀποφαντικῶς exprimit iurisdictionis potestatem.

Arua.] Hæc vox ab arando deducta est, vt hoc à Græco ἀρόειν. Definitur autem aruum, ager nondum satus, Gallicè *gueret.*

Nilus.] Hic fluuius mirum in modum solum Aegypti eluuie suâ fœcundat limo pingui relicto, vnde dicitur νῶλος Nilus, quasi νέα ἰλὺς, *nouus limus*, quod etymum Seruius in vers. Aeneid. 9.

Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus.

notauit sub initium libri & nos in præfatione huius enarrationis obiter. Hinc etiam ἔγχελυς, anguilla ἀπὸ τοῦ ἐν ἰλῦι ἐγχέσθαι, quòd è limo nascatur.

Aurum.] Quantum mali dederit hominibus aurum effossum, docet Phocylides:

Χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστὶ καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι.
Χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων
Εἴθε σε μὴ ἔνι τοῖσι γλυφέσθαι πῆμα πολεινόν!
Σὲ γὰρ ἕκαστα μάχαι τε, λεηλασίαι τε, φόνοιτε,
Ἐγχέα δὲ τέκνα γονεῦσι πρ, ἀδελφείοις τε σωαλμεις.

Aurum & argentum homines semper inducunt in fraudem ô aurum malefici princeps & architecte, pestis vitæ, omnia labefactans: vtinam homines te in suam perniciem non expeterent! Te impulsore pugnæ excitantur, prædæ fiunt, cædes, & inimicitias suscipiunt cum parentibus liberi, fratres cum consanguineis & germanis. Ob hæc auri damna Plin. lib. 33. cap. 1. exclamat: *Vtinam posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames.* Audiatur etiam admonitio Senecæ Epistolâ 94. *Aurum quidem & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committerentur, natura abscondit. Nos in lucem propter quæ pugnaremus, extulimus. Nos fortunæ mala nostra tradidimus. Nos & causas periculorũ nostrorum & instrumenta, diiecto terrarum pondere, eruimus: nec*

e ubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerãt ima terrarum. Vis scire, quam falsus oculos tuos decipit fulgor? nihil est istis, quamdiu mersa & inuoluta cœno suo iacẽt, fœdius, nihil obscurius. Quid ni? quando per longissimorũ cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil est illis, dum sunt, & face suâ separantur, informius. Deniq; ipsos artifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur, videbis, quantâ fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quam corpora, & in possessore eorum, quam in artifice plus est sordium. Grammatici docent aurum ἀπὸ τοῦ ὠρεῖσθαι dici, quòd diligenter curetur & custodiatur, vel quòd se conseruet ab ærugine, vt Plin. scribit. Ex eadem origine ducitur Ἠσπερὸς adiuncta νύξ. Similiter argentum παρὰ τὸ ἀργὸν, τοῦ λευκότητα, à candore & albedine. Seruius tamen aurum ab aura notat, vt prædictum est Ode 8. li. 2. à splendore.

Rapiente dextrâ.] Romani victores thesauros & sacra omnium gentium diripuerũt: templa suis ornamentis spoliarunt vi bellicâ, quam è disciplina militari (quam dicunt iure niti) dextrâ rapaci potiùs, quàm furtificâ finistrâ, fieri palàm Poetæ canunt. Non sum tamen nescius interpretationis aliorum, qui *dexteram Deorum* hîc intelligunt: tu Lector, videris, quid sibi ipsi velint cum hoc genere interpretationis. Alij verò accipiunt *fortior spernere* ἐπιλυτικῶς pro fortior & constantior ad spernendum: tanquam vaticinium Iunonis de continentia & frugalitate Fabricij, Curij & aliorum futura: tu etiam hoc perpenderis.

Quicunque.] Videtur esse sensus. Si quis orbis angulus fuerit, quò homines anteà propter interiectum maris prohibiti sunt peruenire; Romanis pateat illuc deinceps aditus.

Obstitit.] Enallage est & immutatio præteriti temporis pro secundo, quicunque siue meridionalis, siue septentrionalis terminus mundi obstiterit, nec patuerit Romanis, horum sentiat arma.

Visere gestiens.] Roma, inquam, gaudens & cupiens visere partes mundi, quæ vel calore solis torreantur, vel horrore frigoris obrigescant.

Rores,] Quid ros sit, vide Ode 4. lib. 1.

Auitæ Troiæ.] Sueton. in Claud. memorat Romanos habuisse Ilienses loco consanguineorum. *Ilienſibus,* inquit, *quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit, recitatâ vetere Epistolâ Græcâ Senatus populiq; Rom. Seleuco regi amicitiam & societatem ita demũ pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset.*

Renascens.] Renascens & resurgat insigni epitheto redduntur à Virg. Aeneid. 10. vers.

Dum Latium Teucri recidiuaq; Pergama quærunt.

Tractus, ait interpres, sermo est de arboribus quæ aliis sectis repullulant. Ergo illud solum recidiuum dicitur, quod posteà renascitur: vnde Pergama modò recidiua dixit, quæ renouantur ab his, qui sunt superstites à Troianis periculis.

Iterabitur.] Iterũ Troia miserè diruetur, quod posteà euenit à Flauio Fimbria legato Cinnæ tempore Syllę, vt scribit Appianus lib. de Mithridatico bello.

Si ter resurgat.] Id est, si mœnia Troiæ tertiò instaurabuntur, tertiò etiam diruentur: ita videtur *ter* hoc loco explicandum, Gallicè, *pour la troisiesme fois.* Putant tamen nonnulli τὸ *ter* referri ad triplex Troiæ excidium; primum ab Hercule, alterum à Græcis, tertium à Flauio Fimbria Cinnæ legato; vt modò dixi: sed præstat comparatè locum explicare ex admonitione Dialect. quia Plutarchus in Sertorio ad hæc tria quartum addit excidium à Charidemo Athenien si.

Ter vxor.] Quidam malũt Hecubam Priami vxorem, & eius liberos, quàm Andromachen & Astyanacta vnicum filium hîc significari.

Pueros.] Ad variam vocis Græcæ, παῖς, notionem ferè vsurpatur *puer* modò pro ætate, modò pro pediseque, Gallicè, *Page,* modò pro filio, vt hîc pro vltimo.

Peruicax.] Peruicax propriè est ἀμετάπειστος, qui est animo peruicaci & obstinato, nec vllo modo diffuaderi potest.

Tenuare.] Pro quo dixit Ode 6. lib. 1. *deterrere.* Ita Propertius lib. 4. Eleg. 1. se per correctionem à grauissima materia remouet:

Quò ruis imprudens vage dicere facta, Properti?
Non sunt à dextra condita fila colu.
Arcessis lacrymis Charites, auersus Apollo.
Poscis ab inuita verba pigenda lyra.

Explicatio Rhetorica.

ODe & genere metri & argumenti præcedenti & nonæ lib. 1. persimilis est.

a Hoc synecdochicῶs intellige, vt sit genus ἀπεικὸς ἢ τοῦ χρησίμου pro bono & æquo: nam & propositum de quouis instituto solet dici, vt Epist. 13. *Victor propositi simul ac, &c.* & ad Pisones:

——neu quid medios intercinat actus
Quod non proposito conducat.

b Metaphora est ab igne & sole, vt ardore flammæ conflagrare, & ardore solis torreri, ad vehementes & sæuos motus popularium animorum notandos.

c *Vultus* dicitur metonymicῶs pro aspectu truci, fero & minaci.

d *Mente quati* dici videtur, p deduci à sensu & consilio & sententia, terribili aspectu Tyranni, id est, à corpore ad animum: nam corpus solidum & succi plenum dicitur propriè à Terent. Act. 2. Scen. 3. Eunuch. quod triplici dimensione; longitudine, latitudine & altitudine Geometres definit.

e Nota est translatio ad caussam tempestatis indicandam, quam Cicero geminatione apertiùs exprimit; *Auctor, dux & princeps. Et dux isti quondam & magister ad spoliandum templum fuit.*

f Sic metonymicῶs ex effecto significatur efficiens, qui ab imo turbat & miscet mare.

g Ex particulis, *non, non* & *nec neque*, initio incisorum fit anaphora duplex.

h Metonymia subiectæ partis pro adiuncto robore: quo homines suis monarchis magnam deferunt potestatẽ ad deterrendum. Gallicè, *le roy a la main bien longue:* quod certè videtur depromtum ex Iliad. o. sub finem:

Τὸν δὲ Ζεὺς ὤρσεν ὀπάδε χειρὶ μάλα μεγάλῃ·

Hunc autẽ Hectorem *Iupiter cõcitabat à tergo vi valdè magna.* Ita Herodotus: Χεὶρ βασιλῆος ὑπερμήκης, pro immensa regis potentia dixit. Nõ solùm rex dicitur longas habere manus; verùm etiam innumeros oculos, aures innumeras, citissimos pedes: quia populus vniuersus omnes suas vires & facultates regi in Reip. emolumentum & fructum suppeditat.

i Epanaphora quoque est in hac voce ter repetita initio membrorum.

k Sumtum est à regulis & præceptis disciplinarũ, quæ discipulos ducunt ad certum finem, sicut huiusmodi virtutis grádibus homines ducuntur in cælum: quod hîc intelligitur per metonymiam periphrasticã.

l Poeta sermonẽ suum ab amicis transfert ad Bachum χατ' ἐπωφοφὼν, quem synecdochicῶs appellat patrem, vt Virgil. Georg. 2. *Huc pater ô Lenæe, &c.* quia nomen est partim diuinitatis, partim dignitatis, vt τὸ *mater* apud Poetas.

m Quirinus dicitur Romulus synecdochicῶs, id est, à communi nomine ad proprium intelligendum: nam & populus Quirinus, id est, Romanus & Augustus Cæsar di-

sar dicitur 3. Georg. *Quirinus.* Cõstat autem Romulum tum primùm Quirinum esse vocatũ, quum inter Deos fuit relatus, vt 1. de legibus: *Certè non longè à tuis sedibus inambulans post excessum suum Romulus, Proculo Iulio dixit se Deum esse & Quirinum vocari, templumq; sibi dedicari in eo loco iussit.* Fuit autem vetus opinio, iam inde vsque ab Homero, vt res aliter apud Deos, aliter apud homines nominaretur. Hinc illud Homeri Iliad. α.

Οὐρ Βριάρεων καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ πάντες
Αἰγαίων.

Quem Briareum Dij vocant: homines autem omnes Aegeum. &:

Ξάνθον μὲν καλέουσι Θεοὶ· ἄνδρες δ' Σκαμάνδρον.

Xanthum quidem Dij vocant: homines verò Scamandrum. Denique in Ἀποθεώσει nomen mutabatur, *quum susceperit vita hominum consuetudoq; communis, vt beneficijs excellentes viros in cœlum famâ ac voluntate tollerent,* ait Cicero 2. de Offic. Idem lib. 3. *Peccauit igitur pace vel Quirini, vel Romuli,* id est, siue ille homo est, siue Deus. Idem lib. 2. de Offic. *Hinc etiam Romulus, quem quidam eundem esse Quirinum putant, quasi Deum armorum.* Plutarchus in Romulo. Hæc addenda fuerunt ad rationem tropi probandam.

n Metonymicõs, pro virtute bellica. Volunt tamen quidam locum κυείως intelligendum è lib. 2. Fast. vbi Romulus fingitur petiisse cælũ equis Martis patris sui: sed malo modificatum verbum, quàm hoc figmentũ:

Fit fuga, rex patrijs astra petebat equis.

Magna est certè varietas de genere mortis Romuleæ, de quo lege Lycosthenem cap. 2. & Plinium de viris illustribus.

o Apparatus est ad perfectam prosopopœiam, vbi ficta Iunonis persona inducitur.

p Iam est accessus per epizeuxin eiusdẽ soni ad varios affectus, qui gestu & voce pronunciantis magis quàm multâ oratione distingui & percipi debent. Alij tamen referunt hanc geminationem cõtinuam ad vehementiam indignationis.

q Synecdoche generis, id est, definitio ignominiosa pro definito Alexandro & Helena.

r Similis tropus pro Apolline & Neptuno, qualis est in *populo* & *duce*, pro Troianis omnibus & Laomedonte vel Priamo.

s Altera est synecdochica definitio Paridis & Helenæ, non minùs infamis quàm superior.

t Sumtum est à corporibus, quæ multis motibus agitata tandem quiescunt in sede, pro bellum confectum & finitum. Sic Liuius: *Postquam iræ resedissent*, id est, homines irati, sedati & pacati fuissent. Sic Cicero Tusc. 3. *Timor animi resedit.* & Epist. 2. lib. 8. ad fam. *Marcelli impetus resederunt, non inertiâ, sed, vt mihi videbatur, consilio*, id est, quieuerunt & sedati sunt.

u Synecdochicõs quoque dicitur pro Romulo, qui filius fuit Martis ex Ilia Numitoris, & Mars filius Iouis & Iunonis: itaque Romulus Ode 4. dicitur *Ilia Mauortiq; puer.* Similiter lib. β. Iliad. sed translatè Ἄρηος *Martis*, pro Elephenore.

x *Sacerdos* habet etiam synecdochen generis, pro Rhea vel Ilia Numitoris filia, sacris Vestæ Troiâ Romam aduectis præfecta.

y Synecdochica definitio cæli, quod iussu Iunonis Romulus petet, & nectare illic fruetur inter Deos relatus.

z Permissio est, è conditione & lege cum optatione, vt solum Troianum sit in perpetuum compascuũ, desertum & latibulum ferarum.

aa Est hîc metonymia loci pro florentissimo imperio Romanorum, & diuturna dominatione.

bb Metonymia est subiecti pro Senatoribus & populo Romano.

cc Videtur hîc synecdoche speciei pro bellicosissimis quibusque populis.

dd Fines Imperij Roman. à Iunone synecdochicõs circumscribuntur.

ee Anaphora est in *quà* initio membrorum repetito.

ff Synecdoche generis pro freto Gaditano inter Hispaniam & Africam, quæ posterior enunciatur per metonymiam adiuncti pro loco Africæ.

gg Tumidus dicitur per metonymiam effecti, pro efficiente tumidum & fœcundante solum Aegypti suâ inundatione: ac præterea dicitur Asiam ab Africa diuidere. hh Synecdoche est partis ad totam Aegyptum indicandam. ii Altera permissio est, vt nullus sit orbis angulus vel inhabitatus & inaccessus, qui non sentiat arma Romanorum: quales sunt regiones sub zonis torrida & frigida.

kk Donatus in Eun. Act. 3. Scen. 5. ver. 7. *Vt gestiam? aut quid lætus sim?* annotat: *gestire est motu corporis monstrare quid sentias.* Constat autem translatum à brutis animalibus, vt auibus & pecudibus, ad homines, idq; firmatur hoc versu Georgic. 1. 490.

Et studio incassum videas gestire lauandi:

quam Seruius sic illustrat: *vt homines lætitiam suam verbis, ita volucres corporis gesticulatione exprimunt.* Sic Ode 16. huius libri dicet:

Transfuga diuitum Partes linquere gestio.

& ad Pisones: *Gestit paribus colludere*, id est, summè gaudet: quomodo etiam Eustathius interpretatur hunc versum Iliad. β. paullò ante catalogum, de anseribus, gruibus & cygnis:

Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν.

Huc & illuc volant gestientes alis. Οὐρνιθες χαίρουσι τῇ πτήσει καὶ ἐντρυφῶσι τοῖς πτεροῖς. Vnde τὸ ἄγαλμα idem interpretatur τὸ ὕδυσμα καὶ ἀγαλλίαμα, θελκτήριον, Odyss. θ. oblectamentum & illecebræ.

ll Sumptum est à sacrificantibus Baccho pro æstuent, ferueant vt in partibus Libyæ.

mm Descriptio Scythiæ ac Riphæorum montium versus Septentrionem metonymica, qui niuibus assiduis occupantur.

nn Synecdoche membri pro integra Priami regia & vrbe. oo Metonymia efficientis & dantis hospitiũ malum. pp Epanaphora est in repetito initiis membrorum simili sono, vbi apparet mirabilis affectus Deæ comminantis. Præterea *ter* synecdochen habet finiti pro infinito, toties, quoties: sicut patuit è Dialecticis postremis in explicatione argumenti: quanquam nonnulli contrà sentiant è versu Propertij:

Troia bis Oetæi numine capta Dei.

vt è 9. Aen. *Bis capti Phryges. &c.* Alij quater affirmant captam: ab Hercule, ab Amazonibus, à Græcis, postremò à Fimbria. Quidam tamen malunt à Charidemo Athenienſi è Sertorio Plutarchi, quàm ab Amazonibus: qualis est synecdoche in illo Virgil. *O terq; quaterq; beati*, id est, omnibus partibus beati.

qq Synecdochicõs hîc sumitur pro firmissimo quóque muro: sed in 1. Epist. lib. 1. translatè:

Si recte facies, hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ. pro firmissimo tutissimoque præsidio.

rr Synecdoche generis pro Hecuba.

ss Deponitur prosopopœia Iunonis κατὰ τὴν ἀναθεώρησιν *correctionem* Calliopes, quæ hîc synecdochicõs notatur generis nomine.

tt Synecdoche rursus est generis, pro Lyricis versibus, quibus res humiles ac tenues conueniunt, vt Heroicis seriæ & graues, quales sunt Deorum sermones & consilia.

Ode IV. Ad Calliopen.

Theticum.

Quòd Musarum consilio & ope Deorum pericula quæque vitari & adiri tutò possint, sed sine illis nihil viribus effici humanis.

[a] *Descende cælo, & [2] dic age tibiâ*
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mauis acutâ,
Seu fidibus citharaq; Phœbi.
[3] *Auditis? an me ludit amabilis*
Insania? audire & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ subeunt & auræ
[4] *Me [b] fabulosæ Vulture in Appulo,*
Altricis extra limen [c] Apuliæ,
Ludo, fatigatumq; somno,
Fronde [d] nouâ puerum palumbes
Texêre: mirum quòd foret omnibus,
Quicunque celsæ [e] nidum Acherontiæ,
Saltusq; Bantinos & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti:
[5] *Vt tuto ab atris corpore viperis*
Dormirem & vrsis: vt premerer sacrâ
Lauroq; collatáque myrto,
Non sine [f] Dîs animosus infans.
[6] *Vester, Camœnæ, [g] vester in arduos*
Tollor Sabinos: [h] seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuêre Baiæ.
[7] *Vestris amicum fontibus & choris,*
Non me Philippis versa [i] acies retrò,
Deuotaq; non [k] exstinxit arbos,
Nec Siculâ [l] Palinurus vndâ.
[8] *Vtcunque mecum vos eritis, libens*
Insanientem nauita Bosporum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrij, viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Schyticum inuiolatus [m] amnem.
[9] *Vos Cæsarem [n] altum, militiâ simul*
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores
Pierio [o] recreatis antro.
Vos [p] lene consilium & datis, & dato
Gaudetis almæ. [10] Scimus vt impios
Titanas, immanemq; [q] turmam
Fulmine sustulerit [r] caduco,
[s] Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaq; [t] tristia,
Diuosq;, mortalesq; turbas
Imperio regit vnus æquo,
Magnum illa terrorem intulerat Ioui,
[10] *Fidens iuuentus, [u] horrida [x] brachiis,*
[y] Fratresq; tendentes [z] opaco
Pelion imposuisse Olympo.
[12] [aa] *Sed quid Typhœus & validus Mimas,*
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœcus euulsisq; truncis
Enceladus iaculator audax,
Contrà sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? hinc auidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno &
[20] [bb] *Nunquam humeris positurus arcum,*
Qui [cc] rore puro Castaliæ lauit
Crines solutos, [dd] qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque syluam,
Delius & Patareus Apollo.
[13] *Vis consilî expers mole ruit suâ:*
Vim temperatam Dî quoque [ee] prouehunt
In maius: idem odêre vires
Omne nefas animo mouentes.
[14] *Testis mearum centimanus Gyges*
[30] *Sententiarum notus, & integræ*
Tentator Orion Dianæ,
Virgineâ domitus sagittâ.
Iniecta [ff] monstris terra dolet suis:
Mœretq; partus fulmine [gg] luridum
Missos ad Orcum: nec [hh] peredit
Impositam celer ignis Aetnam:
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit [ii] ales, nequitiæ additus
[kk] Custos: amatorem trecentæ
[40] *Pirithoum cohibent catenæ.*

Analysis Dialectica.

IN quatuor postremis versibus Odes proximè antecedêtis Poeta Musam reuocauerat à tractatione consultationis Diuinæ de statu Romanorum futuro: quòd ea res sublimitatem carminis Heroici, non humilitatem Lyrici cantus postularet. Eadem certè reuocatio nunc initiò quartæ Odes iteratur, vt quædam videatur nota methodicæ transitionis & continuationis. Odes autem Theticum è loco causarum efficientium, conseruantium & adiuuantium primùm explicatur: quòd Poeta præsidio Musarum sit è grauissimis quatuor periculis ereptus, & earum cõsilio & ductu audacter subire quæuis alia possit, quæ præsidia Græci solent enunciare σὺν τῶν Μούσων καὶ σὺν τοῖν Θεοῖν; *Musis fauentibus ac Diis iuuantibus.* Vbi non dissimilem interponit fauorem illarum, dum eædem Augustum Cæsarem, labore militiæ valdè grauatum, dulci cantu oblectare solent: deinde, è remotione huiusmodi causarum, docet nihil effici posse viribus humanis, & sceleratos tam in vita, quàm in morte grauissima supplicia manere: quod exemplis Titanum & Gigantum declaratur. Ea est huius Odes summa.

2 Eadem reuocatio constat ex fine; vt Calliope, intermissis rebus diuinis, decantet humana aliquo horũ organorum, vel tibiâ, vel voce clarâ, vel fidibus, vel citharâ Apollinis.

3 Iam efficientiam huius numinis sentit, & eandem à sodalibus percipi requirit, ὑφ' ἧς ἐν τοῦ ἐνθουσιᾶσαι πείθεται, *à qua persuadet* è subiectis & adiunctis *se afflari instinctu diuino, & quodam impetu agi.*

4 His auibus, quia sunt Musarũ ministræ, pars quædam

dam Horatianæ salutis tribuitur, sicut frondibus lauri & myrti, quia dicatæ sunt Apollini & Veneri: vnde Horatius iam ab infantia prænunciabatur Poeta futurus, & in rebus amatoriis versaturus.

5 Superiores causſæ adiuuantes illustrantur adiunctâ vicinorum populorum admiratione, qui talis conseruationis Deos facerent auctores & duces, columbarum operâ, lauri & myrti frondibus & facultate vsos ad talem liberationem.

6 Ex hoc singulari beneficio Musarum in custodia salutis suæ perspexit iam inde ab ipsa pueritia, se, vbicunque esset futurus præsidiis ipsarum septum iri aduersus quamlibet iniuriam: vel, si libet, refer ad ipsum Poetam, qui grato animo profitetur se Musis tali beneficio sic addictum & consecratum, vt nunquam obseruantiâ & officio illis sit in quouis loco defuturus: vbi ratio quædam subiectorum inclusa est.

7 Liberationem puerilis periculi tulit anteà solis Diis & Musis acceptam: sed quòd è Philippensi clade, casu arboris & fluctibus Siculis vindicatus sit; obseruantiam suam & cultum erga Deos & Musas offert in sociotatem datæ salutis: quia fontes Musarum coluerat, choros celebrârat: alibi tamen primæ liberationis Mercurium fecit principem.

8 Ex antecedentibus causis ἐνθυμηματικῶς concludit: *Ego iam multis sum defunctus, ope vestrâ, periculis: eâdem igitur nunquam mihi defuturâ fretus, non vereor adire asperrima quæq; loca, maximeq; periculosa.*

9 Hîc Musas commendat ex ipsarum factis, quòd Augustum subseciuis temporibus afflatu Musico recreent; cósuetudine iucundâ reficiant, ac sapientię studio incendant.

10 Disputat deinceps ex admirabilibus Iouis factis, Theomachiam Gigantum irritam fuisse, contracteque sic argumentatur: *Homines consilij expertes, quamlibet robusti, suâ mole ruunt: quales fuerũt immanes Gigantes:* qui putantur Macrobio nihil aliud fuisse, nisi gens impia, technis Sathanæ elusa, qui Diis spretis diuinos affectarunt honores, quos Berosus lib. 1. antiq. vocat Babylonios & diluuio absorptos ærate Noei. *Ergo nihil effici potest viribus sine Diis.* Complexio dilatatur multis Deorum factis, maximeque Iouis.

11 Gigãtes describũtur ex adiunctis & factis. Quàm autem illi horribiles sint & formidolosi, ex vnius Briarei terrore, quem Diis iniecit, licet cognoscere, sicut scribit Homerus Iliad. α.

Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ· ἀνὴρ δ' ἅρα πάντες
Αἰγαίων'· ὁ γὰρ αὖτε βίῃ ὃ πατρὸς ἀμείνων,
Ὃς ῥα καὶ ἐν Κρονίωνι καθίζετο κύδει γαίων·
Τὸν καὶ ὑπέδεισαν μάκαρες θεοὶ· ὣς τ' ἔδησαν.

Quem Briareum Dij vocant: omnes autem homines Aegæonem: hic quidem viribus patri suo præstabat: qui Saturnidæ assidebat elatus gloriâ: hunc etiam valdè timuerunt beati Dij: nec ligauerunt Iouem. Vt autem fabulam intelligas: cum Ioue reliqui Dii, qua de re, nescio, contendebant, consensêre tandem inter se de eo comprehendendo & cóstringendo: sed Briareus, in cælum profectus Thetidis rogatu, tulit opem Ioui, cuius aspectus terribilis cæteros Deos deterruit ab instituto.

12 Disputat è loco minorum, vires Gigantum longè inferiores Diis, quos hîc recenset vtrunque quinos, si Iupiter, qui præcesserit primus numeretur inter Deos, quorum Apollo definitur ex adiunctis, factis & subiectis: quòd semper arcu ineuitabili & phatetrâ sit instructus: Lyciæ dumos colat: Pataræ oracula edat: Delo natus sit.

13 Hæc propositio seruit, vt præcedentibus exemplis, sic sequentibus: quæ posteriora tractantur ex aduersis. Quid dico ex aduersis, quum vis immoderata, temperata, deficiens non secus aliud ab alio, atq; effusio, liberalitas, auaritia, disparantur? dicatur ergo locus à disparatis: cuius quidem roboris excessui & defectui prudentia solet adhibere temperamentum huiusmodi, vt nec laxet nimis, nec arctum nimis esse patiatur. Homines, viribus quamlibet valentes, si carent consilio & prudentiâ, per se franguntur & debilitãtur: contrà pręditi eo & sapientiâ, cõfirmantur à Diis & in maius prouehuntur: πρὸς γὰρ μεγάλα ἔργα μεγάλα δὲ ἰσχὺϊ ἢ τάχει, ἢ ὀξύτητι σωμάτων κομίζεται· ἀλλὰ βουλῇ καὶ γνώμῃ, καὶ ἀξιώματι. *Res enim magnæ non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum geruntur: sed consilio, sententiâ & auctoritate.* Vnde Euripides,

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χερὰς νικᾷ, i.
Mens vna sapiens plurium vincit manus.

Quod Vlysses dicitur ab Homero solerter animaduertisse, sub finem Ὀδυσ. Ν. sic affatus Mineruam, quum pararet dimicationem prælij cum Procis,

Αἰνέ μοι ὡς μεμαυῖα παρεστάμεν γλαυκῶπι,
Καί κε τεσσεράκοντα ἐγὼν ἀνδρῶν μαχοίμην
Σύν σοι, πότνια θεά, ὅτε μοι περιφάσσ' ἐπαρήγοις, i.
Si mihi sic, ô cæsia, vt antè ad Ilium, ex animo adesses,
Fretus tuâ ope cum trecentis viris manum conferam.

Notæ Scholiastes hîc tales sunt, *Vlysses profitetur se fore superiorem trecentis* viris, vniuersoq; ipsorum agmine σὺν Ἀθηνᾷ, τυτέστι μετὰ τῆς φρονήσεως, i. *ope Minervæ*, id est, adiutrice prudentiâ. Has sententias tam Græcas, quàm Latinas & ipsarũ verba imitatus & interpretatus est Michael Hospitalius Franciæ Cancellarius epist. lib. 2. ad Lancelotum Carlum Episcopum Rhegiensem, cuius est initium, *Ibis, amice, tuo,* &c. ad vers.

—*Sed enim mens optima longè*
Pars hominis, quâ fretus, iuuerni corpore quum sit
Impauidoq;, tamen late dominatur, & vnus
Cuncta regit, toto quæ sunt animantia mundo,
Et viget ingenium per se sine viribus: expers
Consilij vis mole suâ ruit, & malè perdit
Incautos: vt aper recto in venabula cursu
Fertur, & obiectum capit intra viscera ferrum;
Læuus quod poterat nullo vitare labore.

14 Prior pars huius dissensionis confirmatur testimoniis Gyæ, Orionis, filiorũ Terræ, Tityj & Pirithoi, qui cruciantur in exstincto igne, montib. cooperti oẽs.

Enarratio Grammatica.

Descende cælo.] Sic Homer. per aduerbium de loco exprimit huiusmodi descensum, Ὀδυσ. ζ. sub fin.

Ἤ τις οἱ ἀξαμένῃ πολυάρητος θεὸς ἦλθεν,
Οὐρανόθεν καταβάς. id est,
Aut ipsi quispiam supplicanti multum, exoptatus adsuit,
E cælo demissus. Ad verbum, *cælitus*, si dictio bonis Latinitatis auctoribus esset vsu trita. Idem ἰλιτικῶς dicit Iliad. ω. vers. 329. Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν πόλιος κατέβαν. *Sed vbi ex vrbe illi descenderunt.* Contrà Xenoph. καταβαίνειν ἀφ' ἵππου, quod Gaza interpretans illud de senectute: *Quum Masinissa ingressus iter equo, ex equo non descenderet,* reddit posterius incisum. ἀφ' ἵππου ἐδάμη καταβαίνειν, Xenophontem imitatus.

Regina Calliope.] E Diodori lib. 5. cap. de gestis Dionysij licet animaduertere, cur hæc Musa vocetur Regina: *quia,* inquit, *suauitate cantus longè cæteris antecedebat:* & certè eò descriptionis notatio vocis adduxit historicum: ἡδύ ἔπος, ὁπὸς, quam interpretatur Cicero & vocem & cantum, & comparatiuus καλλίων constituunt hoc nomen, quòd aliis præstet ὀπὶ καλῇ, vt Homerus loquitur de Musis, quæ dicuntur ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ, cui appositè conuenit epithetum πολύμυθος, facunda

cunda & orationis abundans. Eadem κατ' ἐξοχὴν appellatur ab Homero initio Iliad. α. Μοῦσα θεὰ, &c. vbi Scholiastes annotat: communi quidem nomine alloquitur Musam, sed qualitate dictionis præmonet, non aliam intelligi Deam: solæ enim Musæ canunt. Deam igitur quum dicit, intelligit Calliopen. Eódem spectat, quod Hesiodus scripsit in Theogonia post cõmemorata Musarum nomina:

Καλλιόπη θ' ἥδε πρεσφερεστάτη ἐστὶν ἁπάσων.

Et Calliope omnium præstantissima. De Musarum origine lege Oden 24. in Rhetoricis leuiter notata lib.1. & de nominibus ac sedibus Oden 26. lib. eiusdem.

Melos.] Hanc vocem à Græcis mutuati sunt Latini eiusq; plurali mele Lucretius sępè vtitur facto à τὰ μέλη plurali contracto. Prætereà μέλος sic Agellius distinguit à ῥύθμος lib.16.cap.18. quòd hic sit longior mensura vocis, μέλος autem altior: quæ distinctio ferè conuenit cum Aristoxene Musico, qui rationem vocis tribuit in ῥύθμων & μέλος ἑμμελὲς, quorum prius modulatione, id est, longiori mensurâ vocis; posterius verò canore & sonis constat, id est, altiore mensurâ vocis.

Auditis?] Sic Callimach. εἰς Ἀπόλλωνα, ὑποδημοῦντος τοῦ Θεοῦ τοιοῦτο φησὶν, *adueniente Deo tale dicit*, mutato corporis sensu: —οὐχ ὁρᾷς; ἐπένδοσιν ὁ Δήλιος ἥδύ π.

Non vides? suaue quid annuit palma Deliaca.

An me ludit.] Hoc verbum ita vt illud Virgil. accipe: *falsis imaginibus ludere quempiam:* id est, illi imponere.

Insania.] Est hîc fanaticus error & Poeticus furor, ἐνθουσιασμὸς, Poetæ tamen iucundus. Sic loquetur Ode 19. huius, de compotatione ad numerum Musarum: *Insanire iuuat.* Hoc autem verbum *insanire*, ac inde inclinata, tam latè patet quàm error mentis in rebus subiectis. Ita Cic. Epist. 31. lib. 13. Att. scribit eum insanire, qui aliquid emat pluris, quàm quanti sit: & Menalcas Eclogâ 3. ad Dametam, qui valdè impar vellet secum cantu certare, dicit:

Insanire libet quoniam tibi, &c.

Audire videor.] Supple Musas post Calliopen primùm deuocatam: vel hanc ipsam intellige iam cantantem & errantem per lucos, in quibus Dij sunt frequentes, & quos riuuli dulcis aquæ perfluunt, ac tenues auræ perflant.

Amœnæ aquæ.] Possunt explicari plenæ voluptatis, vt Seruius in vers. Aen. 5.

—*Amœna piorum Concilia, Elysiumq; colo.*

Amœna sunt, inquit, *loca solius voluptatis plena, quasi amunia: vnde nullus exsoluitur fructus; vnde etiam nihil præstantes immunes vocamus.* Ita Ode 17. lib. 1. *Amœnum Lucretilem:* Ode 3. lib. 2. *Flores amœnæ roseæ.* Epist. 1. lib. 1. *Baias amœnas:* Epist. ad Pisones: *amœnos agros* dicit.

Vulture.] Vultur est mons Apuliæ, vbi natus & institutus est Poeta.

Limen Apuliæ.] Poeta vtitur inconstanter quantitate huius vocis: Satyrâ enim 5. lib. 1.

Incipit ex illo montes Appulia notos Ostentare mihi.

producit duas priores: hîc alteram corripit. Præterea videtur poeta vsus primigenio pro inde orto, Altricis Apulianæ; si referatur ad nutricem ipsius Apuliam. Iudicio expendat Lector hunc præmonitum & conferat cum notis Rhetoricis, multum hîc implicatis. Est autem Apulia regio Italiæ mari Adriano contermina inter Dauniam & Calabriam, dicta etiam Iapygia: quam flatu pestilenti afficit Atabulus, ventus calidissimus, de quo dicetur Satyra 5. lib. 1. si Deus voluerit.

Fatigatumq;] E Seruio fatigatum corpore dicimus, animo verò ressum. Idem discrimen Fronto vetus Grammaticus notauit; sed quod neglexisse Cicero videtur epistol. 1. lib. 14. ad famil. Terentiam, *Et literis multorum & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem esse, teq; nec animi, nec corporis laboribus defatigari.* Cornel. Celsus lib. 1. cap. 2. videtur definire lassitudinem grauitate corporis & fatigationem nimietate laboris, quum scribit, *Exercitationis autem plerumq; finis esse debet sudor, aut certe lassitudo; quæ citra fatigationem sit, idq; ipsum modò minus, modò magis faciendum est.* Hoc Gallicè redditur: *Lassé du ieu & abbatu de sommeil.* Traiectio autem est copulæ, *que*, pro, ludo somnoque fatigatum: vel est Ellipsis alterius palumbes texêre, id est, operuerunt me ludoque somnoque fatigatum, id est, oppressum.

Fronde nouâ.] Pro viridi & recenti, in qua maior vis inest sopiendi, quàm in arida & veteri.

Palumbes.] Palumbes sunt sacræ Veneri, vt passeres, quòd aues sint libidinosæ & salaces: sic 6. Æneid. dicitur Æneas geminas colũbas agnouisse maternas aues. Est tamẽ genus palumbi, quod torquatum nominatur, expers exstimulationis ad Venerẽ, de quo sic fecit Martialis, *Inguina torquati turdant, hebetantq; palumbi,*

Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Hæc Græcè dicitur φάσσα ἢ φάσσα, vt prænonui in Gram. odes 2. lib. 1. sicut passer στρουθὸς τὸν ὃ παρακλῆ), i. deflectitur autem hoc ὥδε· τὸ μὲν ὄϊστρος ἐστὶ πρὸς Ἀφροδίτην ὄρεξις, i. *quòd velut oistro exstimulata auis accurrat ad Venerem.*

Mirum quod.] Id est, quam rem omnes mirabantur, nempe quemadmodum dormirem & premerer, id est, tegerer sacrâ lauro copiosè iniectâ. Itaq; τὸ, vt hîc modum, nõ finem, admirationis designat. Hoc expositionis genere post *texêre*, opus est notâ mẽbri, non periodi.

Acherontiæ.] Acherontia erat paruum oppidũ in vertice montis Lucaniæ, vt nidus auis in vertice arboris, situm, sicut Bantini à Bantia oppido Apuliæ Venusinę contermino: vnde Plin. li. 3. nominat flumen Bantinũ cap. 11. Item Ferentum est oppidum Lucaniæ in valle situm, vnde dicitur humile.

Viperis.] De vipera dictum est Ode 8. li. 1. Addam tamen è fine lib. 9 hist. animal. Aristot. sententiam, & in Latinum sic vertam: *E' serpentibus vipera vbi primùm ouа in se genuit, foras edit viua; sed ouum est, vt pisces, vnicolor & molliter tectum, atq; fœtus sursum luctatur, nec illũ tenet comprehensum testaceus cortex, vt neq; ouа serpentũ. Parit autem paruas viperas in pelliculis quæ tertio die rumpuntur. Interdũ tamen ipsis intus exesis exeunt. Possunt quotidie singulas edere: non autẽ plures pariunt quàm viginti. Aly verò serpentes edunt ouа inter se cohærẽtia qualia sunt mulierum monilia. Quũ autem pepererunt, humi fouent, & ipsa exeluduntur anno sequẽti.* Seruius Georg. 3. —*aut mala tactu*

Vipera delituit, cælumq; exterrita fugit.

annotat: *Gaudet tectis, vt sunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini Genios vocant.* De viperis aliisque serpentum generibus lege Bœotica Pausaniæ in sectione 303. Sed interpretationem loci præstat iis subscribere, qui libro carebunt: *Affirmant incolæ Heliconis, earum, quæ ibi nascũtur, herbarum aut radicum nullas omnino esse homini mortiferas: quin & serpentũ virus loci huius pastionib. infirmari; atq; adeo, vt si quem serpẽs vlla momorderit, is vbi vel de genere Psyllorũ, qui in Africa sunt, quemquam, aut aliquod ad id effectum medicamentum nanciscì potuerit, facilè periculo liberetur. Est alioqui teterrima cuiusq; serpentis venenum & homini & cæteris æquè animantibus per se lethale. Fit autẽ illud ex pabuli natura ad perniciem valentius. Audiui siquidem Phœnicem hominem, qui diceret in montana Phœnices regione radicum quarundam pastu viperas magis efferari. Quinetiam se vidisse hominẽ affirmabat; qui, vt insequẽtis viperæ impetũ declinaret, in arborem quandã se celeri fugâ receperit, viperamq; pòst paulo, quũ assequi hominẽ non posset, venenũ arbori afflasse, & hominẽ mox viuere desisse.*

Collataq; myrto.] Coactâ & congestâ & ad me tegendum

dum collectâ, vt Epistol. ad Pison. dicet *collatis membris.*

Animosus.] Id est, μεγαλήτωρ, θυμώδης, ἢ ἄφοβος, ἄδειμαντος, *impauidus, intrepidus & imperterritus* contra feras in solitudine nemoris.

Infans.] Infans hîc dicitur sine discrimine, qui antè puer dictus fuit.

Camœnæ.] Camœnas Grammatici notant à cantu rerum amabilium, vt Seruius in hunc Eclog. 3. vers.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Festus tamen à castitate mentis, cui Musæ præsunt: vnde vetereς dicebant Casmœnæ: sed posteri elisò s pronunciarunt Camœnę διὰ τοῦ τῦ μέσου συλλαβῦ μονοφθόγγως ἠχεῖν, *per vnum mediæ syllabæ sonum.*

Arduos.] Hæc Epitheta, *arduos & supinum*, id est, humile, ad situm & habitum locorum, vt *frigidum & liquidæ* ad qualitatem, referenda sunt. Sensus est: quocunq; abiero, & vbicunque fuero, me totum vobis consecro tradoq;, & è vestro præsidio pendeo. De hac studiorum iucunditate & vsu Cic. multa dicit in oratione p. Arch.

Sabinos.] Plin. hos populos in iugis Apenninj collocat non longè à Roma, & Grâmatici notant ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, à cultu diuino: alij à quodâ Sabo gentis auctore.

Seu.] Xylander vult hîc τὸ *seu* aduersatiuam esse particulam non distributiuam, quasi Præneste, Tibur & Baiæ in Sabinis essent, quod è topographia non est verum. Quæ quidem obseruatio etsi verisimilis est, non obstat tamen nostræ Dialecticæ, vbi Poeta pollicitus est, se vbique terrarum celebraturum Musas, in gratiam talis conseruationis.

Præneste.] Oppidum est Latij in loco edito situm, vnde Festus notat à præstando & præeminendo montibus, & ita à Virgilio vocatur altum, vt hîc frigidum, quòd à Borea perflatur: alij ducunt à conditore Præneste: alij deriuant ἀπὸ τῶν πρίνων, ab ilicibus, quibus est plenè consitum. Alij denique παρὰ τὸ πρανὲς, *à præcipitio:* quod postremum confirmat situs ipsius.

Tibur.] De Tibure legè Od. 7. lib. 1. & 18. eiusdem.

Supinum.] Videtur Porphyrio interpretari ὕπτιον τὸ ὑψηλὸν, quum dicit situm vrbis esse in ascensu montis: vnde *supinum* sumitur pro *altum.*

Baiæ.] De Baiis fuit Ode 18. lib. 2.

Philippis.] De Philippis etiam dictum est Ode 7. li. 2. sicut de casu arboris infaustæ fuit præcipuè Od. 13. l. 2.

Deuota.] Dictio est tam in bonam, quàm in malam partem. Hîc pro destinata Diris & exsecranda, detestabilis sumitur.

Palinurus.] Est promontorium Lucaniæ à Palinuro classis Troianæ gubernatore nominatum, quem somnus demersit in mari ex 5. Aeneid. In huius autem loci vicinia Horatius rediens è Macedonia in Italiam ferè demersus est.

Vtcunque.] Non tam hîc tempus notat, vt sæpiùs apud hunc Poetam, pro quandocunque, quàm modum & formam, pro, quocunque modo mecum eritis.

Bosporum.] De Bosporo lege Oden 13. li. 2. qui insanire dicitur hîc furore & impetu fluctuum & ventorum.

Assyrij.] Intelligit extremos fines arenosæ Assyrię sic calere, vt viatores illic æstu intereant soluti.

Britannos.] Hanc in hospites feritatem & immanitatem Britannorum optarem testimoniis historicorum confirmari: optationis meæ ratio est, quòd è Virgilio didicerim Eclog. 1.

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

& 8. Aen. —*Exremosq; hominum Morinos.*

vnde coniicio Britannicam insulam minimè diuersoriis atque hospitibus recipiendis idoneam. Potio quoque sanguinis equini non est mihi testata satis, vt eam credam vsurpatam à Concanis, Hispanicæ Cantabriæ populis, de quibus vide Ptolemæum lib. 2. Ob hanc dubitationem quidam malunt hîc intelligi Scythas vino destituros, qui sub finem Georg. 3. dicuntur γαλακτοφάγοι καὶ ἀϊματοπόται:

Biſaltæ quo more solent, acerq; Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

quorum Geloni sunt populi sagittarum periti. Ideoq; Virgilius eos vocat 8. Aeneid.

Hîc Lelegas, Carasq;, sagittiferosq; Gelonos
Finxerat.

Eamque ob rem, vt puto, idem eos vocat Georg. 2.

Eoasq; domos Arabum, pictosq; Gelonos.

& pellibus hostium induti, sicut ipsorũ equi: qui Tartari & Getæ hodiè dicuntur.

Amnem.] Tanain intelligit, quo distinguitur Asia ab Europa.

Militiâ.] Controuersa est hæc vox apud Grammaticos, quorum alij illam construunt cum adiectiuo *altum*, vt Augustus significetur altus militiâ, id est, bellicâ laude florentissimus: alij coniungunt cum *fessas militiâ cohortes*, quas abdidit oppidis ad vires otio & quiete reficiendas: quomodo dicitur *fessus bello*, & Cicero *fessus de via*: & Terentius in Eunuch. Act. 5. Scen. 7. *defessa iam sum misera de te videndo.* Sed tum ego censerem hanc defatigationem aptiùs Cæsari tribuendam, quàm ipsius cohortibus, & fessus legendum, vt verba recreandi & finiendi labores videntur postulare. Veruntamé vtramlibet, vel potiùs quamlibet harum, Syntaxin sequaris; non sanè magni intererit.

Pierio.] Pierius mons Thessaliæ porrigitur in Macedoniam, de quo Strabo lib. 10. & Plinius lib. 4. vnde Pierides Musæ nomen inuenerunt: quas Hesiodus deuocat initio Operum:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι.

Moschopulus in hunc versum notat, Pieridas vocari à monte Pieria, vbi colebantur & natæ erant, vt apud Strabonẽ scribitur loco citato. Eustath. in vers. Iliad. ξ.

Πιερίδων δ' ὄπιθεν καὶ ὑμαθίδων ἐρατεινῶν, id est,

Iuno autem Pieriam ingressa & Emathiam amœnam.

annotat, Pieriam nonnulli verticem quemdam dixerunt Olympi: alij à Nympha eiusdem nominis: alij à Piero Eleutherij filio: alij vrbem.

In quem versum lege Scholiasten Tzetzen de Pieridibus. Hinc studium Augusti in Musas perspicitur: ad quod videtur adhortatus suo exemplo Tiberium, vt scribit Suetonius in huius vita cap. 21. *Vale iucundissime Tiberi, & rempere feliciter, ἅμιλλαν καὶ τοῖς Μούσαις στρατηγῶν, mihi & Musis pro temporis conditione milita.* Sequor hîc scripturam receptam.

Vos lene consilium & datis & dato.] Licentia est Poetica: quæ relinquit post duos pedes duas breues syllabas in cæsura pro vna longa: vt quidam excusent, crasin ibi constituunt: alij conuersionem vocalis in consonantem, vt in *ariete & abiete* similibus.

Gaudetis.] Bene dixit de re data *gaudetis*: quia propriis gaudemus, etiam è domino nostro egressis, per liberalitatem: gratulamur autem alienis, ait Donatus in Heaut. Act. 4. Scen. 8.

Almæ.] Hoc epithetum, à facultate alendi dictum, variis tribuitur rebus, vt *alma Ceres, alma tellus, almæ vites, almæ Musæ.* Donatus in Act. 2. Scen. 3. vers. 31. Eunuch. *Neque quenquam esse hominem arbitror, cui magis bonæ felicitates omnes aduersæ fient:* annotat: *in bonæ felicitates ἔμφασις est: eò quòd felicitates pluraliter posuit, & intellexit magnas & nimias:* Deinde addit: *Epitheta autem tribus de causis nominibus adduntur: discretionis, proprietatis, ornatus. Discretionis: Phrygiæ molimur montibus Idæ. Proprietatis: vt terri-*

bili

bili impexum setâ & dentibus atris. Ornatus: Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam: Quò licet addere, quemadmodum Græci hanc vocem *almus* latè explanent: *λυτός, ἁγνὸς: ὡραῖος, θρεπτικὸς*; &, si quid amplius per coniecturam, Musæ dicuntur fortassis almæ à virginitate, quam sonat עלמה *Ghalmah*, ab occultãdo; quia virgines non debent patere viris.

Vt impios Titanas.] Particula *vt* dicit hîc, vt paullò antè, *vt tutò*, modum, non finem. Titanas autem impios appellat: qui *Θεόμαχοι* fuerunt & contra Deos belligerarunt. De his vide Diodorum lib. 4. cap. 5. & Theogoniam Hesiodi, & 3. de legibus. Etymon autem vocis *Titan*, videtur Seruio in Aeneid. 6. vers. *Hîc genus antiquũ, &c. Ἀπὸ τῆς πίστεως*, ab vltione: sed melius est *παρὰ τὸ πτάνειν*, ab vlciscendo & audenda vltione, quam quidem ausi sunt filij Titanis, qui de nomine Titanis vocabantur Titanes. Sed vt ratio huius vltionis tibi notior sit, Cælum & Vesta, de qua Ode 2. lib. 1. id est, terrã, finguntur binos liberos habuisse Titanem & Saturnmu: quorum maior natu perspiciens fratrem Saturnũ potiores partes apud matrem & sororẽ habere, statuit ius suum primogeniti fratri cedere, eâ lege & conditione, vt Saturnus nullam prolem masculam, quam susciperet è Vesta, educaret, & ita hereditas Cæli patris ad se & ad suos tandem rediret. Sed violatâ pactionis fide ab Ope, id est, Vesta, quæ clam primùm Iouem, deinde Neptunũ, postremò Plutonem curauit educandos; Titan desperauit recuperationem paternæ hereditatis. Itaq; *ἤρξαλο πτάνειν, incepit vlcisci*, & vnà cum suis liberis bellũ gessit cum Saturno, quem vicit & in arctissimã custodiam cum matre sua & sorore inclusit: quem postea Iupiter ærate progressus liberauit, & Titanas, licet patrueles & legitimos Cæli hæredes deturbauit ad ima terræ Tartara, vt Virgilius 6. Aeneid. canit:

Hic genus antiquum terræ Titania pubes
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

Titanes igitur ad quinq; & quadraginta, quot Cælum suscepit è Titeia, id est, è terra, conati sunt frustra Theomachiam: quam postea Gigantes redintegrarũt, montes montibus imponentes, orti è sanguine Titanum & Terra, vnde dicti sunt, *ὅτι ἐκ τῆς γῆς ἐγένοντο*. Ita Callimachus hymno in Iouem *πολυγόνους* vocat *παρὰ τὸ ἐκ πολλῶν γενέσθαι, τοῦτ' ἔστι τῆς γῆς*, ait Scholiastes, *quòd è limo terræ sint efficti*: & certè fabula hæc ex vera Mosis historia de primorum hominum creatione & de turris Babel ædificatione videtur depromta.

Immanem.] Id est, feram & barbaram, quam montes fulmine Iouis subruti oppresserunt.

Inertem.] Inertem hîc interpretor brutam, immotam & iacentem, quæ, nisi colatur, proscindatur, omnisque laboris genere exerceatur, ignaua & infructuosa manet.

Diuosq;] Ostenditur hîc, quàm maximum, quámque latissimum Iupiter habeat imperium, qui temperet, regat & gubernet hanc vniuersitatem.

Tendentes.] Verbum *tendo* vim habet deliberantis, ac præterea significantis pertinacem cõtentionem è Donato in Eunuch. Act. 4. Sce. 1. vers. 12. *Miles tendere*, id est, tendebat *inde ad tergium*: quod firmat explicatione vers. 552. libri 12. Aeneid.

Prosequi suisque viri summâ nituntur opum vi:
Nec mora, nec requies vasto certamine tendunt.

nempe alius in alium, vbi *ἐξηγητικῶς* coniunguntur *niti summâ ope* Sallustij more & *vasto certamine tendere*: vnde possumus interpretari *tendentes* per *conantes*. ideoq; postulat infinitum, vt, *tendunt extorquere poemata*, Epistol. 2. libr. 2. id est, conantur, quomodo accipitur Aeneid. 2.

Ille simul manibus tendit diuellere nodos,

vt his gradibus in cælum ingressi Iouem inde deturbarent. De his 1. Georg.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet, atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum.

Sunt autem Olympus, Pelion, Ossa, montes Thessaliæ ex Solino. Primus ibidem dicitur frondosus, hic opacus, & in Theog. *νιφόεις*, niuosus: quibusdam est in Macedonia, vt Didymo in Iliad. α. ad verba: Ὄλυμπα δώματ' ἔχοντες. Ὄλυμπος δὲ κατὰ μὲν Ὄμηρον ὄρος Μακεδονίας μέγιστον, ἱερὸν τῶν Θεῶν· κατὰ δὲ ἀλληγορίαν Ὄλυμπός ἐστιν ὁ ἐρανός, ἀπὸ τοῦ ὅλον λαμπὸς εἶναι· *Olympus secundùm Homerum mons est Macedoniæ maximus, templum Deorum: sed per allegoriam Olympus est cælum, ex eo dictum, quòd omni ex parte colluceat*; sicut Ode 1. lib. 1. iam fuit annotatum & alterum veriloquium additum. Iisdem Pelion est in Thessalia, Ossa in Thracia. Si verò fratres hi sunt, de quibus Virgilius ibidem dicit:

Et coniuratos cælum rescindere fratres.

intelligendi sunt filij Nepruni Othus & Ephialtes, qui nouem digitos crescebant singulis mensibus, quâ proceritate corporis freti, voluerunt euertere cælum: sed confixi sunt sagittis Apollinis & Dianæ.

Typhœus.] Hęc vox variè à Grammaticis flectitur, Τυφῶν, ὁνος vel Τυφὼς, ὼος, εῖ, ὰ, dicunt Oratores. Sed Poetę Τυφάων & Τυφοεύς, vnde Latini reinuenerunt Typhonem, Typhona & Typhoea. Poetæ fingunt hunc esse *δαίμονα αὐτὸν παλαι τῶ Διῖ, καὶ ὑπηνῆσθαι Αἴτνῃ τὸ ὄρος, κατασβεσθεν κραταιῶς αἰαφυσῶν πυρός*· Dæmonem Ioui aduersarium, & huic impositam Aetnam montem, & ex imo per foramina euomentem ignem & cinerem. Dicitur autem *ἀπὸ τοῦ τύφειν, πυροῦν*, ab incendendo, de quo sic Ouidius 5. Metam.

Vasta Giganteis iniecta est insula membris
Trinacris, & magnis subiectum molibus vrget
Aetherias ausum sperare Typhoea sedes.
Nititur ille quidem, pugnatq; resurgere sæpè;
Dextra sed Ausonio manus est subiecta Pelori:
Læua, Pachyne, tibi: Lilybeo crura premuntur:
Degrauat Aetna caput, sub quare supinus arenas
Eiectat, flammamq; fero vomit ore Typhœus.

De hoc etiam Lactantius scribit, vt Pindarus Πυθ. εἰδ. α. & Hesiodus in Theogonia. Pindarus facit filium Tartari & Terræ.

Mimas.] *Mimas, antis*, fuit vnus ex Centauris ex Hesiodo in Aspide, quem ibi vocat *μελαγχαίτην Μίμαντα, nigris capillis Mimantem.*

Porphyrion.] Fuit etiam vastissimus Gigas, qui, quum boues Herculis abigeret, ab Apolline sagittis confixus est. De hoc Pindarus Πυθ. εἰδ. α. & Claudianus in Gigantomachia. Ratio huius vocis fortassis est eadem, quæ *τῶ Πορφυρεώνος* apud alios, *διὰ τὸ τὸ ῥύγχος φοινικοῦν a purpureo rostri rubore*, qui rectè cõuenit cum statura minaci, Gallicè: *Auec contenance de menasses & grougnerie.* De hoc Porphyrione lege Tzetzem in Lycophrone: quem, & Halcyonem, Apollodorus scribit accensis arboribus & emissis saxisque petiisse cælum.

Rhœcus.] Hic ponitur inter Centauros à Virgilio in fine lib. 2. Georg.

Bacchus & ad culpam caussas dedit: ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœcumq;, Pholumq;,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Rhœcus scribitur à quibusdam ad notationem vocis *ῥοικὸν*, id est curuum; fortassis eò spectãtibus, quòd Bacchus curuaturâ vnguium, & maxillâ leonis retorsit illum, vt Ode 19. libro secundo dictum est.

Enceladus.] Hic etiã Titanis & Terræ filius fuit, de quo sic 3. Aen. *Fama est Enceladi semustum fulmine corpus*
Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Aetnam
Impositam.

Si quâ

Si qua autem quærenda est ratio huius vocis: videtur mihi hæc ἀπὸ τοῦ κελάδου, à strepitu & tumultu nomen inuenisse: quo appellabatur etiam vnus equorum Neptuni Ἐγχέλαδος. Inde etiam κελάδων πόταμος *flumen resonans & obstrepens*, Gall. *bruyant*.

Audax euulsis.] Vsurpatur aliâ syntaxi, audax omnia perpeti, & audax ad facinus. Sensus est: Adeò viribus suis confidit, vt audeat euellere truncos arborum, & more teli iaculari.

Aegida.] Αἰγὶς, ίδος, vox Græca est ἀπὸ τῆς αἰγὸς à capra, cuius est propriè pellis, alio nomine dicta αἰγέη: sed sumitur pro amictu Iouis ex pelle nutricis suæ Amaltheę caprę: Inde pro munimento pectoris æreo, in cuius medio erat caput Gorgonis. Eustathius annotat in vers. Iliad. δ.

Ζεὺς ὃ σφὶν Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων,
Αὐτὸς ὑπαστέπησιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσι.

Iupiter ipsis Saturnius facta in alto ponderans & habitans incutiet nigrantem ægida omnibus.

Cognoscimus ex vi huius verbi ὑπασπίειν ægida esse ὅπλον σκεπαστὸν, μὴ βλητικὸν, *armaturam, quæ concutitur quidem, sed non emittitur*: possumus loricam dicere. Hic Virgil. 8. Æn. imitatus Homerum:

——*Arcades ipsum*
Credunt se vidisse Iouem, quum sæpe nigrantem
Aegidâ concuteret dextrâ, nimbosq; cieret.

Hinc Iupiter αἰγιόχος dicitur, quasi αἰγίδ' ἔχων, quòd clypeum gestet è caprina pelle factum, vel, vt alij volunt, ἐξ αἶξ καὶ ὄχος, *è capra & alimento*, quòd Amaltheа capra illum aluerit. Tribuitur etiam Aegis Palladi, sed quam Virg. 8. Æn. excudi à Cyclopibus scribit:

Aegidaq; horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squammis serpentum auroq; polibant,
Connexosq; angues, ipsamq; in pectore Diuæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Auidus.] Hoc epitheton ponitur hìc absolutè, vbi potes rectionem explere, cupidus bellandi, vel dicere artem Vulcani significari.

Matrona.] Sic Iuno dicitur matrona, quòd in matrimonium cum Ioue venerit à matris nomine: vel quòd præsit nuptiis, & inde pronuba vocetur. De quo vide Agellium l. 18. c. 6. De prærogatiuis matronarum vide Festum.

Positurus.] Ob eam consuetudinem arcus gestandi perpetuam passim dicitur ab Homero ἑκατηβελέτης καὶ ἑκηβόλος καὶ ἀργυρότοξος, *longè iaculans, argenteo arcu instructus.*

Castaliæ.] Castalius fons, qui & Libethria dicitur in radicibus Parnassi montis Phocydis locatur, Musis sacer, de nomine Castaliæ virginis illuc præcipitatæ metu, Apollinis persequentis. Græcè etiam Κασταλία πηγή, fons Caballinus, de quo sic tertio Georgicôn:

——*iuuat ire iugis, qua nulla priorum*
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo.

vbi Virgilius dicit per allegoriam, relictis aliorum fabulis, partem doctrinæ se traditurum adhuc intactam.

Lauit.] *Lauit* est tertiæ coniugationis temporis præsentis pro *lauat*.

Delius.] Ab insula Delo cognomen sortitus est Apollo, de qua fuit Ode 21. lib. 1. vbi Latona peperit Apollinem & Dianam, vt est initiò Theognidis. Addam maioris illustrationis gratiâ quod me Scholia parua in vers. Iliad. α. ex eo docuerunt: Λητὼ καὶ Διὸς υἱός, &c. initiò. Ζεὺς ὑπερφιάλῳ Λητοῦς, τῆς Κοίου θυγατρὸς ἐνὸς τῶν Τιτάνων καὶ Φοίβης, ἔγκυον αὐτὴν ἐποίησε, ἥτις δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ διανυομένῳ, ὠπτήσατο διὰ θαλάσσης πρὸς Ἀστερίαν τὴν νῆσον, μίαν οὖσαν τῶν Κυκλάδων· ἐκεῖσε δὲ ἐλθοῦσα, δρεψαμένη δύο φοίνικος, ἐλαίας, καὶ φοίνικος, διδύμους παῖδας ἀπεκύησε, Ἄρτεμιν καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ τὴν νῆσον ἐκάλεσε Δῆλον, ὅτι ἐξ ἀδήλου βάσεως ἐρρίζωσε. id est, *Iupiter amore captus Latonæ, filiæ Cœi, vnius è Titanibus & Phœbes, grauidam eam fecit. quæ decem exactis mensibus, per mare appulsa est Asteriæ insulæ è Cycladibus vni: quò vbi ducta est, decerptis duabus plantis, oliuâ & palmâ gemellos liberos peperit, Artemin & Apollinem, & insulam vocauit Delum, quod ex ignoto fundamento radices egisset.* Plutarchus tamen in vita Pelopidæ Delum non insulam, sed montem, & Apollinem non inter duas arbores, sed inter geminos fontes Palmam & Oliuam vocatos natum esse refert.

Patareus.] Patara fuit ciuitas Lyciæ, quam Strabo lib. 14. scribit ex Artemidoro numerari inter sex maximas vrbes, ac eandem Mela nobilitari delubro Apollinis, quondam opibus oraculique fide similem Delphico. Eandem quoque Dionysius in Periegesi narrat καλεῖσθαι ἢ ἀπὸ Πατάρου υἱοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Λυκίας τῆς Ξάνθου, ἢ ἀπὸ τῆς Πατάρας, ὁ δηλοῖ Ἑλληνιστὶ τὴν κίστην, ἤτοι κιβώτιον· *dicit aut à Pataro Apollinis filio, & Lyciæ filiæ Xanthi, aut à Patara, quæ vox Græcè significat arcam & scrinium.*

Vis consili.] Hoc videtur ex εἰδυλλ. η. ἱστορ. ια. Πυθ. Pindari. Βίᾳ δ' ἁ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ Τυφὼ Κίλιξ πολυκέφαλος· ὃν μὲν ἄλυξεν, ἀδὲ μὰν βασιλεὺς Γιγάντων. *Vis etiam subuertit tandem fastu tumentem Typhon: Cilix multiceps non eam effugit, neq; etiam princeps Gigantum.* Huiusmodi consilij remerè atque adeò impiè initi habes exemplum illustre cap. 15. vers. 21. Exod. de Pharaone; qui cum toto exercitu suo deiectus est in profundum. Non dissimilis est sententia Ilocratis. Ῥώμη μετὰ φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. *Robur cum prudentia coniunctum iuuit: sed sine hac plus ipsum habentibus nocuit.*

Gyges.] De hoc lege Od. 17. l. 2. vt de Orione Od. 18. l. 1. 13. l. 2. sicut de Orco Ode 18. l. 2.

Tentator, &c.] De Orione dictum fuit Ode 28. lib. 1. ad verba, *Me quoq; deuexi rapidus comes Orionis, &c.* & ratio vocis reddita. Hunc autem locum Gallicè interpreteris, *le tentateur de Diane & suborneur*; quem Græci ὁπλισμένον ἢ πειρατὴν, *qui la vouloit faire consentir à sa conuoitise, a esté dompté & vaincu par la fleche de la vierge.*

Notus.] Supple est.

Monstris.] Seruius in vers. Æn. 3. *Prodigium canit*, &c: annotat, hęc tria; prodigium, portentum, monstrum modico fine discerni; sed confusè pro se plerunque poni, vt nos alibi monuimus. Sed quod hìc dicit modico fine, id priùs expresserat in vers. Æn. 2.

Quum subitum dictuq; oritur mirabile monstrum.

annotans: *Monstri significatio ad præsens, vt origo ipsa præ se fert: prodigium autem in lõgum tempus dirigit significationem.*

Aetnam.] Aetna est mons Siciliæ πύριος, igne ardẽs, flammasque euomens, quòd cauernis & hiantibus rimis flatus ventorum æstuque fluctuum excipiat facilè & ardeat; vnde Hermogenes scribit τὸν Αἴτνιον ἔχειν ῥύακας πυρὸς, id est, *Aetnam habere profluuia ignis*: de cuius incendiis lege Lucret. lib. 1. & 6. de causis eorundem: ita Bembum in lib. Aetna: & defensionem Pontani contra Agellium de Aetna. Eadem describitur Pyth. Ode 1. Huius etiam meminit Aristoteles libro de Mundo: Virg. 1. Georg. ad vers.

Vidimus vndantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumq; globos, liquefactaq; voluere saxa.

vbi Seruius annotat: *Aetna mons Siciliæ non fumum, sed flammarum egerit globos: & vt dicit Liuius, tanta flamma ante mortem Cæsaris ex Aetna monte defluxit; vt non tantùm vicinæ vrbes, sed etiam Regina ciuitas afflaretur.* Idem l. 3. Æn. vers. 570. Postremò Iosephus Scaliger in Aetnam notauit, hunc montem hodie à Siculis vulgò Mongibello nomine corrupto vocari à Mulciber, bonamque ipsius partem refrixisse. Idem confirmat Ioannes Oliuarius in cap. 6. l. 2. Pomponij Melæ, vbi notat eundem montem hodie vocari Bolcar.

Tityi.] De Tityo repete notas in 14. Oden lib. 2. cuius iecur, vt fons libidinis, continenter à vulture exeditur apud Inferos: quia in Latonam stuprum conatus erat inferre. De quo lege notas Seruij in Æn. 6. versum:

Nec non & Tityon, &c. hunc locum citantis.

Pirithoum.] Pirithous Ixionis & Diæ filius, amator Proserpinæ, detinetur à Cerbero vinctus in Orco, quò descenderat cum Theseo ad eam rapiendam: de quo vide Plutarchum in Theseo, vnde disces historiæ veritatem.

Explicatio Rhetorica.

METrum conuenit cum nona lib. 1.

[a] Continuatur apostrophe, quæ fuerat instituta ad hæc verba præcedentis Odes: *quò Musa tendis?* Nam directus erat sermo ad amicos, quibus cum iam ab initio carminis egerat, & continenter in tertia vsq; ad hunc locum, & hîc rursus à Calliope ad eosdem cõtulit Poeta sermonem, quum ex illis quærit, *Auditis?* Hęc autem verba: *Descende cælo* habent allegoriam è continuatis metaphoris, pro, missos facias rerum diuinarum modos & cantus.

[b] Hæc vox ἀμφιβόλως videtur posita. Nam potest metonymia esse efficiẽtis pro effecto, quia de illis multæ fabulæ narrantur: vel, si construis cum *altricis*; propriè sumi pro nutrice varias infanti alumno fabulas narrante.

[c] Interpretantur extra domum ipsius nutricis. Itaque geminus est tropus: in *limen* synecdoche partis pro tota domo Apuliæ nutricis; & in *Apuliæ* altricis metonymia subiectæ regionis pro habitante nutrice. Est præterea metaphora ab ædium portis ad topographiã soli natalis Horatiani significandam: quo tropi genere Cicero etiam dicit, *vestibulum Siciliæ* pro introitu. Gall. *L'entrée de Sicile*, vt Pindarus Ολυμπ. 11. appellat.

Ολβίαν Κόρινθον ἰσθμίου θ' ὑπέρθυρον, i.
Beatam Corinthum Isthmij vestibulum
Et Peloponesi peninsulæ principium.

[d] Agnosco hîc synecdochen generis pro speciebus; lauro & myrto, vt posteà loquetur.

[e] Metaphora est nota ab auibus: qualis est Epist. 10. lib. 1.

Tu nidum seruas: ego laudo ruris amœni
Riuos.

pro custodis domicilium & ibi manes. Sic Hebraicum קִנֵּן *Kinnen*, i. fecit nidum & קֵן *Ken*, קִנִּים *Kinnim*, i. nidus & nidi trãslatè vsurpantur passim in sacris literis. Similis est tropus in operibus & diebus Heliodi cohortantis:

Οὐκ ἀεὶ θέρος ἔσται· πῦκα ποιεῖτε καλιάς.
Non semper æstas erit: componite & construite nidos.

Familiaris est omni nationi hic tropus: Gall. *ie garderay le nid: pour, ie garderay la maison.*

[f] Duplex tropus est: synecd. generis pro Apolline & Venere: & metonymia causarum pro latis auxiliis & tutela, protectione. Ita Græcè dicitur ὑπ' ἄτερ Θεῶν, pro quo Virg. 2. Æn. v. 778. *non sine numine Diuûm Eueniunt hæc.* & Odys. o. Τῶν αὖ δὲ Θεῶν. & Sophoclis in Aiace: μὴ Θεὸν μετὰ.

[g] Hæc continuè facta eiusdem vocis repetitio constituit Epizeuxin.

[h] *Seu* ter in principio incisorum iteratum epanaphoram facit.

[i] Synecd. est partis pro toto exercitu in fugã verso.

[k] Translatè quibusdam dixisse videtur Poeta, pro *interfecit:* sed ego, dum illud Ciceronis expendo: *Occidimus ipsi & extinguimur, refrigerato & extincto calore:* & alterum Virgilij:

Igneus est illis vigor & cælestis origo, Seminibus.

ac denique Terentij in Adelph. Act. 3. Scen. 2. *Seni animam primò extinguere ipsi:* existimo propriè dictum: quia melior pars hominis est ignis, & ille vigor igneus & cęlestis, qui propriè dici videtur, quum homo moritur, corpore exstingui, iudicio viuentium & videntium vacuitatem sensus ac motus.

[l] Hîc per metonymiam efficientis pro effecto è gubernatore significatur gubernatus vector. Hæc autem vox παθητικῶς sumitur.

[m] Synecd. est generis pro Tanai.

[n] Non hoc refertur ad staturam corporis proceram, sed, per metaphoram, dicitur à rebus procul apparentibus, pro, insignem gloriâ & vniuersali prædicatione ὑπέροχον, eximium principem.

[o] Metaph. à rebus accisis, vitiatis & corruptis, quæ refici, instaurari & renouari solent.

[p] Metonymia effecti pro sapientia, quæ homines lenes & mansuetos facit. *Vos* repetitum initio duplicis periodi facit anaphoram.

[q] De turma dictum est satis Ode 16. l. 2.

[r] Meton. est effecti pro demittente homines in casum, cuius propria notio fuit Ode 13. lib. 2. de ligno caduco.

[s] Synecdochica est periphrasis Iouis.

[t] Synecdochica est definitio Inferorum pro ipsis Inferis.

[u] Horrida dicitur metonymicῶς pro perfundẽtem alios horrore & terrefaciente.

[x] Synecdochicῶς dicitur pro viribus.

[y] Synecd. generis pro Gigantibus.

[z] Ita Olympus dicitur, quòd opaca præbeat vmbracula suis arboribus per metonymiam. Propriè dixit in Grammaticis Virgilius, frondosum Olympum.

[aa] Hæc subiectio videtur adhibenda: Titanes quidem & Gigantes viribus plurimùm omnium hominum valent; sed nihil ad Deos immortales.

[bb] Synecdochica est periphrasis Apollinis, qui nunquam ex humeris deponit arcum & pharetram.

[cc] Synecd. speciei pro aqua pura fontis Caballini. Quid autem sit ros vide Ode 4. lib. 1.

[dd] Anaphora est.

[ee] Sumtum est à nautis, qui porrò euehuntur in altum, vt Æn. 3. *Prouehuntur portu & pelago.* Sic translatè Cicero vsurpauit Philip. 13. *Ecquò te tua virtus? ecquò ingenium prouexisset.* Gall. *A quel estat, où à quoy t'eust auancé ta vertu? à quoy ton naturel?* ad quas dignitates te promouisset?

[ff] Metaph. est à rebus præter naturam & consuetudinem, pro Gigantibus terrâ matre obrutis fulmine.

[gg] Meton. est effecti pro efficiente pallidas vmbras & luridas: qualis est tropus in illo Ouidij.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Video luridum eum esse colorem, quem vocant Græci πολιδνὸν, σκληρόν, ἢ μετέχον τι ὠχροῦ καὶ μελανίας οἱονεὶ μολυβδώδη· liuidum, scilicet participem palloris & nigroris, tanquam plumbei: qualis apparet in suggilatis venis sub cute post ictum.

[hh] Metaph. est ab animantibus, pro, continenter verens non consumit.

[ii] Synecd. generis pro vulture.

[kk] Ego puto hîc esse speciem ironiæ, quæ postulat intelligendum contrarium, vt vultur sit illi perpetuus carnifex, tortor, vindex & vltor peccati appositus.

ODE

ODE V. AD EOSDEM AMICOS de laudibus Augusti.

Theticum.

Diuinos honores Augusto tribuendos esse; ob recuperatam ipsius virtute gloriam Romani nominis, per ignauos Licinij Crassi milites defloratam: quod multis antè annis Regulus prædixerat; &, periculo sui capitis dissuasâ huiusmodi militum redemtione; censuerat præcauendum atque prouidendum.

Caelo tonantem credidimus Iouem
Regnare: præsens Diuus habebitur
Augustus, adiectis [a] Britannis
Imperio grauibusq; Persis.
[2b] *Milésne Crassi coniuge Barbarâ*
[c] *Turpis maritus vixit? & hostium*
[d] *(Prò Curia, inuersíq; mores!)*
Consenuit socerorum in armis,
Sub Rege [e] Medo Marsus [f] & Appulus,
Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæq; [g] Vestæ,
Incolumi Ioue & vrbe Româ?
[3] *Hoc cauerat mens prouida Reguli,*
Dissentientis conditionibus
Fœdus, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in æuum:
Si non periret immiserabilis
Captiua [h] pubes. [4] Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus, sine cæde (dixit)
Diepta [i] vidi: vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasq; non clausas, & arua
[k] Marte coli populata nostro.
[5] *Auro [l] repensus [m] scilicet acrior*
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: [6] neq; amissos colores
Lana refert medicata fuco:
[7] *Nec vera virtus, quum semel excidit,*
Curat reponi deterioribus.
[8] *Si pugnat [n] extricata densis*
Cerua plagis; erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus?
Et [o] Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitq; mortem?
[9] *Hic, vnde vitam sumeret inscius,*
[10] *Pacem duello miscuit. [p] O pudor.*
O magna Carthago probrosis
Altior Italiæ ruinis.
[10q] *Fertur pudicæ coniugis osculum,*
Paruosq; natos, vt [r] capitis minor,
A se remouisse, & virilem
Toruus humi posuisse vultum.
Donec [s] labantes consilio Patres
Firmaret auctor nunquam aliàs dato:
[11] *Interq; mærentes amicos*
Egregius properaret [t] exsul.
[12] *Atqui sciebat, quæ sibi barbarus*
Tortor pararet: [13] non aliter tamen
Dimouit obstantes [u] propinquos,
Et populum reditus morantem:
Quàm si clientum longa negotia
Diiudicatâ lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Analysis Dialectica.

THeticum explicatur primùm ex adiunctis honoribus, qui gloriæ Romanæ, cladibus superioribus amissæ; recuperationem consequentur; & comparatione minorum sic tractantur: Si maiestatem Iouis, summumque eius imperium solùm ex audito tonitru & fulminis aspectu facilè cognoscimus: multò certè facilius diuinitatem Augusti exploratam habemus, intuentes plenius & apertius in præsentem ipsius potentiam & victorias: quibus opprobria veterum cladium deleuit, & nunc non minùs est hostibus Romanorum terrori, quàm Iupiter hominibus suo tonitru atque fulmine. Verùm, si quis fortè putet, hac contentione priori numen Iouis nimium tenuari; versum enũcier, vt modò factum est ad verba: *nunc non minùs, &c. ἀπὸ τῆς ἐγκρίσεως ἴσον. Si priùs Iouem credidimus è tonitru ac fulmine esse vniuersitatis auctorem & rectorem; id. oq; pertimescendum ac colendum: nunc etiam credamus virtutem Augusti bellicam maximis & amplissimis laudibus prædicandam, diuinisq; honoribus decorandam, post tot partas victorias.* Antecedens propositionis potest firmari testimonio ipsius Augusti, qui sic persuasus tonanti Ioui ædem consecrauit liberatus periculo, vt est videre apud Tranquillum in illius vita cap. 29. Mirabilis quidem certè fuit hæc Cæsaris apotheosis: quam etiam viuus à Romanis assequutus est, nulli anteà; nisi post mortem, tribui solitam: nec eam solùm à Romanis, sed ab exteris etiam habuit, vt refert Suetonius in ipsius vita: *pleræq; prouinciarum templa & aras constituerunt: quòd aliis post mortem tantùm contigerat.* Sed inter alias prouincias Dio lib. 51. memorat, Pergami in Asia; Nicomediæ in Bithynia viuenti Augusto constructa fuisse templa. Huic tamen Suetonius cap. 52. in ipsius vita tribuit modestiam, *vt templa nulla in prouincia, nisi communi suo Romaq; nomine receperit, sicut postea facile perspectum est ex inscriptionibus numismatum & marmorum Rom. & Aug.* Illam autem ἀποθέωσιν existimo è beneficiorum gratia profectam, iuxta prouerbium: *Homo homini Deus.* De huiusmodi consecratione Augusti maior est assentatio Virgilij primùm in Tityro, quanquam Seruius annotat iteratione excludi adulationis colorem:

O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit:
Namq; erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

deinde primo Georg.:

Tuq; adeò, quem mox, quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum est, vrbísne inuisere, Cæsar,
Terrarúmne velis curas. &c.

Vbi Poeta se fingit addubitare, quod genus diuinitatis sibi Cæsar delecturus sit, & in quorum Deastrorum ordinem recipiendus: Superorúmne, an Inferorum; Terrenorum, an Marinorum; reiecto tamen Inferorum ordine fingit ex opinione Chaldæorum in zodiaco ponentium vndecim signa, locum vacuum & oblatum Augusto inter virginem, quam Erigonem vocat, & Scorpium, qui duo signa priùs tenuit & vtriusque loco fuit, i. sexaginta gradus: Libra tamen posteà locum signi duodecimi sortita est, non Augustus.

2 Apodosis superioris comparationis, quæ est, vt Augustus ex manifestis & præsentibus victoriis, virtute, summisque in Rempub. beneficiis, tanquam Deus colatur, sic loco aduersorum illustratur: Licinius Crassus Imperator & dux Labienus atque exercitus minuerunt auctoritatem & gloriam Romanæ gentis, & ignauiæ turpitudine notarunt: Augustus contrà illam rebus præclarè ac fortiter gestis ornauit & amplificauit, & Romam fecit orbis dominam. Pars autem prior huius oppositionis declaratur ex adiuncta primùm barbarorum affinitate, quâ milites Romani turpiter deuincti & redemti vixerunt, & ibi consenuerunt sub eorum regibus: deinde amplificatur adiunctâ obliuione integri status Romani, cuius incolumitas summo debet illis esse pudori.

3 Eadem rursus confirmatur prædictione, & quasi vaticinio Reguli, qui iam longo antè tempore animo præuiderat & præsenserat in suo simili casu huiusmodi ignauiam militum genti Romanę ignominię & dedecori futuram, nisi grauissima supplicia de ea sumerentur maturè.

4 Eadem prædictio repetitur: sed quæ priùs visa est diuina, nunc humana testificatio & oculata ostenditur personæ inductione.

5 Iam docet ex adiunctis, talem militum ignauiã & timiditatem, qui se hostibus turpiter dediderant, redemtione non esse alendam: quod esset malo malum addere, & turpitudini damnum. Sic Plato lib. 5. de Repub. præcipit ei, qui viuus ab hostibus fuerit captus, non procurandum redemtionis pretium, sed illum arbitrio hostium permittendum, vt, quicquid ipsi voluerint, in eum statuant.

6 Persuasio Reguli sic potest συλλογιστικῶς colligi: Virtus semel turpiter amissa non facilè recuperatur: exercitus meus flagitiosè ac turpiter eam amisit: illam igitur non facilè reconciliabit. Propositio argumentationis collatione similium, vt prosyllogismo confirmatur: Quemadmodum color pristinus & lanæ innatus, atque semel alio aduentitio infectus non restituitur: sic virtus semel amissa non facilè recuperatur. Protasis antecedit: quo similitudinis genere Quintil. vtitur l. 1. c. 1. ad demonstrandum sic *nos eorum esse tenacissimos: quæ rudibus annis percepimus*: vt sapor, quo noua vasa imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.

7 Apodosis sequitur de virtute irreparabili. Verùm hîc intellige militarem virtutem, non moralem; nec multò minùs illam Stoicam, quæ nunquam excidit, sed in mediis ignibus exsultat & triumphat. Vis autem assumtionis fuit anteà ex testimonio Reguli ad hæc verba, *arma militum sine cæde derepta vidi*. Seruius in hunc vers. 367. lib. 2. Æneid. contrariæ huic sententiæ.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus, affert hunc locum Horatij, *non obstat*, ait, *quod Horatius contradicat, Nec vera virtus, quum semel excidit, Curat reponi deterioribus.* Nam sententiæ mutantur pro negotiorum & temporum qualitate: Huc accedit quod Virgilius non, vt Flaccus, generatim loquatur: quia dicit *virtus redit quondam*, i. aliquando.

8 Approbatio est complexionis è paribus: miles redemtus perinde pòst vitabit hostem, atque cerua retibus & plagis soluta venatorem: atqui cerua laqueis expedita fit timidior & fugacior: vt vulgò dici solet, *felis semel vstus, in ollam seruentem cauet immittere vngues:* Ergo & miles auro repensus fiet ignauior & timidior. Quod hîc dicitur de cerua, prouerbium in collectaneis Plutarchi id pronuntiat de Vulpe, Ἀλώπηξ διαφυγοῦσα πάγας αὖθις οὐκ ἁλίσκεται, i. *Vulpes euitatis semel laqueis non denuò rursus irretitur*: quod Dauus obiicit hero suo Sat. 7. l. 2.

—Quæ bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se praua catenis?

Eódem pertinet ὁμοίωσις in Epist. 4. Isoc. ad Philippum regem Maced. de Diodoro. Διόδωρος ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ παραπλήσιον ἐμοὶ πεπονθὼς τῷ παλαιῷ τῶν πλουτούντων τινί, οἳ πρῶτον ὅταν χρήσωνται χειμῶσιν ὑπὲρ δυνάμεως ἐμβαίνουσιν εἰς τὴν θάλατταν, καίπερ εἰδότες, ὅτι καλοῦ πλοὸς πολλάκις ὄντος χεῖν δεῖν: *simile quid mihi videtur (Diodotus) passus quibusdam nauigantibus, qui quum primùm tempestatibus fuerint agitati, non amplius audent se committere mari: quamuis sciant nauigationem incidere sæpenumerò secundam: cui est simile,* ἁλιεὺς πλεῖς νέον οὐδεὶς, *piscator ictus sapiet.*

9 Describitur talis miles ex effectis ignauissimi hominis, qui pacem cum hoste turpem & infidam fecit, quâ vitam suam existimauit posse conseruare, & tueri, pro eo, ac debuit illam victricibus armis defendere cõstanter, vel fortiter pugnando amittere pro libertate & salute communi, ac illustrem & glorioſam mortem obire. Regulus argumentatur ex efficiente sine qua nõ: quia Carthago ex ea mollitie & ignauia potentior fit: quod alioqui non contigisset. Itaque odium Senatus & inuidiam ille conflauit captiuis.

10 Iam ex effectis docet Regulum munus officij & constantiæ ac virtutis præstare: quale in aliis visus est desiderare: quòd vxorem pudicam carosque liberos ad osculationem & complexum venientes à se remouit & auertit, ὅπως ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἦν ἐκεῖνος τοῖς τῶν γυναικῶν καὶ παίδων: *adeò temperabat à lacrymis in ipso ab vxore & liberis discessu!* quòd vultum constantem & impauidum retinuit in tanto mœrentium conuentu: quòd Senatores dubitantes, quid statuerent de ipsius legatione, quid esset optimum factu, explicarent, admonuit, & quid esset pro dignitate & gloria Imperij Romani agendum.

11 Argumentum ex aduersis: amici, consilio huiusmodi dato, se mœrore conficiebant: ille contrà hilaris & lætus properabat ad carcerem & supplicium.

12 Hoc consilium disputatur è loco diuersorum: Quãquam M. Attilius Regulus sciebat reditum suum familię vehementer incommodaturum, & se ad hostes crudelissimos & ad exquisita supplicia profecturum; illum tamen non retinuit patriæ caritas, non supplicíorum metus & acerbitas. Hæc certè multùm valent ad augendam virtutis Attilianæ gloriam. Egregium sanè in Regulo exemplum illius viri boni, quem Plato vocat παράγωνον, in omnem partem, eoque maior est ipsius laus, quò plures aderant dissuasores reditus. Similis fuit Ciceronis sententia de partibus Pompeij tuendis, sed enunciata comparatè: *vt est in fabulis Amphiarai, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus* lib. 6. Epist. 6. ad famil.

13 Supe-

13 Superius argumentum confirmatur similitudine eódem pertinente: tanquam si patronus, longis negotiis clientum expeditus Romæ, in amœna suæ prædia se reciperet: sic Attilius in Africam iucundè properabat suâ voluntate, nullâ vi coactus præter fidem, quã dederat hosti: ob id Cicero lib. 2. de finibus illum anteponit potanti in rosa Thorio Epicureo.

Enarratio Grammatica.

Cælo.] Hic casus potest per ellipsim præpositionis *in* pendere ab infinito *regnare*, *in cælo*: vel à participio *tonantem* per ellipsim *de cælo*, id est, *cælitus*. Pro hac duplici syntaxi duplicem Græcè Iupiter est sortitus appellationem ὑψιμέδοντος καὶ ὑψιβρεμέτου ἢ ἐριβρεμέτου· *altè regnantis & immani fragore tonantis*. Pro quibus *Pindarus* Ὀλυμπ. ια'. Θ. Ἀστερ. βαιὸλοβρόντης dicit, & Apuleius vertit, conitrualis, ὅθεν τὸ εἰάλλειν, ἤγουν τὸ ποιεῖν καὶ τὸ τυχεῖν κινεῖν, i. *quòd variè ac citò concitet tonitru & fulmen*, atque illud, quò velit iaculetur & torqueat.

Credimus.] Cognouimus Iouem esse rectorem & moderatorem vniuersitatis ex tonitru, cuius vi concussa tremunt omnia. De hac autem notitia sic Cicero 2. de nat. Deo. *Nónne perspicuum ex prima admiratione hominum, quòd tonitrua iactusq; fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium præpotentem Iouem. Itaq; in nostris commentariis scriptum habemus: Ioue tonante, fulgurante.* Eódem spectat illud Lucani:

——*Per fulmina solùm*
Sciret adhuc solum cælo regnare tonantem.

Vbi notes verbis credendi & sciendi notionem illius Deastri in animis hominum per hæc media informatam significari: quanquam Donatus in prolo. Andriæ ita distinguat *credere* & *intelligere*, quod est idem atque *scire* & *certum esse*, vt illud sit sæpè falsum; hoc certum. Item in Eun. Act. 5. Sc. 1. *Credere est dubitantis; scire & certum esse fidentis.*

Præsens Diuus.] Non dissimili assentatione Epist. 1. l. 2. loquitur:

Præsenti tibi maturos largimur honores, i. viuo.

Adiectis Britannis imperio] Placet quibusdam, hîc ciuitates inferioris Germaniæ cis & trans Rhenum significari, quæ à Druso fuerant tum oppugnatæ. Videtur tamen Poeta cum historia Suetonij pugnare, qui in Claudio scribit c. 17. *Vt iusti triumphi decus acquireret, Britanniam potissimùm elegit: neq; tentatam vlli post D. Iulium & tũc tumultuantem ob non redditos transfugas. Quare à Massilia Gessoriacum vsq; pedestri itinere confecto.* Gallicè: *Iusqu'à Boloigne sur mer. Inde transmisit, ac sine vllo prælio, aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto quàm profectus erat, mẽse Romam rediit triumphauitq; maximo apparatu.* Idem historicus refert Caligulam cap. 19. excogitasse pontem ad æmulationem Xerxis, vt Germaniam, Britanniam, quibus imminebat, nempe tenens Batauos, id est, Hollandiam, alicuius immensi operis famâ territaret. Hic igitur locus intelligendus videtur de consultatione tantùm Britannicæ expeditionis ingentibus minis proposita, quàm posteà Augustus minimè confecit: & ita Horatius canit triumphum ante victoriam. De rebus autem gestis Antonij lege Suetonium, L. Florum l. vlt. Orosium lib. 6.

Grauibus.] Qui grauiter sæuiunt in exercitus Romanorum, funestaque illis clades intulerunt. Historia quidem id contigisse sic narrat: sed præstat referre ad grauitatem armaturæ, vt Ode 2. lib. 1. retulimus.

Milésne.] Id est, Siccine milites Crassi posthabuerunt gloriosam pro Imperio Rom. mortem infami turpiq; vitæ, quã post turpiter degerũt cum barbaris coniugib.

Coniuge barbarâ.] Hic casus est caussæ, pro, propter vxorem barbaram ductam, quasi diceret: turpitudinem captiuitatis auxit coniugij dedecore miles.

Pro Curia.] Cicero 4. Verr. hanc vocem Græcè interpretatur: *Vt in Curia Syracusis, quem locum illi βουλευτήριον appellant*: quomodo etiam Gaza in Catone Maiore: Οὐδὲν βουλευτήριον ὡς ἀπεῖσαι ποθεῖ τὼν ἐμὼν ἰχὺν *non Curia vires desiderat meas tanquam absentes*: quod potest dici Latinè Senatorium concilium. Seruius in hunc vers. 8. Æneid.

Romulides Taticq; seni Curibusq; seueris.

hanc notationem asserit voci, dissimilem illi Pompeij Festi, à *cura* eam inclinantis: *Interuenientibus posteà*, inquit, *triginta fœminis iam enixis, de illis quæ raptæ erant, pax facta est: ex quarum nominib. Curiæ appellatæ sunt: in communem etiam mulierum honorem Calendæ eis dicatæ sunt Martiæ*: vnde canitur Ode 8. proximè sequenti:

Martiis cælebs quid agam Calendis.

Prætereà Curia sic describitur sub finem orationis pro Milone: vt sit *templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput Vrbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab vniuerso pop. Rom. concessa vni ordini.* Huc accedat Varro Curiam esse duorum generum testatus: quorum vnum est illius, vbi res diuinæ curabantur à sacerdotibus, sic instituta à Romulo; alterum erat eius Curiæ, in qua res humanæ tractabantur à Senatoribus: de quo lege Agell. l. 14. cap. 7.

Consenuit.] Quidam hoc referunt ad morem Scythicum Parthorum, qui ferè exercitum conscriberent & compararent è seruis, quos nunquam manu mittebãt, & ab adolescentia equitatu instruebant. Ex hoc genere equitum quinquaginta millia dicuntur M. Antonio obstitisse, inter quos quadringenti solùm liberi fuerũt. Idem ferè mos est hodie Turcarum.

Marsus.] De Marsis fuit Ode 1. l. 1.

Anciliorum.] Grammatici inflectunt à recto *ancile* χατὰ τὴν ἀνωμαλίαν. Est autem breue scutum ab *ancído* dictũ, quasi *ancisum* & vtrinque incisum. Quod si mauis à Græco ἄγκυλον deducere, per y scribendum est ancyle, à curuitate & rotunditate dictum. Afferuntur aliæ notationes ab iisdem, vt videatur dici quasi ἀμφίχειλον, *vndiq; labrum habens*, vel ἀμφίκοιλον, vndique cauatum, vel ἀπὸ τῆς ἀγκύλης, *à loro & amento*, quo alligatur: vel παρὰ τὸν ἀγκῶνα, *à cubito*, ad quem aptatur: vel παρὰ ὁρμὴν τὴν ἀνέμου ἀπὸ τοῦ *motu & iactu ancyliũ facto supernè*: vnde Virg. 8. Æn. v. 663. canit: *lapsa ancylia cælo*: vel παρὰ ἀναγκαῖον Διοσκόρους, ἀπὸ τῆς πρὸς δεινῶν ἀναχρίσεως, *à depulsione tristium*, ait Plutar. in Numa. Duodecim autem ancylia erant in templo Martis Romæ: quorum vnum diuinitus datum Numâ regnante Romani putabant ad virtutem gentis indicandam, & in illis fata Romanorum esse posita. Vide Plutarchum in Numa, & Dionysium lib. 2. & Ouid. l. 3. Fast. Hæc ancylia non dissimili commento & hominum astutiâ Romanis persuasâ sunt ἀρχαιότερα καὶ παλαίσουλα ἐπὶ τῆς γῆς, atque τὰ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τῆς Πάλλαδος ἀγάλματα διοπετῆ· Athenienſibus ac Phrygiis Dianæ & Palladis simulacra à Ioue demissa in terram, vt hac religionis specie gentes illæ continerentur in cultu talium simulacrorum.

Nominis.] Hæc vox videtur sumenda pro familia & gente Romana, vt in Epithalamio Catulli. *Tam vetus sine literis Nomen esse.*

Vestæ.] De Vesta lege Oden. 2. l. 1. & antecedentem, & 4. lib. 1.

Hoc cauerat mens.] De hoc consilio Attilij Reguli lege 1. & 3. de Off. qui dissuasit redemtionem & permutationem captiuorum Carthaginiensium & Romanorum, ipse captiuus. Ratio huius Syntaxeos est huiusmodi,

per ſupplementum præpoſitionis: mens prouida Reguli diſſentientis à fœdis conditionibus, & ab exemplo trahenti perniciem in æuum veniens, id eſt, futurum, cauerat hoc. In *trahenti* eſt enallage præſentis pro futuro, perniciem tracturo. Quidam tamen legunt, *trahentis*, hoc ſenſu: Regulus prudenter prouiderat talem militum Romanorum ignauiam futuram, quùm reſiſteret fœdis conditionibus pacis inter Carthaginienſes, & Romanenſes: & quùm vitaret confirmare huiuſmodi timiditatem & ignauiam Romanorum exemplo hominis, qui futurus eſſet exitio poſteris.

Affixa.] Victores hoſtium victorum ſigna & arma in templis ſolebant Deaſtris conſecrare ſuſpenſa, vt Strabo l. 4. & Plutarchus in Cæſare ſcribunt, Gallos oſtendiſſe gladium ipſius Cæſaris in templo Martis ſuſpenſum. Idem memorat Tacitus lib. 15. de Nerone, à quo Scæuini pugio Ioui vindici in Capitolio fuit conſecratus. Sic Pœni ſuſpenderunt ſigna & arma Romanorum victorum in ſuis delubris: quod iniquiſsimo animo ſpectaſſe dicitur hîc Regulus.

Delubrù.] Ratio huius vocis reddetur in Gram. Sat. 6. l. 1. ad verſum, *imperium fore, &c.* ſub initium.

Retorta.] Exprimitur ſtatus & geſtus captiuorum, qui, vt Sinon ille Virgilianus, trahuntur manibus à tergo reuinctis: ſic ipſe Epiſt. 1. l. 2.

Mox trahitur manibus Regum Fortuna reuinctis.

Libero tergo dicit, quia milites vltrò ſe dediderunt Pœnis: ac ne cæderentu maluerunt ſeruire, qui priùs liberi fuerant: ipſe autem ex inſidiis captus eſt in Africa, vt eſt videre lib. 3. de Off. ad caput de fortitudine: ſicut genus mortis l. 6. c. 4. apud Agellium, & apud eundem l. 7. c. 18. lege hiſtoriam captiuorum.

Portas.] Supple Carthaginis: quia omnis metus Romanorum Carthaginienſibus ademtus erat: ſecurè ac ſine metu colebant agros ſuos bellis Romanorum ſæpè priùs vaſtatos.

Repenſus.] Hoc dicitur pro more veterum nummos appendentium, non numerantium.

Flagitio.] Flagitium eſt Grammaticis delictum flagris dignum, ac ferè locum habet in libidine, ſtupro, mollitie animi, fuga, & omni facinore, vnde aliqua redundat infamia in auctores ipſius populares. Donatus tamen aliter hanc vocem notat in Act. 2. Sc. 3. verſu 90. *flagitium facimus: flagitium, inquit, more militari dicitur res flagitatione, id eſt, increpatione digna: nam flagitatio à ſtrepitu dicitur, vnde flamma, & flagella, & flagitare, id eſt, perſonare intelligimus dici. Nam hæc omnia ſine ſtrepitu crepituq; non ſunt.* Confirmat autem Donati opinionem Ciceronis locus pro Cluentio: *Statuerunt enim ita maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes; pœna ad paucos pertineret.* Sed ſcelus videtur crimen capitalius ex Ciceronis pro Ligario hæc ſic diſtinguente; *non fuit ſcelus, ſed aut error, aut timor, aut ſpes, aut odium, aut pertinacia, aut temeritas.*

Damnum.] Varro lib. 4. de ling. Lat. deflectit hanc vocem à demtione: alij malunt ἀπὸ τοῦ δαπανᾶσθαι, *à vorando*, vel παρὰ τὸ δαπανᾶσθαι, ab inſumendo illud deducere. Ita damnum cernitur in re & patrimonio, vt flagitium in perſona & ipſius honore. Sic Plautus hæc duo coniungit: *Nam tu quod damni & quod feciſti flagitij?* Agellius profert è Satyra Varronis Menippæa lib. 1. cap. 17. hunc locum: *Vitium vxoris aut tollendum aut ferẽdum eſt.* Cuius explicatio vim flagitij nonnihil aperit: *qui tollit vitium, vxorem commodiorem præſtat; qui fert, ſeſe meliorem facit. Hæc verba Varronis, tollere & ferre lepidè quidem compoſita ſunt: ſed tollere apparet dictum pro corrigere. Id etiam apparet; eiuſmodi vitium vxoris, ſi corrigi non poſſit, ferendum eſſe, Varronem cenſuiſſe: quod ferri ſcilicet à viro honeſtè poteſt. Flagitio leuius eſt vitium.*

Medicata.] Παδητικῶς hîc ſumendum ἀπὸ ῥήματος ἐπιγητικοῦ, *medico, as*, quo vtitur Virg. 1. Georg.

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes.

Deponentis autem vis eſt maior, ſed cum datiuo: vt idem:

—*ſenibus medicantur anhelis.*

& Terentius: *Quum ego poſſim hac in re medicari mihi.*

Fuco.] *Fucus* vox è Græca fit Latina: dicitur enim id πὰ φύκος, vt dicetur, ſi Deus voluerit, Epod. 12. ad verſ. *Stercore fucatus Crocodili, &c. quod eſt Euſtathio* τὸ εἶδός τι μύκης βρύου, *genus quoddam algæ & muſci.* Τὸ δὲ φοινίσσον *rubeſcens*, verius eſt frutex, quàm alga, quæ tamen eſt herba marina, cuius Plinius lib. 26. cap. 10. facit tria genera: ſed rubens pingit criſpis foliis, quo in Creta veſtes tinguntur, l. 32. c. 6. Idem l. 13. c. 25. φύκει circa Cretam inſulam nato in petris purpuras quoque inſici: vnde Catullus:

Tincta tegit roſeo conchylis fuco.

Huius tamen fruticis radiculâ, vt anchuſâ, mulieres exalbidæ colorem genarum emẽtiuntur: vnde fucum facere alicui, eſt ei fraudem ferre, i. pœnam & damnum afferre, & eidem eſſe fraudi valet tantundem: in quo vno valdè elaborant mulieres, quum vitia formæ, ſuper induto cuti tali medicamento, ita diſſimulant, vt perſonam videantur induiſſe.

Excidit.] Græcè dicitur ἐξέπεσεν ἀπὸ θυμοῦ, *ex animo exacta eſt.* Gall. *quand vne fois le courage eſt perdu.* Sic Terentius loquitur in Andr. Act. 2. Sc. 5. *Vxore excidit*, i. eiectus eſt à coniugio.

Extricata.] Liberata & expedita: à tricis: quæ ſunt fila & impedimenta gallinarum & pullorum pedibus inuoluta, ἀπὸ τοῦ τὰς πτέρυγας à pilis potiùs, quàm ab oppido Apuliæ Trica: vnde prouerbium tricę & Apinæ. Seruius in verſ. Æneid. 6. de Labyrintho:

Hic labor ille domus & inextricabilis error.

Citat hunc locum & τὸ *extricata* interpretatur *ſoluta*, vt *inextricata, inſoluta; inextricabilis, inſolubilis.*

Perfidis.] Qui ſe vitamque ſuam tradit in fidem & ditionem ei, qui nulli ſeruat fidem.

Lora.] De vocis huius etymo lege Grammat. Epiſt. 16. lib. 1.

Senſit iners.] Id eſt, qui vincula hoſtium brachiis ſenſit, mollior fit poſteà & timidior. Sic dicit *Senſi fugam & Philippos.* Ode 7. lib. 2. vbi reuiſe notas ſuper verbo ſentire.

Pacem.] Permutatio eſt caſuum: promiſcuit bellum cum pace, quando fortiter erat dimicandum; aut gloriosè oppetendum, pro gloria patriæ. Hãc autem phraſin Tacitus l. 3. ſic reddidit: *pacem bello mutauit:* & Salluſt. *mutauit pacem pro bello:* quod Gallicè interpreteris: *Ce ſoldat Romain ne ſçachant de quel coſté ſauuer ſa vie, il changea la dueil en vne paix, au lieu de veincre, ou vertueuſement mourir.* Quæſita eſt aliquando ratio huius ſyntaxeos; *vinum aquâ miſcere*, ſimilis huic, vtrius eſſet hîc auferendi caſus, cauſſæne alicuius, an modi? neutrius reſpondi; ſed illum caſum pendere ex ellipſi τῆς *cum* ferè perpetua, expreſſa tamen in coniuncto: *permiſcere ſortes cum ſplendore*, in Vatinium: *fortunam cum laboribus ac miſeriis permiſcere*, l. 2. de Orato.

Capitis minor.] Quidam hoc referunt ad vitium cerebri, quòd Attilius talem ſe geſſerit, qualem ſe præſtare ſolet homo non ſatis mentis ſanæ. Ego verò malo tum ad præſentem illius conditionem & ſtatum, tum ad animi conſtantiã referre, quæ non aliter facere illum ſinebant. De quo vt ita ſentiam, locus Ciceronis ſuprà notatus me impulit, qui eſt: *Se non eſſe Senatorem, quamdiu in-*

diu iureiurando hostium teneretur. Hæc autẽ syntaxis, *minor capitis*, similis est his: *felix cerebri, purus sceleris, sanus animi*: sæpiùs tamen capite minutus dicitur. Hæc autem capitis diminutio fuit maxima: quia & libertatem & ciuitatem & familiam amiserat: quod Galli interpretantur, *vn antier abaissement d' estat*: quãuis hîc Horatius cõparatiuo vtatur, & quidã ad familiæ amissionem solùm referant, libertate & ciuitate retentis: quasi iusiurandum esset leue vinculum ad stringendam fidem, quum non sit eo aliud inter homines arctius.

Toruus humi.] Κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας ἰταύρου, ἢ τὸ παράπαν αὐτὸν ἀνδρῶον χαμαὶ καθεικέναι· id est, *Fixis in solum toruè & auersè ab vxore & liberis, aliisq; mærentibus oculis, & vultu ipsius virili humi demisso.* Hunc Reguli statum non equidem refero ad crudelitatis signum, neq; ad mœrorem animi efficiẽtem demissionis, quam Græci vocant κατήφειαν καὶ δυσωπίαν, sed ad animi præsentiã, quem demitti & contrahi precibus & lachrymis amicorũ ad commiserationẽ, quàm poterat maximè, tali gestu consultò impediebat. Talem gestum Donatus in 7. Æneid. vers. *Talibus Ilionei dictis defixa Latinus*
Obtutu tenet ora, soloq; immobilis hæret.
Intentos voluens oculos. sic declarat: *Intentio oculorum est capientis consilium. Nam oculi per diuersa vagantes secum animum trahunt, & à fixa cogitatione abstrahunt. Sed si intentos, quomodò voluens? quia tacitarum cogitationum est mouere oculos, quum animi æstus per diuersa rapiunt: ita quò ierit redieritque animus, oculorum signis ostendit.*

Humi.] Ab aduerbio Græco χαμαὶ nomen Latinum *humus* & χαμαλὸς humilis deflectuntur.

Donec labantes.] Hoc Græcè dixeris: Ἕως τοὺς γέροντας ὀλισθογνωμονοῦντας σπείσηται μηδέ ποτε δοθείη: Regulus fuit tam diu hoc statu, dum animaduertit Senatores admodum perplexè loqui & sentire de præsenti quæstione: atque tum incredibili magnitudine animi censuit & persuasit, captiuos nec commutandos nec redimendos.

Aliàs dato.] Nunquam anteà quisquam alius inuentus, qui in priuata caussa tam acerbè, tamq; grauiter contra se consuluerit.

Atqui sciebat.] Ostendit hoc consilium manasse ἐκ τῆς παραφρεσύνης, οὐκ ἐκ τῆς τύχης, ἢ τῆς μανίας· *ex judicio & consilio, non autemè fortuita caussa, vel insania:* vnde deprehenditur mea sententia superior vera, quæ confirmat gestum Reguli ad mutationem conditionis, non ad animi morbum, pertinere. Sed de genere mortis, quo à Carthaginiensibus affectus est, lege lib. 6. cap. 4. Agellium ex historijs Tuberonis. Cicero Oratione in Pisonem & sub finem lib. 5. de Finibus bono. & mal. scribit illum vigilijs & inediâ necatum. Seneca tamen lib. 1. cap. 18. de tranquil. vitæ scribit: *Ergo Herculem fleam, quòd viuus vritur? aut Regulum, quòd tot clauis configitur?* Idem sentit Tertullianus initiò lib. ad Martyres: *Regulus*, ait, *dux Romanorum captus à Carthaginiensibus, quum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensare noluisset: maluit hostibus reddi & in arcæ genus stipatus, vndiq; extrinsecus clauis confixus, tot cruces sensit.* Id tertio bello Punico narratur accidisse.

Non aliter.] Operæpretium fuerit hîc admonere te, Lector, de vno, quod non est ab alijs adhuc obseruatum, quantum in memoriam priùs lectorum possum redire, vbi in hoc genere comparationis sæpè reperio in ipsius redditione apud Terentium & Ciceronem, *atque, ac*, rarò *quàm*. Primùm post adiectiuum *alius*: *Non alius eram, atque nunc sum: aliud mihi respondes ac rogo.* Cicero tamen lib. 1. de Leg. in definienda virtute sic loquitur: *Est autem virtus nihil aliud, quàm in se perfecta & ad summum perducta natura*: quòd Græci interpretantur per τὸ ἓν. Plato in Ione: Οἱ δὲ ποιηταὶ οὐδὲν ἄλλο ἢ ἑρμηνεῖς τῶν θεῶν εἰσι. *Poetæ nihil aliud sunt, nisi interpretes Deorum.* Interdum per τὸ πολύ. Plato in Timæo. Θέμις δ' ἔστ' ἐν τῷ τοῦ ἀείσω δρᾶν ἄλλο πολὺ τὸ κάλλιστον· quod sic interpretatur Cicero: *Fas autem non est neq; licet optimo viro quicquam aliud facere, nisi quod pulcerrimum sit.* Sed de eadem phrasi dicetur Satyr. 2. lib. 1. in Grammaticis. Deinde post aduerbium *aliter*. *Aliter loquebatur, atque omnes. Aliter dicimus, ac Stoici.* Similis est syntaxis τῶ *aliorsum* eiusdem inclinamenti. Terentius in Eunucho Act. 1. Scen. 2. *Vereor ne aliorsum illud Phædria, atque ego feci, acceperit.* Si autem credimus Agellio, quod lib. 10. cap. postremo scripsit, de *atq;* particula; hęc habet in redditione comparationis aliam vim significandi, atque connectendi, quod est proprium coniunctionis. *Nam*, inquit, *& pro aduerbio, quum dicimus; aliter ego feci, atque tu. Significat enim aliter, quàm tu.* Vnde discimus τὸ *quàm* in reddendis cõparationibus esse aduerbium, contra cæteros Grammaticos. Eadem mihi est obseruatio aduerbij *secus*, vti monuimus Ode 8. lib. 2.

Morantem.] Ἐνεργητικῶς vsurpatur pro retardantem & retinentem.

Dijudicatâ lite.] Id est, controuersiâ diremtâ & sedatâ, decisâ & sublatâ.

Clientum.] Quid de hac voce annotatum & dictum sit, vide Ode 18. lib. 2.

Venafranos.] Venafrum Campanię oppidum, vt Lacedæmonium Tarentum est magnæ Græciæ: quorum amœnitati & lenitati asperitas Carthaginis videbatur Attilio Regulo pariter æqualiterq; respondere. De Venafro lege Oden 6. lib. 2. vt de Tarento Oden 28. lib. 1.

Explicatio Rhetorica.

METrum simile est metro nonæ lib. 1.

[a] Ex Britannis & Persis per Synecdochen totus orbis videtur intelligendus, in quem cantat Cæsarem sic dilatasse imperium Romanum, vt ortu & occasu Solis illud terminatum esse videretur.

[b] Manifesta est Synecdoche singularis pro militibus omnibus, qui ex Appiano lib. de Parthico bello ad 20. millia sunt desiderati, & ad decem millia capti, qui turpitudine barbararum coniugum vitam redemerunt. Similis est tropus in *coniuge* & in *maritus*.

[c] Metaphora est à corpore, quod dicitur turpius fieri dente vel vngue Ode 4. lib. 2. pro infami & ignominioso.

[d] Exclamatio per doloré talis indignitatis: quòd seruirent ij, qui cæteris imperare solerent: quòd ludibrio haberentur ij, qui gloriâ & auctoritate florerent in vniuerso orbe.

[e] Similis est tropus atq; superior in *Persis* pro Parthis & Orientalibus regibus. Quidam tamen in hac synecdoche generis colunt regem Parthorum, quem Plutar. Hyrodem, Florus Orodem nominat, intelligi.

[f] Marsus & Appulus dicuntur κατ' ἐξοχὴν σωεκδοχικῶς pro strenuissimis quibusq; Italis, *vt nominis & togæ* pro celebri amplitudine imperij & Romanorum dignitate sumi videntur.

[g] Metonymia pro seruato igni ex institutione Numæ, qualis est in Ioue, pro Capitolio, ipsius templo & arce omnium gentium: qualis tropus fuit in *sub Ioue frigido* Ode 1. lib. 1.

[h] Metonymia est signi pro iuuenib. captiuis. Quidam hoc interpretantur de ignauis militibus Romanis: quod meliùs fit, quàm de Carthaginiensibus, propter spontaneam deditionem & infamem extremoq; supplicio in primis vindicandam

[i] Leuissimus est hîc apparatus ad prosopopœiam Reguli futuram: qui inducitur certò testificans cum anadiplosi, quod sequitur, *vidi, vidi ignauiam militum Roma.* primùm ex ipsis illæsis: deinde integris vexillis, armis incruentis.

[k] Metonymia est caussæ pro effectis de populationibus & vastationibus belli Rom.

[l] Metaphora est à veteri consuetudine, pecuniæ ponderandæ pro redemtione, quem tropum Seruius annotauit in vers. Æneid. 1.

Solabar fatis contraria fata rependens.

& interpretatur, recompensans, addens: *translatio à pecunia, quæ antea pendebatur.*

[m] Ironia est, quæ contrariam sententiæ intelligentiam requirit, gestu magis & pronunciatione spectandam, quàm lectione cōprehendendam. Itaq; docet Regulus milites redemtos & permutatos tantùm abfuturos deinceps à fortiter animoseq; pugnando, vt multò timidiùs ac ignauiùs citò ex acie se in fugā daturi sint, spe talis redemtionis & permutationis. In verbis autem *curat reponi* metaphora est à præditis ratione ad eiusdem expertia: sed quia videtur durior, explicanda est διὰ τοῦ φιλεῖ καὶ δύναται. *solet aut potest* restitui.

[n] Sumtum à tricis & filis, quibus pedes pullorum implicantur.

[o] Similis est tropus superiori, pro pugna & prœlio secundo.

[p] Gemina est exclamatio dolentis & indignantis imperatoris cum anaphora: quòd Carthago ęmula imperij Romani ex hac mollitie, ignauia & clade Romanorum potentior fiet & securior: quod hîc significatur per vocem *altior* translatam à rebus procul eminentibus. Similis est exclamatio Adelph. Act. 3. Sc. 2. *Hoccine seculum? ô scelera! ô genera sacrilega! ô hominem impurum!* vbi Donatus annotat: Geta questurus de homine, seculum accusat prius, vt à tempore mores increpet: moris autem est nimis dolentibus incusare alia ex alijs. Sic Cic. in Catilin. *ô temporâ! ô mores!*

[q] Nulla est hîc nota depositæ inductionis.

[r] Videtur sumtū ab illa significatione huius vocis, quum vsurpatur pro sorte, vt demere de capite, pro deducere de sorte. Ita mihi videtur etiam diminutio capitis accipienda, Gallicè *Rabaissement destat.*

[s] Synecdoche in *patres:* & in *labantes* metaphora est ab ædificijs ruinam & casum minantibus pro Senatores dubios & incertos quid consilij darent: vt *ædes labantes* dicet proximè versu 1. Odes tertiæ sequentis.

[t] Synecdoche est generis pro Regulo, quem faciebat fides data Carthaginiensem, & sic Romæ vt exsul videbatur: ac prætereà in *egregius* est metaphora à sacrificaturis, qui maturè secernunt à grege præstantissimas victimas quasque, quas aræ destinent, vt alibi notatum fuit, vt de voce, *eximius:* quam, vt alteram, Græci per ἔκκριτον pronunciant.

[u] Per synecdochen alteram intelligit cognatos, affines & necessarios Reguli.

Ode VI. ad Romanos.

Theticum.

Quòd è contemtione pietatis nascantur mala: & ipsius contrà studio & cultu omnia bona.

D[1] Flicta maiorum immeritus lues,
[a] Romane: [2] donec templa refeceris,
Aedesq; labantes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
[3] Dîs te minorem quòd geris, imperas.
[4] Hinc [b] omne principium: huc refer exitum.
[5] Dî multa neglecti dederunt
[c] Hesperiæ mala luctuosæ.
[6] Iam bis Monæses & Pacori manus
Non auspicatos [d] contudit impetus
Nostros: & adiecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
[7] Penè occupatam seditionibus
Deleuit [e] Vrbem [8 f] Dacus & Aethiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
[9 g] Fœcunda culpæ [h] secula nuptias
Primùm inquinauêre, & genus & domos,
Hoc [i] fonte deriuata clades
In patriam populumq; fluxit.
[10] Motus doceri gaudet [k] Ionicos
Matura virgo, & [l] fingitur artubus
Iam nunc: & incestos amores
De tenero meditatur [m] vngui:
[11] Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti vina: [12] neq; eligit,
Cui donet impermissa raptim
[n] Gaudia luminibus remotis:
Sed iussa coràm non sine conscio
Surgit marito: seu vocat institor,
Seu nauis Hispanæ [o] magister,
Dedecorum pretiosus emtor.
[13] Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico:
Pyrrhumq; & ingentem cecîdit
Antiochum, Annibalemq; dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, & seueræ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes: [14] sol vbi montium
Mutaret vmbras, & iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus [p] agens abeunte curru.
[15] Damnosa quid non imminuit dies?
[q] Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
[r] Progeniem vitiosiorem.

Analysis Dialectica.

QVæstionis primum argumentum è collatione parium temporum & spretæ pietatis & pœnę datę ducitur, vbi abdita later caussa supplicij in contemtione religionis: quòd Dij tamdiu animaduertent in sce-

in sceleratos & impios homines, quàm diu hi se gerent contemtim & impiè in illos.

2. Ἀπόδοσις tractatur inductione quarundam partium religionis. Probatur quidem, & iusta habetur huiusmodi animaduersio in ipsos delictorum auctores: sed iniusta, grauis, acerba & quasi intoleranda hominibus videtur, quum ab eo repetitur supplicium, qui nihil commeritus sit: nihil admiserit indignum: nihil denique hominum iudicio peccauerit. Eamque ob rem queritur Theognis hoc iniustitiæ genus apud Deos per optationem iustitiæ:

Ἐξ ἀρχῆς τὰ δίκαια μετ' ἀνδράσιν φιλέοντες,
Μήτ' ὑπερβασίῃ ἀνιτίνειν πατέρων.
Ταῦτ' εἰή μακάρεσσι θεοῖς φίλα· νῦν δ' ὁ μὲν ἔρδων
Ἐκφεύγει τὸ κακὸν δ' ἄλλῳ ἔπειτα φέρει.

Velim, Dij beati, vt qui iam inde ab initio se rebus iustis dederint cum ciuibus, nullius improbitatis paternæ soluant pœnas! Nunc verò contrà, qui facit malum, pœnas effugit: & alius posteà mali supplicium expendit.

Hanc profectò Theognidis querelam & optatum, vt rem iustam, leges audierunt, vel potiùs ipsarum latores, ministri & magistratus sunt sequuti: qui nihil vnquam huiusmodi statuunt in immeritos, sed solùm de proprijs cuiusq; maleficijs, quæ sub hominum sensus cadunt, iudicia faciunt, vt L. *Sancimus. C. de pœnis. Cur pœnam irrogari vis, quæ nemini absq; culpa iure infligitur, nisi peccârit?* Item L. *crimen 26.* D. eodem. *Vnusquisq; ex suo admisso forti subijcitur, nec alieni criminis successor constituitur quisquam.* Cur igitur vniuersus Græcorum exercitus Agamemnoniani, & tota Ilios Alexandrini sceleris teneri, eiusdemq; pœnas molestâ vtrisq; per decennium obsidione luere videtur? At verò nos Christiani certò scimus longè aliter iudicium diuinũ de hominibus fieri: cuius examen etiam subeunt tacitæ & occultæ illorum cogitationes & animorum motus: qui si pij sint & casti; nunquam carent præmio & remuneratione: si verò impij & conscelerati; nunquam dimittuntur inulti atque impuniti. Et certè huiusmodi profanorum sententiæ eò mihi videntur pertinere, vt homines non solùm omnes honesti partes tueãtur ipsi: sed aliorum etiam vitia odio prosequantur & vindicare omni ratione nitantur. Si secus faxint, sentient tandem, quod vsu veniisse populo Israelitico legimus in libris Regum, qui, quia regibus suis cultum Dei violantibus non obstiterat, æqualiter cum illis obligatus sponsione illius seruandi; vnius culpa nocuit alteri. De regibus enim sumta sunt supplicia, propter idololatriã & perfidiam: de populo, propter socordiam & ignauiam. Nam ambo suâ indulgentiâ Deum irritare solent ad pœnas, de tota gente passim sumendas, quę manebant initiò pauciores. Eódem spectat illud Hesiodi:

Πολλάκι γὰρ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅστις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
Sæpenumerò tota ciuitas luit noxam hominis mali,
Qui peccat, & perniciem in omnes machinatur.

Exemplo fuit Agamemnonis culpa, cuius pœnas soluit vniuersus Græcorum exercitus, quum Apollo intulit in eum pestem insignem, propter filiam sacerdotis sui Chrysę ab Rege violatam, qui exercitus videbatur alioqui immeritò illas ferre, fuit itidem adulterium Coronidis exemplo publicæ pœnæ, quæ non sola luit pœnam flagitij sui; sed Pindarus cecinit ipsius cladem in multos etiam vicinos deriuatam Πυθ. Γ. αἰ. αἰπροφ. β.

——δαίμων δ' ἕτερος
ὃς κακὸν πρέψας ἑδμήσατόνιν, καί γε τόνων πολλοὶ ἐπαύρον. id est,
alter autem Dæmon (κακοποιὸς)
Qui ad malum impulerat,
perdidit eam, atq; multi
vicini in hanc exitij societatem coronidici
implicati sunt, κἄν μιδὲν αἴποι.

Vt Apollini & Dianæ fontes atq; insontes nullo agerentur discrimine. Sic Argiuorum tota classis naufragio perijt, *Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.*

Nos præterea ad hanc querelam respondemus, tametsi Rex solus illi culpæ succubuisset, exercitum tamen reliquum à similibus flagitijs ac stupris minimè vacuum fuisse, qui alia nefanda etiam cómiserat. Adde huc ex 8. lib. Xenophontis de Cyri disciplina: Ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσιν, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς, ὡς ἐπὶ πολὺ, γίνονται. *quales sunt principes, tales esse illos, vt plurimùm, qui ipsis parent.* Idem dicit Plato li. 4. de leg. idem quoq; Isocrates ad Nicoclem, idẽ in Areopagitico. Verùm demus, nullum esse manifestum peccatũ eius, qui dat pœnas: non continuò tamen dicemus conscientiam illius omnino vitio carere, quæ, vt reliquorum hominum in iudicio Dei nunquam à prauis & peruersis cogitationibus pura reperiatur, ne dũ ab impijs factis, & quod est multò admirandum magis, ne infans quidem vnius Diei immunis ac purus dici potest. Itaq; nusquam Gentium adhuc visus fuit quisquã sine noxa. Testantur vel ipsi scriptores profani tale ingenium esse hominum ita ad peccãdum procliue, vt Sopater ad Hemeteriũ fratrem, ἐννοεῖ δ' ὡς σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις· Scias peccatum hominibus esse insitum & innatum Idem Theognis. ἁμαρτωλαὶ γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἕπονται θνητοῖς· peccata mortales ipsos homines sequuntur, vt indiuisi comites: qui nunquam sinunt ipsos ἀτίτους εἶναι, impunitos esse & inultos. Itaque nemo, quum malis afficietur, potest sic pœnæ intercedere, ὅτι μηδεὶς ἀλιτήματα καὶ ὑπερβασίαι ἀνιτίνει πατέρων καὶ ἑτέρων· quòd nemo debeat peccatum luere paternum & alienum. Qui volet certiùs edoceri de hac quæstione, Theologos consulat: qui præter suprà dicta docebunt Deum periclitari & experiri pietatem & constantiam animorum rebus aduersis: non quòd ipsi sit incognita; sed vt hominibus notior fiat, atq; ipsius gloria inde celebretur, vt bene feliciterq; ab innumerabilium martyrum morte nobis euenit. Hoc habui, Lector, quòd dicerem de iudicio diuino, vt ex animis quorundam, etiam Christianorum, impiam euellerem opinionẽ penitus insitam de causa malorum. Sed de Dijs contemtæ religionis vltoribus lege cap. 3. lib. 3. Val. Maximi.

3 Quatuor primi versus Odes docuerunt continuationem Romanarũ calamitatum pro ratione neglectæ religionis: nunc duo versus sequentes incolumitatem imperij Rom. & salutem obseruantiâ & cultu Deorum retineri & conseruari vsq; ad extremum suadet: quod est argumentum è loco efficientis causſæ.

4 Illustratur talis causſa cõparatione similium: vt status Imperij Romani ortum & incrementum habuit à cultu Deorum, obsequio & obseruantia in Deos: sic eiusdem stabilis & firma conseruatio ijsdem artibus retinenda est. Eadem est sententia initio coniurationis Catilinariæ, sed ex argumento pari: *Imperium facile ijs artibus retinetur, quibus initiò reparatum est.* Protasis confirmari potest ex testimonijs historicorum; Dionysij Halicarnassęi & Liuij, qui narrant initiò suarum historiarum Romulum & Remum, deinde Numam fixisse & fundasse statum Imperij sui in cultu Deorum. Potest etiam Sallustij in cõiuratione: *Operæpretium est,* inquit, *quũ domos atq; villas cognoueris in vrbiũ modum exædificatas visere templa Deorũ, quæ nostri maiores, religiosissimi mortales, fecêre. Verùm illi delubra Deorum pietate, domos suas gloriâ decorabant: neque victu quicquam, præter iniuriæ licentiam: cripiebant:* Sed fuerunt etiam alia. Idem ait in oratio-

ne M.Catonis: *Quæ Romanos magnos fecêre, pietati adiuncta: domi industria, foris iustum imperium: animus in consulendo liber, neq; delicto, neq; libidini obnoxius.* Huc quoque spectat: quod Tullius de Arusp. respon. scripsit, Romanos non calliditate, aut robore, sed pietate ac religione omnes gentes nationesq; superauisse: quod videtur dictum ex sententia Aristotelis in Rhetoricis ad Alexandrum c.3. de consultandis, Ἐπειδὴ ὁσιχὴ τὸς θεὸς εἰκὸς εὐνοϊκωτέρους εἶναι, τοῖς μᾶλλον ἀυτὸς πιῶσιν. i. *deinde quòd & par est Deos beneuolentiores esse in eos, à quibus magis colantur.* Tertullianus tamen in Apologetico ca. 24. & 25. subtiliter quidem & acutè hanc Romanorum præsumtionem & historias de ijsdem confutat iactantibus, *Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, vt orbem occuparint, atq; adeo Deos esse, vt præter cæteros floreant, qui officium illis præter cæteros faciant: quum non antè religiosi fuerint, quam magni: Ideoq; non ob hoc magni, quia religiosi. Atqui quomodo ob religionem, quibus magnitudo de irreligiositate prouenit? Ni fallor enim omne regnum vel imperium belli quæritur & victorijs propagatur. Porro bella & victoriæ captis & euersis plurimum vrbibus constant. Id negotium sine Deorum iniuria non est, cædes, strages mœnium & templorum, pares cædes ciuium & sacerdotum, nec dissimiles rapinæ sacratum diuitiarum & profanarum.* Conficit tandem ex his, *Certè non potest fidei conuenire, vt religionis meritis excreuisse videantur; qui, vt suggessimus, religionem aut ladendo creuerunt, aut crescendo laserunt.*

5 Argumentatio ex aduersis: *maiores nostri statum Imperij religione: cultu Deorum seruârunt integrum & sustentârunt: posteri contemtione diuini cultus & despicientiâ eundem labefactârunt & euerterunt.*

Ex hac autem contemtione, tanquam ex vberrimo fonte, vel potiùs tanquam ex illa pyxide Pandoræ manârunt infinita malorum genera in Italiam & Hesperiam. Lactantius Fir. lib.5. capite 8. instit. idem affirmat, *ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescere: quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus est: quia suscepta sunt contrà; quàm fas est, impiæ religiones.* Sed Liuius idem perinuisam Christianis polytheiam pronuntiauit lib.5. *Omnia prosperà euenire colentibus Deos, aduersa spernentibus.* Itaque Synesius de regno constituendo scripsit, Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω, χρηπὶς ἀσφαλὴς, ἀφ' ἧς ἑστήξει ἔμπεδον τῆς βασιλείας. id est, *Pietas primum substernitor, fulcrum & basis, cui firmiter insistat simulacrum regni.*

6 Iam disputat è distributione effectorum ab iratis Dijs, quam alij vocant enumerationem partium, sic: *Dij igitur ita neglecti reges Persarum & Parthorum armârunt primùm contra M. Crassum: deindè contra Didium Saxam Antonij Imperatoris legatum: à quib. exercitus Romani turpiter occisi pœnas dederunt contemtorum auspiciorum.*

7 Tertia clades Romanis allata est ab ardore bellorum ciuilium, quæ Dij spreti conflârunt inter ciues Romanos Pompeium & Cæsarem: inter Augustum & Brutum, Cassiumque & Sext. Pompeium & Antonium.

8 Quarta à Germanis & Ægyptijs profecta est.

9 Prætereà ostendit ex ea pietatis despicientia, per quandam seriem & connexionem caussarum fœdas libidines: ex his pollutos violatosq; geniales lectos: ex his quoq; infantes nothos, molles, omni libidine diffluentes, effœminatos prodijsse.

10 Proximè sequentibus duodecim versibus, qualis liberi è contaminatis genialibus lectis prodierint, maximeq; puellà inde natà describitur per gradus ætatis & conditionis: primùm ex adiunctis voluptatibus mollium saltationum & impudicarum, & motuum venereorum ad Scenicum & Comicum morem.

11 Deinde eadem incontinens & matura virgo describitur ex effectis: quòd marito bene poto vinoque madente amatores & subsessores tori iugalis quærat.

12 Postremò è loco diuersorum declaratur incredibilis eiusdem prostitutæ libido, incontinentia, impudentia, impatientia, quæ non exspectat post celebratas nuptias, vt quæratur, sed in quemlibet inciderit, eum ad concubitum adulterinum admittit, nec deligit, cui copiam sui faciat, sed ad primum quemque, herus an seruus sit, sine vllo discrimine adit, modò suæ libidini satisfaciat. Huc accedit, tanquam caput extremæ corruptelæ, consensio mariti coccygen impudenter ferentis.

13 Argumentatur è procreantibus causis, quæ tamen tractantur diuersâ dissensione: *Non è talibus succubis vxoribus temeratisq; iugalibus toris nascuntur liberi fortes, qui patriam ab hostibus suâ virtute vindicent: terroribus, fortunarum euersionibus, mortiq; periculo Remp. soleant:* sicut diximus Ode 12. lib. 2. factitatum olim à Cn. Duilio & Luctatio contra classem Pœnorum in Sicilia; à Curio & Fabricio contra Pyrrhum, de quo Plutarchus: à L. Æmilio Regulo vel à M. Acilio Glabrione contra Antiochum Syriæ regem: à L. Scipione & à multis imperatoribus Romanorum contra Annibalem. Qui enim hoc tam memorabile facinus efficerent, qui ad exemplum vitiatæ originis libidinosis delicijs diffluunt: qui se molliter & muliebriter, more Sardanapali, in omnibus gerunt: qui patiuntur patriam in suo conspectu vexari, agros vastari, liberos in seruitutem abduci, virgines rapi, oppidà expugnari, templà spoliari? illud quidem certè exspectandum est à iuuenibus ortis è castis & intemeratis cubilibus, educatis in tolerantia omnium laborum, perpetuoque in parentes & maiores obsequio. Quicquid enim fuit vnquam præclarè gestum, id ab huiusmodi iuuenibus semper lectione & auditione factum accepimus.

14 Talium liberorum obedientiâ & tolerantia laboris diurna tum terminatur, quum maiores cadunt de montibus vmbræ, & tauris iuga soluit arator: quod ad locum adiunctorum spectat.

15 Comparatione maiorum, velut alternâ & succedaneâ, docet ex illa origine vitiosa malum propagatum iri semper grauius in posteritatem, perpetuâ temporis progressione: quo argumenti genere vsus fuerat priùs Aratus, quum inducit Iustitiam de hominibus ætatis argenteæ querentem:

Οἵην χρυσείοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο
Χερσὶν ἐμοῖς, ὑμεῖς δ' ἤθεα χείρονα τεκνώσεθε.

Vt patres ætatis aureæ liberos reliquerũt degeneres: ita vos procreabitis deteriores. Quam assiduam nequitiæ accessionem Hesiodus in operib. & diebus quatuor ætatib. adumbrârat. De tali succedaneâ sui seculi depravatione Esdras admonitus fuit lib.4. cap.14. vers.13. *Nunc ergo dispone domum tuam, & corripe populum tuum, ac consolare humiles eorum, & renuntians iam corruptelæ, dimitte abs te mortales cogitationes, abijciensq; pondera humana, exuere iam infirmâ naturâ, ac reponens seorsim molestissimas tibi cogitationes, festinà migrare ab his temporibus. Quæ enim vidisti nunc contigisse mala, iterum his deteriora facient.* Idem sensisse legimus *Senecam* de peruersitate hominum. *Hoc*, inquit, ille, *nos querimur. Hoc maiores nostri questi sunt: hoc posteri nostri querentur in deteritis res humanas & in omne nefas labi.* Epist. 97. *Erras*, ait, *mi Lucili, si existimas, nostri seculi esse vitium, luxuriam & negligentiam boni moris & alia, quæ obijcit suis quisq; temporibus. Hominum sunt ista, non temporum; nulla ætas vacauit à culpa. Et, si æstimare licentiam cuiusq; seculi incipias, pudet dicere; nunquam apertius, quam coram Catone pecca-*

peccatum est. Huius autem sententiæ demonstrationem suppeditabit reliquum epistolæ lectum diligenter. Si hæc ratio incepti iam inde mali ab Horatij ætate perpetuâ in peius degenerandi progressione adhuc permansisset; iam diu genus humanum desijsset ex toto stare, quod equidem non puto nostrum Poetam dixisse, aut illud Epist. 1. lib. 2. obticuisse.

Si veteres ita miratur, laudatq; Poetas
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.

Si hæc dissensio sententiarum potuisset ipsi succurrere. Itaq; debet ille culpam sustinere, quam in alios videtur transferre, qui moribus sui seculi ausus fuerit metiri illos posteritatis: præsertim quum ex historicis, tã diuinis, quàm humanis de varijs hominum ætatibus sic liceat nobis statuere, sicut de illis frugum: vt cognitum & compertum habeamus, bonas sæpè malis, cõtrà malas bonis succedere vicissitudine quadam solitas.

Enarratio Grammatica.

Delicta.] Delictum est quid minus quàm peccatum. Illud enim fit omittendo: hoc committendo, quod non decet. Sic Græcè πλημμέλημα καὶ ἁμαρτία distinguuntur.

Refecerit.] Sic Cicero loquitur sub initium lib. 1. de Diuinat. *Quin etiam memoriâ nostrâ templum Iunonis Sospitæ L. Iulius, qui cum P. Rutilio Cos. fuit, de Senatus sententia refecit, ex Cæciliæ Baleatrici filiæ somnio.*

Sed *pro templa reficere* Cæsar dicit, *oppida vicosq; incenderant; restituere iussit:* & est *reficere*, vitiatum aliquid instaurare, vt Ode 1. lib. 2. *mox reficit rates quassas.*

Minorem quod te geris, imperas.] Id est quòd obsequium præstas, & obtemperas imperijs Deorum, & seruis ipsis libenter, imperium in alios habes. *Ideo*, vel *iccirco* videtur supplendum, vt sit, ob id longè lateque dominaris & imperas, quòd Deos veneraris.

Hinc omne principium.] Id est, incolumitas vestri imperij pendet è cultu Deorum & obseruatione ceremoniarum, & sacrorum. *Principium* autem videtur ita flexum à *principe* & hoc *à primo capite*, vt ex notis in Od. 2. lib. 1. perspicis, sicut *initium* eiusdem significationis ab *initum* ex admonitione Donati in Act. 5. Scen. 1. Andr. vers. 5. *vt beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes*, id est, cœpcũ, ab ineundo. vnde initia quoq; dicta sunt. Sic *ab ineunte ætate & vere*, pro incipiente dicimus. Similis fuit Ode 4. antè licentia cæsuræ, *vos lene consilium*: vbi duæ breues pro longa ponuntur.

Dederunt.] Sic Plautus, dare malum alicui. Gallicè *faire du mal a quelquun.* Idem per *facio* & aduerbium *malè* Cicero sæpiùs dixit: *facere malum alicui.*

Monæses.] Rex fuit Parthorum & Persarum, qui à Plutarcho in Antonio ita describitur: Μοναίσης ἀνὴρ ὀνομαστὸς καὶ δυνατός, *vir clarus & potens* qui amicitiam Romanorum non diu coluit.

Et Pacorus.] Pacorus Orodis filius natu maior à Ventidio imperatore Rom. occisus: fuit etiã Satrapa Parthicus de quo Plutarchus in vita Crassi ad finem, vt de Phraate Rege Parthorum natu minore qui Oroden patrem occidit ibidẽ & apud Xiphilinum in Augusto, & l. 6. Strabonis & 15. de quib. etiam Appianus lib. de Parthico, vbi legitur Mimestes. De ijsdem quoq; Dio l. 40. Orosius lib. 6. Iustinus lib. 42. & Florus lib. 3. cap. 11.

Bis.] Refertur ad vtramq; cladem, quã primùm Romani acceperunt ab illis regibus victo Crasso, deinde victo Labieno.

Renidet adiecisse.] Rarò reperias hoc verbum cum infinito. Valet, exsultat lætitiâ & gestit, quòd magis, quàm anteà, accessione Romanorum spoliorum nitear.

Prædam.] Præda definitur à Grammaticis, quod ex hostibus suis imperator quisque sibi parit, & ita dicitur, quàm diu manet indiuidua: sed militibus diuisa & quæstoribus tradita, & in ærarium relata, vocatus pecunia, non præda.

Occupatam seditionibus.] Ellipsis est præpositionis, quam Cicero ferè exprimit 4. de finibus: *occupatus in se conseruando:* & pro Fonteio, *in Dijs placandis occupatus.* Hic, solis seditionibus intentam, nullique alij rei vacantem significat.

Aethiops.] De Æthiopia vide Plinium lib. 6. ca. 30. & Strabon. lib. 16. & 17. vnde regionem Africæ cognosces esse inter Arabiam & Ægyptum. Ratio vocis Αἰθίοψ est quibusdam potiùs ἀπὸ τοῦ αἴθεσθαι ἢ, αἴθειν, ὅτι κεκαυμένην ἔχει τὴν ὄψιν, ἢ ὁ κεκαυμένον τὸ πρόσωπον ἢ κατ' ἄλλο ὄνομα, ἡλιόκαυστος, vno verbo, *quod sit à sole facie tosta illius incola.* Hoc etymon scholia Eustathij in periegesin Dionysij notarunt, quum de mari Erythræo loquitur; id est, rubro, πρὸς ὃ Ἐρυθρὰν εἶπεν διὰ τὸ πυρῶδες μάλιστα τῷ ἡλίῳ τὸ ἐκεῖ κλίμα· διὸ φασι, καὶ Αἰθίοπες οἱ κατοικοῦντες λέγονται, ὡς κεκαυμένοι τὴν ὄψιν. i. *nonnulli verò mare rubrũ ex eo nominarũt, quod illa regio maximè à sole incendatur. Eam ob rẽ, vt aiunt, etiã Aethiopes eius accolæ dicuntur facie torrida esse calore solis.* Ideoq; vt plurimum, λιπόχροες, τοῦτ' ἔστιν ὑπόθριξ καὶ μέλας & comã crispâ ipseq; omnino fuscus· ὅστις χρωματισμὸς ἔστιν ἀνεξάλειπτος. i. e. *qui calor est indelebilis atq; immutationis expers:* vnde Ieremias Propheta erui it argumentũ, quo prauitatem Israelitarũ inemendabilem pronunciauit c. 13. vers. 23. si mutare potest Æthiops cutem suam, aut Pardus varietates, & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum: prius est ἀδύνατον: erit igitur & posterius. Poterit locus legi ἐρωτηματικῶς, num mutare poterit?

Hic classe.] Ægyptij quingentas naues Cleopatræ suppeditauerant contra 250. Augusti.

Melior sagittis.] Dicitur eâ formâ, quâ Tacitus dicit, *bonus militiâ*, & Virgil. *bonus dicere versus*, pro, peritior iaculandi, peritus scientiæ militaris, Musicæ.

Fœcunda.] Significat, ex tempore spretæ religionis omnes, qui procreati sunt, mœchidios & spurios habitos fuisse, & peccatum semper aliud de alio incidisse: Quales corruptelas Augustus delere voluit, vt scribit Suetonius in ipsius vita cap. 40. *Magni præterea existimans sincerum ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum.* Itaque non est referendum, τὸ *nuptias*, id est, matrimonia, ad Augustum, neque ad Antonium: sed generatim ad vniuersalem ciuium deprauationem. Huius autem adiectiui fœcunda, syntaxis est altera apud Plautum in Cistel. *fœcundissimus melle & felle amor*, & Virgilium *fœcunda pœnis viscera*, id est, Seruio, in pœnas toties renascentia, quoties à vulture fuerunt exesa. Intelligit autem Seruius ex hoc genere σωκρατοχαῶς iecur Tityi, vt sedem libidinis, sicut Od. 4. huius lib. expressum fuit.

Ionicos.] Iones fuerunt auctores mollium saltationum & motuum Venereorum: ideoque à Platone l. 3. de Repub. è ciuitate expulsi sunt. De qua pueritiæ corruptela lege Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 14. *Nobilium, ait, filios, & (quod dictu nefas est) filias quoq; virgines inter studiosa numerasse saltãdi meditationem, testis est Scipio Africanus Aemilianus, qui ingemuisse dicitur, quòd vidisset cum crotalis saltantem filium pretoris, id est cãditati, quem ne tum quidem spes & ratio adipiscendi magistratus, quo tempore se suosq; ab omni probro debuit vindicare, potuit coercere, quo minùs consueta faceret.* Plura ibidem leges. Hi autem populi dicti sunt Iones ab Ione Xuthi filio & Hellenis nepote: vnde Ἰωνία χώρα, & ab hoc τὸ Ἰωνικὸν, quod est proprium Ionum, vt Ἰωνικὰ πολυτέλειαι καὶ τρυφαί· *Ionici luxus & deliciæ*, Item Ἰωνικαὶ ὀρχήσεις καὶ ᾄσματα, *molles & impudicæ saltationes & cantilenæ*, cuiusmodi est, τὸ μιλτόδριον Ἰω-

νικὸν, Aristoph. sub finẽ ἰυγκλησία, quod Scholiastes interpretatur, τρυφηλὸν, sicut Ἴωνας τρυφηλὰς, *voluptarios, molles & delicatos.* Hinc quoque Ἰωνικῶς, pro molliter & luxuriosè apud Aristophanem, ὅτι ἁβρόντες ὄζειν ἢ τῶν Ἰώνων μαλακία καὶ τρυφή, *quòd mollities & luxus Ionum valdè sunt famosæ.* Vnde γέλως ἰωνικὸς. Risus Ionicus & Philostratus de Ionia Epist. 40. καὶ τί τῆς γῆς ἀνάνης ἁβρότερον. *Et quid ea terra delicatius, & mundiciæ studiosius?*

Matura virgo] Quæ Xenophonti Pæd. 4. dicitur, ἔστι δέ μοι θυγάτηρ παρθένος ἀγαπητὴ γάμου ἤδη ὡραία· *est autẽ mihi filia virgo cara iam matura toris & nubilis,* vt Horatius sine rectione τὸ *maturus* vsurpat & Virg. 7. Æneid. *matura viro filia,* sic Græci τὸ ὡραῖος.

Iam nunc.] Nota est certi cuiusdam ac præmaturi temporis, qualis est illa Virgil. 1. Georg.

Et votis iam nunc assuescere vocari.

Qualis etiam Ciceronis 1. Verri. *quæ quum cogito, iam nũc timeo,* pro, *quasi ante tempus metu conficior.*

De tenero.] Interpretatio est Græci prouerbij ἀπὸ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων, *à teneris vnguiculis,* id est, ab ineunte ipsa puericia, quod reperies apud Plutarch. ἐν τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, sic enunciatum: ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἀγαπῶσι τὰ τέκνα, & à Cicerone vsurpatum Epistol. 6. ad famil. Lentulum: *Præsta te eum, qui mihi à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis cognitus es:* pro quo dicit idem Epistolâ sequenti: *à puericia inflammatus fuisti ad omnem gloriam,* & lib. 3. Epist. 16 ad Cæsarem imperat. de P. Crasso: *de quo ab ineunte etate bene sperauisset.* Aliquando ab eodem dicitur: *ab initio ætatis doctrinarum summè fuisti studiosus.* A Terentio deniq; : *postquam te emi à paruulo &c.* Hoc tamen non satis cõsentire videtur cum superiori maturitate puellæ, nisi velit Poeta notare libidinem adeò virgini innatam, vt iam inde vsq; à teneris & prima puericia exercuerit se in amoribus nefandis.

Inter vina.] Ita Solon, ἐν ποτῷ οὐδεὶς μωρὸς διώκηται σωφρόνως, Græcè loquitur, id est, inter pocula & commessationes: quomodo sæpiùs boni auctores Latinitatis loquuntur, inter viam & cænam, vt ipse Satyr. 2. lib. 2. *inter lances & mensas,* quàm per Gerundium, inter potandum, eundum, cæuandum & similia, vt Græcè παρ' οἶνον. ἐν τῷ ὁδοιπορεῖν, ἐν τῷ δεῖπνον, ἐν τῷ μάχῃ. Sic Plutarchus quoque in libello de consolatione ad Apollonium dicit, Μίδας ἔλαβε τὸν Σειληνὸν μετὰ τῶν θήρων. *Rex Midas comprehendit Silenum inter venationem.* Vnde mihi est mirum, cur Donatus in hunc locum Terentij Enuch. Act. 4. Scen. 2. *Cœpi mecum inter vias cogitare,* annotârit: figuratè & nouè inter vias, pro inter eundum nisi velit per figuratè intelligere, quod Seruius dicit Æneid. 4. vers.

Vt celsas videre rates atq; inter opacum
Allabi nemus.

Id est, per nemus, & est honesta elocutio, vt si dicas: inter cœnam locutus sum, id est, per cœnam, & in 7. Æneid. crebra est Frontonis elocutio. Interdum etiam *ad vinum disertus, ad aquam mutus,* dicit Cicero, pro, inter: & Suetonius sæpè, *super cœnam multa transigere,* quod etiam in Catone maiore per, *in,* expressit: *Qui gubernatorem in nauigando nihil agere dicat,* & Gaza vertit per nomen, ἐν τῷ πλῷ. Sæpè tamẽ ἐν τῷ πλεῖν. Sic Terent. And. Act. 4. Scen. 4. *Quum in pariendo aliquot adfuerunt liberæ,* id est, inter partum. Aristoph. etiam dicit ἐν ὄπῳ σοφώτατον εἶναι, & Thucydides ἐν σπονδαῖς, *inter pocula maximè sapere, & inter libationes:* quod Catull. imitatus est Epig. in Asinium 12. *Marrucine Asini manu sinistrâ, Non belle veteris in loco atq; vino* Tibullus lib. 2. Eclog. 7.

Cruraq; sonant ferro: sed canit inter opus:

Non inter operandum. Item Cicero lib. 7 ad fam. Trebo. Epist. 17. *Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram.* Qui autem Latinè scripserunt longè procul ab aurea linguę Latinæ ætate, id per gerundium extulerunt. Agellius lib 3. initio dicit, *inter ambulandum legatur Catil. Sallustij.* Hæ autem locutiones tempus designant.

Luminibus.] Id est, sine arbitro & teste.

Surgit.] Verbum surgendi quidam referunt ad discessum è mensa & triclinio: alij à lecto: quod posterius minùs probatur propter τὸ *coràm,* nisi velis intelligere Triclinium epulare. Particulam autem *coram* Donatus sic in Adel. Act. 4. Sc. 3. à *palàm* distinguit ad hunc versum: *Quapropter te ipsum purgare ipsis coram placabilius est,* vt τὸ *coràm* indigeat adiectione, ad certasq; personas referatur: sed τὸ *palàm* non indigeat, & generaliter dicatur. Sic varia est opinio, à quo iussa sit surgere, ab adulteróne, an suâ libidine instigata.

Non sine conscio] Hoc Græci efferunt, τοῦ γαμέτου αὐτῆς συνειδότος, consentiente ipsius marito vxoris Lenone (quomodo Iuuenalis appellat Sat. 1. maritũ dissimulãtem adulteriũ vxoris suæ & bona mœchi accipientem, quæ non poterãt per legem Domitiani mœchę legari) sic postea dicet, *militare non sine gloria,* id est, comitante pugnam gloriâ. Simile adulterium Augusto obiectum est à M. Antonio, *quòd fœminam Consulare me triclinio viro coram in cubiculum abduxerit, quæ rursus in conuiuiũ rubentib. auri. uls, incomtiore capillo reducta est.* Suet. in Oct. c. 69. Quod Æmilius Probus conqueritur ad hunc modum: *Quos Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius non materfamilias locum primum tenet ædium, atq; in celebritate versatur? longè aliter in Græcia fiebat, vbi nulla mulier pudica in conuiuio, nisi propinquorum, accũbebat, neq; sedebat, nisi in anteriore ædium parte:* quo quidem more honesto Philodemus, vt Cic. scribit in Verrem, repudiauit hanc Rubrij petitionem. *Postquam satis calere res visa est Rubrio: Quæso, Philodeme, cur ad nos filiam tuam, vocare non iubes? Homo, qui & summâ grauitate, etiam id ætatis & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto. Instare Rubrius; tũ ille, vt aliquid responderet, negauit esse moris Græcorũ, mulierem accumbere conuiuio virorum. Institor.*] Gall. *facteur de marchant.*

Dedecorum.] Sic Suetonius videtur dedecorum vsurpasse pro impudicitia in Octauio cap. 68. *primâ iuuentâ variorum dedecorum infamiam subijt.*

Pretiosus emtor.] Qui nulli sumtui parcit vllâ in re, quâ sit opus ad flagitium & turpitudinẽ adulterij parandam, Gal. *qui n'espargne rien pour ses plaisirs.* Ex Suetonio etiam animosus emtor posset dici in Iulio cap. 47. qui scribit hũc tabulas operis antiqui semper animosè comparasse: quòd Plin. lib. 35. ca. 11. confirmat; hunc emisse à Timomacho Aiacem & Medeam 80. talentis.

Sabellis.] Sabelli populi Italiæ fuerunt, quos, vt ait Plinius lib. 3. Latini vocârunt Samnites. Strabo scribit lib. 5. Sabellos, qui à Sabinis genus & nomen ὑπηκοϊστικῶς inuenerunt ex Italiæ finibus eiectos & Samnitum nomen exstinctum à Sylla. Sabini autem dicuntur à Græcis Σαμνίτες.

Masculâ.] Id est, fortis, animosa & virilis. Sic Lacæna mater dicitur Ἄρρενα ῥῆξαι φθόγγον, *validam, acrem & vehementem rupisse vocem* in filij ignauiam lib. 1. Epigr. Græc. cap. 5. de fortitudine, sed τροπικῶς.

Doctâ versare.] Helleniśmus est, pro assueta glebis terræ ligone resoluendis.

Solvit.] Cicero lib. 2. de natur. Deorum scribit *solem dictum, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus: vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet.*

Mutaret.] Id est, maiores faceret, illiq; totum horizontem spargeret.

Abeunte curru.] Quum sol, peractâ diurnâ conuersione, subit terras & occidit: qui fingitur à Poetis Græcis & Latinis trahi equis;

Interea

Intereà volucres Pyroïs, Eous & Aethon
Solis equi quartus, Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulsant.

Damnosa.] *Spes hodie minor est, here, quæ fuit, atq; eadē eras*
Deteret exiguis aliquid. ait Iuuenalis Sat. 3.

Aetas par.] Hoc videtur sumtum è verbis Mineruæ sub persona Mentoris ad Telemachum Odyss. β.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται·
Οἱ πλέονες κακίους· παῦροι δέ τε πατρὸς ἀμείνους.

Pauci enim liberi sunt patri similes. Plures deteriores: perpauci contrà patre præstantiores.

Progeniem.] Quod Græcè dixeris ξυνήσαντας ἐν βεβηκεῖ πλῶ αἰὰ βοφλὼ φαυλοτέραν. in peius enim ruunt omnia, inquit Basilius.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri non dissidet à metro 9. l. 1.

[a] Synecdoche vnius pro multis, qui luunt pœnas pro peccatis maiorum.

[b] Hæc cadunt variè per polyptoton.

[c] Meton. subiecti pro incolis Italiæ, qui iamdiu maximis in luctibus sunt.

[d] Metaph. est ab iis, qui conterendo in pilis succum è rebus exprimunt, vel eas in puluerem pilis, molis, malleis, redigunt. Propriè Virg. dicit Eclog. 2.

Allia serpyllumq; herbas contundit olentes.

Translatum verò geminatur cum *comprimere, frangere, obterere animum, audaciam & calumniam.* Manus quoque simili tropo dicitur pro militarib. copiis duorum Regum: sicut *renidet*, à nitore corporum ad hilaritatem animi indicandam. Valet igitur: *Gaudet amplissimis Romanorum spoliis, gloriaturq; se optimâ prædâ locupletatum, maximeq; auctum esse.*

[e] Sumtum videtur à pictorum lituris, quæ inducũtur coloribus. Sæpiùs translatè sumitur. *Delere ædificia, famam, leges, mulieres ex animo, exercitum,* quàm propriè. Reperitur quidem *delere lacrymis Epistolam & maculam.* Prætereà *Vrbem* synecdochen habet generis pro Roma.

[f] Synecdoche speciei contraria proximæ pro Germanis ad Istrum, quos vicit Augustus ad Actium, de quibus Dio lib. 51. Deinde simili tropo Aethiops pro Ægyptiis, qui partes tuebantur Cleopatræ & Antonij, de quibus triumphauit Augustus, vt est videre Ode 9. Epodõn.

[g] Metaph. est ab vbertate terræ.

[h] Meton. temporis adiuncti pro flagitiosis & libidinosis hominib. illius temporis. Similibus tropis Cõsri. Tacitus dicit, *seculum virtutum sterile.* Gall. *siecle ou tout vice abonde.* pro hominibus huius temporis nullâ virtute præditis.

[i] Tres hîc metaphoræ continuatę ab aquis, *fonte, deriuata, fluxit*, allegoriam faciunt, quâ significat à fœdis adulteriis, tanquam ab vberrimo fonte, perniciem ingentem, ac grauissimum exitium Romanis allatum esse. Simplici tropo Phormio Terentianus Act. 2. Sc. 2. dicit *in me omnẽ iram deriuem senis.* Iisdem de caussis Sodomam & Gomorrham æstus sulphureus & subitus terræ hiatus absorbuit & deuorauit. Nescio quid hîc mihi præsagiat animus exitij in nostram patriam, quæ tam diu immẽsâ voragine ac gurgite vitiorum refluat.

[k] Synecd. est generis pro mollibus & lasciuis Venereisque saltationibus, quas nescire iam in Gallia vitio puellis vertitur. O vanas hominum curas perditosque mores!

[l] Si propriè sumas hoc verbum, vt puella gaudeat membra sui corporis effingi & conformari ad flexus decentes compositosque motus; *artubus* videtur legendum: sin per metaphoram à figulis pro doceri, institui & erudiri; *artibus*, vt Epist. ad Pisones.

——Voce paternâ
Fingeris ad rectum.

vt etiam est illud, *se totum ad arbitrium & nutum alicuius fingere & accommodare.*

[m] Duplex est tropus: prior est μετωνυμία signi pro ætate puerili indicata: alter est metaphora ab animalib. pusillis, quibus vix dum ægrè vngues accreuerunt. Nõ equidem possum illibenter, nec inornatè huc appellare doctam eruditamq; Marci Beumleri Tigurini analysin in Ep. 6. l. 1. ad fam. Lentulum, qui hanc nobiscum explanationis methodum studiosè colit, eiusdemque coniecturam subtilem quidem & acutam, de ratione huius tropi & notas subscribere, *vulgò*, ait ille, *cum Erasmo interpretantur hoc adagium, à prima pueritia, vt metaphora sit à catulis, quorum vnguiculi nondum induruerunt: cui interpretationi suffragari videtur illud Horatij in Odyss.*

——& incestos amores
De tenero meditatur vngui.

Etsi autem istam interpretationem nec improbo, nec repudio: tamen vt de ea nonnihil dubitem, facit diligens consideratio loci apud Plutarchum lib. περὶ παιδῶν ἄγω, &c. qui paulò aliter videtur hoc prouerbium vsurpasse. Hæc sunt ipsius verba, quibus probare studet matres debere vbera præbere suis liberis. συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι, καὶ διὰ πλείονος ἐπιμελείας ὡς αὐτὸ ἔνδοθεν, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὀνύχων ἀπαλῶν ἀγαπῶσι τὰ τέκνα· αἱ τιθῶσαι δὲ καὶ αἱ θρεψαι τῷ δύνοιαν τοῦ βολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅτε μισθὸν φιλοῦσαι, i. *Impensius enim nutrient ac maiori cum diligentia, tanquam intrinsecus, &, quod dicitur, à teneris vnguiculis amantes liberos. Nutrices verò succedaneam & adscititiam habent beneuolentiam, vtpote quæstui inhiantes: ex hoc loco prouerbium seu allegoriam præsentem sic a Græcis vsurpari cõsuesse, vt significaret insitam quandam & quasi naturalem ad rem aliquam inclinationem. Atq; huius meæ coniecturæ duas rationes afferri posse video: prior est, quòd Plutarcho τὸ ἔνδοθεν, seu naturaliter idem significat, quod τὸ ἐξ ὀνύχων ἀπαλῶν, i. à teneris vnguiculis. Nã hoc posteriori prius illud illustratur. Altera ratio est antithesis, quâ Plutarchus illud à teneris vnguiculis non opponit vel constanti ætati, vel senectuti: quod omnino factum oportuisset, si τὸ teneris vnguiculis primam pueritiam significaret: sed id opponit τῷ ὑποβολιμαίῳ καὶ τῷ παρεγγεγράπτῳ, i. beneuolentiæ succedaneæ & ascititiæ. His rationibus præsentem locum sic expono, præsta te eum, quem naturâ ad res aduersas moderatè constanterq; ferendas præclarè comparatum esse cognoui.* Quãquam hic locus nostri Poetæ non planè tam apertam puellæ habeat inclinationem ad flagitia, vt ille Plutarchi ad constantiam maternę beneuolentię: origo tamen ipsius in versu, *fœcunda culpæ, &c.* notata & acerrimum impudicarum saltationum ac venereorum motuum studium, cui est puella impensè dedita, videtur eãm arguere naturalis ac insitæ in terram libidinem propensionis vt hic locus possit exponi, eandem naturam comparatam ad talem meditationem atque Gallicè posse reddi, *elle s'addonne de son naturel à impudicité & paillardise.*

[n] Synecd. est generis pro illicito concubitu.

[o] Non verebor hîc eundem notare tropum, quanquam Donatus in Act. 1. Sc. 2. And. in vers. D. *ita aiunt S. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.* notârit hanc vocem μεταφορικῶς sumendam: quòd iudicârit, credo, eam propriè dici de Doctore artium, vt ex eo apparet Phormionis citato loco, *me filiis reliquunt quasi magistrum.* Ego autem existimo τῷ λέξιν καθολικῶ, vt magister sit, cuius auctoritate, consilio, exemplo nitimur in qualibet re suscipienda, vt hîc pro rectore nauis & in Terent. pro suasore amoris, aliàs pro domitore equorum, aliàs pro professore artium, vt Mercurius Ode

11. ſeq. dicetur magiſter Muſices.

p Synecd. eſt generis, pro ſol adducens noctem gratam feſsis agricolis.

q Recta comparatio videtur requirere, *ætas parētum eſt peior ætate maiorum:* ſed apertior & facilior erit ſententia, ſi per metonymiam accipias hoc modo: *homines æquales noſtrorum parentum peiores ſunt æqualibus auorum, & nos deteriores vtriſq́, & filij nobis, & his erunt nepotes:* Illa eſt gradatio per incrementum perpetuò ſuccedentis improbitatis. Habet autem iſta interrogatio:

Damnoſa quid non imminuit dies? tres poſtremos verſus ἀντυποφορᾶς pro ſubiectione. De hac autem temporis efficientia ſic Sophocles in Aiace.

Ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
Ἅπαντα τὰ ἀνθρώπεια!
Quam omnia humana deprimit dies
ac rurſus euehit!

Item Euripides:

Χρόνος τ' ἀμαυροῖ πάντα κ' εἰς λήθην ἄγει·
Tempus obſcurat omnia & obliuione delet.

Ariſtoteles definit lib. 4. Phyſ. tempus eſſe numerum motus cęleſtis ſecundùm prius & poſterius: in quo Philoſophus quinque capita; decimum, vndecimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquartum dicti libri conſumit: Si vis locum vide. Hæc etiam temporis definitio tribuitur Platoni, ὅτι χρόνος ἐστὶν ἡλίου κίνησις μέτρον φορᾶς, i. *tempus eſt ſolis motus & mēſura lationis:* ſed hæc temporis definitio non ſatis mihi probatur: quippe quòd antequam Deus condidiſſet ſolem, tempus erat, id eſt, duratio rerum primo, ſecundo & tertio diebus iam creatarum. Vide alias rationes contra præſentem temporis definitionem Ariſtotelicam in ſcholis Phyſicis P. Rami. Sed quòd tempus ſit rerum omnium edaciſsimum, & ſuâ falce reſecet omnia, paſsim apud Poetas & Græcos & Latinos legitur. Vnum pro multis teſtimonium tibi citabo:

Σήψει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος.
Putrefaciet etiam lapidem longum
tempus.

r Videtur hîc metonymia adiuncti pro ſubiectis liberis vitæ ſolutioris, quàm patres fuerunt. Sic Sophocles in Οἰδιπ. τυράν. νέαν τροφὴν ſumit nouam ſubolem pro ἀνατραφέντας ἢ ἀναθρέπτους *alumnos* quos ſuſtuleris & educaueris, vti Scholiaſtes illic notauit:

Ode VII. Ad Asterien.

Theticum.

Hæc Ode partim eſt conſolationis, partim admonitionis: illâ, vt Aſterie bene de breui reditu Gygis mariti fidelis ſperet; hac, vt intereà ipſa illi reſpondeat fide coniugali, vti videtur Poeta.

Quid fles, Aſterie,[2] *quem tibi*[a] *candidi*
Primo reſtituent vere[b] *Fauonij,*
Thynâ[c] *merce beatum,*
Conſtanti iuuenem fide,
Gygen?[3] *Ille*[d] *Notis actus ad Oricum*
Poſt inſana Capræ ſidera frigidas
Noctes, non ſine multis
Inſomnis lacrymis agit.
[4] *Atqui*[e] *ſollicitæ nuncius hoſpitæ,*
Suſpirare Chloen, & miſeram tuis
Dicens ignibus[f] *vri,*
Tentat mille vafer modis.
[5] *Vt Prœtum*[g] *mulier perfida credulum*
Falſis impulerit criminibus, nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens,
Et peccare docentes
Fallax hiſtorias monet
Fruſtra.[6] *Nam ſcopulis ſurdior*[h] *Icari*
Voces audit adhuc integer.[7] *At tibi*
Ne vicinus Enipeus
Plus iuſto placeat, caue,
[8] *Quamuis non alius flectere equum ſciens*
Aequè conſpicitur[k] *gramine Martio:*
Nec quiſquam citus æquè
Tuſco denatat[l] *alueo.*
[9] *Primâ*[m] *nocte domum claude, neq́ in vias*
Sub cantu querulæ deſpice tibiæ:
Et te ſæpè vocanti
Duram, difficilis mane.

Analyſis Dialectica.

Hæc periocha ſtatim poſt adhibitam conſolationem prodit primâ fronte principem rationem, quâ demonſtratur, parium eſſe contentionem: Nam Aſterie à Poeta monetur, vt in ſeruanda ſemper & vbique fide marito peregrè mercatum profecto perinde ſibi conſtet, atque maritus ipſe facit: quòd clariùs & aptiùs ad formam, quâ proponitur ſic enunciari poteſt: *Quando vir tuus & amicus meus Gyges aliam mulierem, etiam valdè ſollicitatus, non amat; ne tu quoq́ Aſterie ſollicitata virum alium ames.* Protaſis huius comparationis ad 22. verſus producitur. Neque verò vt de coniugum pari fidelitate interpreter Oden, me deducet coniectura quorundam, qui de nomine mulieris peregrino coniiciunt eam fuiſſe meretricem. Infirmum certè ac leue videtur argumentum, quum liberum ſit huiuſmodi nomina fingere: cuius rei quis ſibi maiorem licentiam permittit, quàm noſter Poeta? Illud quoque alterum, quod eſt ἄτεχνον, non eſt maioris ponderis nec ſubſidijè quibuſdam exemplaribus: vbi Ode inſcripta reperitur, ad Aſterien meretricem: vnde probabilior complexio, vt illi dicunt, conficitur. Præclarum ſanè munus hæc cōiectura, ſi vera eſt, defert Poetæ, vt in ipſius cuſtodiam, tanquam impuri lenonis, tradita ſit meretrix, de qua ille ſit tantopere ſollicitus, cuiusque cauſsâ vir ſe dedat tam muliebriter lacrymis & lamentis: illius quoque ſomnum abrumpat. Prętereà quis, niſi meretricij ingenij planè

nij planè imperitus, talem amoris constantiam in meretrice requirat? Non autem id ideo dico, quòd Poetam velim omnino ab obscænitate cantandi vindicare: quæ nimis sit illi familiaris: sed quia hæ virtutes; fidelitas & constantia, longè videntur à meretriciis moribus & technis abesse & sancto coniugio tribui debere.

2 Protasis de Gyge illustratur adiunctis, quòd ille constanter fideliterque permaneat in coniugij societate inoffensa & se integrum seruet ab omnibus adulterij inquinamentis: quòd mercibus Bithynis & Ponticis, i. probatissimis rediturus sit ad ipsam valdè onustus proximo vere, quum mare placidum stabit, quę omnia illi debent omnes abstergere fletus.

3 Eadem protasis augetur caussâ violentâ ad tractę moræ excusationem; quòd vi & Fortunę vitio, nō suo, coactus tamdiu absit ab vxore, atque humanum consilium diuinâ necessitate sit superatum. Hoc genus caussę dicitur Aristoteli κατὰ πᾶν ἀνάγκην καὶ τύχην, *per necessitatem & casum*: huic contraria est κατὰ προαίρεσιν καὶ νοῦν, *è consilio, iudicio & voluntate*: à qua posteriori caussâ, quàm lōgissimè absit, satis testantur tot insomnes & inquietæ noctes: quales semper ducit Gyges.

4 Eadem de continentia & constantia Gygis amplificatur loco diuersorum ad suspicionem Asteries leuandam & à Gyge remouendam: vbi Poeta quidem more consolatoris, fatetur ab hospita mariti sui Chloe nuncium mitti, qui illum, quibuscunq; potest modis, sollicitet ad talem animi alienationem ab ea: sed nihil dum promouisse suis artibus: tam firma est Gygis beneuolentia & fidelitas in vxorem.

5 Priùs tentauit nuncius commiseratione doloris allicere Gygen ad vices redamandi Chloen: nunc eundem commouere metu è genere quodam comminationis, referens, quomodo contemtio amoris oblati semper citò habeat coniunctum discrimen & periculum, cuius metu Phædra scribit ad Hippolytum pudorem suum ab amore victum:

Quicquid amor iussit, non est contemnere tutum:
Regnat, & in Superos ius habet ille Deos

quod duobus exemplis confirmat; Bellerophontis & Pelei: quorum salus vehementer periclitata est: illius, quum Anteam Præti regis Argiuorum vxorem amantem se fastidiuit: huius Pelei, quum Hippolytam Creteiden Acasti regis Thessalorum vxorem amore ipsius captam non audiuit.

6 Per collationem minorum dicitur Gyges sustinuisse firmiùs se ab assensu, quàm surdi scopuli à reddēdo responso periclitantibus in mari abstinere solent. Audiuit quidem illecebras; sed immotus & inexorabilis permansit in fide & integritate.

7 Apodosis est, pars altera superiorum parium: quæ longo verborum interiectu & sententiæ clarioris gratiâ videtur repetenda: *Quando Gyges maritus tibi constanter fidem seruat, illiusq; frangendæ caussam vitat omnem: idem tu vxor illi præstato.* Itaque hic Asterie monetur ex factis de seruanda marito Gygi æquali continentia & fidelitate: quod fiet, si det operam, ne illecebris cantilenarum, scitâ equitatione, celeriq; natatu vicini Enipei se facilè patiatur deliniri: sed ad hęc omnia semper obsurdescat & cæcutiat.

8 Ad eandem constantiam inuitatur Asterie è loco diuersorum: *Quanquam Enipeus omnibus suis æqualibusq; præstat scientiâ equitandi, celeritate natandi, peritiâ cantandi: non te tamen hæc omnia sic commoueant, vt animum tuum à marito alienes ad turpem adulterum.*

9 Hoc consilium ex effectis eódem pertinet, vt prudenter se muniat aduersus illecebras scortatoris, qui, blanditiis voluptatum & omni artificio simulationis eruditus, solet animum castissimę mulieris delinire & corrumpere, nisi prudenter se obfirmet ἀγοήτου τινὸς, *præstigijs ac fascinis inuictam*, more serpentis aduersus incantatorem: aut potiùs imitetur Antoniam Germanici Drusi matrem: quam Valer. Maxim. lib. 4. c. 3. scribit egregiâ fide amorem mariti sui, etiam, mortui pensasse, quum post ipsius excessum habuerit cubiculum socrus pro coniugio.

Enarratio Grammatica.

Asterie.] Syntaxis verborum est: *quid fles Gygen Asterie: quem, &c.* Hęc vox ἀστὴρ τὸν ἀστέρα *a stella splendida* dici videtur, quasi micantibus ocellis esset prædita: nisi fortè malis sic cognominatam παρὰ τὸ Ἀστέριον, τὴν νῆσον μίαν ἐσαν τῶν Κυκλάδων, i. *ab Asterio Insula vna ex Cycladibus, quæ instar astri videbatur fulgere.* Huius etiam nominis est piscis & auis è genere mustellorum & ardearum.

Fauonij.] De Fauonio, sicut de vere fuit Ode 4. lib. 1. addam tamen Zephyrum siue Fauonium ab occasu æquinoctiali spirare ac sæpiùs verno tempore 7. Idus Febr. ex Plin. l. 2. Situs tamen Orici, vbi hic Gyges morabatur, est in sinu Ionico & in maritimis Epiri Hydrūti Italię oppositis: vnde nauigaturi Romam ibant versus occasum: initiò contra Fauonium, & mox versus meridiem. Ex qua itineris conditione videtur generatim intelligendus pro vento secundo. Pomponius tamen Mela ponit Oricum in ciuitatibus Cypri, & Stephanus dicit in genere masc. Ὅρικος.

Gygen.] Nempe volentem cupidè restitui suis & patriæ. Sic Donatus in Eunuch. Act. 1. Scen. 2. definit τὸ *restituere* & distinguit à *reddere*: quod hoc sit volenti aliquid reponere. Eiusdem nominis fuit quidam rex Lydorum ditissimus: vnde Γύγαδας χρύσος *aurum ipsius*, quod Delphis obtulit: de quo, vt de annulo, vide Herodotum lib. 1.

Thynâ.] Bithyni finitimi fuerunt Thynis: vnde Plin. lib. 5. scribit Thynos colere oram Asiæ extremam, & Bithynos interiorem. E lib. 22. Ammiani Historici discimus Bithyniam in Mariandenam & Thyniam distributam: de quibus fuit Ode 37. lib. 1. Vterque autem populus vicinus Ponto ad Europam etiam vergit ex Strabone libro 12.

Constanti fide.] Quidam legunt *cōstantis fide*, & sic prisca est inflexio pro *fidei*: qualis illa Virgilij lib. 1. Georgicōn:

Libra die somniq; pares vbi fecerit horas.

& Ouid. 3. Metamorph.

Prima fide vociq; rata tentamina sumsit.

De qua flectendi prisca ratione lege Agell. l. 9. c. 14. cui vetustati locum non linquit lectio *constanti inuenem fide.* Contrà Plautus in Pseudolo αἰχαϊκῶς dicit: *apud te parum stat fides*, i. *fidei* pro *fides parum est firma*, & Cicero pro lege Manilia. *fides tibi concidit, Tu as perdu ton credit, on ne se fie plus en toy.*

Oricum.] Est quibusdam ciuitas Ciliciæ: aliis oppidum & portus in confiniis Epiri & Macedoniæ è Stephano de Vrbibus & ex Mela lib. 2. cap. 3. Plinius quoque scribit lib. 3. cap. 23. *At in ora oppidum Oricum, à Colchis conditum: inde initium Epiri: montes Acroceraunij*; de quo suprà.

Pòst insana.] Quia ortus & occasus capræ Amaltheæ stellæ cient tempestates; non satis constat, vtro modo sit explicandum: an post occasum capræ qui fit 5. Calend. Ianuar. Columellæ lib. 12. an post ortum eiusdem, qui fit 5. Calend. Octob. eidem & eodem

libro. De quo vide Oden 2. huius libri.

Insomnis.] Quod Homerus Iliad. 1. vers. 225. paullò aliter protulit:

Ὡς ἐγὼ πολλὰς μὲ ἄϋπνος νυκτὰς ἴαυον.
Sic ego multas insomnes noctes traduxi.

Sed, vt hîc, epitherum ἄϋπνος refertur ad homines Odyss. τ.

Ἀλλ' ἐ γάρ πως ἔξιν ἀΰπνους ἐμμένοι αἰὲν
Ἀνθρώπους;

Enimuerò quomodo homines possent semper esse insomnes?

Sine lacrymis.] Qui sic hanc vocem scribunt, eam deflectunt à Græca ἄκρυον: qui verò *lacrima*, à laceratione mentis: ad quam alludit etiam etymum Græcæ, ὅτι δακνομένης τῆς ψυχῆς πρώτον· quòd ab animo malis demorso profunditur.

Chloen.] De hac voce vide Od. 23. l. 1.

Ignibus vri.] Ardet perditè, maritum tuum deperit, & tabefit amore & desiderio illius.

Vafer.] Grammatici volunt dici quasi *valdè afer* & vrbanus. Eódem pertinet notatio vocis *astutus* παρὰ τὸ ἀστυ, *ab vrbe*, quòd qui vrbes incolunt, aliis sint callidiores: & cum his coniunguntur *versutus, fallax, malitiosus, veterator & callidus.*

Criminibus.] Crimen dictum videtur ἀπὸ τοῦ κεκριμένου διὰ τῆς σελκοπῆς, *ab eo quod accusatur & damnatur.*

Bellerophonti.] Syntaxis verborum est huiusmodi: *nuncius refert, vt perfida mulier impulerit Prætum credulum falsis criminibus maturare necem casto Bellerophonti*: quod Ἑλληνικῶς dicitur, pro ad castum Bellerophontem citò interficiendum: cuius loco Virgil. dicit Æneid. 12. *Iam neci Sthenelum dedit.* Sed licet ab Homero fabula Bellerophontis narretur Iliad. ξ. & ab aliis: libet tamen eorum gratiâ, quibus illorum libri minimè suppetunt, illam perstringere. Fuit igitur initiò Hipponus vocatus & posteà Bellerophontes vel Bellerophon πεγασυλλέως proprer Bellerum Corinthiorum principem ab ipso interfectum, quasi ἀπὸ τοῦ φόνου τοῦ Βελλέρου, vel potiùs παρὰ τὸ τὸν Βελλέρου φονεύειν, *à cæde Belleri.* Hæc est ratio nominis. Ideò Scholiast. Theocriti Idyl. 15. dicit:

——Κοείνθιοι ἐσμὲν ἄνωθεν
Ὡς καὶ Βελλερόφων.

Corinthiæ sumus ab origine, sicut & Bellerophon:
Κοείνθιος δ' ἦν καὶ Βελλεροφόντης. *Corinthius autem erat Bellerophontes.* Etymologus tamen Græcarum vocum τὸ βελλέρα interpretatur τὰ κακά, vnde Bellerophontes ὡς περνοούμενος παύειν τὰ κακά, *tanquam qui prudentiâ facit finem malorum.* Sed prior probabilior est. Genus quidem reuera ducebat à Neptuno: sed opinione falsâ, à Glauco filio regis Ephyræ duxit paternum. Memorant inter eius res gestas post occisum à se Bellerum profugisse ad Prœtum regem Argiuorum, & ab eo de cæde facta expiatum, sed falsò accusatum ab Antæa vxore: quę aliis, vt Tragicis & Eustathio in hunc locum, est Sthenobœa, stupri oblati. Posteà missum fuisse à Prœto sic persuaso, qui nollet ipsum occidere, ad Iobaten socerum cum literis de ipsius nece. Verùm Iobates rex Lyciæ maluit illum in expeditionem mittere contra Solymos hostes suos immanissimos cum exiguis copiis, vt faciliùs cum his opprimeretur, quàm domum suam illius sanguine contaminare. Inde salùo & victori regresso Iobates vehementer gratulatus est & patriæ: ac rursus illum obiicit prodigiosæ Chimæræ, quam occidit. Tandem Iobates virtute iuuenis adductus, alteram ipsi filiam in matrimonium locauit: cuius rei auditione Antæa vel Stenobœa cruentas sibi manus attulit, conscia stupri Bellerophonti à se oblati, non contrà, & verita ne sibi ista calumnia verteretur aliquando dedecori & probro. Quod attinet ad Chimæram, quidam putant fuisse Chimarrum piratam in Lycia, quem occidit, adiutus equo alato à Neptuno accepto: vnde creditur equitatio fuisse primùm hominibus in vsu, & posteà Thessali ob eam Centauri habiti: de quo equo Hesiodus in Theogonia:

Τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν
Ἐξέπορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος,
Τῷ μὲ ἐπώνυμον ἦν ὅτ' ἀρ' Ὠκεανοῦ ἀπὸ πηγὰς
Γείνετ'.

Eius (Medusæ) quum Perseus caput abscidisset cerulicibus exiliit Chrysaor magnus & Pegasus equus ita cognominatus, quòd ad Oceani fontes natus esset.

Plinius lib. 8. cap. 21. *Sphingas*, inquit, *Aethiopia generat, multaq; alia monstra similia, equos alatos & cornibus amatos, quos Pegasos vocant.* Quum equus dicitur alatus à Poetis, hi videntur alludere ad etymon vocis Græcæ ἵππος, quam Eustathius Ιλιαδ. λ. deflectit παρὰ τὸ ἱπτάζω ποσὶ· διὰ καὶ ἐν δυσὶ πτέφεται, ἢ μᾶλλον ἐν ἑνὶ καθ' ὃ τὸ ἵππος, ἡ παγὶς τῆς μυῶν, id est, *à volando, ideoq; gemino π scribitur, non simplici, sicut hipos, qui est laqueus murium, vel muscipula.* Idem cap. 49. lib. 10. *Pegasos equino capite volucres, & Gryphas auritos aduncitate rostri, fabulosos reor: illos in Scythia, hos in Aethiopia.* Illos Plato, sicut Gorgones, numerat inter τὰς περατολογίας τῆς φύσεως, *inter ea, quæ dicuntur de monstris naturæ & prodigiis.* Hic autem Pegasus, equus alatus edidit exemplum temeritatis in Bellerophontem, qui œstro stimulatus per iram Iouis sessorem altiora conantem excussit ex aere in terram, in qua solùm equitare debuerat; non in cælum subuolare, quod elatus victoriis tot mõstrorum: ac præcipuè Chimæræ; videbatur affectare: vt Ode 11. lib. 4. dicetur.

Pene datum Tartaro.] Id est, ferè interfectum. De Tartaro vide Oden. 28. lib. 1.

Pelea.] Historia Pelei sic narratur: hic filius Aeaci & pater Achillis fuit, qui, quia fratrem suum occidisset, Phocum, fugit in Thessaliam ad Acastum regionis regem, à quo expiatus est, & aliquamdiu apud eum moratus fuit: tandem sollicitatus ab Hippolyta vxore Acasti de stupro: cui, quum non paruisset, ab ea nomine stupri, quod prior ipsi tentasset inferre, postulatus & insimulatus est apud Acastum. Hic igitur specie venationis in Pelium montem deduxit adolescentem Centauris obiiciendum: sed illic relicto miserationе Deorum Vulcanus gladium attulit, quo & se seruauit & Centauros interemit: cuius fabulam vide 11. Metam. & Carm. 4. & 5. Nem. Pindari.

Magnesiam.] Magnesia est contermina Thessaliæ, sicut docet Plin. l. 4. & Strabo lib. 9. vnde hæc Hippolyta distinguitur ab altera Hippolyta Amazonum regina.

Fallax.] Hic nuncius, vel potiùs leno, totus videtur constare ex fraude, fallaciis & mendaciis.

Historias.] Quę illis fenestram aperiēt exemplis Xanthiæ, Achillis, Aiacis, & Agamemnonis, qualibus persuasus est amor ancillæ Ode 4. lib. 2. ad flagitium & adulterium. Historia verò vox est Greca, deflexa ab ἴστωρ, ορος, *sciens & peritus*, & hęc ab ἵστημι vel εἶδω scio, inspicio: licet differant spiritu. Est autem propriè historia studium cognoscendi, inquisitio, inspectio & narratio, cuius pleniorem definitionem repete primùm è Galeno de optima secta: deinde è lib. 2. de Orat. ad Q. fratrem: sed intellige cognitionem propriis sensibus historici, non alienis perceptam, vt ratio vocis prę se fert, de qua fuit Ode 12. l. 2.

Scopulis.] Quamuis *Scopulus* videatur dici διὰ ὑποκορισμοῦ per diminutionem à *scopo*, propriè signo, in quod diriguntur sagittæ, vtrumque tamen deflectitur à Græco σκόπος καὶ σκόπελος, & hoc παρὰ τὸ σκέπτεσθαι, *à circumspiciendo.* Est igitur σκόπος καὶ σκόπελος locus, vnde licet facilè

cilè omnia circumstantia circumspicere, quales sunt præruptæ rupes, siue in terra, siue in mari. De Icario mari dictum est Ode 1. lib. 2. Hîc enunciatur Icarî per apocopen pro Icarij maris. Hos autem scopulos intelligit in Icarium mare percurrere.

Voces audit.] Ἀκύει μέχρι τούτου ἀκέραιον τὴν ἀυτῆς φωνὴν τὴν πρὸς μοιχείαν παροξύνουσαν αὐτόν· *ad hoc vsque tempus audit purus & intactus vocem ipsius incitantem eum ad adulterium.*

Vicinus.] A vico vtrique viæ parte aliquot ædibus constructo & habitato. Hæc autem vicinia multùm affert adiumenti ad mutuos amores, vt Ouidius canit:

Notitiam primosq; gradus vicinia fecit.

Enipeus.] Hic vicinus videtur dici ἀπὸ τοῦ ἐνιπᾶν, ab obiurgatione & aspera oratione & minaci. ἐνίπτειν γὰρ ἐστὶ τὸ ἐνέπειν μετὰ τῆς ἀπειλῆς. Adductus sum, vt sic notarem, his verbis: *Sæpè vocanti duram.*

Plus iusto.] Id est, plus quàm par sit, & honestam matronam deceat.

Quamuis.] Quamuis iungitur hîc cum primis temporibus verbi, contra quosdam Grammaticos.

Flectere sciens.] Quum sæpiùs hîc Poeta dicat, *sciens citharæ & pugnæ*, & Cicero *scientissimus regendæ Reipub.* videretur quoque hîc dicendum *sciens flectendi*: sed hîc retinet verbi sui rectionem.

Nocte.] Seruius in hunc vers. 268. 2. Æn. è libris Varronis 5. & 6. sic partes noctis recenset: vesperam, conticinium, concubium, intempestam noctem, gallicinium, Lucifernm. Diei autem: mane, ortum, meridiem, occasum, crepusculum, i. lucem dubiam: quæ efferuntur sæpè aliis nominibus.

Tibiæ querulæ.] Id est, quum tibiâ cantabit graues de te querelas & tuam arrogãtiam duritiamque conqueretur. Seruius in vers. 3. Georg. *Et cantu querulæ cicadæ*, interpretatur *canoræ*. ex hoc loco.

Despice.] *Despicere*, vt inde flexum despectare Æneid. 10.

Ille sedens victor flammas despectat ouantes.

hîc propriè sumitur, pro deorsum aspicere, vt Aristoph. in auibus dicit βλέψω κάτω, quomodo Naso loquitur:

—de vertice montis.

Despicere in vallus. Gall. *regarder en bas.*

quòd Plutarch. in Public. dicit, ἐξ ὕψους ἅπαντα καθορᾷ· *ex alto despicit omnia.* vnde Cæsar dicit, *erat ex oppido despectus in campum.* Græcè ἄποψις. Macrobius quoque lib. 1. cap. 6. Satur. narrat è Verrio Flacco ambiguitatem oraculi propriâ huius verbi notione, quod priùs tropicõs sumendum videbatur, solutam. Nam, *quum populus Rom. pestilentiâ laboraret, essetq; responsum id accidere, quòd Dij despicerentur, anxiam vrbem fuisse: quia non intelligeretur oraculum: euenissetq;, vt Circensium die, puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorũ in arca Pilento imposita vidisset: qui quum rem gestam Senatui nunciasset, placuisse, velari loca ea, quâ pompa veheretur: atq; ita peste sedatâ, puerum, qui ambiguitatem sortis absoluerat, togæ prætextæ vsum in munus impetrauisse.*

Difficilis mane.] Perseuera in contemtione munerum, querelarum, & dulcis asperæque orationis & rerum aliarum, nec imitare Chrysidem Terentianam, quę quã diu lanâ & telâ victum queritabant pudicè, parcè ac duriter vitam agebat, remota à consuetudine adolescentum. *sed postquam amans accessit pretium pollicens vnus & idem alter, accepit conditionem: dein quæstum occipit*, i. meritoriam scortationem exercet. Meminerit ergo Asterie honestatem maritalem, quam ita commendat Bacchis in Heaut. Act. 2. Sc. 4. vi tantâ virtutis, etiam insitæ flagitiosis, vt hi cogantur probare meliora: *Vobis cum vno simul vbi ætatem agere decretum est viro, cuius mos maximè est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant: hoc beneficio vtriq; ab vtriq; verò deuincimini: vt nunquam vlla amori vestro incidere possit calamitas.*

Explicatio Rhetorica.

METro simile est carmen 5. l. 1.

[a] Metaph. est à coloribus pro amœnis & secundis ventis: vel potiùs metonymia effecti pro efficiente candidum cælum & serenum: qualis modus fuit metonymiæ Od. 7. l. 1. albus Notus. Quis enim posset in ventis perspicere colorem?

[b] Synecdoche est speciei, in *Fauonij*, pro genere, ventis secundis. Simili tropo dicuntur *atri venti* pro aduersis.

[c] Syneçd. contrà est generis pro cultrario, annulario, & gemmato, præcipuè opere Bithynorum, deniq; pro preciosis ac quæstuosis mercibus Thynorum, qui omnem metallicam materiam feliciter tractabant & ex ea quiduis ducebant.

[d] Similis est prioribus synecdoche pro ventis procellosis. De Noto fuit Ode 3. l. 1:

[e] Προκατάληψις est, vbi Poeta suspicionem Asteries occupat, quæ est: Chloe hospita mariti mei dat sæpè ad eum literas & nuncium mittit, vicissimque ab eo accipit & remittit: vnde coniicio illius animum à me alienatum. Genus autem argumenti, quo tale obiectum diluitur, in Dialecticis notatur, & facilè è subiecta responsione ad hęc verba *frustra*, &c. intelligitur. Animaduertendum prętereà est cum hac occupatione coniunctam esse leuem & obliquam prosopopœiam per inductionem nuncij loquentis.

[f] Alleg. è geminata metaphora: sed in altera, *ignibus*, duplex tropus constituitur: Prior est translatio pro amore, & in hoc metonymia adiuncti pro re amata: quæ est maritus Gyges.

[g] Synecd. est generis pro vxore Prœti Antæa.

[h] Surdus scopulus dicitur per metonymiam effecti negati, quòd sonitum non edat.

[i] Altera est παρεπίληψις Enipeæ dexteritatis.

[k] Meton. est adiuncti pro subiecto campo Martio.

[l] In *alueo Tusco*, est modus metonymiæ, præcedenti contrarius, subiecti pro adiuncto, aquis Tiberis, id est, vt alij loquuntur, continens pro cõtento, id est, alueus, qui est tanquam lectus pro aqua Tiberis in eo strata. Diuidit autem Tiberis flumen Tusciam ab agro Sabino.

[m] *Noctis prima*] synecdochen habet integri pro parte noctis [illegible] statim post crepusculum.

ODE VIII. AD MÆCENATEM.

Theticum.

Quòd vertente anno fides voti pro salute suscepti Diis Sospitalibus soluenda sit.

Martiis[a] cælebs quid agam Calendis:
[b] Quid velint flores & acerra thuris
Plena, miraris, positusq; carbo in
Cespite viuo,
Docte sermones utriusq; linguæ.
[2] Voueram dulces epulas & album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.
[3] Hic dies anno redeunte festus,
Corticem adstrictum pice[c] dimouebit
Amphoræ[d] fumum bibere institutæ
[c] Consule Tullo.
[4] Sume Mæcenas[f] cyathos amici
Sospitis centum: & [g] vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor & ira.
Mitte ciuiles super[h] Vrbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen:
[i] Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis:
Seruit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena
Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce priuatus nimium cauere: &
Dona præsentis rape lætus horæ, ac
Linque seuera.

Analysis Dialectica.

INitiò Poeta minuit opinionem suo Mæcenati, qui reprehenderet ipsius cælibis sollicitudinem de apparando & instruendo sacrificio sub Martias Calendas, quibus Matronalia quotannis celebrari consueuerant à coniugibus & amantibus. Sic igitur è loco diuersorum respondet: *Ne sit tibi mirum ô Mæcenas, quod paro: non enim est in animo Matronalia celebrare. sed anniuersarium diem agere festum votumq; pro salute Libero seruatori persoluere: ad quem diem & ad epulas te inuito.*

2 Pars secunda huius diuersę dissensionis confirmatur argumento ab arte remoto, ex obligatione voti: vnde contexitur hic syllogismus: *Votis obligatus quotannis debet ea dissoluere, diemq; festum agere, quum dies anniuersarius redit: atqui dies ille mihi iam redit & cessit obligato: mihi igitur festus dies, & tibi mecum agendus est, positis aliis omnibus curis.* Vis autem propositionis duobus Sapphicis & Adonico continetur: vbi definitur genus voti ex materia & adiuncto.

3 Hinc sumitur assumtio, quæ constat ex effectis & circumstantia, quæ sonant: *Ego huius liberationis memor habebo hunc diem semper honoratum.*

4 Complexio habet Męcenatem pro Horatio, tanquam diceret: *Est igitur mihi sospiti & saluo hic dies Festus gaudio & lætitiâ libere agitandus. & Mæcenas omni ratione ad epulandum inuitandus.* Hęc conclusio dilatatur variis circumstantiis vsque ad finem: primùm festiuitate in noctem totam producendâ: deinde largiore potione adhibendâ: posteà pellendis omnibus curis, quum hostes imperij Romani iam subacti sint: qui talium sollicitudinum auctores fuerant: ex quibus certè omnibus tandem efficit, præsentem horam Mæcenati in lætitia consumendam, immodicâ Reipubl. curâ vel abiiciendâ, vel multùm remittendâ.

Enarratio Grammatica.

Martiis Calendis.] Mẽsis Martius fuit olim Romanis primus anni, Marti à filio Romulo dicatus, qui notatione causſæ declaratur 3. Fastorum,

A te principium Romano ducimus anno
Primus de Patrio nomine Mensis erit.

Duplex ratio redditur, cur dies Calendarum Martiarum festus ageretur: vna est Festi Grammatici; quòd eo die homines ædem Iunonis Lucinæ colere cœpissent: altera est Ouid. 3. Fast. vbi memoratur Hersilia Romuli vxor conuocasse in illam ædem omnes Sabinas mulieres raptas, hisq; persuasisse, vt prœlium, q, iam iam inter Romanos & Sabinos committendum erat, interuentu suo dirimerent. Res fortiter Calendis Ianuariis confecta est, quod etiam narratur à Plutarcho in vita Romuli & Iuuenalis Sat. 9. ob id canit:

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Ouidius:

Inde diem primasq; meas celebrare Calendas
Oebaliæ matres non leue munus habent.

Eódem pertinet annotatio Seruij in versus Virgilij 8. Æn. ad hemistichium:

——*Tatioq; seni, Curibusq; seueris.*

Iam inde matronæ Romanæ quotannis cœperunt celebrare Calendas, seruosque cænis excipere, hortantes illos ad liberaliter seruiendum anno sequente: quod faciebant heri similiter mense Decembri in Saturnal. de quibus vide Macrobium l. 1. c. 9. Eas quoque festas agebant viri, dona mittentes & Iunonem precantes, vt castitatem & pudicitiam suarum vxorum tueretur. Item posteà adolescentes & puellæ, vt honestis coniugibus in matrimonium darentur. De *Cælebs* dictum est Ode 15. l. 2. in Rhetor. ad *Platanus cælebs*. Addam tamen è Donato in Adel. Act. 1. Sc. 1. ad verba: *Quòd fortunatũ illi putant, vxorem nunquam habui, &c. Romani*, ait, *cælibem dicũt, quasi cælitem, qui vitam agit in terris cælesti similem*, & item Græci, apud quos sunt huiusmodi sententiæ: quarum vnam è Menandro proferam:

Ὅστις ἡδέως ἐθέλει ζῆν ἡδέως,
Ἑτέρων γαμούντων, αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων.

Quisquis vult viuere suauiter, aliis vxores ducentib. ipse abstineat.

Longè his sanctiùs, ac Christianæ pietati propiùs sentit Plato l. 3. & 4. de legib. vbi lex sancitur de vxore cuique ducenda conseruãdi in perpetuum generis humani gratiâ: atque l. 6. de multa contrà eos, qui viuerẽt in cælibatu. Leges ibi alias rationes ad legis persuasionem. Valet igitur *cælebs*, perinde ac si Græcè & Latinè diceres, ἀγαμόϛ, & Cęliuinus: alij tamen à κοίλη ὡς αὐτῇ λείπει ἡ κοίτη γαμική, *quasi cubile ipsi desit nuptiale*, ἢ ὡς ἐκ ὀπῆν, aut tanquam diceres, *non vxoratus & concubitus expers*, ἀφ' τὸ κεῖσθαι, *à cubando*, quod ita circumloquitur Virg. Æn. 4. vers. 550.

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more feræ.

Acerra.] Acerra est arcula, vbi thure incenso adolentur aræ, quod Græcè θυϊσκὴ ϗ θυμιατήριον. Talis apparatus sacrificij describitur Od. 19. lib. 1. Est quoque acerra Agellio l. 20. c. 1. plostrum tectum vndique & munitũ quasi arca quędam magna vestimentis instrata, quâ nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant.

Cespite.] Quid cæspes & vnde dictus sit, à notis in ver. Od. 19. l. 1. repete.

Hîc viuum mihi cæspitem pueri ponite.

Ibidem etiam leges, vt Græcè vocetur.

Docte.]

Doctè.] Quia in hoc vers. tertius pes debet esse dactylus, pro quo trybrachys erit, si legitur *sermonis*, ideò quidam legunt, doctè sermones, sicut alibi hic Poeta loquitur, *doctus iter melùs:* nec discrepat à præcepto Grammaticæ, vbi verba vehementissimæ transitionis dicuntur geminos regere accusandi casus: quorum alter rei etiam in voce passiua retinetur. Orator tamen diceret Doctus literarum Græcarum, vel literis, vel ad literas, vt alibi ostendimus exemplis. Quàm autem Romani fuerint olim studiosi literarum Græcarum & Latinarum simul, testatur Cicero cohortatione suâ initio lib. de Offic. ad filium, alijsq; in locis, ac maximè oratione pro Archia: *erat Italia tunc plena Græcarum artium ac disciplinarum.* Huc accedit, quod Donatus ita in hunc locum citat in Eunuch. Act. 3. Scen. 2. ad hæc verba: *solertem dabo, vtrum*, ait, *hæc solertem, vt Horatius, docte sermones vtriusq; linguæ? an assumendum est (his) extrinsecus, vt sit, dabo Eunuchum his solertem, id est, instructum literis, Musicis & palæstrâ?*

Album caprum.] Poetæ solent Dijs Superis candidas victimas immolare, vt Inferis nigras. Immolatur autem caper Baccho: propterea quòd vites rodat. Virgil. 1. Georg.

Non aliam ob caussam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Vbi tamen caper pro hirco sumitur, qui paullò pòst vsurpatur propriè:

Et ductus cornu stabit sacer hircus aram.

Ita 1. Fastorum vsurpat Ouidius in hac immolatione:

Sus dederat pœnas, exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode caper vitem: tamen hinc quum stabis ad aras
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Funeratus.] Id est, propè extinctus & funere elatus. De hac funesta arbore vide Oden 13. lib. 2.

Hic dies.] Syntaxis orationis talis est: *Hic dies festus demouebit anno redeunte huic amphoræ* (per antiptosin pro, de hac amphora instituta) *institutæ bibere fumum, corticem astrictum pice, Consule Tullo*, id est, *Ego huius diei gratiâ relinam & resignabo amphoram vini veteris, quod iam se texit & sepsit vinosâ membranâ & crustâ.*

Huc etiam accedit, quod canit Catullus, libro 2. Elegiâ primâ.

Nunc mihi, nunc fumos veteris proferte Falernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.

Id est, vinum vetus ac generosum promite mihi.

Anno redeunte.] Græci vocant annum redeuntem modò περιγρόπον τὰ ἐνιαυτὸν, τοῦτ' ὅτι, περιερχόμενον ἢ περιπλόμενον, ἢ περίοδον ἐνιαυτοῦ, Cicero, *vertentem annum*, Virgilius, *voluentem annum*, vel in orbem suum actum; anni conuersionem, aut, vt Phauorinus lib. 3. cap. 16. apud Agellium explicat, περιβλόμενον ἐνιαυτὸν, *annum non confectum, sed affectum.* Ciceroni verò *affecta* propriè dicuntur ea, quæ non ad finem ipsum, sed proximè ad finem progressa & deducta sunt. Tres dicuntur anni esse: Lunaris 30. dierum; solaris 12. mensium, & magnus, qui secundùm Ciceronem in Hortensio 12. millia annorum & 554. continet. Quum autem dicit *anno redeunte*, vt Epistol. 1. lib. 2. vers.

Libertasq; recurrentes accepta per annos:

Videtur respicere ad etymum vocis, quod Seruio libr. 1. Æneidos tale est: *Annus autem dictus est, quasi anus*, id est, *anulus, quòd in se redeat, vel* ἀπὸ ἀναγεννᾶσθαι, id est, *innouatione.*

Corticem.] *Corticem* quidam accipiunt pro operculo amphoræ è cortice vel subere picato, vel resinâ obturato, vt scribit Plinius. Quemadmodum vasa dicit Columella operculare & oblinere lib. 12. cap. 15. Sed Cato cap. 120. apertiùs hunc notat morem: *mustum si voles totum annum habere, in amphoram mustum indito & oppicato.* Vnde pòst relini, aperiri & resignari dicitur. Ad inducendâ autem vinis vetustatem habes promta li. 2. Var. lectionum Hiero. Mercurialis præcepta à varijs auctoribus cap. 13. vbi citatur hic locus.

Amphoræ.] De amphora vide Oden 9. lib. 1. Amphora autem nominatur vt dyota ibidem; quòd vtrinque ansata facilè gestetur. Græcè etiam ἀμφορεὺς contractè pro ἀμφιφορεύς: vas & genus mẽsuræ, quod putatur quadrantal Latinum, capiens 48. sextarios.

Institutæ.] Sic verbum instituendi vim habet principij apud Terent. *perge, vt instituisti:* ita hîc *institutæ* valet destinatæ & quasi initiatæ, quæ iam incœpit validũ vinum & fumosum reddere & crassare vel inducere crustam, quæ dolio vel vtri adhæret pensilis.

Cyathos.] Cyathus vox est Græca & genus poculi, ἀρτληπτήριον, hausstrum, ac præterea μέτρον ὑγρῶν, *mensura liquidi*, ἀπὸ τοῦ χεῖν, *à fundendo*, vt dictum Od. 29. lib. 1.

Perser.] Id est, consume totam noctem in compotatione: aliàs legitur *proser.*

In lucem.] Lux videtur dici ἀπὸ τοῦ λύχνου, ὅπερ πλεῖστον φέγγος ἔχει, *quod sit quoddam tenue lumen*, vbi est adhuc mistum ὀφρεῖνη, *aliquid obscuritatis*: vnde à λύγη, quia est lux tenebricosa, flecti videtur. Hinc etiam ἀμφιλύκη sub exortum auroræ, Gallicè, *entre chien & loup.*

Procul omnis.] Hoc non ineptè quidam referunt ad commendandam vini lenitatem, quæ tanta est vt Mæcenas magnâ illius copiâ sumti non incaluerit nimis ad clamores impios, ad iram, ad rixas, ad cædes, ad reliquas denique animi perturbationes. Vocem *procul* Seruius in vers. 3. Æneid.

Terra procul vastis, &c.

Sub initium notat dictam à porrò ab oculis & potest *satis longè* significare & non valdè, vt in 5.

Est procul in pelago saxum.

quod non erat longè, & ita, vt ab oculis esset remotum.

Ira.] Ira potest hic exponi dissidium, quemadmodum sæpè apud Terentium sumitur, vt in Hecyra. *Magnum nescio quid, necesse est euenisse, Parmeno, vnde ira inter eas intercesserit, quæ tam permansit diu.*

Mitte.] Monet Mœcenatem, vt abstrahat se ab omni sollicitudine & securè diem festum agat. Hic *super* valet *de*, sicut illud, *Multa super Priamo*, 1. Æneidos. Item *his accensa super*, pro, de his, quanquam Nonnius scribit hîc *super* esse ἐπιτατικὸν pro valdè & vehementer accensa.

Cotisonis.] Id est, Cotison Rex Getarũ iam victus est. Quem hîc Dacum Cotisonem vocat, Sueton. in Oct. cap. 63. dicit, *dein Cotisoni Getarum regi despondit Iuliam.*

Vnde constat eosdem esse Dacos & Getas. Quædam exemplaria hic habent *Cotisontis.*

Medus.] Medi quoque mutuis inter se seditionibus & vulneribus confecti nullum Romanis periculum moliri possunt: itaque:

Πίνωμεν χαίροντα μετ' ἀλλήλοισι λέγοντες,
Μηδὲν τῶν Μήδων δεδιότες πόλεμον·

Bibamus, festiua inter nos verba vsurpantes, nihilq; Medos veriti, vt canit Theognis.

Præterea Cantabri in seruitutem redacti sunt: Scythæ & Indi metu virtutis Romanæ sibi quæsiuerunt amicitiam Romanorum: de quibus vide Dionem libri 51.

Meditantur cedere.] Id est, studeant conciliare sibi gratiam Romanorum. Sic τὸ μελετᾶν, vnde hoc Latinum Seruio deflectitur per antisticha *l* & *d* in Tityro Virgil,

& conſtruitur & accipitur. Plato in Phædro, οἱ φιλοσοφοῦντες ὀρθῶς ἀποθνήσκειν με ἐπῶσι· *qui philoſophantur, ſtudent rectè mori*, aut dant operam, vt rectè moriantur. Paullò tamen aliter ſumitur in conuiuio eiuſdem: λήθη γὰρ ἐπιστήμης ἔξοδος· μελέτη ὂ πάλιν κομιδῇ ἐμποιοῦσα αὖτῇ τῆς ἀπούσης μνήμην σώζει τὴν ἐπιστήμην· *obliuio enim eſt ſcientiæ exitus: ſed commentatio inſerit rurſus pro egreſſa nouam ſcientiæ reminiſcentiam & hanc conſeruat.* Quanquam τὸ *meditari & cogitare.* Cicero geminat Epiſt. 5. lib. 2. ad familiares. *Tu tamen ea para meditare, cogita, quæ eſſe in eo ciue, ac viro debent, &c.* Meditari tamen dicimur quieti, cogitare autem vehementiore quodam mentis motu pulſi.

Ita videntur Græca Μελετᾶν καὶ φροντίζειν & ipſorum inclinamenta μελέτη καὶ φροντὶς diſsidere: ſunt tamen primum functiones mentis & agitationis, quę poſtea deſinunt in corporis actiones. Nihil igitur eſt, ô Mæcenas, quod Vrbi & imperio tuo metuas. Hæc lege apud Suetonium in Auguſto.

Serâ catenâ.] Id eſt, qui ſerò victus & vinctus eſt, & diu populo Romano mala dedit.

Negligens.] Syntaxis verborum eſt, *tu priuatus, parce negligens*, nimiùm cauere, ne quâ parte populus Romanus detrimẽtum accipiat. Hoc clariùs Græcè ac Gallicè poſſumus interpretari, ὡς ἰδιοτεύων τὸν βίον καὶ ἠμελημένως ἔχων φείσῃ σεαυτοῦ φυλάξεσθαι, μὴ λαὸς πᾶν ταλαιπωρῇ τι καὶ πονῇ τι. Gall. *Eſpargnez vous, comme homme priué & ſans Eſtat public, & ne ſe ſouciant beaucoup des affaires, & de trop trauailler à prendre garde, que le peuple ne ſoit en peine, & ne ſouffre mal en quelque choſe, & en quelque endroit.* quaſi verò hic Malthinus de populo tantopere laboraret, cuius libertatem impediuit: quam Auguſtus voluit ei ſæpè reſtituere, vt oſtendimus in vita Poetæ & alibi.

Quidam τὸ *priuatus* referunt ad leuamen curarum: alij ad magiſtratuum abdicationem: ego verò ad ſollicitudinem, vt Mæcenas ſolus inter parietes præbeat ſe negligentẽ & remiſſum in nimia curatione & adminiſtratione rerum: vel abſtineat à nimis curanda populi Romani vtilitate: vel omittat tam anxiè curare res pop. Roman. ſed fruatur hilaritate huius feſti. Illud autem τὸ *negligens* poteſt aptè, aut per, *tu animo paullò nunc omiſſiore, negotia publica tracta.* (ita enim Donatus in Heaut. Act. 5. Scen. 2. verſ. 9. *vbi te vidi animo eſſe omiſſo.* Item in Adelph. Act. 5. Scen. 3. *nec abs re tamen ſint omiſſiores paullò*, exponit negligenti & negligentiores) aut αὐτῷ μελεισχῶς, ἀπαιδεύτως, i. *negligenter*, ſicut Ode 7. expoſuimus, *ſic tu ſapiens finire memento*, Gall. *en ne te challant.*

Cauere.] Hîc explico proſpicere & conſulere. Reip.

Dona præſentis horæ.] Hoc Græci efferũt, τῷ παρόντι χρῷ μὲν παρὸν τὸ δ' ἄπὸν μηδὲν ὀπίζου τει· τὰ δ' ὑπερβαλλόντως καὶ τερπνὰ καταλιπὲ· τὸ δὲ *ſeuerus* ſæpè ſumitur pro rigido, ſpero, triſti, vt Virgilius dicit, *amnem Cocyti & montem ſeuerum.*

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt Sapphicum.

a Quia Mæcenati videbatur alienus Poetæ apparatus ab ipſius cœlibatu, initiò adhibetur quædam procatalepſis, quâ remouetur illa ſuſpicio, dum ſe non Matronalia, ſed τὰ σωτήρια docet celebrare velle: ſic enim Græci huiuſmodi ſacra & feſta pro ſalute recuperata vocant, vt Herodianus lib. 1. σωτήρια τῷ βασιλεῖ ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἀπαγγέλλει, id eſt, *pro ſalute regis populus diem feſtum celebrabat:* vnde ſunt illa, τὰ σωτήρια θύειν καὶ χαριστήρια ὁμολογεῖν καὶ ἄγειν τὰ σωτήρια· *pro ſalute facere ſacra, gratias agere, celebrare diem feſtum ſalutis.*

b In, *quid agam, quid velim eſt* anaphora.

c Hyperbolica eſt metaphora, quum rei inanimæ datur actus & animus.

d Metaphora à reb. humidis & incenſis, pro imbui myrrhino ac vinosâ exhalatione, vnde coaleſcit, velut μίτυξ quędam, membrana & inuolucrum, quo ſpiritus viuens retinetur & vinum fumoſius efficitur.

e Eadem eſt metonymia ſubiecti pro adiũcto tempore dignitatis Conſularis, quæ fuit Ode 1. lib. 2. & 28. huius libri erit. Præterea ſynecdoche finiti tẽporis pro veteriſſimo vino, vbi Chroniſmus habet hyperbolen: quia L. Volcatius Tullus, vt doctè ſupputauit Cruquius, niſi etiam alius eiuſdem nominis interiectus ſit, Conſulatum geſsit cum M. Æmilio Lepido anno Vrbis conditę 687. Cantabri autem, quos Galli hodie vocant *Baſques*, ab Agrippa poſtremùm domiti ſunt anno 734. Ex quo efficeretur vinum eſſe 47. annorum, cuius loco dicet Ode 28. huius, *ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram:* vbi leges notas de hac Chronologia: pro eo, Quũ A. Volcatius Tullus fuit Conſul, eiusque collega M. Æmilius Lepidus anno ab Vrbe 687.

f Eſt hîc triplex tropus: primùm eſt ſynecd. finiti, pro plurimis cyathis: deinde metonymia continentis pro plurimo vino cõtento: poſtremò metonymia in *amici* poſsidẽtis, pro re poſſeſſa, id eſt, cyathos vini, quod amicus apponit. Itaq; ſenſus eſt: bibe vinum amici ſeruati à caſu arboris, quantum & quam diu voles.

g Metonymia effecti pro, efficiente homines vigilantes, vel excitante illos ad vigilias: niſi malis transferre ab animatis ad inanima, vt Ode 21. huius, *viuæ lucernæ:* quòd ignis more animatorum dicatur viuere, & exſtingui propter motum & paſtum.

h Διὰ τῆς μετωνυμίας, pro, mitte curas de negotijs publicis, rebusque vrbanis.

i Synecd. eſt ſingularis pro plurali, Medi & Parthi mutuis prœlijs ſe conficiunt, vnde non eſt metuendum.

Ode IX. Ad Lydiam.

Theticum.

Quòd animi alienati ſint conciliandi, & priſtinis redintegrandus amor.

HORATIVS.

[1] *Donec gratus eram tibi,*
Nec quiſquam potior brachia candida
Ceruici iuuenis dabat;
Perſarum vigui Rege beatior.

LYD. [2] *Donec non aliâ magis*
[b] *Arſiſti, neq; erat Lydia poſt Chloen;*
Multi Lydia nominis
Romanâ vigui clarior Iliâ.

HOR. [3] *Me nunc Threſſa Chloe regit,*
Dulces docta modos & citharæ ſciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent [c] animæ fata ſuperſtiti.

[4] *Me torret [d] face mutuâ*
Thurini Calais filius Ornithi:

Pro

Pro quo bis patiar mori,
[c] Si parcent puero fata superstiti:
HOR. [5] *Quid si prisca redit [f] Venus,*
[g] Diductosq; iugo cogit [h] aheneo?
Si flaua excutitur Chloe,
Reiectaq; patet ianua Lydia?
LYD. [6] *Quanquam sidere pulcrior*
Ille est, [i] tu lenior [k] cortice & improbo
Iracundior Adriâ:
[l] Tecum viuere amem: tecũ obeam libens.

Analysis Dialectica.

HÆc Ode est quoddam carmen ἀμοιβαῖον ἢ ἐξ ὑπο-: λήψεως, id est, mutuum, & dialogus quaternis & alternis versibus inter Horatium & Lydiam habitus quem videtur Poeta ceciniſſe, vt sibi conciliaret amorem Lydiæ, vel ut iam conciliatum, sed intermissum, hac recordatione initæ gratiæ constantius tueretur. Huius autem reconciliationis primâ rationem: Poeta incipiens petiuit è collatione minorum: *Quamdiu*, inquit ipse, *tecum fui in gratia, fortunatior Rege Persarum habitus sum*: Ita Terentianus amator Chærea, vbi res ipsi è voto succesit, lætitiâ exsultare, & gaudio triumphare dicitur Act. 5. Sce. 9. ex eodem contentionis genere: *O populares, ecquis me viuit fortunatior? Nemo Hercle quisquam.* Prudenter quidem certè hæc amoris redintegratio à Poeta instituta est, ἐξ ἐπαινῦ, *à laudatione*: quia, vt scribit Isocrates οὓς ἂν βέλτιστα ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγειν περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἐπαγγέλλοντας· ἀρχὴ μὲν γὰρ φιλίας ἔπαινος ἔχθρας δὲ ψόγος· *Quos vis tibi facere amicos, de his benè & honorificè prædica apud eos, qui laudationem illis renunciabunt: hic enim fons est amicitiæ. Sed vituperatio inimicitiæ.* Hic autem dum alter alterum videtur in ore laudare, magis conciliatur amor, quàm si per nunciatorem id fieret.

2 Lydia vicissim reponit commendationem pristini conuictus & consuetudinis cum Horatio similem priori: cuius argumentum etiam ex eodem fonte comparationis deriuatum est: *Quamdiu*, inquit illa, *me solam amore complexus es ô Horati, ego præcipuâ gloriâ & existimatione præter cæteras, vel ipsam Rheam florui ac vigui.*

3 Hi quatuor Poetæ versus constant effectis & adiunctis Chloes, instructæ artibus cantandi & citheram pulsandi: vnde tanta fuit illius beneuolentia erga eam, vt pro ipsius vita non dubitârit mortem occumbere, si morte speraret eius vitam se conseruare: quæ sanè prædicatio non minimùm valet ad illum reditum in gratiam.

4 Lydia reponit primùm è paribus Calain sibi in amore respondere: deinde è maioribus hyperbolicis, pro illius salute se pati velle geminam mortem.

5 Iam Poeta prior incipit nô obscurè indicare suam cum Lydia voluntatem redeundi in gratiam, idque ex efficientibus: *Si Venus*, inquit, *quæ iamdiu à nobis discesset, nunc rediret, alienatosq; vellet reconciliare in pristinam gratiam, atq; animum ex electa Chloe in te conuertere*; Hæc minimè perfecta propositio interrogationis propter effectum sic explenda est: *assentirésne?*

6 Subijcit Lydia è loco diuersorum: *Quamuis certum quidem sit, Calain egregiâ formâ esse iuuenem: te verò sauiorem mari Adriatico & leuiorem subere: ego tamen vellem tecum viuere & mori.* Prior autem pars huius dissensionis constat triplici minorum collatione per se satis apertâ: priori quidem ad Calain; sed reliquis duabus ad Poetam referendis: vnde dissimulatus amor Lydiæ tandem indicatur, atque illud Plauti in Amphitruone verissimum hic comperitur: *Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam. Verùm iræ, si quæ forte eueniunt huiusmodi inter eos, rursum si reuentum in gratiam est, bis tantò amici sunt, quam prius.* Vt quis meritò diceret illos anacamserote vios: cuius herbæ tactu redirent amores, vel cum odio depositi, ait Plinius lib. 14. cap. 2. 17.

Enarratio Grammatica.

DOnec.] Hęc particula, vt *dum*, quum priorem sententiæ partem occupat, valet *quamdiu*. Gall. *durant, ou cependant que*, vt hîc & Ouid.

Donec eris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Atque tunc adsignificat certum & finitum tempus: quod immutatio sequitur. Quum verò eiusdem secundam; valet *quoad* & *quousque*, eiusdem tamen temporis, vt τὸ ἕως Soph. in Aiace. Ἀρήγετ' ἕως ἐγὼ μόλω· adiuuate donec venero. Ita Terent. Adelph. Act. 4. Scen. 6. *Nunc verò domi certum est obsidere vsq; donec redierit.* Gallicè. *Ie suis deliberé, ou, Ie suis maintenant resolu, dit Demea, d'estre assis & demeurer en la maison iusqu'a ce qu'il reuienne. Ou iusqu'à tant qu'il soit de retour.* Sed eadem dictio *donec* sequens sententiam negatam adsignificat consequentiam infiniti temporis, vt Ode 9. lib. 1. ostensum fuit, vt ἕως οὗ Græcum, & Hebraicum עד אשר *ghad ascher*, *vsque quò*.

Illic tamen postea docuimus, non esse sententiam planè negatam, aut antecedere. Itaque finiti esse temporis, notas reuisse posteriores. Verus huius particulæ vsus non satis perspectus magna certè inter Theologos peperit dissidia; quum alij existimarent determinationẽ temporis; alij perpetuitatem eiusdem in sacris literis eâ significari.

Dabat brachia.] Est periphrasis amplexus: prò quo Virgilius Æneid. 7. *Dare amplexus dicit.*

Rege Persarum.] Notus est ex historijs luxus & splendor Regum Persidis. Quem Lucianus in Dialogo Cratetis & Diogenis traxit in sententiam prouerbialem per comparationem, ἃ γὰρ ἐχρῶ, σύ τε Ἀντισθένους ὁλκηρότερα μισθώσας, καὶ ἐγὼ σοῦ, πολλῷ μείζω καὶ σεμνότερα τῆς Περσῶν ἀρχῆς, id est, *ea enim quibus erat nobis opus, vbi & tu adyssis Hereditatem Antisthenis, ego quoque tuam, longè sunt maiora & magnificentiora imperio Persarum.* Hîc animi bona intelliguntur sapientia, autarcia, veritas, partheſia, loquendi viuendique libertas.

Lydia post.] De arrogantia huius Lydiæ cantata est Od. 25. lib. 1. vt eiusdem 23. in timiditatem Chloes de congressu cum viro.

Multi nominis.] Πολύφημος ὁ πολύγνωστος, Διάσημος, cuius est celebris fama, Gall. *Qui a bruit & est fort signalée.*

Ilia.] De Rhea vide Oden 2. lib. 1. & 3. huius.

Thressa Chloe.] Per Syncopen pro Threissa ex Thracia, de qua dictum est Ode 16. lib. 2. Declinatur autem hæc vox à Θρᾷξ ex Θράϊξ contracto communiter, sed Ionicè Θρήϊξ, vnde Θρῆισσα καὶ Θρηΐσσα inclinantur, atque hinc Latina Thressa pro Threissa διὰ τῆς συγκοπῆς, Seruius in vers. Æneid. 1.

Spartana, vel qualis equos Threissa fatigat.

Profert hunc locum: Thressa & Cressa sunt ab eo, quod est Thres & Cres. Sed Threissa, quia per ει diphthongum scribitur, habet dissolutionem: Cressa verò, quia per η, non habet dissolutionem: quod posterius quidam hîc legunt pro Thressa; quia Musica in Creta vigebat.

Regit.] Tales sunt scortatorum blanditiæ in sua scorta, sicut hic ipse Ode 1. lib. 4.

Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ.

Sciens citharæ &c.] Id est, perita pulsandæ citharæ. Similis syntaxis fuit Ode 15. lib. 1. ad verba. *Sthenelus sciens pugnæ:* vbi Grammatici notant participium in nomen transire.

Thurini Ornithi.] Hic pater erat fortasis ex oppido Thurio ad sinum Tarentinum. De Thurijs autem sic Strabo scribit lib. 6. Thurij longo tempore Fortunâ vsi sunt secundâ: tandem à Lucanis in seruitutem subacti sunt.

Calais.] Huius nominis fuit Calais filius alter Boreæ & frater Zetæ ex Orithyia, vt est videre ad finem lib. 6. Metamorph. & lib. 1. Apollo: in catalogo: Sed fabulam de raptu Orithyiæ à Borea facto Scholiastes Pindari in Oden 4. Pythiorum interpretatur ἀλληγορικῶς, & nomina esse ficta, ὅιον Ζαήτην τὸν ἄγαν ἄοντα καὶ πνέοντα, καὶ Κάλαϊν, ὅιον καλῶς ἄοντα, *tanquam* diceres *Zeten valdè flantem & Calain pulcrè spirantem.*

Diductos.] Id est, diuisos, discordes & alienatos, à *diducere*, cui contrahere opponitur. Acad. 4. *Interualla diducimus aut contrahimus.* Sic Sueton. in Othone cap. 3. *Quare ducto matrimonio sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.* Sic *complexus diducere* Propert. lib. primo Eleg. 12.

Cogit iugo.] Id est firmo constringit amoris vinculo.

Excutitur.] Sic Terent. *Id restat, vt ime excutiam, atq; egrediar domo.* Itaque hoc valet, extruditur & eijcitur.

Pulcrior.] Quidam hîc putant allusionem esse ad candorem Calaidis lapidis: cuius meminit Plin. li. 37. cap. 10. *Calais Saphirum imitatur, candidior & littoroso mari similis.*

Leuior cortice.] Sumtum est è Græco κουφότερος φελλοῦ. vnde φελλίζειν fluitare more suberis & sibi non constare, ἀσύστατον εἶναι· cuius cortex est cauernosus, & ob id Pindaro dicitur ὀλ. β. Πυθ. ἀβάπτις, *immersabilis*, qui superficiei aquæ semper videtur supernatare.

Hinc fortasis Gallicum verbum *pantoufle*, calcamenti genus, quòd sit è subere totum, flectitur.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri respondet Ode 3. lib. 1.

[a] Ductum est à plantis: quod verbum ferè geminatur cum his; *florere* & *virere.*

Rege Persarum, &c.] Hoc videtur dictum per synecdochen pro ditissimo quoque rege; ad quem dixit modùm Ode 29. li. 1. beatas Arabum Gazas & vltima eiusdem lib. *Persicos apparatus.*

[b] Nota est metaphora, vt *calere fœminâ.* Virgilius tamen dicit *Corydon ardebat Alexin.* Sed vsitatius est *ardere amore alicuius.*

[c] Synecdoche est partis pro toti Chloæ superstiti: qualis fuit Ode 24. lib. 1. in *cari capitis.*

[d] Allegoria est è metaphoris, pro, ego illum sic vnicè amo, vt me vrat.

[e] Anaphora est in *si* repetito in principijs: præterea in quatuor interrogationibus est aposiopesis, quàm suppleui in Dialecticis.

[f] Metonymia caussæ pro effecto amore: quem vocat priscum, quasi multos iam annos intermissum: vnde impatientia amantium notanda est.

[g] Metaphora est à corporum disiunctione ad alienationem animorum. Hæc metaphora & proximè sequens possunt constituere allegoriam.

[h] Metaphora est à rebus firmissimis & arctissimo vinculo compactis, quæ dissolui & dissociari non possunt. Similis est Ode 33. lib. 1.

[i] Quidam agnoscunt hîc apostrophen, quæ, quum sit auersio sermonis ad alium ab eo, quicum fuerat initiò institutus sermo, non potest statui in hoc dialogismo, vbi neutra ipsius persona conuertit ad tertium aliquem suam orationem.

[k] Synecdoche est generis pro subere, quo nihil est leuius, atque hoc rursus transfertur specie prouerbij ad lubricam hominum fidem & inconstantiam in dictis & factis notandam.

[l] Anaphora est.

Ode X. In Lycen.

Theticum.

Nihil esse tam immane ac barbarum, quod non debeat aliquo lenitatis & humanitatis condimento mitigari. Hoc sapienter quidem dictum, si aliò, atque ad pudicitiam vxoris alienæ prostituendam transferretur à Poeta.

[1] *Extremum*[a] *Tanain si biberes, Lyce,*
Sæuo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obijcere incolis
Plorares Aquilonibus.
[2] *Audis, quo strepitu ianua, quo nemus*
Inter pulcra situm tecta[b] *remugiat*
Ventis? & positas vt glaciet niues
Puro lumine[c] *Iuppiter*[d]?
[3] *Ingratam Veneri pone superbiam:*
[4] *Ne*[e] *currente retrò funis eat rotâ.*
[5] *Non te Penelopen difficilem procis*
Tyrrhenus genuit[f] *parens.*
[6] *O*[g] *quamuis neq; te munera nec preces:*
Nec tinctus violâ pallor amantium,
[h] *Nec vir Pieriâ pellice*[i] *saucius*
Curuat: [7] *supplicibus tuis*
Parcas, nec rigidâ mollior æsculo,
Nec[k] *Mauris animum mitior anguibus.*
[8] *Non hoc semper erit liminis, aut aquæ*
Cælestis patiens latus.

Analysis Dialectica.

POeta imitatur hîc Orionem, quem ipse vocauit Ode 4. huius libri integræ tentatorem Dianæ, dum Lycem per misericordiam rogat, vt suæ libidini morem gerat, marito ipsius in suspicionem fractæ fidei iugalis adducto: quæ tentatio iustâ & pari quidè pœnâ Orioni vel Ixioni videtur luenda. Sed videamus, quomodo Poeta suam instruat supplicationem, *Tametsi* inquit, *mores & ingenium barbarum induere videreris, ô Lyce, me ta-*

me tamen non sineres ante fores tuas acerbitate frigoris exanimari. Hæc propositio constat è loco diuersorum: vbi vides Poetam ab eodem genere argumenti sumere initium huius Odes: quo præcedentem clauserat.

2 Hîc pars consequens enuntiati præpositi segregatur, atqui tu me sinis frigore acerbo ante fores tuas concuti: vnde discretum prius falsum & ridiculum indicatur.

3 Complexio est: *depone igitur istam duritiem barbaram, & mei frigore pereuntis miserere.*

4 Prosyllogismus est complexionis è fine: vt illa metuat commutationem rebus suis olim futuram, quâ miserè cogetur similem experiri sæuitiam.

5 Eadem complexio amplificatur loco caussæ procreantis, quæ tamen per dissimilitudinem tractatur: quòd non eo ingenio procreata sit à patre Italo; quali fuit Penelope in procos, difficili ac sæuo: bene enim natum esse & educatum valet plurimùm ad humanitatem.

6 Repetitur ferè sententia propositionis ex efficientibus diuersè pronunciatis. *Etsi nullis rebus aliis potes flecti; mouearis tamen misericordiâ erga me supplicem, luridum & pallidum:* Gallicè, *amoureux transi de froid.* Res autem, quarum vis vehementissima videbatur; munera, preces, incredibilis patientia frigoris, maritus ipsius vulneratus amore concubinæ nomine Pieriæ, illam non poterant adducere, vt alterum, præter maritum, amaret: quod rarò contingit vxoribus, præsertim vel leuiter de incontinentia & pellicatu suorum maritorum admonitis. Talibus caussis Sallustius memorat in coniuratione Ciceronem frustra tentatum fuisse. *Q. Catulus & Piso neque precibus, neque gratiâ, neq; precio Ciceronem impellere potuêre. Neque enim* vt est lib. 3. ad Heren. *prece, nec pretio, nec gratiâ, nec simultate à via recta quemquam deduci oportet.*

7 Hæc gemina pariũ collatio est approbatio assumtionis: *tam dura es, quàm æsculus arbor rigida: tam acru & venenata, quàm serpens Mauritanus.*

8 Hoc argumẽtum ex adiunctis, quæ ab alijs dicuntur consequentia (sed cur illa potiùs vsurpẽ, quàm hęc, alibi dixi) approbat complexionem: quòd eâ corporis imbecillitate aliquando futurus sit, vt ad fores ipsius excubare, nec sub diuo tantam vim frigorum sustinere, nec asperi pluuijq; cæli inclementiam ferre potuerit. in posterum denique δυσειχ & μέλλων ἔσεσθαι.

Enarratio Grammatica.

Ad Lycen.] Verisimile est hanc esse Lycen, cuius defiorata pulcritudo describitur Ode 13. lib. 4. quam Poeta adhuc adolescentulam, & tamen nuptam, nunc sollicitat ad illicitos concubitos, memorando animum viri ab ipsa prorsus abalienatum, & illum ad quandam Pieriam fidicinam, Pieridibus Musis caram, adiectum. Quid posset acerbius vxor audire de suo marito? quod etiam grauius odium ipsi conflari in virum? quæ maior ratio faciendæ sui copię adultero esse, quàm ab eo pellicem foueri? vt Andromache apud Euripidem conqueritur:

Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα δεύτερ' ἂν πάσχοι γυνὴ·
Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτανοῦσ', ἁμαρτάνει βίου.

Quædã alia minùs grauate fert vxor: Sed si à marito fallatur; quicquid est in vita iucundi perdit.

Si biberes &c.] Particula *si* non tam est hîc conditionis conuexæ, quam discretionis, pro *quanquam* vel *etsi:* quod quũ ita sit, particula redditiua tamen subtexenda videtur verbo *plorares* in resolutione syntaxeως.

Tanaim.] Tanais fluuius ex Scythiæ Riphæis montibus exortus, ac diuidens Africam ab Europa, defluit in Mæotin: aut, vt alij volunt, decurrens è montibus Caucasijs, vt scribit Strabo lib. 11. atque ita notatum est Ode 4. huius libri.

Plorares.] Id est, grauiter ferres me iacere stratum & obiectum sæuis ventis pro tuis foribus. Græcè, ἀντὶ τῶν θύρων ὀκτεῖνα μένον καὶ δεῖνα προσβαλλόμενον βορέᾳ. Sic Epist. 1. lib. 2. cum infinitiuo:

Plorauêre suis non respondere fauorem
Speratum meritis.

Aquilonibus.] Aquilones vocat incolas Thraciæ & Scythiæ, quia illic perpetuò spirant, vnde Ouidius li. 1 Metam. — *Scythiam septemq; triones*
Horrifer inuasit Boreas.

Nemus inter tecta.] Dictũ est in Grammaticis Od. 1. lib. 1. quid & vnde vox hæc esset: sed quia hîc dicitur, vt Epist. 10. ad Fuscum:

Nempè inter varias nutritur silua columnas.

Admonendum videtur, veteribus fuisse nemora in septis domorum, vt apparet è ca. 72. Suetonij in Octauio: *Sua verò* (intellige prætoria, Gall. *Maisons de plaisance,*) *quamuis modica non tam statuarum tabularumq; pictarum ornatu, quàm xystis & nemoribus, excoluit rebusq; vetustate & raritate notabilibus.* Apparet quoq; ex Elegia 3. l. 3. Tibulli:

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Auratæq; trabes, marmoreumq; solum?

Hîc supple, quid prosunt? Redeo ad xysta, Gallicè, *Galleries conuertes pour se pourmener.* nemoribus adiuncta à Suetonio, quæ ita circumscribit Vitruuius lib. 5. cap. 11. *Faciunda autem sic xysta videntur, vt sint inter duas porticus syluæ aut platanones, & in his perficiantur inter arbores deambulationes, ibiq; ex opere signino stationes,* Gallicè, *de tuilleaux, brises & ciment*) *proximi autem xystum & duplicem porticum designentur hypæthræ.* id est, sub dio ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, nostri xysta appellant: in quas per hyemem ex xysto cælo sereno athlethæ prodeuntes exercentur. De ijsdem lege apud eundem lib. 6. cap. 9. Tales certè mugitus tremularum populorum & Æsonæ fluminis decursus agitatione ventorum & leni motu aquæ, non quidem inter tecta castelli Belebatij, sed circa eadem, iucundè audiuntur & leni susurro suadent inire somnos.

Glacies.] Hoc verbum μεταβατικῶς hîc sumitur id est, transitiuè, vt Grammatici loquuntur, pro constringat, contrahat & cogat: aliàs sæpiùs absolutè: vt aqua conglaciat, id est, coalescit & concrescit.

Puro lumine.] Hic magis probo lectionem, quę habet *lumine* quàm *numine* cum Canthero & Scal. in Auson. vbi nebulosum lumen opponitur lumini sereno. Neque est in *Iupiter* Poetis figura, vt placet Lambino, sed tropus est, quem in Rhetoricis Odes 1. lib. 1. notauimus copiosè ad verba: *sub Ioue frigido.*

Penelopen.] De continentia & constantia Penelopes & orationis lenitate, quâ procos diu lactauit, permulti scripserunt, ac præter cæteros Homerus Odyss. β. item sexto & septimo.

Tyrrhenus.] Id est, Italus vel Tuscus. De Tyrrheno fuit Ode 11. lib. 1.

Munera.] Hæc vox debet sumi pro pretio & pręmio, vt facilè intelligitur è Dialecticis & ex hoc versu 3. Æneid. *Inuitat pretiis animos & munera ponit.*

Nec preces curuant te.] Quod Græcè dicitur. ἔχεις πρὸς ἡμᾶς ἀπαραιτήτως, ἢ δυσπαραιτήτως & εἰ, *nullis precib. mansuescis.*

Tinctus viola.] Id est, imitans violæ colorem, sed hic color non satis perspicitur, nisi τὸ ἴον, id est, viola distinguatur sic, vt τὸ ἴον ἄλλον μὲν λευκὸν, ἄοσμον δ' ὀχεδὸν, ἄλλον δ' ξανθὸν, ἄλλον πορφυροῦν, id est, vt *viola sit, alia quidem alba, ac propemodum expers odoris, alia flaua & lutea, alia denig; omnino nigra, & tamen odoratissima & nobilissima: huius*

est species τὸ λευκοπόρφυρον, id est, *pallidum* ob misturam purpurei coloris: qui Græcè dicitur πελιδνὸς, id est, niger & plumbeus, qualem inducit horror frigoris, atque hic intelligimus talem.

Pieriâ.] Hæc mulier videtur nomen sortita à Pierio monte Thessaliæ, de quo Ode 4. huius libri.

Pellice.] Grammatici hanc vocem deflectunt à pelliciendo, quòd mulier imbecilli consilij & iudicij facilè pellici possit, & sit πρόσπτωσις, id est, habeat relationem ad vxorem. Hinc versus:

Túne eris & matris pellex & adultera patrìs?

Quam vocem Agellius mauult lib. 4. cap. 3. deflectere à Græca παλλακὴ vel παλλακὶς, & interpretari Latinè concubinam, quàm pellicem: quòd à Græca aliquid differat. Odyss. ξ.

—— Ἐμὲ δ' ὠνητὴ τέκε μήτηρ
Παλλακίς.

Me venalis concubina mater peperit. Vnde παλλακεύεσθαι, concubinam esse, quod ab adolescentia dicitur, vt Hesychius tradit.

Aesculo.] De Æsculo lege Oden 22. lib. 1.

Parcas.] Ellipsis est coniunctionis discretiuæ: *tamen es mollior æsculo*: hæc enim omnia debent antecedere *parcas tamen.*

Mauris.] Sic Ode 22. lib. 1. dixit, *iaculis Mauris*, & Ode 6. lib. 2. *Maura aqua* per Hellenismum primigenij pro inde flexo, *Mauritanâ.*

Non hoc.] Est quoque hîc ellipsis ætiologicæ copulæ: *non enim hoc latus semper patiens erit pluuiæ*: quæ hic ἐπεξεγητικῶς intelligenda est.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri conuenit cum metro sextæ lib. 1.

[a] Synecdoche est totius, pro illa parte fluminis vicina Mæotidi in ora Scythica. Valet igitur, *Si tu esses barbara & in Scythia nata & educata.* Hic extremus Tanais propter quandã hyperboles speciem inter prouerbia relatus est, vt Ode 4. huius lib. *Bosphorus, arenæ Assyriæ, Britanni, Caucanni, Geloni, & Tanais ipse inuiolatus.* Sic Virgilius γεωμικῶς est eloquutus in Tityro,

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

& lib. 1. Æneidos.

Pabula gustassent Troiæ, Xanthumq; bibissent.

[b] Nota est metaphora: sic *syluæ roboant*, pro, *susurrum edunt*, Virgilio.

[c] Metaphora est pro serenitate & nitore aeris, quo vehementius frigus hyeme viget, quàm cum cælum est nebulosum & crassum, cuius crassitie retunditur acies frigoris.

[d] Metonymia adiuncti pro frigido cælo & aere à Ioue possesso, vnde potentia Iouis percipitur ab inferioribus per meteora: qualis tropus iam aliquoties fuit notatus.

[e] Allegoria est è continuatis metaphoris à versatilibus rotis, quales sunt illæ figulorum vel aquam haurientium, vt initio Epistolæ ad Pisones:

Currente rotâ cur vrceus exit?

Non sum tamen nescius viros doctos; Sabellicum, Beroaldum, Erasmum, Turnebum sumere hanc allegoriam ab equis, qui extra iugum alligati fune vtrinq; ad iugales vnà trahunt currum, vnde illi Græcè dicuntur, quòd non strictè adiuncti facilè fiunt ἄφετοι, & liberantur, παρήορoι, παρασειροί, σειραῖοι; qui soluto fune in discrimen retrò ferunt currus; vt rotæ figlinæ, quæ fracto etiam fune reuoluuntur retrò ad inconstantiam & mutabilitatem rerum humanarum indicandam & metuendam.

[f] Synecdoche est generis pro patre certo, sed minimè nominato.

[g] Exclamatio est optantis lenitatem mulieris vel obtestantis.

[h] Epanaphora est in *nec* multoties repetito.

[i] Sumtum à corporibus ad animum, qui captus est amore pellicis, qualis est in *curuat*, à flexibilibus rebus, pro, mollit, flectit & abalienat.

[k] Synecdochicῶς dicitur, pro, summè venenatis, vt, *liminis* pro integra ianua, & aquæ cælestis pro *pluuia*, & hæc pro pernoctatione ad eam: & in *latus* similis tropus pro corpore, quod futurum est olim impatiẽs pernoctationis, frigoris, & pluuiæ.

Ode XI. Ad Mercvrivm.

Theticum.

Quòd vel fidibus & cantu lenienda sit muliebris crudelitas in viros, vel metu pœnæ deterrenda.

[1] *Ercuri (nam te docilis magistro*
[2] *Mouit Amphion lapides canendo)*
[3a] *Tuq; testudo, resonare septem*
Callida neruis:
(Nec loquax olim neq; grata, nunc &
Diuitum mensis & amica templis)
Dic modos, [4] *Lyde quibus obstinatas*
[b] *Applicet aures:*
[5] *Quæ, velut latis equa trima campis*
Ludit exsultim, metuitq; tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proterua
[c] *Cruda marito.*
[6] *Tu potes tigres, comitesq; syluas*
Ducere, & riuos celeres morari.
[7] *Cessit immanis tibi blandienti*
Ianitor aulæ
Cerberus: quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atq;
Spiritus teter saniesq; mânet
Ore trilingui.
[8] *Quin & Ixion Tityosq; vultu*
Risit inuito: stetit vrna paullùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
[9] *Audiat Lyde scelus, atq; notas*
Virginum pœnas, & inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo:
Seraq; [d] *fata,*
Quæ manent culpas etiam sub Orco.
Impiæ: ([10] *nam quid potuêre maius?)*
[e] *Impiæ sponsos potuêre duro*
Perdere [f] *ferro.*
[11] *Vna de multis* [g] *face nuptiali*
Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.

[h] Sur-

h *Surge, quæ dixit iuueni marito,*
Surge: 12 *ne longus tibi* i *somnus, vnde*
Non putes. detur: socerum & scelestas
Falle sorores.
Quæ, 13 *velut nactæ vitulos leænæ,*
Singulos, k *eheu, lacerant:* 14 *ego illis*
Mollior, nec te feriam, l *neq; intra*
Claustra tenebo.

15 *Me pater sæuis oneret catenis:*
Quòd viro clemens misero peperci,
Me vel extremos Numidarum in m *agros*
Classe releget.
16 *I, pedes quò te rapiunt & auræ,*
Dum fauet nox & Venus: i secundo
Omine, & nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

Analysis Dialectica.

IMplorat Poeta opem Mercurij ad barbaram Lydes crudelitatem symphoniâ mitigandâ, quòd ἐκθλιπτικῶς posis ita iudicare & contractè: *Mercurius, & quicunq; fuit ab eo instructus canendi doctrinâ, vt Amphion, possunt immanissimas quasq; belluas mansuefacere; syluas & lapides, quò velint, ducere; pœnas Inferorum delenifico cantu mitigare; fluuios morari: ille docuit igitur Horatium, vt non minùs idem præstet in Lydes feritate ad humanitatem flectenda, quàm Dircæus in durissimis quibusq; corporib. animandis atq; molliendis.*

2 Hæc certè ἔκθεσις constat ex efficiente & parium contentione hîc contentis. Vides hîc Horatium, caste Lector, abuti dono Mercurij & operâ ad turpe lenocinium, quod est honesti studiosissimo cuique diligenter cauendum.

3 Superioris ecthesεως est illustratio ex adiuuante: quæ tamen per diuersa pronunciatur, quòd pauci olim testudine Mercurij delectarentur, sed illa nunc ab omnibus expeti videtur, septem chordis instructa.

4 Exprimit modos quos postulat, non quoslibet, sed eos, qui feritate sic Lyden afficiant, vt eius feritatem mutent in lenitatem. Ratio est ex vi cantus auribus obiecti.

5 Similia sequuntur ad intolerabilem Lydes agrestem q; naturam indicandam, quòd nó secus impatiens sit contrectationis & admissionis, atque triennis equa.

6 Potestas Mercurij, vel vis ipsius testudinis (ad vtrumque enim hęc conuertitur oratio,) multis, variisq; ostenditur effectis: quòd tigres & syluas ducat, quò velit: cursus rapidos aquæ inhibeat.

7 Hoc quoque ad eiusdem potestatem illustrandam pertinet è loco diuersorum: quòd horribilis immanitas Cerberi, tamen cantu mitigata sit.

8 Hæ quoque vires testudinis Mercurialis, quę plurimùm valet ad sedandos damnatorum dolores apud Inferos, eódem referuntur.

9 Hic certè ecthesεως complexio postulabat: *Mercurius igitur suæ testudinis cantu traducat Lyden à moribus ferinis ad humaniores, vel tantundem perficiendi concedat facultatem Poetæ:* sed hic è tanta testudinis facultate nactus est exemplum accommodatissimum ad deterrendam Lyden ab asperitate & feritate, quâ suum amatorem miserè lacerat. Hîc vides historias peccare docentes, vt dixit antè Ode 7. sed vitium est illis abutentium, vt hîc Horatius enthymematicῶς disputat: *Belides impietatis fuerũt reæ ob cædem suorum matrũ: ideoq; grauibus posteà pœnis affectæ. Lyde igitur crudelitatis reæ, dum non paret stupro Horatij, illa tandem aliquando graues etiam dabit pœnas:* vbi quædam est transitio à cantu ad minas & terrorẽ, propositi partem alteram: vbi primùm scelus Belidum declaratur ex adiunctis pœnis: quas illæ dant in explendo dolio, quod rimarum plenum hâc & illac perfluit.

10 Immanitas sceleris exaggeratur factis illarum: quæ item augentur collatione minorum: quòd alia flagitia & peccata nihil sint ad inexpiabilem crudelitatem mulierum in viros.

11 Mira quidem certè & magna semper fuit paucitas hominum piorum, vt in 50. filiabus Danai sola Hypermnestra inuenta sit pietate insignis, quæ piè & honestè mentita sit patri, se maritum suum Lynceum occidisse noctu, magis Deum verita, (sicut æquum & sanctum est) quàm patrem. Eam autẽ Poeta exadiunctis & factis describit; egregiâ fidelitate in maritũ, perpetuaq; nobilis ingenij famâ & monitis de maturo discessu.

12 Admonitio cõstat fine, vt celere fugâ quærat sibi salutem, & à crudelitate sororum suarum se vindicet.

13 Illarũ crudelitas declaratur comparatione similiũ, q, illæ maritos suos sic dilacerẽt, vt leænæ vitulos.

14 E' loco dissimilium ostendit, quantâ amoris iugalis constantiâ dissentiat à suis sororibus.

15 Hypermnestra argumentatur à diuersis: *Quamuis pater meus Danaus me in carcerem cõiecturus sit quamlibet dirum & cæcum, vel expulsurus in quam longissimas terras, vbi perpetuo exsulem me propterea mulcet: quòd pia & fidelis fuerim meo marito: tibi tamen vitam seruabo.*

16 Ex adiuncta temporis occasione & fauore Deæ vrget fugam mariti, tantùm ab eo reposcens, vt nunquam sinat memoriam ipsius deponi: sed incidendas curet in suo sepulcro tales querelas ipsius memores.

Enarratio Grammatica.

Mercuri.] Huic decantata est Ode 10. lib. 1. in laudem rerum ab eo inuentarum: è qua repete, quæ possunt huic intelligendæ seruire.

Amphion.] Hic filius fuit, vt Zethus, Iouis ex Antiopa: cuius nominis duæ fuerunt, vna Nyctei filia, altera Asopi, quàm posteriorem nunc intelligimus, de qua sic Apollon. Rhodius lib. 1.

Ἐμοὶ ἕσαν Ἀντιόπης Ἀσωπίδος ὑεὲ δοίω,
Ἄμφίων καὶ Ζῆθος.

Erant autem Antiopæ Asopidi bini liberi Amphion & Zethus. de quorum natalibus vide plura in Scholiaste Apollonij ad hunc versum lib. 4.

Οἷα μὲν Ἀντιόπῃ Ἀσωπίδι.

Vide præterea de eodem Plutarchum libello de Musica, vt de Antiope Hom. Odyss. λ. sub medium. Illic quidem Apollonius scribit Zethum humeris suis gestasse lapides ad constructionem Thebarum: sed Amphionem lyrâ loco aduoluisse ingentes rupes. In hoc igitur fuerunt inter se fratres dissimiles. Alij tamen addunt dissimilitudinem studiorum: quòd hic Musicus esset, ille pastor & osor Musicæ: vnde dissoluta est illorum φιλαδελφία, cuius rei meminit Plato in Gorgia ex Eurip. & Athen. l. 7. & Cic. 2. de Orat. & hic Poeta lib. Epist. 18.

Gratia sit fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissimilis.

Plinius quoque scribit lib. 7. cap. 56. Amphionem inuenisse Lydios modos & citharã, sed Apollonij Scholiastes refert ex historia Antimenidis li. 1. lyram Amphioni datam à Musis, & ex Dioscoride historico ab Apolline: cuius tamen inuentio tribuitur Mercurio huius Magistro. Amphioni autem se prædicat parem Virgilianus ille Corydon Eclog. 2.

Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Similiter hic Poeta in Epist. ad Pison. mirabilem eius testudinis facultatem tribuit:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis.

Callide neruis.] Phrasis est similis ei, quę fuit Od. 10. l. 1.

Callidum, quicquid placuit, iocoso
Condere furto.

Nec loquax.] Ante lyram à Mercurio inuentam tibiæ & tibicines in conuiuiis & sacrificiis solùm viguerunt, non lyra, nec testudo.

Obstinatas.] Id est, aures peruicaces, inflexibiles, obfirmatas, contumaces, ità perseuerantes, vt illos modos tenere possit, vt Festus ἐπιμελογεῖ, atque tandem iisdem capi. Quid si hîc, *obstinatas applicet aures*, explicemus per, *obstinatè audiat modos Mercurij?* more Terentij Act. 1. Scen. 5. Andr. v. 9. *Obstinatè operam dare, &c.* vbi Donatus interpretatur, obstinatè aliquid facere est in alterius malum cum conatu facere perseueranter, & in alterius perniciem niti: nónne huic loco conuenienter faciemus? Pro quo dicit Epist. 1. lib. 1. *Patienter commodet aures modis nostris*: quos si attentissimè audiret, sperarem eam meis optatis satisfacturam.

Trima.] *Bimus, trimus, quadrimus*, sunt epitheta ætatis: sed deinceps aliâ efferuntur formâ: *quinquennis, sexennis, septennis, octennis, &c.* pro tot annos natus. De equarum ætate & tempore admissuræ lege lib. 3. Georg. sub init. & Varron. l. 2. c. 2. de re rustica.

Exsultim.] Verbum exsultare propriè videtur Ciceroni, vt Xenophonti de re equestri διαπηδᾶν καὶ ἐμπηδᾶν, dici de indomitis equis lib. 1. de Offic. *Equos ferocitate exsultantes domitoribus tradere oportet.* Sed inde transfertur: *vt exsultare victoriâ, latrocinio, rebus secundis, lætitiâ, furore*, ac similibus aliis, quæ passim occurrunt: Hoc autē Græcè dixeris ἐκπεπηδηκότως ἢ παίζει ἐξαλλομένη ἐν λειμῶσιν, ἢ ἱππάζεται, ἢ ἀσυρμὸν ἵεται σκιρτῶσα αὐτόθι: id est, *exsultat lasciuâ ferocitate, & leuitate ludit & gestit in pratis.* vel expressiùs verba verbis reddideris, ἢ πῶλος, ὡς ἵππος πεπεδημένος, ἐξάλλεται, παίζουσα, ἢ ἐν ἀγαλλιάσει καρδίᾳ. Dicit etiam Plinius exsultantes.

Expers nuptiarum.] Græcè dicitur ἄγνως γάμων, Latinè cælebs.

Cruda.] Hoc epithetum deriuatur à cruore, cuius vide definitionem & rationem in Grammaticis Odes 1. lib. 2. Hîc autem *equa cruda marito proteruo* valet, *refractaria, contumax, & impatiens admissarij.* Gallicè: *lument rude & rebelle au masle, ne le voulans receuoir.* Ita Ode 17. lib. 1. *hircus* dicitur *olens maritus caprarum.* & Eclogâ 7. *Vir gregis ipse caper.* more Theocriti εἰδ. α. Ὦ τράγε τὰν λαιπὰρ αἰγᾶν ἄνερ· ὁ *hircè vir albarum caprarum:* pro quo in Epigram. dicitur πόσις αἰγῶν· *maritus caprarum.* Longiùs hîc immoror, ne cui videatur ἄκυρον si tribuimus equo admissario τὸ *marito* non Lydæ, quæ tamen se gerit similem erga virum atque equa erga equum.

Tu potes.] Quæ hîc tribuuntur testudini, certè referenda sunt ad Mercurium ipsius auctorem: & quæ Virgil. affingit Orpheo sub finem 4. Georg. de Eurydice recipienda, eódem pertinent.

Centum angues.] Quòd hîc dicit caput Cerberi centū anguibus esse munitum, virginibus ibidem tribuit Eumenidibus, Furiis Inferorum, filiabus Plutonis & Proserpinæ, & Acherontis & Noctis:

——cæruleosq; implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitq; inhians tria Cerberus ora.

Teter.] Teter spiritus dicitur graueolens halitus. *Teter* autem scribitur in quibusdam codicibus per diphthongum.

Sanies mânet.] Pro effluat aiet cruor, obscęnus, putris, venenatus. *Sanies* distinguitur à *pure* quantitate, quòd tenuioris sit substantiæ & mediæ inter sanguinem & pus: hoc autem crassioris: de quo vide Celsum lib. 5. cap. 26. ὡς ἀεὶ τὸ ἰχῶρος. Cerberus quoque fingitur κρεοφόρος, *carnium vorator*, de quo fuit etiam Ode 13. lib. 2.

Ixion.] Ixion, ob tentatum in Iunone stuprum fulmine detrusus est à Ioue ad Inferos; vbi ad rotam alligatus continenter circumuoluitur: de quo sic Virgil. lib. 3. Georg.

——Tortosq; Ixionis angues
Immanemq; rotam. & 4. Georg.
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

quo nempe priùs voluebatur. Hanc autē fabulam Plutarchus in vitis Aegidis, & Cleomenis scribit excogitatam contra ambitiosos. Macrobius tamen lib. 1. cap. 10. in Som. Scipionis paulò aliter, atque hic παιωδεῖται, *affabulatur*, quum scribit, *illos radiis rotarum pendere distractos, qui nihil consilio præuidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, seq; & actus suos omnes Fortunæ permittentes, casibus & fortuitis semper rotantur.* Vide ibidem aliquot aliorum epimythia. Hic Ixion in Epist. ad Pisones dicitur perfidus: cuius rationē reddit Scholiastes Pindari Πυθ. εἰδ. β. quòd promissis non stetisset, quæ fecerat Deioneo accipiens Diam ipsius filiam in vxorem: sed pro illis struxit ipsius vitæ insidias, vt dicetur Epist. ad Pisones.

Tityusq;.] De Tityo Ode 14. l. 2. vt de Belidibus ibidē.

Sera.] Dij sæpiùs vltionem scelerum differūt in certum tempus post mortem, quò referenda est hæc mora & tarditas supplicij, vt magis terreatur Lyde, quum audit Belidas non quidem pœnis liberatas fuisse, quum in vita illas effugissent: sed tandem aliquādo supplicium sumtum iri de ipsarum scelere apud Inferos. Vnde prouerbium πίθος πεπαμένος, *vas pertusum.* quod ita Lucianus in Hermotimo pronuntiat, ὀπτέον καὶ τοῦτο παροιμίαν τὸ πεφασμένον, ἐς τὸ ἔμπαλιν, ἢ τοὺς Δαναΐδων πίθους, i. *labor, qui exantlatur, vt est in prouerbio reciprocat in cōtrarium magis, quàm dolium Belidum.* Citatur quoq; ab eodem in dialog. *Cratetis & Diogenis pro argumēto.* Vnde hoc Plauti in Pseud. *Non pluris refert, quam si imbrem in tribum ingeras.* Fuerunt autem Danao Beli filio quinquaginta filię, teste Euripide in Tragœdia, cuius initium est:

Δαναὸς ὁ πεντηκόντα θυγατέρων πατήρ· *Danaus quinquaginta filiarum pater.* Totidem Pindarus numerat loco mox citando: quanquam εἰδ. γ. Πυθ. sub finem quadraginta octo recensęat: vbi Scholiastes reddit hanc rationem, quòd Amymon iam à Neptuno fuerat defiorata, & Hypermnestra à Lynceo amata. Sed quid hîc moror post narratam Ode 14. lib. 2. harum genealogiam?

Vna de multis.] Intelligit Hypermnestram, de cuius pietate Pindarus Ode 10. Nem. scribit in laudem Argiuorum: Οὐδ' Ὑπερμήστρα παρεπλάγχθη μονοφάρμακον ἐν κολέῳ καταχοῖσαν ξίφος· neq; *Hypermnestra errauit*, id est, piè fecit, *quum gladium aliis non suffragantem continuit in vagina, minimeq; distrinxit in suum sponsum* Lynceum, vt Epistola Ouidij habet inscriptum. Scholiastes tamen Pindari hunc vocat Lyncum, alij Linum: quem sic sponsa illic admonet:

Surge, age, Belide de tot modò fratribus vnus:
Nox tibi, ni properes, ista perennis erit.

Splendidè mendax.] Quæ piè & præclarè mentita est. Vtinam in re huic simili sic candidè mentirentur, qui specie pietatis ac religionis, quam isti ὑποκριτικῶς inuolucro bonæ intentionis tegunt, falsò persuaserunt merituros esse cæleste pręmium talibus mendaciis, qui sic innocentes & incautos opprimunt. Si quis autem est in voce ὑπερμνήστρα coniecturæ locus, puto hanc dici παρὰ τὸν αὐτῆς γαμικὸν πόσιν ὑπερέχειν τὸ Ἀβροκόμου νυμφικὸς εἶναι, i. *ex eo, quòd ipsius coniugalis fidelitas pretio superauerit* sponsa-

ponsalem arrabonem, quod est Græcis τὸ μνῆστρον. Hoc autem tetrastichon Galli interpretantur, *vne seule entre tant de filles s'est trouuée digne de mariage, qui a vertueusemẽt menti à son pere pariure, qu'elle auoit tué son mari, & pour cela est louable vierge à iamais.* Adhæc τὸ *nobilis* concisè dicitur pro valde noscibilis atq; prædicabilis hac iugali fide. Gallicè, *qui s'est par ceste loiaulté coniugale faict cognoistre & bien renommer pour touſiours.*

Sceleſtas.] Effuge crudelitatem ſoceri & ſororũ mearum, iam ſanguine fratrum tuorum contaminatorum.

Nactæ vitulos.] Id eſt, quæ inciderunt in vitulos. Verbum enim nanciſci eſt fortunæ proprium, ea nempe, quæ occurrerint, prehendere, quo vſus eſt Tullius Catilin. 1. *Nactus es experditis, atq; ab omni non modò fortuna, verùm etiam ſpe derelictis conflatam improborum manum.*

Singulos lacerant.] Similis eſt locutio Philip. 13. *Non patiar ſingulos, dimiſſo exercitu, ad cruciatum trahi.*

Clauſtra.] Id eſt, non te in cubiculo includam, donec pater & ſorores venerint te iugulatum.

Me pater.] Ellipſis eſt diſcretiuæ τῆς *licet, claſſe releget.* Hunc locum citat Seruius initio 6. Aeneid. *Claſſiq; immittit habenas:* quum notat τὸ claſſes dici ἀπὸ μέρους τοῦ κάλω, id eſt, *à ligniſ.* vnde calones etiam dicuntur, qui militibus ligna portant. Idem interpres prius in lib. 1. ad verb. *Pallasne exurer claſſem* notauerat, addens, ad inuidiam poſuit; vt pro vna naui dicat claſſem, vt hîc fit.

Viro clemens.] Hæc vox eſt Donato dicta à cultu mentis, ne ipſa vitiis contaminetur, in Adelph. Act. 1. Sce. 1. ad verba: Ego hanc clementem vitam vrbanam, &c. Hîc metonymicῶς, pro, quæ facit clementer. Idem interpres ibidem, ſed Act. 5. Sc. 4. ad verba: *Ille clemens, placidus, nulli lædere os. Clemens eſt, qui non iraſcitur, & colit mentem ſuam, nec eam vexat iraſcendo.* Definitur etiam variè clementia lib. 2. de nomine ipſius, apud Senecam. Sed hæc aliis præfertur definitio. *Clementia eſt inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda:* qualem Suetonius tribuit C. Iulio Cęſari, *in vlciſcendo naturâ leniſſimus. Moderationem verò clementiamq; tum in adminiſtratione, tum in victoria belli ciuilis admirabilem exhibuit.* De eodẽ ſic Plinius lib. 7. cap. 25. *fuit Cæſari proprium & peculiare clementia inſigne, quâ vſq; ad pœnitentiam omnes ſuperauit.* Idem multi ſcripſerunt, *Plutarchus, Cic. in orat. pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro.*

I, pedes quò.] Hoc videtur ſumtũ è Theocrito Idyl. 17.

——ὁ δ' ἄ πόδες ἄγον, ἐχώρει·

Ille verò, quò pedes ferebant, ibat. Hoc autem Luciani, ἔνθ' ἄν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν, ὀκεῖσε ἄπιμεν, i. *Illuc abimus, quò pedes nos ferent.* Propiùs accedit ad locum noſtri poetæ, qui de re dubia, quam aggreſſuri ſumus, vſurpatur, qualis eſt verſus epiſt. 1. lib. 1.

Quò me cumq; rapit tempeſtas, huc feror hoſpes.

Item Epod. 18.

Ire, pede quocumq; ferunt, quocumq; per vndas.

Nox & Venus.] Quæ fauet coniugibus, quorum diſceſſus peracerbus eſt.

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt Sapphicum. [a] Apoſtrophe eſt: inſtitutus enim fuerat ſermo Poetę primùm cum Mercurio, à quo transfertur ad teſtudinẽ, id eſt, ad rem mutam & inanimatam, quæ translatè dicitur callida, quòd tanquam manus opere; ſic animus vſu cõcalluit.

[b] Si Donato credimus in Andr. Act. 5. Sc. 4. ad verſ. *Tum ille egens ſortè applicat:* propriè de naufrago in littus eiecto atque egenti dicitur: vnde transfertur ad mentis attentionem, vt ibidem act. 1. Scen. 2. *Ipſum animum agrotum ad deteriorem partem plerumq; applicat.* Sic Cic. lib. 1. de offic. ſub finem, vt ſæpè alibi, idem translatè vſurpat, *Itaq; ſe alij ad Philoſophiã, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant*, i. ad ea ſe conferunt, & iiſdem ſe dedunt.

[c] Metaphora eſt à fructibus immaturis, pro immatura, intacta vel intempeſtiua. Sic, meâ ſententiâ, referetur meliùs ad laſciuam equæ contumaciam non patientis admiſſarium, quum totum hoc ſimile debeat referre mores intractabiles Lydes. Iudicio Eraſmi hæc duo vocabula, *nuptiarum expers & cruda*, εἰρωνικῶς ſumenda ſunt; quæ poſſunt etiam παροιμιακῶς vſurpari de muliere impudica copiam ſui faciente extra coniugium.

[d] Hîc fata ſumuntur pro malis fato decretis & deſtinatis, per metonymiam cauſſæ, pro effecto, quæ mala reos manent etiam poſt mortem. [e] Hæc continua geminatio vocis *impia*, atrocitatem ſceleris exprimit & exaggerat, neque parentheſis impedit, quin inde fiat Epizeuxis. Sed Cicero ſolet parentheſi ſubiicere, *inquam*, præſertim in longa interiectione memoriæ & eiuſdẽ ſoni iuuandi gratiâ: Sic enim diceret: *impia (nam quid potuêre maius?) impia, inquam, ſponſos potuêre duro perdere ferro.* Eódem pertinet repetitum *potuêre.*

[f] Metonymia materiæ pro gladio inde cuſo.

[g] Metonymia eſt adiuncti pro ipſo coniugio, in quo tædæ & faces adhibebantur.

[h] Similis eſt repetitio præcedenti, ac prætereà leuis apparatus ad proſopopœiam, vbi Hypermneſtra admonens Lynceum maritum ſuum de quærenda citò ſibi ſalute, & illum excitans è ſomno inducitur.

[i] Metaphorica eſt periphraſis mortis: qualis fuit Ode 24. lib. 1. in *perpetuus ſopor.*

[k] Exclamatio Hypermneſtræ per commiſerationem, cuius lege Epiſt. ad Lynceum querelarum pleniſſimam:

Clauſa domo teneor grauibuſq; coërcita vinclis,
Eſt mihi ſupplicij cauſſa fuiſſe piam.

[l] Anaphora eſt in hac repetitione eiuſdem ſoni initiò ſententiarum, ſicut poſteà in *me*: vbi cernitur mirabilis affectio vxoris erga maritum & acerbitas diſceſſus iteratione vocis eiuſdem indicata.

[m] Synecdochicῶς puto intelligi pro locis maximè deſertis & hominum frequentiâ vacuis: qualem certè ſolitudinem indicant hiſtorię è tanta copia ferarum & compaſcuorum agrorum.

Ode XII. Ad Neobvlen.

Theticum.

Quòd quiſque iucunditati ſe debeat dare, qui velit eſſe beatus.

Miſerarum eſt, neque amori dare [a] *ludum,*
Neq; dulci mala vino [b] *lauere: aut exanimari metuentes patruæ verbera*
[a] *Tibi qualum Cytherææ* [d] *puer ales,* ([c] *linguæ:*
[c] *Tibi telas, operoſæq; Mineruæ*
[f] *Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri.*
Eques ipſo melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque ſegni pede victus,
Simul vnctos Tiberinis humeros lauit in vndis:
Catuſi idem per apertum fugientes
Agitato grege ceruum iaculari, &
Celer alto latitantẽ fruticeto excipere aprum.

Analysis Dialectica.

HVius Odes sententia à quibusdam ita proponitur, quasi Poeta velit docere, *studio amoris homines auocari à rebus gerendis ad desidiam & inertiam:* quæ quidē certè vis amoris ad vtrumq; plurimùm valet: sed longè aliò, meâ sententiâ, spectat, dum idem ipse affirmat *miserum esse & illo & hilaritate vitæ priuari.* Itaque suadet Neobulæ, vt, *quemadmodum cupidissimus quisq; vitæ beatæ facit, se hilaritati tradat & amori:* qualis quidem cohortatio, etsi parùm castis Christianorum mentibus conuenit, nec ideò mihi satis probatur, quòd valdè suspicer Poetam hîc agere personâ infamis lenonis, qui rogatu Liparęi Hebri sollicitet Neobulen ad ludum cum ipso adolescente amori dandum, omni metu patrui & aliorum propinquorum ademto: enodatio tamen & explicatio carminis hoc à me requirit, vt, quàm proximè potero, ad sensum Poetæ accedam. Nec me præterea latet, esse alios, qui hîc Ironiam agnoscant & Neobulen dicant irrideri à Poeta, quòd, relictâ muliebri exercitatione, capta sit amore & desideat. Quicquid tamen sit, arbitror Poetam hîc initiò velle, *eam esse miseram, quæ, quum tota ardeat amore, nihilominus tamen illius cōmodis præsentibus se priuet, dum nec fruitur illius fructu, nec compotatione sodalium & libertate, acerbis patrui verbis detenta: omnis enim vitæ iucunditas videtur sita in his tribus; amore, compotatione, & agendi libertate.* Hæc certè propositio in tribus primis versibus est vniuersalis & enunciatur totidē adiunctis; *vacuitate amoris liberi, libertate compotationis negatâ, metu denique patruæ obiurgationis:* ex quibus fit misera.

2 Assumtio est: *Neobule his se priuat quum sese vltrò offerant & Cupido & formosus Liparæus:* vnde efficit *eam esse miseram:* quę tamen complexio non est hîc expressa, cuius loco reponitur commendatio Liparæi; primùm è collatione minorum, *quòd equitandi scientiâ præstet Bellerophonti:* deinde ex adiunctis, *inuictâ pugilatione & cursu:* postremò ex effectis: *quòd natet probè: feliciter venetur: cervos figat: apros venabulo excipiat:* è quibus facilè omnibus perspicitur optimus adolescentis habitus, laudabilis color, aptissimaque corporis totius conformatio: vnde pulcritudo existit: quâ dum Neobule non fruitur, misera lenonio Poetæ iudicio existimatur: quæ nullam ex amore suo percipiat voluptatem.

Enarratio Grammatica.

Dare ludum.] Dare ludum amori, est ei dare operam & indulgere, & ex eo voluptatem ac lætitiā capere, vt exanimari est cruciari & consternari, de quo vide Oden 17. lib. 2.

Lauere.] Ferè hic Poeta hoc verbum enunciat priscâ coniugatione pro *lauare.*

Patruæ.] In *patruæ linguæ*, videtur conuenientia orationis pro rectione, linguæ patrui.

Verbera linguæ.] Si pro hoc dixisset, *verbera verborum*, non modò παρονομαστικῶς, verùm ἐτυμολογικῶς etiam fuisset loquutus: quia vt verbera videntur agitari & continuò audiri sonitus verberato aere: sic verbum, vbi fuit pronunciatum, percussione aeris sonat: quali verborū sonitu, non armis, nec Herculis clauâ Cicero Philippicâ 13. iactat se vnum, è multis relictum, contudisse & fregisse audaciam Antonij. Ex his perspicuum est, τὸ *verber* non tantùm virgam, bacillum, flagellum, ferulam, quibus aliquis cæditur, sed etiam reprehensionem verbis factam: quod Nonius tradidit, τὸ *verberare* non solùm à verberibus dictum, verùm etiam à verbis vel pronuntiatis vel scriptis. Itaq; Cicero lib. 16. epist. 26. ad famil. Tironem scribit, *Verberaui te cogitationis tacito dunt axat conuitio, &c.* & epist. sequent. *Mirificam mihi verberationem cessationis epistolâ dedisti:* id est, obiurgationem, vt verberare pro obiurgare.

Qualum.] Qualus est cistula: vbi mulieres reponunt pensa, fusos, stamina, forficulas & fila. Interdum est calathus vimineus, per quem vinum perfluit expressum, Græcis, & maximè Aristoph. in Pluto. πρύτανις, ad quē accipitur modum 2. Georg.

—*tu spisso vimine qualos*
Colaq; prælorum fumosis dirige tectis.

vbi Seruius annotat, per quos vinum diffluit, suppositos buccæ torcularis, quum musta fiunt: qui & ipsi à colando dicti sunt cola. Præla autem sunt trabes, quibus vuæ iam calcatæ comprimuntur.

Cytheræa.] Cur ita vocetur Venus, vide Ode 4. lib. 1.

Operosa.] Creditur Pallas inuentrix omniū ferè artium. Eo autem sensu dicitur operosa, quo à Cicerone virtus & senectus operosa, ἐνεργητικῶς, quòd sint semper in operę faciundo. Παιδαγωγικῶς à Terentio *Comœdia operosa*, quòd in ea agenda plurimum operæ ponendum sit.

Studium.] Studium habes definitione declaratum li. 1. & 2. de Inuentione: vt illud sit assidua & vehemēs ad rem aliquam applicata magnâ voluntate occupatio: & notatione explicatum Ode 24. huius libri.

Neobule.] Quidam putant Neobulen dici, quasi nouam glebam, à νέος, *iuuenis*, & βῶλος, *gleba* & cæspes: Ego verò mallem deflectere à βουλή, tanquā iuuenile consilium: quòd diphthongus ου faciliùs Latinè vertatur in *u* quàm ω. Reperitur tamē apud Placidum Luctatiū in 2. Theb. Statij mater Pryxi & Helles dici hoc nomine.

Liparæi.] Fortassis hic Hebrus nomen inuenit ab insulis Liparæis, de quibus scribit Strabo lib. 2. & 6. Nitor autem Liparęi Hebri videtur quibusdam rectio pro conuenientia, aspectus nitidi Hebri Neobulæ abigit curam texendi omnem.

Bellerophonte.] De Bellerophonte vide annotationem Odes 7. huius libri.

Vnctos.] Athletæ luctaturi vngebantur à suis aliptis, sic dictis ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν, ab vngendo. qui non solùm luctaturos vngere solebant, sed eosdem quoque instruere ratione καρτερῶς καὶ σωφρόνως καὶ ἐμπείρως luctandi doctè, fortiter, peritè; qualis fuit Melesias aliptes Alcimedontis & Timosthenis Olymp. ιι τε.

Catus.] De etymo huius vocis vide Oden 10. libr. 1. Addam tamen, renouandæ memorię gratiâ, quod Donatus annotat Andr. Act. 5. Scen. 2. vers. *Nescio quis senex modò venit, ellum, confidens, catus.* id est, callidus, doctus, ardens, ἀπὸ τοῦ καίειν vnde Cato dictus. Ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur. Est igitur *catus*, qui valet rerum vsu & experientiâ, qualem Cicero Tusc. 1. vocat *egregiè cordatum hominem & catum.*

Ceruos iaculari.] Sic Ode 2. lib. 1. dixit, *rubente dexterâ sacras iaculatus artes*, pro ferire & petere & figere. Catus iaculari est Hellenism. Poeticus, pro peritus feriendi & figendi, & excipiendi apros in dumetis, Oratoris more. Gall. *Surprendre*, quale etiam est excipere fugientes, Ciceroni & Virgil. Eclog. 3.

Non ego te vidi Damonis, peßime, caprum
Excipere insidiis multùm latrante Lyciscâ?

id est, insidiosè furari: quale est illud Sueton. in Octau. cap. 16. *Quum descendisset ad littus penè exceptus est:* at paullò aliter Cęsar 3. Comment. de bell. Gall. *celeriter milites certiores facit, paullisper intermitterent prœliū, ac tantummodò tela missa exciperent, seq; ex labore reficerent & exciperent impetum hostis. Parer les coups & soustenir le choc.*

Aprum.] Aper est porcus syluestris, dictus Varronī, quòd in asperis locis versetur. Sunt tamen, qui deflectāt à Græco κάπρος, ὃς ἄγριος, aut Poeticè σάπρος, plurimi à veteribus in cōuiuiis existimatus: vnde iuuenalis:

—*quanta*

—quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum!

Itaq; Martialis semper inter nobiliores escas apro dat locũ primum, & ipsius lumbũ aliis partib. anteponit.

Explicatio Rhetorica.

CArmen est Sotadicum, à Sotade sæpè vsurpatum, cuius metrum constat ex Ioniço minore, id est, ex pyrrichio & spondeo. Duo primi quique versus sunt trimetri ex hoc triplici pede, & tertius tetrameter ex eodem quadruplici. Quidam tamen hunc tertium sic diuidunt, vt finis illius faciat quartum Adonium: vt *Verbera linguæ*. Est hæc Ode Glaeano ironica, vbi Poeta irridet Neobulen amore captam; non autem hortatur ad eundem, vt verba præ se videntur ferre.

[a] Sumtum est fortasse à ludis Scenicis, vbi vitæ turpiter actæ ingeruntur conuicia.

[b] Inde translatum, vnde abstergere dolorem, & molestiam; à rebus sordidis & obscænis, quæ solent aquâ dilui, vt affectus lenti & frigidi vino excitari & incẽdi: pro quo dicet Ode 12. l. 4. *amaráq; curarum eluere efficax.*

[c] In *linguæ* est metonymia causſę pro effecta castigatione & seuera obiurgatione acribusque verbis. In *patruæ*, est metaphora à moribus patruorum, qui sæpè acriùs reprehendant vitia filiorum, qui sunt fratrũ suorum, quàm patres ipsi, πρὸς τὰ τέκνα ὑπερβεβλημένῳ φιλοστοργοι, *nimio in liberos amore & affectu propensi:* eamque ob rem in illorum vitiis vel grauissimis conniuent, ac sæpiùs ea pro virtutibus ducunt, vel certè nimis excusant & extenuant. Inde factum est, vt *patruus* aliquando à Cicerone sumatur pro censore & acerbo reprehensore. Cuius rei testem producam ipsum è lib. 10. ad Att. *Vellem suscepisses iuuenem regendum. Pater enim nimiis indulgens: quicquid ego astrinxi, relaxat, &c.* Hic iuuenis fuit Q. fratris filius, quem Cicero patruus non poterat regere: quia in illo nihil simplex, nihil sincerum: ideoq; magnum est opus regere huiusmodi iuuenem: quod ab Attico, auunculo eiusdem iuuenis, ex Pomponia sorore ipsius & vxore Q. fratris, M. Tullius cupiebat confici. Sic Satyrâ 3. lib. 2, *ne sis patruus mihi.* & Persius:

Quum sapimus patruos.

Sic Suetonius in D. Claudio: *indignante ac fremente Caio patruum potissimùm ad se missum, quasi ad puerum regendum.*

[d] Synecdoche generis pro Cupidine, cui attribuitur celeritas ingenerandi amoris, quum semel insiti magna sit difficultas abiiciendi.

[e] Anaphora est. [f] Periphrasis synecdochica τῆς ὑφαντικῆς, artis textoriæ: à cuius honesto studio Neobule reuocatur amore, vt adolescens Sybaris dicitur Ode 8. libr. 1. honestas campi Martij exercitationes deseruisse.

Ode XIII. In fontem Blandvsiam.

Theticum.

Quòd puritas fontis & integritas magni facienda sit, ideoque velit Blandusiæ fonti sacra facere & eum immortalitati carmine consecrare.

Fons Blandusiæ [a] splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hædo:
[2] Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem & prælia [b] destinat
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine riuos
Lascini [c] suboles gregis.
[3d] Te flagrantis atrox [e] hora Caniculæ
Nescit tangere: [4] tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
[5] Fies nobilium tu quoque fontium:
Me dicente, cauis impositam ilicem
Saxis: vnde [f] loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

Analysis Dialectica.

MAgnus quidem certè semper honos propterea habitus est fluminibus, aquis, & fontibus ab Ethnicis hominibus; quòd vim maiorem numinis illuc inclusam esse crederent, quàm in res alias omnes, quâ ipsæ mouerentur & agitarentur. Ea de causſa faciebant illis sacra, atque de puritate illorum religiosè conseruanda tradebant multa præcepta: vt Hesiodus in operibus sub finem;

Μηδέποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίῤῥοον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρὶν γ' εὐχὴ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα.

Nunquam pedibus traiicias aquam pulcrifluam perennium fluminum, priusquàm in limpida fluenta intuens precatus sis.

Idem paullò pòst:

Μηδέποτ' ἐν ποταμοῖσι πολαμοῖς ἅλαδε προρεόντων
Μηδ' ἐπὶ κρουνάων ἐρεῖν· μέλα δ' ἐξαλέασθαι.

Nunquam immingas in alueum fluminum in mare decurrentium, neq; in fontes, sed illud diligenter vita. De violato fontis sacri honore est querela lib. 1. Epigram. cap. ξε.

Ἡ πάρος ἀὐδρόισι λιαζομένη πεδίοισι,
Πτωχὴ νῦν Νυμφῶν μέλεϊ καὶ εἰς γόνυ.
Λυδρώδεις γὰρ ἐμοῖσιν ἐνίψατο νάμασι χεῖρας
Ἀνδροφόνος, κηλῖδ' ὕδασιν ἐγκρεάων.

Quæ priùs defluebam pleno alueo, nunc sum Lymphis vacuus etiam ad vnam vsq; guttam. Aquis enim meis homicida suas manus cruentas lauit, maculâ inspergens aquas. Itaque non est mirum, si Poeta celebret laudibus amœnitatem fontis Blandusiæ Sabinẽsis prædio suo vicini. Imò verò longè honorificentius ac grauius de ipsomet aquæ elemento debuisset prædicare, si animum conuertisset ad primum Pindari versum Ολυμπ. Ἄριστον μὲν ὕδωρ, &c. tum enim ceciniſſet Physicos sequutus, ὁκ τῶ ὕδατος τὰ ἄλλα τρία στοιχεῖα σωίζεται· τὸ μὲν γὰρ ἀυτῦ τὸ λεπτομερὲς ἀέρα λέγεσι γίνεσθαι. τὸ παχύτερον εἰς ἑαυτὸ συνεστάμενον. γῆν τελώτατον δὲ ἀπολειπομένου τοῦ διακαυροῦ αὐτέρος. διὰ τῦτο ἄριστον εἶπε τὸ ὕδωρ. ἐπεὶ δοκεῖ τῆς γῆς ἄλλων χυμέστεως ἄπορ εἶναι. τὸ γὰ ἄπορ γῆς δι' ὑγροῦ γινομένου πορίζων γῆν ἄλλων, id est, *Ex aqua constitui alia tria elementa. Nam ex ipsius parte subtili dicunt aerem fieri: è crassiori in se compacta, terram: ex eadem deniq; maximè attenuata, igniferum æthera. Ideo dixit aquam præstantissimam: quia videtur aliorum causa efficiens, & materialis: quæ præstat aliis ex ipsa factis.* Prima illius laudatio est à minoribus, quòd perspicuitate, puritate & integritate præluceat vitro: deinde à paribus, quòd in suo genere excellentiâ salubritatis vinum æquet. Pro his argumentis alij notant fontem describi à natura aquæ: à situ: ab ortu, ac commoditate. Vt hoc argumentum hîc notarem, fecit locus Homeri Ιλιαδ. Θ.

—νῶϊ δ' οὐδ' ἑνὸς ἄξιοι ἔσμεν

Ἔκλορ, id est, *Nunc autem* (factis) *non æquiparamus vnum Hectorem*: vbi æqualitas comparationis negata redit in collationem minorum: sed affirmata paritatem arguit, vt in apologia vox ἄξιος, & inde flexa ἀξίως, vtraque respondens Latinis πῶς dignus & dignè demonstrat, ὁ πάντα πρέπων ἀξίως ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, id est, *qui omnia æquè agit, atque vir bonus*, id est, tam bene se in omnibus gerit, quàm vir bonus. Sic ode 6. lib. 1. τὸ *dignè Martem scribere* valet, tam insigne poema de ipso condere, quàm facta ipsius sunt insignia. Comparatè quoque versus sequens Virgilij ecloga 9. in Gramm. enuntiandus est. Postremò forma sacrificij proponitur è materia & circumstantiis odorum victimæ delectę additorum.

2 Declaratur victima ex diuerso fine: quòd, licet illius habitus videatur ad admissionem, certamen Venereum, & ad subolem natus & comparatus; aræ tamen sit destinatus.

3 Alia commendatio fontis ex adiunctis vmbraculis, quibus defenditur ab æstu Caniculæ.

4 Alia ex effectis: quòd frigus opacum suppeditet bobus ac gregibus aduersus nimium calorem.

5 Alia rursus è paribus: quòd Blandusia fons futurus sit eodem celebritatis loco apud homines prædicatione versuum suorum, quo celeberrimi quique fontes: quales fuerunt, Dirce laudatione Propertij lib. 3. & Lucani lib. 3. Castalius Virg. 3. Georg. Hippocrene Persij, quem appellat ex notatione nominis fontē Caballinū.

Enarratio Grammatica.

Fons.] Huius vocis originationem, vt πῆς πήγης, vide Ode 13. lib. 2. Cruquius hìc legit Banduſiæ ex fide manuscriptorum, & suspicatur esse caput Digentiæ riui, cuius fit mentio Epist. 18. lib. 1.

Me quoties reficit gelidus Digentia riuus.

Fons Blandusiæ.] Videntur Poetæ, & Oratores magis delectari locorum circumscriptione, quàm simplici eorum appellatione, & illam potiùs enunciare per rectionem, quàm per conuenientiam. Sic Virg. 1. Æneid. vers. 248. —*Fontem superare Timaui.* & ibidem vers. 251. *Hìc tamen ille vrbem Patauī*: sic Cicero vrbem Lampsaci, & oppidum Antiochiæ.

Vitro.] Arbitror opus esse ad intelligentiam huius cōparationis, vt aliquid de vitro dicatur, quod Scholiastes Aristophanis in Nubes refert, Homero πάλαι ὕαλον ignotam fuisse & vetustioribus: & pro ea genus electri, id est, succini fului & perspicui (quod de nomine vitri vocabant) etiam ὕαλον siue ὕελον vsurpatam esse. De vno quidem genere Electri diximus Ode 3. li. 2. Etsi autem πάλαι ὕαλον siue ὕελον videtur Grammaticis dici ἀπὸ τοῦ ὕειν à pluendo; ex eodem tamen Scholiaste, sicut ex aliis compluribus, discimus quandam formam vitri fundendi: sic enim ille primus: ὕαλον ἡμεῖς μὲν ἁπλῶς τὸ ὑπό τινος κεκαυμένον καὶ διὰ πυρὸς τηκόμενον εἰς ἀφασκόλιον ἀγγεῖον πιεῖν λέγομεν· *nos vitrum modo dicimus, quod ex herba quadam crematum & igne liquefactum esset in vsum quorundam vasorum:* οἱ παλαιοὶ δὲ τὸν διαφανῆ λίθον τὸ ἐμφερὲς λέγόμενον κρύσταλλον, ἐοικότα δ' ὑάλῳ· *veteres autem lapidem pellucidum vulgi more dictum* κρύσταλλον *vitro simile*: quem accipiebat olim pro κρύσταλλος vulgus, vt sit τὸ ὑπὸ τοῦ κρύους συστελλόμενον ὕδωρ, *aqua quæ frigore in glaciem concrescit.* Itaque *splendidior vitro*, valet quod dixit Ode 16. *Pellucidior vitro*, quod intelligendum est de vitro non sublito interiectu plumbi vel obscurati corporis alicuius oppositu: tale enim excipit imagines & retinet: quum verò nihil opponitur, sic transmittit omnia obiecta, vt candelæ lucentes solent euanescere in sole, propter pellucentiam, si fas est ita loqui.

Digne mero.] Hoc epithetū accepi comparatè in Dialecticis, quasi καθαρὸν πῶμα καὶ αὐστηρὸν εἶναι οἶνον, Gallicè, *pur breuuage qui vaut autant que du bon vin*, quamuis scirem non omnibus probari: qualis describitur fons Clitorius ab Ouidio 15. Metamorph.

Clitorio quicunq; sitim de fonte leuârit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius vndis.

Athenęus lib. 2. sub initium pag. 4. meminit, Tilphossæ, cuius & situm ponit in Boetia, quum scribit, καὶ πίνδαρος μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ, Τελφόσσας ἀπὸ καλλιχρόου. χρήνη δὲ ἐν Βοιωτίᾳ ἡ Τιλφόσσα, ἀφ' ἧς Ἀριστοφάνης φησί, Τειρεσίαν πινόντα διὰ γῆρας οὐχ ὑπομεῖναι λαβεῖν τὴν ψυχρότητα ἀποθανεῖν, id est, *Pindarus etiam mellitam & diuinam aquam, id est, suauitate respondentem ambrosiæ dicit, quæ è Tilphossa fonte pulchrè fluit: qui est in Bœotia, cuius potione Aristophanes scribit Tiresiam, quòd nequierit ipsius frigiditatem sufferre propter senium, exstinctum fuisse.* Plinius quoq; cap. 6. lib. 2. refert insulā è Cycladib. maris Ægei nomine Andron, vbi fons oritur, qui quotannis 4. nonas Ianuarij fundebat sapidos vini liquores. Idem refert lib. 1. Philostratus loquens de incolis illius insulæ. Pausanias etiam in Eliacis scribit in eadē insula è templo Bacchi riuum scatere vino per vnumquodq; Biennium tempore Bacchanaliorum.

Frons turgida cornibus.] Id est, quæ iam tumore ostentat breui futuram cornuum eruptionem.

Cui frons destinat Venerem.] Inuersio est syntaxeos, pro, quem hœdum frons turgida cornibus primis destinat Veneri & præliis. Sic rectâ syntaxi Virg. 2. Aen. vtitur,

—*Compositò rumpit vocem & me destinat aræ,*

id est, deligit, addicit, adiudicat & deuouet.

Suboles.] Hæc vox sic ex Festo & Nonio ac vetustis exemplaribus scribenda est *subolis*, non *soboles*, à subolesco, succresco: & propriè dicitur de surculis plantarū, qui solent tyluescere ad radices illarum, vt est cognoscere è lib. 19. cap. 12. Agellij de quodam Thracio imperito ruris colendi, *qui vidit vicinum suboles vitium e radicibus caudicum super terram fusas reuellentem, &c.* Itē è cap. 49. Suetonij in vita Augusti: *Ex ea palma arbore continuò enata suboles adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matricem*, id est, *matrem arborem: verùm etiam obtegeret.* Pro *enata suboles* Virgil. 2. Georg. dicit *pullulauit ab radice suboles.* Hic igitur hœdus, qui est propages petulci gregis, i. caprę, tinget, colorabit tuos riuos suo sanguine.

Caniculæ.] De hoc sidere dictum est Ode 17. lib. 1. addam tamen: vt illic *æstus Caniculæ*; ita hìc *atrox hora* eiusdem dicitur, esse stellam primæ magnitudinis & per totam ferè hyemem in plaga meridionali apparere sub Crione in ore canis maioris.

Nescit tangere.] Videtur ἄχυρον, nisi defendas opinione quorundam, qui censent astra animata & intelligentia, pro, ἀναίσθητα, non posse Seirij æstus calefacere fontem Blandusiæ opacis arborum ipsi asitarum frondibus circundatum. Verisimile est hunc fontem in sylua Sabina fuisse.

Frigus.] Illud intelligit frigus, quod pastor Virg. dicit, —*Frigus captabit opacum.*
in Tityro, & in Alexide:

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant.

Pro hoc Græci dicunt αὔρας διώκειν. Sic Cicero 3. de Orat. & opacum & frigidum in sylua locum appellat, quem Galli dicunt *lieu vmbrageux & frais & fraischeur.* Græci exprimunt per ψυχρὸν καὶ ψυχεινὸν, Latini solùm per vocem *frigidi*: fortassis etiam *algidi*, cum aduerbiis remissionis, *modicè & parum.* Alterum est frigus acerbum, intractabile, quale illud est Euripidis: τοῖς χεῖμα λαμπάτοις ἐχθρὸν ψύχος, *corpori attenuato inimicum frigus.*

Amabile.] Ἐρατεινὸν ψῦχος, vt dicit Pind. ἐρατεινὰν ὕδωρ.

Fontium.] Est ellipsis partitiui *vnus*: pro, fies vnus è

laudā-

laudatissimis fontibus, meis versibus, vel ex eorũ numero. Atticissimus est. Solin.c.13. *Memorat in Bœotia apud Thebas Helliconem lucum esse, Citharonem saltũ, amnem Ismenum, fontes, Aretbusam, Oedipodiã, Psammaten, Dircen: sed antè alios, Aganippẽ & Hippocrenen: quos Cadmus literarum repertor primus, quoniam equestri exploratione primus deprehendisset, dum rimatur, quænam adiisset loca; incensa est licentia Poetarum, vt pariter virumq; disseminaretur, & quòd aperti forent alitis equi vngulâ, & quòd poti inspirationem facerent literarum.*

Ilicem.] Ilex Græcè πρῖνος est genus viridis & magnę quercus: de qua vide Theophrast.histor.plantar.lib.5. cap.16. Dioscor.lib.4.cap.48. Plinium quoque lib.16. capit.6.

Loquaces.] Loquaces dicuntur aquæ quòd suâ deductione sonitum soleant edere.

Lymphæ.] De lympha vide Oden 37.l.1.

Explicatio Rhetorica.

HAec Ode metro similis est 5.l.1. [a] Sumtum est à lumine. [b] Verbum destinandi est consilij & iudicij, sed quia hîc tribuitur bestiæ vtriusque experti, meraph. est inde, sicut in *Venerem* est metonymia causſæ pro admissura, & fœtura. Postremò in *prælia* altera metaph. à bello: quorum quidem troporum concursus, licet diuersi sint generis, allegoriam cõstituunt: quæ valet, homines ex optimo habitu hœdi præsentis facilè addicerent illum admissuræ & gregi propagando.

[c] Hîc etiam translata est vox à stolonibus & pullis arborum adnascentibus, quæ propriè dicuntur suboleſcere & succreſcere, vt Græcè βλαστάνειν. [d] *Te, tu* variè cadunt per polyptoton. [e] Synecd. est partis pro omnibus apparentis Caniculæ diebus. [f] Ductum ab hominibus & ad inanima translatum.

Ode XIV. De Lavdibvs Avgvsti.

Theticum.

Quòd dies festus & solennis de prospero Augusti reditu celebrandus, & ipse lauro victrici donandus sit.

Herculis ritu modò dictus, ô [a] plebs,
Morte venalem petiisse [b] laurum,
Cæsar, Hispana [c] repetit [d] Penates
Victor ab [e] ora.

[f] Vnico gaudens mulier marito
Prodeat, iustis operata Diuis:
Et [g] soror clari ducis, & decoræ
Supplice vittâ
Virginum matres, iuuenumq; nuper
Sospitum: vos ô pueri & puellæ
Iam virum expertæ, malèn ominatis
Parcite verbis.

[h] Hic dies verè mihi festus atras
Eximet curas: [i] ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.

[k] I, pete vnguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marsi [l] memorem duellæ:
Spartacum si quâ potuit vagantem
Fallere testa.

Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem.
Si per inuisum mora ianitorem
Fiet, abito.

[m] Lenit albescens animos capillus
Litium, & rixæ cupidos proteruæ.
Non ego hoc ferrem calidus iuuentâ,
Consule Planco.

Analysis Dialectica.

INitiò populum Romanum in genere appellat, quẽ hortatur ad instituendum & agendum festum Augusto, laureamque donandam. Cohortationis prima ratio petita est è loco similium, quæ sic apertiùs enunciatur: *Augustus, populę Romane, non aliam exspectat à nobis gloriam & honorẽ ob victoriam ex Hispanis, Asturibus & Cantabris hostibus populi Romani acerrimis suo ductu & administratione, non alienâ, reportatam & patriam ex eorum pernicie liberatam: atq; olim Hercules est consequutus confecto vitæ suæ cursu, in duodecim illis grauissimis laboribus pro communi hominum salute sustinendis, & maximè interfecto Geryone trigemino rege Hispaniæ & bobus ipsius abactis.*

2 Nunc, velut diducto genere in aliquot formas, certè eadem diei festi celebratio suadetur, eaque primùm Drusillæ Augusti vxori, vel, vt alij malunt, Livię, cuius castitas cõmendatur fideli continẽtiâ in Augustũ: deinde Octauiæ sorori: posteà senibus: postremò iuuenibus.

3 Ad hæc solennia instituenda Horatius exemplum statuit in se, & ad id se parat, quod aliis suadet: vt, inquit, vobiscum celebrem hunc diem, ab omnibus me soluam curis & liberabo.

4 Istam animi securitatẽ docet ex efficiente. Quamdiu, ait, Cæsar principatum orbis obtinebit, ab omni metu securus ero.

5 Ne quid deesset epulis ad lætitiam, iubet citharistriam & cantatricem accersi, vinumq; & vnguentũ ac serta apponi: qui apparatus è loco adiunctorũ petitur.

6 Quasi iam puer rediisset non adductâ citharistriâ, docet è diuersis sibi satis magnam esse causſam irascendi: sed ὀξυχολίαν, quâ præter modum iuuenis laborauit, aduentu ingraueſcentis iam ætatis deferbuisse: quę quidem certè nisi obstitisset, iuuenis ipse minimè talem repulsam tulisset. Nam in iuuenibus duplex est vlciscendi materia, vna ex innato calore naturalis, altera aduentitia ex accepta iniuria: quod Seruius obseruauit in vers.127. Aeneid.5. citans hunc locum:

Tum verò exarsit iuueni dolor ossibus ingens.

vbi annotat: causſa pendet ex causſa.

Enarratio Grammatica.

Herculis.] De Hercule diximus Ode 3. lib.1.

Ritu.] Ita farè passim hæc vox vsurpatur in comparatione, quomodo vtitur Cicero: *Latronum ritu viuere*, Gall. *viure en brigands.*

Modò dictus.] Id est, Ode 5. huius libri non ita dudum decantatus.

O plebs.] Ferunt hanc Oden à Poeta scriptam annos 38. nato, quũ Augustus 6. & Vipsanius Agrippa 2. Consulatum gererent. Populum autem Romanum fortaſsis ita appellat propter contemtionem Antonianorũ, qui ægerrimè ferrent succeſsus Augusti secundos.

Petiisse laurum.] Hoc valet illud Aeschinis, αἰτιᾶσθαι στέφανον

τὸν ἀριστῶν ὠνίαν· *virtutem sanguinè esse venalem*, id est, periculo vitæ parandam.

Repetit Penates.] Eâ syntaxeos formâ dicitur, quâ repetere castra, domum & vrbem, pro illuc redire. De hoc Augusti bello in Cantabros lege Liuium l.135. Iustinũ sub fin. l.44. Florum lib.4.ca.12. Sueton. in vita Augusti. Oros. lib.6.cap.21.

Hispana.] Familiare est huic Poetæ primigenia vsurpare pro aliunde flexis. Sic Ode 8. huius libri dixit:

Seruit Hispanæ vetus hostis oræ. & 10. eiusdem,

Nec Mauris animum mitior anguibus,

& *venena Colcha* pro Hispanicæ oræ, Mauritanis anguibus, Colchicis venenis. Itidem Virgilio Aeneid. 2. ad vers. *Hoc Ithacus velit* &c. vbi Seruius idem, quod hîc nos, obseruauit sub alio genere Grámaticæ locutionis, *Ithacus* dicens, pro Ithacensi: principali pro deriuatiuo.

Operata.] Operari, vt facere, aliquando sunt verba sacrorum. Tibullus:

Omnia sint operata Deo.

Gall. *que toutes choses facent feste à Dieu.* Idem Elegia 5. lib.2. *Tunc operata Deo pubes discumbet in herba.*

Plautus in Aulul. *Vt isthæc operatio crimen expiet.*

Virgil. Eclog.3.

Quum faciam vitulâ pro frugibus.

Idem 1. Georg.

Sacra refer Cereri lætis operatus in aruis. sicut Græcum τὸ ῥέζειν. Homerus Iliad. Θ, vbi Agamemnon cohortatur Achiuos ad arcendum Troianos ab incendio nauium, Ἔνθα παρομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί. id est,

Vbi omnium oraculorum auctori Ioui sacra faciebant Achiui. hîc verbum ponitur absolutè, sed interdum cum accusandi casu, vt Iliad. A, vbi Vlysses Chryseidẽ patri reddit, Ὦ χρύσα, τεός μ' ἔπεμψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, i.

O Chryse, præmisit me rex virorum Agamemnon,
Παῖδά τε σοὶ ἀγέμεν, Φοίβῳ δ' ἱερὴν ἑκατόμβην
ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, id est,
Filiamq; tibi vt adducerem, Phœboq; sacram hecatomben facerem pro Danais.

Sospitum.] Intelligit potissimùm eos iuuenes, qui ex periculis illius belli contra Cantabros erepti fuerant.

Expertæ virum.] Pro, quæ iam coniuges & in matrimonium datæ sunt.

Malè nominatis.] Animaduertendum est hîc τὸ *malè nominatis.* non esse corrigendum per *malè ominatis:* quòd τὸ *n* sit adiectum ad vitandum vocalium concursum, quem veteres Latini studiosè fugiebant tam in verbis coniunctis: *redintegro, redeo:* quàm in disiunctis: *malè dominatis* vel *malèn ominatis.* &c.

Omnem crede diem tibid illuxisse supremum.

Epist.4 lib.1. non *dilluxisse.* Vide plura in Var. lectionibus Mureti. Id est, abstinete à turpibus verbis imprecationibusque & contumeliis: quæ imitatio est sermonis Augustani, cuius perstudiosus est Poeta, & de quo Suetonius in Octauio cap. 92. *In hoc quidem nihil aliud deuitans, vt ad Tiberium scribit, quàm δυσφημίαν ominis:* pro qua Horatius τὸν δίφημον hîc requirit: qua de phrasi vide, quod annotauimus in Oden 1. huius libri.

Vnguentum] Hoc linguâ Gallicâ rectè exprimitur *va querir des odeurs & perfums.* pro, lautè cõuiuium apparatur. Sed de vnguentis & odoribus vide Od.5.l.1.

Marsi.] Bellum Marsorum ad ætatem & vetustatem vini indicandã memorat nominatim, à populis Marsis, de quibus Ode 1. lib.1. Ad quod nunc addam, quæ Seruius annotauit in hunc vers. Æneid.7. sub finem:

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos.

Medea, inquit, quãdo relictis Colchis Iasonem secuta est, dicitur ad Italiam peruenisse, & populos quosdã circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui Marrubij appellabantur, quasi circa mare habitantes. Sunt autem isti Marsorum populi. Bellum, inquam, maximè concitatum à Propedio eorum duce contra Romanos ex 10. lib. Strabonis, vel à Picentibus ex T. Liuio, ascitis Pelignis, Marrucinis, Samnitibus, Lucanis. Ab illo autem bello Cos. L. Iulio Cæsare & Rutilio Lupo, gesto, vsque ad M. Lollium & Q. Aemilium Lepidum intererant anni 70. Horum Consulatu Poeta natus erat annos 44.

Spartacum.] De bello Spartaco Liu. l.95. & 97. & Florus l.3.c.20. & Appian. l.1. quod gestum est Cos. L. Licinio & M. Aurelio Cotta. post Marsicum 16. annos, de quo etiam vide Plutarchum in Crasso. Suetonius scribit in Octauio cap 3. Augustum deleuisse fugitiuam & residuam Spartaci & Catilinæ manum Thurinum agrum tenentes & per Italiam grassantes, post vtriusq; obitum. Spartacus autem Catilinam aliquot annis superauit. Ad bellum igitur cum reliquiis horum gestum ab Augusto Poeta respicit. Quidã è Chronologia putãt vinũ vetus peri annorũ 52. alij 64. de quo viderit lector.

Si quâ potuit.] Id est, si quâ ratione ille cadus potuit tutò conditus asseruari, & effugere latereque rapaces manus Spartacorum militum: quod dicit fallere. Cadus autem à Grammaticis deflectitur ὁ δὲ τὸ χαδεῖον, quod est capere, continere: estque genus mensuræ, sicut Merretes & κεραύνιον eiusdem capacitatis, nomine Latino non exprimendæ. Est quoq; vas vinarium, vt amphora, vel vas alterius liquoris, cuiusmodi est hydria & vrceus. Eandem quoq; notionis & nominis rationem cadus habet, quam vox Hebraica כד *cad* à radice לכד *lacad*, à capiendo.

Argutæ Neæræ.] Hæc Neæra fidibus sciebat: vel etiam vocali Musicâ valebat: quod licet coniicere ex epitheto *argutæ* sæpè attributo instrumentis Musicis: vt Eclog.7. arguta fistula dicitur, id est, canora & stridula propter auium in ea sedentium concentus, aut propter susurrum & sibilum è strepitu agitatorum foliorum; id Ausonius poeta expressit apertius,

Est & arundineis modulatio musica ripis,
Atq; arguta suis loquitur coma pinea ventis;
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

Sic Thaleia Musa dicitur arguta Ode 6. lib.4. & Epist. 14. lib.1. Calo argutus, id est, diligens & actuosus. Veteres sæpè vocarunt argutum, quicquid arguit aliud diligenter factum, vt ad Att. Epist.5. l.6. Literas quàm argutissimas crebrò mittas: hîc literæ dicuntur argutissimæ, quæ vel tenuissima quæque subtiliter admodum & curiosè persequantur. argutum enim valet tenue ac subtile: cuiusmodi est caput equi generosi lib.3. Georg.

——illi ardua ceruix
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga,
Luxuriatq; toris animosum pectus, &c. hîc argutum significat non magnum pro quo Varro dicit, exiguum, & Columel. siccum & pelle propemodum solis ossibus adhærente. Epistolâ quoque 2. lib.2. poetę dicuntur arguri pro, ingeniosi, solertes & acuti per mutuam existimationem. Sic oculi nimis arguti, quòd arguant & quasi loquantur: manus minùs arguta, id est, minùs actuosa, & exsta argutissima, quæ maximè significant & quid magnum portendunt. Vox autem Νέαιρα, vnde hæc meretrix videtur cognominata, partem ventris extimam & fumen significat, ἀπὸ τοῦ νέειν, τὸ πορδεύεσθαι εἰς ὠτιὼ τὰ ἐσθόμενα· *quòd eò comesa deferantur: vel quòd nouis amoribus gaudeat.* Prius etymum videtur alludere ad vocem Hebræam גדרה *ghedrah*, quæ sonat nuditatis turpitudinem.

Myrrheum.] Pro hoc Virg. l.12. Aeneid. sub initium,

——da fœdare in puluere crines

Vibratos

Vibratos calido ferro, myrrhaq; madentes. quod Seruius interpretatur crispatos *calamistro.* nam calamistrū est καλαμὶς, & acus arundinea vel ferrea, quæ calefacta & adhibita intorquet & crispat capillos: vnde calamistrata coma est frequens apud Ciceronem. *Calamistratus saltator* in orat. post reditum. Gall. *danseur grezillé & testonné:* apud Plaut. in Asina.

Quisnam istuc accredat tibi, cinæde calamistrate?

Gall. *recoquilles & perfumes:* quod erat, inquit Seruius, vituperationi: contrà laudationi illud Ode 12. lib. 1. de Curio:

Hunc, & incomtis Curium capillis
Vtilem bello tulit. τὸ *madentes myrrhâ* idem, quod crines vnguentatos vel vnguento myrrheo delibutos. Sed de myrrha vide Plinium lib. 12. cap. 15. & 16. Huc ego rationem vocis addam, πὶω μύῤῥαν ἀπὸ τὸ μύρον ἐκρεῖν ὑῆσῆς· quòd ex eo effluat vnguentum: & ante & post cōcisionem. A spontanea stillatione dicitur stacte Plinio loco citato πυρὰ τὸ στάζειν, τῦτ' ὅτι ῥέειν ἢ χέειν· à stillādo & fundendo, vt τὸ μύρειν. Videtur tamen & Pomponius Porphyrio aliter legere, quum scribit: *Colorem myrteum in crinibus hodie quoq; dicunt, qui medius est inter flauum & nigrum:* quam lectionem videtur confirmare hoc distichon Tibulli lib. 3. Elegiâ, *Dij meliora, &c.*

Intonsi crines longâ ceruice fluebant:
Stillabat Tyrio myrtea rore coma.

sed de myrto vide Oden 4. lib. 1.

Cohibere crinem.] Est religare & colligere flauos capillos vnguento myrrhino delibutos, Gall. *Quelle se haste de trousser se blonds cheueux.* Talis festinatio expressa fuit Ode 11. lib. 2.

Dic age, cum lyra
Maturet in comtum Lacænâ
More comam religata nodum.

Si per.] Id est, si ianitor Neæræ præbuerit se difficilem & lentum in aperiendo; inde huc discede.

Lenit.] Id est, canities exstinguit ardorem animi ad rixandum promti, sicut honestas in sene requirit.

Non ego ferrem.] Est hîc enallage temporis pro *tulissem.* Si verum est hanc Oden ab Horatio scriptam anno ætatis suæ 36. & Plancum fuisse Consulem 13. antè annis, sequeretur tum Poetam agere annum 23. & naturâ feruidum & acrem: sed mirum videtur plerisque τὸν ἀκμὸν αὐτῦ καὶ τὸ φιλόπονον καὶ μεγαλοψυχίαν κατὰ τὴν ἡλικίαν ἐπὶ πλεῖον λαβεῖν ἐξ· *vigorem ipsius & studium contentionis exstinctum fuisse, aut certè valdè remissum ætate 36. annorum.* Quidā etiā putant annū designari, quo Brutus interiit pugnâ Philippensi, Coss. Lepido secundo & Planco, quo tempore natus erat Poeta 23. annos, vt è libro Dionis 47. colligi potest. Seruius citat hunc locum in vers. Aeneid. 5.

Tum verò exarsit iuueni dolor ossibus ingens.

de Gya iuuene irascente, quòd socij non accommodantes ad sua mandata nauigarent.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est Sapphicum.

[a] Dirigit rectà sermonem suum Poeta ad populum Rom. non autem auertit aliunde ad ipsum, vt fit apostrophe ex quorundam opinione.

[b] Laurum dicit per metonymiā signi adiuncti pro re significata, id est, honoribus & gloria, quæ non nisi grauibus vitæ periculis & morte pro patria fortiter aditis comparatur: quale Augustus consequi debet, qui, quum modò dicebatur iuisse quæsitum istam gloriosam victoriam, nunc eam adeptus rediit in patriam.

[c] In his verbis *petiisse & repetit,* quædam est vis παρονομασίας è significatione nonnihil immutata & aliqua syllabarum commutatione.

[d] Metonymia est adiuncti pro domo, vbi Dij familiares asseruantur & coluntur.

[e] Per synecdochen intelligit Cantabriam montibus Pyrenæis finitimam, de quâ Ode 6. lib. 2.

[f] Varia est apostrophe ad priuatas & certas personas diuersi sexus & ætatis, nomine plebis fortassis priùs comprehensas: licet eas affetur in tertiis personis: quas sigillatim hortatur ad sacra Diis facienda.

[g] Synecdoche est generis pro Octauia, quæ nupserat M. Antonio: sicut, *ducis,* pro Augusto: qualis fuit anteà in *mulier* pro Drusilla vel Liuia vxore Augusti.

[h] Metonymia est effecti pro efficiēte homines pallidos & tristes: sic Virgilius dicit *atra vineta.*

[i] Anaphora est in *nec,* repetito initiis sententiarum. Prętereà παῤῥησία, est enuncianda per aliquam exclamationem. [k] Apostrophe ad ministrum, vt apparet ad festum necessaria. [l] Metaphora est, vbi tribuitur sensus & recordatio rei inanimatæ, pro cadum conditum à tempore & memoria belli Marsici.

[m] Metonymia est signi pro senectute significata.

[n] Metonymia subiecti pro tempore Consulis Planci, id est, L. Volcatij Tulli anno ab Vrbe 720. quum iam natus erat annos 31. à Consulatu 2. Aurelij Cottæ, & M. Manlij Torquati. Quidam tamen hanc chronologiam ita subducunt, vt Poeta sit natus Cos. Torquato Manlio ab Vrbe condita 689. atq; Plancus Cōsul fuerit cum M. Æmil. Lepido anno ab Vrbe 712. vnde efficitur Horatium Consule Planco attigisse annum 23.

Ode XV. In Chlorim.

Theticum.

Quòd Chlorim iam anum oporteat finem intemperanter & libidinosè viuendi facere.

[a] *Vxor pauperis Ibici,*
Tandem nequitiæ pone modum tuæ,
Famosisq; laboribus.
Maturo propior desine [b] *funeri*
Inter ludere virgines,
Et [c] *stellis nebulam spargere candidis.*
[2d] *Non, si quid Pholoen satis,*
Et te, Chlori, decet. [3] *Filia rectiùs*
[e] *Expugnat iuuenum domos,*
[4] *Pulso Thyas vti concita tympano.*
[5] *Illam cogit amor Nothi*
Lasciuæ similem ludere capreæ:
[6] *Te lanæ prope nobilem*
Tonsæ Luceriam, non citharæ decent.
Nec flos purpureus rosæ,
[f] *Nec poti vetulam face tenus cadi.*

Analysis Dialectica.

CHloris mœcha iam anicula & honesto viro coniuncta, quanquam pauper hic esset, reuocatur ab incontinētia, primùm effectis & adiunctis ætatis senilis, quæ mores honestos ac vitæ moderationē postulet: quęq; morti propinqua & ad iocos puellarum inepta sit: quę denique minimā sentiat voluptatum titillationem.

2 Argu-

2 Argumentum est è diuersis: *si libido tolerabilis videtur in Pholoe iuuencula, non idcircò tamen in te vetula toleranda erit, quia turpe senilis amor.*

Sic argumentatur Sinon Virgilianus lib.2.Æneid.

—— Nec si miserum Fortuna Sinonem.
Finxit, vanum etiam, mendacemq; improba finget.

quod enunciat Cicero pro Amerino: *Non continuò, si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum.* Quo axiomate negato statuitur, si antecedens sit, non idcirco consequens esse.

3 Idem confirmatur maiorum comparatione: *Filia tua Pholoe, vel puella quæuis alia, longè aptior est ad capiendos iuuenes & in amorem alliciendos, quàm vetula.*

4 Idem augetur similium comparatione: *Quemadmodum Thyades Bacchi sacerdotes audito tympani signo concitantur furore: sic Pholoe feruore iuuenili adoritur iuuenes.* Simili argumento Virgilius describit Didonis iram detacito Æneæ discessu Æneid.4.vers.300.

Sæuit inops animi, totamq; incensa per vrbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia.

5 Idem declaratur efficiente, per similitudinem tamen enunciata: *Pholoe ad libidinem impellitur amore Nothi cuiusdam adolescentis, non secus atque lasciuæ capræ.*

6 Iam breuiùs, quòd antecesserit, ex diuersis exponit: *Non ioci, non voluptates iuuenum, non serta, non citharæ, non larga compotatio, & ad vini facem ducta, te decent: sed tibi lanificium ætatiq; tuæ & iuuando marito valdè aptum, ad victũ honestè parandum, videtur inprimis conuenire: quale tibi suppeditat Luceria celebris ciuitas Apuliæ.*

Enarratio Grammatica.

Vxor pauperis.] Vxor dicitur Seruio & Isidoro quasi vnxor, quòd postes domus maritalis, antequã ea limen ingrederetur, vittis laneis ornarentur, & oleo vngerentur. Addam ex historiis, hoc nomen dignitatis, non voluptatis, existimatum fuisse ab Imperatore Commodo Vero. Non dissimilis libidinis Lydia etiã anus fuit insimulata Ode 2.libr.1. Laudarem equidem vehementer hoc genus reprehensionis, nisi cõiunctam haberet approbationem eiusdem flagitij in altera. Ea certè fuit olim impia profanorum religio, vt flagitiosum esse non putarent adolescentes scortari ac viuere incontinenter: turpe autem ducerent & inhonestum à senibus id ipsum præstari, vnde prouerbium γέρων ἐξεσὴς, κακὴ πύχη. Sed Christiana religio vtramque ætatem illicitâ libidine, ebrietate ac reliquâ intemperãtiâ prohibet: quòd inde omne scelus, omneque malum facinus oriatur, tandemque maneat huiusmodi flagitiosos & intemperantes æterna pœna.

Pauperis.] De hac voce dictum Ode 2.huius lib.

Nequitiæ.] Hęc vox vsurpatur à bonis Latinitatis auctoribus in flagitiosa libidine ac intemperantia Venerea, vt vidimus Ode 4.huius libri. Ratio autem huius nominis est Donato Adelph.Act.3.Scen.3.v.4.eadem, quæ vocis *nugæ*. Nequitia, inquit, propriè libidinosa inertia dicta est, quòd nihil queat: nulliq́ue rei apta sit: vnde & nugæ; quòd nihil agant, vel à non agendo. alij tamen malunt deflectere ab inusitato *nequus*, tanquam diceretur, *non æquus*: sed prioris etymi ratio verior est; quam Cicero Tuscul.3. creditur confirmare, *frugalitatis proprium est motus animi appetentis regere & sedare, semperq́; aduersantem libidini moderatam in omni seruare constantiam: cui contrarium vitium dicitur nequitia ab eo, quod nequicquã est in tali homine, ex quo nihili idem dicitur.* Agellius libro septimo cap.vndecimo definit nequitiam luxum vitæ prodigum, & effusum frugalitati oppositũ lib.7.c.11. de pœna, inquã, Tityj propter huiusmodi vitiũ, fuit Ode 4.huius modò citata ad hęc verba, *nequitiæ additus custos.*

Pone modum.] Pro, tam firmum tamque constantem præscribe modum tuæ libidini, vt ab eo nunquam discedas: vbi si legis pro *pone, fige modum*, videtur sumtum à militibus & gladiatoribus rude donatis, qualis describitur Epist.1.lib.1.

Famosisq; laboribus.] Id est, infamibus, quibus tibi malam colligis famam: sic *famosus* sæpiùs sumitur in peius.

Inter ludere.] Hoc dicitur διὰ τῆς ἀναστροφῆς, per inuersionem præpositionis, pro, ludere inter virgines.

Si quid decet.] Miror, cur Poeta Græcè non dixerit, εἴ τι πρέπει τῇ Φωλόῃ, vt cui Hellenismus sit perfamiliaris, quomodo Terent.Adel.Act.3.Scen.4. *Deos quæso, vt vobis decet*, ὡς ὑμῖν πρέπει syntaxi verborum eâdem.

Pholoen.] De hac diximus Ode 33. lib.1. sicut Chlori Ode 5.lib.2. Addam tamen ex Odyss.lib.λ. fuisse etiam Chlorin vxorem Nelei:

Καὶ Χλῶριν εἶδον περικαλλέα, τὴν ποτε Νηλεὺς
Γῆμεν ἑὸν μετὰ κάλλος.

Et Chlorin vidi valdè formosam, quam olim Neleus duxit vxorem ob illius pulcritudinem. A viriditate autem & flore hoc nomen sumtum est. Prætereà Turnebus in Aduers. facit Chlorim & Zephyritim σωώνυμα ex Athenæo, & vtrumque à Catullo tribui Arsinoæ, quæ pro Venere colebatur.

Thyas.] De hac voce diximus Ode 19. l.2. sicut de ratione tympani Ode 18. l.1. quò addam illud Hebraicè dici תוף *thoph*, quod pulsabatur quum infantes immolabantur dæmonio Moloch à Iudæis, cuius loco cultus fuit Saturnus ab Ethnicis.

Nothi.] Puto nomen hoc esse proprium cuiusdam amatoris. Ὀνομαστικὸς δὲ λόγος τῷ νόθῳ· ratio autem huius nominis est Eustathio in vers.27. Odyss.γ. περὶ τοῦ νὰ σέρνωσι καὶ τὸ θεῖον, ἵνα ᾖ νόθος, ὁ τῆ θεία πίρᾳ ἐστερημένος, ὅ ἐστι τῆς ἐξ ἐννόμου γάμου γυναικός· ἀπὸ τοῦ νο στέρησιν καὶ τὸ θεῖον, *qui priuandi particula νο & diuina ordinatione, vt sit nothus, qui priuatus est regulâ diuiniori, quod est procreatione è legitimis nuptiis.* Seruius in Æneid.7.vers.

Suppositæ de matre nothos furata creauit,

annotat hoc nomen esse Græcum. Nam Latinè quemadmodum dicas non est, vt priùs dixerat è Varro. Præterea definitur νόθος per oppositionem, ὁ μὴ γνήσιος ἢ μὴ ἐκ νομίμης γυναικὸς γνησθείς, ἀλλ' ἐκ παλλακίδος· *qui non est genuinus, aut è legitima muliere, sed è pellice procreatus.* Idem Eustathius in Periegesin Dionysij, loquens de Nabathæis annotat: τὸ Ναβάτης Ἀσσυρίοις σημαίνει τὸν ἐκ μοιχείας γεγόμενον, *ex adultero natum.*

Lanæ.] Ita Iuuenalis de pellice senio confecta:

Horrida quale facit residens in codice pellex.

Nam vbi pellices consenuerunt, ab amatoribus adulteris deseruntur, & ad reliquum vitę tolerandum tenui stamine, lanificioque se conferunt, assidentes nobili matronæ in dura & vili sella.

Prope Luceriam.] Luceria fuit oppidum Apuliæ, de quo Strabo lib.6.

Nec poti fæce tenus cadi.] Alia exemplaria *vetulâ fæce* habent, pro vetuli vini fæce. Sed mihi probatur magis, nec cadi fæce tenus poti te vetulam decent, vt vetula opponatur filiæ. Quidam interpretantur de bonitate vini, cuius nimiâ cupiditate turpiter hoc scortum tenebatur, vt ritu Lycidę caprarij apud Theocritũ εἰδυλ.ζ. potare auidissimè putanda sit.

Καὶ πόμαι μαλακῶς μεμνημένος Ἀγεάναχτος,
Αὐτῶσιν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.

Atque bibam suauiter memor Ageanactis, ipsis poculis vsque ad facem labrum imprimens.

vbi Scholiastes ἐς τρύγα interpretatur μέχρι τρύγος τὸ ἐν τῷ πυθμένι τῆς κύλικος τῦ οἴνου, *vsq; ad facem vini, quæ est in fundo poculi.*

peculi. Alij existimant genus esse prouerbij, quod tamen non explicant. Reperio equidé aliquid simile de Phrynon explicant. Reperio equidé aliquid simile de Phrynone meretrice apud Plutarchum in præceptis sanitatis: πρεσβυτέρα γεγυνημένη ἔλεγε τῷ γήρᾳ πλέονος πωλεῖν διὰ τὴν δόξαν· fæcem sese pluris vendere in sua senectute, nescio quâ dignitatis opinione, quàm vinum vendidisset in sua iuuentute. Hæc apodosis in loco Plutarchi explenda fuit, vbi apertè vides allegoriam & fęcem senectuti & vinum iuuentuti comparari. Si libet tibi & potes sic hunc locum intelligere, per me licet.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est dicolon ex Glyconio & Asclepiadeo. [a] In *vxor Ibici* est synecdoche periphrastica; qualis in famosis laboribus pro Chlori, & infami flagitio & inopi incontinentia.

[b] Metonymia est adiunctæ pompæ & apparatus, qui fit in exsequiis mortui pro ipsa morte. [c] Allegoria est è continuatis metaphoris, vbi stellæ candidæ sumuntur pro formosis puellis, & nebula pro vetula deformi & rugosa, vt sit sententia: *Desine pulcras afficere dedecore deformitate tuæ præsentiæ, vt nebulæ solent splendorem stellarum obscurare.* Similis est translatio prouerbiorum, κατά τι σκότου λέγειν, καὶ διὰ τῆς ὁμιχλώδους τι εἰδέναι ἢ ἀκούειν, *per caliginem aliquid dicere, aut per nebulam aliquid scire aut audire*, id est, obscurè. Quæ discrepantia, vt vi-
10 detur, iuuenis iuuenibus, vetulæ vetulis aggregentur, id est, sicut habet prouerbium, pares cum paribus congregentur.

[d] Procatalepsis est eius, quod posset anus obijcere. [e] Translatum ab obsidentibus & capientibus vrbes. [f] Est hîc Anaphora. Hic versus speciem prouerbij præ se ferre videtur, vt in Grammaticis dictum est.

Ode XVI. Ad Mæcenatem.

Theticum.

Ex fabulis & historiis docet Mæcenatem, quæ mortalibus mala solet cupiditas diuitiarum & honorum dare: vnde colligit mediocrem vitæ statum illis esse tutiorem.

Nclusam Danaen turris [a] *ahenea,*
Robustæq́; fores, & vigilum canum
[b] *Tristes excubiæ munierant satis*
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, [c] *virginis abditæ*
Custodem pauidum, Iuppiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Conuerso in [d] *pretium Deo.*
Aurum per medios [e] *ire satellites,*
Et perrumpere amat saxa, [3] *potentius*
Ictu fulmineo. [4] *Concidit* [f] *Auguris*
Argiui domus ob lucrum
Demersa excidio: [5] *diffidit vrbium*
Portas [h] *vir Macedo, &* [i] *subruit æmulos*
Reges muneribus, Munera nauium
Sæuos [k] *illaqueant duces.*
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq́; fames. [7] *Iure perhorrui*
Late conspicuum tollere [l] *verticem,*
Mæcenas, equitum decus.
Quantò quisque sibi plura negauerit,
Tantò plura feret: [9] *nil cupientium*
Nudus [m] *castra peto: & transfuga diuitum*
Partes linquere [n] *gestio:*
Contemta dominus splendidior rei,
Quàm si, quicquid arat impiger [p] *Appulus,*
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ riuus aquæ, siluaq́; tugerum
Paucorum & segetis certa [q] *fides meæ,*
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygonia [s] *Bacchus in amphora*
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest:
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parua Cupidine
Vectigalia porrigam:
Quàm si Mygdonius [x] *regnum Alyattici*
Campis continuem. [16] *Multa petentibus*
Desunt [y] *multa: bene est, cui Deus obtulit*
Parcâ, quod satis est, manu.

Analysis Dialectica.

Disputatur hæc quæstio ἐνθυμηματικῶς ex effectis auri: *quòd nil sit tam multis præsidiis firmatum, nihil tam acribus vigiliis septum, nihil tam tutis custodiis munitum, quod pecunia, aurum & ambitio non misere sollicitet, expugnet, capiat, prorsúsq́; tandem labefactet.* Hæc autem propositio tribus exemplis; Danaes, Eriphyles & oppugnatorum pecuniâ Philippi probata, funditur vsque ad hæc verba: *inre perhorrui*, vbi vis complexionis apparet: *merito igitur timui cauíque ne immensis opibus adaugerer, summísque honoribus cumularer.* Ex his magna fit mihi coniectura Poetam fuisse ab amicis aliquando ad honores, amplissimasque fortunas excitatum, nihil non ipsi pollicitantibus studij ac operæ in vtrisq; comparandis: sed illis summâ animi moderatione & fortitudine antepositi mediocritatem. Reliquum Odes consumitur in dilatanda complexione de mediocritate expetenda. Prior autem pars enthymematis declaratur ex efficientibus, & ita iudicatur: *Si Iupiter & Venus custodiam Acrisij non risissent: Danaae satis fuisset munita contra homines adulteros: At illi voluerunt eam elusam: non illa fuit igitur satis firmis præsidiis munita: quia Iupiter in aurum conuersus ad Danaen vsque pertinuit.* Poeta videtur hîc ad fatum spectasse, de quo sic Theog.

Κύρν' ἔμπης δ' ὅτι μοῖρα παθεῖν ἐπιείσατ' ἀνάγκη.
Οὔτι δὲ μοῖρα παθεῖν, ὅτε δὲ δοιὰ παθοῦσι.

Omnino, Cyrne, quod fato decretum est euenire non licet subterfugere, quod autem sic fato decretum est, non metuo pati. Hoc genus fati quidam referunt ad affectionem & coniunctionem horoscoporum & signorum.

2 Efficientia auri ostenditur in perstringẽdis omnibus angustiis, mollibus, cuneis, altitudinibus telisque omnib. obiectis: qualem Cic. act. 2. in Verrem declarat, *nihil*

nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit, cuius vim tinnulam ad persuadendum hoc exprimit distichum,

Χρυσῦ κἀλουῦ τος πᾶς ἀπερκλείτω λόγος.
Πείθειν γὰρ οἶδε, κἂν πέφνκε μὴ λέγον. id est,
Auro tinniente nihil orationis vis proficit.
Suadere enim nouit, etiamsi minimè tinniat.

3 Eadem vis auri confirmatur minorum collatione, quòd fulmen Iouis non tam valeat ad deturbandum, labefactandum, euertendum, & perdendum, quàm aurum.

4 Eadem vis opum enituit in oppugnatione Eriphylæ, quæ pulcritudine monilis aurei & cupiditate incensa prodidit salutem Amphiarai mariti sui vatis, quem latentẽ, ne cum Adrasto regi Argiuorum ad bellum Thebanum proficisceretur mortis suę & exercitus præscius, huic Regi indicauit: à quo coactus illucire, in primo aduentu hiatu terræ Thebis obrutus est: cuius Eriphylę perfidiam vltus est posteà Acmæon filius ipsius iussu patris sui Amphiarai, dum hic adhuc viueret. Sic cupiditas auri totam illam familiam Amphiarai perdidit & exstinxit: vnde Theognis:

Ἀλλά μοι ἐν πᾶσι τὸν γνωμὸν τοῦτον καλάσσαι,
Ὡς πλάτος πᾶσιν ἔχει δύναμιν. Id est,
Sed hæc sententia ab omnibus memoriæ est tenenda,
Diuitias plurimùm in omnibus posse: Cũ Amphiarao Cic. l. 6. Epist. 6. ad fam. se comparat: *Veritus sum decessi Pompeij saluti quum ille aliquando non defuisset meæ. Itaque vel officio, vel famâ bonorum, vel pudore victus, vel vt in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.*

5 Hanc deinde vim auri nouerat Philippus pater Alexandri magni: quem historici omnes scribunt plures victorias reportasse & vrbes expugnasse auro, quàm ferro: plures nauarchos & piratas sæuos debellasse muneribus, quàm armis. De vi huiusmodi pecuniæ & munerum sic fecit Ouidius:

Munera (crede mihi) placant homines q; Deos q;:
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

De hac auri efficientia repete quod dictum est Ode 3. huius libri. Sic Plato ait lib. 3. Pol. δῶρα θεὸς πείθειν, καὶ αἰδοίους βασιλῆας. *Dona flectere Deos, & venerandos Reges.*

6 Pecunia ex adiunctis iam notatur: quòd curæ, & insatiabilis cupiditas sint perpetuæ comites ipsius: vnde illud: διλωτικὴν ὅλη τῶν ἀνθρώπων ἡ τοῦ πλούτου ἐπιθυμία. *In omnium hominum animis insidet iugiter & perpetuò cupiditas diuitiarum.*

7 Conficit, vt iam monui, ex tot malis, quæ dat aurum, meritò se fugisse ingentes diuitias, summos honores & potentiam.

8 Iam partem alteram de mediocritate expetenda & quærenda persequitur: cuius prima ratio est è comparatione maiorum, vnde contexitur propositio syllogismi: *Quò plura quisq; sperner habere, eò maiora feret à Dijs.*

9 Assumtum est de ipso: *ego plura sperno habere*, quæ amplificatur ipsius factis: *studeo militare sub ducibus cupiditate vacuis, latorq; valdè à partibus diuitum auarorũ ad eos deficere.* Hoc dicit monitus his versibus Menandri:

Οὐ πώποτ' ἐζήλωσα πλουτοῦντα σφόδρα
Ἄνθρωπον, ἀπολαύοντα μηδὲν ὧν ἔχει.
Nunquam studio adductus sum illuc, vt imitarer hominem valde opulentum, qui nullo eorum, quæ haberet, frueretur.

10 Idem augetur minorũ collatione: *ego sum*, inquit, *dominus magnificentior rei spretæ, quam ditissimus quisq; agricola, inops inter magnas opes.* Stoica est hæc comparatio: nam Stoici affirmant auarum non esse dominũ earum rerum, quibus miserè timet vti: ideoq; dicitur Epist. 2. li. 2. habere, quod ipsi deest: contrà sua sorte contentus dicitur habere, quod ipsi non deest. Ita Socrates & Diogenes Cynicus, id est, quisquis viuit mediocri sorte cõtentus, quia nullâ re caret: verus dominus rerum, quas non desiderat habetur.

11 Idem assumtum dilatatur simili genere comparationis: *ego viuo beatiùs ex riuo purę aquæ & paucis terræ iugeribus, fœnore certo & copioso fructum reddentibus, quàm Rex fertilis Africæ putat, qui nescit in mediocri statu felicitatem esse positam.*

12 Idem rursus augetur loco diuersorum, quo diluitur obiectum: *etsi mea exigua possessio non mihi suppeditat copiam mellis, vini & lanæ; sert tamen illa mihi satis fructus, quo me ab inopia defendam, nec quicquam potest homini αὐταρκεῖ deesse.*

13 Altero argumento soluitur idem obiectum ducto ex adiuncta facultate plura habendi (si plura desideraret) benignitate Mæcenatis, quam sibi nunquam sensit clausam.

14 Idem obiectum refutatur tertio argumento minorum, quòd cupiditate habendi repressâ & domitâ, facilius Fortuna mediocris sufficiet exiguis tributis & vectigalibus pendendis, quàm si perpetuâ continuatione obtineret latissima longissimaque regna.

15 Apodosis superioris collationis.

16 Idem obiectum refellitur & concluditur ex aduersis, quòd semper multa desunt auaris: supersunt multa suâ sorte contentis: præstat igitur mediocri statu contentum viuere.

Enarratio Grammatica.

Inclusam.] Inter amores Iouis Iliad. ξ. memoratos ὁ τῆς Ἀχριοώνης ἔρως ponitur: ad quã fabulosam Danaes narrationẽ tres versus Apollodori videntur pertinere:

Καὶ κλιθεὶς ἤ δύεθ μοχλοῖς, ἀλλ' ὅδε εἷς
Τέκτων ἰσχεδόμου ἔτευξε δύεθμ, (χάφεῖ γ' ὀχεδόμ,)
Δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς ἐκ εἰσέρχετο.

Foribus obduntur pessuli, sed nullus faber tam firmis molibus illas muniuit, quin per eas foli & adultero pateat ingressus.

Idem nominatim Ouid. scribit Eleg. 4. l. 3. Amorum:

In thalamo Danaes saxo ferróque perenni,
Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.
Iuppiter, admonitus nil esse potentius auro,
Corrupta pretium virginis ipse fuit.

Idem cecinit Tibullus:

Hæc fecêre malas, hinc clauem ianua sensit
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras; custodia victa est:
Nec prohibent claues, & canis ipse tacet.

Ad intelligentiam autẽ huius principij videtur necessaria narratio huius fabulæ. Itaque Acrisius rex Argiuorum & pater Danaes ex oraculo intellexerat, natum è Danae nepotem sibi exitio futurum. Eam ob rem tradidit eam in arctissimam & firmissimam custodiam, vt in perpetuum virili complexu careret: nihilominus tamen custodiâ oppugnatâ oppugnanti cessit, virgini erepta est pudicitia auro, & illa compressio Iouis in imbrem aureum conuersi, & per impluuium illapsi grauida, vt fabulantur, tandem Persea peperit. Accedat huc admonitio Augustini, quò adolescentes cautius versentur in scriptis profanorum, lib. 2. cap. 7. ad Marcellinum. Hinc apud Terentium, flagitiosus adolescens spectat tabulam quandã pictam in pariete, vbi fuerat pictura hæc, *Iouem quo pacto Danaæ immisisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum:* atq; ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudinis suæ: quum in ea se iactat imitari Deum, *at quem Deum?* inquit, *qui templa cæli sonitu concutit: ego homuncio id non facerem? ego verò illud feci ac lubens.* Talia vitent exempla ratiocinationis

tionis Christiani. Plura lege l.1. Lactantij & Pind. Πυθ. carm.12.& l.4. Metam. Ouidij. De eadem Prudentius contra Symmachum.

——per tectum diues amator
Imbricibus ruptis, vndantis desuper auri
Infundens pluuiam gremio excipientis amicæ.

Superior autem locus Augustini est ad Eunuchi versum 37. Act.3.Sc.5. *Iouem quo pacto Danaæ immisisse aiunt in gremium imbrem aureum.* Præterea Seru.in vers. Æn.7.

Et Turno si prima domus repetatur origo;
Inachus, Acrisiusq; patres, mediæq; Mycenæ.

hæc annotat: *Danae Acrisij regis Argiuorum filia, postquam est à Ioue vitiata, pater eam intra arcam inclusam præcipitauit in mare: quæ delata ad Italiam, inuenta est à Piscatore cum Perseo: quem illic enixa fuerat, & oblata regi: qui eam sibi fecit vxorem: cum qua etiam Ardeam condidit: à quibus Turnum vult originẽ ducere.* Seruius hîc mirè consentit cum Scholiaste Pindari in εἰδ.1.ad vers. Pyth. ἐπαδύνετι Γοργόνα, &c. præter loci tamen appulsi & personarum rationem: ἱστορία δ' ὧδε τοιαύτη. Ὅτι ὁ πάππος Ἀκρίσιος, ἀποκτείσαι τὴν Πρόῖτα τὴν Δαναὴν λαθραίως, τότε ἐνέρξας αὐτὴν εἰς τλὼ κιβωτὸν μετὰ παιδὸς, καθῆκεν εἰς τὸ πέλαγος, καὶ περισυνέχθη ἡ κιβωτὸς Σεριφίᾳ τῇ νήσῳ, ἧς Πολυδέκτης ἐβασίλευε, παρ' ᾧ ποτὲ ἀνδρώθη, &c. *Historia autem est huiusmodi: quum auus Acrisius, vbi Danae Perseum enixa est, ipsam cum filio inclusisset in arcam tacitè, detecit in mare, & arca Seripho insulæ appulsa est, cuius rex erat Polydectes, apud quẽ peruenit ad ætatem virilem, & adultus est in virum,* &c. Vide illic reliquum historiæ. Sexto tamen carmine Isthmiorum dicere Pindarus videtur, hoc auro grauidam Alcmenam peperisse Herculem.

Turris ahenea.] Hęc turris fuit quibusdam in loco subterraneo, foribus validissimis ac solidissimis occlusa, vigilibusque cànibus custodita.

Vigilum canum.] Quorum latratus oportuit Iouem compescuisse offâ melle soporatâ, vt de Cerbero scribitur. Est enim custodia canum fidissima, qui ob id in Capitolio alebantur, ad fures indicandos, & in templo Vulcani loco lituorum in excubiis collocabãtur. Masinissa quoque canibus vtebatur ad custodiam sui corporis.

Adulteris.] Id est, contra nocturnos corruptores & adulteros, qui tenebras suis flagitiis deligunt: Sic *a* & *ab* ferè sumuntur in his, defendere myrtos à frigore, munitus à præstigiis, tutus à latronibus, id est, contra.

Si non.] Existimo hanc phrasim perinde sonare, ac si dixisset: Si hæc custodia Acrisij pauidi & anxij placuisset Ioui ac Veneri; satis fuisset munita contra homines adulteros. *Fore enim* ellipsis est verbi deliberandi *sciebãt*, aut similis. Deinde *τὸ conuerso Deo* accipi debet in casu dandi, non auferendi, vt sit iter tutum & apertum ipsi Deo.

Amat.] Hoc verbum non est hîc affectus animi, sed habitus consuetudinis, pro, assolet perrumpere.

Perrumpere.] Verbum militare, pro quo Virg. vtitur Æneid.10.

Quod votis optastis, adest, perfringere dextrâ.

Potentius.] Hîc Cruquius Colon putat notandũ & potentius absolutè & ἐπιπλαστικῶς sumendũ pro potenter & vehementer. *Ictu autem fulmineo*, cõstruendum cum *concidit*, tanquã sit caussa efficiens hiatus: quæ tamen Physicis verior putatur efflatibus subterraneis motibusque terræ, quàm è tactu fulminis orta. Adde, quòd vox illa, *potẽtius*, comparatè sumta & indistincta mirum in modum vim auri exprimere videtur: qualis apparet in epitheto δαμασιφρὼν χρυσὸς, *quòd animos hominũ domet* Pindari. Fabula de Amphiarai & Eryphiles casu legatur l. 5. Diod. sicut & in Pausania, Statio 1. de inuent. Cic. in Verrem, lib.6. Æn. vers. 445. *mœstamq; Eriphylen.*

Crudelis nati monstrantem vulnera, &c. in Ὀδυσ. ο. vbi similiter recensetur genus & origo Amphiarai & caussa mortis in donis vxoriis. Ratio quoque vocis ἐπιμολογικῶς redditur ab Homero,

Οὔ νύ τοι κῆρ φίλει Ζεὺς παντοίῃ φιλότητι, i.
Quem ex animo diligit Iupiter omni amicitiâ.

Vt Amphiaraus sonet πολυέρατος, i. *valde amabilis.* Annotat etiam lib. Ὀδυσ. λ. hæc, *Amphiaraus vates optimus & Oiclei filius Eriphylen duxit vxorem non solùm formosam, sed vt verisimile apparet, prudentem, filiam Talai fratris Adrasti, & dissensione quadam ab Adrasto disiunctus fuit. Conuenit inter eos de quibusdam quorum tamen nomine postea fuerunt abalienati: vt Eriphyle faceret arbitrium de bello Thebanis inferendo, & rata ipsi haberent quæ iudicasset. Prohibebat igitur Amphiaraus præfectos bellicâ expeditione ad Thebas, sciens futuri. Adrastus contrà bellum volebat. Sed hîc Eriphyle donis præoccupata, quæ fuerant aurea colli ornamenta, ipsa à Polynice data vel ab Adrasto, atq; ad arbitrium delecta iudicauit suscipiẽdam esse bellicam expeditionem ab Argiuis. Amphiaraus multa de vxore conquestus, ad bellum tamen profectus est eæco quodam animi impetu, filio Alcmeoni, quem Pindarus vocat Alcmanam, mãdauit, vbi adoleuisset, vt non prius cum posteris aliorum contra Thebas exiret, quàm matrem interfecisset: quod Alcmeon exsequutus more Orestis cruciatus est: sed absolutus postea fuit, vt qui fuisset vltus iniuriam patri illatam.*

Eam ob rem Poeta vocat Eriphylen mœstam, quomodo Virgilius antè vertit, quę muneribus aureis corrupta contra maritum fecerit, & quasi aureo monili eũ vendiderit. Quidam è scholiis in *Pindarum* Græcis fabulam paulò secus referunt, & vxorem *Amphiarai Eridicẽ*, non Eriphylen, vt Homerus, nominant. Inde siquidem exorti, vt Amphiaraus, quũ intellexisset Adrastum Argiuorum & Sicyoniorum regem & fratrem vxoris suæ velle contra Thebanos exercitum ducere ad cædẽ Polynicis generi vlciscendum, prius in præcelsum montẽ adscenderit cum Melampo, spectaturus, quæ fata præsagiret Argiuis vastus suspectus astrorum: vnde certâ animi notione præsensit omnia fore Argiuis in eo bello aduerso. Ideoq; abdidit se latẽter, vt ab illa expeditione abesset, sed dolo Eridices vxoris proditus & ad bellũ proficisci coactus periit motu & vasto terrę hiatu: de quo lege Bocatium l.13.c.45.& l.2.c.39. Epig. talis quoque casus meminit Strabo l.1. Epigr. l.5. cuius est initiũ ἔστιν δ' Ἀμφιάραος ἔχων, &c. Eurip. in Phœniss. ὁ μάντις Ἀμφιάρεως, &c. Item Arist. l.3. Ethicorum, vbi de voluntario & non voluntario agit.

Macedo.] Quomodo Philippus Rex Macedonum pecuniâ expugnârit vrbes, vide Plutar. in Paulo Æmilio: Cic. l.1. ad Attic. Diod. Iustin. l.8. & 9. à quo dicitur pariter fuisse blandus & insidiosus, qui plura promitteret, quàm præstaret: & à Iuuen. Sat.12. *Callidus emptor Olynthi.* qualis perfidia 2. Olynth. à Demosthene notatur.

Reges muneribus.] Vt Lasthenem, & Euthycratem pecuniâ, non machinâ, oppugnauit, & ita Olynthum expugnauit: de quo lege Satyram 14. Iuuenalis, & Demosthenem contra Æschinem.

Nauium.] Munera nauium, vel duces nauium, vtro modo enuncies, sententia quadrabit.

Maiorum, &c.] Nam vt Iuuenalis cecinit.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

ita quoque Sallustius. *semper infinita & insatiabilis est, neq; copia, neq; inopiâ minuitur.*

Nec cupientium, &c.] Hîc Poeta videtur αἰνίσσεσθαι Decimi Bruti partes, quas secutus fuerat, magis probasse, quàm illas Augusti & Antonij.

Dominus rei.] Id est, possessor mediocrium bonorum & vilium: vbi quidam legunt, quod non improbo, *contenta*, pro contractæ & arctæ & mediocris.

Non piger.] Hoc valet coniunctum *impiger, acer, & pernix & industrius Apicius*, vt dicitur Epodis 2.

Riuus puræ. Syntaxis horum verborum sic est: *riuus aquæ puræ, sylua paucorum iugerum, & fides certa segetis meæ sunt beatiori sorte, quàm existimet rex fertilis Africæ, quo beatiùs in hac mediocritate viuo.* De hac fertilitate Africę vide Od.1.l.1.ad *Quicquid de Libycis verritur horreis.* Hîc autem casus, *sorte*, non est comparationis, sed causę efficientis, tanquam diceret: *hæc mea possessio mediocris efficit me beatiorem, quàm credit rex Africæ, & plus valet ad vitam beatam, quàm ipsius ingētes opes.* Verbum autem *fallit* sic ferè vsurpatur ab hoc Poeta more Græci λανθάνειν Vt Ode 10. l. 1. *Priamus castra sefellit*, i. latuit, Mercurio duce, vigiles & custodes exercitus Græcanici. *Riuus, sylua & fides beatior fallit fulgentem imperio:* id est, fulgens imperio rex nescit riuum, syluam & fidem, i. mediocrem possessionem esse beatiorem per cōditionem & sortem, quā suas opes.

Nec Calabræ.] Calabria in ora Italiæ finitima Siciliæ, fuit mellis & pirorum feracissima, vt in Attica olim Hybla.

Apes.] Annotat Seru. in vers. 4. Georg.

Aut illæ pedibus &c. *hinc multi dictas apes esse volunt, quòd se pedib. teneant: licet crebrior sit illa opinio, quòd sine pedibus primò esse dicuntur.*

Læstrigonia.] Id est, Formiana in tractu Campanię petroso, vbi vina optima nascebantur, quem Lęstrigones Antropophagi olim coluerunt. Plin. l. 7. dicti ἀπὸ τῆς λῃστείας à latrocinio. Horum rex fuit Λάμος ἢ Λαιστρυγόνος υἱὸς Ποσειδῶνος, *filius Neptuni*, vt Eustathius annotat Odyss. κ. ver. ϡ.

Gallicis pascuis.] Intelligit ad rationem situs Rom. Cisalpina pascua & maximè ad Altinum propè Aquileiā.

Importuna.] Sensus est: *vacuitas ista tanti mellis, vini generosi, pinguis lanæ non ex impedimento, quin mihi ad victum & vitæ cultum necessaria ex hac mediocri possessione suppetant omnia.*

Crescunt.] Hoc verbum est inchoationis accipientis augmentum & maximè in carne, ἀπὸ τοῦ κρέας dictum: vnde *creascere* conflatum per concisionem facit crescere. τὸ γὰρ κρέας ἀπὸ τοῦ κραιλώγην τῷ Εὐσταθίῳ δοκεῖ ἀπὸ τοῦ κράω τὸ ἰσχυροποιεῖν, *videtur Eustathio in Iliad. 6. deflecti ac dici à muniendo & corroborando:* ideoque legitur ἔμψυχον κρέας: atq; tum quidam declinant παρὰ τὸ κέαι, cuius vis eòdem tendit.

Denegare dare.] De qua Mæcenatis liberalitate sic loquitur Epodis 1.

Satis superq; me benignitas tua
Ditauit——

Mygdonius.] Id est, Phrygius: nam Mygdon fuit rex Phrygiæ & Mysiæ.

Regnum Alyattici.] Hic Alyatticus, qui ab Herodoto & Strab. l. 9. appellatur Alyartes, fuit pater Crœsi, qui ibidem memoratur oraculum Delphicum donis cum multis Principibus aliis ornasse: & lib. 14. scribit opes Alyattis & Crœsi hausstas fuisse è metallis Lydiæ, cuius reges fuerunt pater & filius, vt est eiusdem Geographi l. 15.

Continuum.] Cicero solet geminare hęc verba iungere & continuare, cohærere & continuari.

Bene est.] Id est, feliciter cum eo agitur & beatus ille viuit, quem Deus mediocri sorte contentum efficit. Stobæus sic de Epicuro, quod huc pertinet, scriptum reliquit: Ἐπίκουρος ὁ Ταρχήτιος κάκεῖνος λέγων, ὦ ὀλίγον ἐχόμενον, ἧττόν γε δεῖ· ἱκανὸν ἔλεγε τὸ ἑτοίμως ἔχειν, καὶ πρὸς Διὸν ἅπτεσθαι εὐδαιμονίας ἀγωνιζόμενον. Cui pauca non sufficiunt, huic nihil satis esse. Dicebat quoque eum paratum esse ad decertandum cum Ioue de felicitate, cui aqua & panis supperet, i. eum Ioui parem esse in felicitate cui hæc duo adessent.

Explicatio Rhetorica.

METro similis est Odæ 6. l. 1.

a Turris ahenea simili metaphorâ dicitur, atque *hic murus aheneus esto*: quanquam hîc continuata facit allegoriam: simplex est in hoc loco, quem tractamus.

b Meton. est effecti pro efficiente homines tristes, insomnes & vigiles.

c Synecd. est generis pro Danae.

d Synecd. est altera eiusdem modi pro aurea merce & imbre.

e Per metaphoram ab animatis datur motus rei inanimæ.

f Synecd. est generis pro Amphiarao augure.

g Sumtum ab aquis, quib. obrui miserum est: Græcè dicitur. καταποντοῦσθαι pro euersa.

h Synecd. generis pro Philippo rege Macedonum.

i Metaph. à cuniculis, quibus fundamenta parietū euertuntur: sic Philippus reges alios suæ dominationis æmulos muneribus expugnauit.

k Ductum est à venatoribus, qui plagis & laqueis excipiunt illigatas & implicatas feras.

l Metaphora, quâ significantur opes, potentia, & honores.

m Videntur hęc mihi sumenda per allegoriam, pro: *volo mihi familiaritatem cum hominibus continentissimis & temperantissimis intercedere: cum auaris & cupidis nolo: me meo cæco & insatiabilis cupiditas inuadat.*

n Hoc μεταφορικῶς dictum annotat Donat. in Eunucho Act. 2. Sc. 3. ad vers. *Duras fratris partes prædicas*, ab Actoribus Scenicis. Item alibi, *vicissim tuas partes acturus est.* Ita Cic. ad Q. Frat. *Et si mea pars nemini cedat; fac, vt tuæ cæteras vincat: & transfertur ad quæuis onera & munera rei, tam priuatæ quam publicæ quæ vnus sustinere non potest.* Simili tropo vsus est Ode 2. l. 1.

Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?

o In *gestio* notata est metaphora in Rhet. Odes. 3. huius libri.

p Synecdoche speciei pro quouis impensè opulēto.

q Metonymicῶς hic fides sumi debet pro fiducia, quam habet in fundo suo reddendi fructus.

r Προκατάληψις est, occupatio rei obiectandæ.

s Meton. caussæ pro vino, quod apud se non inueterascit nec maturescit, nec fit fugiens aut edentulum, propter paucitatem ipsius & vilitatem.

t *Importunus* sumitur interdum per metonymiam ἐνεργητικῶς pro eo, qui nos expellit è portu, id est, ex otio, & quiete, & tum geminatur à Cicerone cum his: importunus & crudelis, importunus & immanis. Interdum παθητικῶς pro eo, qui non fruitur quiete, sed semper agitatur: sed vtro hîc accipiendum modo, quæret aliquis? facilis est responsio, ἐνεργητικῶς sumas, pro, non sum tamen pauper importunus & aliis incommodus.

u Metaph. est à rebus corpore præditis pro sublata & compressa cupiditate: pro qua sumitur hîc *Cupidine* per metonymiam caussæ pro effecto, vt notatum est Od. 16. l. 2.

x Definitio est Lydiæ χώρας τῆς σωσικλοχλῶ ἀρέσκειν: cuius rex fuit Alyatticus pater Crœsi.

y Hic *multa* repetitum initio & clausula sententiæ eiusdem suauiter sonat per epanalepsim.

Ode XVII. Ad Aelivm Lamiam.

Theticum.

Memoratâ Lamiæ origine monet, quid ei sit prudenter agendum contra cæli pluuij mærorem.

Aelivetusto nobilis ad Lamo
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & [a] nepotum
Per memores genus omne [b] fastos)
[2] Auctore ab illo ducis originem:
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrin
Latè Tyrannus: [3] cras foliis nemus
Multis, & algâ littus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet: aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

Analysis Dialectica.

SIngularis & præcipua fuit Ode lib.1. de hoc Lamia celebrando. Hęc autem videtur illum tectè cohortari ad futuri prouisionem. Itaque oblectamenti caussâ proponitur ipsius antiquum ac nobile genus, explicaturque caussâ procreante, rursus confirmatâ publico testimonio, ac vocis vtriusque Lamiæ notatione. Nobiles enim inde nominant: quòd eorum virtus nota & testata sit publico bonorum & maiorum consensu, ac viuentium etiam publicâ testificatione approbata: secus, hereditas huius nobilitatis siue auitæ siue paternæ non potest, vt bona externa, ad liberos transferri, nisi ipsi propriâ virtute commendentur, publicoque bonorum testimonio tales iudicentur. Romæ autem nobilitatis nomine digni habebantur, quorum maiores sine ambitu ceperant magistratus, eosque summâ æquitate ac moderatione gesserant, ideoque ius imaginum ponendarum habebant. Quorum verò maiores fuerunt sine magistratu, hi dicebantur priuati: quem si fortè ipsi gessissent primi è familia honestè, noui homines vocabantur: qualis fuit Cic. Hęc quidem certè generis commendatio plurimum valet ad beneuolentiam conciliandam & ad pellendos ex animo mœrores molestiasque deponendas: quæ fortassis de publico vel priuato statu fuerant ipsi concitata.

2 Augetur caussa procreans adiunctis, *quòd Formiæ in ipsius ditione fuerint: quòd princeps generis late regnauerit.*

3 Salutare dat Poeta consilium Ælio Lamiæ ad fugam tristitię: cęlo enim sic affecto, quale videbatur præsentire, corpora etiam malè afficiuntur & ingrauescũt. Aduersus igitur huiusmodi affectionem cæli & hominis hæc comparantur remedia tempore pluuio & nebuloso; luculentus focus, dator lætitiæ Bacchus, tener porcellus. Prædictio autem tempestatis confirmatur augurio, quòd erat loco diuini testimonij. Ad has quoque ferias celebrandas datur turbæ famulari vacatio munerum.

Enarratio Grammatica.

Nobilis] Hæc vox à *nosco* inclinatur concisè, quasi *noscibilis* & notabilis claritate virtutis suæ, non alienæ.

Ab Lamo.] Hoc genus deflectendi nominis à Lamo Lamia valdè Latinis est insolens & infrequęs: Nam vsitata ratio postularet ab Lamo Lamides, vt à Priamus Priamides, à Peleus Pelides. Hic autem Lamus fuit filius Neptuni ex Eustathio & Didymo in Odyss. κ. & rex Læstrigonum, qui Formias coluit, dictas ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, vt Hural thospitalij in Apologetico pro veteri ac Germana linguæ Græcæ pronunciatione de *digamma* notârunt: pro quo veteres dicebant & proferebant *hormias* quasi à nauium statione, quæ Græcis est ὁρμός: quo nomine fuit vrbs Campaniæ, quam Læstrygones tenuerunt propè Caietam, vt nuper diximus in Grammaticis Odes 16. huius. Ex hac origine Lami fluxerunt multi nepotes; Tuberones, Pæti, Cati, Lamiæ, qui singuli singulas constituerunt familias. Ex hac autem familia suspicor fuisse L. Lamiam, quem lib. 11. Epist. ad famil. 16. & 17. tam studiosè commendat D. Bruto Imp. in præturæ petitione & lib.12. Epist. ad Cornific. 29. quibus in locis vide laudabilem huius viri descriptionem, ab hac præsentis Odes non multùm discrepantem. Eiusdem meminit Cicero pro Sextio & post reditum, & in Pisonem, vbi sic nominatur, *ex quo ordine* equestri *vir præstantissimus L. Aelius est te Consule relegatus:* vbi Lambinus pro *Aelius* vulgato reposuit *Lamia*: sed vtraque appellatio rectè eidem conuenit, quum Ælię gentis cognomen fuerit Lamia. Prętereà hic L. Ælius Lamia dicitur Consulatum gessisse cum M. Seruilio, eiusque subsidio & operâ Cæsar August. Cantabros domuisse. Hæc autem phrasis *per memores genus omne fastos*, similis est illi Virgilianæ l.12. Æn. ver.53.

per reges q; actum genus omne Latinos.

Quando.] Non est τὸ *quando* ἐπίρρημα χρονικὸν, ἀλλὰ συνδετικὸς αἰτιολογικὸς, *non est temporis aduerbium, sed caussalis coniunctio:* cuiusmodi est illud Terętij in Adelphis: *Ne tu cures meum filium, quando non curo tuum.* Ita sumitur Æn.4. vers.

Dissimulent sese interèa quando optima Dido
Nesciat. vbi Seruius annotat: *Quando* non est hoc loco temporis, sed significat *siquidem*, & est coniunctio rationalis. Ita Græcè sumitur τὸ ὅτε, vt Scholiastes Aristoph. initio νεφελ. Ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε πολλῶν ἕνεκα, ὅτ' ἐδὴ κολάσ' ἐξεστί μοι τὸς οἰκέτας. *Pereas sanè ô bellum multis de caussis, quoniam mihi nõ licet famulos punire:* quò interpres addit: πότε μὲν μόνον χρόνον δηλοῖ ὅτε ὅ ἐν χρόνον ἐν αἰτίαν· πότε *solum significat tempus: ὅτε verò & tempus & caussam.* Ita sumitur Olynth.16. Demosth. Ὅτε τοίνυν τὸ θ' ὅπως ἕξει τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὑμῶν ἐθέλειν ἀκούειν τῶν βελομένων συμβουλεύειν· *Quoniam res ita se habet, par est, vt vos alacri animo bene vobis consulendi studiosos audiatis.*

Nepotum.] Ratio huius vocis exposita fuit Ode 2. lib.1.

Faſtos.] Sic annales dicuntur, vnde licet repetere genus Lamiarum, iam inde à primis maioribus.

Princeps.] Id eſt, primus ædificator: ſic dies natalis dicitur princeps vitæ cuiusque.

Innantem.] Id eſt, illiſum littoribus Minturnenſibus, quæ Nympha Marica incolit.

Maricæ.] Hæc creditur fuiſſe Nympha Minturnenſis & Fauni vxor, vnde natus Latinus, ideoque dicta fuit Fauna, cuius meminit Virg. 7. Æn. verſ. *Hunc Fauno*, &c.

Lyrin.] De hoc flumine dictum eſt Ode 31. l. i.

Latè tyrannus.] Qua phraſi Virg. dicit *latè rex.* & Cic. *longè princeps.* Aduerbia cum ſubſtantiuis vice participiorum *Latè regnantibus*, quod Græcè coniunctis vocibus διρυμεδῶν ϗ διρυκρεών, δρυβασιλέων (vt Seruius notat in verſ. 266. Æn. 7.) effertur.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.

Apud Græcos Tyranni & regis nulla diſtinctio eſt: quod ita eſſe facile cognoſcas ex amatoribus Platonis. τὶ δ', ὅταν εἷς ἀνὴρ πόλιν διοικῇ ὀρθῶς ὄνομα τούτῳ ἢ τύραννος; ὅστις ϗ βασιλεύς; *Quid verò, quum vnus aliquis ciuitatem rectè adminiſtrârit, nonne Tyrannus & rex vocabitur? Ita ſentio.* Seneca tamen l. 1. c. 11. de Clementia ſic diſtinguit, *Quid intereſt inter Tyrannum & Regem? ſpecies enim ipſa Fortunæ ac licentia par eſt, niſi quòd Tyranni ex voluptate ſæuiunt; Reges ex cauſa & neceſſitate. Quid ergo? non reges quoq; occidere ſolent? ſed quoties publica vtilitas perſuadet. Tyranni ſæuitia cordi eſt. Tyrannus autem factis à rege diſtat, non nomine.* Ariſt. l. 8. c. 10. πολιτικῶν oſtendit aperte qua re rex abeat à Tyranno, ὅτι ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ· ὁ δ' βασιλεύς, τὸ τῶν ἀρχομένων, i. *Tyrannus quidem ſui ipſius commodi rationem habet, ſed Rex parentium ſibi hi ſunt ſubditi.* Eſt hæc vox communis generis: imò verò apud Græcos omnis, Æſchylus in Prometheo, διὰς τὸ τύραννα σκῆπτρα συληθήσεται, i. *propterea quòd ſceptra regia diripientur:* & ex eo intelligitur recentior, quòd neque apud Homerum, neque apud Heſiodum reperiatur, vt iam dictum fuit: cuius etymon repete è 17. Ode l. 2.

Tempeſtas.] Hæc dictio poteſt adſcribi μεταξὺ τῶν μέσων λέξεων, vt Græci vocant; quę modò in bonam, modò in malam accipiuntur parte, vt ſuprà τὸ *nobilis.* Hic in poſteriorem vt Epod. 10. *Et agna tempeſtatib.* repetatur è præcedēti, τὸ *immolabitur*, qualis tempeſtas perſpicitur, quū imbres, nimbi, procellæ, turbines, ac reliquæ aeris graues mutationes cooriuntur, vt Cic. loquitur: Qualem etiam Græci dicunt τὸν ζάλλω ϗ τὴν χειμῶνα. In priore autem ſumitur Sat. 5. l. 1. ad fin. *Poſtera tempeſtas melior.* Hinc Liuius ſumſit, *captare tempeſtates* pro eo, quod *Galli* efferūt, *obſeruer, queſter, eſpier le temps propre & commode:* qualis eſt Græcis ἡ δίκη ϗ γνώμη; qualem Cic. ſuadet Tironi ſuo Ep. 3. l. 16. ad fam. obſeruandam, *Comites & tempeſtates &* *nauem idoneam vt habeas, diligēter videbis.* Eurus vehemēti flatu decutiet multa arborum folia, viſemq; algā propellet ad littus. Ita vtrumq; & nemus & littus ſternetur foliis & algâ: Eurus tamē ſpirans ab oriente nō excitat in Celtica talem tempeſtatem, ſed Libycus & Africus.

Annoſa.] Id eſt, viuax & longæua, de qua Plin. l. 7. & Heſiodus de ætatibus animalium, cuius verſus citantur à Plutarcho in libell. de orac. defectu, quorum eſt hoc initium:

Εννέα τοὶ ζώει γλυκέας λαγάρυζα κορώνη, &c.

Quos Auſonius Idyl. 18. fecit ſic Latinos.

Ter binos deciesq; nouem ſuper exit in annos,
Iuſta ſeneſcentem quos implet vita virorum.
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis ſæcula ceruus.
Alipedem ceruum ter vincit coruus, & illum
Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales.

Ariſt. l. 8. de part. anim. ponit ceruum inter μακρόβια. Αἴτιόν ἐστι τὸ πλείω ἐκεῖνον ζῆν χρόνον, τὸ μὴ ἔχειν χολήν. *cauſſa eſt cur ille longiùs viuat, fellis vacuitas, ὡς ἄχολα ζῶα πάντα, vt animalia omnia felle carentia.* Hoc autem cornicis augurium videretur Seruio oblatiuum, vt ipſe diſtinguit in verſ. Æneid. 6.

Vix ea fatus erat, geminæ quum fortè columbæ.

Auguria, inquit, aut oblatiua ſunt, quę non poſcuntur: aut impetratiua, quæ optata veniunt. Vt autem Græca κόραξ ϗ κορώνη ſunt eiuſdem originis ἀπὸ τῆς κόρης, à nigredine, ſic Latina coruus & cornix ab his cadere puto.

Cras Genium.] Diis domeſticis, vt Lari & Genio, porcum & porcam immolabant veteres: quo ſacrificio petebatur ab iſtis Diis copia rerū ad familiæ victū & cultum neceſſariarum. De Genio lege Pauſan. in Eliacis, vbi cernes ipſius formam deſcriptam. Finguntur autē Genij duo, à gignēdo dicti, vt aliàs notatum fuit. Quomodo ſint dæmones lege etiam Plut. in Bruto.

Solutis.] Pro vacuis ab operibus. Rara eſt hæc rectio, frequentior, *Solutus operibus, curâ, ſomno, legibus*: puto Helleniſmum eſſe ἀπολυθεὶς τῶν ἔργων, qualis eſt ἀπολυθῆναι τῶν ὅρκων, liberatum eſſe iureiurando.

Explicatio Rhetorica.

ODe conuenit metro cum 9. lib. 1. Quod nonnulli ſcribunt Oden εἰρωνικῶς intelligendam de poſteri temporis prouiſione, & luxu à Lamia fugiendo ætate florenti, vt paret, quæ ingraueſcentem poterūt iuuare, video id admodum obſcurè proponi & explicari.

[a] Synecdoche eſt ſpeciei pro omnibus poſteris.

[b] Meton. eſt pro temporibus Conſulum in Annalibus notatis.

[c] Sumtum videtur ab animatis piſcibus ad inanimum fluuium, qui in littora illiditur.

ODE XIIX. IN FAVNVM.

Theticum.

Quòd Faunus debeat legitimè Faunalia celebrantibus fauere.

FAune, [a] *Nympharum fugientum amator,*
Per meas fines & aprica rura
Lenis [b] *incedas, abeasq; paruis*
Aequus alumnis:
Si tener pleno [d] *cadit hircus anno:*
Larga nec deſunt Teneris ſodali
Vina craterę: vetus ara multo
Fumat odore,
Ludit herboſo pecus omne campo:
Quum tibi nonæ redeunt decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum boue [c] *pagus:*
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agreſtes tibi ſylua [f] *frondes:*
Gaudet inuiſam pepulisse [g] *foſſor*
Terpede terram.

Analyſis Dialectica.

FAuni ſemper habiti ſunt Deaſtri ſylueſtres ac terreſtres, quos quidam putant eſſe Satyros Græcorū, & à fando & vaticinando dictos, naturâ iracundos & nocentes, vt Panas & ſimiles: Ideo ſacra fiebant Fauno ineunte

ineunte vere & nonis decembribus pro cæli salubritate & temperie ad pecoris sanitatem: de his vide Od. 4. l.1. Precationis huius ratio est è paribus. *Tu debes nobis benefacere: quia summâ religione colimus tua Faunalia:* vel inuersè: *Quia tua Faunalia sanctè ac legitimè celebramus, precamur, petimusq;, vt fœturam gregis nostri, vbertatẽq; frugum prosperes.* Ea fuit religio veterum Ethnicorum & opinio, vt crederent bona donari à quibusdam numinibus: ab aliis mala immitti, vt præter cæteros docuit Theognis:

Οὐδεὶς, Κύρν', ἄπης κ) κέρδεϊ ἄπτ' ἀνὴρ,
Ἀλλὰ θεοὶ τάπων δωτόρες ἀμφοτέρων.

Nemo Cyrne, est sibi auctor damni & quæstus, sed Dij donant vtrumq;: Itaque eâ lege & conditione precabantur ab illis bona, & deprecabantur ab his mala. Sed hoc argumentum ἐνθυμηματικῶς disponitur, etiamsi sumas τὸ *si*, ἀπὸ τοῦ ἐπεὶ, vt modò enunciauimus argumentum è paribus: pars antecedens propositionis sequitur ad hæc verba, *si tener*, quæ dilatatur distributione materiæ ad celebrationem Faunalium aptè in aliquot membra, & ita breuius comprehenditur: *si* vel *quia prolixè & cumulatè Faunalibus tuis satisfacimus officio ac pietate; benignè nobis nostroq; pecori maiori & minori facere debes:* Hæc hypothetica propositio satis est supplicanti Poetæ: vnde tamen facilè licet assumere primum verum esse, & hinc efficere, verũ quoque debere esse secundum. Membra autem, ex quibus constant hęc Faunalia, memorantur; hœdus tener, copia vini, sodalis Veneris, ara odoribus perfusa, pecus lætitiâ exsultans, vicinia tota ab omni opere feriata, libera pastio agnorum, etiam inter lupos, frondibus cõstrata terra, saltatio fossorum & vinitorum.

Enarratio Grammatica.

Fvgientum.] Quidam referunt fugam Nympharum ad ludum & iocum, qualis est illa Galateæ Virgilianæ Ecl. 3. *Et fugit ad salices, & se cupit antè videri.* Alij ad petulãtiam & deformitatem Fauni: qualis memoratur Panos. 1. Metamorphos. sub finem: cuius vim quum Syrinx vna Nympharũ Naiadum effugere non potuisset, numine suarum sororum implorato, mutata est in palustres calamos: ex quibus posteà ille Pan fistulas contexuit.

Talis salacitas Fauni cognoscitur l. 14. eiusdem operis in Pomonam Nympham. *Fugiẽtum* autem dicitur per syncopen pro fugientium: quomodo sæpè Virgil. *recusantum* & *rudentum fragor.* Duabus porrò de causis veteres colebant Deos tam Superos, quàm Inferos & sinistros: cuius posterioris ordinis Faunus, Pan & Satyrus erant; alios, vt ipsos iuuarent: alios, ne læderent. Itaque Poeta Faunum precatur, ne iter facturus per suos agros quicquam detrimenti plantis & gregi inferat.

Incedas.] Incedere Seruio in Æn. 1. est propriè nobilium personarum, vt illic de Iunone canit:

Ast ego, quæ diuûm incedo regina.

Alumnis.] Alumnus sumitur tam παθητικῶς quàm ἐνεργητικῶς, vt vox Græca huic respondens θρέμμα.

Si tener.] Seru. in vers. 1. Georg.

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus.

annotat, particulam *si* esse confirmantis, & valere *siquidem: quia:* quod commentator Cruquij notauit: vnde hic confecit τὸ *si* non esse conditionale: fortassis ductus hac opinione, quòd Deastri non sint vllâ conditione & lege obsecrandi. Quid, si ego demonstrauero in hoc genere notionis per *quia* plus esse arrogantiæ homini supplicanti, quàm per conditionale *si*? Dico igitur in hac forma syllogismi connexi, *si bene quid de te merui, miserere domus labentis* Æn. 4. supplicationem esse Didonis modestè de se sentientis vel apud hominem Troianum. Quòd si ita dixisset, *Quia bene de te merui; miserere domus labentis*, aperta fuisset beneficij memoris exprobratio, vt hoc, velut debitum, redderetur: atque in loco Virgilij suprà citato. Quia vos; Ceres & Bacche, vestrâ ope ac beneficentiâ fruimur pane & vino, parem mihi date facultate vestra munera canendi: ibi sic, quasi obligati, vrgentur. Idem prorsus omnino sentiendum puto de *si* valente temporis relationem, *quum.* Eódem quoque modo Græcum τὸ ἐπεὶ redditionem alicuius & illationem requirit. Itaque τὸ *si*, siue propriè, siue per *quia*, siue per *quum* & *postquam* explicaueris, vim habet enunciati hypothetici & connexi, vt, inquam, illic dicetur. Præterea fiebant sacra istis Inferis in compitis & pratis, vt Virg. 2. Georg. dicit de capro immolato patri Libero:

Præmiaq; ingentes pagos & compita circum
Thesida posuêre: atq; inter pocula læti,
Mollibus in pratis vnctos saliêre per vtres.

Larga nec desunt.] Hæc syntaxis sic se habet: *Nec larga vina desunt crateræ sodali, i. comiti Veneris.* Nam vina parãt animos Veneri, quæ sine Baccho & Cerere friget.

Vetus,] Id est, consueta ture adoleri.

Pecus ludit, &c.] Id est mouetur & saltat. Gall. *le troupeau sautelle & court aux champs herbeux.* Sic Terentius in Adelph. Act. 3. Scen. 3.

Congrum istum maximum in aqua finito ludere, i. moueri: *quia non ludit piscis,* i. non mouetur, nisi viuus, ait Donatus. Sic accipitur l. 1. Georg. ad vers.

Aut summâ nantes in aqua colludere plumas, sc. videbis, i. moueri & agitari. Sic Plin. l. 18. c. 35. loquẽs de prognosticis tempestatum vsurpat, *quũ videbis sine aura, quæ sentiatur, folia ludentia,* i. motantia se & tremula.

Inter audaces.] Id est, timidissimæ quęque bestiæ præsentiâ & fauore tui numinis fiunt audacissimæ, vt à lupis recedere non videantur velle.

Errat.] Hoc quidem facit lupus ἀβλαβὲς λιμῷ τὸν ὦστε γαστέρα ἐ πείροντος *sine incommodo, quum venter ipsius fame non premitur,* aut à Fauno illa pellitur. Verbum autem *errat* videtur flexum ἀπὸ τοῦ ἔρρειν, quod Eustath. interpretatur Odyss. ν. ὁπποίνως, τῶ τ' ὄθι μὴ λύπης κ) φθορᾶς προλέσθαι, quod accidit viatoribus, qui à recta via deflexerunt. vnde transfertur ad animum, vt verba Græca πλανᾶσθαι κ) ἁλᾶσθαι: quàm vtramq; significationem Eumeus subulcus videtur innuere Οδυσ. ξ. quum dicit, ἄνδρες ἀλῆται ψεύδονται, i. *viri vagabundi mentiuntur.*

Populisse.] Populisse terram pede pro tripudiasse & saltasse, vide Ode 4. l. 1. Paullò tamen aliter Sat. 10. li. 1. dicitur *ter pedem percutere,* de versu Iambico. Inuisam autem dicit διὰ τὸ πολὺ γῆν ὀρυκτῆρσιν κ) σκαπάνῃσιν ἀυτῆς φέρειν τὸ ἄχθος κ) βάρος· *quia terra suis fossoribus onus graue & molestiam, quæ ex illa fodienda percipitur, exhibere solet.* ideoque inuisa est illis & odiosa.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Synecdoche est generis pro Dryadum & Hamadryadum syluas & nemora colentium.

[b] In *incedas abeasq;* est quædam epizeuxis continui soni. Lenem autem incedere, & abire per agros amœnitatis plenos est illis benignè facere, facilem & pacatum gregi esse.

[c] Hic per synecd. alumnos vocat agnos, hœdos, capreolos, & fœtus reliquos gregis. Quidam tamen generatim intelligunt tam de his, quàm de vernis & pueris hominum: quos Faunus & Syluanus solent cruciare ex l. 2. c. 25. Alex. ab Alex.

[d] Metaph. est ab iis, quæ de suo quolibet statu deiiciũtur: vnde pro *mori* sumitur, & hîc pro, victima hœdus mactatur anniuersariis sacris. Simili tropo dicit Virg. Æn. 1.

Multa tibi autè aras noſtrâ cadet hoſtia dextrâ,

& Propertius 4.

Et cadat ante meos iſta iuuenca focos, i. *Occidatur, macletur, immoletur.* Sic Euripides in Iphigenia dicit μόχους Θεᾷ ποσεῖν, *vitulos Deæ cadere*, pro, *mactari.* Sic Æſchines in Suppl. χρησθεια ποσεῖν Θεοῖσι, *votiuas hoſtias immolari Diis.*

[a] Dicitur feſtus pagus per metonymiam ſubiecti, pro incolis pagi, qui tuo nomine feriantur à negotiis & bos ſolutus eſt iugo & aratione.

[f] Similis eſt tropus, pro, arbores in honorem tui numinis induunt ſe frondibus & foliis.

[g] Synecdoche eſt ſingularis, pro, vinitores & agricolæ choros agitant & tua Faunalia celebrant.

Ode XIX. Ad Telephvm.

Theticum.

Quòd tantum ſerij ſtudij in re aliqua ponendum ſit, vt iucunditati ipſius vitæ aliquid etiam detur propter amicum.

Quantum diſtet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Aeaci
Et pugnata ſacro bella ſub Ilio:
Quo [a] *Chium pretio cadum*
Mercemur: quis aquam temperet ignibus:
Quo præbente domum, & quotâ
[b] *Pelignis careamfrigoribus, taces.*
[2c] *Da Lunæ properè nouæ,*
Da noctis mediæ: da [d] *puer Auguris*
Murænæ. [3] *Tribus aut nouem*
Miſcentur cyathis pocula commodis.
[4] *Qui Muſas amat impares,*
Ternos ter cyathos attonitus petet
[10] *Vates: tres prohibet ſupra*
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta ſororibus.
[5] *Inſanire iuuat: [6] cur Berecynthiæ*
Ceſſant flamina tibiæ?
[f] *Cur pendet* [g] *tacita fiſtula cum lyra?*
Parcentes ego dexteras
Odi: ſparge roſas. [7] [h] *audiat inuidus*
Dementem ſtrepitum Lycus,
Et vicina ſenex non habilis Lyco.
[20] [8] *Spiſſâ te nitidum comâ,*
Puro te ſimilem, Telephe, veſpero,
Tempeſtiua petit Chloe:
[9] *Melentus Glyceræ* [i] *torret amor meæ.*

Analyſis Dialectica.

PRima ratio cohortationis huius ad hilaritatem Epicuream, ob Murænam in collegium Augurũ cooptatum ſumitur è loco diuerſorum, vt, quum Telephus poeta Græcus & Horatij familiaris hiſtorias ſatis crepuerit, tandem inſtituat animum ad cogitandum de cæna. Hæc diſſenſio ſic enunciatur apertiùs. *Bellè tu quidem mihi narras Græcorum hiſtorias: ſed omnẽ omnino mentionem indulgendi Genio intermittis*, aut potiùs de conuiuij apparatu es ἄφροντις, animo planè ſecuro. Prior pars huius diſſẽſionis declaratur diſſimilitudine quadam temporis, quo hi duo reges Inachus & Codrus regnauerint: pars autem altera diſtributione quarũdam partium ad cænam neceſſariarum.

2 Poeta & fatigatus longâ auditione Græcarum hiſtoriarum, & magno calfaciendi corpus foris & intus deſiderio captus, impedit interpellatione curſum Telephinæ narrationis & tres cyathos iubet parari: qui eſt primus apparatus futurę compotationis è loco adiunctorum.

3 Compotationis ratio inſtituitur duobus modis, vt vel ter vel nouies bibatur.

4 Docet ex aduerſis, quid tres cyathos & quid nouẽ ſequatur: *qui volet*, inquit, *amore Muſarum ad rixam & mẽtis inſaniam cõcitari, æquet pocula numero Muſarum: qui verò ſanitatẽ mentis & iudicij retinere, trib. Gratiis tantũ propinet.*

5 Muſarum numerum Poeta mauult deligere, & illis ſatisfacere, quàm Gratiis placere: vnde perſpicitur ingenium hominis, qui perdere, quod ſeruare id mauult, quo ſolo cæteris animalibus homo præſtat.

6 Vrget apparatum omnium ad iucundè epulandum vtilium.

7 Ex hoc tibiarum, fiſtularum, lyræ concentu, tanquam ex eadem cauſſa, varia prodierunt effecta: Poetæ Telepho, & reliquis conuiuis lætitia: Lyco autem ſeni & zelotypo & ipſius vxori multùm ætate impari triſtitia. Veriſimile autem eſt hunc ſenem fuiſſe vicinũ Horatio, grauiterque laboraſſe zelotypiâ: quâ percellũtur omnes imparitèr coniuncti: illo igitur plauſu & ſtrepitu lætantium, dirumpebatur ſenex, eoque magis, quòd videret vxorem ſuam iuuenum muſicâ vehementer commoueri, & ad hæc querelas concitari, ſe omni iucunditate vitæ inuitam tali marito carere.

8 Vt magis alliciat Telephum ad hilaritatẽ; illius conditionem & formam vehementer laudat: primùm diſſimilitudine conditionis ab ipſo Poeta: quod Telephus ab amica expetatur: ipſe verò ſuã expetat. Protaſis explicatur adiunctis & ſimilitudine: quòd ſit pulcrè comatus, & ita purè niteat, vt ſtella veſpertina.

9 Antapodoſis ex adiunctis de Poeta quòd ipſe languore & lento amore conficiatur & maceretur. ὁ μὲν ἔρως ἔστιν ἡ νόσος τῆς ψυχῆς· ὁ πληγεὶς δ' ἔσω πεπώκατω. *amor enim eſt morbus, à quo qui eſt læſus, vulnus alit in venis & corde*, Plutarchus dixit.

Enarratio Grammatica.

Quantum diſtet.] Nõ ſatis perſpicitur è litera carminis vtrâ re inter ſe differant hi duo reges, vetuſtatene, an virtute: Inachus tamen primus rex Argiuorum ſuperatur à Codro Athenienſium rege 770. annis. Nã Inachus Oceani & terræ filius ex ſupputatione Euſebij vixit annò à cõdito orbe 3343. Codr⁹ verò 4113. è quorum numerorum ſubductione relinquuntur annĩ inter vtrumq; interiecti 770. alij tamen tribuunt Inacho annum mundi 3344. & Venerabilis Beda multò pauciores, eum vixiſſe tempore Iacobi Patriarchæ anno mundi circiter 2508. & Codrum 2850. Ab Inacho quidem Argiuorum rege nullæ res memorantur geſtæ: ab eo tamen hiſtoria Græcorum creditur principium duxiſſe, vt ſcribit Ocellus Lucanus. Verùm Codri virtus imprimis celebratur à Iuſtino l. 2. quòd ſciens mortem

tem voluerit oppetere pro salute communi Athenien-
sium ciuium suorum in bello contra Dorienses. Me-
minit quoq; Cicero huius mortis inter alias præclaras
lib. Tuscul. quæstionum 1. Val. Max. lib. 5. cap. 6. neque
verisimile est hunc Codrum esse illum, cuius meminit
Virgil. Eclog. 5. vt Seruius & Acron putârunt: quid e-
nim Regi tam vetusto cum pastore illo?

Aeaci.] Hoc genus est primùm à Ioue & Ægina; si-
ue, vt alij volunt, ab Europa vel Oenone: deinde ab
Æaco, Peleus, Telamon, Phocus: posteà à Peleo è The-
tide Achilles & ab hoc Pyrrhus: à Telamone denique
Aiax & Teucer.

Pugnata.] Gesta & confecta, vt Epist. 16. lib. 1.

Si quis bella tibi terrâ pugnata mariq;.

Sacro.] Hoc epithetum variè declaratur à varijs in-
terpretibus. Nam quidam referunt ad Deos; Neptu-
num & Apollinem Pergamorum Architectos: vnde
est illud Virgilij, *Neptunia Troia:* alij ad exsecrationem
vt illud Virgilij, *auri sacra fames.* & Plauti, *Ego sum malus,*
sacer, sceleslus: alij ad præstantiam, sicut Græcè ἱερὸν μέν-
δρον καὶ ἱερὸς βοῦς, *ingens robur, bos summè vtilis.* alij ad imitatio-
nem Homeri, qui lib. Ὀδυσ. α.

Ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.

Postquam Troiæ sacrum oppidum diripuit.

Sub Ilio.] Potest vt hic τὸ *sub*, valere, vt Adelpho-
rum Act. 5. Scen. 8. vers. 26. *agelli hic sub vrbe est paullulum,*
Gallicè, *aupres de la ville,* aut vt Æneid. 1.

Sub ingenti lustrat dum singula templo. Gallicè *dedans*
le temple, aut vtrumque: quia pugnatum est vtrinque.

Quo pretio.] I. e. Quanti potemus, *a quel prix boirons*
nous? ou, combien nous coutera la mesure du vin Aruisiain? ca-
di autem vim & originem repete à Gram. Od. 4. huius.

Quis aquam.] Quæ calfaciat thermas & balnea, vel
aquas ad coquendum cibos conuiuij, vel, vt nonnulli
malùt, tepefaciat aquam niueam ad vinum more Græ-
corum diluendum, *qui refrodira leau & la chaufera vn peu,*
vbi opus est coniecturâ, vt scias, cuius rei, non hîc ex-
pressâ, caussâ sit aqua temperanda. Quidam tamen pu-
tant, hoc referendum esse ad consuetudinem veterum,
qui post balneum mensæ accumbebant: ideoque bal-
neatorem hîc requiri, qui aquam balnearum temperet:
quod equidem valdè probo.

Quo præbente.] In cuius domo paretur cæna. Gallicè
Qui mettra la nappe. Quorâ.] Ellipsis est substantiui *horâ.*

Peligni.] Peligni dicebantur olim populi Italiæ fi-
nitimi Marsis: quorum metropolis fuit Sulmo patria
Ouidij regio frigida iudicio Acronis. Hos Plinius li. 6.
cap. 12. statuit in quarta regione Italiæ, & Ouidius facit
proauos Sabinorum, & Festus ortos ex Illyrico.

Taces.] Donatus in Eunuch. Act. 5. Sc. 7. hoc verbum
& ipsius coniuncta distinguit ex coniunctione: *tacemus*
consilia, vt, nec tacui demens, reticemus dolores, vt, ne reuerere,
ne retice: obtinemus, quorum nos pudet. vt in Phormione, heu
quidnam obtices? sed ibidem ad hæc verba, *Hera mea tace*
obsecro, & alibi *tace, egomet conueniam ipsum,* addit *nõ silen-*
tium indicentis est verbum, sed facientis securam: quo modo
posset hic *taces* explicari, vt Telephus mirè sit de cæna
& ipsius instructione securus, sed totus in historijs.

Dalunæ.] Quidam putant ex his spatium temporis
significari, quam diu cœna producenda sit, vt à vespe-
ra incœpta desinat in mediam noctem: quod noua lu-
na & nox media videntur indicare. Hæc etiam phrasis,
da poculum nouæ lunæ, &, *da illud quoq; mediæ noctæ,* posset
referri ad morem propinandi ijs, quos amamus, coli-
mus & gratâ memoriâ repetimus, vt sit, da nobis cya-
thos, quos bibamus in honorem nouæ Lunæ, mediæ
noctis, & Murænæ facti Auguris: vbi præterea est el-
lipsis vocum *caussâ & gratiâ,* vt sit, da cyathum caussâ
vel in gratiam horum omnium per Hellenismum, vbi
sæpè ἕνεκα subauditur: Erat autem mos apud veteres,
vt bibituri Deum aliquem aut hominẽ ominis gratiâ
vel boni Genij præfarentur, eumque gignendi casu
nominarent, sicut apud Lucianum in Lapithis Alci-
damus Cynicus propinat sponsæ nomine Herculis.
Hic mos declaratur ab Asconio in li. 1. Act. 2. in Verr. ad
verba, *fit sermo inter eos & inuitatio, vt Græco more biberetur.*
Est, ait, mos Græcus, sicut Græci loquuntur, συμπίνειν
κυαθιζομένους, id est, *quum merum cyathis libant, salutantes*
primum Deos, deinde nominatim amicos suos. Quoties enim
Deos nominant, & sibi charos, toties merum bibunt: quem
quidem morem seruauit *Silius poeta Italicus* de Q. Fabio
cunctatore lib. 8.

Nec prius aut epulas aut munera grata Lyæi,
Fas cuiquam tetigisse fuit, quàm multa precatus,
In mensam Fabio sacrum libauit honorem.

Seruatum quoque Valerius lib. 8. cap. 15. narrat, loquens
de C. Mario. *Postquam, ait, Cimbros ab eo deletos initio no-*
ctis nuncius peruenit, nemo fuit, qui non illi, tanquam Dijs im-
mortalibus apud sacra mensæ suæ libauerit. De eodem sic
Plutarchus in ipsius vita, Εὐφραίνοντο μετὰ παίδων καὶ
γυναικῶν ἕκαστοι κατ' οἶκον, ἅμα τοῖς Θεοῖς καὶ Μαρίῳ δεῖπνα καὶ
λοιβὰς ἀπέχεντο. id est, *Hilares ac læti vnà cum liberis & vxo-*
ribus, quisque domi suæ, Dys simul & Mario in cœna & sacris
libauerunt.

Quod Ausonius sic Eidyllio 4. de gripho ternarij
numeri (vbi hic locꝰ citatur, & hæc Ode vocatur Flac-
ci Ecloga) interpretatur, *in qua propter mediam noctem,*
nouam Lunam & Murænam auguratum, ternos ter cyathos at-
tonitus petet vates. Sed è noua vel prima, vel nascẽte Lu-
na, id est, νουμηνία Græcis, principium mensis intelligi-
tur dicatum calendis & semper festum ante correctio-
nem anni Iuliani ad cursum Solis. Prætereà Nox cre-
dita est Romanis Dea: vide Turnebum.

Murænæ.] Fortassis est ille frater Proculeij, cuius me-
mini Ode 2. lib. 1. Meminit cuiusdam Murænæ Satyrâ
5. lib. 1. *Murænæ præbente domum.* Grammatici tradunt
τὸ *Muræna* potiùs scribendum, quàm *Murena*, quum à
pisce μύραινα declinetur: cuius modi gentis Romanæ
multa leguntur cognomina. Reddit autem rationem
Macrobius è Varrone lib. 3. cap. 15. huius cognominis,
asserente Licinios appellatos Murænas, quòd hoc pis-
ce delectati sint effusissimè, vt Sergius Aurata cogno-
minatus est, quòd ei pisces, qui auratæ vocantur, carissi-
mi fuerint.

Tribus.] Definitur quousque modus bibendi, de
quo lege Athæneum lib. 10. progredi debeat, vt mini-
mum, ad tertium cyathum: vt summũ, ad nonum: de
quo vide etiam Plutarch. tertio Sympos. Problemate
nono. Similiter definitur numerus conuiuarum apud
Agellium è Marone lib. 15. cap. 11. vt illorum numerus
initium sumat à numero Gratiarum & desinat in nu-
merum Musarum, id est, vt nõ sit minor ternario neq;
maior nouenario: quod turba ferè est turbulenta. Fuit
olim Græca cantio, ἓξ πίνετε πῖνε, καὶ τέτταρα πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. i.
& quinque scilicet bibe cyathos, & tres bibe, non autem qua-
tuor: quâ cantione interdicebatur quartâ potione per
quandam superstitionem: quòd impares numeri cre-
derentur ad omnia maioris esse ponderis & momen-
ti, quàm pares, idem Plinius lib. 28. confirmat testimo-
nio Democriti, qui vetuit quaternos cyathos senos re-
potandos esse.

Cyathis.] De cyathi etymo vide notas in Od. 29. li. 1.

Pocula miscentur.] Id est, cõmodè bibitur ter vel no-
uies. *Commodus autem cyathus* dixit, quòd non inducant e-
brietatem, quatenus definitus modus seruatur, vel com-
modus conuiua, qui est facilis & moderatus.

Vates attonitus.] I.e. perturbatus violentiâ exhalantis vini, quâ cerebrum tentatur. Videtur alludere πρὸς τὸν τῶν Ποιητῶν ἐνθουσιασμὸν· *ad fanaticum Poetarũ furorẽ, & afflatũ diuinum. Attonitus* aũt est *stupefactus.* Seru. in ver. Æn. 3. *Talib. attonitus visis &c.* scribit propriè illũ attonitũ, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruũ dãt stuporem.

Gratia.] De Gratijs lege Oden 4. & 30. lib. 1.

Prohibet.] Syntaxis verborum sic est: *Gratia iuncta nudis sororibus metuens rixarum prohibet (conuiuam) tangere cyathos supra tres.* Quem Gratiarum modum expressit Theognis. Οἶνον δὲ πίνειν πολὺν κακὸν· λῷον δ' ὅτις αὐτὸν

Πίνῃ ὁπασάμενος σῶφρον, κακὸς, ἀλλ' ἀγαθὸς.

Vinum bibere multum malum est, quòd si quis ipsum
Bibat moderatè, non malum, sed bonum est.

Aliter modum bibendi definit Anacharsis apud Laertium κιρναμένου κρατῆρος ἐφησεν· ὁ μὲν πρῶτος ὑγιείας πίνεται· ὁ δὲ δεύτερος ἡδονῆς· ὁ δὲ τρίτος ὕβρεως· ὁ δὲ τέταρτος μανίας. *Primus cyathus vini temperati & domestici bibitur sanitatis causâ: secundus voluptatis: tertius contumeliæ: quartus insaniæ.* Ex his conijce, Lector, quales futuri sint, qui ad nonum & decimum cyathum vsq; progrediuntur.

Berecyntiæ.] Berecyntus mons est Phrygiæ & oppidum, cuius orthographiam docuimus Ode 18. li. 1. è Stephano & Strabone, vbi Cybele mater Deorum culta est & vsus cantandi tibiâ inuentus à Marsya, vt lyrâ ab Apolline vel à Mercurio, vt fistulâ à Pane. Hæc tria Musica organa Ode 1. lib. 4. adhibentur. Iulius autem Pollux lib. 4. scribit παροίνιοι δ' αὐλοὶ μικροὶ μὲν, ὀξεῖς δ' ἄμφω· τῷ γὰρ ἰσότητα τῷ συμποσίῳ πρέπειν. id est, *paruæ tibiæ adhibebantur compotationibus ac conuiuijs, duæ quidem æquales: quia æqualitas maximè conuiuia decet.* Nuptialibus autem epithalamijs duæ inæquales, quarum cantus dicebatur γαμήλιον αὔλημα.

Parcentes dexteras.] Id est, segnes ministros, nihil facientes, & tibicines ignauos & citharœdos odi.

Lentus amor.] Hic affectus σωφρονικῶς ὠδυν. 5. Theocriti καπυρὸς νόσος dicitur, *aridus morbus*, ac velut febris hectica & tabifica, quem Od. 13. l. 1. lẽtos ignes vocauit.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile Odes 3. lib. 1.

[a] Duplex est tropus: 1. speciei pro optimo quoq; vino: 2. est metonymia subiecti, pro cadum vini Chij, de quo similis tropus erit Epod. 9. & plenior historia, in Grammaticis. [b] Altera est synecdoche speciei pro vehementibus & horriferis frigoribus.

[c] Permiscentur hîc figuræ, dictionis, anaphora & sententiæ, Aposiopesis conuenienter affectibus, quibus summa etiam celeritas esse solet in mora. Illę enim sunt indices hominis conceptâ iam hilaritate & lætitiâ concitati. [d] Alia synecdoche, sed generis pro pincerna & pocillatore, quem Græci vocant οἰνοχόον & prętereà est apostrophe.

[e] Idem est tropus pro Euphrosyne, quæ præest sanitati mentis, vnde vera lætitia: ex qua videtur nomen suum mutuata. [f] Anaphora est.

[g] Talis est metaphora, qualis est in garrula lyra li. 3. Tibul. Eleg. 4. vbi motus & sensus rei inanimæ datur vel detrahitur.

[h] Optatio est arrogantis, qualis est illa Thyrsidis Eclog. 7. *Inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.*

[i] Metaphora est ab igne, qualis est illa, *vrit amor.*

ODE XX. AD PYRRHVM.

Theticum.

Quòd frustrà cum riuali muliere contendat de homine habendo, qui caussam, vti velit, adiudicare possit.

NOn vides, quanto moueas periclo,
Pyrrhe, Gætulæ catulos leænæ?
Dura pòst paullò fugies inaudax
Prælia raptor:
Quum per obstantes iuuenum cateruas
Ibit insignem repetens Nearchum.
Grande certamen, tibi præda maior
Cedat, an illi.
Interim dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos.
Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur: & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

Analysis Dialectica.

NEarchus iuuenis in quæstione versatur: de quo contendunt Pyrrhus vnus è sodalibus Poetæ & mulier quædam: quicum ne certamen instituat, dissuadetur hîc Pyrrho, primùm ex adiunctis, quæ tamen possunt similiter enunciari, quòd summâ crudelitate & immanitate sit mulier, nec dissimilis leænæ catulos nutrienti: deinde quòd multitudine iuuenum stipata possit illum aggredi longè imparem congressu, à quo quidẽ nisi desistat, dicetur more muscę bellum Elephanto indicere. Itaq; meminerit illud Hesiodi ἔργ. καὶ ἡμερ: Ἀφρήων δ' ὃς ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν·

Νίκης ὄν τέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Demens ille, qui cum potentioribus vult decertare:
Victoriâ cadit, & per dedecus graues percipit dolores.

Posteà quòd exitus contentionis pendeat è voluntate Nearchi controuersi, qui, relictis omnibus scortatoriæ litis rationibus, potest sese, vtri libuerit, addicere sponte, & victoriam gratificari. Postremò Nearchus describitur ex adiunctis vnguẽtis, quæ capilli humeris ipsius passi olent, & duplici similitudine duorum iuuenum; Nirei primùm, cuius forma valde celebratur ab Homer. Iliad. β. & è procreantibus & minorũ collatione & diuersis. Νιρεὺς Ἀγλαΐης υἱὸς Χαρόποιό τ' ἄνακτος·

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.
Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.
Ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην.

Nireus Aglaies filius & Charopi regis. Nireus, qui formosissimus vir ad Ilium venit aliorum Danaorum, excepto Pelide inculpato: sed infirmus erat. Ad cuius formã si accessisset fortitudo, meritò diceretur de eo illud Statij, *Gratior est virtus veniens è corpore pulcro:* qualis Theocritus quidã epigrammate Simonidis l. 1. Epig. Græc. prædicatur κεφ. α. Deinde Ganymedis, cuius pulcritudo etiam ab eodem Poeta prædicatur in eo hymno quem scripsit in Venerem, ex varijs adiunctis, finaliq́ue caussâ:

Ἦτοι μὲν ξανθὸν Γανυμήδεα μητίετα Ζεὺς
Ἥρπασ', ἕδν διὰ κάλλος, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη,
Καί τε Διὸς κατὰ δῶμα θεοῖς ὀπυιοχέοιτο.

Φαῦμα

Θαῦμα ἰδεῖν, πατέρων πεμπέμεν ἀθανάτοισι,
Χρυσείῃ ἐκ κρατῆρος ἀφύσσοντ' νέκταρ' ἐρυθρόν·
Τρῶα δ' πένθος ἔλασσεν ἔχε φρένας· ἅδε τ' ἤδη
Ὅττι οἱ φίλον υἱὸν ἀνὴρ πάσῃ θέσπις ἄελλα,

Iupiter quidem consilij auctor flauum Ganymedem rapuit ob ipsius pulcritudinem, vt cum immortalibus interesset: ac in Iouis domo vinum funderet. Mirabilis visu, ab omnibus Diis honore affectus, ex aureo poculo expromturus nectar rubrum, sed Trois patris ipsius luctus non obliuiscendus (id est, grauissimus) animum premebat: nec quidquã nouerat cur ipsi earum filium abripuisset diuina procella.

Enarratio Grammatica.

Mouere catulos leænæ.] Homer. Iliad. ρ. ad versf.

Αἴας ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος ἄφρῳ κελύφας,
Εἰσιόμην ὡς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
Ὃν ῥά τε νήπι' ἄγοντι σιωπηδὸν τιθήνη
Ἄνδρες ἐπακτῆρες &c.

Aiax Patroclum lato scuto circum tegens stetit, vt leænaquædam circum suos catulos, cui illos ducenti occurrunt in sylua aliqui venatores, &c. Φωνερὸν μὲν πᾶσιν ὁποίαν διάνοιαν χοὶν ἄρ λέαινα περὶ σκυμνία, ἀθῦσσ' ἐς ὀπυιεῖαν ἑαυτοῖς ἀρ' ἄλθοι *omnes norunt, quanto affectu leæna prosequatur suos fœtus & quàm promtè ferat ipsis opem.* Sic magnitudo animi ac studij vehementia ostenditur in hominibus passim apud Poetas comparatione huius feræ cum ipsis.

Leænæ.] Antiptosis pro à leæna remouere, & simplex pro coniuncto: quemadmodum loquitur Catullus de passere Epigr. 3.

Nec sese à gremio illius mouebat.

Sed quum pro afferre sumitur, propriè cum dandi casu construitur, vt hic Poeta Satyr. 4. lib. 2. dicit: *fastidia mouere stomacho*, id est, afferre.

Gætulæ leænæ.] Gætula leæna ideo dicitur, quia belluæ in regionib. calidis Africæ, vt est Gætulia & Libya crudeliores sunt & immaniores, quàm in frigidis & temperatis. Scriptis est huiusmodi nobilitata crudelitas, vt Od. 23. lib. 1.

Gætulúsue leo frangere persequor. & 3. Æneid. *tergum Gætuli immane leonis.*

Pòst paullò.] Ita ferè vsurpatur *pòst* sine rectione cum quibusdam adiectiuis solis. Nonnunquam additur *tempore*, vt in Tityro: *& longo post tempore venit.*

Inaudax.] Inaudax respondet his Græcis ἄναυδος & ἀδειλὸς, ἄτολμος· ignauus & timidus, & verbo *fugies* iungendum, non cum *raptor*: quia nullus raptor est inaudax & timidus.

Nearchum.] Hæc vox ἐπὶ τὸ νεωστὶ αὐτὸν ἄρξαντα dici videtur, *quòd non à multis diebus imperium habuerit.*

Grande.] Eclipsis verbi, *erit*, vter habiturus sit Nearchum, qui pretium certaminis proponitur, & præterea *tũ ne*, vt sit grauiter certabitis inter vos, vter potiturus Nearcho tunc, an ille. Ex hoc quidem loco cognoscitur discrimen Donati in Adelph. Act. 2. Scen. 2. vers. 3. *Nunquam vidi iniquiùs certationem comparatam*, propriè dixit Terentius certationem ipsum actum: nam certamen est res ipsa, de qua certatur, vter columbam sagittâ feriat: vter prior decurrat ad metas. Vnde Virgil. 2. Georg. vers. 530.

Velocis iaculi certamina ponit in vlmo.

Pro quo antè vers. 383. *præmia Theseide, posuêre*, vt Græci ἆθλα τιθέναι καὶ νικητήρια, dixerat. Ita sumendum à Scæuula quidam credunt L. *Libertino suo.* 21. §. *Lucius Titius. ff. de annuis legatis. Lucius Titius testamento patriæ suæ ciuitati Sebastenorum centum legauit, vti alternis annis ex vsuris eiusdem certamina sub nomine ipsius celebrarentur.* & adiecit hęc verba: sumitur etiam pro contentione, labore, & conatu, vt Epist. 5. lib. 1. *mitte certamina diuitiarum*, & lib. 5. de bel. Gal. Cæs. contentio & certamen geminantur vt Græca solent τὸ ἆθλον καὶ ἆθλος.

Posuisse palmam.] *Ponere Palmam sub pede*, est nihili facere & contemnere, atque ita in potestate habere victoriam sine vllo periculo. Ideoque dicit nudo pede.

Raptus ab Ida.] Ganymedis ratio duplex traditur à Grammaticis. Nam aut ἀπὸ τῶν μητέων γαυρῶν, à consilijs & curis lætis, vel ἀπὸ τῶν μητέων ἤτοιμα τῶν αἰδοίων à pulcris pudendis. Quod posterius impuri cacodæmonis pederastiam indicat: prius autem hilaritatem compotationis. De hoc raptu vide 5. Æneid. ad vers. *intextusq; puer &c.* quem Cicero existimat fabulosum lib. 1. Tusc. 1. Præterea Ida dicitur aquosa propter multa flumina inde manantia, vt Xanthum & Simoentem: vnde sic ab Homero notatur πιδήεσσα καὶ πιδακόεσσα *fontibus abundans*: quod Eustathius lib. Ιλιαδ. λ. interpretatur congruenter præsenti epitheto nostri Poetæ πολύυδρον, mons, inquam, fuit Phrygiæ, vnde ab aquila raptus est ille, & defluunt flumina Scamander & Simois: ideoq; mons ille aquosus & ab Homero πιδακόεσσα ἢ πιδήεσσα, quasi scaturiens vocatur.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est Sapphicum. Hæc dissuasio est ex perpetuis metaphoris: vnde efficitur allegoria à venatoribus: atq; adeò verbum viuendi translatum est à corpore ad animum: qualem tropum Donat. in Andr. Act. 1. Scen. 2. *Herus est neque præuideram*, obseruauit in verbo coniuncto, dicens præuidentiam esse duplicem, aut enim animo, aut oculis præuidemus, quanquam hîc & Epist. 7. lib. 1. ad vers. *deniq; quod non præuidisset eum*, propriè sumendum est. Non animaduertis, inquit, in quod te conijcias periculum, dum conaris eripere sæuæ mulieri Nearchum amatum? existima te non leuius adire periculum, quàm si catulos à complexu immanissimæ cuiusque belluæ tentares abripere: vnde perspicias hîc Pyrrhum tanquam venatorem, & mulierem tanquam feram, & Nearchum, tanquam huius fœtum ἀλληγορικῶς significari. Adhuc fuit allegoria: reliqua ferè sunt propria: præterquam quòd *arbiter*, synecdochicῶς sumatur pro Nearcho litis disceptatore: sicut *raptus* pro Ganymede: item *palma*, quæ est insigne victoriæ, pro gloria ipsius victoriæ & ornamento.

Ode XXI. Ad Amphoram.

Theticum.

Quòd quum vinum suæ amphoræ animos hominum variè afficiat, in gratiam Messalæ Coruini ad conuiuium vocati ex ea effundendum sit.

[1] *Nata mecum* [a] *Consule Manlio,*
Seu tu querelas, siue geris iocos,
[b] *Rixam, & insanos* [c] *amores.*
Seu facilem, pia [d] *testa, somnum:*
[e] *Quocunq; lectum nomine Maßicum*
Seruas, moueri digna bono die:

Descende, Coruino iubente,
Promere languidiora vina.
2 f *Non ille quanquam Socraticis* g *madet*
Sermonibus, te negliget horridus:
3 *Narratur & prisci Catonis*
Sæpè mero incaluisse h *virtus.*
4 *Tu lene* i *tormentum ingenio admoues*
Plerunq; duro: tu sapientium
Curas, & arcanum iocoso
Consilium retegis k *Lyæo:*
l *Tu spem reducis mentibus anxiis,*
Viresq;, & addis m *cornua pauperi,*
Post n *te neq; iratos trementi*
Regum o *apices, neq; militum arma.*
5 *Te Liber, & si læta aderit Venus,*
Segnesq; nodum soluere p *Gratiæ,*
q *Viuæq; producent lucernæ:*
Dum rediens fugat astra r *Phœbus.*

Analysis Dialectica.

IOculatoria est hæc Ode, vbi Poeta colloquitur cum sua Amphora, tanquam cum homine, ac ipsi tribuit, quæ vino in ipsa contento conueniunt maximè. Illa ergo excitatur à Poeta, vt benignè merum depromat Messalæ Coruino ad epulandum vocato: quoquo modo homines ab eo afficiantur. Huius autem incitationis argumenta sunt: primùm è comparatione paris secum ætatis: deinde ex effectis: quòd homines impellat ad quærendum, iocandum, rixandum, ad insanè amandum & altè dormiendum. Sed tales vini vires perinde agét cum ipsius potoribus, vt ingenia ipsorum futura sunt. Quorum varietatem sic Galli exprimunt, *l'ung, a vin de porc, l'autre de lyon, l'autre de singe, l'autre de chien.* Præterea Xenophon de his meri viribus ita scripsit in Symposio: οἶνον τὰς μὲν λύπας, ὥσπερ μανδραγόρας ἄνδρα, κοιμίζει· τὰς δ' φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα, ἐγείρει, i. *vinum mœrores, vt mandragora homines, sopit: Benevolentiam autem (aliis in alios) vt oleum flammam, excitat.*

2 Argumentatur è diuersis: Quanquam Messala est Socraticâ doctrinâ instructus, mireq; sobrius; remittit tamen aliquando istam tam seueram sobrietatem. Ita diluitur hoc obiectum, quòd tẽperantia Coruini Messalæ huiusmodi vinum non requirat.

3 Eadem obiectio refutatur speciali exemplo: quod tamen mihi collatione parium explicari videtur: Cato instructus pari seueritate doctrinæ largiùs meraciusque nonnunquam compotare consueuerat cum suis & æqualibus & adolescentibus. Hoc certè Seneca lib. 1. cap. 15. de tranquil. vitæ testatur. Non solùm de hoc genere recreationis per hunc virum, sed de quouis alio etiam per alios, *non*, ait ille Stoicus, *in eadem intentione æqualiter retinenda mens est: sed ad iocos reuocãda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: Et Cato vino laxabat animum publicis curis fatigatum: Et Scipio triumphale illud & militare corpus mouit ad numeros, non molliter se infringens, vt nunc mos est, etiam incessu ipso vltra muliebrem molliriem fluentibus: sed vt illi antiqui viri solebant inter lusum & festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur. Danda est remissio animis: meliores acrioresq; requieti surgent. Vt agris fertilibus non est imperandum. Citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas: ita animarum impetus assiduus labor frangit, &c.* Coruinus igitur ijsdem planè moribus nunc idem facilè præstabit.

4 Argumentum, quod sequitur, est ex effectis: qualia Epist. 5 l. 1. ad Torquatum tribuuntur ebrietati, quæ filia vini habetur, ad hunc versum:

Quid non ebrietas designat? operta recludit, &c.

5 Eódem inuitat amphoram ex efficientibus hilaritatis, & fauentibus Dijs: quòd tota nox cõsumetur in compotatione, auspicibus, idq; suadentibus & propitijs, Baccho, Venere, Gratijs concordiæ perstudiosis.

Enarratio Grammatica.

NAta mecum.] Poeta de se & de amphora sic loquitur, quasi de fœtibus animalium gemellis.

Consule Manlio.] Horatius natus fuerat Venusij in Apulia, &c. Manlio Torquato (quem ob id suum Consulem vocat Epod. 13.) M. Aurelio Cotta Cos. iterum anno ab Vrbe condita 689. è Chronologia Glareani: sed ex illa Sigonij 688. biennio, vt quidam volunt, ante coniurationem Catilinariorum prudentiâ atque vigilantiâ M. Tul. Ciceronis Cons. comprehensam: verùm quoto anno scripta sit hæc Ode, prorsus omnino nescitur.

Facilem somnum.] Sic Homerus Iliad. α.

Ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι.
Quum ei obrepebat somnus dulcis.

Duplex periphrasis somni fit ex epitheto similis notionis εὐδει. α. antistrop. α. Πυδ.

—— κελαινῇ
πιν δ' ὄπὶ οἱ νεφέλαν
ἀγκύλῳ κρατὶ βλεφάρων
ἀδὺ χλαῖσαν κατέχαδας, id est,
—— *nigram*
nebulam adunco rostro aquilæ
suaue palpebrarum claustrum,
ô Cithara infundis.

Hîc quidem nebula densa capiti aquilæ offusa per citharam est somni, prior periphrasis; sed dulce palpebrarum claustrum est altera somni periphrasis. Cui opponitur illud. Odyss. ω. hemistichium.

ἄϋπνα δὲ πόλις ὕπνος.
molestiam exhibet nimius somnus.

Prioris autem somni similia sunt epitheta, μελιηδὴς, νήχτος, νήδυμος, suauis, altus Iliad. β.

Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος.
Iouem non opprimebat altus somnus,

Hæc autem phrasis, *seu geris querelas*, potest per verba horum nominum enunciari, seu vis queri cum alijs, seu iocari, seu rixari, seu insanè amare, seu denique suauiter dormire.

Quocunq; nomine.] Pro, quocunque anno seruas vinum collectum & reconditum. Cadi enim & amphoræ nominibus Consulum inscribebantur ad tempus ætatemque vini indicandam iam inde ab ipsius conditione inchoatam.

Moueri.] Id est, digna, quæ depromaris & proferaris è cella vel Apotheca die festo ac læto. Hellenismus autem est in *descende promere vinum.* Sic Græcè καταβαὴ κατῆλθε ἐκβάλλειν τὸν οἶνον ὀλιγοφόρον μὲν, μηδὲ πολυφόρον ἢ συφέτερον τὸν τῷ χρόνῳ δ' πεπιμμένον. *tempore bene coctum, vt iam incipiat langueſcere, nec multum aquæ sustineat.*

Vnde perspicitur vinum olim seruari conditum in apothecis editioribus, non subterraneis: nisi tamen malis construere cum Coruino iubente promere. Præterea *digna moueri* est alter hellenismus: qualis est Satyr. 10. lib. 1.

Quæ digna legi sint, scripturus. & apud Virg. Eclog. 5. *& erat tum dignus amari:*

Quæ tu per nomina explices, digna lectione, amatione, &, tanquam diceres, depromtione. Sic apud Græcos,

cos, ἄξιος bifariam conſtruitur, ἄξιος ἐπαινῆ ἢ ἐπαινεῖσθαι, vt Homerus Iliad. ξ.

Ἦ ῥ' ἐχοῦτος ἀνὴρ Προθοήνορος ἀντιπεπάσθω,
Ἄξιος; — id eſt, *nónne hic vir dignus eſt, qui loco Prothoenoris exiſtimatus ſit?*

Vel, nonne meruit, vt pro Prothoenore mortem opperierit? Ita in apologia Platonis, τί ἄξιός εἰμι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, id eſt, *quid ego merui pati, aut quas pœnas luere?* quæ phraſes ex epitheto ἄξιος & infinito verbo poſſunt etiam Græcè reddi per verbalia vocabula, κυητὸς amphora, ἀείσματα, carmina, φιλητὸς Antigenes, ἐπαινετὸς ἀνὴρ, id eſt, mobilis, legibilia, laudabilis, patibilis, aut caſtigabilis, aut per gerundiua mouenda &c. quæ more Terentij poſſunt Latinè reddi,

Nam ſi ego digna hac contumeliâ
Sum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen.

Si amphora digna, quæ moueatur & depromatur; carmina, quæ legantur &c.

Languidiora.] Od. 16. ante dixit etiam Bacchum non ſibi langueſcere in amphora, id eſt, inueteraſcere, nec vetuſtate matureſcere. Intelligit autem vetuſtate maturiora, vaporibusque exhalatis ſpumoſioribus atque fumoſioribus, minusque ſalubribus leniora. Sed de vino Maſsico vide, quod annotatum eſt Ode 1. lib. 1.

Priſci Catonis.] Quanquam hoc epithetum videtur deſignare Catonem ſuperiorem, vt vis vocabuli poſtulat. (nam è Feſto priſci Latini dicuntur ij, qui priùs quàm conderetur Roma, fuerunt: & Priſcus Tarquinius, quia priùs fuit, quàm ſuperbus Tarquinius) itaque nonnulli non immeritò cenſent τὸ *Priſcus* capitali literâ ſcribendum, & pro cognomento potiùs quàm pro epithero accipiendum: ex hiſtoria tamen Plutarchi in vita vtriuſq; facilè perſpicitur ſtudium ſodalitatis potiùs Vticenſi tribuendum, quàm Cenſori, præterquàm in ſenectute, vt apparet è Dialogo Ciceronis de eadem, qui priùs ferè ſemper abſtemius fuerat.

Cauſa autem huius largioris potionis in ſenibus eſt caloris & humoris, inopia: quod certè vtrumque, quia ingraueſcens ætas ſecum affert valde imminutum, & grauem exhibet moleſtiam, natura requirit vtriuſque inſtaurationem vini potione; in quo vis ineſt calefaciẽdi, humectandi & exhilarandi.

Lene tormentum.] Plato lib. 1. de legibus ad veritatem rei alicuius exprimendam, vel ad mores hominum inquirendo explorandos ſolebat vti vino, vt leni tormento minusque periculoſo: quò ſpectare illud videtur Æſchili κάτοπτρον εἶδε χαλκὸς ὅτι εἶνος ἦν, id eſt, *æs vel vitrum eſt ſpeculum formæ: Sed vinum eſt mentis.* Eódem quoque Theognis.

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόντε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γιγνώσκυσ' ἀνδρὸς νόον εἶνος ἔδειξε νόου
Καὶ μέλαπρ πιυτῦ.

Viri periti dignoſcunt aurum & argentum igne: ſed vinum arguit mentem hominis, quamlibet ſapientis. Idem dicetur ſub finem Epiſt. ad Piſones:

Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant.

Eam ob rem Epiſtola 18. lib. primi in præſcribenda ratione conſuescendi ac conuiuendi cum amicis noſter Poeta monet:

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam,
Commiſſumq; teges & vino tortus & irâ.

Id eſt, & vinolentus & iratus.

Narratur.] Hæc particula & videtur mihi αἰπολογεῖν, pro, virtus enim Catonis dicitur incaluiſſe.

Priſci &c.] Quidam exiſtimant hanc vocem eſſe cognomen *Catonis* Vticenſis, non epithetum ætatis, ne putetur dici de Cenſorio illo veteri *Catone*. Itaque debet ſcribi, capitali literâ, vt repetetur Satyr. 2. lib 1. ad verſ. *virtute eſto macte, &c.*

Lyæo.] Hoc vnum eſt è nominibus Græcis Bacchi ἀπὸ τὸ λύειν, à ſoluendo curis animo: ſicut iam annotatum eſt Ode 7. lib. 1.

Cornua.] Cuius effectus gratiâ Bacchus dicitur τωροκερὼς, *cornutus* & ab Ouidio in arte, *cornu inſignis Bacchus*, Græcè δικερὼς. Feſtus tradit cornua Liberi patris ſimulacro adijci, eò quòd homines nimio vino truces fiant, vt belluæ.

Læta.] Valet hîc fauens & propitia, vt in Catull. Lætus huc huc veni ô Hymenæe.

Segnes voluere.] Hæc ſyntaxis eſt Græca & Poetica: pro qua Cicero dicit pro M. Fonteio, *ad imperandum ſegnior*, id eſt, tardior, & Liu. li. 4. *ad credendum ſegnis*, ſicut Homerus Iliad. 4.

Ἵπποι βραδίσσοι θέειν,
Equi ad currendum tardiſſimi.

Gratiæ igitur aderunt, quæ rarò diſſoluunt amicitias: ſed eas alunt, in illisque fideliter tuendis fortes. De hoc autem Gratiarum indiſſolubili nodo non abs re fuerit admonere, quod Seruius annotauit in verſ. Æneid. 1. *Matris Acidaliæ, paullatim, &c. Acidalia Venus dicitur, vel quia injicit curas.* Ἄχος enim cura & anxietas: vel ab Acidalio fonte, qui eſt in Orchomeno Bœotiæ vrbe, vbi ſe Gratiæ lauant, quæ Veneri ſacræ ſunt. Ipſius enim & Liberi filiæ ſunt, & iure. Nam & Gratiæ ferè per horum numinum munera conciliantur. Sunt autem nudæ: quia Gratiæ ſine fuco eſſe debent: ideo connexæ, quia inſolubiles eſſe oportet. Hîc citatur ibidem præſens locus. *Quòd verò vna auerſa pingitur, duæ autem nos reſpicientes, eſt, quia profecta à nobis gratia duplex ſolet reuerti*, vt antè dictũ fuit Didoni: *nec te officio cert aſſe priorem pœniteat.* Epithetum autem *ſegnis*, Feſto dictum videtur, *quòd ſit ſine nitendo quid vtile aut honeſtum.* vbi locus Terentij citatur And. ex Act. 1. Scen. 3. verſ. 1. *Enimuerò Daue, nil loci eſt ſegnitiæ neq; ſocordiæ*, & etymum apertius fit à Donato, quum ſcribit, τὸ *ſegnis* propriè dici de homine tardo ad agendum, & τὸ *ſocors* ad conſiderandum & proſpiciendum, vt è verſ. 60. Act. 4. Scen. 5. Adelph. perſpicere licet:

Nolim te cæterarum rerum ſocordem eodem modo.

Vt illud ad corpus, hoc ad animum pertineat maximè. Seruius tamen, vt alibi diximus, τὸ *ſegnis* dictum tradit quòd ſit ſine igne, id eſt, vi mouente.

Fugat aſtra.] Seruius in hunc verſ. 5 Æneid.

Poſtera quum primo ſtellas oriente fugârat.
Clara dies.

Annotat hoc Poeticè dictum, & ex opinione vulgi deſumtum: ſtellæ enim quum à ſtando nominentur, figxæ hærent cælo præter Planetas: ideoq; non inde fugantur ortu Solis, ſed illarum fulgor premitur maiori luce Solis accedente. Eſt autem hîc quædam alluſio ad etymum vocis Phœbus, qui Didymo dicitur ex Heſiodo μετωνυμικῶς ἀπὸ φόιβης, *à puritate atq; luce.*

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt ſimile 9. lib. 1.

[a] Metonymia fuit ſimilis Ode 8. huius libri *Conſule Tullo*, & 1. lib. 2.

[b] Epanaphora eſt.

[c] Metonymia effecti pro efficiente & ad inſaniam adigente homines perditè amantes.

[d] Duplex eſt hîc tropus: metaphora in adiectiuo *pia*, à rebus animatis & intelligentibus ad inanimam rationisq; expertem: quæ mihi tamen aliquantùm catachreſtica videtur, quum *pius* ſemper ἐνεργητικῶς, vt carus παθητικῶς, tantùm debeat vſurpari. Deinde ſynecdoche generis pro amphora, cuius etymon eſt Ode 9.

lib.1. Testa enim est vas quodlibet è terra fictum, vt appareat ex Epigram. lib. 8. Martialis ad Flacc. de noua voluptate & huic simili, ob felicem Prisci Terentij reditum è Sicilia, vbi materia hæc, ex qua fiat amphora, exprimitur, simulque ætas vini:

Defluat, & lento splendescat turbida limo
Amphora centeno Consule facta minor.

e Ἤδη δοκεῖ ἐνδιάζειν τε καὶ ἐπαπορεῖν, Iam *videtur addubitare* de ætate amphoræ, quam initiò dixerat suam æqualem.

f Procatalepsis eorum, quæ possent obijci de sobrietate Coruini.

g Metaphora à liquidis, vt *madere multo imbre, Baccho:* hìc pro instructus est & plenè refertus doctrinâ Socratis.

h Metonymia rei adiunctæ pro subiecto graui & seuero ipso Catone incredibili virtute prædito. Simili tropo Sallustius vtitur in coniuratione, *vis tanta Crassi magis leniunda quàm exagitãda:* eodem Catullus vsus est:

Hæc vestis priscis hominum variata figuris.
Heroum mirâ virtutes medicat arte.

Sic Græci βίη, Πειάμοιο, παλαιγενέων κλέα ἀνδρῶν, pro Heroibus, Priamo & claris senibus, βίη Ηρακλῆος pro valentissimo Hercule.

i Allegoria est ab ijs, qui coguntur vi tormenti verum confiteri, Gall. *A force dehenne & de torture.*

k Manifesta est metonymia caussę pro effecto vino. Quod Pindarus Nem. Θ. ἀτιφραστικῶς appellat δυωδεκ. ια. βιατὰν ἀμπέλου παῖδα, id est, violentum vitis filium. ὅτι εἰς μέθην τὸ ὕβριν κατάγεται βιαζόμενος τὰς ἀνθρώπους, i. e. quod homines ad ebrietatem & contumeliam vi abigat.

l Epanaphora est in repetitione eiusdem soni & vocis simul & πολύπτωτον: ac præterea metonymia subiecti pro ipso vino contento, cuius potio producetur per totam noctem.

m Metaphora est à bestijs, pro addis confidentiam, & maiores facis animos homini pauperi vt sit audacior ad pugnas & ad certamina, quum calefactus à te non metuat potentiam Regum. Sic de seipso loquetur Epod. 6. *parata gesto cornua*: & Ouidius lib.1. Amor. *Tunc pauper cornua sumit.*

n In *post te* videtur caussa & auctor poni pro vino Bacchi inuento.

o Alia est metaphora à flocco lanæ vertici pileorum insuto pro diademate, auctoritate & potentia, maiestate & seueritate potentissimorum Regum: qualis fuit Ode 34. lib.1. *Hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit:* quæ clariùs significantur sceptro & coronâ Ιλιαδ. α. sub initium:

Μήνυ τοῖ ἐ χραίσμη σκῆπτρον καὶ στέμμα Θεοῖο.

Non tibi sanè proderit sceptrũ & corona Dei Apollinis, quàm his apicibus.

p In *Liber, Venus, Gratia, lampades* est Allegoria è caussis ad iucunditatem & hilaritatem animorum indicandam pro vino, amore, venustate. In *nudum* est metaphora à corporibus colligatis pro fide, animorum vinculo & coniunctione firma.

q Alia metaphora ab animatis pro, ardentes & incensæ oleo subministrato ac suppeditante. Altero tropo dictæ sunt etiam lucernæ vigiles Ode 8. huius libri, vt annotatum est. Et cur viuę hìc vocentur, expositum: quem locum reuise.

r Periphrasis Metonymica crepusculi matutini vel potiùs diluculi, id est, redeuntis solis, ad quod vsque tempus lucernæ ardere debebant: pro, dum dies redit & diluescit.

Ode XXII. In Dianam.

Theticum.

Quòd, quum Dijs, qui plurimùm possunt, de re qualibet vota facienda sint, velit pinum villæ proximam Dianæ consecrare.

Montium[a] custos nemorumq; virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimisq; letho
Diua triformis:

Imminens villæ tua pinus esto:
Quam per[b] exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

Analysis Dialectica.

POeta didicerat è Theognide, vt dictum est Ode 21. lib. 1.

Θεοῖς δ' χρυ οἷς ἔστι μέγα κράτος.

Deos precare, quibus est magna potestas.

Sic igitur instructus, vbi docuit ex adiunctis & effectis, quid Diana sit & quid possit; solenni voto ei se obligat, mactaturum quotannis verrem ad pinum prædij sui, quam in præsentia ipsi consecrat villæ impendentem & illam irrigaturum sanguine verris, tanquam numine ipsius seruatus esset ab infaustæ arboris casu ac lethali ictu.

Enarratio Grammatica.

Montium custos.] Sic Diana Iouem alloquitur in hymno Callimachi, δός δέ μοὶ οὔρεα πάντα: deinde ἔρσην οἰκήσω· *da mihi omnes montes, quos incolam.* Quanquam autem iam 12. & 21. lib. 1. Odis dictum est de hac Dea ipsiusque etymo; addam tamen, vt eius potestas omnibus magis appareat, in secundo de natura Deorum nomina ipsius notatione declarari, quæ hoc vers. 4. Æneid. adumbrata sunt:

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Ad quod adiungo Scholiasten Theocriti in Idyl. β. καλεῖ Φωσφόρον, ἐπεὶ ἡ αὐτὴ ἔστι τῇ σελήνῃ, *vocat Luciferam: quia Hecate est eadem quæ Luna:* dicitur enim modò Diana, modò Hecate seu Proserpina, modò Lucina: quo accedunt ista epitheta, triuia, triformis, triplex: quorum varię sunt rationes, vt triuia, τριοδίτις quod tribus dimensionibus in cælo dimoueatur; in altum, latum & longum: καὶ εἰνόδιος, vt Mercurius, quòd ipsius sacra in compitis ac triuijs administrarentur. Triformis autem, quòd Luna modò gibbosa, modò dimidiata, modò plena. Apud inferos quoq; Hecate seu Proserpina, quòd centum victimis placetur: in cælo Luna & Lucina: in terra Diana. Sic ostenditur triplex eius potestas in his tribus locis hoc disticho comprehensa:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptro, fulgore, sagittâ.

Do

De hac sic Homerus hymno 2.

Αρτεμιν ὑμνεῖ Μῶσα κασιγνητὴν ἑκάτοιο
Παρθενον ἰοχέαιραν ὁμώνυμον Απόλλωνος.

Dianam celebra Musa, sororem iaculantis virginem sagittis gaudentem vnà cum Apolline nutritam. Dicitur Luciano Αρτεμις μαιδεύειν obstetrix esse: τετίσιν, ὅπως τεκεῖν τόκοις, id est, *præsici partubus*, ἐν τῷ ποιεῖν τὰ ἔμβρυα εἰς φῶς ἐλθεῖν, id est, quum efficit, vt fœtus in lucem veniant; de cuius officio sic Ouidius fecit,

Præpositam timidis parientibus Ilithyiaam.

Cuius profectò in lucem ratio editionis physicâ nititur consideratione: propterea quòd facultas est Lunæ ac Lucinæ laxandi & resoluendi poros & meatus corporis; quorum resolutio, quum tempestiuè fit, miram affert fœtui salubritatem. Vtramq; autem vocem & *Artemis*, & *Apollo* sic Eustathius ἐτυμολογεῖ in hunc versum Ιλιαδ. ε.

Ως εἶδον ζώοντε καὶ Αρτέμια πάντα ἰόντα.

Vt viderunt viuum, & incolumen accedentem. Αρτεμις λέγεται, ἢ παρὰ τὴν ἀρτεμίαν, τουτέστιν, ὑγείαν, ὡς καὶ Απόλλων ἄλιος, ὁ ποιῶν ἄλεκτον, ἤτοι ὑγιαίνειν κατὰ τὸ, ἄλεπτε καὶ μέγα χαῖρε· i. *Artemis dicitur, quæ tribuit sanitatem, vt Apollo, qui facit vt quis valeat bene, iuxta illud, vale & multũ gaude.* Vide alia vtriusque etyma in Phurnuto de natura Deorum, & in Platon. Cratylo.

Laborantes vtero.] Hoc respondet illi Act. 1. Sc. 5. vers. 34. And. *laborat è dolore*, i. paritura. Gall. *elle est en trauail d'enfant*, vt hic locus, *elle exauce les prieres des femmes qui sont en trauail d'enfant.* Cicero, vt Terentius, sæpiùs cum præpositione dicit l. 7. ad famil. *Quum decimum iam diem grauiter ex intestinis laborarem.* & 9. libro *ex pedibus laborares* l. 2. Tusc. *ex renibus laboraret.* Τὸ δ' ὑτερο laborare Græci vno verbo dicunt ὠδίνειν ac præcipuè Homerus Iliad. λ. vbi dolor Agamemnonis à Coone vulnerati comparatur cum dolore parturientis:

Ως δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δειμὸ, τὸ, τε πρῆσσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι
Ηρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.
Ως ὀξεῖ, ὀδυναὶ δυῶν μένος Ατρείδαο.

Vt quum acer dolor tenet mulierem parturientem, quem præmittunt Eileithyiæ obstetrices Iunonis filiæ, acerbos afferentes dolores: Sic acres dolores incesserunt Agamemnonem. Hic Scholiastes annotat: Εἰλειθυίας δὲ θεὰς πρὸ πικτεσῶν ἐφόρους, Διὸς καὶ Ηρας θυγατέρας. *Deas esse parturientium præsides, Iouis & Iunonis filias.*

Poetæ faciunt etiam Ilithyiam parturientibus præesse, Græcè Εἰλειθυίαν, vel Εἰλειθυίαν, quæ in Epigrammatis etiam Ελεύθω dicitur, μόχθον Ελεύθοις ἔφυγες *dolorem Ilithyæ effugisti, id est, partus:* vtraque vox deflectitur παρὰ τὸ ἐλεύθειν, venire: quòd imploretur, vt ipsius ope fœtus veniat in lucem saluus & incolumis. Itaque fabulantur eam Iunonis filiam & ipsam matrem, sicut Dianam parturientibus fauentem. Sic enim in Andr. Terentius: *Iuno Lucina fer opem: serua me obsecro.* Ita quoque Catullus:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Huc pertinet, quod Dionysius Halycarnassæus lib. 5. scribit in Iunonis Lucinæ ædem nomina & ætatem recens natorum referri. Sed Plato in Theæteto censet Dianam etiam Ilithyiam vocari. Vtralibet autem sit, quæcunque è dolore partus laborabant puerperæ, opem Lucinæ implorabant: propterea quòd ipsius auxilium putaretur educere partum in lucem: de quo vide Plutarchum in Romaicis ad hæc verba de Diana: πρὸς τοῦτο τὰς λοχείας καὶ τοὺς ὠδῖνας αἱ γυναῖκες ἐπικαλοῦνται. De Iunone: Λυκίαν Ηραν καλοῦσιν, οὗ φασίν ἐν φωτὶ ζῶσαν καὶ νομίζουσιν ἐν τοῖς λοχείοις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν, ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην· *quam in puerperiis & doloribus mulieres inuocant, Lucinam Iunonem vocant, quasi lucidam, aut illustrantem, atque existimant in partubus ac doloribus opem ferre, sicut etiam Lunam:* quod Cicero ita videtur reddidisse: *vt apud Græcos Dianam eamq; luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant.* Ea fuit misera cõditio gentium Deum in ipsius filio ignorantium, quæ malo pressæ ad dæmonia confugerent.

Vtero.] Plin. lib. 11. c. 37. τὸ *vterus* inclinat ab *vtre* vel ab hypocoristico, *vtriculo*, per metaphoram. Gall. *l'amarri.* quem alio nomine *locos* appellant in fœminis, in reliquis animalibus vuluam.

Imminens] Id est, ἐπηρτημένη πίτυς τῷ ἐπαυλίῳ. Verbum *imminere* tam de periculo & damno, quàm de commodo dici solet: de priori quidem Ode 12. l. 1.

Seu Parthos Latio imminentes:

sed de posteriori est hic locus: cuius sententia est: *Ego hanc pinum villæ meæ impendentem tibi iam consecro ac dedico, quam polliceor me sanguine verris anniuersarij aspersurum in tui veneratione*m: quod valet, *pinum donem sanguine verris.*

Exactos.] Finitos. Sic Virg. l. 1. Æn. loquitur:

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat:

Meditantis.] Meditari dupliciter construitur: aut cum infinito, vt antè Ode 8. huius:

Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.

aut cum accusandi casu, vt hîc & Ode 6. huius, *Incestos amores De tenero meditantur vngui.* atque tam in bonum, quàm in malum accipi solet, vt variè hominum cogitationes possunt. *Meditari dolos:* in quo significatu Cicero lib. 5. ad famil. Q. Metellum. Epist. 2. geminat cum altero verbo: *Fratrem ego quum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam pernicietm parare atque meditari.* Item *meditari versus canoros.* Hac autem meditatione ictus integritas victimæ demonstratur, quòd, quum verres mactabitur, exertis dentibus conabitur cedentem mordere obliquus, vt fert natura suum: quibus duo Græci Polypœtes & Leonteus Iliados μ. versu 148. conferuntur.

Δόχμῳ αἰῶντε πρὸς σφίσιν
In ipsos obliqui irruunt:

Exertos autem dentes Galli venatores suum solent *les defenses* vocare & Græci κάπρους χαυνόδοντας καὶ ὀδοντομάχους, *dentibus pugnantes.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Periphrasis est synecdochica Dianę, pro qua Catullus hanc ponit: *mõtium domina, syluarum virentium, saltuum reconditorum, amnium sonantium.*

[b] Altera est synecdoche αὖτὶ ὀκταπλομένης ἔτους, pro anniuersario quoque anno, i. quotannis semel, vt Græci dicunt κατ' ἐνιαυτὸν, ἢ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ.

Ode XXIII. Ad Phidilen.

Theticum.

Quòd sincerâ, purâ & integrâ mente Diis facienda sint sacra pro tenuitate rerum cuiusque.

Caelo supinas si tuleris manus
[a] Nascente lunâ, rustica Phidile,
Si ture placâris & hornâ
[b] Fruge Lares auidâq; porcâ;
Nec pestilentem sentiet [c] Africum
Fœcunda vitis: nec [d] sterilem seges
Rubiginem, aut dulces [e] alumni
Pomifero graue tempus [f] anno
[2] Nam quæ niuali pascitur Algido
Deuota quercus inter & Ilices:
Aut cresci Albanis in herbis
Victima Pontificum secures
[g] Ceruice tinget: [3] te nihil attinet
Tentare multâ cæde bidentium,
Paruos coronantem marino
Rore [h] Deos fragiliq; myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollibit auersos Penates
Farre [i] pio & saliente micâ.

Analysis Dialectica.

PErtinet hęc quoque Ode ad Deastrorum cultum, quem metiri oportet ex animi integritate ac vitę innocentia, non ex optimis victimis atque sumtuosis, quam hic gestus manuum, ad Superis supplicandum compositus, satis arguit. Vetus est Ethnicorum illa opinio, & certè longè verissima, calamitates omnes hominibus inferri ab ipsorum peccatis, flagitiis, sceleribus, impiisque factis: ad quorum remedium victimis ac precibus votisque vtendum putabant. Itaque Poeta monet Phidilen mulierem, vt illis, tanquam omnis salubritatis atque vbertatis efficientibus caussis, Deos Lares placare inprimis studeat. Disponuntur autem hę caussę hypothetic̄s ad hunc modum: *si Deos precata fueris nouilunio puris manibus ac in cælum sublatis, & Lares ture porcaq; ac fruge, castisq; sacrificiis placaueris; non sentient segetes ac liberi tui inclementiam cæli.* Hæc quidem certè propositio satis visa fuit Poetæ ad remedium contra iniuriam cæli docendum.

2 Quod hìc sequitur, illustratio quædam est propositionis, non autem assumtio ipsa, è loco diuersorum, & valdè quidem accommodata ad parsimoniam & tenacitat̄ præparcæ mulieris: *opimæ*, inquit, *ac magnificæ victimæ*, id est, vno verbo ὁλοθυσία καὶ τελεία θυσία, *conuenit̄ ut publicis ac celebribus sacrificiis* (cuiusmodi scribit Agell. l. 4. c. 6. ex Senatusconsulto M. Antonium Consulem hostiis maioribus, Ioui & Marti procurasse, cæterisque Diis placandis.) *quæ non tuis priuatis sacris mandantur.*

3 Eadem propositio repetitur, & simili argumento superioris amplificari quidem videtur: *paruis victimis piâ manu & sceleribus purâ oblatis Lares abalienatos tibi conciliabis; non magnis nec sumtuosis*: sed posterior pars huius dissensionis, quòd sumtuosę victimæ nó placent Deos, falsa est. Illæ enim possunt offerri rectæ conscientiæ innocentia puritateque mentis. Itaque explicandum videtur per collationem parium: *hostia sumtuosa non blandiùs flectet Deos, ac propitios illos tibi reddet, quàm exigua*: vel, si vis apertiùs: *tu innocentiâ vitæ, morum integritate, pietate tenuiterq; operata, perinde tibi ac tuis faciles ac benignos facies Deos, atq; ditissimus quisq; magnificentiâ victima um suarum.* Huc videtur spectare, quod Plutar. scribit ἐν ἀποφθ. Λακων. de Lycurgo: πυνθανομένῳ δέ τινι διὰ τί μικρὰς ὕπω καὶ ἀτελεῖς ἔταξε τὰς θυσίας; ὅπως, ἔφη, μηδέποτε παύωνται τὸ θεῖον διαλεπτομενοι: i. *interrogatus, cur vilia & parua constituisset sacrificia? vt inquit, nunquam desinamus numen diuinum venerari*: Idem scribit de Numa in ipsius vita: quod videtur sumtum è veteri Poeta, qui monuit, eos, qui Diis manu offerunt exigua sacrificia pietate præstare mactantibus boues. Θεοῖς τε μικρὰ χειρὶ θύοντας πίλη
Τῶν βεβυγότων ὀΐτας ἀστεβεστέρους.
quod noster Poeta simul & Ouidius imitati sunt:

Non boue mactato cælestia numina gaudent:
Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

Enarratio Grammatica.

SI tuleris manus.] Hoc Græci dicunt ἀναφέρειν τὰς ὑπτίας χεῖρας εἰς οὐρανὸν, i. χεῖρας ὑπτιωμένας, *passas manus in cælum tollere.* Sic Liuius loquitur: *supinas manus ad cælum ac Deos tendere.* Cæsar dicit milites passis manibus, ὑπτίας χεῖρας καὶ ὑπτιωμένας, flentes implorabant salutem. Phratis Liuij casu & verbo conuenit cum hac Virg. Æn. 3.

——tendoq; supinas
Ad cælum cum voce manus & munera libo.

Ea autem fuit priscis hominibus etiam paganis pietas, vt si pro patriæ ritu omni studio diligentem, ac Diis congruentem cultum tribuissent, persuasum haberent vt promeriti, omnia sibi rectè processura: quâ persuasione fretus Tibullus, sic cecinit Eleg. 1. l. 1.

Nec spes deficiat, sed frugum semper aceruos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Eódem pietatis illud Virg. Georg. 1. pertinere videtur:

Inprimis venerare Deos: atq; annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in aruis.

Verum autem Deorum cultum ita ex Isæo definire licet: ἡ ὁσία, ἔφη, μεγίστη ἐστὶ θεραπεία τοῦ καθ' ἡμέραν βίου κόσμιον καὶ σώφρονα παρέχειν, i. *existimo pulcerrimum cultum diuinorum esse vitam degere quotidie moderatam, legibus parentem ac emendatam*: quod Zaleucus legislator Locris congruenter Christianis confirmat: ὡς ὑπ' ἀνθρώπου φαυλοῦ, ὑπὸ θεραπεύεται δαπάναις, ὑπὸ τραγῳδίαις ἁλίσκεται, καθάπερ μοχθηροῦ ἀνθρώπου· ἀλλ' ἀρετῇ καὶ θεωρίαις θεὸς καλῶν ἔργων καὶ δικαίων: i. *Deus non honoratur ab improbo homine: neque sumtibus colitur, neq; tragœdiis capitur, sicut homo prauus: sed virtute honestisq; operibus consilio & iudicio factis.* Idem docet Plato in Alcibiad. β. Idem quoque Plutarchus de defect. Orac. δεῖ τὸ θύσιμον τοῦ τε σώματος καὶ τῆς ψυχῆς καθαρὸν εἶναι, καὶ ἁγνὸν καὶ ἀδιάφθορον: *oportet, quòd loco victimæ Diis offertur, esse tum corpore, tum animo purum, innoxium & incontaminatum.* Fuit

tum. Fuit quoque Persio Poetæ Satyrico cæterisque paganis illa superstitio ridicula, quæ Deastris solet aurea, argentea, vel alia quæuis pretiosa munera offerre pro salubritate aeris, pecorisque, & hominum sanitate, ac præterea frugum vbertate.

Quid iuuat hos templis nostros immittere mores?
Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?
Quin damus hoc Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago?
Compositum ius fasq; animi sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?

Paullò aliter Sallustius de cultu Deastrorum sentit: *Nõ votis, neq; supplicijs muliebribus Deorum auxilia comparãtur; vigilando, laborando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ tete atq; ignauiæ tradideris; nequicquam Deos implores: irati infestiq; sunt.* In Catilinario bello.

Supinas.] Liuius etiam dicit, *si tetenderis manus supinas ad cælum*, quod Græcè dicitur ἀναπτύσσειν χεῖρας, *expandere palmas*, de precantibus, vt Virgilius dicit, *Vocare numina passis palmis.*

Nascente lunâ.] In nouilunio, i. quum Luna exoritur & è coitu Solis emergit, quod fit tertio die post coitum, quum apparet τριοκάρως: sic Sat. 4. l. 2. dicet:

Lubrica nascentes implent conchylia lunæ.

qui dies erat olim festus rusticis. Paullò aliter fingitur heros ille compositus ad precandum à Virgilio:

Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas
Talia voce refert.

Præterea *tuleris cælo*, eâdem syntaxi dicitur per antiptosin quâ *it clamor cælo fragorq; tubarum.*

Phidile.] Hoc parcissimæ frugalissimæque mulieris cognomen appositè est fictum ad tenuitatem sacrificij suadendam. Nam φειδλη, ὃς φειδλη ἢ φειδωλὴ λέγε) παρὰ τὸ φείδεσθαι dicitur à parcendo & abstinendo.

Hornâ.] Seru. 2. Æn. v. 133. citat hunc locum, quum *& salsæ fruges, &c.* explicat sic è Sallustio: *est far, quod dicitur mola salsa; quâ & frons victimæ & foci aspergebantur & cultri: fit autem ex horna fruge & horno sale.* Vox autem *fruges* à Seru. in hunc vers. 1. Æn.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo,

ita notatur: *fruges sunt à frumine, quæ pars est eminens guttu-ris sub mento:* sed Iosephus Scalig. flectit ἀπὸ τοῦ φρύγειν à torrendo & siccando. Nam, vt idem Seruius interpretatur, fruges ante vsum molarum torrebantur, & siccabantur, & siccatæ in pilis pinsebantur. Quidam interpretantur vino nouo, alij hornotino frumento: nam hornus dicitur Græcè ἑνὸς, annotinus: quomodo dicet Epod. 2. *vina horna*, & Sat. 6. l. 2.

—*Palea proiectus in horna.*

Cicero etiam frumentum hornotinum dicit, pro quo Græci πυρὸν σταινὸν ἢ σταίνεον, ἑπτέτειον, qui est præsentis anni. Hæc certè varietas interpretationis oritur è generali notione frugis ad omnes fructus pertinente. Hoc autem Græcè posset breuiter dici: ἐὰν τῶν τοῖς Θεοῖς ἀπαρχὴν ἀποτελέσῃ, *si Diis primitias persolueris* καὶ αὐτοῖς ἀφροδισίων ἐξαρήσῃ, *& iisdem magis eximias selegeris.*

Porca.] Caussam porci Laribus mactandi repete è 17. Ode huius libri.

Porca autem dicebatur præcidanea, quæ ante sacrificia solennia pridie cædebatur, & quam piaculi gratiâ ante fruges nouas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam, aut non purgauerant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procurauerant, ait Agell. loco in Dialecticis citato.

Nec pestilentem sentiet.] Diximus in Oden 7. l. 2. ad verba, *Sensi Philippos*, &c. hoc verbum habere vim alicuius mali cum experientia coniunctam. Id autem est, non lædetur vllâ cæli inclementiâ. De Africo diximus Ode 3. l. 1. Addam tamen hîc dici νοσώδη ἄνεμον, *ventum morbos adducentem:* propterea quòd particeps sit humidi & calidi, vt Notus; sed cum aliqua differentia: atque, quemadmodum Notum alibi notauimus ὑγρὸν πλὴν νοτίδα, *ab humiditate*, sic λίψ, ἀπὸ τῆς λιβάδος, à distillatione, qui est idem quod Africus.

Rubiginem.] Rubigo Græcè dicitur ἐρυσίβη, ac definitur à Theoph. l. 4. c. 15. σῆψίς πως τοῦ ἐφισταμένου ὑγροῦ, μᾶλλον δ' φθείρουσα τὰ στάχυα καὶ τὰ χόρτα ἐν τοῖς τόποις κοίλοις καὶ δροσοβόλοις, i. *rubigo est putredo innatãtis humoris, maximeq; corrumpens frumentacea & legumina in conuallibus locisq; roscidis*, quum sol superuenit rori. Ab aliis autem definitur νόσος πεδίου ὑπὸ ὁπηχθέντος τοῖς φυτοῖς καὶ καρποῖς· *vitium quoddam aeris incumbens in plantas & fructus.* Postremò Plin. l. 18. c. 17. *cæleste frugum vinearumq; malum nullo minùs noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu, conuallibusq;, ac perflatum non habentibus:* est hic Plinij locus interpres superioris illius Theophrastini.

Algido.] Ellipsis est prepositionis, *in Algido:* de quo Ode 21. l. 1.

Deuota.] Id est, destinata aræ ex voto.

Ceruice.] De hac voce repete quod dictum est Ode 14. l. 1. Anastrophe est in *quercus inter*, præpositionis inuersio.

Pontificum secures.] In mactandis victimis adhibebantur Popæ, qui velati lino, vt apparet ex Virg. 12. Æn. *pura in veste sacerdos*, & Propertio l. 3. Eleg. 3.

Illa dies hornis cædem denunciat agnis,
Succinctiq; calent ad noua lucra Popæ.

quorum qui victimas mactabat, victimarius dicebatur, βωμόται Græcè: qui verò iugulabat mactatas, Cultrarius, quem sacer ille Caligula dicitur à Suetonio cap. 32. in ipsius vita, occidisse. *Admotâ*, inquit, *altaribus victimâ succinctus Poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactauit.*

Nihil attinet.] Id est, nihil est tibi necesse, Gall. *Tu te peux bien passer, n'ayant affaire qu'aux petits dieux domestiques, d'offrir les hosties de grand prix & de deux ans pour gagner la faueur des dieux.* Sic loquitur Cic. l. 16. Ep. 12. *quam sapienter; aut quàm fortiter vrbem reliqueramus, nihil attinet disputare*, Gall. *Il ne sert rien d'en disputer.*

Bidentium.] Grammatici tradunt bidentes ita dici, quasi biennes interiectu literæ *d*, ad euphoniam, vt in *redintegro* ac *redeo*: cuius ætatis duo insignes dentes sunt indices. Sed vtraque origo potest retineri, vt bidens etiam Græcè definitur διετὴς ὄις διὰ τὸ δύο δοντα ἔχειν· i. *quòd bidens sit ouis, duos annos nata & duobus dentibus prædita.* Ex Nonio tamen & Agellio l. 16. c. 6. & è Macrobio 6. Saturn. c. 9. bidens est quæliber bestia bima, nedum ouis.

Marino rore.] Ros marinus planta est coronaria, de qua Dioscorides l. 3. c. 89. quam Galenus appellat λιβανωτίδα στεφανοῖς χρήσιμον, Romanis satis notam. Gallicè *rosmarin.*

Myrto.] De myrto dictum fuit Ode 9. l. 1.

Immunis.] Plin. scribit l. 18. c. 6. ad vbertatem frugum plurimùm innocentiam agricolarum valere: *honestis*, inquit, *manibus omnia latiùs prouenirunt.* Idem docet Plato in Alcibiade: *Deos integritate animorum ac precibus placari*, nec pretio rerum ipsis oblatarum, sed purâ offerentis manu capi: de quo sic Ouid.

Sed tamen, vt fuso taurorum sanguine centum;
Sic capitur minimo turis honore Deus.

Hoc quidem congruenter dicitur Euangelio Luc. 21. ἡ χήρα ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων ἔβαλε, Christus dixit. *Verè hæc paupertina vidua misit in gazophylacium amplius quàm omnes diuites.* Vox autem *immunis* proprie valet Festo vacans munere & nullo fungens officio & onere publico: quod Græcè dicitur ἀτελὴς, & immunitas ἀτέλεια: vnde dare immunitatem alicui communiter à Græcis & Latinis

enunciatur δι' ὅλου τοῦ πολέμου τινί: Hinc *belli & operum immunes*. Sed hic accipiendum *immunis* exemta vitiis & vacua flagitiis ac scelerib. inculpata, innoxia. Gall. *Qui n'est coulpable de vice & meschanceté*. Mitto alias expositiones.

Aram tetigit.] Qui sacris operabantur aram manu tenebant: vnde Virg. *Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.*

Blandior hostiâ.] Sumtuosâ hostiâ Lambino casus est auferendi significans caussam, pro, ob sumtuosum sacrificium, non comparationem, & τὸ *blandior* sumendum διὰ τῆς ἀντιπτώσεως, pro blandiùs, faciliùs & gratiùs. Itaque ellipsis τοῦ *quam* est explenda, vt sit hic sensus: si tua manus innocens tetigit aram, ob illam sumtuosam victimam non meliùs tua, inquam, manus mollibit Penates auersos, abalienatos & iratos, quàm ob molam farre & sale aspersam. Henricus tamen Stephanus mauult τὸ *sumtuosa* esse rectum verbi *mollibit*, & habere τὸ *a* longum vi duplicis consonæ sequentis, quod magis probo. Quod autẽ hîc dicit Poeta *placare Lares, mollire Penates*, Terentius enunciat in Phor. Act. 2. Sc. 1. *At ego Deos Penates hinc salutatum domum deuortar*: & Virg. 12. Æneid. *Tum verò augurium Rutuli clamore salutant.* quod Seruius interpretatur, *venerantur*, ac propriè Deos salutari scribit, citans hunc Comici locum. Quanquam Ode 4. lib. 2. de Penatibus multos citaui scriptores; huc tamen addam suos cuique ciui ac patrifamilias Deos fuisse in aliqua parte domus, quos ipse omnisque familia priuatim colerent: vnde dicũtur Ciceroni 2. de nat. Deor. à penu, aut ex eo, quòd penitus insident, & inde vocantur penetrales. His ara & focus consecratus erat: vnde pro aris & focis pugnare dicuntur, qui pro carissimis quibusque rebus pugnant. De quibus sic Cicero pro domo sua: *Quid est sanctius? quid omni religione munitius, quàm domus vnius cuiúsque ciuium? hîc aræ sunt; hîc foci; hîc Dij Penates; hîc sacra religionis ceremoniæ continentur; hoc perfugium ita sanctum omnibus, vt inde eripi, tanquam ex asylo, neminem fas sit.* Fuerunt quoque Penates, Laresque publici, de quibus Dionys. Halic. l. 1. vnde priuata & publica sacra. *Mollibit* autem verbum veteres flectebãt, vt multa verba quartæ coniugationis in futuro per *bo*, sicut *audibo, mollibo*, pro *audiam, & molliam*: quâ coniugatione Terentius vtitur in Phor. Act. 5. Scen. 1. *Nemo ex me scibit.* Item Plautus in Captiuis: *Quod quum scibitur, per Vrbem videbor.*

Saliente micâ.] Ellipsis est vocis *salis*, cuius vim epithetum *saliente* indicat, i. far reddente salsum: vnde mola salsa & sale condita dicebatur: non autem eam vim, quum candentes carbones sale aspergũtur: cuius fit resultus quidam & crepitus.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile nonæ l. 1.

[a] Metaph. est ab animantib. Deinde metonymia pro tempore Lunæ primùm apparentis, quæ Græcis est νεομηνία. Præterea in *siture* est anaphora.

[b] Synecd. est generis pro primis fructibus vel primitiis frugum, quæ nominantur proximis quattuor versibus.

[c] Meton. est caussæ αὐτὶ νόσων λοιμικῶν, pro morbis ab eo incussis.

[d] Τὸ *sterilem* per metonymiam contrariam effecti pro efficiente steriles segetes & infructuosas, ac sterilitatem inducente.

[e] Synecdoche est generis; vt annotatum fuit antè Ode 18. Quibusdam tamen ἀνωφελῶς pro liberis caris.

[f] Synecd. integri pro membro, id est, auctumno anni parte.

[g] Meton. continentis pro contento illic sanguine, quo imbuetur culter sacrificij.

[h] Synecd. generis pro Laribus & Penatibus. Pietas hîc per metaphoram ab animatis ratione præditis tribuitur inanimo. Hæc autem sacrificandi ratio sumta est è Pythagora, qui non aspergeret aras sanguine: sed hymnis, farre, ture, placentâ Deos placaret, vt ait Philostratus l. 1. & Cic. 3. de nat. Deor.

ODE XXIV. IN AVARVM.

Theticum.

Quòd insanâ cupiditate homo auarus miserrimè viuat.

INtactis [a] opulentior
Thesauris Arabum, & diuitis [b] Indiæ,
[c] Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum:
Si figit [d] adamantinos
Summis verticibus dira necessitas
Clauos: non animum metu,
Non mortis laqueis [e] expedies [f] caput.
Campestres melius Scythæ
(Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos)
Viuunt, & rigidi Getæ:
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & [g] Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annuâ:
Defunctumq; laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
[2] Illic matre carentibus
Priuignis [h] mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero:
[3] Dos est magna, parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere [k] castitas:
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
[4] O quisquis volet impias
Cædes, & [m] rabiem tollere ciuicam:
Si quæret [n] pater vrbium
Inscribi statuis, indomitam audeat
[o] Refrænare licentiam,
Clarus posigenitis: [s] quatinus, heu [p] nefas!
[9] Virtutum incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
[6] Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa [s] recidetur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? [7] si neq; feruidis
[t] Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus.
Durataq; solo niues
Mercatorem abigunt? horrida callidi

Vincunt

Vincunt æquora nauitæ?
8 u *Magnum pauperies opprobrium iubet*
Quiduis & facere & pati,
Virtutisq; viam deserit arduæ!
x *Vel nos in Capitolium,*
Quò y *clamor vocat, & turba fauentium:*
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum si bene pœnitet,
9 *Eradenda Cupidinis*
Praui sunt z *elementa: & teneræ nimis*
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venariq; timet: ludere doctior,
aa *Seu Græco iubeas trocho,*
Seu malis vetitâ legibus aleâ.
Quum per iura patris bb *fides*
Consortem socium fallat & hospitem,
Indignoq; pecuniam
Heredi properet. 10 *Scilicet* cc *improba*
Crescunt diuitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Analysis Dialectica.

DEmonstratur hæc quæstio, *quòd insanâ cupiditate homo miserrimè viuat*, primùm argumentis diuersis: *licet*, inquit, *opum magnitudine, diuitiarum multitudine, & Fortunarũ amplitudine superes Indos & Arabas; non tamen effugeris mortis necessitatem*, vt causſam violentam & ineluctabilem. Hoc autem argumenti genus quaternis versibus dicolis continetur, & ad hæc verba, *Campestres, &c.* collatione minorum cõfirmatur: *Quod Barbari Scythæ & Getæ sine magnificis tectis, epibusq; tantis melius viuant, quàm tuò Romane auare & luxuriose.* Non dissimilis est compellatio apud Curtium lib. 7. in oratione Scytharum ad Alexandrum, *Quid tibi diuitiis opus est; quæ te cogunt esurire? Primus omnium satietate parasti famem, vt quò plura haberes, amplius, quæ non haberes, cuperes.* Hæc apodosis è priori quidem parte superioris diuersitatis, vbi inclusa est quædam vis minorum, sic explenda est. Protasis autem adiunctâ varię habitationis & agricolationis alternæ ratione augetur. Vbi rursus totidem versus consumuntur.

2 Eadem propositio declaratur præclaris Scythicę nouercæ, ac cuiusque coniugis factis.

3 Illa Scythicarum mulierum fidelis constantia è causſis procreantibus & conseruantibus explicatur: quòd ab optimis parentibus & educatæ & institutæ fuerint tales coniuges, in quo etiam quaterni versus alij dicoli consumuntur.

4 Quarta est periodus sed versibus octo terminata, vbi videtur Poeta argumentari à causſis ad effecta hypothetic&s dispositis, dum fontem aperit gloriæ immortalis hauriendæ, quam sanè consequeris, inquit, si patriam omni vitiorum genere contaminatam elueris: vbi videtur tacitè Augustum monere, vt, quum ciues in officio legibus non possit continere, id maturè tentet gladio & ense efficere.

5 Confirmatur propositionis antecedens è loco diuersorum: *Consequetur quidem non præsens, sed futura gloria talem correctorem.* Huc spectat quod Senec. de gloria scribit Epist. 79.

6 Videtur posteris duodecim versibus consequens connexæ propositionis antecedentis negari atque dilatari, quæ fuit huiusmodi: *Si quis velit posteris gratam sui memoriam relinquere; audeat insolentiam hominum & peccandi licentiam reprimere: atqui nemo id tentare, nedum præstare audet: nemo igitur studet nomen suum immortali gloriæ cõsecrare: & quamdiu vitia manent inulta & impunita, fiúntque omnia pecuniæ causſâ*, vt docet Isocrates in Areopagitico, *semper mali mores bonis legibus officient, atq; inæ frustra latæ videbuntur.* Ideo Aristoteles lib. 4. Politic. ἀκ ἐστὶ δίκαιον τὸ εὖ κεῖσθαι τὰς νόμους, μὴ πείθεσθαι, id est, *non est recta iura & legum constitutio, sancire leges, nisi pareatur.* Quum autem mos & lex maculosum edomant nefas, tunc δίκαιον, ὡς ἁπλῶς λέγεται χαίειν οὐκ ἔστι τὸ βέλτιον πολίων, id est, *firma legis sanctio, vt fundamentum ciuitatum, dicitur illic habitare*: quomodo noster Poeta & Pindarus loquuntur. Si quando & sicubi fuit vnquam huiusmodi querelis de hominum deprauatione locus, certè est hac nostrâ ætate in Arctica Europa: quorum mentes Deus velit pro sua clementia spiritu suo illustrare, & ad metanoeam citò reuocare. *Sed prò Curia, inuersiq; mores:* Verissimum est illud Platonis à Strab. lib. 6. de Thuriis vsurpatum, ὅπου παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, κ) δίκαι πολλαὶ κ) πονηροί· καθάπερ κ) παρ' οἷς ἰατροὶ πολλοὶ, κ) νόσους εἰκὸς εἶναι πολλὰς. *Apud quos multæ sunt leges, apud hos etiam lites malosq; mores esse, quemadmodum etiam apud quos sunt multi medici, multos etiam morbos inesse par est.*

7 Vim ostendit cupiditatis, quâ homines incensi audent etiam ea tentare, quæ natura ipsis negauit, vt commeare ad zonas cæli & climata æstu & frigore ἀπρόσιτα κ) ἄβατα *inaccessa.*

8 Ratio tam periculõsæ nauigationis & peregrinationis petitur è loco efficientium violentarum. Quòd metus paupertatis, cupiditas plus habendi, quam πλεονεξίαν Græci vocant, impellunt homines ad quiduis subeundum, ac de via virtutis, quam obfirmare & persequi debuissent, declinandum. Originem talis cupiditatis Cicero lib. 4. Tuscul. sic aperit, *Quum est concupita pecunia, nec adhibita continuò ratio, quasi quædam Socratica medicina; quæ sanaret eam cupiditatem, permanat in venas, & inhæret in visceribus illud malum, existitq; morbus & ægrotatio, quæ auelli inueterata non possunt: eiq; morbo nomen est auaritiæ.*

9 Quasi iam χ' τῷ ἔξω μετάνοιαν πνα satis cupiditas fracta & domita videretur auaris, si vel in ædem Capitolinam aurum, argentum, gemmas importarent religionis ergò consecranda, vel alioqui asseruanda potiùs, quàm perdenda vulgi iudicio, (quemadmodum dicitur Augustus apud Suetonium *vnâ donatione contulisse in cellam Capitolini Iouis 16. millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quingenties*) vel in mare proiicerent sapientum consilio, Poeta docet non satis esse ad veritatem resipiscentiæ opes iam partas vel Diis consecrare, vel perdere: sed fomitem insanæ cupiditatis in ipsorum animis restinguendum esse, ac iuuentutem maturè studiis asperioribus formandam: quæ vires corporis alant, & animos maiores faciant ad communes Reip. casus leuandos: atque ad eandem à mollibus contrà ludis exercitationibusque delicatis Græcorum, ad animos ipsius effæminandos tantùm accommodatis, reuocandam. Pindarus Νεμεσ. ια. quòd Aristagoras nunquam è sacris certaminib. Olympicis, Pythicis, Nemiacis, Isthmiacis victoriam retulerit, in huius culpam conuertit ipsius parentes,

Ἐλπίδες ἀκμηπότεραι γονέων παιδὸς βίαν
ἔχραν ἐν Πυθῶνι πεφαδῆσαι κ) Ὀλυμπίᾳ ἀέθλων, i. *quorũ*

Spes segniores, i. timores robur filij
Impedierunt, quò minùs faceret
Periculum certandi in Pythone & Olympia.

Vnde constat, quantum incommodi afferat mollis parentum indulgentia & negligentia liberorum & iuuenum institutioni.

10 Ad dissuadendam Romanis cupiditatem argumentatur postremò è diuersis: *Quamuis*, inquit, *opes cumulentur periurio, fraude, violatâ fide hospitij, societateq; commercij coitâ, quæ relinquantur indigno heredi: deest tamen illi auaro diuiti ac periuro semper aliquid: de quo nunquam potest conquiescere.*

Enarratio Grammatica.

Intactis.] Thesauros (de cuius vocis etymo dicetur Satyr. 6. lib. 2.) appellat intactos plenos & integros, qui nondum senserunt recusi manus furaces Romanorum & aliorum hostium: quomodo Propertius dicit *intactam Arabiam.* Sic autem affatur auarum Romanum: *Tu, ô auare Romane, opulentior Arabibus & Indis licet occupes, &c.*

India.] Lege opulentiam huius regionis apud Strabonem lib. 15. ibique maximè, vbi scribit, οὐδὲν γὰρ ἔτος διείκαδαί φησι τοὺς ἀμφοτέρας κωρὰς ἀνόμβρου· ὥστε διετείαν ἀκ τούτου συμβαίνειν ἀφόρε μηδέποτε τῆς γῆς ἔσης· id est, *nullum inueniri annum vtroq; tempore, hyberno & æstiuo sine pluuia. Itaq; vbertas inde prouenit, quum terra sit semper fertilis & fœcunda.*

Cæmentis.] Id est, ædificia construas in mari Tusco, quasi terra non sufficiat auaro & luxurioso: sed vnde cæmentum dicatur, vide Od. 1. l. huius.

Mare Ponticum.] Varia est hîc lectio. Quidam enim pro hoc legunt *publicum*: alij *Punicum*: nonnulli denique *Apulicum*, quod postremum videtur magis probãdum, quum luxus diuitum Romanorum reprehendatur in occupandis vtriusque maris Italiam alluentis littorib. ad magnificas domos illic construendas.

Figit.] Qui ita figitur, Græcè dicitur vno verbo ἀδαμαντίνῳ, id est, clauis adamantinis vinctus atque compactus. Repete de adamante, quod est annotatum Ode 6. lib. 1.

Dira necessitas.] Quam Euripides dicit in Helena δεινὴν ἀνάγκην, & in Hecuba στερρὰν ἀνάγκην, *rigidam & diram necessitatem*, cui ne Dij quidem resistunt: vnde versus Iambicus, ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δυλοῦται τάχυ· *à necessitate omnia in seruitutem citò redigi.* Hæc autem necessitas fingitur à Poetis mater Parcarum implacabilis, nullisque rebus flectẽda, quam Græci ἀνάγκην καὶ εἱμαρμένην, fatum & mortem fato destinatam appellant, & quam Poeta Ode 35. l. 1. fecit Fortunæ comitem, & pedissequam, & hoc modo armatam:

Te semper anteit sæua Necessitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Gestans ahenâ.

Non animum metu.] Ellipsis est discretiuæ *tamen.*

Domos vagas.] Vnde historiæ tradunt dictos ἁμαξοβίους καὶ ἁμαξοφορήτους, quasi dicas, *in plaustris vitam degentes.*

Ritè trahunt.] Quanquam hi populi vagi errarent, modum tamen seruabant errorum suorum. Rigidi autem hîc vocantur, non tam propter cœli intemperiem, quàm propter vitam duriter & incommodè traductam. Prætereà quòd hic Poeta de Scythis & Getis dicit, id ipsum Cæsar initio 4. comment. de bello Gallico tribuit Sueuis Danubij accolis. *Sueuorum*, inquit, *gens est longè maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Hi centũ pagos habere dicuntur: e quibus singula quotannis millia armatorum bellandi causâ educunt è suis finibus: reliqui, qui domi remanserint, se atq; alios alunt. Hi rursus inuicem anno post in armis sunt; illi domi remanent. Sic neq; agricultura, neq; ratio atq; vsus belli apud eos intermittitur: sed priuati ac separati agri apud eos nihil, neq; longiùs anno remanere vllo in loco incolendi causâ licet.* Ex his perspicis Historicum & Poetam colludere inter se in descriptione morum vtriusque gentis.

Immetata.] Nullis limitibus distincta ac terminis discreta.

Cultura annua.] Hęc cultura conuenit cum Sueuis, vt iam dictum est, quorum alij militabant, & alternis posteà annis arabant, vt miles, qui vnum annum militauerat, fieret altero pòst arator: & hîc vicissim posteà miles.

Laboribus defunctum.] Id est molestiis liberatum & periculis exemtum: sic Cicero pro Sestio, *vt omni populari concitatione defungerer*, i. liberarer, explicarer seditione. Nam *defungi* Latinis est peragere, & ad exitum perducere, finire, vt vitâ defunctum dicimus, qui illam finiuit & similia passim occurrentia, quale l. 5. Æneid. de Palinuro:

O magnis tandem Pelagi defuncte periclis. i.

Seruio liberate: nam dicimus functos officio, qui officia debita compleuerunt: vnde & honoribus functi & defuncti mortui, qui compleuerunt vitæ officia. Quidam huic verbo affingunt alteram significandi rationem, vt pro leui conatu sumatur, qui satis sit futuræ reprehensioni excusandæ, ac veniæ deprehenso errori obtinendæ, vt Galli dicunt, *faire quelque chose à la courue & par acquit:* vnde quidam putant hoc in malam partem accipi solitum: contrà τὸ *perfungi* eiusdem notionis & iuncturæ in bonam. Prætereà è Latinis Iureconsultis annotatur *perfunctoriè & defunctoriè*, sed nullum vtriusque verbi exemplum profertur.

Illic.] Hæc commemoratio morum Scythicorũ adhibetur, vt ostendat illos præstare moribus Romanorum auarorum & ambitiosorum.

Mulier innocens.] Antimeria est pro aduerbio, nouerca miscet, & parat innocenter pocula priuignis. Prætereà est ellipsis τῶν *pocula.* Alij generaliùs interpretantur abs quiuis iniuria priuignis inferenda temperat & abstinet: quomodo ferè sumitur tẽperare cum dandi casu, Cic. 4. Ver. *hostibus superatis oportet temperare.* Nulla nouerca in Scythia priuignis nocet: nulla vxor quamlibet dotata imperitat suo marito, nec se credit amatori vnguentum olenti, *elle ne s'addonne à vn muguet.* contrà intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives ait Iuuenalis. Τὰ *innocens & innoxius* sic Grammatici distinguunt, vt ille re & opere nõ noceat: hic ne animo quidem norit nocere.

Dos est magna parentium.] Vox Latina *Dos* videtur deflexa à Græca Δώς, ἡ δηλυκὸς ὄτι, σημαίνουσα τὸ δόσιν, ἢ γίνεται παρὰ τὸν δώσω μέλλοντα, ἀποβολῇ τοῦ ω, καὶ ἔσιν ἄκλιτος, i. *à Græca fœmi. generis, significante donationem & fit à futuro per remotionem posterioris* ω, *& est indeclinabile.* De hoc genere dotis sic Theognis:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι παθέρος καὶ μητέρος ἄμεινον
Ἔπλεθ' ὅσοις ὅσιη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.

Nihil est inter homines patre & matre melius, qui ius sanctum curant & colunt.

Idem Euripides:

Οὐκ ὄζει ποσὶ τόδε κάλλιον γέρας,
Ἢ παῖδες ἐσθλοὶ καὶ ἀγαθοῦ πεφυκέναι,
Καὶ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Non est liberis præmium honorificentius hoc, quàm patre bono & honesto eos esse natos, & parentibus dignum honorem tribuere.

Sed

Sed dos illi futura est malo, qui nulla virtutis habitâ ratione argentum accepit, simulque imperium dote vendidit, vt posteà seruus vxoris suæ, nõ dominus habeatur. Virtus igitur parentum magna dos est liberorum, præsertim quum ad eam cura hos erudiendi ad omnes honesti partes accesserit. Neq; enim aliter virtus parentum (nisi fortè naturalem quandam corporis præstantiam intellexeris) potest transfundi in liberos: quæ diuino afflatu, doctrinâ exemploque viuendi honestè paratur.

Pretium mori.] Id est, adulterium morte multatur: pro hac phrasi D. Paulus dicit cap. 6. ad Rom. sub finem insigni metaphorâ, τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος, id est, *auctoramenta & stipendia peccati, mors est*: quam certè ignorarunt scriptores profani. Hic igitur scribit Poeta, coniuges Scytharum probè sciunt fidem suis coniugibus maritis aut seruandam, aut si illam violauerint, pœnam capitis sibi paratam. Vocem autem *pretium* Donatus Act. 3. Scen. 5. Andr. sic distinctione declarat: pretium pro stultitia pœna est, pro virtute præmium, id est, honor & lucrum. Ita generalis illius notio pro re bene aut malè facta è subiectis discernenda est: sic pretium pro pœna est τῶν μίσων, vt Græci τιμωρίαν pœnam vocant ἀπὸ τῆς τιμῆς.

Ciuicam.] Hoc epithetum, vt *Hostilius*, est Poeticum, sicut τὸ *ciuilis* & *hostilis* Oratoria, de quibus repete notas in Oden 1. lib. 2. ad verb. *motum ciuicum*. Huc tamen accedat, quod sine discrimine alterum pro altero interdum vsurpetur. *Seneca* lib. 1. de *Clementia* cap 26. *felicitas illa (est,) multis salutem dare, & ad vitam ab ipsa morte reuocare, & mereri ciuicam clementiâ, nullum ornamentum principis fastigio dignius, pulchriusq;, quàm illa corona ob ciues seruatos.* Quod autem hîc Seneca dicit *ciuicam*, sine subsstãtiuo, id est familiare Plinio & Tranquillo, quum loquuntur de corona ciuica, olim dari solita ei, qui ciuem in prælio conseruasset, tanquam vitę ac salutis receptæ testem, quam *Virgilius* lib. 6 Æneid. vocat ciuilem quercum: de qua *Agellius* & *Plutarchus* in problem.

Audeat.] Bene audeat, vt rem arduam & difficilem aggressurus, cuiusmodi est illud 8. Æneidos: *Aude hospes contemnere opes.*

Clarus.] Legitur hîc etiam *carus post genitis* id est, posteris, vel potiùs postumis. pro postremis, vt *extumus* pro *extremus*, sicut aliàs docuimus in scriptura vocis postumus corrigenda: quales Græci vocant ὀψιγόνους ἢ μεταγενεστέρους: sed τὸ *postgenitis* videtur quibusdam dictio potiùs per ὑφὲν iungenda, id est, per subunionem & coitionem, vt apud Lucretium *semper florentis honoris*, & Terent. Act. 1. Scen. 2. *Heri semper lenitas.* & Virgil. Æn. 1. *Non ignari sumus autè malorum*, quàm disiuncta. Præterea in *clarus postgenitis* ellipsis est verbi *fit erit* vel futurus est posteris clarus & celebris.

Quatinus.] Hæc vox ætiologica est pro *quoniam.*

Virtutem.] Hæc sententia translata est è Neoptolemo Mimnermi, vt Stobæus refert sermone 124. in defunctos:

Δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν ἀχλεεῖ
Ζῶντι φθονοῦσι κατθανόντα δ' αἰνέσαι.

Acriter quidem nos omnes claro viuenti viro inuidemus: mortuum autem facile laudamus.

Item Persius Satyr. 3.

Virtutem videant, intabescantq; relictã.

Longè aliter sapientia Salomonis præcipit capite 4. περὶ τῆς ἀρετῆς ἀφθόνει, id est, *de virtute inuidentiæ experte.* Ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς· ὅτι καὶ παρὰ Θεῷ γινώσκεται, καὶ παρὰ ἀνθρώποις· παρεῖναι τε μιμοῦνται αὐτὴν καὶ ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν, καὶ ἐν αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πεμπόμενον, τὸν τῶν ἀμιάντων ἆθλον ἀγῶνα νικήσασα, id est, *immortalitas enim est in memoria ipsius, vel inuersâ syntaxi, memoria ipsius virtutis est immortalis: quia & apud Deum nota est & apud homines: quam (hi) præsentem imitantur, & desiderant à se (alibi) profectam: quæ etiam sibi bene conscia triumphat in hac vita, coronam gestatura & præmia certaminum marcore carentia reportatura.*

Sublatam.] Sic loquitur Epist. ad Pisones:

—— *Multaq; tolles*
Ex oculis quæ mox narret facundia præsens.

Pro quo Cicero 3. de natur. Deorum dicit, *ab oculis aliquid seuocare.* Et Virg. Æneid 1.

Eripiunt subitò nubes cælumq; diemq;
Teucrorum ex oculis.

Et Græci per verba, καταρυπᾶν καὶ ἀφαιρεῖν τινὰ ἐξ ἀνθρώπων.

Culpa recidit. &c.] Sic loquitur Seneca li. 2. de Ira. cap. 18. *difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt*, pro *culpam recidi* dicet Satyr. 3. li. 1. *vitium excidi & delicta supplicio coerceri.*

Supplicio.] Isidorus libro 5. cap. de pœnis tradit τὸ *supplicium* propriè dici, non quo quis punitur, sed qui ita damnatur, vt bona eius consecrentur, & in publicum redigantur: ideoque supplicia dici supplicamenta. Hæc profectò, vt propemodum omnia, quæ Isidorus scripsit de origine verborum, è Commentarijs Seruij in Virgil. depromta sunt. In hunc autem versum Æneid. 1.

Tecta simul Diuûm templis indicit honorem:

Hæc, inquam Seruius annotat de supplicio: *id est, iussit supplicationes fieri, & bene indicit: quia Troiani inopinato venerant, feriæ aut legitimæ sunt, aut indictæ. Illæ autem indici dicuntur: quia paupertas ex maiorum collatione sacrificabat; aut certè de bonis damnatorum: vnde & supplicia dicuntur supplicationes: quæ sunt de bonis supplicia passorum. Salustius, in supplicijs Deorum magnifici.* Idem, *non votis, neque supplicys muliebribus auxilia Deorum.*

Hinc etiam sacrum & venerabile & exsecrandum intelligimus: quia res sacræ de bonis exsecrandorum *fiebant*: & vtraque vox, *supplicium*, & *sacer*, κυρίως καὶ προπικῶς sumi potest: quam vocum immutationem Procategoriæ Aristotelis obscuratunt nomine homonymiæ, vt præmonitum fuit in præfatione totius operis & initio Rhetor. Odes 1. lib. 1.

Moribus.] Videtur hîc, vt in *artibus*, requiri vis vtriusque caussæ ad cuiuslibet rei integritatem & perfectionem, vt ars, siue lex, siue præceptum, siue denique formula constituatur: deinde ad ipsius normam dirigatur. Omnisq; humanæ vitæ actio referatur; mores autem Græci vocant ἤθη, quo quidem nomine significantur virtutes, vitia, omnesq; habitus & affectus animi. Itaq; Fabius Quintil. lib. 6. existimat sermonem Romanum nomine similis facultatis carere.

Latus.] De latere mundi finitimo Boreæ, non autem simpliciter de latere Boreæ, quem Seruius scribit è l. 11. Plinij flare inter septentrionem & exortum solstitialem, vt iam Ode 3. lib. 1. annotatum fuit.

Abigunt.] Supplenda est præpositio *a* cum suo casu, à periculis mercaturæ per inaccessa faciendæ, pro, si non prohibent mercatorem periculosâ & sordidâ negotiatione.

Callidi nauita.] Cicero 3. de nat. Deor. sic hoc epithetum geminâ definitione declarat: *Chrysippus tibi acutè dicere videbatur, homo sine dubio versutus & callidus. Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autem, quorum, tanquam manus opere sic animus vsu concalluit*, id est, obduruit.

Deserit.] Huic opponitur *redire in viam* Act. 1. Scen. 2. And. *vt recipere se ad bonam frugem* in orat. pro Cęlio quasi deuium reducere in rectam viam, & ab errore reuocare, vt ille resipiscat.

Materiam.] Hoc Græci vno verbo efferunt πλοῦτον ἀρχὴ κακοῦ· qualem diuitiarum efficientiam sic Chilon pernouerat: Πλοῦτος κακίας, ἔφη, μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὄρεξις ὑπηρέτης· Τί δέ πλοῦτος; Θησαυρὸς κακῶν, ἐφέδιον ἀτυχημάτων, χορηγία πονηρίας· i. *Diuitiæ magis sunt administræ improbitatis, quàm honestatis. Quid sunt diuitiæ? thesaurus & cumulus vitiorum, collecta viatica multis ærumnis, suppeditatio nequitiæ.* Vnde Menandri sententia:

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς.
Præstat honestè egêre, quàm turpiter abundare.

Huius autem rei affert Syrachides rationem, cur diuitiæ obsint: *Diuitiæ sunt*, inquit, *ei bonæ, in quo non est peccatum*, id est, qui scit illis bene vti: *& paupertas mala in ore impij*, sicut monuimus Ode 2. huius. Quamobrem poetæ diuitias volunt assiduas esse comites virtutis, atque in his Pindarus εἰδ. Ε. Πυθ. initio canit,

ὁ πλοῦτος ὑρυσθενὴς
ὅτάν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ βροτήσιος αἰὴρ,
πότμος παραδόντος αὐτὸν, αἰώνᾳ, id est,
Diuitiæ (sunt) magni roboris ac momenti,
Quum quis vir mortalis virtute purâ illas
Auget, permittente fortunâ.

Quod Callimachus sic explicat in hymno ad Iouem,

Οὔτ' ἀρετῆς, ἄτερ ὄλβος ὁπόσα πω ἄνδρας ἀέξει
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο, id est,
Neq; diuitiæ sine virtute possunt viros facere auctiores,
neq; virtus absq; diuitijs.

Idem sentit Hesiodus sub finem operum & dierum,

Πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ. id est,
Diuitias autem virtus & gloria sequuntur.

Sed huius poetæ vtriusq; sententiam sic Stoici negant, vt mordicus virtutem se ipsa esse contentam, & in eadem omnia posita tueantur: ideoque Seneca: vt præmonitum fuit in Gram. Od. 22. l. 1. ad verbũ *eget*, scripsit sapientem virtute præditum, se ipso contentum esse ad beatè viuendum, nec vlla re egere, notas loci reuise.

Et teneræ.] Dubitatur hîc à quibusdam, vtris conueniat hanc institutionem attribuere, luxuriosisne & auaris, an pueris? & certè omnem decet ætatem recta institutio atq; occupatio: videtur: tamen ætas puerilis significari, quæ mature informanda est ad virtutem: cuiusque neglecta institutio caussa est, cur respublicæ in perniciem & exitium delabantur. Ideoq; Poeta queritur hîc de peuersa puerorum educatione.

Studijs.] Studium videtur à Græco σπουδὴ ductum, π in τ, vt à λίσση linea *lista* & similia, dictum ἀπὸ τοῦ σπεύδειν *à festinando*, & diligenter aliquid curando, vt Demosth. pro corona: σπουδῆς πολλῆς καὶ βουλῆς ἀγαθῆς τὰ παρόντα πράγματα δεόμενα. *Res præsentes multâ diligentiâ & consilio bono indigent.*

Huius quoque vocis definitionem in Commentarijs Odes 13. huius lib. è. Cicerone notauimus.

Hærere equo.] Id est, equitare rectè, Gallicè *Il ne se sçait pas bien tenir à cheual.*

Ludere doctior.] Hellenismus est, de quo 29. Ode li. 1. *doctus sagittas tendere.*

Trocho.] Trochus propriè est δρόμος *cursus*, & genus ludi puerilis, quo pueri exercebantur, ἀπὸ τοῦ τρέχειν, *à currendo* dictus. Ab hoc Grammatici differre volunt Cimonem. Ἡ μὲν βέμβηξ ἢ βέμβιξ, καθ. ὅτι ὁ ξύλινος δρόμος, ὃν μάστιγι τρέφουσι οἱ παῖδες· i. est Suidæ *ligneus turbo, quem pueri verbere & scutica versant*: de quo sic Virgil. 7. Æneid.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

Qui versus videntur sumti & conuersi ex Epigrammate Græco lib. 3. Epigrammat. sub finem in Pittacum:

Ὅς σ' ἄρ' ὑπὸ πλήγῃσι δοὰς βεμβικας ἔχοντες,
Ἕστρεφον ἀῤῥείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ·
Pueri verberibus habentes citos turbines versabant in triuio lato. Turnebo tamen non placet hæc de puerili turbine expositio, admonito, credo, à vetere quodam interprete vel in hunc Poetam, vel in hunc Propertij vers. lib. 3.

Increpat & versi clauis adunca trochi.

Vel in hos versus Martialis:

Inducenda rota est: da nobis vtile munus:
Iste trochus pueris: at mihi cantus erit.
Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat vt argutis obuia turba trochis.

In quos Hieron. Mercurialis lib. 3. de Gymnast. hæc annotauit ad distinctionem trochi, qui erat circulus peragi solitus in locis publicis, habens annulos strepitum edentes, vt prætereuntes sonitu ab incursu trochi longè vitando admonerentur. Idem constabat ex ære & claue adunca: quæ certè omnia non conueniunt cum puerili troeho: sed Turnebus rotam interpretatus est, quam sic describit, vt habeat ansam, quò facilius mittatur, axiculisque compacta transuersis iaciatur: quorum clauiculæ & commissuræ aduncæ, dum versabatur missa rota, vel orbis missus, tinniebant & crepabãt. Artis quidem erat mittere scienter. In hanc certè descriptionem quadrat maximè, quod Homerus scribit de Vlysse Phæacas superante missu disci Ὀδυσσ. θ. v. 86. cuius meminimus Ode 8. lib. 1. Quicquid tamen sit, planum est, genus esse exercitationis ac ludi molle & delicatum ad animos iuuenum delicijs ac mollitie frangendos.

Alea.] Hæc vox dicitur de omni ludo, vbi plus fors, quàm ars & dexteritas, valet ad quæstum: eamque ob rem interdictus est legibus, vt, est in titulo de aleatoribus lib. 11. Pandectarum, atque 11. Codicis & 2. Phil. & in milite glorioso Plauti, *vt ne legi fraudem faciant talariæ.* Gallicè *quilz ne contreuienant au sent de la loix contre les ioueurs dedez & de cartes en s' arrestant aux motz.* Aleam autem Græci dicunt κύβον, vt Plutarch. in Coriolano, ἕκτον κύβον ἀφιέναι, & in Cæsare: Idem ἀναίσιμον κύβον, *extremam aleam experiri, aleam iacere*: quam Ode 1. lib. 2. periculosam & alibi præcipitem vocat.

Properet.] Hoc verbum μεταφορικῶς sumitur, pro, conficiat properè & maturet colligere & comparare ingentem possessionem heredibus, illosq; statim locupletes efficere, vt loquitur Epist. 7. lib. 1.

Explicatio Rhetorica.

METro conuenit hæc Ode cum 3. lib. 1. Initiò est procatalepsis figura sententiæ proœmijs aptissima, vbi Poeta luxurioso & auaro Romano stultè persuaso, diuitem à morte suis opibus posse vindicari, respondet.

[a] Synecdoche est certi & finiti hominis pro incerto & infinito quolibet auaro luxurioso.

[b] Metonymia est subiecti pro diuitum Indorum.

[c] Synecdoche partis pro ædificijs cæmento, id est, calce, lapidibus & ligno constructis.

[d] Metaphora est à duritie adamantis: de quo Ode 6. li. 1. pro firmissimis & solidissimis, quos trabales vocat Ode 35. lib. 1. in descriptione Fortunæ.

[e] *Expedies* metaphora est à vinctis, pro, explicabis & exsolues.

[f] Metonymia, pro, non liberabis vitam tuam metu & morte: vel potiùs synecdoche partis pro, te integrum & incolumem seruabis, qualem Donatus agnoscit in Adelph. Act. 2. Sce. 3. vers. *Illius operâ, Syre, nunc viuo: festiuum caput*, pro, festiuum Æschinum. Similis est tropus Odys. λ. sub finem vers.

Τέλω

Τόϊλω γὰρ κεφαλὴν ἕνεκ' αὐτῶν γαῖα κατέσχεν.
Tale enim caput eas ob res terra detinuit.

vbi versu sequenti totum ipsum Aiacem substituit.

g Metonymia est caussæ pro inuentis ab ea frumentis.

h Synecd. est periphrastica generis pro nouerca.

i Epiphonema, est acclamatio ad commendationem talium morum & vituperationem Romanorum.

k Metonymia est adiuncti pro, vxor casta & deuitãs adulterium est magna dos: quæ scit esse nefas, flagitiosè, libidinosè & intemperanter viuere, contra fidem coniugij, & mortem adulteris pararam. Ignari discriminis, quod est inter tropos & figuras, notant abstractum esse pro concreto, vt quum impietas ponitur pro impijs, scelus pro sceleste: hucq; addunt hac figurâ orationem fieri grandiorem.

l Apostrophe est: conuertitur enim oratio ab auaro ad Reipublicæ & immortalis gloriæ studiosos.

m Synecdochica est periphrasis pro discordia & bello ciuili.

n Sic Cicero κατ' ἐξοχὴν parens patriæ appellatur & ipsi statua erecta est in eius honorem: sic quoque bene meritos de Repub. vocabant: sicut Iulio & Augusto obtigit è Suetonio & Floro.

o Hæc gemina metaphora est à bestijs, pro reprimere nimiam hominum licentiam peccandi.

p Exclamatio est per commiserationem: *Quid nos inuidi odimus viros bonos & virtute præditos, dum supersunt, & nobiscum præsentis lucis vsurâ fruuntur: quos postea ex oculis sublatos desideramus?*

q Duplex est tropus: primùm synecdoche speciei pro quouis bono, siue animi, siue corporis, siue Fortunæ: deinde adiuncti pro quolibet homine illis prædito, vt sententia Mimnermi in Grammat. indicauit. Non alio quoque animo sumus in alia bona: quæ præsentia negligimus; amissa requirimus. Prætereà in *odimus & quærimus* est epistrophe, quanquam posterius non omnino sit in clausula.

r *Quid tristes & quid leges* habent anaphoram eiusdem soni & dictionis repetitione.

s Metaphora à Chirurgis, qui vitiatum membrum resecant: vt reliquum corporis seruetur, id est, si vitia non castigantur: quod ἀπροσώπως dicetur Satyrâ 3. lib. 1. *supplicijs delicta coerceri*: quid dico ἀπροσώπως? id quidem verum est in posteriori verbo; sed in nominibus *culpa & delicta* est metonymia adiunctorum pro hominibus sic delinquentibus, qui supplicijs coercendi sunt.

t Synecdochica est periphrasis plagæ Meridionalis & Septentrionalis: qualis est lib. 1. de nat. Deo.

Terræ maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus: quòd pars earum appulsu solis exarserit: pars obriguerit niue pruinaq; longo solis abscessu: quæ, si mundus est Deus, quoniam partes mundi sunt; Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

u Alterum est Epiphonema, quod Poeta subijcit narratis periculis, quæ hominibus creant auri sacra fames & paupertas. Similis est ferè Virgilij exclamatio in auaritiam Æneid. 3.

— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames!

Similis quoque Martialis in paupertatem Epigram. 11.

O quantum cogit egestas!

x Altera est procatalepsis, quâ occupantur, quæ nõnulli dicerent ad metonymiam indicandam.

y Synecd. est periphrasis vulgi, diuitias magis in Capitolium importari, quàm in mare deijci probantis.

z Sumtum est à primordijs huius vniuersitatis pro caussis insanæ cupiditatis (vt modò dixit *gemmas, lapides & aurum materiam summi mali*. Sic Iuuenalis dicit *elementa vitiorum*: sic quoq; στοιχεῖα Græca translatione dicuntur ab Isocrate ad Nicoclen fundamenta & principia Reip. beatæ posita in humanitate Regum & amore erga subditos ab omni iniuria tuendos: sic denique Timon auaritiam vocauit στοιχεῖον κακῶν.) quæ hîc per metonymiam caussæ significantur: qualis notata est Ode 16. lib. 2. in *Cupido sordidus ausert*, & ibi reddita ratio.

aa In *seu* repetito est anaphora.

bb Metonymia est adiuncti pro patre ipso perfido.

cc Si sumis propriè hoc epithetum; valet improbo & assiduo labore partæ diuitiæ: sin μετωνυμικῶς, quum ex effecto intelligitur efficiens: pro, quæ impellunt homines ad nequitiam: quemadmodum Pindarus dicit πλοῦτον μεγάνορα, q elatos & superbos facit. Od. 1. Olymp. Ita Satyrâ 8 lib. 2. exclamabit: *O diuitias miseras!* Ideoq; D. Lucas ca. 16. Euang. Syriacè vocat Mammonam iniquam. Sed est explicatior hic tropus paradoxo 1. vbi sic Cicero ratiocinatur, nullum bonum cuiquam esse malo: quod quia diuitiæ faciant homini; illas propterea non in bonis enumerandas.

Ibidem: bonum non est id, quod possidetur ab improbis: diuitiæ ab his possidentur: eas igitur minimè ponendas in bonis.

Ode XXV. Ad Bacchvm.

Theticum.

Quòd Bacchi ope laudes Augusti dicturus sit, nullâ humani ingenij facultate sine aliquo numine memorandas.

Vò me Bacche rapis[b] tui
Plenum? [a] quæ nemora, aut [a] quos
agor in specus
Velox mente nouâ? [a] quibus
Antris[c] egregij Cæsaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis[d] inserere & concilio Iouis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus in iugis
Exsomnis stupet Euias,
Hebrum prospiciens, & niue candidam
Thracen, ac[c] pede barbaro
Lustratam Rhodopen: vt mihi deuio
Rupes & vacuum nemus
Mirari libet. [e] O Naiadum potens,
Baccharumq; valentium
Proceras manibus vertere[g] fraxinos,
[h] Nil paruum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenæe, sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Analysis Dialectica.

QVia carmina secessum scribentis & otia quærunt & amplitudo rerum ab Augusto gestarum aliud ab illo Poetæ solito ingenium, ac dissimilem orationis stylum requirit, sicut modestè Horatius sæpè profitetur, opem Bacchi implorat: cui placent inprimis nemora, syluæ, locaq; à strepitu interuentoribusq; maximè vacua, solis stipato Satyris, Panibus, Tityris, Faunis, ac Syluanis; vt tanti herois tantam maiestatem dignis & inauditis Lyræ modis possit celebrare. Itaq; explicatur hæc quæstio, quòd auxilio Bacchi laudes Augusti dicturus sit, primùm efficiente & subiectis, quum iam Poeta videretur ἐνθουσιάζειν *numine diuino afflatus agi Poetica furore* in nemora cuius impulsu virtutes Augusti sanctè augusteque posterorum memoriæ consecrare & in numero Deorum illum collocare instituit.

2 Deinde argumentatur è diuersis: nihil dicturus sum, inquit, popülare, sermone iam tritum & vsitatum: sed quod ita sit ratum, ita nouum & insolens, vt nemo dum illud fando aut audierit aut vsurpauerit.

3 Maiestatem sui instituti similitudine declarat: cuius apodosis est priori loco, protasis posteriori, quæ sic possunt clariùs enunciari: Ego per saltus ferarum errans solus sic miror & libenter facio nemus desertum ac rupes cantu Lyræ inaudito Italiæ resonare; vt Euias vnà Baccharum è somno excitata, cæteraque Thyades experrectæ, & ex edito monte prospicientes repentinaque perculsę admiratione stupeant cernentes Hebrum frigidum Thraciæ, Rhodopen montem quoque niuosum ab Orpheo priùs celebratum.

4 Bacchus describitur è factis è litera satis notis.

5 Repetitur superius argumentum de suo instituto quod licet non possit sine periculo præstari sicut nullum facinus magnum & memorabile fieri: me tamen iuuat, inquit, in tã dulci periculo versari te duce ac fautore. Hoc quidem videtur desumtum ex arte Poetica Aristotelis, διὸ δίφυες ἡ ποιητικὴ ὄφιν ἢ μανικῦ, id est, *Quare ingenioſi hominis Poetica eſt, aut furioſi:* vbi Aristoteles explicat sententiam Platonis, qui censebat Poetas furore mentis concitari, in dialogo Ion: quod quidem certè illi præstare videntur, dum se in personas illas conuertunt, quarum mores & affectus oratione exprimere volunt. Eamq; facultatem διθυραμβικὴν non solùm Apollinis Musis, verùm etiam Baccho acceptam referebant.

Enarratio Grammatica.

Bacche rapis.] Rapiendi verbum ad celeritatem furoris diuini, quam mentem nouam dicit, notandam aptissimum est.

Velox mente.] I.e. concitatus nouo numinis instinctu.

Aeternum.] Pro hoc Pindar. canit πυθ. β. στροφ. γ.

ἑτέροις ὃ κῶδος ἀγήραον παρέδωκε.
Alijs decus senij expers tribuit.

Euias.] Euias deflectitur more patronymici ab Euius, quod est vnum è nominibus Bacchi: de quo Ode 18. li. 1. In his autem epithetis, *insigne recens*, *indictum* est asyndeton.

Hebrum.] De hoc fuit Ode 25. lib. 1.

Exsomnis.] *Exsomnis* adiectiuum & coniunctum idem valet, quod alterum *insomnis*, peruigil & Græca ἄϋπνος καὶ ἄγρυπνος, vel potiùs ἔξυπνος, velut è somno excitatus.

Rhodopen.] Rhodope est mons Thraciæ à regina eiusdem regionis Rhodope dictus, quod aspectu roseo præditus esset. Seruius in vers. Pharmac.

Nunc scio, quid sit amor: durum in cautibus illum
Ismarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes, &c.

Scribit Ismarum & Rhodopen montes esse Thraciæ asperrimos, vbi Orpheus cõsueuerat cantare: sed Bembus libr. de Culice Virgil. ex hac asperitate Ismarum eximit, ac illum coli & vitibus conseri, neutroque genere solùm pluraliq; numero flecti dicit, atque pro eo legendũ existimat, Tmarus, qui mons est in Dodone Epiri non minùs asper & incultus, quàm Rhodope Thraciæ.

Vt mihi.] Particula *vt*, est hîc ὅτι παθητικὴ καὶ θαυμαστικὴ, pro, *quàm vel quantùm iuuat & libet mirari!* id est, quantâ admiratione & voluptate afficior in rupibus spectandis: sed meliùs κατὰ τὴν ὁμοιότητα sumenda est.

Naiadum.] Naiades sunt Nymphæ fluuiales & fontanæ fortasse ἀπὸ τοῦ ναίειν, ab incolendo: alij volunt ἀπὸ τῶν ναμάτων à laticibus vndarum: alij ἀπὸ τῆς Νήϊς, monte Ithacæ Νήϊαδας Nymphas dici.

Fraxinos.] Fraxinus Græcè μελία, δένδρον ὅτι γράειμον, ait Dioscor. lib. 1. cap. 109. vnde μελίνδρον δόρυ, *fraxinea hasta*, qualis prælonga fuit illa Achillis, vnde Ouidius: *& fraxinus vtilis hastis.* Videtur autem dici ab asperis locis & confragosis, vbi docilis est feliciter nasci. De hac arbore lege Plinium lib. 16. cap. 13.

Dulce periculum.] Simili antithesi dixit Ode 12. li. 2. facili sæuitiâ, pro periculum voluptate temperatum.

Leneæ.] Lenæus dicitur Bacchus ἀπὸ τοῦ λεαίνειν, *à torcularibus*, & hoc ἀπὸ τοῦ λεαίνειν, *à terẽdo & subigendo, vel à mollitẽdo & cõplanando:* vnde Donatus nõ malè deflectit Lenæus à leniendo verbo ferè Græcum λεαίνειν referente. Quanquam Seru. initio Geor. 2. ad vers. *Huc pater ô Lenæe, &c.* id reprehendat hoc modo: *quod Donatus dicit Lenæum ab eo, quod mentem leniat, nominari, non procedit: nec enim potest Græcum nomen Latinam etymologiam recipere*, sed enim, literate Serui, Donatus, vt pro eo respõdeam, magis respexit ad Græcam originem verbi Latini *lenire*, vt iam dixi, quam ad Latinam.

Cingentem.] Potest hoc de Poeta dici, vt sit, periculum est dulce, si ego sequar cingens tempora, &c. vel etiam de ipso Deo, qui Vati, vel sibi, cingat tempora pampineis sertis. Θεὸν ἄναγε χλοερᾷ πεπυκασμένον· *Deum viridibus pampinis circum vestitum.*

Explicatio Rhetorica.

IDem est metrũ proximè antecedenti. Initiò est ἀναμοίνωσις, sententiæ figura, quâ deliberat cum Baccho.

[a] In his casibus varijs eiusdem originis est polyptoton, σχῆμα λέξεως.

[b] Metonymia subiecti, pro, tui numinis & diuinitatis.

[c] Notata fuit iambis hæc metaphora: primùm Od. 6. lib. 1. ad vers.

Laudes egregij Cæsaris.

Deinde Ode 5. lib. 3. ad vers.

Egregius properaret exsul.

[d] Metaphora est hyperbolica à plantis, de qua fuit Ode 1. lib. 1.

[e] Allegoria est è metaphoris à viatoribus, pro Orpheo alijsque Poetis, qui versibus suis hanc regionem celebrârunt & pro Horatio Lyricas Odas & inusitatas in secessu Latinis canente.

[f] Non est hîc apostrophe, vt quidam malè annotârunt, quum sermo ab eo, quicum fuerat institutus, minimè ad alium auertatur.

[g] Synecdoche est speciei, pro, quæ Bacchæ possunt subuertere ac subruere editissimas quasq; arbores.

[h] Simplex est anaphora.

ODE

Ode XXVI. Ad Venerem.

Theticum.

Quòd ipsius ætas iam emerita debeat prioris muneris vacationem habere.

[1] *Vixi puellis nuper idoneus,*
Et [a] *militaui non sine gloria:*
[2] *Nunc arma, defunctumq; bello*
Barbiton hic [b] *paries habebit:*
[3] *Læuum marinæ qui* [c] *Veneris latus*
Custodit. [d] *Hîc hîc* [e] *ponite lucida*
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis foribus [f] *minaces.*
[4 g] *O quæ beatam Diua tenes Cyprum,*
[5] *Memphin carentem Sithoniâ niue*
Regina [i] *sublimi flagello*
Tange Chloen semel arrogantem.

Analysis Dialectica.

HOc propositum, de vacatione soliti muneris Horatio concedenda, dissimilitudine explicatur: *Quamdu iuuenis fui*, inquit, *Musas colui & amores cecini.*

2. Antapodosis est: *Nunc alia est ætas & aliæ ingenij vires, quæ postulant immunitatem pristinæ exercitationis, atq; merito eius qui iam ludis iuuentutis defunctus sit.* Ficta quidem mihi videtur & simulata hæc postulatio Lyricæ vacationis, & est hominis potiùs vulnerati amore Chloes, quam tentat cessatione canendi commouere, quàm ætatis & virium imbecillitate laborantis.

3 Contraria redditio dissimilitudinis augetur subiectis, quòd iam fractus & debilitatus suspendit arma consueta in pariete ad Veneris imaginem ac iubet illa insanè amantium arma omnia valere.

4 Considerandæ est hîc mera leuitas amatoris Poetæ, qui modò vale dicere amoribus videbatur: nunc tamen ex eodē loco sumitur eiusdem deprecatio cōtra vetera Chloes fastidia: quam velit aut grauiter à Venere castigari, aut velut languentem exstimulari ad amorē: quomodo Callidorus dicit se exerceri initio Pseudoli Plautinæ, *Sub Veneris regno vapulo, non sub Iouis.*

Enarratio Grammatica.

NVper idoneus.] Id est, non admodum dudum aptus eram choris puellarum frequentandis, & illarum amoribus decantandis.

Defunctum bello.] Eâdem formâ dicitur *defunctus curâ, certamine, periculo.* Gallicè *deliure de souci, de danger, de guerre.*

Non sine gloria.] Οὐκ ἄδοξος, ἢ οὐκ ἄτερ κλέους ὡς ἐπὶ τῶν ἁπλῶς, ἀκλεῶς. pro quo Cicero dicit, *cum honore & dignitate pristinum munus obij.*

Barbiton.] Quid sit barbitos & vnde dicatur, vide Ode 1. lib. 1.

Paries.] Hic fuit mos omnibus ferè paganis artificib. suspendendi instrumenta suę artis in templis Deastrorum eidem arti præsidentium. Sic Entellus victoriâ potitus contra Dareten antagonistam suum 5. Æneid.

—— hîc victor cestus artemq; repono.

Sic Epist. 1. lib. 1. cuius exordium à simili huius Odes constat argumento:

—— Veianius armis
Herculis ad postem fixis.

Sic Corydon in Melibœo:

Hîc arguta sacrâ pendebit fistula pinu.

Sic Tibullus:

Pendebatq; vagi pastoris in arbore votum,
Garrula syluestri fistula sacra Deo.

Sic Sappho in Heroidibus Ouidij Phœbo lyram dedicat suam. Sic denique lib. 6. Epig. κφ. γ.

Ὁ γυπαὶς Διόφαντ' ἀνάκλοει θήκατο τέχνης,
Ὡς θήμις, ἀγχάλης λείψανα τεχνοσύνης.
Diophantus piscator posuit principi artis, vt æquum fuit, reliqua pristinæ exercitationis instrumenta.

Veneris.] Qui, inquam, paries custodit partem statuę Venereæ, id est, qui est proximus lateri simulacri Venerei, vel potiùs, quò fulcitur & innititur latus eiusdē imaginis, vbi barbitos affigitur.

Marinæ.] Hoc epithetum ad vocis Græcæ notationem refertur. Ἀφροδίτη γὰρ ἀπὸ τῆς ἀφρῆς dicitur, *orta è spumâ maris:* vnde Πόντια cognominatur ab Euripide & Pausania, vt Ode 3. li. 1. annotatum est: ex qua & præsenti perspicimus Venerem & amorum fœderibus & nauigationum periculis præesse.

Funalia.] Memorantur inter instrumenta amantium funalia, id est, luminaria & faces ad ambulandum ante fores amatarum, quibus amatores vtuntur in delicijs amoribusq; persequendis, de quorum intempestiuo vsu reprehenditur quidam nepos Satyr. 4. lib. 1. *ambulat ante Noctem cum facibus.* De ratione vocis huius lege scholia Seruij in vers. Æneid. 1.

Dependent Lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt

Sunt, ait, *funalia intra ceram*, id est, sunt funes intorti, qui vel cerâ, vel pice, vel sæuo affusi facilè incenduntur & relucent, quos à tortione multorum filorum, Gall. *torches*, nominarunt, & à flamma *flambeaux.*

Vectes.] Ad subruendas fores & perfringendas. Qui vectis, vt vox Græca μοχλὸς οὐ μόνον μηχανῆς ξύλόν τι, ἀλλὰ καὶ ὄχλου, ὁ καὶ ὄμβλης, id est, nō solum est lignum quoddam admouendum, quale descripsimus in Ode 4. lib. 1. de phalangibus: sed est quoque pessulus & repagulum foribus occludendis aptum. Gallicè *Liuier, verron, courrean, Barre.* Vide facetum oppugnationis apparatum Eunuch. Act. 4. Sce. 7. qui fit à Thrasone in ædes Thaidis meretricis.

Arcus.] Quibus amatores illusi arcebant spectatores à fenestris.

Oppositis.] I. e. occlusis & aduersis ingredi volentibus.

Minaces.] Arcus sic dicuntur, quòd formidolosi sint, & incutiant custodib. ædium formidinē. Vnde nō incommodè τὸ *foribus* sumeretur absolutè, quum fores occlusæ seruantur aduersus irruentes atque effractarios.

Memphin.] Ægyptus regio est calida & imbrium expers; mirè tamen fertilis, vbi est Memphis celeberrima ciuitas & ditissima, quæ hodie vocatur *Messer* καὶ τὸ βασίλειον τῶν Αἰγυπτίων, *regia Aegyptiorum* è Strabone li. 17. & Mela lib. 1. cap. 9.

Sublimi flagello.] Ictu elato & graui, qualis est, qui in sublime elatus inde grauiùs in imū demittitur: qui gestus flagellantis exprimitur, dū verberat. Vnde Hebræi

grauitatem pœnæ significaturi, Deum obsecrant & obtestantur, vt malum exaltet & attollat, grauia impijs & maleficijs irrogaturus supplicia. De notione autem flagelli, si Deus voluerit, dicetur Sat. 3. lib. 11. ad hæc verba: *sectêre flagello.*

Tange Chloen.] Posset hîc sumi tangere pro ludere & fatigare, Gallicè, *se mocquer de quelquun & le trauailler:* quomodo Donatus accipit in Eunuch. Act. 3. Scen. 1. vers. 30. *Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio:* quod Græci exprimunt, vt Aristot. lib. 1. de ortu & interitu, verbo ἅπτεσθαι καὶ φέρειν· ἐνίοτε φαμὲν τὸν λυπούντα ἅπτεσθαι ἡμῶν, ἀλλ' ἐκ αὐτοὶ ἐκείνου· *interdum dicimus mœrentem lædere nos, sed nos illum minimè.* Ad hunc sensum spectat illud Virgilij:

—— Nec solos tangit Atridas Iste dolor.

Vnde Chloe dicta sit vide notas in Od. 23. lib. 1.

Semel.] Potest hoc aduerbium referri ad verbum vt simplex ictus satis sit illi Chloæ mouendæ, vel ad participium: quòd anteà non fuerit tam superba, nec tantopere despiceret amatores: ideoque nec priùs castigata.

Explicatio Rhetorica.

ODe est metro similis 9. lib. 1.

[a] Allegoria est è metaphoris à re militari, vbi qui se fortiter gesserant suâ potiùs persuasione, quàm aliorum prædicatione, insolenter gloriabantur: qualis fuit Terentianus ille Thraso, ad virtutem Lyricæ Poeseos indicandam: cuius, præsertim Latinæ, Horatius vult princeps haberi, Sic Ouidius:

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.

[b] Synecdoche generis pro pariete templi Venerei, qui contingit latus sinistrum eiusdem simulacri.

[c] Metonymia subiecti pro adiuncto Veneris simulacro.

[d] Epizeuxis est, continua eiusdem vocis repetitio in eadem sententia.

[e] Apostrophe est, sententiæ figura ad ministros. Sed vnde, roget aliquis, auertitur sermo? Verisimile quidem est priora verba fuisse facta ad omnes amicos de huiusmodi mutatione studij: ne hoc impedit inscriptio.

[f] Quædam est metaphora, vbi cura & sensus datur rei inanimæ.

[g] Altera apostrophe ad Venerem, cui permista est deprecatio, vt Chloen, quæ illum solebat fastidire, telis Cupidinis feriat.

[h] Synecdoche est partis, id est, vnius ciuitatis, pro Ægypto tota regione, quæ niue caret, & quâ Thracia abundat, dicta Sithonia à populis eiusdem regionis.

[i] Allegoriæ species est quædam à perfidis seruis ad insaniam amoris indicandam, & ad reprimendã puellæ arrogantiam vteri gestatione, vel aliâ corporis deformatione & deprauatione: quæ puellis est graue flagellum ad lasciuiam illarum corrigendam: quod supplicij genus videtur à Venere Poeta postulare aduersus Chloen, sicut Cruquius subnotauit. Alij malunt ab aurigis sumtum, qui tardos equos flagris excitant ad maturandum iter.

Ode XXVII. Ad Galateam.

Theticum.

Quòd Galateæ mare Adrianum non sit sub ortum Orionis & Hœdi transeundum: quamuis oscines omnia polliceantur secunda.

[a] *Impios parræ recinentis omen*
[b] *Ducat, & prægnans canis, aut ab agro*
[c] *Raua decurrens lupa Lanuuino*
Fœtaq; vulpes!
Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis [d] *sagittæ*
Terruit mannos! [2] *ego cui timebo,*
Prouidus auspex?
Antequam stantes repetat paludes
[c] *Imbrium diuina auis imminentum,*
Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis [f] *licet felix vbicunq; mauis,*
Et memor nostri, Galatea, viuas:
Teq; nec læuus vetet ire picus,
Nec [g] *vaga cornix:*
[3] *Sed vides, quanto* [h] *trepidet tumultu*
Pronus Orion? ego, quid sit ater
Adriæ, noui, sinus, & quid [i] *albus*
Peccet Iapyx.
[k] *Hostium vxores puerique* [1] *cæcos*
Sentiant motus orientis Hædi, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas!
[4] *Sic & Europe niueum doloso*
Credidit tauro latus, & scatentem
Belluis Pontum, mediasq; fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, &
Debitæ Nymphis opifex coronæ
Nocte sublustri nihil astra præter
Vidit & vndas.
[m] *Quæ simul centum tetigit potentem*
Oppidis Creten, [5] *o Pater ô relictum*
Filiæ nomen, pietasq; dixit
Victa furore.
Vnde? quò veni? [6] *leuis vna mors est*
Virginum culpæ. [p] *Vigilánsne ploro*
Turpe commissum? an vitiis carentem
Ludit [q] *imago*
Vana, quæ portâ fugiens eburnâ
Somnium ducit? [r] *meliúsne fluctus*
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
[7] [s] *Si quis infamem mihi nunc iuuencum*
Dedat iratæ, lacerare ferro, &
Frangere enitar modò multùm amati
Cornua tauri.
Impudens liqui patrios Penates,
[t] *Impudens* [u] *Orcum moror.* [x] *ô Deorum*
Si quis hæc audis, vtinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræq; succus
Defluat prædæ, spectosa quæro
Pascere tigres.

Vilis Europe, pater vrget absens:
Quid mori cessas? aa *potes hac ab orno*
Pendulum zonâ bene te sequutâ
Lædere collum.
bb *Sive te rupes & acuta letho*
Saxa delectant: age, te procellæ
Crede veloci: ni herile mauis
Carpere pensum,
Regius cc *sanguis, dominæq; tradi*
Barbaræ pellex. dd *Aderat querenti*
Perfidum ridens Venus, & remisso
cc *Filius arcu.*
Mox vbi lusit satis, abstinebo,
Dixit, ira rum, calidæq; rixæ,
Quum tibi inuisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Vxor inuicti Iouis esse nescis?
Mitte singultus: 9 *bene ferre magnam*
Disce ff *Fortunam:* 10 *tua sectus orbis*
10 *Nomina ducet.*

Analysis Dialectica.

HVius dissuasionis argumentum, *de se non committendo mari sub ortus Orionis & Hædi*, est è loco dissensionis diuersę. *Pollicentur quidem tibi ô Galatea*, inquit, *superstitiosi quidam coniectores auspicium secundum, quoniam nec parra diri ominis auis, nec canis prægnans, nec lupa raua, nec vulpes fœta, nec denique iaculus serpens obuius vllum conijcere possunt in te omen infaustum: quod ita, vt illi auctores tuæ profectionis tibi persuaserunt, eueniat, equidem Deos oro & obsecro: etsi mauis cum aliis quàm mecum esse: sis tamen memor nostri vbique: sed te in consilium ipsam adhibe, & tuo vel iudicio senties rationem huius malæ tempestatis prohibere te instituta nauigatione.*

2 Prior pars diuersitatis simili argumenti loco approbatur: quod tamen Horatius dissimulat, ne consultò videatur partes dissuadendi suscepisse. Nam apertè pronunciandum fuerat sine insinuatione ac dissimulatione: *Quamuis complures superstitiosi augures prædixerint tibi nauigationem secundam: ego tamen peritus verioris diuinationis, diuersum ab illis prædico futurum.* Huius perspicuę enunciationis loco vota reponit, & preces fundit ad Deos, vt fausta edant auspicia futurę profectionis, auertantque sinistra.

3 Sic se habet vna pars dissensionis prioris: altera sequitur: vbi ostendit constitutionem præsentis cæli, vnde certior diuinandi ratio petenda est, pugnare cum oscinibus faustis, & difficultatem nauigationis confirmat suâ experientiâ.

4 Eadem dissuasio illustratur exemplo, comparatione similium ita breuiter & clarè comprehensa: *vt tu nunc infido vis te committere mari capta cuiusdam peregrini amore: sic Europe blanditiis tauri persuasa magno cum periculo vitæ olim se credidit insanis fluctibus Ponti.* Hîc præposterus est comparationis ordo: qui tamen ferè ita conturbatus reperitur apud cuiusuis generis auctores, vt res modò antecedat, & simile consequatur, modò contrà, sicut aliàs monuimus: sed clariùs ac rectiùs, quod est hîc in protasi, sequeretur: quod autem est in apodosi, præcederet hoc modo: *vt olim Europe in extremum salutis discrimen adducta est Adriâ insaniente: sic Galateam præsentes cæli & pelagi minæ præcipitem eódem acturæ videntur.* Protasis comparationis variis declaratur adiunctis Europes nauigantis. Vnde quidam putant hoc, præsertim ad finem vs[que] Odes perductum, fieri παρεκβολικῶς: quale fuit ar[te] Ode tertia huius libri de consilio Iunonis: quale Ode 5. eiusdem de historia Reguli: quale denique Ode 11. eiusdem de fabula Danaidum: primùm *quòd medio mari perculsa sit incredibili timore:* deinde diuersis ad hæc verba: *nuper in pratis*, &c. *Europe tutò nuper ac studiosè flores legebat in pratis, sertaq; Nymphis nectebat: sed illa nunc nihil horum, nec videt, neque facit.* Itaque sentit, quod Posidippus scripsit: *ὁ μὴ πεπλευκὼς εὐδὲν ἑώρακε κακὸν, qui non nauigauit, nihil vidit mali.* 5 Eadem protasis amplificatur: *quòd tantùm commiserit sceleris in deserendo filiæ honestæ officio ac pia erga patrem, vt iam habeatur & sit indigna naturali, & mutuâ parentis ac filiæ affectione & appellatione.*

6 Flagitium suum exaggerat maiorum collatione: *quòd non satis graues pœnas datura sit neglectæ pietati, si semel tantùm moriatur.*

7 Eódem hæc deliberatio pertinet, & ficta mortis optatio.

8 Inducitur iam Venus, quæ puellam satis ludificata fuerat, ex effectis & adiunctis illam consolans & inuolucrum somnij ac tauri indicans.

9 Argumentum hoc consolationis est, qualia sunt prouerbia & sententiæ communes, in quibus citandis Venus videtur mihi callidæ ac malesuadæ cuiusdam lenæ partes agere, quæ puellam, quam prostituit, de amissa pudicitia querentem tali μαστροπείᾳ καὶ πεζαγωγείᾳ lenoniâ conciliatione sedare solet: *ô puella, tu ter ac amplius felix es, quæ cum tanto principe, cum tam diuue amatore concubueris, si te contineas intra tuam Fortunam.*

10 Ratio est consolationis ex adiuncta memoria perpetui ac immortalis nominis: *quòd totius orbis in tres diuisi partes tertia de ipsius nomine dicetur Europa.* magnum scilicet amissæ pudicitiæ præmium!

Enarratio Grammatica.

Galateam.] Galatea nomen puellæ rusticæ reperio per *t* perinde scriptum atque per *th* vtróq; modo penultimâ productâ: sed apud Theocritum Idyl. 6.

Βάλλε τὸν, Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια
Μᾶλλον, δυσέρωτα τὸν ἄπολον ἄνδρα καλεῦσα.

Petit, ô Polypheme gregem ouium Galatea mâlis, difficilem in amore caprarium virum vocans. Iliad. quoq; σ. in recensione Nereidum initiò scribitur ἀγαλλομένη Γαλάτεια, id est, *Diuina, pulcra ad aspectum:* vnde coniicio sine aspiratione scribendum: siue mauis à diuino lacte nomen deflectere; vt alia sit, atq; Galatea Nympha, Nerei ac Doridis filia, vel potiùs hîc fictum nomen. Sed probabilius est à candore spumæ æquoreæ eam nomen inuenisse.

Impios.] Misera certè fuit Ethnicorum conditio, qui sollicitudine superstitiosâ putarent se obstrictos, nequid propter certos quosdam bestiarum interuentus suscipere auderent. Ita Geta Phorm. Act. 4. Scen. 4. facetè narrat nuptias prodigiis impediri: *quia*, inquit, *monstra euenerunt mihi: introiit in ædes ater alienus canis:* qui portendebat contaminationem tori iugalis futuram: *anguis per impluuium decidit de tegulis:* qui prænunciabat ab altero coniugum venenum alteri apparatum iri: *Gallina cecinit:* vnde coniiciebatur imperium vxoris fore in maritum.

Parræ.] Parra, quæ itidem canit, ponitur ἐν ὄρνισιν ἀποσκόποις, *inter inauspicatas & infaustas aues*, vt apparet ex Asinaria Plauti. *Picus & cornix est a læua, coruus & parra à dextra.* De hac quoque vide Plinium lib. 11. cap. 37. & lib. 18. cap. 29. vbi scribit, auem parram, oriente Sirio, ipso die non apparere, donec occidat. Huius quoq; meminit Paulinus Ausonio Epist. 2.

Si confers fulicas cygnis, & aedona parræ.

vnde perspicis hanc longè cantu differre à philomela,

huius suaui,illius iniucundo. Sed augurium auium fit aut cantu, & ob id dicuntur hæ oscines & occines: aut volatu & alis,vnde alites & aues, cuiusmodi sunt rapaces & præpetes. Hoc auis & alitis discrimen Festus sic statuit: oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, vt coruus, cornix, noctua: alites, quæ alis ac volatu, vt Buteo, Sanqualis, Aquila, Immissulus, Vulturius. Picus autem Martius, ac Feronius & parra & in Oscinibus & in alitibus habentur.

Prægnans canis.] Prægnans propriè est, quæ occupatur in fouendo ac formando semine: fœta autem, quæ iam grauatur fœtu. Epithetum prægnans Donatus in Hecyr. Act. 4. Sce. 4. *neque fuisse prægnantem*, sic notat: vt prægnans sit ante gnatum, vel ante genitricem. Est enim, *præ, ante*: quam Phocylides vocat,

Μηδεὶς ἢ ἀλόχῳ ἐγκύμονι χεῖρα βάλητω.

Nemo suæ prægnanti vxori manum iniiciat.

Raua.] Rauus & rauistellus dicitur Festo color inter flauum & cæsium.

Agro Lanuuino.] Fuit Lanuuium Romæ ciuitas in via Appia.

Vulpes.] Varro lib. 4. vocem *vulpes* scribit dici à pedum volatu, quod & ex vsu venationis & voce altera eiusdem notionis Græca liquet esse falsum, vt recentiores Grammatici annotârunt. ἀλώπηξ enim Αἰολικῶς pronunciatur per digamma, ϝαλώπηξ: vnde facilis est translatio in Latinam. Ratio autem vocis Græca est ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι καὶ ὤπα, ab oculis fallendis, vel simpliciter, vt docet Eustathius, ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι, τοῦ πλανᾶσθαι, *ab errando & vagando*. Epithetum *fœta* idem sonat hîc, atq; apud Virgilium in Tityro,

Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas, i. grauidas. Alibi ponitur in rectione, id est, lib. 1. Æneid sub initium: —*loca fœta furentibus austris*, id est, plena: vbi tales sunt Seruij notæ. Sciendum est autem, dici fœtam & grauidam & partu liberatam. Citatur quoque locus è secundo Æneidos:

—*scandit fatalis machina muros*

Fœta armis, pro, plena hominibus armatis. Festus scribit auspicia non solùm esse aeria, sed etiam pedestria, quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente, equo, & ab aliis quadrupedibus, quæ tali sunt naturâ, quam Pindarus vocat ἦθος ἐμφυὲς, Od. 12. Epod. 1. Olymp. Insiti huic feræ doli, ait Lucretius, vt vulpinari, & Græcè ἀλωπεκίζειν proimponere, seducere & παγεργεῖν, sumantur. Appellatur altero nomine, λαμπυρὶς à candore caudæ, & αἴθωρ, in dicto Pindari loco, à feruore. Ex eo autem calliditas huius feræ cognoscitur, quod Oppianus scribit eam sagaciter curare, vt suam habeat cauernã multis locis longè aliis ab aliis semotis perforatam, ne à venatoribus incauta excipiatur, aut illic obruatur, occluso vnico foramine. Sic enim ille fecit de illa,

Ἐπλαπύλας δ' οἴξασα δόμους, τεκέεσσι χαλίας
Τηλόθ' ἀπ' ἀλλήλων, id est,
Postquam cauernas patefecit foribus septem tribusq;
Cubilibus, aliis procul ab aliis.

Ponitur etiam lepus inter quadrupedes infelicis ominis iuxta sententiam Græcam, φανεὶς ὁλαγὸς δυσυχεῖς ποιεῖ πείσεις, id est, *visus lepus infortunatas facit vias*.

Sagittæ.] Scriptores rei rusticæ, Columella lib. 3. cap. 17. Plinius lib. 17. cap. 21. tradunt sagittam postremam furculi esse partem more sagittæ attenuatam: sed reliqui furculi antecedentes partes esse prauas, nonnihilq; inflexas, quarũ speciem hi serpentes iaculares & acontiæ gerunt. Marc. Ant. Muretus lib. 9. Var. ca. 4. scribit similem Crocodili occursum huic serpentis è lib. 3. Aethiopicõn Heliodori, quem alij, vt sibi familiarem & quotidianum impauidè contemserunt, præter quam quod Calasirie, qui prædixit aliquod impedimentum viatoribus tali occursu portendi: sed id magis superstitione veterum, quàm certi cuiusdam veritate niti. Hoc autem omen, quod ex occursu certorum animalium capitur, Græci vocant ἐνόδιον σύμβολον. Plures coniectandi futura modos vise in Grammaticis Satyræ 5. libr. 2.

Terruit.] Pro, quia vel quum terruit mannos portantes Galateam ad portus. Mannus autem est equus minor, dictus, quòd facilè manibus mãsuescat & ducatur.

Ego cui.] Id est, ego peritus auspicandi, vt nihil tibi metuas ab his ostentis, precabor.

Diuina.] Epitheton θεοτελεστικὸν ἀποτελεσμάτων, *mysticum aliquid præparans & prænuncians futurum*. Sic diuina est cum casu gignendi, vt Græcè Iliad. α. μάντις κακῶν, *vates rerum aduersarum*, pro, cornix præsaga est & præscia pluuiæ futuræ: de cuius ætate fuit Ode 17. huius libri: atque de cantu ipsius vaticinante sic Virg. 1. Georg.

Tum cornix plenâ pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Hîc quidam nomine diuinæ auis intelligunt non cornicem: quia paullò post ipsius fiet mentio: ac præterea nescitur, quare volatus corui ab Oriente sit exoptãdus, priusquam cornix ad stagnum reuolârit, sed ipsum, inquam, coruum censent intelligendum. Sed enim vana est hæc certè tota consideratio.

Suscitabo.] Hoc valet idem, quod prius *fatigari prece*: sed cur hîc non legam, *prece sciscitabor*, verbum ad inquirendam præsensionem aptissimum? vtrumlibet legeris, coruus, vt Deus, colatur necesse est, per summam dementiam.

Oscinem.] Oscines aues erant, quæ voce & ore aliquid designabant futurum: quæ autem idem volatu portendebant, alites & præpetes vocabantur: sed has voces Seruius in Æneid. 3.

Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ.

distinctione ac definitione sic notauit, *Aues aut oscines sunt, aut præpetes. Oscines ore futura prædicunt, ab os & cano. Præpetes volatu significant: præpetes autem ideò, quia omnes aues superiora petunt volantes*, vnde οἰωνοὶ ὑψιπέτεις παροξυτόνως, τοῦτ' ὅτι, εἰς ὕψος πετόμενοι· ὀξυτόνως δὲ, ὑψιπετεῖς, οἱ ἀπὸ ὕψους πεσόντες.

Solis.] Qui volunt, obseruantes captantesque auspicia, spectare orientem, quo statu dignoscant, quid dextrum & quid sinistrum sit, quid anticum, quid posticũ, dissentiunt à Varrone antè citato: quorum, tu Lector, si neutri vanitati fidem habueris, meliùs illis senties. Euenta enim rerum futurarum pendent è prouidentia Dei, cui totos se debent credere Christiani. Faustum autem habebatur si quid ab ortu solis prodiret, vt Sueton. refert in Vespasian. c. 5. sub finem, *superuenisse tertiam aquilam à Solis ortu ac victricem abegisse*.

Sis licet.] Τὸ τῆς μαντικῆς γένος διήρηται εἰς εἴδη τρία, εἰς οἰωνοσκοπίαν, ἀεροσκοπίαν, καὶ τὸ διὰ τῶν ὀνειράτων μαντεῖον· *genus diuinationis in tres dicitur species tributum; augurium vel auspicium, cæli obseruationem, & somniorũ interpretationem*. Cicero tamẽ lib. 2. de diuinatione facit huius duo tantum genera: vnum artificiosum, alterum naturale. Hic autem quasi Poeta rediens ex obseruatione auspiciorũ, nunciat, illa Galateæ secunda fore: quorum tamen fiduciam, insinuatione paullulùm detecta, statim eleuat, grauioris p[illegible]iculi præsentiâ.

Vetet ire.] Hetrusci auguralis disciplinæ peritissimi docebant in hanc scientiam sibi traditos, cælo in partes 16. ab exortu [illegible]uiso, octo ex his sinistras esse prosperas, ideoque fulmina læua in fastis habebantur, quia, vt Plinius scribit, ortus mundi est à læua parte. Item Cicero lib. 1. de diuinat. auctor est, aliis auibus datum esse,

esse, vt à læua ratum faciant auspicium. *Etruria*, inquit, *de cælo tacta scientissimè animaduertit. Eadem interpretatur, quia quibusque ostendatur monstris atque portentis. quocirca bene apud Maiores nostros Senatus tum, quum florebat Imperium, decreuit, vt de principum filiis sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur: ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum.* & paulò pòst, *Etrusci autem, quòd religione imbuti studiosius & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maximè dediderunt: quódque propter aeris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebat: & quòd ob eandem causam multa inusitata partim è cælo, alia ex terra oriebantur: quædam etiam ex hominum, pecudúmve conceptu & fatu, ostentorum exercitatissimi Interpretes exstitèrunt.* Idem 2. de Legibus, *Prodigia, portenta ad Etruscos Haruspices, si Senatus iussit, deferunto. Etruria principes disciplinam docento.* Ea de re videris Valerium Max. lib. 1. cap. 1. Idem Cicero lib. 2. de diuinat. auctor est, *cur à dextra coruus, à siniſtra cornix, facit ratum.* Huc pertinet illud Plauti in Asinaria: *Picus & cornix est à læua, coruus porrò à dextra.* Huc quoque illud Aeneid. 2. vers.

Vix ea fatus erat senior: subitoq; fragore
Intonuit læuum: & de cælo lapsa per vmbras.

id est Seruio, siniſtrum, prosperum: quòd etymo vocis firmatur, quòd siniſtrum à sinendo dicatur, quantum ad auguria pertinet, & nos aliquid agere sinat. Ex Varrone quoque constat lib. 5. Epistolicarum quæstionum: à Deorum sede, quum in meridiem spectes, siniſter est oriens, dexter occidens: vnde perspicimus volatum auis à siniſtra facere auspicium magis ratum & lætum, quàm à dextra. Idem auctor lib. 6. de lingua Latina: *Quæ siniſtra sunt, bona existimantur auspicia, à quo dicuntur comitia, aliúdve quid indici aue siniſtrâ.* Ita Cicero 2. de diuinatione: Haud ignoro, quæ bona sint, nos siniſtra dicere, *vt aue siniſtrâ dictus populi magiſter esto*, lib. 3. de legibus. Sic Ouidius lib. 4. Fastorum fulmina læua scribit conditoribus Romæ felicia fuisse,

Ille precabatur, tonitru dedit omnia læuo
Iuppiter, & læuo fulmina missa polo.
Augurio læti iaciunt fundamina ciues,
Et nouus exiguo tempore murus erat.

Reliquæ autem octo cæli partes dextræ Romanensibus fuerunt inauspicatæ: contrà Græcis ac Barbaris existimabantur auspicatiores siniſtris: vnde sunt apud Homerum crebrò hæc, vt Odyss. ο. δεξιὸς ὄρνις, contrà ibidem, sed υ. ἀριστερὸς ὄρνις, id est, *dextra & prospera auis, siniſtra & infelix auis.* δεξιοὶ ὄρνιθες, id est, ἀνατολικοὶ οἱ ἄνοικοι, ab oriente aues auspicatò profectæ, Odyss. β. de aquilis, quæ

Δεξιὼ ἵπτασαν διά τ' οἰκίας καὶ πόλιν ἀνδρῶν.

Ad dextram volárunt & per ædes & per vrbem ipsorum. De cuius augurij veritate quanquam Scholiaste nullo modo videntur dubitare, ὡς καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Τηλέμαχος ἀναιρήσουσι τοὺς μνηστῆρας, *quòd Vlysses & Telemachus è medio tandem proces tollent*; de illa tamen contendentes duos vates Halitherſen & Eurymachum non parùm iuuabit Lectorem spectare inter lectionem Homeri & Scholiastarum.

Vides.] Non dissimilis est huius admonitio in Toxari Luciani de præcautione tempestatis futuræ, καὶ μοὶ ἐπ' ὀφθαλμοῖν λαβὲ τὼ ἐπιπάσσοντε ἡμῖν κυμάτων. Gallicè, *mettez moy deuant les yeux les flots & vagues & les vents.*

Orion.] Fabulam Orionis atque vocis rationem repete ex Ode 2. lib. 1. & Ode 13. lib. 2. Pronus autem hîc dicitur propter declinationem ipsius ad occasum.

Ater sinus.] Sic appellatur Adria Ode 3. lib. 1. *mare turgidum*, & 9. huius, *improbus Adria.*

Iapyx.] Id est, qui det dãni: de quo vento vide Od. 3. l. 1.

Fremitum.] Hoc Græcè dixeris, τὸν βρέμον θαλάσσης μελαίνης, id est, *strepitum maris nigri.* Verbum autem *fremo* fluxit à Græco βρέμω, sono & strepo, & inde βρόμος καὶ βρόμος, *strepitus & sonitus.* Proprium quoque maris fremere & fluctibus agitari incipientis est τὸ φείσειν, sicut Eustathius annotat in vers. Dionys. Perieg.

Δοιαὶ δ' ἐξείης πεφρίκασι θάλασσαι,

Duo deinceps fremunt maria: τὸ φείσειν, ait Scholiastes, θαλασσία λέξις ἐντεῦθεν δὲ καὶ ἡ φεὶξ, ἡ ἐπιπάσασις τῶν κυμάτων, ὡς τὸ φείσειν αὐτὴ τῶν ὀρθῶν θαι εἰς ὕψος αἴρεσθαι τοῖς κύμασιν, id est, *dictio marina est, è qua deflectitur φεὶξ, eruptio fluctus: vt τὸ φείσειν, pro extolli & in altum vndis euehi.*

Nigris.] Ideò quia nimbi splendorem solis obscurabant: quò pertinet illud Seruij in vers. Aen. 8. sub finem: *Hæc inter tumidi latè maris ibat imago Aurea.* Non est, ait, *contrarium, quòd & caruleam & auream & argenteam maris esse dicit imaginem, quam scimus pro ventorum qualitate mutari & colores reddere*, vt nos etiam Ode 5. lib. 1. monuimus, atque adeò nunc confirmamus è Plinio, quem Seruius etiam appellat in vers. Aen. 5. initiò:

Certus iter. fluctusq; atros Aquilone secabat.
Non est maris certus color, sed pro ventorum qualitate mutatur.

Trementes ripas.] Hîc sic loquens vsurpat τὸ *ripas* pro littoribus, vt Ode 2. l. 1. iam fuit annotatum.

Europe.] Hæc fuit filia Agenoris regis Phœnicum, & mater Minois & Rhadamanti, de qua lege Herodotum & Diodorum lib. 6. & Ouid. 2. Metamorph. Theocritum denique Idyl. de ipsius nomine. Præterea Eusebius inuolucrum fabulæ explicat sic, quum illam scribit à Cretensibus in Cretam naui abductam nomine ac specie insignis tauri.

Scatentem.] Lucret. alia syntaxi dicit Terra scatet ferarum. Item Agell. Vita molestiarum scatet. Græci per Datiuum, γῆ βρύει φυτοῖς καὶ ζώοις, πηγαῖς τε καὶ ποταμοῖς.

Palluit.] Hoc absolutum sumitur ἐναργητικῶς, vt alia eiusdem generis Ode 37. lib. 1. *nec muliebriter Expauit ensem:* vbi duo fortitudinis extrema, i. disparata, timiditas & audacia tribuuntur vni subiecto, quasi dici possit θρασύδειλον. Itaque huiusmodi epitheta non propriè sumenda sunt, sed tantùm ad conditionem quandam temporis accommodanda: vt quæ priùs satis putabat sibi confidere, in periculo pòst versata, desponderit animum. Pticarpax tamen mus in Batrachomyachia queritur se non sic gestari humeris Physignathæ ranæ per aquas, vt tutò taurus Europam tulerat.

Nuper studiosa.] Helleniſmus est, vbi solent Græci participium ἄρτι adhibere.

Nocte sublustri.] Id est, sublucente. Gall. *entreluiſante.*

Quæ simul.] Hæc particula temporis est, non congregationis: in qua ferè desideratur *atq;* vel *ac* pro, *quum primùm*, vsitatissimum apud hunc auctorem, vt Od. 4. l. 1. monuimus. Valet igitur: *postquam Europe in Cretam hecatompolin appulit, cœpit exclamare & queri, ô pater, ô nomen filiæ relictum, ô pietas, vt pœnitentiæ & desperationis commota.* Non autem video, quomodo hîc *numen* pro *nomen* legi possit, vt quidam docent.

Potentem.] Anteà sæpè dixit aliâ syntaxi, *potens Cypri, nauis & fugæ*: nunc *potens oppidis centum*, pro continẽs centum oppida. Ita in Catalogo nauium Iliad. β. Creta nominatur:

Ἄλλοι δ' οἱ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφενέμοντο.

Alq; alij qui circumcolebant Cretam centurbiam.

Victa furore.] Hoc epithetum potest referri vel ad Europen vel ad pietatem amore & insaniâ mentis exstinctam.

Vnde.] Hæc interrogatio non tam de loco fit, quàm de pristino statu: de quo conciderat.

Leuissima.] Hoc τὸ *vna* potest referri ad numerum, vt

videatur Europe plures, quàm vnicam, mortes cõmeruisse: vel ad vnicam sine grauibus pœnis oppetitam.

Turpe.] Id est, infame flagitium, vbi intelligitur substantiuum *facinus*, quod Cicero expressit lib.10.ad fam. *commissum facinus & admissum dedecus confitebor.*

Eburnâ.] Fingunt Poetæ duas esse portas somnij, ac maximè Homerus Odyss.τ. deinde Virgil.Æn.6. vtérque sub finem librorum: Homerus quidem ad hæc verba Penelopes:

Δοίαι γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων.

Duæ sunt debilium somniorum portæ: quem imitatus Virg. est inducens Anchisen sic loquentem:

Sunt geminæ somni portæ.

De his quoque portis Propertius in somnio:

Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Quum pia venerunt somnia pondus habent.

quarum vna est cornea & altera eburnea, sicut Plato dicit in Charmide, διὰ κεράτων ᾗ δι' ἐλέφαντος, *per cornu & per ebur.* Illud est διαφανὲς pellucidum: Ideo somnium per id delatum est quadamtenus verum: Ebur verò quia densum, nihil manifestum reddit, quæ Eustathius variè declarat: quorum verborum, quia paullò prolixiora sunt, interpretationem duntaxat libuit subijcere. *Multi quidem sapienter dicunt ænigmaticum hunc esse sermonem, quo significantur non omnia somnia esse vera. Sed ex his quædam esse vera, alia falsa. Idcirco Poetas vocare corneam portam, vnde vera & certa somnia fiunt, allusione quadam verbi κραίνειν ad cornua, tanquam ὠὸ τῦ κέρας fieret κεραίνω & κραίνω. Sed vocare, inquam, portam eburneam, vnde mendacia & fallacia somnia prodirent, quia ἐλεφαίρειν valet idem, quod fallere: & ita nonnulli pulsant portas somniorum. Alij verò diuersâ notione dicunt corneam portam esse veram & pellucidam, sed eburneam, obscuram & confusam: quia per cornu cernere licet, tanquam inspicias in speculum: per ebur verò nõ licet. Nonnulli præterea magis allegoricè sermonẽ aliter accipientes, portam corneam interpretati sunt oculos, ex parte intelligentes totum per synecdochen: quia prima tunica oculi refert speciem cornu: sed eburneam portam interpretati sunt os, propter dentes coloris eburnei, vt prudens Penelope dicat allegoricè, ea, quæ ex opere cognoscuntur, maiorem habere fidem, quam ea, quæ simpliciter hîc pronunciantur. Itaq; credendum esse his, quæ de Vlysse dicuntur ab interpretibus somniorum, quum quis illa videt. Alij denique dicunt somnia cælestia esse cornibus similia, quæ dicunt à Ioue mitti & vera esse: quia etiam cornua se in sublime tollunt: cælestia autem somnia esse similia ebori: quia cornua elephantum deorsum inclinantur. Vult ergo dicere mulier: mihi quidem apparuit somnium non à Ioue, sed alicunde ex imo loco.* Seruius in locum Virgilij suprà etiam citatum similiter Eustathio scribit ἀλληγορικῶς sumendas esse has somni portas. *Physiologia*, inquit, *hoc habet: per portã corneam oculi significantur, qui & cornei sunt coloris & duriores cæteris membris. Nam frigus non sentiunt, sicut etiam Cic. dicit in libris de Nat.Deor. Per eburneam verò portam os significatur à dentibus. Et scimus, quia quæ loquimur, falsa esse possunt, ea verò quæ videmus, sine dubio vera sunt.* Vide apud vtrumque reliqua.

Dedat iratæ.] Pro, vtinam aliquis mihi dedat: & rectè dedat: nam victi dedunt se in potestatem hostium ad perpetuum: ita verbum est militare, vt inde flexum deditio, qualia recenset aliquot Donatus in Act.3. Sce.2. Eunuchi. Damus autem amicis, sed quod repetimus.

Inter errem.] Grammatici tradunt hoc dici per anastrophen, pro, errem inter leones.

Mâlas.] Hanc vocem Donatus in Heaut. Act.2. Sce.3. ad versum: *nullâ mâlas re esse expolitam muliebri*, id est, non fucatas genas, sic notat: mâla similitudine mâli, hoc est, pomi, nomẽ assumsit. Nam id est, quod præeminet inter nasum, oculos & buccam, rotundum in specie mâli; sic Hippocrates li.1.de morbis μεταφορικῶς τὰ μῆλα, *mâlas* vocauit, κύκλως ἐξεστῶτα, *orbes faciei extuberantes.* Plinius ita lib.11.cap.37. describit τὰ *mâla*, *infra oculos mâla, homini tantùm: quas prisci genas vocabant.* Vnde videntur illi veteres locuti non satis propriè, quum gena & γένυς significent τὸν σιαγόνα maxillam, vbi γενειάδες, pili barbę adnascuntur, vt Ode 13.lib.1. iam fuit annotatũ: quò nunc addam ex Oratore Ciceronis τὸ *mâla* contractum è maxilla non vsus caussâ, sed aurium.

Speciosa.] Dum integra sum & corpus gero solidum, succi plenũ, cupio à feris deuorari. Sic apud hunc Poetam, *quæro* cum infinito construitur, vt iam dictum est Ode 11.lib.1.& Epist.1.li.1. *quæris me includere ludo.*

Vilis Europe pater.] Id est, qui priùs à me spretus fuit & contemtus.

Ab orno.] De hac arbore lege Oden 9.lib.1.

Saxa delectant.] Hoc accipiendum κατὰ πρόσωπον, respectu alterius in deligendo mortis genere: vbi quod anteponitur alteri, putatur delectare.

Perfidum.] Antimeria est pro, *perfidè ac dolosè ridens*, quod Græci dicunt ἄπιστον, γελάσασα ἀπίστως, *perfidiosè*, sicut est Ode 19.lib.2. loquutus, *turbidum lætatur.* Nam comites sunt perfidia & dolus. Quidam tamen referunt *perfidum* ad *querenti*: quod minùs probo.

Remisso arcu.] Huic opponitur intentus arcus, τόξον ἐντεταμένον.

Lusit satis.] Sic Catullus in Epithal.

Claudite ostia virgines, lusimus satis.

Abstineto irarum.] Similis est Hellenismus in Heaut. Act.2.Sc.3. *Gemitus, screatus, tussis, risus abstine*, id est, Græca est syntaxis: quæ, quia caret casu auferendi, vtitur casu gignendi, qualis est in his, λῦπε χόλε, καὶ ἀπέχε ὀργῆς: *desine iræ & querelarum*, Ode 9.lib.2.

Lædere.] Quidam legunt *lidere*, διὰ τῦ ἀφαιρέσεως τὸ ε ab elidere, sic Ode 13.lib.1. dicit, *lædentem oscula*, vt hîc *collum*: vbi, quid de hoc verbo sit annotatum, reuise.

Vxor inuicti Iouis.] Altera est syntaxis Græca in his *vxor inuicti Iouis esse nescis*, pro, nescis te vxorem esse Iouis. Ita enim Græci loquuntur, οἶδα σου τὸν πόν, *nosti te mortalem esse*: Quod etiam Lucan. imitatus est:

——*tutumq; putauit*
Iam bonus esse socer, pro iam bonum esse socerum.

Mitte singultus.] Id est, desine singultire ac gemere; sed rebus secundis prudenter fruere. Hanc phrasin Plato effert, παῦσαι τὰς λυγγὸς πάνυ ἰσχυρᾶς, pro quo Nicander Theri. de Gerea dicit, λυγμὸν ἐπαυσατέρυ, *singultum frequentissimum compesce*, qui velut vnus super alium confertim cietur. Vide rationem sedandi singultum in symposio Platonis & lib.20. Plinij in multis capitibus.

Disce Fortunam.] Græcè παρὰ μεγάλων πόνων μάνθανε φέρειν. Quod perpauci facere possunt. Ideoque plerique omnes felicitate pereunt, sicut de Tantalo scribit Pindarus Olymp.ε.δ.α. ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη, κόρῳ δ' ἕλεν ἀτέρα ὑπέρτολμον. *Sed enim concoquere magnam felicitatem non potuit, sed è satietate damnum ingens cepit.* Ab hac sententia non abludit elegiacum vulgò iactatũ

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Dines ab exili progredière loco.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum. [a] Videtur synecdoche generis ad δεισιδαίμονας stultos & miseros superstitiososq; coniectores indicandos. [b] Exclamatio est initiò per optationem & imprecationem, vt omnia siniſtra omina Dij à Galatea cõuertant in impios & conscelerato. [c] Metonymicῶς potest hoc intelligi, vt ex effecto significetur efficiẽs & inducẽs rauim; iuxta illud Eclog.9. ——*vox quoq; Mœrin*

Iam

Iam fugit ipsa, lupi Mœrin vidêre priores.

d Synecdochica est periphrasis iaculi, quem Græci dicunt ἀκοντίαν, & Scholiastes Nicandri describit τὸν κατὰ τὰ ἀκόντια διατρέχοντα, id est, qui instar teli transcurrit & transuolat: cui simile Plinius lib. 8. cap. 23. scribit, *Iaculum ex arborum ramis vibrari: nec pedibus tantùm pauendas serpentes, sed & missili volare tormento.*

e Altera est periphrastica synecdoche cornicis, quæ venturam pluuiam solet voce præsagire.

f Συγχώρησις, id est, permissio: licet per omnes oscines tibi prosperè nauigare.

g Anaphora est in *nec* repetito.

h Quidam hoc verbum volunt esse festinationis: ego verò malo per metonymiam effecti explicari pro efficiente nauigaturos trepidantes.

i Idem est tropus pro efficiente serenitatis: quali tropo Virgil. dicit 3. Georg.

——aut vnde nigerrimus Auster Nascitur.

quòd hic ventus torrido flatu denigret Afros sitientes: ἄνεμος γὰρ ὄψιν ἄχρως: *nullus enim color est aspectabilis in ventis*: portenditur tamen aliquando hyems & tempestas illo colore cæli.

k Altera est exclamatio optantis & imprecantis. Similis est imprecatio Sostratæ Act. 5. Scen. 3. quæ Chremeti dicenti: *Confitere tuum non esse.* Sostrata: *Ah, obsecro te, istud inimicis! fiet.* vbi Donatus annotat, hanc imprecationem sic vsurpari ab Ouidio, vt illius propria sit:

Hostibus eueniant conuiuia talia nostris!

l Metonymia effecti pro, reddentes obscuritatem & ignorationem.

m Metaphora ab hominibus, pro, Europe extimuit scopulos Thracij Bospori (qui synecdochicῶς etiã hîc nomine Ponti designatur) quos Virgilius in Ceiri appellat *Aequoreas pestes, immania corpora Ponti.*

n Accessus est ad prosopopœiam Europes.

o Iam inducitur illa conquerens de amissione filialis erga patrem Agenorem obsequij, & exclamans per desperationem recuperandi.

p Aporia est & addubitatio de facti flagitij veritate, vtrùm ita factum somniauerit.

q Synecdoche est generis pro somno, vel potiùs pro insomnio. Simili tropo vsus est Ode 24. lib. 1. pro inani simulacro, id est, cadauere hominis mortui:

Non vanæ redeat sanguis imagini.

r Altera est aporia, etsi, quum intelligimus aliquid non posse fieri, omnis deliberatio inciditur: illa tamen hîc prudẽter à Poeta conceditur puellæ non satis sanę.

s Optatio est per indignationẽ, vbi τὸ *infamem* habet metonymiã, pro eo, qui puellæ notam infamiæ inusit.

t Anaphora est, in principiis sententiarum eiusdem soni iteratio. Impudẽtia certè fuit cum impietate coniuncta, deseruisse patrem. Impudentia quoque nunc est mihi post admissum flagitium in vita remanere.

u Metonymia subiecti pro homine iam morti debito, quem oporteret iam à viuis morte seiunctum, nec vitam producere: vel contrarius huic modus eiusdem tropi pro Plutone, quem illa fallit impudenter mortis ac obitus retardatione ac morâ: neque ego hîc explicauerim τὸ *moror Orcum*, expecto & maneo mortem, vt iam monui Ode 3. lib. 2. sed morâ detineo.

x Apostrophe est ad aliquem Deorum, à quo petit auxilium optatæ mortis celerioris, priusquam forma contabescat macie, quæ per metonymiam dicitur homines turpare.

y Duplex est schema; prosopopœia & apostrophe: nam conuerso ad seipsam sermone fingit puella sic perturbata se audire patrem, qui repetat ab ea pœnas, & ipsam cogat mori.

z Possunt hæc verba, vt modò dictum est, esse puellæ seipsam alloquẽtis per apostrophen, vel patris mortem vrgentis per breuem prosopopœiam.

aa Deliberatio est per addubitationem de genere mortis & conditionis: potes, inquit, te laqueo interimere & in hac arbore suspendere, vel præcipitio è rupibus vitam breui finire.

bb Hæc certè tam diuturna deliberatio indicat hypocrisin puellę, nec eam tantopere facti pudere nec deplorare amissam virginitatem, nec adeò flagitium detestari, vt cupit videri; licet se horretur ad præcipitium è rupibus in mare ventis procellosis tradita, à quibus illa scopulis illidatur, nisi eadem sanguine regum edita malit nere in Creta pellex dominæ immitis.

cc Meton. est materiæ pro prole & puella inde genita.

dd Deponitur prosopopœia virginis & altera Veneris inducitur.

ee Synecdoche generis pro Cupidine: qui remissiùs agebat cum puella.

ff Fortunam dicit per metonymiam efficientis pro casibus à Fortuna Dea hominibus, vt ab Ethnicis creditum est, immissis.

Ode XXVIII. Ad Lyden.

Theticum.

Quòd Neptunalia ab vtroque celebranda sint.

Esto[a] quid potiùs die
Neptuni faciam? prome reconditum,
Lyde strenua, Cæcubum,
[2] Munitæq; adhibe vim sapientiæ:
[b] Inclinare meridiem
Sentis: [3] ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere[c] horreo
Cessantem Bibuli Consulis amphoram.
[4] Nos cantabimus inuicem
Neptunum & virides Nereidum comas:
[5] Tu curuâ recines lyrâ
Latonam & celeris spicula[d] Cynthiæ:
Summo carmine. [6] quæ Cnidon
Fulgentesq; tenet Cycladas, & Paphon
[e] Iunctis visit oloribus,
Dicetur meritâ nox quoque naniâ.

Analysis Dialectica.

DEmonstratur propositum de Neptunalibus celebrandis collatione maiorum enthymematicῶς conclusum: *Nihilô Lyde potiùs à me nunc fieri potest, quam vt celebrem Neptunalia*: id est, ex omnibus, quæ nũc fieri possunt, operibus nullum est celebrationi Neptunaliũm præferendum: *optimum igitur vinum mihi depromendum, seueritasq; animi aduersus voluptates obfirmati vino praestantioris notæ tibi expugnanda est*: quòd per hysterologiam non rectè concluderetur.

2 Confirmatur hæc complexio adiuncto tempore. *Sol decedens & ad vesperum vergens hortatur Lyden ad vinum depromendum & conuiuium parandum.*

3 Mora Lydes reprehenditur breui similitudine: quòd illa, quasi sol flaret & cessaret moueri; *sic etiam ipsa cesset:*

vbi tamen vis quædam aduersorum inclusa est: stare enim atque inclinare certum est sibi inuicem aduersari.

4 Argumentatur è materia cantus futuri: *quòd Neptunum & Nymphas marinas primùm vnà sint cantu celebraturi*: qui certè Musicus cantus optimum est conuiuij condimentum.

5 Deinde partibus cantionis velut alternatis, Lyde dicet laudes Latonæ & Dianæ venatricis.

6 Postremus cantus futurus est nocte in honorem Veneris & locorum ipsi consecratorum.

Enarratio Grammatica.

Ad Lyden.] Hęc Lyde creditur esse, ad quâ potiundum suprà Ode 11. huius libri Mercurialis testudinis operâ vsus est.

Festo.] Dubitatur à quibusdam, an hic casus sit comparationis, an temporis terminati. Illius quidem non potest esse: quia festum diem facere non est, puto, vsitatum bonis Latinitatis auctoribus pro his, agere, celebrare & agitare. Huius igitur videtur esse: vtro tamen accipias modo, sententia quadrabit.

Neptuni.] Neptunum Hesiodus Saturni ac Rheæ filium vocat in Theogonia ἐεικλυτὸν, Ἐννοσίγαιον, *grauiter sonantem*. Sed de ratione vocis alterius Græcæ lege Oden 3. lib. 1. Ille tamen propriè Ποσειδῶν, ῶνος, dicitur maris Deus & partim terræ, sicut epitheta ἐννοσίγαιος, ἐνοσίχθων, ἐλελίχθων, demonstrant: quòd tridente suo eam commoueat. A priori deriuantur τὰ Ποσειδώνια sacra, Latinè Neptunalia: pro quo tamen nomine Hesychius dicit Ποσειδέα, definitq; ἑορτὴν Ποσειδῶνι τελεμένην, *festum solenniter Neptuno celebratum*, quod quidam dicunt sic agitari solitum 11. cal. Iulij: alij 10. cal. Augusti. illud quidem Giraldus sine probato auctore: hoc autē Roman. Calendarium, ac pretereà totum mensem Februarium & diem cuiusque mensis octauum eidem dicatum.

Reconditum Cæcubum.] Potest natura huius vini intelligi ex 9. Epodis:

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes
Bibam.——

Hoc igitur reponebatur tanquam dicatum festis solennibus: de quo, vt de reliquis Campaniæ excellentibus vinis, lege 5. Strabon. & 18. Plinij.

Munitæ.] Hoc enunciatum variè exponitur: vel quòd seuera illa sapientiæ moderatio contra voluptates expellenda sit largiori ac meraciori optimi vini potione: vel quòd eadem sapientia mero adiuuetur & augeatur. Sed prior sensus præter alios, qui afferri possunt, mihi videtur magis probandus. Contra autem huiusmodi seueritatem animi in voluptatibus spernendis, Ode 21. huius libri amphoram excitauit:

Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerunque duro.

Prætereà munitus Græcè dicitur ἔμφρακτος: sed hoc tam παλαιϊκῶς vt hîc pro eo, qui præsidio septus est, & apud Demosth. πόλεις στεφάνους πόλεις ἐμφράκτους ποιεῖν, *munire vrbes præsidiis*, vel imponere vrbibus præsidia, Gallicè *mettre garnison aux villes*, quàm ἐμφρακτικῶς sumitur pro eo, qui est in præsidiis vrbis, eamque custodit.

Parcis.] Id valet, cessas, cunctaris depromere amphoram ex apothecis. Hoc sensu dixit antè Ode 19. parcentes dextras.

Deripere horreis.] Sic loquetur Epod. 5. *Lunamq; cælo deripit*, pro de cælo rapit.

Bibuli Cons. amphoram.] Intelligit veterem, quæ iam relini debuisset, vt ostendat illius ætatem. Citatur hic locus Ode 9. huius libri: vbi, sicut nonâ lib. 1. videre rationem vocis, *amphora*. Prætereà Bibulus & C. Iulius Cæsar fuerunt Cos. anno ab Vrbe condita 694. quō Poeta natus esset quinq; solùm annos: de quo lege commentarios Sigonij in Fastos Consulum, & Suetoniū in Iulio Cæsare: quanquam ex his, neque Poetæ, neq; præsentis vini ætatem cognoscere licet. Adde huc, familiam Bibulorum magnam fuisse, quæ historiæ ignorationem auget, de quibus Sat. 10. lib. 1. *vos Bibuli & Serui*.

Cantabimus inuicem.] Pro hoc Virgil. Eclog. 3. dicit: *alternis dicetis*, id est, vicissim.

Virides.] Hic color, vt glaucus & cæruleus, cuius sunt aquæ, quibus præsunt Nereides, Deastris Marinis à Poetis maximè tribuitur. Si vis autē nosse aliquot Nereidum nomina, lege initium lib. 18. Iliad. vbi ad 33. numerantur nominatim.

Recines.] Verbum recinendi notat copiam hymnorū: quomodo Ode præced. dixit: *Impios parræ recinentis*.

Curuâ lyrâ.] Hoc epithetū videtur confirmare, quod dictum fuit Ode 15. lib. 1. de cithara, Hippocratem denominasse pectus de nomine illius: quia hoc est, vt illa, carinatum: qualis est lyra, χέλυς & testudo: itaque, quum eadem sit vtriusque forma, Suidas & alij Grammatici confuderunt; quanquam Plato dicitur distinxisse.

Summo carmine.] Id est vltimo carmine, pro quo dicet Epist 1. lib. 1. *Summâ dicende Camœnâ*, & Græcè Ode 1. lib. 1. ἀκροτελεύτιον διεξιὼν diximus. Cicero lib. 2. Tuscul. collatione declarat τὸ *summum*, vt sit id, quo nihil sit superius; quale cernitur fastigium ædificij: quod quia postremâ manu architectoris effici solet vltimum, vsus obtinuit, vt summus, a, um, pro postremus accipiatur, quomodo sumitur in Hortensio, *vixit ad summam senectutem valetudine optimâ*, & Æneid. 2.

Venit summa dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ.

Cycladas.] De Cycladibus vide Oden 24. lib. 1. sicut de Cnido & Papho Oden 30. lib. 1.

Oloribus.] Olores creduntur dicti, quòd omnino sint pulcri, ὅλοι ὡραῖοι. De his quoq; lege Oden vltimam li. 2. vbi etymum τῆς κύκνου videbis & 1. li. 4. vbi Venus dicitur vehi curru à cygnis.

Meritâ næniâ.] Id est, carmine congruo nocti & saporifero: alibi tamen nænia est puerilis cantilena, & dictum vulgare: vnde Iberæ næniæ pro nugis: cuius etymi ratio varia profertur à Festo, quā ego perstringam. Primùm Festus næniam definit carmen, quod in funere laudandi gratiâ cantatur ad tibiam, & ex eo notat, vel quòd ei voci similior querimonia flentium sit: vel è voce Græca νῆνις, quæ sonat extremum intestinum: vel ex altera νήτη, quæ vltimam chordarum: vnde vltimæ cantionis vox appellata est nænia. Huc addit Scaliger filius locum ex Truc. Plauti conuenientem posterioribus etymis Festi, *Næniā dixit*, pro, supremum dixit vale & abire iussit, ac velut finem fecit verborum, per metaphoram à funebri & postrema oratione. Sed hîc tamen magis videtur probare ὀνομαλοπιΐαν ad rationem primi etymi: quæ proximè accedit ad vocem Hebręam נהי *nehi* lamentum, lugubre carmen: vnde Ezechielis cap. 32. vers. 18. נהה *neheh*, quod Hieronymus interpretatur, *cane carmen lugubre super populum*: à qua voce Hebræa *nehi* non multùm abludit τὸ νωνιον Hesychij, quod infantes, dum vagiunt, & à nutricibus agitantur in cunis ad somnū identidem accinere solēt *nini nini*. De nænia nonnihil etiam attigimus in Grāmaticis Odes 1. lib. 2.

Nox.] Antimeria est pro *noctu*, quomodo veteres loquutos index libri 8. Agellij est indicio, & è verbis 12. tabb. apud Macrobium libr. 1. Saturnal. cap. 4. *si nox furtum factum esßit*, liquet. Scio equidem ab aliis interpretibus locum hunc aliter distinctum & lectum; sed sensus præsentem distinctionem & interpretationem requirit: aut *mox* pro *nox* legendum.

Expli-

Explicatio Rhetorica.

METri genere conuenit cum 3. lib. 1.

a Videtur hîc mihi quædam κοινωνία, communicatio consilij cum amica, quid feriis Neptuni agendum sit: licet Poeta non exspectet sententiam Lydes, perspecto fortasis ipsius assensu.

b Sumtum est ab oppidis præsidio firmatis, pro expugna seueram sapientiam, & acerbâ disciplinam morum destrue vino notę melioris, & animum domatam pertinacem contra voluptatem potione optimi vini, cuius vi ne metuas tantopere tacenda efferre.

c Si vox *horreum* notat quamlibet rerum apothecam; erit synecdoche generis pro cella vinaria: si verò receptaculum rei frumentariæ, vt videtur ex notatione vocis in Oden 1. li. 1. significat; erit καταχρησις ἀπὸ μεταφορᾶς, quali vsus est Seneca epist. 114. sub finem, *Aspice plena multorum seculorum vindemiis horrea:* quem quidem locum mihi D. Lebeus Batillius amicè indicauit. In *amphoram Consulis Bibuli* est metonymia consulatus adiuncti ad tempus indicandum, quo velut subiecto, vinum amphoræ reconditum fuit, Bibulo consulatum gerente.

d Periphrasis est synecdochica pro Diana ex Cyntho monte Deli: sic quoque dicitur Apollo Cynthius: adiectiuum autem, *celeris*, potest referri vel ad celeritatem venatricis Dianæ Deæ: vel ad cursum lunæ, quo etiam nomine hæc vocatur.

e Venereum carmen videtur ἀλληγορικῶς intelligendum de complexu & concubitu vtriusque. Hîc enim Venus metonymicâ periphrasi describitur ab insulis cultui illius sacratis & dicatis.

Ode XXIX. Ad Mæcenatem.

Theticum.

Ode Mæcenati affert inuitamentum ad frugalem cænam rure sumendam iucundè, positis publicorum negotiorum & futurorum curis vrbeq; relicta.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non antè verso lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, rosarum &
Pressa tuis balanus[a] *capillus*
Iamdudum apud[b] *me est:* [2] *eripe te moræ.*
[3] *Ne semper vdum*[c] *Tibur, & Esulæ*
Decliue contempleris aruum, &
Telegoni iuga parricidæ.
[4] *Fastidiosam desere copiam, &*
[5d] *Molem propinquam nubibus arduis:*
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes strepitumq;[c] *Romæ.*
[6] *Plerumque gratæ diuitibus vices,*
Mundæq; paruo sub[f] *Lare pauperum*
Cænæ sine aulæis & ostro
Sollicitam explicuêre[g] *frontem.*
[7] *Iam*[h] *clarus occultum Andromedæ*[i] *pater*
Ostendit ignem: iam Procyon furit,
Et stella[k] *vesani Leonis,*
Sole dies referente siccos:
[8] *Iam pastor vmbras cum grege languido,*
Riuumq; fessus quærit: & horridi
Dumeta Syluani: caretq;
Ripa vagis taciturna[l] *ventis.*
[9] *Tu*[m] *ciuitatem quis deceat status,*
Curas: & Vrbi sollicitus times,
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent,[n] *Tanaimq; discors:*
[10] *Prudens futuri temporis exitum*
[o] *Caliginosâ nocte premit Deus:*
Ridetq;, si[p] *mortalis vltra*
Fas trepidat.[11] *Quod adest, memento*
Componere æquus:[12] *cætera*[q] *fluminis*
Ritu feruntur nunc medio alueo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare: nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas & pecus & domos
Voluentis vnà non sine montium
[r] *Clamore vicinæq; syluæ:*
Quum fera diluuies quietos
Irritat amnes.[13] *Ille potens*[s] *sui*
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse,[t] *vixi:*[14u] *cras vel atrâ*
Nube[x] *polum, Pater, occupato,*
Vel sole puro: non tamen irritum,
Quodcunque retrò est, efficiet: neque
[y] *Diffinget, infectumque reddet,*
Quod fugiens semel[z] *hora vexit.*
[15] *Fortuna sæuo læta negotio, ac*
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
[aa] *Pennas, resigno, quæ dedit, & meâ*
Virtute me inuoluo, probámque
Pauperiem sine[bb] *dote quæro.*
Non est meum, si mugiat Africis
Mâlus procellis, ad miseras preces
Decurrere: & votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæq; merces
Addant auaro diuitias mari.
Tunc me biremis præsidio scaphæ,
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret, geminúsq; Pollux.

Analysis Dialectica.

HOc Theticum de ratione viuendi iucundè potest ita concludi & iudicari è remotione caussarũ hilaritatem impedientium: *Qui præsentibus ac paratis rebus potest frui, nihil anxiè operoseq; sollicitus de futuro, is lætus compositq; sui viuet: Mæcenas ad mundam Horatianæ cænæ frugalitatem profectus, omissâ fastidiosâ rerũ copiâ, pulsis curis, ademptoq; metu futuri, bonis præsentibus frui poterit: ille igitur veniat ad huiusmodi cænam ita iucundè victurus.* Huius autem argumentationis propositio est versu 40. ad hæc verba: *Ille potens sui, &c.* atque vis assumtionis iam inde ab initio præcedit: quæ primùm procreantibus captandæ beneuolentiæ gratiâ, deinde adiunctis declaratur: *quòd Mæcenas ortus sit è claris natalibus Etruscorum regum*, sicut Ode 1. lib. 1. præmonstratum fuit, & *quòd eidem sint iam-*

pridem apud Poetam parata, vinum vetus ac lene, vnguenta & flores ad curas pellendas.

2 Poeta efficit ex illo apparatu *Mæcenati properè veniendum esse ad cænam.*

3 Ad eandem assumtionem etiam pertinet, quod hîc disputat è remotione caussarum, quæ illum remorantur ab amici cæna: *Tu*, inquit, *ô Mæcenas, animum tuum auoca à cogitatione harum rerum, quæ dum curantur, hilaritas vitæ amittitur: vitio cæli valetudo tentatur: animus memoriâ Telegoni concitatur.*

4 Altera est remotæ caussa in abundantia: nam, vt Solon dicere solebat, ὁ μὲν κόρος ἀπὸ τῶν πλούτων γίνεται· ἡ δ' ὕβρις ἀπὸ τοῦ κόρου: *copia diuitiarum parit satietatem, & hæc contumeliam.* Similiter huic Theognis:

Πολλοὺς τοὶ κόρος ἄνδρας ἀπώλεσεν ἀφρονέοντας·
Γνῶναι γὰρ χαλεπὸν μέτρον, ὅτ' ἐσθλὰ πάρῃ.

Multos perdidit satietas imprudentes homines: vix enim modus nosci tur, & seruatur, quum bona adsunt. Cuius abundantiæ vis longâ inductione ab Aristophane in Pluto explicatur: *deserenda est igitur talis copia volentibus viuere iucundè.* Michael Hospitalius Franc. Cancel. ad Carol. Cadinal. Lotharing.

Scilicet interdum plenæ fastidia mensæ
Ferre solent, satiasq; bonarum languida rerum est.

Hoc quidem certè vitium à Poeta quidam putant hîc in Mæcenate seriò notari.

5 Aliud est impedimentum in turri paribus enunciatum, quam Męcenas studiosè construxerat in hortis suis altitudine nubes ferè æquantem: vnde totam ferè vrbem cum admiratione prospiciebat: splendorem ipsius atque vanam magnificentiam oculis facilè lustrabat: plausus denique populares & theatrales inde auditione percipiebat: quæ omnia puto hîc nomine fumi comprehensa.

6 Alia est ratio Mæcenatis ad epulas alliciendi ex adiũcta voluptate vicissitudinis, quę percipitur è munditia mensæ frugalis. Sic Comicus ait, *Est paratum non ampliter, sed munditer conuiuium.*

7 Eódẽ spectat hęc ratio à variis circumstãtiis temporis, quod nunc inuitat homines ad lætè epulandum.

8 Continuantur aliæ ex aliis circumstantiæ eiusdem generis: cuiusmodi, dissimiliter tamen tractatis, Virgil. vtitur in Alexi.

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

9 Iam attingit veras caussas, cur Mæcenas se tanto mærore conficiat, easq; proficisci ex immodica sollicitudine de statu Reip. futuro: vnde Porphyrio ait apparere Mæcenatem fuisse tum præfectum Vrbi. Ideoq; suadet, si velit se respicere, illas prorsus tollendas esse.

10 Ostendit prętereà argumento ab arte remoto nihil esse, cur tãtopere sollicitus esse debeat de statu Reipub. venturo: quia Deus noluit ab hominibus sciri futurum. Eâ re Pittacus aliquando rogatus, τί πρὸς τὸν πυνθανόμενον τὰ ἀφανὲς; τὸ μέλλον, ἔφη: *interroganti quid esset obscurum? futurum, respondit.* Ac meritò quidem notitiam futuri Deus homini denegauit, quòd nil ei opus illâ esset in tanta vitæ breuitate: quæ vix, ac ne vix quidẽ, sufficere potest instanti cognoscendo & administrando.

11 E decreto superiori diuino conficit, *quum Deus scientiam futuri hominibus occultârit, non esse de eo tam sollicitè laborandum: sed præsens tantùm æquo animo curandum: quod etiamsi videatur in potestate hominis; illius tamen curatio est difficilis propter rerum inconstantiam & mutabilitatem.*

12 Hæc specialis complexio illustratur collatione similium: *Quemadmodum flumina modò incredibili lentitate intra suos alueos feruntur: modò extra eosdem effluunt, nec cursus eorum rapidus potest inhiberi: sic res futuræ, quæ non permittuntur arbitrio humano, non possunt à nobis administrari nec prouideri nec impediri.*

13 Quæ adhuc dicta sunt, ad assumtionem videntur pertinere omnia: nunc examinemus vim nostræ propositionis, quæ est in his verbis: *ille potens sui, lætusq; deget*, vbi pleriq; non animaduertunt satis artificium Logicum, ideoq; existimant Poetam ab hypothesi ad thesin traduxisse orationem. Huic autẽ propositioni consentanea est illa 16. Odes lib. 2. sententia:

Lætus in præsens animus quod vltrà est,
Oderit curare.

14 Prosyllogismus est propositionis è diuersis: *Quamquam Iupiter diem crastinum pro suo arbitratu potest regere, vel cælo serenando, vel eodem obscurando, minimè tamen efficiet, vt cõmodum, quod iam perceptum ac præteritum fuerit, sit infectum.* Hæc verò secunda pars dissentanei argumenti sumta est è Phocylide:

Οὐκέτι γὰρ δύναται τὸ πεπραγμένον εἶναι ἄπρακτον·

Non enim amplius potest, quod iam factum est, esse infectum. Quam sententiam Aristot. 6. Ethic. ex Agathone desumptam vsurpauit, ad finem cap. 2. de principiis agendi, οὐδὲ γὰρ βουλεύεται περὶ τοῦ γεγονότος, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἐσομένου, καὶ ἐνδεχομένου. τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι. διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων,

Μόνα γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
Ἃ γέγονε ποιεῖν, ἄσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα, id est,

Non enim consilium capitur de eo, quod factum est sed de futuro & contingente: quod autem factum, non potest fieri, vt sit infectum. Quare Agathon poeta sic fecit,

Solâ enim hac re Deus spoliatur,
Vt, quæcumque sunt iam facta, sint infecta.

Hos sequutus etiam Chrysostomus dixit, nomine Dei tamen non expresso,

οὐκ ἔστι τὰ γεγόμενα ἀναλῦσαι λοιπόν, id est,

Non possibile est, quæ facta sunt, postea retexere.

Hoc tamen argumento non eleuatur omnipotentia nostri viuentis Dei, qui rerum ordinem, quem in illis creandis & conseruandis constituit, non solet peruertere, nisi necesse sit ad eius gloriam, & humanarum mentium confirmationem edi miracula. Eandem quoque D. Augustinus vsurpauit: *Deus*, ait, *efficere non potest; vt iam factum sit infectum:* quia nec potest mori, nec se negare, vt scribit Theodoretus: qui addit, Deo id esse impossibile, quod ipsius verbo, naturæ, ac voluntati repugnat. Itaque omnipotentia in Deo est intelligenda, vt ipse possit, quæcunque contradictionis impotentiâ careant, id est, nihil possit, quod contradictioni sit obnoxium, vt nequeat, sicut modò dictum est, mori; quia est vita ipsa: nequeat mentiri; quia est ipsa veritas. Adhibetur autem hæc sententia, vt ipsius constantiâ magis adducatur Męcenas ad hilariter epulandum: quod factum Deus non poterit tollere, vt potest futurum.

15 In his sequentibus ad finem vsque (quamuis illa enuncientur in prima persona κατὰ προσωποποιΐαν) latet generalis complexio: *ille igitur lætus & compos sui viuet, &c.* quæ illustratur aduersis. Placet quidem ipsi Poetæ fauens stabilis, secunda, constansque Fortuna: sed si hæc commutauerit se; ille ad suam virtutem confugiet, in quam Fortuna nihil potest. Ita enim didicit, τῆς ψευδοῦς εὐδαιμονίας ἀφίστασθαι, καὶ τὴν ἀραπέτιν τύχην ἀραπετεύειν, *a fallaci felicitate se longè remouere & fugacem Fortunam vitare*, vt totus ex sese aptus sit, ac in se vno posita esse putet omnia. In hoc, quod dicit poeta, imitatus est Biantem apud Laertium & Ciceronem in Paradoxis. Imitatus quoq; Stilponem Zenonis magistrum, apud Senecam Epist. 9. *qui captâ patriâ, amissis liberis, amissâ vxore, quũ ex incẽdio publico solus, & tamẽ beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomẽ ab exitio vrbiũ Poliorcetes fuit,*

nunquid

vnquid perdidisset, omnia inquit, mea bona mecum sunt. Ecce vir fortis acq renuus ipsam hostis sui victoriam vicit. Nihil, perdidi. dubitat illum coegit, an vicisset: audiens, omnia mea mecum sunt, iustitia, virtus, temperantia, prudentia, huc addens, nihil, inquit, perare bonum, quod eripi possit. Nam aduersus virtutem hoc possunt calamitates & damna & iniuria, quod aduersus Solem nebula potest. Itaque despicit omnia Fortunæ tela, nec vnquam futurum est, vt cupiditate diuitiarum vel honorum in pericula se coniiciat: quòd satis superque sibi esse putet ad quietè, bene, beateq; viuendum: quò spectauit simplex ille frugalisque cænæ apparatus, quem puero suo imperauit Ode 38. lib. 1. *Persicos odi puer apparatus.*

Enarratio Grammatica.

Tyrrhena.] Non dissimilis erit inuitatio Ode 12. li. 4. ad Virgilium amicum. Genus Mæcenatis, vt diximus Ode 1. lib. 1. fuit Heruscum, siue Tuscum, siue Tyrrhenum, quæ idem valent omnia.

Non antè.] Id est, de quo nihil dum fuerat haustum & depromptum: quod dum iebat, cadus vertebatur. Magnæ autem est hîc festiuitatis & amicitiæ signum, relinere Mæcenati cadum, à quo nihil dum depromtum fuerat & exhaustum. Itaque potus erat illibatus & integer à pocillatore.

Cado.] Vnde cadus dicatu, vide Oden 14. huius libri.

Lene merum.] Quod Græci dicunt χρηστὸν οἶνον, mite ac minimè austerum.

Flore.] Hellenismus est. Ita enim Hesiodus in Aspide dicit πόλις τεχνήεσσα, pro, Tachinem: quem Virgil. 1. Aeneid. v. 250. est imitatus: *Vrbem Pataui.* Item Cic. *Vrbem Lampsaci, & oppidum Antiochiæ*, pro, *Pataninm, Lampsacum. Antiochiam*, vt hîc *flore rosarum*, pro *rosis.*

Apud me.] Festus docet τὸ *apud* significare mutuam loci & personæ coniunctionem: vt quum dicitur: *Cæno apud amicum*, pro *in ipsius ædibus.*

Eripe te moræ.] Pro hoc Virgil. dicit, *rumpe moras.* & Cicero, *nullam interpone moram veniendi.* Idem Epistol. 33. libr. 10 ad famil. *Si ad Lepidum venissem; omnem eius cunctationem discussissem.* Pro hoc igitur potest dici: *cunctationem discussisem.* Sed illa nostri Poetæ significantior est phrasis, propter vim celeritatis & damnum tarditatis.

Vdum Tibur.] De quo sic Ouidius libr. 4. Fastorum, sub initium,

Et iam Telegoni, iam mœnia Tiburis vdi
Stabant, agricolæ quæ posuere manus.

De Tibure lege Oden 7. lib. 1. & Oden 4. lib. 3. *supinum* vocatur, & hîc *vdum*, quia fertur abundare aquis, ideoque minùs salubre esse.

Esulæ.] De Esula & Esulanis Latij populis vide Plinium lib. 3. cap. 5. & Ouidium 3. Fastor. Strabon. lib. 5. collocat Tusculum in colle spectante Romam, quam ciuitatem dicitur Telegonius Circes vel Calypsonis & Vlysis filius condidisse, quum, patre per imprudentiam occiso, Ithacam reliquit, & in Italiam venit: vbi dicitur Prænestæ oppidum constructisse, sicut scribit Plutarchus in Parallelis: item Aristoteles in Poetica meminit Tragœdiæ de ipsius nomine, ac Vlysis vulnerati auctore incerto: hoc tamen Scholiastes Homeri Odyss. λ. putat confictum à recentioribus Poetis. De etymo *Telegonus* & *Telemachus*, vt *Proculetus*, dictum fuit Ode 2. lib. 2. Parricida autem non, ait Festus, is est vtique, qui parentem occidisset; sed qualemcunq; hominem: imò verò parricidium patet latiùs, vt rectè obseruauit Iosephus Scaliger è 2. de leg. Ciceronis: *Sacrum, sacroue commendatum qui clepserit, rapsit ve, parricida esto*, id est, capital esto; vnde pericis id nomen in omni re capitali poni solitum: Quod quum fieri cernes, id σωκρατικῶς factum putes. De pœna parricidæ lege Ciceronem in orat. pro Rosc. ad quam Iuuenalis allusit agens de Nerone matricida & parricida,

—quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culeus vnus.
Et deducendum corio bouis in mare cum quo
Claudi tur aduersis innoxia simia fatis.

De eadem pœna lege Senecam li. 1. cap. 15. de Clementia, & cap. 23. eiusdem lib. *Pater tuus* (Claudius Cæsar pater Neronis adoptator) *plures intra quinquennium culeo insuit, quam omnibus seculis insutos accepimus. Multò minus liberi audebant vltimum admittere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summâ enim prudentiâ viri altissimi & rerum naturæ peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus, & vltrà audaciam positum præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidæ cum lege cœperunt, & illis facinus pœna monstrauit. Postmodo loco pietas fuit, postquam sapius culeos vidimus, quàm cruces, &c.* Hîc Solon periphrasticῶς intelligitur: qui post leges Athenienssibus conditas rogatus, quare nullum constituisset supplicium in eum, qui parentes necasset, respondit se neminem id facturum putasse: cuius responsum sapienter datum Cicero probauit, qui de eo nihil sanxerit; quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur: quod antè sequutus Romulus nullam definiuit pœnam parricidio, arbitratus omne homicidium esse parricidium: quòd illud impium ac nefarium; hoc autem impossibile duceret, atque multa secula visus est rectè huiusmodi facinus desperasse. Nemo enim sexcentis pòst annis tale scelus perpetrauit. Sed post Annibalis bellum L. Hostius fertur primus patrem occidisse; vt scribit Plutarchus in vita Romuli. L. tamen Florus epitome in libr. 68. T. Liuij refert P. Maleolum primùm omnium culeo insutum interemtâ matre & in mare præcipitatum, C. Mario, si bene recordor, quintum consule.

Contemplerit.] Donatus hoc verbum in Heaut. Act. 4. Scen. 1. sic notat, vt dictum sit à templo, hoc est, à loco, qui ab omni parte aspici, vel ex quo pars omnis videri potest: quem antiqui templum nominabant: quæ profectò notæ hunc locum valdè illustrant, & conueniunt cum illis Varronis libro sexto de lingua Latina.

Fastidiosa, &c.] Buchananus in paraphrasi metrica Psal. 37. hanc vsurpauit phrasin,

Præstat supellex sobria,
Rectè parta recula,
Quàm rapta per vim diuitum
Fastidiosa copia.

Nam hanc satietas, vt hæc, nauseam atque fastidium & contemtum parit.

Opes Romæ.] In opibus ponuntur omnia, quibus nos plurimùm possumus, auctoritate, gratiâ, potestate, atque etiam diuitiis, vt hæ ad vsum, illæ ad luxum referendæ sint; vt ex hoc epistolæ 13. libr. 4. loco cognoscitur, ad famil. *Ipse pari fortunâ abiectus* (quâ Pompeius) *aliorum opibus casus meos sustentabam.* Hîc Cicero scribit se, postquam exciderat primo statu suo, sustentari opibus aliorum; id autem erat, auctoritate & gratiâ eorum, quos veteri necessitudine sibi coniunxerat, eosdemque nominat epistolâ 12. libr. 6. *Omnes Cæsaris familiares satis opportunè habeo implicatos consuetudine & beneuolentiâ sic, vt quum ab illo discesserint, me proximum habeant. Hoc pensa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius planè ita faciunt, vt me vnicè diligant.*

Aulais.]

Aulæis.] Hoc est, sine purpureis tapetibus. *Aulæum* autem è fœmin. Græco, ἡ αὐλαία fluxit & expanditur ad excipiendum tabulati puluerem è Varr. lib. 2. alij tamē inclinantes ab *aula* dicunt esse τὰ βεβαπτισμένα καὶ ποικίλα ὑφάσματα καὶ ταπητας, *vela extensa & variegata & stragula* ad diuitum aulas exornandas, atq; primùm inuenta in aula Attali regis Asię, de quo lib. 1. Ode 1. Præterea Grammatici tradunt αὐλὸν dici ἀπὸ τοῦ ἀεῖν, à perflando, vt dictum est Ode 18. lib. 2.

Ostro.] Ostrum licet Græcè scribatur in Lexicis, videtur tamen vsurpari solùm ab auctoribus Latinis: sed ὄστρεον καὶ ὄστρεου, ostreum & ostrea fœm. gen. à Tullio pariter æqualiterque à Græcis & Latinis vsurpantur, & pisces significant tectos ὀστράκοις, id est, testis loco cutis, quæ Plin. lib. 11. c. 37. operimenta testacea vocat, interpretans vocem Græcam ὀστρακοδέρματα, & lib. 9. c. 11. *Quæ integuntur filicum duritiâ, vt ostrea & conchæ: vbi varia aquatilium integumenta commemorat.* Ostrum verò quid sit, ita à Vitruuio li. 7. c. 13. discere licet. *Ea conchylia quum sunt lecta, ferramētis circà scinduntur, è quibus plagis purpurea sanies, vti lacryma, profluens excussa in mortarijs terendo comparatur, & quòd ex concharum marinarum testis eximitur, id ostrum est vocitatum: à Laconibus autem πορφυρᾶν ἄνθος, flos purpurarum, & sanies conchyliorum:* vnde Virgilius,

Superbo ostro laboratæ vestes & vestes perfusæ ostro.

Item Propertius, *tunica ostrina.* Hæc denique omnia dicuntur ἀπὸ τοῦ ὀστῶν, id est, ossibus, interiecto ρ. Valent autem hæc copulata, sine aulæis & ostro perinde, atque hæc conuenientia, sine aulæis ostrinis.

Explicuêre frontem.] Pro hoc Terent. dicit Adel. Exporrigere frontem. Priori hic noster vtitur Satyr. 2. lib. 2. sub finem:

Explicuit vino contracta seria frontis.

Vesani leonis.] Id est, crudelis & immanis in furorem & rabiem agentis pleráque animantia. Intelligitur hic ὁ βασιλίσκος, stella, vulgò cor leonis, proximè sequens caniculam. In hac autem coniunctione τῶ *Vesani, Ve* est σημαντικὸν μόριον, *vt in vecors & Veiouis:* contrà *in vehemens & vegrandis* est ἐπιτατικὸν. vide l. 15. c. 12. Agellij, quam tamen particulam antiqui rei præponebant imminutæ, vt quum Ouidius in Fastis dicit *vegrandia farra coloni,* pro paruis, & Veiouis pro paruo Ioue. Ita in hac voce est vis, partim intentionis, partim minutionis: vt in vescus ibidem leges, & in annotat. Philipp. Beroald. in Comment. Seruij in Virg. vt vix possit quicquam statui de vtra notione certi, nisi complexus orationis Lectorem iuuet.

Syluani.] Syluanus dicitur horridus, Deus syluarum propter asperos dumos & sentes, in quibus versatur, de quo Eclog. 10. & lib. 1. Georg. & apud Plinium li. 12. c. 1. & 8. Aeneid.

Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Aruorum pecoriq; Deo, lucumq; diemq;
Qui primi fines aliquando habuêre Latinos.

Genus autem Syluani nescitur, nullaq; mentio à Græcis facta fuit.

Caretq; ventis.] Tum æstus maximè feruidus sentitur, quum aer non agitatur lenibus auris. Cur autem hîc vagi appellentur, audi Plin. l. 2. c. 47. de generibus ventorum: *Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur canicula sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies est 15. ante Augusti Calendas. Huius exortū diebus octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post biduum autē exortus iidem Aquilones constantius perflant diebus 40. quos Etesias vocant: moliri eis creditur Solis vapor geminatus ardore sideris, nec vlli ventorum magis flati sunt.* Vide eund. li. 18. ca. 34. & Strab. li. 3. de his ventis paullò aliter sentientem.

Seres.] Qui fuerint Seres, vide Ode 12. lib. 1.

Bactra.] Bactrum est oppidum in Scythi, vbi Cyrus Persarum rex, victis Scythis, regnauit. Hic in numero multitudinis & genere facto vsurpatur vox *Bactra:* sed Strabo dicit lib. 2. ἔστι εἰς Βάκτρα πλοῦς πόλιν, *deinde in vrbem Bactram.*

Regnata Cyro.] Participium est παθητικὸν ab absoluto & neutro verbo: qualia notata sunt Ode 3. huius libri, *triumphata, pugnata, Bacchata:* item antiptosis pro, recta à Cyro.

Vltra.] Vltra fastrepidit, id est, metuit & angit se & vehementer laborat de futuro plus quàm ipsum deceat, cuius notio non conceditur à Diis cuiquam.

Componere æquus.] Id est, libenti & æquo animo præsentia bona rebus tuis acómoda & adapta, siue rege & moderare, quod Galli dicunt, *mesnage paisiblement ce que tu as presentement.*

Cum pace.] Id est, placidè & nullo tuo incommodo, vt Cæsar 1. Comm. de bell. Gall. de Arari, *incredibili lenitate defluere. Ita vt oculis, vtrumque in partem fluat, iudicari non possit.*

Adesos.] Id est, frequēti & sperâ volutatione absumtos & corrosos.

Diluuies.] Pro quo etiam *Iluuium* dicitur, vt *eluuio & eluuies,* pro exundatione fluminum & aquarum.

Potens sui.] Id est, Ciceroni ex Paradoxis, totus ex se se aptus, nec aliunde, nisi ex se ipso, pendens, quod fortasse dixeris Græcè, αὐτεξούσιος.

In diem vixi.] Viuere in diem est frui præsentibus quauis die, & his contentum dicere, placidè, quietè & iucundè vixi hodie, qualem vitam dicitur Diogenes Philosophus traduxisse ideoque ἡμερήσιος vel καθημερόβιος vocatus: quòd victum quotidie quæritabat, nihil de futuro sollicitus.

Vixi.] Aliquando hoc verbum non solùm significat vitâ frui; sed etiam illam degere suauiter & genialiter, & voluptati indulgere: vt apud Catullum: *Dum viuimus viuamus Lesbia,* & Cicero: *quando viuemus.*

Efficiet.] Vis huius verbi ostenditur planè à Donato in Hec. Act. 1. Sc. 2. ad versum: *tundendo atq; odio denig; effecit senex.* efficimus, ait ille, quod cum magno conatu & molimine facimus, vixq; per nos illud finem accipit.

Quodcunq;.] Id est, quicquid iam est præteritum. Hîc *vexit* valet iunctum, auexit, abstulit, abripuit potiùs. Huic sententiæ similis est illa ὠιδὴ β. Pind. Olymp.

πρὶν δὲ πεπρωμένων
ἐνδίκαται καὶ θεόθεν κραδίαι
ἀπόλιπτον ὀδὸν ἄμαρ
χρόνος ὁ πάντων πατὴρ
λώιστο δὲ μὴ ἔργων τέλος.

Operum autem ante actorum finem siue iure siue iniuriâ ne ipsum quidem tempus omnium parens infectum possit reddere.

Læta.] Non potest hoc epithetum exponi per *fauens & propitia,* vt potuit Ode 21. huius lib. *aderit læta Venus:* sed per hæc: *Fortuna facit ærumnas & varios hominum casus suas delicias:* & Seneca: *eadem in rebus mortalibus ludos facit.* Gall. *elle prend tout son plaisir à bailler des trauerses aux hommes en leurs affaires.*

Pertinax ludere.] Pro quo Cicero dixit, *pertinax in ludendo.*

Insolentem.] Id est, inusitatum ludum & iniquum & nouum, quo modo Terentius dicit, *Quid tu Athenis insolens?*

Laudo.] Sicut Chærea Act. 5. Sc. 9. Eunuch. *An fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit, quæ tot res, tantas, tam opportune in vnum conclusit diem?* Plutarchus tamen prædicat eum excelso & magno animo, qui potest sic Fortunam affari:

Ἦ σὺ μὲν ἀνθρώπης, ὀλίγον δ' ἄχθος αὖ ἀπολείπεις,

Incun-

Iucundum quid auferre possit, sed triste perpaucum relinquere. quem versum ita Gallicus interpres reddidit:

Tu me peux bien oster quelque plaisir
Mais peus laisser aussi des desplaisir:

Probam pauperiem.] Festus appellat *probum*, qui se prohibeat à malefaciendo, quasi diceretur *prohibus*: alij translatum ob id putant à materia metallica, quæ est igne diligenter explorata, & bene excocta: vt Græci dicunt *ἀργύριον δόκιμον καὶ νόμισμα καὶ χρυσὸν ἀκίβδηλον, δεδοκιμασμένον καὶ δοκιμαζόμενον ἐν τῷ πυρί*· *igne spectatum & probatum aurum.* Itaque hanc vocis rationem videmus præ se ferre vim prohibendi à delinquendo vel ab immunditie, vt docebit Epistol.2.lib.2. sub finem:

Pauperies immunda domus procul absit:

vnde videtur *τὸ probam* significare mundam & puram.

Resigno quæ dedit.] Duplex huius verbi notio perspicitur è 7.Epist.lib.1. vbi *testamenta resignat*, valet, aperit & recludit: sed *τὸ cuncta resigno*, sonat restituo, rescribo & reddo.

Decurrere.] Non est meum, ait Sapiens, i. nõ est mos virtute præditi decurrere, i. confugere ad supplicandũ Diis more miserorum, & pactis votisque cum iis agere, ne merces aduectę è Cypro & Tyro magis locupletent insatiabile mare, quemadmodum Cæsar lib.1. de bell. Ciuil. loquitur. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum atq; vltimum SC. quo, nisi penè in ipso Vrbis incendio atq; desperatione omnium salutis, nunquam antè desensum est: dent operam Consules, Prætores, Tribuniplebis, quiq; Proconsules sint ad Vrbem, ne quid Respub. detrimenti capiat.*

Tyriæ.] Tyrus dicitur primò fuisse colonia Sidonis; sed posteà metropolis Phœnicũ facta, nec imago eius, situ, opibus, & potentiâ abludere à Venetiis, vt hæ in æstuariis Adriani sinus; sic illa in mari Syriaco.

Tunc me.] Quum, inquit, pactus ero cum Diis de mercibus & mercatore: tum me potero scilicet paruo nauigio expedire periculis, fretus pactione Castoris & Pollucis & ventis secundis. De his duobus Diis vide Oden 3. lib.1.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile 9. lib.1. [a] Synecdoche est generis *ἀντὶ τῆς βαλάνου μυρεψικῆς, μυροβαλάνου, pro glande vnguentaria*: atque rursus metonymia materiæ pro balanino oleo inde expresso: quod vnguentarium & odoratum erat tam ad barbam, quàm ad capillos illinendos accommodatum: quod Græci dicunt *βαλάνινον ἔλαιον, δεῖπνίδειον, διὰ τὸ τὰς τρίχας καὶ τὸ γένειον μυρολήφειν· balaninum oleum ad capillos & barbam perfundendum*: de quo vide Plinium lib.12.cap.21. vnde Persius Sat.4. vocat barbam tali oleo perunctam, balanatum gaulape, à villosa & castrensi stragula.

[b] Metonymia est possessoris, id est, adiuncti pro re possessa & adiuncta, id est, domi meæ. Sic in *me* tropus est, non in *apud*, vt Festus voluit. Alter tropus est in Terentio. *quem omnes exedent*, id est, cuius opes absumẽt: Sic idem Terent. vtrumq; expressit Adel. Act.4. Sc.4. vers.18. *ad me adducta est domum*: quod Donatus annotat fieri moraliter. Non video satis, quid hoc aduerbio Donatus velit significatũ: an sibi præsenti adducta domum, i. quum ipse adesset: & eam admisisset, vt quum Cic. dicit Epist.9.lib.1.ad fam. *Cœnauit apud me in mei generi hortũ*: i. mecum, sine tropo. Interdum r xtim, *apud Pompeium*, id est, in ipsius domo & cum ipso. Alius autẽ cuiusdam modi [illegible] metonymia in And. Act.2. Sc. 4. *Proin tu fac, apud te vt sis*, i. fac, præsenti animo ac sinẽ vlla perturbatione animi respondere possis patri tuo. Sic Pharisæus quidam rogauit Christum, *ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ*· vt pranderet apud se. Luc.11.v.37.

[c] Hæc puto dicta eodem metonymiæ modo, quo Cic. dicit 1.de Orat. *Age verò ne semper forum, subsellia, rostra, curiamq; mediteris*, id est, actiones rhetoricas in illis locis: ita hîc, O Mæcenas animum tuum auoces maturè à cogitatione negotiorum, & ad voluptatem traduca.

[d] Synecdoche est generis pro turri hyperbolicæ magnitudinis in monte Esquilino.

[e] Metaphora est ab his rebus, quæ initiò videntur aliquid magnum portendere, qualis est fumus, sed citò euanescunt in auras ad vanam honorum ostentationẽ, inanesque populi plausus indicandos.

[f] Metonymia est contenti pro domo parua, & humili casa pauperis Deos Penates continente.

[g] Potest esse metaphora à rebus inuolutis, pro cænę frugales plerunque pepulerant curas, quæ frontem inuoluunt & contrahunt, ac rugis exarant, & discusso mœrore, iucunditatem, quæ illam dilatat priùs contractam, attulerunt.

[h] Epanaphora est in *iam* repetito.

[i] Synecdochica periphrasis est Cephei Aethiopum regis: de quo Apollodorus, Hyginus lib.2. Aratus in Phænomenis, qui operâ huius filiæ & Persei generi relatus est inter stellas in circulo Arctico, eiusque caput & humeri tantùm occiderunt. Oritur autem Columellæ lib.12. vespere 7.Idus Iulias: sed 13.Calend.Augusti Sol transitum facit in Leonem, & nono quẽdam stella exoritur in pectore Leonis. Ex his intelligimus dies Sirij & Caniculę calidissimos, de quib. consule Astrologos.

[k] Synecdochica periphrasis est *τῆς βασιλίσκης*, stellę regiæ, quę *καρδία λέοντος* vocatur, proximè sequens Caniculam: non autem contrà, vt quidam annotauit. Quòd si quis contendat nomine stellæ vesani Leonis signum eiusdẽ nominis intelligendum; erit synecdoche acyrologica. [l] Synecdochica est periphrasis Etesiarum, qui venti dicuntur annui.

[m] Synecdoche est generis, vt in voce *Vrbi* sequente pro Roma.

[n] Hoc flumen hîc sumitur per metonymiam subiecti pro Parthis & Medis ipsius accolis & continenter inter se bella gerentibus, quod Porphyrio videtur sic subnotasse: *Tanais dicitur discors quòd discernit Europam ab Asia, nisi forte ad incolas eius referamus hoc epithetum, quòd inter se ferocissimi discordant.* Ode autem 4. huius lib. dictus est Scythicus amnis. E sententia Dionysij ac Strabonis lib. 11. oritur è montibus Indiæ, perque Sauromatas & Scythas in Męotin paludem defluit, ac Europam ab Asia diuidit.

[o] Metaphora est, pro, summâ obscuritate scientiam futuri obruit.

[p] Synecdoche est generis pro homine, qualis est *σκηνὸς* Græcis: quem hominem irridet Deus de futuro laborantem.

[q] Synecdochica est Tiberis descriptio.

[r] Metaphora est ab animatis pro sonitu ac strepitu.

[s] Est hîc metonymia subiecti pro affectibus adiunctis, quibus sapiens imperat.

[t] Producitur prosopopœia illius, qui potens est sui, vsque ad finem.

[u] Procatalepsis est, cui miscetur audax permissio: *liceat per me*, dicet ille potens sui, *Ioui in quemlibet exitum res producere futuras: certè perceptam iam voluptatem, ac vitæ iucunditatem, cui me priùs dedi, nihil poterit immutare.*

[x] Synecdoche est partis pro toto cælo, sicut *pater* generis pro Ioue.

[y] Metaphora est à figulis, qui quod priùs finxerant, sæpè destruere & corrumpere solent.

[z] Altera est synecdoche partis pro toto præterito tempore.

[aa] Trans-

aa Translatum est ab auibus, pro', si Fortuna à me auolauerit, reddo, quæ ab ea acceperam, & me virtute meâ, nullis ipsius viribus subiectâ, sustento.

bb Metaph. est à sapientia coniugum, qui in vxoribus ducendis potiùs illarum mores, quàm dotem spectare solent, aut certè debent: vnde fuit hoc vulgò tritum: *Satis dotata est, si bene morata.* Valet igitur: *sine opibus viuo contentus meâ virtute cum honesta paupertate coniunctâ.*

Ode XXX. Ad Melpomenen.

Theticum.

Quòd lauream Lyricæ Horatius meritus sit.

Exegi[a] monumentum[b] ære[c] perennius,
Regaliq; situ Pyramidum[c] altius
Quod[d] nō imber edax,[d] nō Aquilo impotēs
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaq; pars[e] mei
Vitabit[f] Libitinam: vsque ego posterâ
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita[g] virgine Pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnator populorum, ex humili potens
Princeps[h] Aeolium[i] carmen ad Italos
Deduxisse modos.[k] Sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphicâ
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Analysis Dialectica.

Hæc postrema Ode huius libri videtur quasi finis canendi & coronis quædam antecedentium, atque adeò operis iam perfecti & absoluti: vbi Poeta eodem & metri & postulati genere vtitur, quo Lyricum opus instituerat, mutatis tantùm personis. Metri quidem; *Mæcenas atauis edite regibus:* postulati verò; *Quòd si me Lyricis vatibus inseres:* vnde omnibus fit planum, eum velle hîc canendi finem facere: sicut etiam constat ex initio 1. Odes l. 4. in quo munus Lyricè diutiùs, ampliusq; canendi à Venere deprecatur. Prima autem ratio ad theticum, quòd dignitas sui carminis Lyrici mereatur lauream ad memoriæ æternitatem, (ficut accepimus è vita ipsius, Augustum præsensisse, *quum scripta quidem eius vsque adeò probauit, vt mansura perpetuò crediderit:* perinde de Horatio sentiens, atque Tibullus de Homero: quem Eleg. 1. lib. 4. æternum vocauit.) Theticum, inquam, demonstrandum sumitur de præclaris ipsius factis: quæ augentur minorum comparatione. Statuæ enim æratæ & Pyramides, vt res temporis breuioris, proferuntur ad durationem Horatiani poematis arguendam. Quàm autem statuæ caducę fuerint, ex act. 2. Cic. in Verrem cognoscitur, *Idem iste prætor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum; quæ illi ornamento vrbibus esse voluerunt; partim etiam nostrorum Imperatorum; quæ victores ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt, spoliauit, nudauitq; omnia. Itaque βέλου τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα μᾶλλον, ἢ τὰς τῶ σώματ@ εἰκόνας καταλιπεῖν,* id est, *velis imagines, quæ virtutis tuæ potius, quàm corporis, sint monumenta, relinquere.* Huc pertinet, quod Cicero sub finem orationis pro Archia poeta scripsit: *An quum statuas, & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiosè multi summi homines reliquerunt; consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nónne multò malle debemus, summis ingeniis expressam & politam? Ego verò omnia, quæ gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam. Hæc verò siue à meo sensu post mortem abfutura sunt, siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt; nunc quidem certè cogitatione quadam speq; delector.* Cicero cohortatur hîc iudices ad cupiditatem poematum, & aliorum scriptionis generum; quibus res ab optimo quoque præclarè gestæ describuntur. (quod mihi sumtum videtur ex Isocratis Euagora, cuius interpretationem nunc solùm proferam: *Ego autem Nicocles, pulcra quidem esse monumenta existimo in corporum imaginibus: sed illa actionum honestarum & mentis simulacra multo pluris facienda, quæ aliquis scriptis artificiosè mandata relinqueret spectanda & imitanda posteritati.*) quòd illius scripta futura sint æreis statuis diuturniora, *Pyramidibus regum latiùs conspicua.* Eadem quæstio tractatur à Propertio loco dissimilium ad vers.

Nam neq; Pyramidum sumtus, &c. quæ non vacant morte. Deinde contrà redditur:

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

2 Alterum est argumentum ex amotione caussarum διαφθαρτικῶν, i. corruptricum: *quòd inclementiâ cæli, ventorum impetu, edacis temporis diuturnitate, annorumq; fugâ non exstinguantur Lyrica ipsius carmina: nec vetustate vllâ vanescant: illa deniq; in æternum duratura sint.*

3 Ex antecedentibus enthymematicōs efficit: *memoriam sui nominis perennem ac perpetuam fore: nec laudem ipsius emoriturum.*

4 Declarat præterea immortalitatem nominis sui parium comparatione: *quòd tamdiu laus & eius nomen manebunt: quamdiu in Capitolio sacra fient quotquot Idibus Romæ à Pontifice atq; Vestali.*

5 Argumentum est ab efficiente operis: *quòd Horatius fuerit primus auctor carminis Lyrici in Italia.* Non est dissimilis argumenti illud Virgilij 3. Georg.

Primus ego in patriam mecum, modò vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas, &c.

6 Complexio est generalis vim nostri thetici comprehendens: *Dona igitur me, ô Musa Melpomene; laureâ Delphicâ, mihi ὡς πρέπον καὶ δίκαιον, iure ac merito Lyræ canoræ debita ad æternam huius operis gloriam.* Fuit quidem semper summis hominum ingeniis spes immortalitatis naturâ proposita ad optimè de republica merendū, sicut Cicero docet sub initium lib. 1. Tusc. vnde est de Ennio:

Aspicite ô ciues senis Ennÿ imagini, formam.
Hic vestrúm panxit maxima facta patrum.

Hîc Ennius flagitat mercedem gloriæ ab iis, quorum patres affecerat gloriâ, atque ita voluit vnà cum ipsis post mortem nobilitari, & immortalitati consecrari.

Enarratio Grammatica.

Exegi.] Eandem sententiam eademque penè verba Ouidius ad finem Metamorph. animo non minus in flato vsurpauit. Exigo autem tria Donato significat in Heaut. Act. 1. Sc. 3. *Exigo vitam*; traduco: *fabulam*; expello: *opus*; finio.

Vnde exactor mortis & supplicij, qui ad id munus necandi, exigendiq; perficiendum præpositus est, vt est

I,3.Annal. Taciti:l.2. Liuij de Bruto liberos puniente. Valet igitur *exegi* idem, quod τὸ *perfeci* & *absolui* opus, quod monumentum dicitur, vt iam Ode 2. lib. 1. annotatum fuit: quo nomine appellatur, quicquid in memoriam alicuius solet fieri, vt Græci dicunt μνημεῖον καὶ μνημόσυνον, atque adeò γνωρίσματα καὶ ἀνάργυρα, pro tabulis, literis, fasciis, reliquisque testimoniis, ait Donat. in Eunuch. Act. 4. Sc. 6. Prętereà videtur hoc sumtum ex ὠιδυλ. 5. Πυθ. Pind.

Τὸν ὅτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἔλθων,
Εὐβρόμᾳ νεφέλας στρατὸς ἀμοίλιχος,
Οὔτ' ἄνεμος ἐς μωχὸς ἅλος
Ἄξει παμφόρῳ χερσὶ τυπτόμενος.

Quam hymnorum copiam neque hybernus imber procellosè veniens, tanquam horrisonæ nubis exercitus immitis, neq; ventus in maris recessus auferet colluuie omnia rapiente repercussus. Sic Theognis ad Cyrnum de suis sententiis elegiacis:

Πᾶσι γὰρ οἷσι μέμηλε καὶ ἐσομένοισιν ἀοιδή,
Εσση ὁμῶς, ὅφρ' ἂν γῆ τε καὶ ἠέλιος.

Cum omnibus simul, quibus carmen curæ fuerit, tantisper eris, dum terra & sol manebunt.

Hæc quidem sententia, non vt hic, comparatè, sed simpliciter pronuntiatur ab Ouidio duobus modis,

Hac monumenta manebunt omne per æuum.

Item,

Opus est mansurum post mea fata——

Quod Pindarus allegoriâ illustri à sagittariis expressit Ολυμπ. ιδ'. Θ. quum canit, per arcus Musarum longè iaculantes significari τὰ ποιήματα τῶν ποιούντων εἰς ἅπαντα τόπον διεξελθόντα, i. *Carmina Poetarum in omnem peruasura locum:* quod idem comparatè apertius canit ιδ. δ. Νεμ.

ῥῆμα δ' ἐρῳμάτων χρονιώ——
τερον βιοτεύει,
ὅ,τι κε σοὶ χαρίτων τύχᾳ
γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας, i.
Hymnus factis victricibus longius
Viuit: quem Gratiis fauentibus
Lingua depromserit è profunda mente.

Perennius.] Quidam deflectunt hoc epithetum ab anno: quòd in annos infinitos duret: vnde veteres Annam Perennam Deam annorum colebant & auspicium generale populo, resque diuina fiebat illi Deæ tertię Idibus Martiis, quum amnem auspicatò transiret. Ideoque Macrobius eam à perennitate annorum dictam censuit: qua voce vtitur Columella lib. 1. cap. 6. *Nam ea cæli positio maximè frigida & minime humida est, quæ vtraq; perennitatem conditis frumentis afferunt.* Idem vtitur verbo eiusdem cognationis cap. 16. *Nam in ea fructus maximè vis consistit, diutiusq; perennat.* Alterum autem fiebat perenne, quoties magistratus amnem transibant auspicatò, & in campo Martio aliquid agere volebãt. Alij ab *amne*, mutato vtrobique *a* in *e*. Posteriores quidem eâ re adducuntur in suam opinionem, quod passim legant aquas perennes, fluuium, fontem, laticem, perennem: atque literam *m*, in media syllaba retinent: vtraque notatio mihi probabilis videtur.

Pyramidum.] Lege Euterpen Herodoti, ac Plinium l. 36. c. 12. de Pyramidibus: quæ hoc nomen sunt sortitæ, quòd imitetur flammas acuminatas: quamuis prima syllaba breuis in deriuatis à πῦρ, repugnet, quæ est hic longa: ideoque à πυρῶ tritico deduci potiùs videretur productâ priore, vt apparet ex Iliad. θ. vbi Hector affatur equos:

Τμῖν πὰρ' ἀρίστοισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκε,
Vobis priùs suaue triticum apposuit.

Ammianus tamen lib. 22. sic describit: *Pyramides sunt turres ab imo latissimæ, quæ desinunt in acutissimas summitates ad ignis speciem, coniq; inuersi attenuationem: quâ formâ Aegyptij construebant sepulcra.*

Imber.] De imbre vide Oden 9. lib. 2. sicut de Aquilone 3. l. 1. qui hic dicitur *impotens*, quòd vehemens sit, minimeque coerceri possit. Gallicè *immoderé, intractable, insupportable.* Præpositio autem in hoc coniuncto non priuat simplex *potens* vi suâ, sed eam ipsi auget, vt *Ianus Dusa* lib. 1. præcidaneorum ad Petro. Arbitrum interpretatur vers. *Clienq; cœnas impotentium captet*, id est, *valde potentium*, nec probat commentum *Turnebi* audacissimè rescribentis, *ne potentium: quâ significatione hoc verbum est Horatio aliàs familiare.*

Omnis.] De hac voce dicetur Epist. 1. l. 1. ad verba: *omnis in hoc sum.*

Cum tacita.] Hoc videtur referendum ad sacrum silentium, quo peragebantur Idulia sacra singulis Idibus.

Multaq; pars mei.] Pro hoc dicet Epist. 1. l. 1. *magnam morbi deponere partem:* & Galli interpretãtur, *la plus grande & meilleure partie de moy ne mourra point qui est l'ame, ou plustost selon les Payens, le renom immortel apres mon deces, que Horace espere ici, comme il a desia fait en la premiere Ode du liure 1. Isocrates* Epist. 5. ad *Alexandrum Magn.* τὸ μέρος sic absolutè vsurpauit de animo, parte hominis præstantiore, *Scribam, ait, ad te aliquid huiusce modi, quo fiet, ne ij, quibus minimè sum notus, existiment me iam senio confectum desipere, prorsusq; delirare:* his deinde subscribit diuersa, ἀλλ' ἐπὶ τὸ καταλελειμμένόν μοι μέρος, καὶ λοιπὸν ὄν, οὐκ ἀξιόν ἐστι τῆς ἐμῆς ἡλικίας, ὃ ἔχον νεώτερος, i. *Sed* (iidem existiment) *partem* (vitæ) *mihi etiam nunc reliquam esse, quæ nec vnà cum vigore corporis interiit, nec indigne fegerit eâ facultate, quâ iunior præditus eram.*

Ausidus Daunus.] Ausidus & Daunus sunt flumina Apuliæ aridæ: cuius rex Daunus dedit amni nomen: rectiùs tamen. Daunus hîc videtur sumi pro homine, qui siticulosæ Apuliæ & regioni aridæ imperauit: de quo fluuio vide Strab. l. 4.

Regnator. Hic meliùs legeretur, *regnauit*, quàm *regnator populorum* per Græcam syntaxin, ἐβασίλευσε λαῶν. Virgilius tamen sic loquitur Æn. 2. *Olympi superi regnator:* sed Ausonius alterâ syntaxi vtitur Epigram. 4.

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius.

Seru. 11. Æn. ad hunc vers. 126.

Iustitiæne priùs mirer, belline laborum.

confirmat lectionem τῷ *regnauit*, figurâ Græcâ, *mitor illius rei*, & *regno illius*, vt θαυμάζω ἐκείνῳ καὶ ἀρχῷ ἐκείνου, vnde Horat.

Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnauit populorum.

pro agrestibus populis: item Τενέδοιο ἀνάσσεις, id est, *imperauit populis, & imperas Tenedo:* qualis fuit anteà, *desine querelarum, & abstine irarum.* Hic autem *regnauit populorum* pro *rex fuit.*

Populorum.] De hac voce atque etymo repete notas in Gram. Od. 1. l. 1. sed de Græca λαοὶ addam, quod Scholiastes Homeri scribit: λαοὺς λέγειν δεῖ τοὺς λάας, τοῦτ' ἔστι λίθους *dici à lapidibus* iuxta fabulam Deucalionis & Pyrrhæ.

Libitinam.] Quidam putant hîc per Libitinam Venerem intelligi, de qua Plutarchus in problematis Romaicis quæst. 23. ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐστὶν ἄγαλμα πάνυ παλαιὸν πρὸς ὃ τὰς κατοικομένας ὑπὸ τῶν κοιλῶν ἀναγκαῖόν ἐστι), id est, *Delphis est quædam Veneris Libitinæ imaguncula: ad quam mortuos euocant*, vnde funerum Dea credita est, vt illis euocatis libamine parentarentur. Hæc à *libando* dicta est, quasi *Libantina* ex Varrone. De hac quoq; lege Plutarch. in Numa, & Dion. Halicarnass. l. 4.

Ex humili.] Id est, ex obscuro & ignobili patre Libertino natus.

Aeolium.] Intelligit carmen Alcaicum: quia Alcæus Poeta Lyricus fuit Lesbius, quem imitatus est Horatius. Lesbos autem sita est in Aeolia.

Superbiam.] Hîc superbia ponitur pro arrogantia, licentia, & audacia, vel potiùs pro libertate ingenij, mētisque acumine, quod refert acceptum Musæ, non virtuti parentum: ob id dicit, *meritis.* Sunt enim merita plus, quàm officia, vt constat è l. 2. ad Brutum: *Lamiâ vno omnium familiarissimè vtor. Magna eius, non dico in me officia, sed merita.* Item ad Cornificium l. 12. *Ad hæc officia, vel merita potiùs, iucundissima consuetudo accedit.* De Melpomene vide Oden 4. l. 1. & ibidem de vocis veriuerbio: sed quomodo quis possit se laudare, lege Plutarchi lib. ea de re.

Cinge volens.] Verè & ex animo, quomodo Sallustius dicit: *nemo munificus putabatur, nisi pariter volens.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile Odes 1. l. 1.

[a] Synecd. generis pro Lyrico Poemate.

[b] Meton. est caussæ materialis pro statuis & simulacris ex ære conflatis.

[c] Epistrophe est in soni similitudine ad clausulas incisorum.

[d] Epanaphora est in *non* ter repetito.

[e] Hic libentiùs agnosco metonymiam subiecti pro adiuncta, vel potiùs pro adiungēda prædicatione nominis ac famæ futuræ & gloria (in qua multā sui partem plerique omnes profani ponebant, nec aliam vitę æternitatem agnoscebant) quàm simplicem locutionem de meliori parte hominis, *animo*: cuius immortalitatem nūquam hic Poeta probauit, sicut antè monuimus Od. 11. l. 2. refutando. Sic Ouid. locutus est:

Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar.

Vtriusque autem huius loci occasione Muretus, vt auctoritate libri veteris expunxit τὸ *animi* è recepta lectione ad finem pro Archia Poeta: *Hæc ad aliquam animi mei partem pertinebunt.*

[f] Ex locis Dionysij & Plutarchi suprà citatis didicimus ea recondi consuesse Romæ in templo Libitinæ, quæ ad pompam funebrem & exsequias pertinerent: ideoq; accipio hîc Libitinam per metonymiam caussæ, pro funere ac morte, quam Poeta suis versibus sperat se vitaturum. Hoc tamen ab aliis tribuitur Proserpinæ vxori Plutonis & Deæ inferorum. Quid si *Libitinam* sumeretur ἀντὶ τοῦ φερέτρου, τουτέστιν ἀντὶ τῆς κλίνης νεκρικῆς, & hęc, vt subiectum pro cadauere adiuncto?

[g] Synecdochica est periphrasis Vestalis.

[h] Similis est tropus Venusini Poetæ, qui valet: *Ego Horatius dicar primus Poeta Lyricus inter Latinos.* Hæc autem *dum Capitolium scandet, &c.* videntur explicanda per synecdochen speciei, pro, dum incolumis integerque totus status imperij erit.

[i] Synecd. est altera, sed generis pro Alcaico: & Sapphico, de quo vtroque annotatum fuit Od. 1. l. 1.

[k] Apostrophe est, ac mihi prætereà videtur hîc quoddam προκαταλήψεως genus, vbi Poeta occupat obiiciendam sibi audaciam & arrogantiam. Quòd probè sciret ex Biante, ἀνθάδης τρόπος πολλάκι βλαβερὰν ἐξέλαμψεν ἄταν, i. *fastus & superbia semper nocuit*, ad verbū, *superbi mores sæpenumero pernitiosum damnum perceperunt: quòd*, inquit, *nimis fortasse magnificè ac gloriosè meam virtutē prædicare videar; nō id mihi tam tribuo, quàm tuo studio & fauori, ô Melpomene, à qua exspecto lauream Apollinarem:* quomodo loquetur Ode 2. l. 4. vbi metonymiam statuo signi pro eximio Poeticæ appellationis ornamento & honore, ac prætereà synecdochen integri pro membris, id est, ramis lauri: è quibus nectebatur corona non eximiis tantùm Poetis, sed triumphaturis etiam pro insigni victoriæ in vtraque disciplina, militari & Poetica. Vt facilè cognoscas è 10. Epist. l. 2. ad famil. M. Cœl. Ruf. *velles enim, ais, tantum modo, vt haberem negotij, quod esset ad laureolam satis.* Dicitur prætereà Chryses Iliad. α. sub initium. quum in castra Græcorum venit captiuā Chryseiden filiam redemtum, Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Απόλλωνος. *Et coronam in manibus tenens Apollinis longè iaculantis.* Vsus hac Apollinari coronâ, cuius ratio redditur à Scholiastis hoc modo, vt interpretor: *Daphne fuit filia formosissima Ladonis fluuij in Arcadia, cuius amore captus Apollo & cupiens rem cum ea habere, id summo studio persequebatur. Ipsa autem, quum apprehensa fuisset à Deo, matrem terram precata est, vt se gremio hiante reciperet: quo facto & terrâ producente plantam eiusdem nominis, Apollo eam conspicatus obstupuit perculsus miraculo, & arborem de nomine virginis similiter Daphnem, id est, laurum appellauit.*

Finis libri tertij.

Q. HORAT.

Q. HORATII FLACCI VEN.

CARMINVM LIBER QVARTVS.

ODE I. AD VENEREM.

Theticum.

In vitatu Auguſti redit ad ſtudium Lyræ iam diu intermiſſum: quod, quia hominem quinquagenarium parùm decebat, iuueni Paullo Maximo iniici, ac munus ita ſcribendi mandari cupiebat.

INtermiſſa Venus diu (cor.
Rurſus [a] *bella moues. Parce precor,* [b] *pre-*
Non ſum qualis eram bonæ
Sub [c] *regno Cynaræ:* [2] *deſine dulcium*
Mater ſæua Cupidinum,
Circa luſtra decem [d] *flectere mollibus*
Iam durum imperiis. [3] *Abi,*
Quò blandæ iuuenum te reuocant [e] *preces.*
[4] *Tempeſtiuus in domo*
Paulli, [f] *purpureis ales oloribus,*
Comeſſabere Maximi:
Si [g] *torrere iecur quæris idoneum.*
[5] *Namq; & nobilis & decens,*
Et pro ſollicitis non tacitus reis,
Et [h] *centum puer artium.*
Latè [i] *ſigna feret militiæ tuæ.*
Et, quando quæ potentior
Largis muneribus riſerit æmuli:
Albanos propè [k] *te lacus*
Ponet marmoream ſub [l] *trabe citrea.*
[6] *Illic plurima* [m] *naribus*
Duces tura lyræq; & Berecynthiæ
Delectabere [n] *tibiæ*
Miſtis carminibus, non ſine fiſtula,
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
[7] *In morem Salium, ter quatient humum.*
[8] *Me nec fœmina, nec puer*
Iam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec [o] *certare iuuat mero:*
[p] *Nec vincire nouis tempora floribus.*
Sed cur, heu, Ligurine, [q] *cur*
Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parùm decoro
Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis [r] *te ego ſomniis*
Iam captum teneo: iam [s] *volucrem ſequor?*
Te per gramina Martis
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

Analyſis Dialectica.

SEneca l. 8. Epiſtolâ 59. diſputat è Platonis ſententia, perappoſitè ad querelas noſtri Poetæ de ingraueſcenti ætate tollendum. *Quæcunq;*, ait, *videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe propriè putat. Fluunt enim, & aßiduâ diminutione atq; adiectione ſunt. Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit iuuenis. Nemo eſt manè, qui fuit pridiè: corpora noſtra rapiũtur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore: nihil ex his, quæ videmus, manet: hoc in amne manifeſtius eſt, quàm in homine. Sed nos quoq; non minùs velox curſus præteruehit: & ideo admiror dementiam noſtram, quòd tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus: timemusq;, ne quando moriamur, quum omne momentum mors ſit prioris habitus, &c.* Quod autem Poeta iam quinquagenarius nequeat conſuetum munus res amatorias canendi explere; primùm è loco diſſentaneorum diuerſorum explicatur: *Aetas ſenilis minimè videtur opportuna & idonea ad amores canendos: ſed ad id iuuenilis aptiſſima.* Huius diuerſitatis prior pars confirmatur diſſimilibus: quòd ea ætas, quam tum agebat, longè alia eſſet, atque illa, quum ſeruiebat amicæ Cynaræ: vnde efficit ἐνθυμηματικῶς, ſe iam ἔχοντα πρὸς ἡλικίαν ἀστράτευτον, καὶ ἀπόμαχον, ἔξωρον τοῦ πάθους, quinquagenarium & militem emeritum eſſe imparem ſignis militaribus Veneris, aptè ferẽdis: ſed ad ea maximè idoneum eſſe Paullum Maximum: ὡς ἔχοντα πρὸς ἀνδρὸς καθεστηκυῖαν καὶ στρατεύσιμον καὶ μαχητικόν: cui Venus cõmodè debeat hoc dulce bellum mouere.

2 Hæc ſimilitudo aduerſis illuſtratur: *iam nunc adeò ſum rigidus & durus, vt ad imperium ac nutum alterius neque emolliri neque flecti poßim.*

3 Altera eſt pars diuerſitatis, vbi Venus remittitur ad iuuenes: à quibus certè votis ac precibus expetatur: quod ita poteſt iudicari: *Quærendi ſunt Veneri iuuenes ad munia comparis æquanda idonei*, vt locutus eſt Od. 5. l. 2. *ac ipſius appetentiſſimi: Paullus omnium iudicio eſt huiuſmodi: Venus ergo illum quærat, ocyusq; adeat.*

4 Proſyllogiſmus eſt aſſumtionis è maiorum contentione: *quòd ille meliùs Veneri ſatisfaciet, quàm Horatius.*

5 Approbatio altera eiuſdem aſſumtionis ex adiunctis multis: *quia Paullus Maximus eſt nobilis*, maritus Iuliæ neptis Auguſti, & gener Agrippæ, *decorus, elegans, artibus multis inſtructus*: deinde ex effectis: *quòd reorum cauſſas agat: diſertè defendat: munus militiæ Venereæ probè toleret: Venerem ſtatuâ marmoreâ exornet: tureis ſuffitibus perfundat: triplici genere cantionis celebret, quandocunq; & quoties apud eam potiores habuerit partes riuali excluſo.*

6 Eódem pertinent eiusdem facta sequentia: *quòd numen Veneris curabit ad eam statuam bis quotidie à pueris ac puellis colendum: hymnis, canticis, choreis celebrandum.*

7 Hæc facta illustrantur concisâ similitudine sic latiùs enuncianda: *Vt duodecim Martis Gradiui sacerdotes sacra hilariter exsultimq; faciunt suo Diuo: ita tibi Paullus facienda curabit.*

8 Repetitur vis prioris illius dissimilitudinis (*non sum, qualis eram*) tractata tamen genere diuersorum argumentorum: *Quanquam non tam amplius delector faminis, non pueris, non certamine compotationis, non floridis redimiculis, dum tamen præteritam amoris voluptatem memoriâ repeto, totus mœrore conficior, & illo coactus ad eu reuocor, à quibus ætas & voluntas mea valdè abhorrent.* Vides, Lector, Poetam sub finem præsentis Odes captum vesani cuiusdam amoris recordatione, & quodammodo declarare iam suæ imbecillitatis immemorem, turpiter lugere præteritum Ligurini pueri amorem: qualem grauiter ipsemet Poeta reprehendit in Valgio Ode 9. l. 2. Putarem equidem hæc intelligenda, vt Poeta fine iam facto Lyricis modis, sicut postremâ Ode l. 3. indicatur, coactus fuerit ab Augusto & Druso adolescente, velut à quadam Venere & virgine reuocatus, referre se ad rursus cantandum res ludicras, & amatorias, iuuenilesque iam diu intermissas: cuius cantionis immunitatem sub nomine Deę videtur ab Augusto deprecari, huiusmodique partes docet Lucio Paullo Maximo iuueni formoso, apprimeque docto & erudito posse mandari. Huiusce opinionis videtur mecum esse Suetonius in vita Horatij & alij, qui sentiunt hunc librum iussu Augusti ab inuito Poeta conscriptum, ad laudationem ipsius priuignorum, Tiberij & Drusi, sicut secunda, quarta, & quinta & duæ postremæ Odæ huius lib. demonstrant: ita vt hic liber videatur prorsus omnino πάρεργόν τι.

Enarratio Grammatica.

HÆc prima Ode est ἐπεισόδιον, τὸ δὲ ἐπεισόδιόν ἐστι, ἢ μεταξὺ ἄλλων ᾠδῶν, *est aduentitium quoddam additamentũ inter alias Odas*, præter institutum Poetæ, qui hortatu Augusti aggressus est scribere hunc librum Odarum quartum, septimo, vt aiunt, ante suum decessum anno.

Intermissa.] Sic Cic. Tusc. 1. dicit, *me ad studia temporibus remissa, & longo interuallo intermissa reuocaui.* Gal. *Ie me suis remis à l'estude delaissée pour quelque temps, & discontinuée par longue interualle.* sic hoc loco: *toy Venus, tu m'esmeus derechef vne guerre ia long temps discontinuée.*

Parce.] Gal. *deportez vous, ie vous prie, de me charger d'vne telle guerre*: vbi est ellipsis infiniti, pro, Parce mouere bellum mihi Horatio: quod adstruitur à Virgilio: *Parcite oues nimiùm procedere.* Orat igitur Venerem Poeta, vt desinat ipsi iam quinquagenario militiæ suæ onus imponere.

Cynaræ.] Hanc meretricem alibi vocat proteruam, vt Epist. 7. l. 1. & rapacem 14. eiusdem: vnde videretur epitheton *bonæ* εἰρωνικῶς sumendum: quòd si propriè, referendum vel ad maiorem ipsius beneuolentiam erga Poetam; quàm erga cæteros riuales & æmulos, vel ad paucitatem donorum, quâ facilè contenta faciebat illa sui copiam Poetæ. Est præterea φυτὸν ἀκανθῶδες καὶ τραχὺ, *planta spinosa & aspera*, quæ etiam ἄκανθα κυνάφα, *sentis canina*, & κυνοσβατος *rubus caninus* dicitur, ad cuius naturam fortassis hic alluditur: nisi malis lectionem aliorum exemplarium, *Cinaræ:*

Mater sæua.] Hic versus fuit Ode 19. l. 1. vbi vide ipsius rationem.

Cupidinum.] Id est, amorũ, quos Philostratus in Iconibus scribit è Nymphis genitos atque tot, vt eorum multitudo nominetur agmen & apum examen.

Circa lustra.] Lustrum est temporis spatium quinque annorum, quod decies additum efficit quinquaginta. Illud autem Græci πυντετηρίδα ἢ πυντήρειαν, vt Od. 1. lib. 1. definitum fuit, vocant. Aliter sumitur hæc vox Sat. 6. l. 1. ad *mala lustra*, vbi nostras leges notas tam in Gram. quàm in Rhetor.

Tempestiuius.] Syntaxis verborũ est huiusmodi: *O Venus tu ales celeris & velox, quæ veharis curru à cygnis celeriter tracto, comessabere tẽpestiuius,* ὡς εἰκὸς πέρας καὶ κομιδῆ πέρας, hoc est, *commodiùs & opportuniùs iocaberis & lasciuies decentiùs apud Paullum, quàm apud Horatium.*

Oloribus.] Olores naturâ quidem cãdidi sunt; sed hîc purpurei dicuntur, habitâ ratione purpurei ornatus, quo ipsi & currus Veneris sternuntur, vel pulcri intelliguntur. Cruquius tamen interpretatur purpureos cygnos, Veneri sacros, quasi alludsum sit ad Porphyrin & scriptum *Porphyreis oloribus*, quo nomine Plin. scribit l. 4. c. 12. & Mela Cytheram insulam olim vocatã, quæ fuit eidem Deæ consecrata. Huc accedit, currum Veneris modò trahi à cygnis, modò à columbis, modò denique à passeribus solitum: quæ sunt aues omnes lasciuæ & salaces. Cur autem purpurea nix dicatur, vide Plin. lib. 11. c. 38. vbi tribuit illud vetustati. quâ rubescit. Anaxagoras quoque opinabatur niuem esse atram, opinionisque suę rationem afferebat, quòd ex aqua coaleiceret, quæ nigra esset. Hæc ratio absurda est & falsa, quam Cicero Epist. 12. l. 2. ad Q. Fratrem dicitur risisse: quia hic ad illum scripserat per iocum, se inuenisse niuem atram. Sed hoc epithetum intelligebat tropicῶς, pro valdè obscuran em oculos viatorum, ac radios eorum dissipantem, ideoque vehementer incommodam expeditioni ac profectioni exercitus sui, quòd fortassis esset ipsi cum hostibus dimicandum in mediis niuibus, non sine vitæ discrimine. Sic *atras curas* Ode 14. l. 3. sic *sororum Fila trium patiuntur atra.* Huc accedit, quod historiæ ætatis nostræ memorant, sed prodigij loco, Salassorum montem Gallicè dictum *du petit S. Bernard du costé de la vallee d'Oste* in Sabaudia purpureis niuibus stratum, quæ non modò tales oculis multorum spectatę fuêre, sed manibus quoque eorundem contrectatæ, sub finem Februarij eiusdem anni. Decidentes quidem apparebant albæ: sed vbi terram contigerant; purpurascebant. Canterus l. 5. nouar. lect. profert ex Ione Euripidis pedem cygni purpureum vocari, ἐκ ἄλλα φοῖνικοφανῆ πόδα κινήσεις; *non aliò pedem mouebis purpureum?* præcedenti autem versu dixerat, ὅδε πρὸς δυμέλας ἄλλος ἑρέσσει κύκνος, *alius cygnus ad aras admouet se.* Itaque ex huius membri rubore synecdochicῶs integrum nominari purpureum.

Commessabere.] Recentiores hoc verbum interpretãtur, vt modò diximus ad verba *tempestiuius*, deflectẽtes παρὰ τὸ κωμάσδειν, Doricè pro κωμάζειν, quo vtitur Theocritus εἰδ. γ.

Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρύλλιδα,

i. *vado lasciuè & proteruè ad Amaryllida*: alij autem interpretantur, cantu blandior Amaryllidi: ex quo comassare & comassatio, vel comissare & comissatio, vt Festus dicit, deflectuntur: non autem à κώμαι, i. vici, vt hic putauit, neque à *comedo* Latino. Præterea verbum κωμάζω & nomen κῶμος originem trahunt παρὰ τὸ κῶμα, quod est altus sopor, in quem solent incidere, qui tali κώμῳ, i. symposio, conuiuio, lasciuo & luxurioso intemperantæque festiuitati interfuerunt. Quid verò Scholiastes Theoc. sentiat ibidem, tibi profero illustrationis gratiâ: τὸ κωμάζειν λέγει ὅτι πρὸς νύκτα οἱς τὰς ἑρωμένας ἀπέρχωμεν

μένων, ὡς Αειτροφάνης ἐν Πλούτῳ, ἔοικε δ' ὅτι κῶμον βαδίζειν, &c. κωμάζειν dicitur de adeuntibus nocte amatas, vt Aristophanes in Pluto, videtur ad comeßationē ire. Hoc igitur sonat: adeo Amaryllida, vt eam odis & verbis ad id accommodatis tentem.

Si torrere quaris.] Id est, si quem studes tuæ libidini accommodatum incendere amore.

Iecur.] Quomodo iecur sit sedes libidinis, vide Od. 13. lib. 1.

Non tacitus.] Hoc genus locutionis explicatum est Ode 1. l. 1. in *nec spernit.*

Quandoq;.] Vt *quandoq;* hîc & sequenti Ode & alibi pro *quandocunq;* sumitur; sic simplex *quando* accipitur in illa sententia sepulcrali, quam refert Suetonius in Iulio Cæsare c. 81. *Quando ossa Capys detecta essent, fore, vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur.* Vt *quandoq;* concisè dicitur de tempore: sic *vbiq;* pro *vbicunq;* de loco: *Catilina dimisit alium aliò, vbiq; illum oportunum sibi fore credebat.*

Lacus.] Ferũt esse in monte Albano lacum, qui nunc dicitur lacus castelli Pandulphi, vbi prædia habebat amœna hic Paullus, ad liberaliùs Venerem tractandã.

Trabe citrea.] Quod annotatum fuit in Ode 1. lib. 1. de *trabe Cypria*, huc potest referri, ad intelligentiam vocis *trabe*. Ex hac trabe odoratæ arboris Citri, spiraturus erat perpetuus odor ad nares imaginis.

Duces tura.]Sic locutus est Ode 17. l. 1. *duces pocula*, sed hoc faucibus ἁπαδῶσι, illud naribus fit.

Berecyntia.] Vnde hæc vox flexa sit, dictum est Ode 18. l. 1. ac de huiusmodi tibia ibidem.

Pede candido.]Pro hoc Catul. dicit in nuptiis Iuliæ, *pede niueo gerens soccum*, i. candidissimo, vt Euripides in Hecuba, πάλλ' ὄκνον δέρειν χ' ποδὶ, *candidissimũ collum & pedẽ.*

Morem Salium.]Sic etiam loquetur Sat. 1. l. 2.

Primus in hunc operis componere carmina morem.

Et Virg. 1. Georg. In morem fluminis: quod Valla explicat l. 4. in similitudinem. Potest tamẽ hic locus exponi, *vt mos erat Saliorum.* Quamuis autem de *Saliorum* nomine, origine & motu Ode 36. l. 1. quędã dixerimus; attamen quum multi, atq; adeò veteres etiam Grammatici dubitent, Herculisne an Martis illi sacerdotes propriè fuerint, (vtrisque enim attributos legimus) nõ ingratum tibi, Lector, fore putaui, si rem hîc paullò altiùs explicationis gratiâ repeterem. Turneb. l. 13. Aduers. à *Salio* quodam Arcade Euandrum in Italiam sequuto *Salios* appellatos scribit. Atqui vetus Grammaticorum mos est, in originib. tam nominũ quã rerum explicandis ad fabulas & ficta auctorum nomina confugere. Vera nominis est notatio, quam dicto iam loco è 2. Dion. Halicarnassæi lib. attulimus: *Salios* à verbo *salire*, quod Græcis est ἐξάλλεσθαι χ' πηδᾶν nominatos: atq; ab eodem verbo (non metaphoricõs à *Saliis*, vt Dionysius dicere videtur) omnes alios ὀρχησταὶ seu Ludios, qui crebro saltu ἐνόπλιον ὄρχησιν choreas armati agitãt & ludunt, *Salitores* appellatos. Rectè enim generaliter in veteri glossario ὑμνῳδὸς *Salius* vertitur, vti Scaliger filius quodam in loco notauit. Quò accedit eiusdẽ Dionysij auctoritas, qui Salios χορευτὰς τινας χ' ὑμνητὰς τῶν ἐνοπλίων Θεῶν· *tripudiatores & celebratores armatorum Deorum* fuisse memorat. vnde perspicuum, vt arbitror, satis; Salios neque Herculis, neque Martis, neque cuiusquam alius certi Deastri sacerdotes fuisse, sed multorũ simul armorum præsidum, illamque vocem posteà κατ' ἐξοχὴν συνεκδοχικῶς Martis duntaxat Ludiis alicubi attributam. Quũ igitur Poeta noster & hîc & suprà citato loco dicit in *morem Salium*, & Virg. 8. Æn. ad vers.

Tum Salij ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt euincti tempora ramis.

in sacris Herculi celebratis Salios ad cãtum nominat, ἁπλῶς & propriè generali verbi notione & vsu loquũtur. Seru. autem & Macrobius, vt explicent cur Virgilius Herculi Salios attribuerit, dum nescio quid de cõmuni Herculis & Martis numine ac stella, huius tropi ignorantiâ, afferunt, quid aliud quæso, quàm Alexandri ritu Gordium hunc nodum dissoluunt? Hanc verò enopliam pyrrhicam saltationem à Curetib. seu Corybantibus primùm institutam, Euander Arcas ad Herculis sacra, indeq; posteà Numa ad Martem Gradiuum gentis Romanæ parentem transtulit.

Ter quatient.] Significatur chorus Saliorum impari numero moueri. Gall. *danser à triple cadence.*

Me nec femina.] Ellipsis est discretiuæ coniunctionis; *sed femina*, inquit, *non me amplius iuuat, nec puderastia infamis*, de qua dicetur Od. 10. huius in ipsum Ligurinum. Poeta sentiebat in sẽ, quod Birria suadebat Charino And. Act. 1. Sc. 5. *vt amorẽ ex animo dimoueret suo*, pro quo Cic. dicit Philipp. 11. *se amorem penitùs ex animo abiecisse.*

Vincire floribus.] De quibus vide Od. 28. l. 1. & 7. l. 2.

Rara.]Vis doloris adeò constringit interiores partes quorundam corporum, fereque extinguit, vt vix lacrymæ exprimantur. Paullus Æmilius senex quum filium lacrymantem amplecteretur & exoscularetur, non flebat: quod siccitati senum partim tribuitur, partim etiam vitæ secundæ, quantum agebat cum cælicolis. Vide somnium Scipionis.

Cadit.] Pro interfiit, titubat, hæsitat, lingua torpet in media oratione: pro quo dicitur 4. Æn.

Incipit effari, mediaq; in voce resistit.

vbi Seruius citat hunc locum.

Inter verba.]Qui remotiores sunt ab ætate aurea Latinitatis, pro hoc dicunt, inter loquendum, vt aliàs monui.

Nocturnis somniis.] De insomniis vide Hippocratem lib. περὶ ἐνυπνίων, quod citauimus in præfatione: nec solùm somnia contingunt amantibus sed omnibus, qui aliquid interdiu altâ mente versârunt, & oculis gestârunt: vnde Cic. ad Q. frat. dicit, *Balbum in oculis fero*, & de Arusp. Resp. de Clodio loquens *ferebant in oculis hominem*, pro quibus Plautus dicit, oculitus amare, id est, perditè ac vehementer, vnde posteà existũt insomnia, vt Lucret. l. 4. canit: de quo etiam lege Arist. περὶ τῆς ἐξ ἐνυπνίων μαντικῆς, & Galenum libello de præsagiis & insomniis.

Per gramina.] Id est, somnio te currentem, luctantem in campo Martio. In *decoro* est hypermeter.

Volubiles.] Sic Epist. 2. l. 1. *amnis volubilis.* & 3. Georg. vers. 522.

—*per saxa volutus*
Purior electro campum petit amnis.

Sic annus & menses volui dicuntur, δινεῖσθαι χ' τρέφεσθαι, ἑλίττεσθαι, vnde ἑλικτὸν ὕδωρ, *volubilis aqua.*

Explicatio Rhetorica.

ODe metro similis est tertiæ l. 1.

[a] Porphyrio putat hîc bella & militiam allegoricõs poni ad indicandos amores & amatores, nam amor genus est militiæ Ouidio:

Militia species amor est, discedite segnes.

[b] Hoc verbum bis continuè repetitum in eadem sententia facit epizeuxin, vt apud Virgilium, *Deus, Deus ille Menalca*, ad vim deprecationis notandam.

[c] Metaph. est à Monarchis, qui obsequium à subiectis exigunt, pro, quum seruiebam subiectus dominæ meæ Cynaræ: ita hodie insani amatores parùm pudicas mulieres, nonnunquam meretrices & adulteras, suas dominas appellant, nomen sanè corruptis mori-

bus digniſsimum: quum illi abiectam, infamem & miſeram ſeruiant ſeruitutem. Ita Ode 9. eccinit ſe à Threſſi Chloe regi.

d Sumtum eſt à mollibus & teneris corporib. quę, quocunque torqueas, facilè ſequantur: contrà, citiùs dura, quàm hoc facerent, rumperentur: ad animi flexionem.

e Meton. eſt, pro, *iuuenes blandè precantes, reuocant te.*

f Metaph. eſt à colore purpuræ, ad pulcritudinem olorum indicandam: ita Seru. verſ. 595. Æn. 1. *lumen iuuentæ purpureum* interpretatur pulcrum & floridum. Nix quoque purpurea dicitur. Ita *aureus* ſæpè vſurpatur pro pulcro.

g Sumtum eſt ab igne, vt vrere.

h Synecd. eſt finiti pro infinito, i. variis artibus eruditus, aut certè ad illas natus.

i Breuis eſt allegoria è continuata metaphora & nota, vel ex hoc Naſonis verſu:

Militiæ ſpecies amor eſt: diſcedite ſegnes:

vt modò dictum fuit.

k Meton. ſubiecti, pro, exiget tibi ſignum marmoreum & ſtatuet, vel ſtatuam tibi ponet.

l Meton. eſt materiæ, pro laqueari ædis è tabulis & lignis odoratis conſtructæ: qualis tropus fuit Ode 1. l. 1. *Trabe Cypriâ ſecet mare.*

m Metaphora eſt ab animatis ad inanimam imaginem, cui tribuitur ſenſus & odorum & ſonorum: ſed in *tura* eſt metonymia ſubiecti pro ipſius odore, quo perfundetur ſtatua.

n Synecdoche eſt ſpeciei, pro quauis tibia bene modulanti. De hac, vt de lyra & fiſtula, tribus organis Muſicis dictum eſt Ode 19. l. 3.

o Ductum à bello.

p In *nec* repetito vt in *cur* epanaphora eſt duplex initio ſententiarum.

q Altera epizeuxis eſt, quam minimè impedit apoſtrophe ad Ligurinum per exclamationem commiſerantis ſe.

r *Te te*, miſtis locis repetitũ habet ἐπάνοδον, *regreſſionẽ.*

s Sumtum ab auibus pro ſequor te fugientem celeriter, ſic, vt *dure* à ſaxis & metallis, pro difficilis, inexorabilis, inflexibilis animi ad fœdiſsimam cinædiam amatori turpiſsimo permittendam. Græci dicunt ſimili tropo ἄνθρωπον ἀυσηρὸν καὶ σκληροδίαιτον: *moribus aſperis & duris præditum*, vt Plautus ſæuum & durum: cui moderatus ac mitis opponitur, vt μαλακὸς σκληρῷ.

Ode II. Ad Antonivm Ivlvm Fabium M. Antonij Triumuiri filium.

Theticum.

Quòd nemo poſsit Pindarum æquiparare orationis ſtylo, quamcunque ſibi materiam deſtinet ad ſcribendum: vnde Poeta, velut inconſultò, delabitur ad Auguſtum prædicandum.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari, [a] *Iule, ceratis ope Dædaleâ*
Nititur pennis, [b] *vitreo daturus*
Nomina [c] *Ponto.*
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas [d] *aluêre ripas,*
[e] *Feruet,* [f] *immenſusq́; ruit profundo*
Pindarus ore:
Laureâ donandus Apollinari
Seu per audaces noua Dithyrambos
Verba [g] *deuoluit, numerisq́; fertur*
Lege ſolutis:
Seu Deos, [h] *regesq́; canit, Deorum*
[i] *Sanguinem: per quos* [k] *cecidêre iuſtâ*
Morte Centauri: cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ:
Siue, quos Elea domum reducit
Palma cæleſtes: pugilémve, equúmve
Dicit, & [l] *centum potiore ſignis*
Munere [m] *donat:*
Flebili ſponſæ iuuenémve raptum
[n] *Plorat, & vires animumq́; mores-*
que [o] *Aureos educit in* [p] *aſtra,* [q] *nigro*
que Inuidet Orco.
[r] *Multa Dircæum leuat aura cygnum.*
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: [s] *ego apis Matinæ*
More, modoq́;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uuidiq́;
Tiburis ripas, operoſa paruus
Carmina [s] *fingo.*
[6] *Concines maiore Poeta* [t] *plectro*
Cæſarem, quandoq́; trahet feroces
Per ſacrum [u] *cluium, meritâ decorus*
[x] *Fronte Sicambros:*
[7] *Quo nihil maius meliúſve terris*
Fata donauêre, bonique Diui:
Nec dabuni, [8] *quamuis redeant in aurum*
[y] *Tempora priſcum.*
[9] [z] *Concines lætosq́; dies & Vrbis*
Publicum ludum ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forumq́;
Litibus [aa] *orbum.*
[10] *Tum mea, ſi quid loquar audiendum,*
Vocis accedet bona pars, & ô [bb] *Sol*
Pulcer, ô laudande, canam recepto
Cæſare felix.
Tuq́; dum procedis, io triumphe,
Non ſemel dicemus, io triumphe,
[cc] *Ciuitas omnis: dabimusq́; Diuis*
Tura benigne.
[11] *Te decem tauri totidemq́; vaccæ,*
Me tener ſoluet vitulus relictâ
Matre qui largis iuueneſcit herbis
In mea vota:
Fronte curuatos [12] *imitatus ignes*
Tertium Lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niueus videri,
Cætera fuluus.

ANA-

Analysis Dialectica.

QVantum ego ex litera huius Odes coniecturam facere possum, Anton. Iulus Poeta & filius M. Anton. Triumuiri, vel quis alius iactauerat se de imitatione Pindarici styli, vnde quàm longissimè abesser, vt noster Horatius edoceret, præsentem Oden instituisse videtur, ita tamen, vt inde facilè conijcias, præter alios Heroas variâ & multiplicem scribendi materiâ præberi Poetis ab Augusto magnitudine & multitudine rerum præclarè gestarũ. Quid autem augustiùs de Cæsare dici posset hac prædicatione? imò verò quid turpiùs, quam talibus blanditijs & assentationib. beneuolentiam principum sibi colligere? Prima autem demonstrationis ratio è loco parium ducta est: *quòd quicunq; sibi putat Pindarum imitabilem esse, eandem temeritatis famam subiturus sit, quam subijt Icarus ope Dædali patris sui conatus aerias volucres imitari:* simili vtitur argumẽto ipse Pind. Nemeo. ειδ. Β. προϛ. β. in iactantiam suæ facultatis poeticæ,

Εἰδ' ὄλβου, ἢ χερῶν βίαν,
ἢ σιδηρείαν ὑπαινῶ-
σαι πόλεμον δεδόκηται, μαχράμοι
δ' ἀυτόθεν, ἄλμα δ' ὑποσκα-
πτόμπις, ἔχω γονάτων ἐλαφρὰν ὁρμάν,
καὶ πέραν πεύτοιο πάλλου-
τ' αἰστοί, id est,
Sed si felicitatem (Æacidarum) *aut manuum robur*
aut ferreum bellum (i. virtutem bellicam) *placuerit*
Laudare, longos mihi
Inde saltus quis subfodiat;
Habeo genuum celerem impetum.
Vltra etiam mare feruntur aquilæ.

In certamine saltus fossis signabantur. Itaq; Poëta tanquam saltaturus, iubet metam hic poni, quam tanto productur us sit interuallo, vt nemo postea saltu illam attingere, ne dum superare queat, eamque tantò extenturus, quantò aquilæ longius altiusque cæteris alitibus volant. Vnde dici posset de Pindaro, quod Theognis de se:

Μαμυκῶνται δ' με πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί.
Μεμφοῦται δ' ἀδεὴς τῶν ἀσόφων δυμάτων.
Carpunt me plures docti, indocti q;: sed imitari nos indoctorum de grege nemo valet.

2 Protasis comparationis confirmatur velut prosyllogismo, è loco similium: *Vt torrens largis imbribus auctus exundat: sic stylus orationis Pindaricæ est feruidus, grauis, fusus, sublimis, sententijs copiosus:* vnde efficit *eum Delphicâ laureâ donandum, more triumphantium:* quod ad locum adiunctorum pertinet.

3 Apodosis proximæ similitudinis, de volubilitate verborum, & grauitate sententiarũ, amplificatur distributione quadam variæ materiæ ex effectis: primùm, *quòd verba prudenter inuenta fundat audacter:* deinde *quum hymnos scribit in honorem Bacchi, vel aliorum Deastrorũ laudes dicit, vel regum diuinæ prolis res gestas literis prodit, qui Centauros sustulerunt: monstra prostrauerunt: victoriâ Olympicam pugilatu, cursu, equitatu, luctatione, & alijs certaminibus reportârunt:* vel *quum memorat flebiles & mœstas sponsæ querelas de iuuene sponso præmaturâ morte sublato:* vel denique *effert gloriâ & prædicatione viros singularis virtutis, probitatis & integritatis: tum certè sublimis illius stylus & elatus existat maximè.*

Tota hæc materia videtur περιοχικῶς complecti quinque genera scriptorum Pindaricorum: Βακχικὰ in vers. *Seu per audaces:* & reliquo quaternionis: Παιανας in quaternione toto *Seu Deos, Reges q;:* Ὀλυμπονίκας in quaternione *Siue quos Elea.* Θρηνους καὶ ἐγκώμια in quaternione *Flebili sponsæ*, simul comprehensa.

4 Carmina Pindari cõmendantur loco minorum: *quòd illa omnes statuas & signa superẽt diuturnitate memoriæ.*

5 Poeta è superiori propositione parium negatè assumit: *non ego iacto tanti Poetæ imitationem, neq; ingenium ita vendito meum, nec memoriam ostento, vt more magni Pindari possim ego paruus assurgere.* Hæc autem assumtio declaratur prosyllogismo è collatione similium: *Vt apes vago & humili circumuolatu delibat & carpit è plantis maximè adoratis floscules & succos ad mellificium: sic ego maximo labore humilia, sed tamen suauia condo carmina: tam longè absum ab vbertate & maiestate dicendi Pindarica, quæ se extollit in sublime & exsurgit more cygni.* Ex his facilè possumus conficere nullam temeritatis & arrogantię famam Horatio pertimescendam.

6 Adhuc summissè Poeta se gessit: quum de se verba faceret; nũc de Iulo magnificentiùs loquitur: quod est imitandum: ista tamen modestia & prudẽtia clam & occultè minuit arrogantiam Iuli, magnosq; spiritus deijcit, quamuis autem illi Poeta tribuat grauius & sublimius canendi genus: de cuius opinione, quum ei variam cantandi materiam præscribit, videtur nonnihil derogare.

7 Amplificat illam scribendi materiam collatione parium, quæ præstantissimam quamque à Dijs hominibus datam suâ dignitate æquet. Hæc ratio videtur petita ex illis 17. præsagijs, quæ Suetonius in vita Augusti recenset de felicitate ipsius adhuc pueri futura, maximeque è duobus: vno Quinti Catuli, altero Marci Ciceronis: quod hic ipse longo pòst tempore visus fuit confirmasse Philippicâ 13. ad finem: *Quo maior adolescens Cæsar, maiorque Deorum immortalium beneficio Reipub. natus est, qui nullâ specie paterni nominis, nec priuatæ abductus vnquam est.*

8 Eadem declaratur loco diuersorum: *quòd licet illa priscorum aurea ætas rediret: tamen nullâ nobis suggereret materiam hac meliorem.* Magna certè laus Augusto tribuitur, quâ res ab eo gestæ commendantur sempiternæ gloriæ & immortalitati.

9 Pergit dictare Iulo aliam materiam.

10 Iam se adiungit socium dicendi vnà & prædicandi res à Cæsare præclarè confectas, vbi sacra, quæ nomine ipsius fient, ex forma quadam & materia describuntur.

11 Ad formam sacrificij accedit etiam dissimilitudo victimarum, quæ litabuntur ab Iulo maximæ, & ab Horatio minimæ. Talis fuit comparatio Grosphi & Horatij Ode 16. lib. 2.

12 Breuis similitudo iuuenci & crescentis Lunæ vno verbo significata: tanquam diceret: *talia gestat hic iuuencus cornua; qualia sunt Lunæ tertio post coitum ipsius & Solis die.*

Enarratio Grammatica.

ANtonium Iulum.] Sueronius scribit in Claudio cap. 2. D. Claudium Lugduni natum Calendis Augusti hoc Iulo Antonio Fabio & Africano Cos. (ita triplex appellatio huius Antonij se habet vt Iulus sit prænomen) vnde Virgil. lib. 1. Æneid.

Iulius à magno demissum nomen Iulo.

Id est, Ascanio, Æneæ filio: vbi Analogia deriuati discrepat à primigenio. Nam ἐν τῷ *Iulo* τὸ I, est vocalis: sed ἐν τῷ *Iulius* est consonans: qualis fuit Ode 12. lib. 1.

Micat inter omnes, Iulium sidus:

Vnde quidam putant etiã τὸ *Iule* εἰς διασυλλαβίαν cõtrahi hic posse sine dissectione vocis. *Antonius* autẽ nomen, ac postremò *Fabius* cognomen, cõtrà quàm vulgaria Sue-

tonij exemplaria, quæ coniungunt Fabio cum Africano, notant.

Pindarum.] Quis hic fuerit, præterquàm quòd satis omnibus constat è Suida & ex ipsius poematis. Scimus prætereà è Fabio Quintiliano lib. 8. cap. 6. principem eum fuisse Poetarum Lyricorum: è cuius descriptione intelligitur, quomodo fuerit grauitate arduus, constructioneque ac ordine immensus ac prolixus. Prætereà noster hic Poeta lib. 10. cap. 1. eiusdem Rhetoris sic appellatur: *nouem autem Lyricorum,* (qui Ode 1. li. 1. commemorati sunt) *Pindarus longè princeps est spiritus magnificentiâ sententijs, figuris, beatissimâ rerum verborumq; copiâ, & velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem:* proinde, quemadmodum sodalitas Antonij & Cleopatræ dicta fuit ἀμιμητόβιος à Plutarch. in vita Antonij: ita stylus Pindari Lyricus potest ἀμιμητόλυρος vocari.

Studet æmulari.] Sic Sallustius: *Qui student præstare cæteris,* & Cicero, *studeo audire ex te.* Hoc verbum est desiderij & conatus, vt *Laboro* ad Pisones:

Commisisse cauet, quod mox mutare laboret, & ibidem sub finem:

Et torquere mero quem perspexisse laborent, vt etiam *quæro,* Ode 37. lib. 1. — *gloriosius Cleopatra quærebat perire.* & Epist. 1. lib. 1.

Quæris Mæcenas iterum antiquo me includere ludo: sicut Græcè παιδάζει καὶ ζητεῖ παρεισδῦναι καὶ ἀποκτεῖναι, *studet ingredi & nititur occidere;* vt etiam hîc dicitur, *ceratis pennis niti.* Ita Sallust. dicit: *Summâ ope niti.* Sed verbum *æmulari* Nonius ita distinguit ab *imitari, vt imitatio sit simplex absq; mistura inuidiæ: æmulatio autem habeat quidem imitãdi studium, sed cum malitiæ operatione.* Sic æmulus & imitator differunt. Ita Græcum ζηλῶν, in vtramq; sumitur partem.

Dædaleâ] De hoc vide Oden 3. lib. 1. vt de Icaro primam eiusdem.

Profundo.] I. ingenti vi dicendi & inexhaustâ copiâ verborum vtitur, ac more decurrentis amnis mouetur.

Dithyrambos.] Dithyrambus hymni genus in laudẽ Bacchi, qui cognominatus est Dithyrambus, vel quia ἐν ἄντρῳ διθύρῳ, *in antro bifori* nutritus: vel quia ebrij nihil continent eorum, quæ illis credantur: vel quia δὶς θύραζε ἔκβη, *bis foras exijt,* id est, primùm ex vtero Semeles natus est, deinde mox è femore Iouis: alij putant legendum esse Lythyrambos: propterea quòd quum illum Iupiter insuissset in femur suum donec maturuisset, iam maturus clamauerit, λύθι θύρρα, *solue ianuam.* Idcirco fuit cognominatus Ἐλεαφιώτης, tanquam diceres *assutium,* ὅτι ἐκεῖνος ἐρράφθη ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός, vt iam explicatum est. Quanquam autem Cicer. 3. de Orat. sic loquatur de Dithyrambo tanquã de Poëmate notissimo ad hęc verba, *inde ille licenter fluxit Dithyrambus, cuius membra & pedes sunt in omni locuplete oratione diffusa:* nulla tamen eius exempla quisquam vel è Græcis vel è Latinis poeta posteritati reliquit; vt P. Ramo fuerit quondam perdifficile, quæ species illius esset, diuinare, quum libellum M. T. Cicer. de opt. orator. gen. suis prælectionibus illustraret. *Iohannes Auratus, ait hîc P. Ramus, in literis Græcis, quarum regius Professor est, sed in poetis præsertim docte ac eruditè versatus Pindaricum Dithyrambici carminis in libr. Dionys. Halicar.* τοῦ περὶ ὀνομάτων θέσεως *nobis ostendit; sed ita confusum, vt species nulla carminis distincta cerneretur. Itaq; à collega & amico impetraui, vt pro ingenij facultate, quâ valet plurimum, exemplum tam nobile suæ formæ restitueret. Sic igitur restituit, & eodem numero reddidit,*

Δεῦτ' ἰς χορὸν.
Ἔπτε κλυτὰν πέμπετε χάριν Θεοῦ
πολύβατον ὅ τ' ἄγε
ἔμφαλον Δυόνυσα,

Ἐν τοῖς ἱεραῖς Ἀθήναις
οἰχνεῖτε παντὸς δαιδάλου τ' ἀγορᾶν
ἰοδέτων λάβετε στεφάνων
τῶν ἐαροθρέπτων λοιβάν
Διόθεν μέ σωὶ Ἀγλαΐᾳ ἴδητε
πορδυθέντες ἀοιδαῖς
Δεῦτ' ὀδὸν χιοπόλον Θεὸν, ὃν βρέμουσι,
θ' ἱερβόαν βροτοὶ καλέομεν·
Γόνον ὑπάτων τε πατέρων μέλπομεν,
Γυναικῶν τε Καδμείαν Σεμέλαν.
Ἐν ἀργείᾳ Νεμέᾳ
Μαντιν ἐ λανθάνει
φοίνικος ἔρνος, ὁπότ' οἰχ
Ἑσπέρου ὥρᾳν θαλάμῳ,
Εὐόδμων ἐπύθοσιν ἔαρ φύτὰ νεκτάρεα·
τότε βάλλεται, τότ' ἐπ' ἄμβροτον
χέρσον ἔρκτὰ ἰὼν φόβα,
Ῥοδέ τε κόμαισι μίγνωται.
ὑμνεῖτε δ' ὀμφᾷ μελέων σωὶ αὐλοῖς,
ὑμνεῖτε Σεμέλαν ἐλιχάμπυκα χορεύσαι.

Hanc ad choream Olympici
Adeste, agedum, mittiteq; gratiam.
Celebre solum vrbis, quibus,
Vmbilicus odorus.
Sacras penes est Athenas
Semper frequens splendidum, nobile forum.
Sumite, quæ damus è violis
Vere nouo lectis serta:
Cælitus aspicite me cum Aglaia
Meo carmine ducti
Visite nunc religatum Hederâ Bromium;
Quem grauifremum vocamus homines,
Patreq; satum canimus maximo,
Puellaq; Cadmeâ Semelo
In Argea Nemea
Augurem non tunc latet
Frondosa palma, simul horarum aperto thalamo.
Ver audierit odoriferum herbula nectarea
Ibi funditur super almam, ibi terram
Violæ placens coma:
Rosaq; comis maritatur:
Laudate per cantica tibiasq;,
Laudate Semelen Chorea nigricomam

Nunc ego possum idem hîc dicere, quod de hymno dixi in Gramm. Odes 1. li. 1. ex quo igitur hæc scripta fuerunt, similem nostræ & alienæ descriptionem Dithyrambici carminis inueni casu quodam in Eclog. Photij Patriarchæ C. P. è Procli Chrestomathia Grammatica, nullo tamen talis versus apposito exẽplo. Huius autem descriptionis est interpretatio Latina. *Dithyrambus* quidem in Bacchum cõscriptus est; ab ipso autem nomen inuenit, vel quòd Nysæ in antro Dithyrambo. i. bifori educatus sit; vel quòd λυθέντων βαμμάτων, i. *futuris solutis Iouis repertus sit;* vel quòd *bis genibus videatur, Semel ex Semele, iterumq; ex femore.* Repertum autẽ fuisse Dithyrambum Pindarus refert Corinthi. Primum verò, qui hoc carmine vsus fuerit, Aristot. dicit Arionem fuisse, qui primus duxit chorum Cyclium: paulò autem pòst ibidem describitur sic. *Est præterea Dithyrambus, incitatus, & multum fanatici furoris cum saltatione ostendens, ad vehementiores q; affectus comparatus, ad eos præsertim, qui illi numini sunt congruentes, & concitatus est numeris, & dictione vtitur simpliciori.* Hoc tamen è Diametro pugnat cum descriptione Aristotelis modò citata è lib. 3. Rhet. cuius quidem repugnantiæ controuersia facilè dijudicaretur, si vterque auctor illustrasset sua præcepta exemplis talis carminis.

Hi verò

Hi verò Dithyrambici versus differunt à Lyricis materiâ & genere versus: hoc vtrumq; describitur: Lyricis quidem sub init. Epist. ad Pisones.

Musa dedit fidibus Diuos puerosq; Deorum &c:

Dithyrambicis autem Liber pater propositus est & ipsius Bacchanalia: quorum chori erant Cyclici: Tragicorum verò & Comicorum quadrati. Hi vtuntur strophis, antistrophis & epodis: illi perpetuâ comprehensione varios versus contexunt. Quidam autem putant genus carminis Dithyrambici, vt Aristoteles videtur in arte, & Cicero in de optimo Poetarum genere innuere, audax dici, tum propter innouationem multarum vocum, tum propter numeri licentiam & mensuram pedum neglectam, vt hic notatur, tum denique propter iuncturam sesquipedalium verborum, qualia sunt, verbi gratiâ, in ranis Aristoph. κομποφακελορρήμων, ον&; *qui fastuosis & grauibus verbis vtitur*, vnde Aristoteles lib. 3. Rhet. scribit χρησιμώτατον ἡ διπλὴ λέξις τοῖς διθυράμβοποιοῖς· ἔστι γὰρ ψοφώδεις, id est, *verba coniuncta & quasi duplicata conueniunt Dithyrambicis Poeticis. Hi enim maximè cupiunt esse sonori.* Itidem πομφολυγοπαφλάσματα, *bullæ aquæ cum strepitu.*

Noua verba.] De ratione fingendi verba & nouandi cetur, si Deus voluerit, in Epist. ad Pisones ad hunc versum.

—— & noua fictaq; nuper habebunt
Verba fidem.——

Numeris.] Existimo hos numeros esse similes illis, quos Ausonius vocat,

Innumeros numeros doctis accentibus esser:

Quibus intelliguntur Comici versus Menandri, qui, tametsi pedibus constant; non tamen videntur veri numeri, sed velut lege soluti.

Lege solutis.] Hanc licentiam numeri quidam referunt ad libertatem orationis solutæ, quâ dicitur vsus in orationibus paræneticis ad Græcos. Alij malunt ad rationem carminis Pindarici, quæ metas Lyricorum transit, referre.

Centauri.] De Centauris lege Oden 18. lib. 1. sicut de Chimæra & Bellerophonte ipsius interfectore, rationeq; mythologiæ, Ode 27. lib. 1. vbi Chimæra dicitur è 6. Æneid. *flammis armata.*

Elea.] Hæc vox fluxit à Græco Ἠλεία, & valet, qui est ex Elide, dicta Græcè Ἦλις, ιδ&. Palma autem Elea dabatur victoribus certaminis curulis vel equestris, quod Hercules instituit in Elide ciuitate Achaiæ, in honorem Iouis Olympici: de quo 1. Georg.

Eliadum mittit palmas Epirus equarum.

Eiusdem quoque Poetæ 3. Georg.

Hic vel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit spatia & spumas aget ore cruentas.

Qua de re etiam Ode 1. lib. 1. copiosè fuit.

Pugilémque.] Donatus in prolo. Hecy. ad verba: *Pugilum gloria* scribit τὸ *pugil* dictum à *pugna*, & *pugnam* à *pugno*. Veteres enim ante vsum ferri *pugnis*, calcibus, morsibus, corporumque luctatione certabant, id est, πυξὶ καὶ λαξὶ, καὶ ὀδοῦξι μάχοντο. Et certè Lucretius lib. 3. id confirmat:

Arma antiqua, manus, vngues, dentesq; fuerunt.

Sed de ratione vtriusque vocis & *pugnus* & *pugna* quicquid dicant Grammatici, origo videtur ducēda à Græco πυκνὸν· quod enim est δίπυκνον ἢ τρίπυκνον ἢ πολύπυκνον, id est, bis, ter & multoties complicatum id est, densum, vt digiti compressi faciunt pugnum, dilatati palmam.

Flebili sponsæ.] Nonius tradit inter *speratam*, *dictam*, *sponsam* puellam hoc interesse; quòd virgo, vbi petita est; vocatur sperata: vbi promissa; dicta: vbi bona in dotem promissa; pacta & sponsa; vnde Virg.

Et coniux quondam tua dicta relinquor.

& Terent.

Me mea omnia bona doti dixisse illi.

Nigro.] Non eos quidē Poeta liberat à morte, sed facit vt celebritate ac virtute suorum carminū quasi reuiuiscāt, & ab obliuione vindicentur, sintq; in commemoratione omniū: quemadmodū docet Ode 8. huius:

Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cælo Musa beat.

Orco.] Etymon Orci repete ex Grammat. Odes 18. lib. 2.

Dircæum.] Sic Pindarus dictus est Dircæus, vt Amphion à Dirce fonte Thebano.

Cygnum.] De etymo cygni dictum fuit Ode 20. li. 2. de olore Ode 28. lib. 3.

Apis Matinæ.] Id est, Calabricæ, propter homonymiam montis Matini, qui est communis vtriusque regionis, Calabriæ & Apuliæ. Sic *littus Matinum* Ode 28. lib. 1. pro *Apulicum.*

Plectro.] Hæc vox propriè sonat aculeum & calcar ἀπὸ τοῦ πλήττειν à feriendo, vt alibi fuit à nobis notatum: vnde transfertur ad significandum radiolum & calamū, quo fides & chordæ citharæ pulsantur, quod Græcè dicitur κρέκειν πλήκτρῳ.

Per sacrum cluuum.] Sacer cluuus dicitur via sacra, & à Cicerone & Martiale cluus Capitolinus, per quem in Capitolium ascendebatur.

Sicambros.] Populi sunt in Belgio finitimi Menapijs inter Mosam & Rhenum, hodie dicti Geldrenses, & à Strab. lib. 7. bis sub initium nominantur Σύγαμβροι, vnde viderentur scribendi Sugambri Latinè, vt à Μοῦσα *Musa:* quibus populis mos fuit, vt vicinis Germanis, gestare crines in nodum religatos & intortos: vnde Martialis Epigram. 3. lib. 3.

Crinibus in nodum tortis venêre Sugambri.

Ex historijs Liuij, Flori & maximè Orosij cognoscitur Sugambrorum magnanimitas, quæ hîc ὀπιθεπικῶς significatur: ita enim τὸ *ferox* est Nonio *sortis*, vt *ferus* est *sæuus*: sicut Ode 15. lib. 1. iam notatum fuit. Vnde Sugambri dicuntur hîc feroces, qui ausi fuerint Romanos exactores tributorum cruci suffigere.

Publicum ludum.] Orator sæpiùs numero multitudinis dicit ludos.

Forum litibus orbum.] Eam ob rem Chilon vnus è septem definiebat felicitatem Reipub. ἢ μάλιστα νόμων, ἔνεστι δὲ ῥητόρων ἀκέστου πολιτεία αἵρεσιν ὅτι, id est, *quæ maximè legibus, minimè patronis parêret.*

Recepto Cæsare.] Sic loquutus fuit Ode 7. lib. 2.

Recepto Dulce mihi furere est amico.

Prætereà hîc interpretor *canam felix* per antimeriam, Gall. *Ie chanterai heureusement puisq; Cæsar est sain & saulue retourné de la guerre auec victoire.* Huius rei gratiâ populus nūc Solem, nunc Venerem votis poscebat, vt diem aperire maturarent ad longiùs de incolumi reditu Imperatoris & triumpho gratulandum. Sic Martialis lib. 8. in laudem Domitiani triumphaturi deuocat Luciferum:

Phosphore redde diem; quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo Phosphore redde diem.

Iò, triumphe.] Præterquam quòd τὸ Ἰὼ filiam Inachi significat, interdum etiam est nota lamentantis, vt Chori in Oedipo tyr. *ἰὼ, ἰὼ hei, hei, τεισοὶ ἀλεξίμοροι παρεφάντί μοι. O vos tres adiutores* Pallas, Artemis, Apollo, *mihi ostendite.* Interdum est exsultantium & ouantium militum clamor & Imperatorem suum tali acclamatione prosequentium: de quo Liuius lib. 46. & Valer. 3. Triumphus autem fit à Græco θριαμβ&, & hoc à θρίον *folio ficus* è Scholiaste Nicandri.

Aristophanes è natura folijs ficus insita & flatulenta sententiam depromsit prouerbialem, quum enim incenduntur, grauiter strepunt, nec sine formidine temerè audientium talem & insperatum strepitum, inanem tamen, ac prętereà negligendum; sic ille in comœdia vespis.

Ω ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας ὀίδα θρίων τὸν ψόφον, id est,

Vt qui multos thriorum strepitus audierim, quid possint scio. Ideoque scribendum videretur per *th*, nisi etiam diceretur τεῖον, vt ostendimus Ode 2. li. 1. ac definitur ab Hesychio ἡ πομπὴ ὀπίδειξις νίκης, ἢ ὀπινίκιον πομπὴ, ἢ Διονυσιακὸν ὕμνον ἴαμβον: *Pompa est aut ostentatio victoriæ, aut hymnus iambicus in honorem Bacchi.* Isidorus tamē è Tranquillo refert triumphum Latinè potiùs appellatum à tripertito iudicio, quod primum fiebat ab exercitu; secundum à Senatu; tertium à populo. Atq; is demum iustus ac verus erat triumphus, quum bene de Repub. meritis testimonium virtutis consensu omnium istorum dabatur. Huc accedit quòd lege cautum esset, ne quis triumpharet, nisi qui quinque hostium millia vnâ acie cecidisset, sicut Dio lib. 37. & Vale. lib. 3. suprà citato narrat. Etymum verò Græcum mihi placet magis Latino; quanquam mos sic decernendi triumphum verus fuit, vt attigimus Ode 2. li. 1. Vtrumque etymum Pomponius Lætus annotauit in distinguendo triumphum ab ouatione.

Tura.] De veriuerbio huius vocis & orthographia dictum fuit Ode 19. lib. 1.

Benignis.] Benignus auctoribus purę orationis semper est epitheton liberalitatis ac beneficentiæ, vt benignè facere est liberalem & munificum esse.

Te decem.] Syntaxis est huiusmodi: *decem tauri & totidem vaccæ soluent te votis, quibus es obligatus: sed vnus vitulus ijsdem me soluet:* ad quorū solutionem diuitib. opus erat maximis plurimisq; victimis: pauperibus verò minimis, vt docuimus Ode 23. sicut Ode 17. lib. 2. Mæcenati dixit: —— *reddere victimas*

Aedemq; votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

Ignes.] Id est, Iuuencus est similis orienti tertio die post coitum Lunæ, & curuis ipsius crescentis cornibus ac micantibus, quod attinet ad exilitatem cornuum & ad oculos inter ea micantes. Coitum autem Lunæ & Solis Græci appellant συνόδους ἢ συνόδους, quum triduum latet ac silet, vt Poetæ loquuntur: sed quum incipit fieri corniculata & falcata, μηνοειδὴς καὶ τριοχήρως à Philosophis nominatur. Itaque *tertia cornua Lunæ* li. 3. Æneid. & *sextæ cornua Lunæ*. 8. Metamorph. notant ortum tertiæ & sextæ diei.

Niueus videri.] Id est, visu. Similis est syntaxis illis 11. & 12. Odis lib. 1. & 19. eiusdem, *Lubricus aspici, callidum condere, blandum ducere quercus*, pro callidum in occultandis rebus furto sublatis, & blandum inducēdis quercubus, vt hîc niueus videri, quòd Græcè dicitur λευκὸς ἰδέσθαι, i. videbatur niueus & cândidus. Ita Cicero καλὸς ἰδέσθαι, vel vt loquitur Pindar. Olymp. 1. sub init. ἦν δ' ἐσορᾶν καλὸς. Videtur interpretari, pulcer ad aspectum & decorus ab aspectu. Sic Xenophon sub medium Oeconomici loquitur de ordine seruando in rei familiaris administratione, quum inducit maritum, qui vxorem doceat instruere rem domesticam ad exemplum prudentis Imperatoris ac ducis, τεταγμένη δὲ στρατιὰ καλλίστη μὲν ἰδεῖν τοῖς φίλοις, δυσχερέστατον δ' τοῖς πολεμίοις, i. *recte autem acies exercitus instructa est quiddam fœderatis spectatu iucundissimum, sed hostibus grauissimum.* Contrà ἡ αὐτὴ στρατιὰ ἄτακτος μένουσα τοῖς μὲν πολεμίοις ἀχειρότατον, τοῖς δὲ φίλοις ἀχλεέστατον. id est, *Eadem exercitus acies dum manet inordinata, est quidem hostibus ad cladem & cædem exposita, sed fœderatis ad spectaculum infamia fœdissima.* Illud tamen Platonis in Protag. δεινὸς γράφειν, interpretamur, *scribendi peritus*, vt δεινὸς λέγειν, *dicendi.* Item δεινὸς φάγειν καὶ πιεῖν, *edacissimus ac bibacissimus.* Sed illud primum *niueus videri* ita nunc explico, vt qui impellat aspicientes in aliquam animi commotionem eâ maximè parte, quà iuuencus contraxerat notam albam. Frequens est autem hic Hellenismus adiectiuorum cum infinitis, quo libenter hic Poeta delectari solet, vt alijs compluribus.

Cætera fuluus.] Ellipsis est præpositionis *secundum*, vix exprimi solitæ in hoc loquendi genere, quale Græcis est τὰ ἄλλα pro κατὰ τὰ ἄλλα, vt est in Aiace flagellifero Sophoclis: ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, τὰ δ' ἄλλα ὅμοιος, id est, *vtinam sis ô puer, patre fortunatior, at in cæteris illi similis.* Sic Virgil. *at cætera Graius* 3. Æneid. Fuluus autem color deprehēditur, qui sit, ex subiectis, fuluum aurum, fulua sidera: sed in his, fuluus leo, fuluus lupus & aper videtur quibusdam sumi pro Ruffo. Est similis Ellipsis lib. 51. Dionis, ὁ δὲ ῥινόκερως τὰ μὲν ἄλλα ἐλεφαντίνῳ παρόμοιός ἐστι, id est, *Rhinoceros autem cætera Elephanti est similis.* κέρας δὲ ἐπὶ κατ' ἀυτίον τὴν ῥῖνα παρέχει, καὶ διὰ τοῦτο οὕτω κέκληται, id est, *cornu tamen ex ipso naso prominens habet, ideoq; sic vocatus est:* qualis est illa Virgilij, os humerosque Deo similis.

Explicatio Rhetorica.

SAphicum est metrum.

[a] Prima syllaba *Iule* recisa pertinet ad primum versum, reliquæ ad secundum.

[b] Vocis huius est per metaphoram modificata significatio pro διαφανῆ *pellucido.* Non possum tamen ratione consequi, quomodo mare altū transpiciatur. Probo equidem illius transpectum in littore, vt ille Virgilianus Corydon canebat Eclog. 2.

Nec sum adeò informis, nuper me in littore vidi:
Quum placidum ventis staret mare.

[c] Synecdoche generis pro Icario mari, cuius notauimus situm Ode 2. lib. 1.

[d] Metaph. à nutricibus pro *auxerunt & compleuerūt.*

[e] Alia translatio ab aqua feruida & agitata adeò vsitata de mari, sicut *æstus* & *æstuare*, vt videantur omnia maris propria: sed hîc est vehemēs & concitatus ipsius stylus, cui opponitur oratio placida, summissa & lenis apud Cic. lib. 2. de Orat. Talis autem oppositio liquet è vers. 18. Act. 4. Scen. 1. Adelph. *quum seruit maximè, tam placidum, quàm ouem, reddo.*

[f] Hoc item est à Geometris sumtum, quo significatur Pindarus grandiloquus, sententijs copiosus, sermone canorus & volubilis.

[g] Ductum à rotundis figuris, quæ volubili motu & facili feruntur, cui prius verbum, *ruit*, genere translationis respondet.

[h] Reges intellige ex synecdoche generis pro Hercule, Pirithoo & Bellerophonte.

[i] Metonymia materiæ pro subole inde nata.

[k] Nota metaphora pro, interfecti sunt, ac prætereà Polyptotum, varius ex eadem origine casus.

[l] Allegoria est è continuatis metaphoris, qualis fuit Ode 1. lib. 1. *euehit ad Deos*, id est, efficit homines diuinos & in cælum extollit, & inter Deos refert.

Vtrobique τὸ *palma* videtur etiam σωεκδοχικῶς accipiendum, quod sum oblitus Ode 1. lib. 1. annotare: ex integro enim intelligenda sunt membra τῆς φοίνικος, *palmæ* τὰ βάϊα, κλάδοι, σιβάδες, ῥάβδοι, è quibus texuntur victrices coronæ. Ille profectò hyperbolicus est tropus, qui valet, *Illi victores certant magnitudine gloriæ cum Superis, quum domum redeunt* βαϊοφόροι *insigni victoriâ ornati & elati.*

[m] Sy-

m Synecdoche finiti pro infinitis ſtatuis.

n In *donat & plorat* ad clauſulam membrorum eſt epiſtrophe.

o Metaphora eſt à præſtantiſsimo metallo, pro caſtiſsimis & ſanctiſsimis moribus, quales fuerunt ætatis aureæ.

p Alia eſt hyperbolica metaphora, cuiuſmodi ſunt etiam hæ; *ferre in cælum, ſtellis inſerere, tollere in aſtra, euehere ad Deos*, pro ad immortalem gloriam conſecrare.

q Allegoria eſt è metonymijs pro, *non ſinit homines probatis & ſpectatis moribus, excelſisq; animis obliuione deleri & obrui.*

r Alia eſt allegoria è metaphoris, cuius hic eſt ſenſus: *Quoties Pindarus, qui eſt Dircæus cygnus laudes Deorum, Regum victorum & querelas virginum ſuſcipit prædicandas, verbis grandibus & magnificis id efficit, verſuq; ſublimes ructatur.* Similis eſt in Mœride:

Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.

s Sumtum eſt à figulis.

t Sumtum quoq; eſt ab amplioribus organis Muſicis, quorum ſonitus exauditur longiùs, pro, *tu canes Cæſarem magnificentioribus, & ſublimioribus verſibus.*

u Synecdoche eſt generis pro ſpeciali Capitolij aſcenſu, in quod triumphum agentes vehebantur per forum Romanum & viam ſacram, quæ creditur in quarta Vrbis regione ſita. Procatalepſis eſt, cuius repetitionem è Dialecticis.

x Meton. eſt materiæ, pro effecta inde corona.

y Hîc puto *tempora* ſumendum μετωνυμικῶς pro eo quod in tempore fit & accidit, vt periculum, calamitas, morum corruptela, vel his contraria, ſecuritas, felicitas, vitæ integritas. Itaque Cicero ſæpè geminat, *ô tempora ô mores.* Ita vt poſterius videatur eſſe cauſſa prioris: aut adiunctum ſubiecti: ordo tamen aliquando inuertitur, vt lib. 2. de Diuinat. *Quod munus afferre reipub. maius, meliúſue poſſumus, quàm ſi docemus, atque erudimus iuuentutem? his præſertim moribus atque temporibus: quibus prolapſa eſt.*

z Repetita eadem dictio initio ſententiarum facit anaphoram.

aa Nota eſt metaphora à pupillis vtroque parente orbatis, vel contrà à parentibus orbatis ſuis liberis. Ita Cicero Epiſt. vlt. lib. 12. ad Famil. *Senatum* dicit *orbum Conſulibus amiſſis.* Idem alibi *Ciuitatem orbam, & patriam multis claris viris orbatam.*

bb Apoſtrophe ad Solem, pro die, per metonymiam efficientis pro effecto: quem diem dicit tranſactum iri à tota ciuitate per apoſtrophen alterâ ab Iulo ad triumphum, & per acclamationē Baccho ſacram, *iò triumphe*, idemtidem vſurpatam per epiſtrophen.

cc Pro, nos omnes ciues, per metonymiam ſubiecti pro adiunctis. Hîc, vt pòſt Epodis 16.

Eamus omnis exſecrata ciuitas,

Grammatici ſtatuunt figuram ſyntheſin contra legem methodi, κατ' αὐτὸ, quæ iubet nihil in arte, niſi propriū & per ſe homogeneum ponendum eſſe: atqui omnia modificata, figurata & ornata verba ſunt hererogenea & diſſentanea & aliena Grammaticæ: inde igitur ad Rhetoricā, vt ipſi homogenea referēda. Sed in his duobus exemplis agnoſcimus quidem libenter anomaliam conuenientiæ Grammaticæ in numero & perſona, ac præterea Rhetoricam metonymiam, vt notatum fuit. Similis eſt forma acclamandi re, vt hîc, feliciter peracta lib. de Arte amandi:

Dicite iò Pæan, & iò bis dicite Pæan
Decidit in caſſes præda petita meos.

Ode III. Ad Melpomenem.

Theticum.

Cui Melpomene affuit in ipſius ortu, nullum ad artis ſtudium, niſi ad Poeticæ, appellere animum poteſt.

Quem tu[a] *Melpomene ſemel*
Naſcentem placido lumine[b] *videris*
Illum non[c] *labor iſthmius*
[d] *Clarabit pugilem: non equus impiger*
Curru ducet[e] *Achaico*
Victorem: neq; res bellica Deliis
Ornatum[f] *foliis ducem:*
Quòd Regum tumidas[g] *contuderit minas,*
Oſtendet[h] *Capitolio:*
Sed quæ[i] *Tibur aquæ fertile perfluunt,*
Et ſpiſſæ nemorum[k] *comæ*
Fingent[l] *Aeolio carmine nobilem.*

Romæ principis vrbium[n]
Dignatur ſuboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et tam dente minùs mordeor[o] *inuido.*
O, teſtudinis aureæ[p]
Dulcem quæ[q] *ſtrepitum,*[r] *Pieri, temperas!*
O, mutis quoque piſcibus[s]
Donatura cygni, ſi libeat, ſonum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quòd ſpiro & placeo ([t] *ſi placeo) tuum eſt.*

Analyſis Dialectica.

MVltùm derogat quæſtio huius Odes de ſententia Poetæ in Epiſt. ad Piſones.

Ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude, quid proſit, video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res & coniurat amicè.

Illic vide noſtram expoſitionem ſub finem epiſtolæ, & Ode proximè ſequenti τὰ συναίτια ἡσυχοσυῶ δυνάμεως, *cuiuslibet facultatis adiutrices cauſſas.*

Prima autem ratio: quæ adhibetur ad theticum diſputandum, ducitur è loco efficientis cauſſæ: cuius vi illud ſic poteſt concludi & iudicari: *Cui fauet Melpomene iam inde vſq; ab ipſius ortu, is naſcitur ad ſolam Poeſin: Horatio illa ſic fauit Dea natali die, vt iam hic videatur* Μουσοπάταξ, καὶ Μουσόληπτος, *quaſi virgâ Muſarum tactus & ab illis afflatus: Horatius igitur eſt naturâ factus ad Poeſin.* Hoc argumenti genere Callimachus vſus eſt in Epitaphio Batti. *Quid*, inquit, *ille dulciùs ſupra omnem inuidiam cecinerit, non eſt ægrè ferendum.*

—Μέσσοι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμμαπι παῦδας,
Ἄλγει βίᾳ πολιὸς οὐκ ἀπέθηκε φίλους.

Quia quos Muſæ placidis oculis aſpexerunt à pueritia, eos per totam vitam etiam caneſcentes ab amicitia ſua non ſeposuerūt.

Propositio est initiò è loco diuersorum enunciata, vt is, quem Melpomene Musa benigno vultu semel aspexerit horâ natalitiâ videatur natus ad Poeticen, non ad alias ingenij & naturæ dotes. Hîc autem Poeta (vt hoc interijciatur) multum fidei videtur detrahere è disciplina Babyloniorum, & Genethlialogorum, qui hanc vim sic afficiendi animos & nascentia infantium corpora tribuunt coniunctioni Planetarum & signorum in horoscopo, non Musis: de quorum præsagitionibus satis Ode 11. l. 1. egimus: Horatius igitur dicit, sibi, quum in lucem ederetur, mentem furore sacro ita instinctam & afflatam à Melpomene, vt nec certaminibus Isthmicis, nec Olympicis, nec rebus bellicis, sed Lyricæ virtuti solùm videatur destinatus. Vnde poeta videtur suo nomine primum quemque monere de colendo eo studio, ad quod se natum, ac instinctu diuino vocatum. Nam vt Homerus Ιλιαδ. Ν. verissimè fecit, inducens Polydamam, sic cum Hectore loquentem,

Ἀλλ' ὅπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὖτὸς ἑλέσθαι, id est,
At nullo modo simul omnia poteris tu solus persequi.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι πύκα νόον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἐσθλὸν· τῷ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκουτ' ἄνθρωποι, id est,
Alij enim tribuit Deus bellica opera;
Alij autem artem saltandi; alij citharam & cantum;
Alij etiam mentem inseuit prudentem;
Quâ multi homines fruuntur &c.

Sic Pindarus Νεμεορ. Ζ.

ἀναπνέομεν δ' ἐχάπαντες ὁπὶ ἴσα.
ἄρχει δ' πότμω ζυγόν
δ' ἕτερον ἕτερα, id est,
Spiramus autem non omnes ad paria
Sed aliud alia statera arcet.
à felicitate &c.

Canit Sogenem Thearionis filium fuisse ab Ilithyia Lucina pentathlo, id est, Quinquercio destinatum, non cuiquam alij instituto vitæ: quod assumsit ex hac vniuersali & sententiosâ propositione, ἀναπνέομ &c.

2 Prior pars argumenti dissentanei constat è distributione trium rerum, quarum laude, qui cæteris præstiterit, solet nobilitari, vti monuimus in Ode 1. lib. 1. & in Epist. 1. lib. 1.

3 Pars est altera diuersitatis huius, vbi vis est assumtionis, in qua docet, commendatione Lyricæ virtutis à populo Romano memoriam nominis sui ad immortalitatem consecratum iri.

4 Præcipuum argumentum repetitur ex efficiente per se: quòd Musa sit sola caussa vitæ ac virtutis Horatianæ, ac præterea rerum etiam admirabilium, quâ vel ipsa corpora muta fierent vocalia. Talis quoq; caussa videtur expressa ex Ione dialogo Platonis, θεία μοίρα οἵῳ ἕκαστος ποιεῖν καλῶς, ἐφ' ὃ ἡ Μοῦσα αὐτὸν ὥρμησεν. *Instinctu diuino potest quisq; illud facere præclarè, ad quod Musa impellit ipsum.*

Enarratio Grammatica.

Melpómene.] Dictum est Ode 24. lib. 1. quæ Melpomene esset. Sic fingũt Scriptores, Musas cantu ortum Pindari celebrasse, vt hîc illum Horatij Melpomenen numine audimus affeciſſe.

Placido lumine.] Similiter loquitur Propertius lib. 2. Eleg. 4. in fine:

Si modo me placido videat Nemesis mea vultu.

Hunc Horatij versum Buchananus vsurpauit in paraphrasi metrica Psalmi 80.

Tu nos si placido lumine videris,
Cedent continuò cætera prosperè.

Contrà Ouid. 9. Metam. dicit.

Toruo lumine spectare aliquem. & cernere obliquo, lib. 2. eiusdem.

Isthmius.] Quid sit Isthmus vide Ode 7. eiusdem li. 1. vbi in honorem Neptuni celebrabantur Isthmia certamina à Sisypho instituta pro cadauere Melicertæ reperto: de quo lege Scholiasten Pindari & Pausaniam in Corinthiacis. Plutarchus tamen in Theseo attribuit institutionem eorũ eidem. *Labor* autem *Isthmius* valet, ὁ Ἰσθμικὸς ἀγὼν ἐκεῖ σωτελούμενος, *ludi Isthmiaci ibidem celebrari soliti.* Plinius quidem quinto quoq; anno, quum ita scribit, Isthmus pars altera cũ delubro Neptuni, Quinquennalibus inclyto ludis: Sed Pind. Νεμεορ. ε. επωδ. 2.

ταυροφόνῳ τετραετηρίδι
πίμπασι, Ποσειδάνιον αὖ τέμενος, id est,
Trieteride mactatrice taurorum
Honorauit (eum) circa Neptunium delubrum.

Quam sententiam Scholiastes sequutus est, annotans: τὰ Ἴσθμια διὰ τετραετηρίδος ἄγεται, id est, certamina Isthmica tertio quoque agi. De his lege Sueronium in Nerone cap. 24. Liuium 4. decadis lib. 3. Plutarchum in vita Flamminij. Isthmus quidem Ode modò citatâ definitur; sed ratio vocis nunc mihi primùm venit in mentem è commentarijs Eustathij sub finem Odys. 6. Ἰσθμὸς λέγεται πλεονασμῷ τοῦ σ. ὡς δῖον Ἰθμὸς, δι' ὃ ἴσται τὸ στενόν. dicitur τὸ τοπικὸν στενὸν, *locus angustus, per nimiet atem literæ σ tanquam Ithmus, quà transmittitur commeatus & res frumentaria.* Vnde translatè sumitur τὸ Ἴσθμιον pro parte corporis circa collum, propter ipsius angustias. Imò verò contrà, ab his colli angustijs transfertur ad Angustias terræ duo maria dirimentis, nisi quis velit secretionem aquæ à terra tẽpore anteceſsisse creationem Adami: describitur autem hęc pars à Galeno in aphoris. 24. lib. 3. situ μεταξὺ τοῦ στόματος καὶ τοῦ στόμαχου, id est, inter os & oesophagum & ab colli parte torques, monile ornatusque περιτραχήλιος, quo vtitur Homerus Οδυσ. 6. nomen inuenit,

Ἐκδ' ἄρα Πισάνδρῳ πολυκλοίδῳ αὐχένι
Ἴσθμιον ἔτευξεν θεραπὼν περικαλλὲς ἄγαλμα, id est,
A Pisandro autem Polyctoride rege
Monile seruus exportauit, per pulcrum ornamentum,

Inde quoque nominantur consilæ collo adhærentes glandulæ, περίσθμια in Hippocrate & Galeno ibidem.

Clarabit.] Quidam pro coniũcto sumunt, *declarabit*, id est, nobilitabit, clarum illustremq; faciet, vel, vt mox finget nobilem Poetam: quod priscum verbum leges lib. 1. de Diuinat. ex antiquo Poeta & lib. 4. Lucretij. Huic Poetæ sunt eiusdem vetustatis hæc verba: *inimicare, æternare* & *Virgilio*, *formidine crimen acerbat*, id est, acerbius & atrocius reddit, quod etiam Buchananus affectauit in paraphrasi metrica Psalm. 69. *verbis acerbant vulnera atque iniurijs.*

Pugilem.] Præcedenti Ode dictum fuit de huius vocis etymo, sed nunc moneo de discrimine palæstrę, pugilatus, cæstus & Pancratij è lib. 2. Hieronymi Mercurialis de arte Gymnastica cognoscendo.

Capitolio.] Quid hoc sit & vnde dictum, repete ex Grammaticis Odes 37. lib. 1.

Tibur.] Fuit præcipua Ode 7. li. 1. de Tibure: addam tamen è li. 5. Strabonis ad maiorem huius loci illustrationem de ipsius situ: Τιβύρα μὲν ἥ τοῦ Ἡρακλείου, καὶ ὁ καταράκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἀνίων ἀφ' ὑψηλῆς μεγάλης καταπίπτων εἰς φαράγγα βαθεῖαν, κἀκ ταύτης εἰς τὸν ποταμὸν πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει, id est, *Tibure quidem est fanum Herculis & præceps aquæ deiectus, quem Anio nauigabilis efficit ab edito loco decidens in altam conuallem, ac lucis obsitam propter illam vrbem:* vnde quidam coniectant legendum hîc *præfluunt*, non *perfluunt*. Cur autem Tibur vdum dixerit Ode 29. lib. 3. demonstratum est.

Nemorum.]

Nemorum.]Habes etymum huius vocis ac definitionem in Gram.Odes.1.l.1.

Fingent.] Sat.4.l.1.sic loquetur:*Dij me finxerunt animi inopis ac pusilli*,i.fecerunt pusillanimum.sic Virg.Æn.2. *fortuna finxit Sinonem miserum,non tamen mendacem*,id est, *effecit.*

Aeolio.] Id est,Achaico & Lyrico:sed de Aeolia vide Od.13.l.2.

Romæ principis.] De cuius principatu sic Ouid.fecit.

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
*Romanæ spatium est vrbis & orbis idem.*i.

dominatio Romæ tam latè patet,quàm totus orbis : ideo illam Ode 14.huius dominam vocabit:

O tutela præsens Italiæ,dominæq; Romæ!

Ponere inter.] Hæc phrasis est propria,sed illa Odes 1. l.1.in eadem tamen rei notione,modificata est:

Quòd si me Lyricis vatibus inseres.

O testudinis.] Ratio huius vocis,vt Lyræ,tibi reddita est Ode 12 l.1.

Pieri.] Syntaxis est : ô Melpomene vna Pieridum, quæ temperas dulcem strepitum testudinis. Hic autem casus Græcè pronunciatur & corripitur,vt in Tityro, *Amarylli vocares*, vbi Seruius hunc versum profert.

Cygni.] Horatius in hac voce Græcorum licētiâ corripit priorem,vt Od.4.l.2.

Forma captiuæ dominum Tecmessæ.

Sed de cygni etymo vide Oden vlt.l.2.

Digito.] De demonstratione digiti lege Plutarch.in Demosth.& Cicero.Tusc. 5. Hîc *digito monstrari* honorificum est: sed *medium digitum porrigere & ostentare* est, quod Græci dicunt σκυμαλίζειν,i.χλευάζειν,*irridere,& infamare.*

Muneris tui est.] Similis est sententia l.1. de Trist. Eleg. 5.

Si quid adhuc ego sum,muneris omne tui est. i.

fero tibi acceptū. Munus Festus definit officium , quo quis dicitur fungi: vt Cic. 3. de Fin. *Hoc proprium tuum munus est,vt ita erudiatur*:i.tuę sunt propriæ partes,Gal. *c'est ta charge & ton deuoir.* Est etiam donum, quod officij caussa datur , vt hîc sumitur. Gall. *c'est de ta grace & bien fait,que ie suis bon Poete Lyrique.*

Explicatio Rhetorica.

O De genere metri conuenit cum tertia l.1.

a Malè hîc quidam statuunt apostrophen, quum nullus antè sermo sit cum altero institutus , à quo nunc conuertatur oratio ad Musam Melpomenē: qualis error fuit animaduersus Ode 3.l.1.

b Duplex metaphora à corpore ad animum , pro, quem amare, carumque habere cæperis iam inde vsq; ab ipso natali.

c Meton.est caussæ pro victoria certamine Isthmico parta. Est præterea synecdochica periphrasis τῆς πυξμαχίας,pugilatus.

d Sumtum est à luce, pro nobilitabit , atque illustrabit.

e Synecd. est generis pro Eleo vel Olympico. Elis enim est ciuitas Achaiæ,vt diximus Ode proximè antecedenti.

f Altera est generis synecdoche pro laurea Apollini Delphico sacra:quæ prȩcedenti Ode dicta est Apollinaris,& l.3.postremâ,*Laurus Delphica.*

g Ductum est ab vtentibus pistillis aut à fabris ad dura mollienda & in puluerem redigenda , aut quoquo modo malleis frangenda. Ita sæpè confundere & frangere audaciam,iras,animum,dicimus.

h Synecdochica est periphrasis victoriæ ac triumphi,quibus dicit se minimè ornatum iri.

i Allegoria est ex metonymiis subiectorum locorum pro carminibus, quæ illic cōduntur, vel pro Musis Tiburtinis:quæ solent,quos volunt, afflare suo numine,eosdemque nobilitare.

k In *comæ* est metaphora ab animantibus ad inanima : quæ ab Eustathio pronuntiatur ὀν. ἀφ' Ζώων ὅτι τὰ ἄψυχα ἐμπικὴ διάθεσις,quum annotat in versum Ιλιαδ.β.

Τῷ δ' ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι,i.

Hunc simul naues sequebantur duodecim proris minio rubentibus

Σημειωτέον, φησιν , ὅτι ἐ μόνον ἡ παρειὰ ἐπιβυλλ'εται εἰς μεταφοράν, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ τῆς κεφαλῆς,i.*notandum est*,ait Scholiastes, *non solùm genam esse affectatè translatam, sed reliquas etiam corporis partes, quarum aliis prætermissis , hanc vnam huic loco valdè accommodatam subscribam*, κόμας ὄνομάζειν δένδρων,τὰ φύλλα· ὅθεν καὶ κομήτης λειμὼν φησὶ καὶ τὴν ἐρημωδίαν, καὶ κομᾶν,τὸ ἐν τούτοις θάλλειν , i. *audent etiam folia arborum dicere comas; vnde & pratum crinitum vocatur, & quum floret, comatum fieri.* De hoc reuise notas Rhetor.in Oden 1.l.1. ad vocem *caput.*

l Sumtum à figulis, qui propriè dicuntur fingere homullum ex argilla & luto, vti Cic.in Pisonem. pro illa carmina Alcaica & Sapphica illum nobilitârunt. Ex hoc translationis genere solet esse ,quum pro æstimare & iudicare sumitur, vt Cic. pro Rosc. Amerino vsurpauit,*Homines antiqui,qui ex sua natura cæteros fingerent*:quod Terentius enunciauit propriè,*qui cæteros suo ingenio iudicarent.* Quale idem ipse Cicero sumsit in Epist. 10. l.3.ad famil.Appium Pulcr. *Sin autem me astutum & occultum licet fingere*,i. iudicare.

m Synecd.generis pro Sapphico & Alcaico.

n Meton.est loci pro incolis, i. adolescentes, filij ac nepotes principum Romanorum, ac præcipuè Nerones, quasi Româ matre editi, cooptabunt me in collegium vatum Lyricorum.

o Alleg. est à canibus & feris,pro,tum homines minùs inuidebunt mihi ac detrahent.Sic Teren.coniunctim dicit in Eunuch. Act. 3. Sc.1. *Inuidere omnes mihi & mordere clanculum.* Sed peius significatur odium c. 5. v. 15. Epist. ad Galatas hac verborum geminatione: εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε,βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε.quòd si alijalios mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alij ab aliis consumamini. Idem exprimitur simili tropo à Pindaro εἰδ. ιι. ἀπερ. γ. Ολυμπ. sed à funditoribus,

Μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος,i.

Ne me petat aspero lapide inuidia, pro,

μηδείς μοι φθονείτω,i.*nemo mihi inuideat.*

p Exclamatio est admirantis vires testudinis : & in *aurea*, vt in χρυσέα φόρμιγξ metaphora à præstantia metalli ad pulcritudinem Lyræ indicandam.

q Videretur hîc mihi *strepitus* duriusculè modificatus;nisi leniretur epitheto *dulcem*,qui propriè sit sonus obtusus,&cygno etiam tributus,aliquid habeat συνεκδοχικὸν pro voce: Tu tamen videris an testudini conueniat.

r Synecdoche est generis pro speciali Musa Melpomene.

s Hyperbolica est sententia in hac exclamatione: quia pisces inter cætera animantia insitam habent ἡσυχίαν,*taciturnitatem*: vnde fecit prouerbium Lucianus in Gallo,πολὺ ἔσοιμαι ἀφωνότερος περὶ ἰχθύων, *multò magis eromatus , quàm pisces.* Huius silentij naturalis rationem affert Aristoteles, priuationem instrumentorum vocalium,pulmonum, arteriæ & gutturis. Quamuis autem Lucianus in Alcyone scribat, ἄφωνα ἴσως καθ'

ὕδατος διαιτώμενα, *quæ degunt in aqua esse muta*: excipit tamen idem Philosophus Scarum, & porcum fluuiatilem, sicut Mnaseas Patrensis apud Athenęum l. 8. Deipnosoph. pisces amnis Clitorij in Arcadia, & Philostephanus Aorni fluminis. Sed ego magis credidetim vocem horum esse stridorē quendam ex attritu branchiarum vel partium circa ventrem: de quo vide Parœmiographum in adagio, *magis mutus, quàm piscis*. Hęc hyperbole posset Grammaticis asscribi citra exclamantis affectum pronunciata.

[t] Modesta ἐπανόρθωσις est, ad minuēdam Poetæ fortassis immodicam dę se persuasionem Poetices. Talis est apud Cic. *Quid sit, quòd se à me remouit, si modò remouit, ignoro*: quod est imitatus Buchan. interpretatione Psal. 138. ad fin. —*incolumiq; dabis*
Quod superest, siquid superest.

Ode IV. De Drvso.

Theticum.

Quòd homines plurimùm habeant adiumenti ad virtutem à natura cum doctrina & recta educatione coniuncta.

Qualem ministrum fulminis [a] *alitem,*
Cui rex Deorum regnum in aues vagas
Permisit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,
Olim [b] *iuuentas & patrius vigor*
Nido laborum propulit inscium:
Verniq;, iam nimbis remotis,
Insolitos docuêre [c] *nisus*
[d] *Venti pauentem: mox in* [e] *ouilia*
Demisit hostem viuidus impetus:
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atq; pugnæ:
[2f] *Qualémve lætis* [g] *caprea pascuis*
Intenta, fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente nouo peritura vidit:
[3] *Vidêre Rhæti bella sub Alpibus*
Drusum gerentem & Vindelici: quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazoniâ securi
Dextras obarmet, quærere distuli:
[4] *Nec scire fas est omnia:* [5] *sed diu*
Lateq; victrices cateruæ
Consiliis iuuenis reuictæ,
Sensêre, quid mens ritè, [h] *quid indoles*
[i] *Nutrita faustis sub penetralibus*
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus [k] *Nerones.*
[6] *Fortes creantur fortibus & bonis:*
[7] *Est in iuuencis, est in equis patrum*
Virtus: [8] *nec imbellem feroces*
Progenerant aquilæ columbam.
[9] *Doctrina sed vim promouet insitam:*
Rectiq; cultus pectora roborant:
[10] *Vtcunq; defecêre mores,*
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas ô [m] *Roma Neronibus,*
[11 n] *Testis Metaurum flumen & Asdrubal*
Deuictus, & pulcer fugatis
Ille dies Latio [n] *tenebris,*
Qui primus almâ [n] *risit* [o] *adoreâ:*
Dirus per vrbes [p] *Afer vt Italas,*
Ceu flamma per tedas, vel [p] *Eurus*
Per Siculas [q] *equitauit vndas.*
[12] *Post hoc secundis vsq; laboribus*
Romana [r] *pubes creuit: & impio*
Vastata Pœnorum tumultu
Fana [s] *Deos habuêre rectos.*
[13 t] *Dixitq; tandem perfidus Annibal:*
[11] *Cerui luporum præda rapacium*
Sectamur vltrò, quos [x] *opimus*
Fallere & effugere est triumphus.
[14] *Gens,* [y] *quæ cremato fortis ab Ilio*
Iactata Tuscis æquoribus, sacra,
Natosq;, maturosq; patres
Pertulit Ausonias ad vrbes:
[15] *Duris vt ilex* [z] *tonsa bipennibus*
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumq; ferro.
[16] *Non Hydra secto* [aa] *corpore firmior*
Vinci dolentem creuit in Herculem:
Monstrúmve summisêre Colchi
Maius, Echioniæve [bb] *Thebæ.*
[17] *Merses profundo;* [cc] *pulcrior euenit:*
Luctere; multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretq;
Prælia coniugibus loquenda.
[18] *Carthagini iam non ego nuncios*
Mittam superbos: [dd] *occidit, occidit*
Spes omnis & Fortuna nostri
[ee] *Nominis, Asdrubale interemto;*
[19] *Nil Claudiæ non efficient* [ff] *manus:*
Quas & benigno numine Iuppiter
Defendit, & curæ [gg] *sagaces*
Expediunt per acuta belli.

Analysis Dialectica.

Diximus Ode 1. huius libri, quis fuerit huius lib. 4. auctor & suasor, cui nunc nominatim inscribitur hæc Ode, propter victoriam, quam de Rhætis & Vindelicis retulerat. Huius autem, atque totius bellicæ virtutis, quâ valebat, caussam Poeta repetit à natura, doctrina & exercitatione: vnde, quicquid vnquam fuit, est & erit vllo in homine præclarum, id sapientes profectum existimârunt omnes. Verùm Poeta hic anteponit effecta ipsis caussis, vti plerique omnes, qui delectare laudandum malunt, quàm auditorem docere,

docere. Non parùm hîc profuerit nosse, quæ præcipuè bella gesserit Augustus per suos priuignos. Primùm per Tiberium & Drusum, Germanicum posteà cognominatum, fratres, M. Druso & L. Pisone Coss. anno V. C. 738. Norici cardinis populos; Rhætos, Senones, Vindelicos, Brennos, vnâ æstate perpacauit: deinde Vsiperes, Tenctheros, Cattos, Marcomannos, Cheruscos, Sueuos, Sygambros, reliquosque populos intra Mosam flumen, Albim, Visurgim, Rhenum & Salam sitos per Drusum anno 741. sub iugum redegit: anno sequenti Q. Ælio & Fab. Max. Coss. Pannonios (cum quibus octauo antè anno, vt Paterculus scribit, bellum atrox admodum & Italiæ vicinum geri cœptum erat) à M. quidem Antonio anteà repressos, prorsus tandem per Tiberium perdomuit: de quibus vide plura in historiis Roma. Ostendit igitur à Druso sic nato, sic instituto & exercitato facilè populos diu lateque victores domitos fuisse: idque primùm comparatione similium, cuius protasis est ad versum, *vidêre Rhæti*: Σπόδοτος autem illius gemina præcedit, vna aquilæ, leonis altera, quam vtramque feram describit solerti ingenio ex iisdem caussis, quibus Drusum, vt res multò verisimilior appareat. Et certè nulla potuit aptior effigies atque imago regum nobis proponi à Poeta, quàm naturalis aquilæ ac Leonis Historia, ἢ περὶ πλὴν τῆς Βασιλέων δημοβοείας, δωροφαγίας, καὶ μᾶλλον πομφολύγων ἑαυτοῖς ὠνειδισμένων, ὅσα καὶ παντὸς παλαιοτέρων, Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου, καὶ τῶν μὴ τῆς ἄλλων κακῶν, φεύδηλος ἐνίοις ἐνταῦθα ἀπειλή. Thales Milesius, vt Laertius refert, hoc ordine similitudinem pronunciat: οἵους αὐτὸς ἐφάνης ἐνίοις τοῖς γονεῦσι, τοίους καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς γήρᾳ φέροι παῖδας τέκνων φέρουσι: *qualem detuleris amorem parentibus, talem in senectute exspecta à tuis liberis.* Hęc autem σύγκρισις sic meo iudicio apertiùs & rectiùs enunciaretur, Talem Rhæti & Vindelici viderunt Drusum sub Alpibus bella gerentem: quales aquila & leo videntur ferri in suas prędas, serpentes & capreas. Hoc certè comparandi ordine vsus est Virg. 5. Eclog.

Tale tuum carmen nobis diuine Poeta:
Quale sopor fessis in gramine.

Sed hîc tamen parùm interest, modò intelligas, vtra in parte comparationis res sit, & vtra ipsum argumẽtum: vt hîc simile duplex præcedit, res sequitur, de quo dicetur Epod. 6. Eodem quoque ordine Græci vtuntur. Theog.

Τοίαδε καὶ Μασσήτας ἀπώλεσεν ἔργα καὶ ὕβρις:
Οἷα ταυτῇ ἱερὴν τήνδε πόλιν κατέχει.
Talia quoq; facinora & contumelia perdiderunt populos Magnetas.
Qualia nunc sacram hanc ciuitatem occupant.

Isocrates sic etiam loquitur: πειῶ γονῆ ἀεὶ τοὺς γονεῖς: οἵους αὖ δ' ἔξιο ἀεὶ σαυτὸν γενέσθαι τοὺς σαυτῶ παῖδας. *Talem te præsta parentibus: quales velis & optes liberos tuos esse erga te:* Sed in Homeri versu ordo harum vocum permutatur, vt hîc vides.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
Qualis est generatio plantarum talis est. & hominum.

Et certè vt Latina, *talis & qualis, tantus & quantus, tam & quàm*, mutuâ relatione se afficiunt: sic etiam Græca, τοῖος, τοιοῦτος, *talis*: ὁποῖος, *qualis*: τόσος, τοσοῦτος, τηλίκος, *tantus*: ὅσος, ὁπόσος, ἡλίκος, *quantus*: quorum si vnum desideretur in litera, facilè ex alterius appositione intelligetur: vt in hac Ode. *Rhæti talem vidêre Drusum &c. Qualem ministrum*, &c. Confunditur etiam ordo relatiuorum temporalium *tum, quum, tamdiu, quamdiu, eatenus, quatenus, & eatenus, quoad*: qualia sunt etiam Græca τότε, ὅτε: τέως, ἕως τοῦ, ἥνικα, τέως, ἕως: *tum, quum, tamdiu, quamdiu* & *donec*, quæ omnia præcedunt inuicem & sequuntur. Prior quidem Σπόδοτος, vbi est argumentum, de aquila duodecim versibus comprehenditur, variisque adiunctis illustratur: primùm quòd sit Iouis ministra, reliquarum auium domina, fidelitatis spectatæ & probatæ: deinde ex caussis, quòd vi naturæ paternæ è nido expellatur, & aduentu veris ad volatum incitetur: mox in prædam impetu magno feratur. Ita Moses cap. 32. vers. 11. Deuteronom. in commemorando summa Dei in populum Hebræum beneficia, sic comparat curam ipsius cum illa regis auium aquilæ in pullos educando: *vt*, ait, *aquila excitat nidum suum, pullis suis: incubat, pandit alas suas assumit eum, portat eum super alas suas: sic Iehoua solus duxit eum.*

2 Altera pars Σπόδοτος de leone breuiùs declaratur ex ætate adiuncta & subiecta præda.

3 Hæc pertinent ad protasin de Druso & de Rhętis & Vindelicis, qui postremi ex adiuncto genere armaturæ describuntur.

4 Caussa quædam est, cur non quæsierit rationem talis armaturæ ex adiuncta rerum multarum ignoratione, quæ vel sciri non debent, vel non expedit.

5 Si hîc locus ex argumento à diuersis intelligendus est, sicut intelligendum puto, & hoc modo pronunciandum: Quanquam cateruæ Rhætorum & Vindelicorum optimis armis semper instructæ multas gentes diu lateque vicerunt: attamen prudentiâ & consilio Cl. Drusi vicissim tandem victæ fuerunt, & vim bonæ educationis rectæque institutionis & animum Augusti paternum in Nerones, Tiberium & Claudium Drusum fratres, senserunt & cum suo incommodo expertæ sunt: nulla quidem certè omnino erit aberratio ab illo proposito, in quo illi populi dicuntur ex prisco more feliciter adhuc gestasse securim Amazoniam: imò verò sic maiore gloriâ & prædicatione nomen Drusi efferetur: vbi Poeta prudenter tribuit hanc victoriam consilio, non viribus, iuuenis Drusi: quia semper in bello plus ingenio, quàm robore corporis homines posse compertum est, ait Sallustius.

6 Adhuc Poeta descripsit Drusum ex factis comparatè explicatis: nunc eundem ex caussis procreantibus & adiuuantibus magis depingit, vt nemini sit mirum illum tali ingenio, talique virtute præditum videri, qui sit à parentibus bonis fortibusque natus, educatus & eruditus: neque id tamen est catholicum, quod sapienter considerauit Dantes Florentinus Poeta in tractatu de purgatorio, si bene memini:

Rade volte risurge per li rami
L'humana probitate.

Rarò humana probitas per ramos resurgit. Quem quidem locum D. Iacobus Oliuierus amicus meus mihi Horatij versum citanti inter sermones indicauit. Sæpè enim vsuenire perspicimus, vt ex strenuissimis quibusque & optimis doctissimisque parentibus (quales exstiterunt Samuel, Alcibiades: Dionysius, Pericles, Socrates, Cicero & complures alij) liberos prodiisse ignauissimos, pessimos, inertissimos conqueramur: quippe quòd vbi illi laboribus animi & corporis improbis, grauibusque negotiis sustinendis, ac mordacibus curis sese confecerunt, effætæ posteà frigeant iisdem vires vtriusque in procreatione. Physica est hæc ratio; sed alteram præterea diuinam citat Socrates in Memnone Platonis, vbi censet ad virtutem parandam non satis vim magnam inesse in his tribus; natura, educatione, & doctrina, nisi ad hæc tria accedat

princeps cauſſa è cælo: Itaque virtutem eſſe merum Dei donum: atque, quemadmodum Sibyllæ diuinitus afflatæ, res mirabiles reſponderunt olim: Deo autem deſtitutæ, ſimiles rurſus fiebant reliquarum mulierum: ſic homines eſſe iuſtos & fortes tantiſper, dum afflatu diuino excitantur, quo ceſſante, ceſſat & virtus ipſorum: quod quidem videtur ſumtum ex Iliad. υ. vbi Æneas longam ſui generis ſeriem explicat.

Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἀνδρασιν ὀφέλλει τε μινύθει τε,
Οππως κεν ἐθέλησιν· ὁ γὰρ κρατέει πάντων.

Iupiter autem virtutem viris auget minuitq;, vt valt. Ille enim eſt potentiſſimus omnium.

7 Hoc argumentum ſpeciem habet ſimilitudinis: Vt virtus beſtiarum tranſfunditur in generatione ad fœtus ipſarum: ſic illa hominum ad liberos: quò magis ita commendetur nobilitas cauſſæ quæ talem effectum dederit. Libenter equidem protaſin concedo monitu Plutarchi in lib. de ſera Numinis vindicta: Ἀρκτων μὲν γὰρ ἔτι νήπια, καὶ λύκων τέκνα καὶ πιθήκων, ἀδηλος ἐμφαίει τὸ συγγενὲς ἤθος, οὐδὲ μισδενὸς ἐπαμπεχόμενον, μηδὲ καταπλαττόμενον· ἡ δ' ἀνθρώπου φύσις ἅπασι δῆλη. *Vrſorum enim fœtus adhuc teneri & luporum & ſimiarum catuli ſtatim referunt ſpeciem ſui generis, nullâ re tectam & oblitam, ſed apertam: non autem ſic ſe habet hominis natura.* Itaque virtus hîc accipienda eſt, non pro morali probitate nec pro doctrina, ſed pro quadam naturæ præſtantia, quàm Græci εὐφυΐαν vocant: quemadmodum ſumitur à Cicerone lib. 4. Epiſt. 4. ad famil. *Seruij tui tùm omni probitate, ſummaq; virtute, tum ſtudijs doctrinaq; delector.* Apodoſin autem non item: quia homines præter rationem ſuperiorem & contra naturæ ductum intemperantiâ ac libidine ſæpiùs eneruati, tradunt corpus effœtum generationi qui ſoli animantium bibunt non ſitientes, aliisque affectibus indulgent, vt alibi ex Plinio monuimus: beſtiæ verò naturæ ductu, moderatione victus, Veneris, ſtatis ſolùm temporibus, & cupiditatum hominibus antecellunt, & ita fortes & bonas à fortibus & bonis procreari certiſsimum eſt: vnde fuit profecta ſententia communis: *Simile generat ſimile*, quam Tityrus Eccl. 1. vſurpauit:

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Nôram.

8 Confirmatur vis cauſſæ procreantis diuerſis, quòd non poſsit fieri, vt ferox accipiter progeneret imbellem & innoxiam columbam, ſed alterum accipitrem, *vt mali corui malum ouum.* Sic Theognis docet ſeruile caput nunquam naſci rectum, ſed ſemper obliquum, & ceruicem obliquam,

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος,
Οὐδέποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλεύθερον.

Non enim ex ſquilla naſcitur roſa nec hyacinthus,
Neq; vnquam ex ſerua filius ingenuus.

9 Ad eandem generis Druſi commendationem accedit doctrina, altera cauſſa, quæ priori magnum affert adiumentum, & incrementum è ſententia Democriti, μαθησις τὰς φυσικὰς αὔξει, imò verò ex eodem philoſopho, naturam vincit: πλείονες γὰρ ἐξ ἀσκήσεως ἀγαθοὶ γίγνονται, ἢ ἀπὸ φύσεως· *nam plures ex exercitatione, quàm natura boni fiunt.*

10 Argumentatur ex amotione cauſſarum: quandocunque, inquit, doctrina & ſtudium virtutis iacebunt, probitas illa naturalis (quam Græci εὐφυΐαν dicunt) & igniculi facilè exſtinguentur, vt docet Ariſtot. lib. 7. Polit. & Plutarc. de puerorum inſtitutione.

11 Ad illuſtrandam Cl. Neronis virtutem vtitur argumentis ab arte remotis: quòd res etiam inanimæ teſtificentur ſumma Claudij Neronis in Rempubl. merita, vt ſunt loca & tempora, quibus Romam extulit victoria Claudij de Aſdrubale, poſtquam Annibal totam Italiam percurrendo vaſtauerat: quod tamen gemina ſimilitudine breuiter illuſtratur ad indicium celeris fugæ potiùs, quàm ad regionis vaſtationem, vt quidam volunt: iudicet Lector.

12 Aliud argumentum ex adiunctis, quæ ab aliis conſequentia vocantur: poſt hanc, inquit, victoriam, prælia à Romanis commiſſa cum exteris feliciter ſucceſſerunt.

13 Iam Poeta teſtimonium Claudianæ virtutis accipit etiã ab hoſte Annibale, qui loco triumphi ſummiq́ue boni ducebat, ſi Pœni clàm poſſent ſibi fugã quærere ſalutem, Aſdrubale & toto ipſius exercitu cęſo & capto.

14 Annibal magnitudinem animorum Rom. repetit ab excidio Troiæ, primùm è factis illius gentis, quæ tantã clade acceptã ex Ilij ruina & mari tamdiu iactata peruênit tandem in Italiam.

15 Eadem magnitudo declaratur collatione ſimilium, quòd vt ilex ictibus & ramis amputatis magis frondeſcit creſcitque: ſic populus Romanus aduerſis rebus & afflictis preſſus, magis excreſcit ac diteſcit.

16 Eadem amplificatur tribus paribus, ſed vbiq́ue protaſis deſideratur, ſic tamen explenda: Gens Romana tã firma & robuſta creuit in Carthaginienſes, quàm hydra in Herculem, quàm draco velleris aurei cuſtos in Iaſonem, quàm denique alter draco Aretiani fontis cuſtos in Cadmum.

17 Eadem dilatatur loco diuerſorum: Tametſi gens Romana ſic victa eſt nauali pugnâ, vt videatur planè ſummerſa: emergit tamen ſemper firmior: ſi terreſtri; redintegrata, bellum acriùs poſteà gerit, & memorabile prœlium committit. Teſtatur hoc etiam Seneca l. 6. c. 32. de benefic. Adeò tot habenti millia hominum (Auguſto) duos (ſimiles Agrippæ & Mæcenati) reparare difficile eſt? cæſæ ſunt legiones; & protinus ſcriptæ: fracta claſſis; & inter paucos dies natauit noua: læuitum eſt in opera publica ignibus; ſurrexerunt meliora conſumtis: quod iam Ode 2. l. 1. annotatum fuit in alium finem.

18 Ex hac tanta clade Annibal efficit gloriam Carthaginienſium ita concidiſſe, vt nulla ſpes illius in poſterum ſubleuandæ ac colligendæ omnino ſuperſit.

19 Iam Poeta conficit omnia ſtratagemata belli & ſagaces hoſtium inſidias conſilio prudentiaq́ue Claudij à Ioue & Auguſto adiuti facilè ſuperatum iri. Itaq; plurimum adiumenti eſt poſitum in natura cum doctrina & exercitatione coniuncta: quibus ex præcepto Socratico cęleſtis inſtinctus accedat, neceſſe eſt. Nemo enim vnquam vir magnus euaſit ſine aliquo afflatu diuino.

Enarratio Grammatica.

Qualem.] Apodoſis comparati occupat initium Odes & ſyntaxim habet ſatis implicatam ac fere παραβατικὴν. Itaque paullò apertiùs rerexendo videbitur explicatior, ſi illam ita velis enunciare: qualem miniſtrum fulminis alitem (id eſt, aquilam) iuuentas & vigor ipſius patrius (quæ Græcis ἐμφυτικὴ, alacritas inſita) propulit olim (i. tandé aliquando) è nido inſciam laborum, qualem quoque venti verni eandem docuêre pauentem niſus & conatus inſolitos

litos nimbis iam remotis, cuius fidelitatem Iupiter rex Deorum expertus in raptu Ganymedis flaui permisit ipsi regnum, & imperium dedit in aues vagas, &c.

Alitem.] De aquila vide Plin. lib. 10. cap. 3. & 4. & Aristot. de hist. animal. Ratio autem vocis Græcæ ἀετὸς variè redditur à Grammaticis: alij enim παρὰ τὸ ἀΐσσειν, *ab irruendo*: alij ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ἰτέον, *à vere semper nunciando*: quod tamen etymon quinque alitibus conuenit, è sententia Pomp. Festi: *alites volatu auspicia facientes istæ putabantur: Buteo, sanqualis, immissulus, aquila, vulturius. Alij* παρὰ τὸ ἄημι, *à flando*, vnde ἀετμὸς flatus, iuxta prouerbium ἀετὸς ἐν νεφέλαις, *aquila in nubibus*, ὡς ἐν νεφέλῃσιν ἀετὸς ἠωρήσατο, *vt in nubibus aquila ero*, & Scholiastes Aristoph. in Equitibus sub finem sic explicauit, ὃς βασιλεὺς μέγας ὑπερέχει ἁπάντων, ὥσπερ ἀετὸς τῶν ὀρνέων, *sic rex magnus supra cæteros eminebo, vt aquila supra aues.* Idecóque definitur ὁ ἀετὸς ὄρνις ὑψιπετὴς Odyss. υ. Prætereà valens patrio vigore dicitur vel adhuc implumis πρωτοπτέσθαι *præmaturos volatus tentare*: idcirco illam Iupiter in partitione auium sibi adoptauit ad munus denunciandi sua decreta. Vnde σκηπτοφορικῶς lib. 1. de leg. apud Cic. nominatur:

Nuntia fulua Iouis mirandâ visa figurâ.

Dicitur autem minister fulminis: quia sola ex auibus aquila non examinatur fulmine & eâ re Iouis armigera vocatur: vt est videre apud Plinium lib. 2. cap. 55. de his, quæ non tanguntur fulmine, in quorum numero ponitur aquila, quum scribit, *Tabernacula è pellibus vitulorum marinorum fulmen non percutit, sicut nec è volucribus aquilam, quæ ob hoc armiger huius teli fingitur.*

Ex eodem eiusdem Auctoris loco discès, aquilam oppetere non senio, nec ægritudine, sed fame, in tantum superiore accrescente rostro, vt aduncitas aperiri non queat. Igitur aquila in senectute tantùm bibit, vel de præda sanguinem sugit: ex quo prouerbium in senes, qui plus bibunt quàm comedunt: vt Terentius in Heaut. Act. 3. Scen. 2. *Visa verò est, quod dici solet, aquilæ senectus. V. Schrevelium.*

Ganymede.] Hic filius Trois fuit, formâ egregiâ, quâ Iupiter captus & in aquilam transformatus, illum è mõte Ida rapuit, & fratres habuit Ilum & Assaracum, de quo vide Homerum Ιλιαδ. γ. de quo sic Martialis lib. 1. ep. 10. *vide & 86. l. 11*

Aetherias aquilâ puerum portante per auras,
Illæsum tumidis vnguibus hæsit onus.

sibi ministrum à poculis fecit: vnde signum aquarij posteà in Zodiaco constitutum fuit: de quo plura vide Ode 20. l. 3. & l. 10. Metamorph. ad vers.

Rex superûm Phrygij quondam Ganymedis amore.

In outlia.] Plinius loco citato subiicit etiam ceruos prædæ aquilarum, præcipueque primi & secundi generis ipsarum.

Viuidus.] Id est, fertur magnâ vi in oues & agnos: ita enim Festus notat vocem viuidus. Sic Virg. Æneid. 5. vers. 754.

Exigui numero, sed bello viuida virtus.

& *viuida dextra, animusq; ferox*, id est, fortis, lib. 10. Æneid.

Reluctantes.] Qualem videas Iliad. μ. ad vers. ὄρνις γάρ τοι ἐπῆλθε, &c. *reluctantes* propterea quòd serpẽtes sublati vnguibus aquilæ sæpè ipsam mordent & cogunt dimittere prædam: de hoc dicetur Sat. 3. l. 1. de veriloquiis verborum *Draco & ὄφις.*

Amor dapis.] Ἀετὸς γάρ ἐστιν ὀξύπεινος καὶ μάχιμος, i. *aquila est famelica naturâ & pugnax.*

Lacte depulsum vbere.] Id est, abundanti & copioso, ne fortè putes substantiuum esse. *Depellere* autem propriè est, demouere & deducere de loco, sed est sæpiùs verbum pastorale, quum fœtus remouentur à lactatu, vt hœdi, agni, vituli, capreoli: vnde Tityrus Eclog. 1.

——quò sæpè solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus.

Dente nouo.] Id est, qui nullo adhuc sanguine est cruentatus.

Vidêre.] Explenda est hîc ellipsis alterius redditiuæ vocis: *talem vidêre Rhæti Drusum*, &c. vt iâ in Dialectis dictum est. Prætereà τὸ *vidêre* non malè interpretaris more Donati in Eun. Act. 4. Scen. 6. *Viden' tu illum Thais! Militum secum ad te quantas copias adducere!* longè videre timoris est indicium, quem sæpiùs consequitur dolor & detrimentum, vt mox verbum *sensêre* indicabit. Itaque Arist. l. 2. Rhet. ponit τὰ σημεῖα ὅτι μέλλει τι μεταξὺ φοβερῶν, *signa & notas rerum futurarum inter ea quæ reformidantur* & intentant exitium, vt signa præuisæ tempestatis. vt:

Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Rhæti.] Quidam meliùs putant scribi Reti sine diphthongo & aspiratione. Quo autem ordine hæc bella gesta sint ab his fratribus, vide Fastos Sigonij & aliorum. Hos prætereà populos quidam ad radices Alpium vergentes in ortum & austrum putant esse eos Heluetios, qui hodie Grisones vocantur, de quibus Strabo lib. 4. Dio lib. 54. & Florus de illorum feritate, atque multa de Druso lib. 4. cap. 11. consulantur. Dio illos sic ibidem describit, Ῥαῖτοι, οἰκοῦντες μεταξὺ τοῦτε Νωρίκων καὶ τῆς Γαλατίας, πρὸς τοὺς Ἄλπεσι τοὺς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ τοὺς Τριδεντίνους, &c. i. *Rhæti inter Noricum & Galliam ad Alpes Italiæ finitimas, quas Tridentinas nominant, sedes suas habent.*

Alpibus.] Hæc vox declinatur à Græca ἄλφος τόδε λευκὸς Hesychio & Suidæ & Festo, qui scribit Sabinos pronunciare alpum, vnde Alpes putantur vocitatæ à candore niuium, vt inde *albus* flecti diximus Ode 7. lib. 1.

Quibus mos.] Varro morem describit è communi cõsensu omnium simul habitantium: qui inueteratus consuetudinem facit. Hæc autem syntaxis est elliptica, quam sic expleas: quibus Rhætis & Vindelicis mos est (vnde deductus sit, quærere distuli) mos, inquam, est vt obarment dexteras Amazoniâ securi per omne tempus: quò spectat illud Suetonij in Nerone cap. 4. vbi scribit Neronem inter alias curas præparandæ in Gallos expeditionis, hanc quoque habuisse rondendi ad modum virilem, & securibus peltisque Amazonicis instruendi. Virg. sub fin. 11. Æneid. vocat Camillam Amazonem & Seruius interpretatur ἀπὸ τοῦ μαζοῦ *sine mamma.*

Nec scire fas est.] Potest hîc explicari, *fas est*, pro ἔξεστι, οὐ δυνατόν, non licet vel non potest fieri. Genus autem administrandæ Reipub. quod Amazones sequebantur, Strabo lib. 5. scribit esse fabulosum, quem locum ipse videris. Prætereà hos populos Seruius in hunc versum lib. 1. Æneid. *Regna Liburnorum* &c. sic definit: *Liburni sunt Rhæti & Vindelici sæuissimi populi, ab Amazonibus, teste Horatio, originem ducentes.* Hos superauit Drusus: sed quia Poeta præteriit, vt fabulosum, ipsius ἀποδείξιν sequamur, sic Græcè moniti, πολυμαθημοσύνης τοῦ καιροῦ τούτου ὄφελον, nihil vanius disciplina multiiugâ. Ad hæc Tiberius & Drusus fratres & Liuia Drusilla fuerunt & Nerones vocati: sed Tiberio cognomen fuit Nero & prænomen Druso, vt cognitum est è veteri numo, qua de re vide Suetonium in Tiberio sub initium, & eundem in Diuo Claudio etiam initio & Paterculum lib. posteriori: *Reuersum*, ait, *ex Armenia in potestatem populi Rom. redacta, Neronem Cæsarem haud me-*

ditoris belli molem experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris Penates enixa erat Liuia Quippe vterq; diuisis partibus, Rhætos Vindelicosq; aggressi, multis vrbium & castellorum oppugnationibus, nec non directa quoq; acie feliciter functi gentes locis tutissimas aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo, quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine domuerunt.

Diu lateq;.] Notandum hîc est multa verbalia substantiua vim retinere participiorum, vt latè rex apud Virgilium: item facile princeps, victrices diu & latè. interdum etiam quædam non verbalia, vt admodum puer, quo de genere quidam dicunt illud Tityri. *Erit ille mihi semper Deus* esse: pro erit mihi immortalibus ac diuinis honoribus colendus: quod Græci sæpiùs efferunt coniunctè ἀεὶ θεὸς, vt ἀεὶ παρθένος, *& semper virgo & puxeiov latè regnans.*

Reuictæ.] Id est, vicissim victæ.

Sensêre.] Donatus in Heaut. Act. 3. Sc. 1. v. *Estne ea intus? C. sit, rogas? Sensi: nam ei vnam cænam atq; eius comitibus dedit vt si iterum mihi danda sit, actum siet.* annotat: *Hoc verbum dicere solemus cum dolore in iis, in quibus detrimentum ingens passi sumus*; vt monuimus iam Ode 7. lib. 2. aliis exemplis.

Indoles] Quid hæc vox valeat Seru. explicat 10. Æn. in vers.

Quid pius Aeneas tantâ dabit indole dignum?

Indoles est propriè imago quædam virtutis futuræ, quæ ob id pueris & adolescentibus tribuitur, vt virtus viris. Quanquam virtus indolis dicitur Ciceroni pro vi eiusdem rei.

Paternus animus.] Qualis affectus vitrici est rari exempli: ideoque miram affert Augusto commendationem.

Nerones.] Nero vox est Sabina, idem valens quod fortis ac strenuus, quasi νεῦρον ἴσουν νευρώδης, *neruosus* à firmitate neruorum, sine quibus aliquid componere intelleximus è Sat. 1. l. 2. quanti sit pretij.

Fortes.] Hic versus videtur referendus ad genus hominum, vnde Nerones prodierunt: ideoque distinguendus colo post *bonis*: ad maiorem Cæsareani generis commendationem, quæ videtur sumta è Pythi Pind. εἰδ. π. στροφ. γ. κὰλ. θ. φυᾷ τὸ ἀγαθὸν ὅτι ἀρκεῖ ὃν πατέρων πεῖραν λάμβα. *Naturâ generosi animi præsentia & fortitudo liberis accedit ex patribus*, quod Aristoteles non affirmat absolutè l. 3. c. 8 Polit. ἔτι διότι βελτίους εἶχος τοὺς ἐκ βελτόνων. *præterea quia probabile videtur eos qui ex præstantioribus procreati sunt, præstantiores esse.* Huc adde quòd Syntaxis: *Virtus est in bonis iuuencis* non secus videtur probanda, ac si diceretur, *generositas & firmitas est in bonis iuuencis.* Est præterea hîc ellipsis præpositionis à fortibus, vt alibi: *Dilecti tibi Virgilius Variusq;.*

Cultu.] Valet hîc studium honesti, & exercitationem virtutis.

Vtcunq;] Particula hæc potest hîc sumi vt Ode 4. l. 3. *Vtcunq; mecum vos eritis:* expositum est pro quocunque modo.

Dedecorant.] Hinc intelligitur discrimen inter hoc verbum & *turpare*, annotatum à Donato in Hecy. Act. 2. Sc. 15. *vt illud ad honestum animi contaminandũ; hoc ad corporis propriè accommodandum sit.*

Bene nata.] Id est, bona ingenia & naturas.

Culpæ.] Id est, scelera, errata, vitia, dedecora.

Metaurum.] Flumen Metaurum dicitur per anomaliam generis, & est in Vmbria, influitque in mare Adrianum, ait Plin. l. 3. De quo etiam Strabo l. 6. Ἐγγὺς δέ ἐστι Μέταυρος ποταμὸς καὶ ὕφορνος ὁμώνυμος· *in propinquo autem est etiam flumen Metaurus, & statio nauium cognominis.*

Asdrubal.] Hic fuit frater Annibalis & à M. Salinatore deuictus, de quo lege lib. 27. Liuij: vnde cognoscere Asdrubalis exercitum fuisse 56. millium, quæ tum coniungere tentabat cum exercitu fratris Annibalis, quem Nero consul alter sectabatur. Orosius tamen scribit libro quarto cap. 18. exercitum Asdrubalis cæsum fuisse ad 63. millia, & captum ad 5. millia & 400.

Adoreâ.] Inclinatur hæc vox ab ador, ŏris, quod est genus farris, dictum ζεία vel ζέα, à præstantia bonæ frugis: ideoque adorea fuit primum partæ victoriæ militibus præmium è frumento, cui apposite tribuitur τὸ *alma*, id est, θρεπτικὸν, de quo Ode 4. lib. 3. sicut est videre in Amphit. Plauti Scen. 1. *Qui multâ prædâ atque adoreâ affecit populares suos:* Inde posteà cœpit sumi pro laude: de qua sic Plinius lib. 18. cap. 3. *Adorea est gloria & victoria, ab honore farris, quòd sit maximè gloriosum abundare farre.* Vnde *adoriosus* est idem Iosepho Scaligero in Festum quod τὸ ἐνδοξον. Non mihi tamen placet etymum Festi, qui, quòd faciat victores adorandos, eam dici putat.

Vt Italas.] Id est, vbi & postquam, & in *equitauit* est enallage temporis pro equitauerat. Præterea à nomine vrbium Italarum intelligit συμμαχίαν Brutiorum, vt cognosci potest è l. 4. c. 18. Orosij.

Fana.] Varro l. 5. de ling. Lat. *Fana* ait, nominata sunt, quòd Pontifices in sacrando fari sunt fines. Vnde effari templa dicuntur, quum ab auguribus effantur, qui in his fines sunt.

Effugere.] Id est, quos, res erit optimè gesta, deuitare & latere.

Iactata æquoribus.] Sic initio lib. 1. Æneid. Virg. *terris iactatus & alto.* vbi Seruius notat τὸ iactari propriè dici de fluctibus maris, quod Græcè dicas κλυδωνίζεσθαι ἢ χειμάζεσθαι: *defatigari* verò de labore terrestri, καταπονεῖσθαι.

Tuscis.] Intelligit mare Tyrrhenum.

Sacra pertulit.] Pro his Virgilius initio lib. 1. Æneid. dicit, *inferretq; Deos Latio*: ad quod non erit infructuosum Lectoribus adscribere illud Valerij Max. cap. 8. lib. 1. *Referam nunc, quod suo seculo cognitum manauit ad posteros; Penates Deos Aeneam Troiâ aduectos Laurini collocasse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, translatos, pristinum sacrarium repetisse. & quia id humanâ manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero translatu significasse.*

Maturos patres.] Quomodo loquitur Epist. ad Pisones *Maturus q; senex:* pro, qui processerunt iam multâ ætate.

Ausonias ad vrbes.] Seru. in vers. Æn. 11. Antiqui Ausonij &c. hoc annotat: *Qui primi Italiam tenuerunt, Ausones dicti sunt.*

Nigræ.] Id est è viridi nigricãtis, vt est frons querna.

Algido. De hoc dictum est Ode 21. l. 1.

Ducit opes.] Pro cumulatur opibus & vires acquirit per damna & cædes.

Hydra.] Græcè θηρίον πολυκέφαλον, qui labor creditur, vt omnium, quos iam Hercules superauerat, postremus; ita grauissimus ac difficillimus expugnatu: ideoque Lernæa hydra præbuit symbolum inuidiæ, pestis teterrimæ clarissimi cuiusque facinoris, maximeque memorabilis. Seruius Epimythij loco explicat sub initium Æneid. 6. hanc capitum multitudinem in bellua Lernæ. Constat, Hydram locum fuisse euomentem aquas vastantes vicinas ciuitates: in quo, vno meatu clauso, multi erumpebant: quos Hercules clausit, exurens loca. Præterea lege Hyginum & Diodorum lib. 5. & Plin. lib. 29. cap. 4. de hydro mare serpente. *In orbe terrã.*

terrarum, inquit, *pulcerrimum anguium genus est, quod in aqua viuit, hydri vocantur, nulli serpentium inferiores veneno, quo Eurydice vxor Orphei mortua est, vt est sub finem 4. Georg.* Et Philocteres etiam sub finem Iliad. β. dicitur, ὅτι ἐδήχθη ὑπὸ ὕδρης καλῆ, καὶ αὐτίκα τραύματι θανασίμῳ, κατελείφθη αὐτόθι ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων· ἤδεισαν γὰρ τὸν Ἥφαιστου ἱερεῖς θεραπεύειν τὸν ὑδροδήχθεντα, i. quòd morsu punctus est à malefico hydro, & immedicabili vulnere decedens apprehensus est a Græcis illic: quippe qui scirent sacerdotis Vulcani sanare morsos à serpente. Dicitur autem Hydrus ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Vide præterea apud Diodorum ibidem de vellere aureo seruato à Dracone ingenti & insomni apud Colchos, & Apollonium in Argonautis & 7. Metam.

Vinci dolentem.] Id est, grauatè & ægrè ferentem superari: hoc priùs à Pyrrho creditur vsurpatum, sicut L. Florus narrat, qui diceret, se sibi videri Herculis sidere natum, qui ætatem in assiduis laboribus degit omnem: quòd quò pluribus victorijs Pyrrhus Romanos concideret; hoc acriores in ipsum coorirentur, atque scitè ab Horatio translatum ad Annibalem.

Echioniæue Thebæ.] Dictæ sunt ab Echione vno ex quinque adiutoribus Cadmi in condendis Thebis.

Mersis profundo.] Id est, perdas naufragio.

Euenit.] Vis coniuncti huius verbi hic apparet pro extra aquas venit, & inde euasit & emersit, quod Galli sic reddunt, *tu as beau le mettre, au fond de la mer, il ne laissera pour cela de reuenir & sortir plus beau.*

Proruet integrum.] Id est, prosternet, euertet, supplantabit: quomodo locutus est Ode 35. lib. 1. *Iniurioso ne pede proruas Stantem columnam:* pro, euertas & subruas. Quum autem verbum hoc transmittit actum suum in personam, significat proripere, vt Eunuch. Act. 3. Scen. 5. *Vix elocuta est hoc, foras simul omnes proruunt se*, id est, magno exeundi impetu erumpunt & furioso cursu se proripiunt, vt est illud pastoris Eclogâ 3. *quò se proripit ille?*

Loquenda.] Passiuum participium à deponente.

Superbos nuntios, &c.] Ode 10. lib. 1. etymon τῶ nuntius fuit notatum: vbi Mercurius describitur Iouis atque Deorum nuntius ἐναργῶς; quòd ipsorum mandata nuntiet atque conficiat apud eos, ad quos mittitur, vt sumitur lib. 1. de legibus Ciceronis, quum sensus, hominis præsertim vocat nuntios, qui menti nuntient ab ipsis extrinsecus percepta: sed hîc παθητικῶς, sumi debet pro re magnificè nuntiatâ; vt læta solent exsultim nuntiari & accipi omnia; quod Gallicè *interpreteris, ie n'enuoyeray, plus de bonnes & ioyenses nouuelles à Carthage.*

Interempto.] Donatus in And. Act. 4. Scen. 1. ad verbum *interturbat* annotat, τὸ *inter* particulam esse adauctiuam pro, non mediocriter, vt in his, *interfectus* & *interemtus.*

Acuta belli.] Quidam interpretantur astutias, calliditates & strategemata, quę fiunt in bello: alij discrimina & pericula præliorum, quæ Claudius facilè solertiâ & sagacitate suâ eludebat: sed malo interpretari bellum exitiosum, Gallicè *perilleux & dangereux.* Hoc Græci efferunt τὰ τοῦ πολέμου δεινά. Simili syntaxi Catullus dixit: *Mihi comites Rapidum salum tulistis, truculentaq; pelagi.* Sic in Ætna Virgil. *arcent aditu diuinaq; rerum:* vbi rectio est pro conuenientia, acuta bella, & res diuinę reddunt Ætnam ἀπρόσιτον inaccessam.

Huiuscemodi sunt *obsessa viarum* pro vijs insidiosè obsessis. Hoc autem loquutionis genus non solum poetis vsitatum est, sed Historicis etiam ac præcipuè Cor. Tacito, vt iam alias monuimus, *angusta viarum, arduaterrarum, caua saxorum, lata camporum, prospera bellorum.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile nonæ lib. 1.

[a] Synecdoche est generis pro aquila, quam alij vocant περίφρασιν.

[b] Metonymia est caussæ pro effecto feruore & ferocitate iuuenilis ætatis: creditur enim Iuuentas Dea iuuentutis.

[c] Synecdoche est altera generis ad insolitos volatus exprimendos.

[d] Similis est tropus pro *Fauonij & Zephyri.*

[e] Altera est metonymia, sed loci pro ipsis ouibus.

[f] In *qualem* anaphora eiusdē dictionis initio membri, licet remotior sit.

[g] Metaphora est ab animatis: vel si vis, potiùs metonymia effecti pro efficiente: quòd exhilaret pascentes.

[h] Altera est anaphora, sed propior.

[i] Metaphora ab alumnis pro instructa, vt posteà in *insitam* à plantis.

[k] Synecdoche est generis pro Tiberio & Claudio.

[l] Metonymia est pro, animum.

[m] Apostrophe est & metonymia simul pro, ô Romani.

[n] Metaphora ab homine, sicut est in *risit & tenebris.* Imò verò allegoria concursu translationum pro hilaritate post tristitiam & metum hostium ademtum.

[o] Hîc duplex est tropus, qualis notatus est Ode 1. lib. 1. *in palma nobilis*

[p] Synecdoche est generis pro Hannibale, quem Ode 12. lib. 2. & 6. lib. 3. dirum etiam Annibalem vocauit. Item altera est synecdoche in *Eurus*, sed speciei pro quouis vento.

[q] Sumtum ab hominibus, pro incitauit se & percurrit, nisi referre fortè malis ad *dirus Afer*, & illud distinctionibus intercludere, pro peragrauit: In ea tamen relatione repetendum erit translatè ad redditionem comparationis, sic percurrit Annibal Italas sociorum vrbes & mare Siculum: vt flamma tædas & ventus teras ac maria: quæ sic equitari dicuntur à ventis, vt Herodianus lib. 6. scribit Rhenum & Istrum per hyemem gelu concretos ἐν πεδίῳ χείμωνι καθιππάζεσθαι, *admodum pedestris itionis illos fluuios perequitari.* Tali audaciâ translationis Euripides priùs tribuit Zephyro vim equitandi in Phœnissis, Ζέφυρος πνοαῖς ἱππάζεται θ' ἁγνᾷ· *quum Zephyrus flatibus cælum perequitaret.*

[r] Metonymia signi pro significatis iuuenibus.

[s] Metonymia præcedenti contraria rei significatæ, pro, signis, statuis, imaginibus, & simulacris restitutis & erectis Deorum: quæ prius fracta & prostrata iacebant. Talis fuit tropus Ode 18. lib. 2. *Paternos in sinu ferens Deos.*

[t] Prosopopœia est, vbi Poeta suâ oratione Annibalem inducit loquentem, cuius sermo producitur in quatuor & viginti versus cum nota quidem accessus ad eam, sed sine nota recessus ab ipsa.

[u] Allegoria est è continuis metaphoris, pro, Nos Pœni mansueti sectamur feros Romanos.

[x] Videtur sumtum à fertilitate terræ pro magno & superbo triumpho.

[y] Synecdoche est generis pro Troiani; Æneas, Anchises & comites iactati mari Tyrrheno.

[z] Sumtum quoque est ab animantibus, pro ramis, frondibus, ac folijs nudata & accisa: vt enim capilli tonderi dicuntur & crines resecari: sic plantæ, quum eis frondes & folia, quę alibi Poeta noster vocat honores syluarum, tondentur.

[aa] Synecdoche integri pro membro, id est, capite.

bb Metonymia loci pro Thebanis. Similis est tropus in Carthagini pro Carthaginiensibus.

cc Translatũ mihi videtur à corpore ad animi magnitudinem, qui non frangitur aduersis, nec cedit malis, sed contrà audentior, vt facilè licet perspicere è definitione pulcri in Odes 16. lib. 1. Grammaticis.

dd Epizeuxis est in eadem dictione continuè repetita cum exclamatione desperantis, quum tamen, dum ægroto anima est, spes sit iuxta prouerbium, & idem testetur Ouidius.

Viuere spe vidi, qui moriturus erat.

Ideoque sola spes in summo pixidis Pandoreæ labro hæsit.

ee Metaphora est ab appellationib. rerum pro gloria celebri & honesta Pœnorum fama.

ff Synecd. partis pro toto ipso Claudio bellicoso.

gg Translatum est hoc à canibus venaticis & sagacibus Gallicè, *soucys, qui preuoyent & sentent les choses de loin, & les despeschent & mettent à fin par les dangereux mouuens de la guerre.*

Ode V. Ad Avgvstvm.

Theticum.

Summo Reipub. gubernatori, quæ ipsius moram non maneat, maturè in Vrbem ex promisso redeundum esse.

1 a *Iuis orte bonis, optime Romulæ*
b *Custos gentis, abes iam nimiùm diu:*
c *Maturum reditum pollicitus patrum*
Sancto d *concilio, redi.*
2 e *Lucem redde tuæ dux bone patriæ.*
Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit, populo gratior it dies,
Et f *soles meliùs nitent.*
3 *Vt mater iuuenem, quem Notus* g *inuido*
Flatu h *Carpathij trans maris æquora*
Cunctantem spatio longiùs annuo
Dulci distinet à domo,
Votis ominibusq; & precibus vocat,
Curuo nec faciem litore demouet:
Sic desiderijs i *icta fidelibus*
Quærit patria Cæsarem.
4 *Tutus hos etenim rura perambulat:*
Nutrit rura k *Ceres almaq; Faustitas:*
5 *Pacatum* l *volitant per mare nauitæ:*
Culpari metuit m *fides:*
20 *Nullis polluitur casta* n *domus stupris:*
Mos & lex o *maculosum edomuit nefas:*
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam p *pœna premit comes.*
Quis q *Parthum paueat? quis gelidum Scythen?*
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisq; diem collibus in suis,
Et vitem r *viduas ducit ad arbores:*
30 *Hinc ad vina redit lætus & alteris*
Te mensis adhibet Deum.
Te multâ prece, te prosequimur mero
Defuso pateris: & Laribus tuum
Miscet numen, vti u *Græcia Castoris,*
Et magni memor Herculis.
Longas ô x *vtinam,* y *dux bone, feriας*
Præstes z *Hesperiæ:* aa *dicimus integro*
Sicci mane die, dicimus vuidi,
Quum sol Oceano subest.

Analysis Dialectica.

AB eodem argumenti genere hanc Oden exordit Poeta, atque primam lib. 1.

Mæcenas atauis edite Regibus,
O & præsidium & dulce decus meum!

Honorificè enim salutato Augusto, è categoria procreantium & adiunctorum, suadet maturè redeundum esse Romam. Auctores quidem Augustani generis hîc sunt illi Deastri satis ex historijs ac fabulis noti: sed fida & salutaris Reipub. custodia in ipso innititur Augusto Quare, vt Homerus li. 2. Ιλιαδ. canit de Agamem, quem sic hortatur somnus.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Ὧι λαοί τ' ὀπιτέλλουσι, καὶ ὅσσα μέμηλε.
Non decet Principem, cuius consilio Resp. nititur, & tot sunt ipsi curæ, per totam noctem dormire.

Praxin huius sententiæ præbuit Cicero Romæ Consul. 3. Catilinariâ, *semper vigilaui & prouidi, Quirites, quemadmodum in tantis, & tam absconditis insidijs salui esse possemus.* Hic obiter describit Poëta officium principis, cuius prouidentiæ & vigilantiæ, & curæ commissa est Reipublicæ, vt ipse alijs dormientibus excubet ac vigilet, ob id magistratus sic Græcè describitur, ὁ ἄρχων ὅτιν ἔμψυχος εἰκὼν τοῦ θεοῦ, id est, *Magistratus est animata Dei imago.* Qui personam Dei sustinens in recta muneris sui administratione, fit similis Deo. ὕπνον γὰρ ἀνδρὶ δοῦναι, i.e. somnum capere placitum est, & dormire floridum, suauem & curis solutũ soporem, est genus cuiusdam absentiæ: sic Augustũ minimè decet longiùs se remouere à Repub. Huius autem suasionis prima ratio est è genere testimonij, vbi obligatio continetur & ita ἐνθυμηματικῶς iudicatur: Cæsar pollicitus est Senatui maturum in Vrbem reditum: Ille igitur redeat. Hæc complexio ex adiuncto approbatur, quòd dies reditionis dictus iam cesserit: Itaque oporteret illum iam reuertisse.

2 Quasi discessus Cęsaris patrię offudisset tenebras, &, quamdiu ille abfuit, hæc claro & iucundo caruisset aspectu; vrget maturandum reditum, id est, complexionem, quam auget primùm similium cõparatione: quòd, vt homines reditu veris delectantur: sic popul. Rom. Cæsare redeunte ac præsente gaudet, seq; modestè ac facilè in officio continet. Deinde eadem declaratur maioribus, quòd, quum ille adest in Vrbe, lætiùs dies fluat: sol pulcriùs niteat, quàm quum abest: Nero similiter commendatur lib. 1. cap. 3. de clement. sub tertia persona à Seneca, atque hic Augustus ab Horatio. *Illius demum magnitudo stabilis fundataq; est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur:*

quo

quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili profiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum fidus certatim aduolant, obijcere se pro illo mucronibus infidiantium paratißimi, & subßernere corpora sua, si per stragem illi humanam ad salutem iter suadendum sit. Vt deniq; in corpore multa membra sunt, quæ ab vnico reguntur animo, sic vel in regno, vel in Rep. multa sunt partes, quæ virtute vnius principis in officio continentur.

Ex his autem, tanquam inuolucris, puto virtutes illustrari & securitatem ciuium præsentiâ Cæsaris indicari: contrà eiusdem absentiâ illorum vitia & metum obtegi: sicut ex consequentibus quisque subolfacere potest.

3 Eadem amplificatur plenâ collatione similium, vbi sunt quatuor termini: vt desiderium matris ad filium iamdiu absentem à patria, *οὔτε ἄλλο γλυκίον, οὐδὲ τοκῆων γίνεται, quâ nihil dulcius neq; parentibus est*: sic desiderium patriæ est ad diuturnam Augusti absentiam.

4 Tantum desiderium declaratur multis adiunctis: quòd præsentiam Cæsaris hæc commoda consequentur omnia. Primùm agricolę tutò facient opus rusticum: deinde nautæ percurrent securè maria: posteâ pacta & conuenta seruabuntur: stupra non committentur: nullum facinus indignum admittetur: leges colentur: adulteria vitabuntur: metus omnis hostium aberit: viticolę totum diem consument in vitibus maritandis, & ibi ad occasum vsque solis manebunt: postremò Cæsari libabunt, vt Laribus: quæ quidem libatio cum precibus iuncta fieri solebat mensis secundis, vino omnium generosissimo ex vua Rhodia, vt alibi est à nobis annotatum, & ex hoc Virgilij loco Æneid. 8. vers. 282.

Instaurant epulas, & mensæ grata secunda,
Dona ferunt.

Intelligi potest & ex alio,

Non ego te Dijs & mensis accepta secundis
Transierim Rhodia.

Et è Catonis lib. de re Rustica ca. 143. quæ libandi ratio similibus disputatur: Vt Græci Castorem, Pollucem & Herculem inter Penates habent & honorant: sic Romani præsentem Augustum sacrificijs, omniq́ue honorum genere prosequentur, festosq; dies indici optabunt ad ipsius reditum decorandum & **gratulandum**: quæ celebrandi festi ratio declaratur è loco priuatium: quod illud agetur mane à ieiunis & abstemijs, atque vespere à madidis & potis: quæ duo tempora Turnebus è lib. 10. Platon. de legibus coniectauit precibus ac votis apud veteres Ethnicos destinata. Hanc libandi Dijs & Amicis rationem Senatus Romanus olim decreuit in honorem Augusti, sicut Dio lib. 50. narrat. *Καὶ ἐν τοῖς συσσιτίοις οὐχ ὅπως τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις πάντας ἀπροφασίστως ἐπελθόσιν*, id est, *& in conuiuijs non solum publicis, sed & priuatis omnes ei libare, & vinum defundere iusserunt.* Quo noster Poeta videtur hic respexisse.

Quod tamen enunciat integrè Satyrâ 5. lib. 1.

— Ab his maioribus orti.

Prætereà epitheton *bonus* propriè Dijs conuenit. *Bona dea, sis bonus tuis* quod satis arguit illud sapienter dictum à Licinio Fimbria viro consulari, qui à Marco Lutatio Pythia splendido equite Romano iudex aditus de sponsione, quam is cum aduersario, quòd vir bonus esset, fecerat; nunquam id iudicium pronunciatione sua finire voluit: ne aut probatum virum, si contra eum iudicasset, famâ spoliaret: aut iuraret eum virum bonum esse, quum ea res innumerabilibus officijs & laudibus contineatur, vt scribit Val. Max. lib. 7. cap. 2. & Cic. 3. de off. Itaq; ex his discamus appellatione bonitatis quandam virtutis consummatæ perfectionem significari. Quod Galenus confirmat in expositione, Quid Hippocrates appellet *ἀγαθὸς πύρος*, id est, *bona tritica. Maiores* ait, *vocabulo ἀγαθὸς, soliti vti ad id omne notandum, quod in suo genere primum est.* Itaque ne bonitatem illam profanemus, primo cuiq́ue tribuentes cognomen viri boni: in qua nulla est natio hominum, quæ tam sæpè peccet, quàm Gallorum; vnde multò sanctiùs nos Christus reuocat Matth. 19. cap. & Marci 10. *τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεὸς, cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi vnus, nempe Deus.* Hîc Christus non tam recusabat modestè talem appellationem, qui ex sese & absolutè bonus erat, vt Deus ac ipsius filius, qualẽ adolescens non cognoscebat, sed tantùm hominem quẽdam singularem, quàm illum principem & diuitẽ auocabat suo exemplo à nimia proprię virtutis fiducia ac meritę bonitatis opinione leuabat: quòd à pueritia seruasset legis mandata. Quidam non malè referunt hunc Augusti ortum partim ad Acciam ipsius matrem è familia Iulia & hãc è Venere profectam: partim ad genus paternum Iulij Cæsaris à Dijs immortalibus repetitum, vt licet è Suetonio facilè cognosci: fortasis etiam vox Græca *ἀγαθὸς* plena huiusmodi maiestatis & dicta quasi *ἀγασὸς*, id est, valdè venerabilis & venerandus, admirabili laude dignus, *ὡς ἀπὸ τὸ ἄγαν θαυμ, ἢ ἀπὸ τὸ ἄγαν θεῖον*, i. *ab admirabili veneratione, aut à maiestate valdè diuina*: quam quidem posteriorem etymi rationem vno videtur loco Eustathius reiecisse; priori Ιλιαδ. Α. *Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ*, i. e. in Pylo valde diuina, cuius notas sic interpretor, *dixit Homerus Pylum* Agatheen non tam ex eo, quòd sit valde diuina, quatenus seruauit *τὸ ἄγαν* similiter atque *ἀγάννιφος ὄλυμπος*, id est, *valde niuosus olympus*, quàm ex *τῷ ἀγάζω*, vnde *ἀγασὸς*, & hinc rursus *ἀγαθὸς*. posteriorem approbauit in vers. Οδυσ. Α. initio,

Νύμφη πότνι' ἐγὼ Καλυψὼ δῖα Θεάων id est,
Nympha veneranda Calypso dîa Dearum.

Huius quoque loci notas sic interpretor, vt *τὸ Δῖος* non deriuat comparationem, neque etiam gignit superlationem: quia natura vocis vim habet superlationis eminentis. Nemo enim dicit *διωτέρα* vel *διώτατος*: sic neque *τὸ ἀγαθὸς*, quia particulam intendendi habet *πλὼ ἄγαν*, facit ex se *ἀγαθώτερος*, neque *ἀγαθώτατος*, vt tradidit Ælius Dionysius. Quare maiestas vocis huius ab appellatione tali quemque reuocare debet, ne illam temerè personis mortalibus, rebusque caducis tribuat; nec equidem dubito, quin *Christus* & ipsius Euangelistæ respexisse ad posterius etymon & allusisse videantur.

Ad talem huius vocis significationem Seneca Epist. 34. respexisse mihi videtur, quum sic loquitur, *Pars magna bonitatis est, velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? perfectum, absolutum, quem malum facere nulla vis, nulla necessitas possit.* Prætereà ab ipso Poeta geminatur hoc epitheton cum benignus Ode 2. huius libri. *Bonique diui nos dabunt, & dabimus Diuis tura benigni.*

Enarratio Grammatica.

ORte *bonis.*] Sic passim hic Poeta loquitur, *orte Saturno, orta iuuentus non his parentibus, peioribus ortus.* Qualis præpositionis Ellipsis Græcis est perfamiliaris, Euripidi, *Διὸς πεφυκὼς. ex Ioue prognatus.* Platoni, *ἐσθλῶν ἀγαθῶν πατέρων, ex bonis parentibus natus.* Quando autem pop. Roman. desiderio Augusti teneretur, quídue pro illius absentis salute faceret, Suetonius cap. 57. in ipsius vita legatur. Est autem hîc præpositionis ellipsis, vsitata Poetis, vt *edite regibus* & *nate Deâ*. Terent. Phorm. Act. 1. Scen. 2. *ciuem esse Atticam, bonam bonis prognatam* sic Satyr. 2. lib. 1.

Magno prognatam deposco Consule cunnum,

Item, pro perito sumitur, vt in Daphnide:

—— Boni quoniam consedimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Quomodo Græci dicunt ἀγαθὸς τοξεύειν, peritus eiaculandi sagittas. Ita certè variè sumitur ἄγαθον ac ἀγαστὸν, quod valet admirabile & venerabile, pro strenuo, prudenti, & excellenti. Quid autem interfit inter Deum & Diuum dictum est in Grammaticis Odes 2. lib. 1.

Romulæ.] Sic dicitur origine ductâ à Romulo: vnde videretur potiùs Romulea gens vocari: sed hic Auctor magis gaudet primigenijs, quàm inde natis, vt aliàs monitum est, & monebitur pòst Ode 12. ad hæc verba, *Sulpicijs horreis*, pro Sulpicians.

Concilio.] Grammatici concilium deflectunt à concalare sumto à Græco ἐκκαλεῖν, conuocare: hinc ἐκκλησία conuentus & cœtus.

Potest autem concilium sic distingui à concione, vt illud quidem dicatur de legatis & alijs, qui cum publica potestate aut imperio in consilium ad deliberandum adhibentur: hæc verò de ijs, qui ad exercitum, aliámue hominum multitudinem habent orationem: qualis fuisse *Curio* dicitur lib. 2. *Cæsar. de Bello ciuili, dimisso concilio, concionem aduocat militum.* Tale discrimen lib. 3. ad Herennium legitur, *Si quam rem in concione, aut in concilio faciendam censebimus.*

Instar veris, &c.] Cicero ita loquitur contra Pisonem, *vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis erat.* Pro C. Rabirio, *Latere instar mortis erat turpissimæ.* Ita Virgil. 2. Æneid. *Instar montis equum ædificant &c.* Interdum nota similitudinis ipsi adiungitur, licet eandem significanti per se, vt in oratore, *nec magna sunt, & quasi animi instar in corpore, &c.*

Huius autem Syntaxeos auctores sunt locupletiores, Cicero, Virgilius, Horatius, quàm Agellius, Apuleius atque reliqui posteri; qui ad *instar* solent addere præpositionem, ad instar dicentes, tanquam vox esset κλιτικὸς, vt hæ, ad imaginem & similitudinem.

Soles.] Soles dicuntur, quasi multi essent, qui discederent ac redirent, alij post alios, vt Lunæ multæ.

Mater iuuenem.] Hic ellipsis est τὸν, *filium*, secus, impropria esset relatio ad matrem.

Notus.] De hoc vento dictum est Ode 3. lib. 1.

Carpathij.] De hoc etiam mari vide Ode 35. lib. 1.

Cunctantem longius.] Hoc aduerbium dicitur de tempore pro diutiùs, vt Ode 20. lib. 2. notatum est è Sallustio & Cicerone.

Dulci.] Sic Ouidius de patria altera parente lib. 1. de Ponto.

Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos.
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Distinet.] Id est, quem ventus aduersus prohibet reditu in dulcem patriam. Non significatur hîc neque tempus, quo Vrbem reliquerit, neque locus, ad quem profectus sit.

Votis.] Simili prædicatione rectores & nautæ dicuntur consalutasse Augustum, vt refert Suetonius in Octauio cap. 98.

Fortè Puteolanum sinum prætereuehenti vectores nautæq; de naui Alexandrina, quæ tunc quidem appulerat, candidati coronatiq; & tura libantes fausta omnia & eximias laudes congesserant: per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui.

Demouet.] Cicero repetit præpositionem, demouere de sententia, ex recto, quam etsi Poetæ non geminant, nisi admodum raiò; tamen videtur intelligenda, vt hic infrà *defuso de patera*, & *subest sub Oceano.*

Mare pacatum.] Pro hoc Virgilius dicit, *æquor stratum silet*, & Græci, πόντος στρωτὸς σιγᾷ, ita σωρὸν πόντον, vt Latinè *sternere mare*, pro pacare, sedare & tranquillum reddere.

Faustitas.] Faustitas, vt Dea, colebatur à veteribus pro fœtura pecoris & prouentu, cuius etiam gratiâ Eclog. 2. Virgilij Priapus inuocatur. Ratò alibi reperitur hæc vox, & vim retinet sui primigenij, pro, iucunditas & felicitas.

Stupris.] Videtur hæc vox deduci à stupendo, quòd huiusmodi flagitia sæpiùs priuent stupratores sensurum: quomodo probrum à prohibendo quasi proebrũ. Hic videtur Poeta notare flagitiosam libidinem præsente Cæsare non labi in virgines: quæ est Græcis διακόρεσις Budæo præfloratio & castitatis virginalis ereptio. Non mihi placet Isidori notatio à corrumpendo.

Simili prole.] Talem quidem laudem Catullus optat Iuliæ & Manlio.

Sit paruulus suo similis patri
Manlio, & facile inscijs
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ.
Matris indicet ore.

Mos.] Quidam deflectunt hanc vocem ἀφαιρετικῶς à νέμω primæ syllabæ præcisione, & definiunt morem esse institutum patrium, non lege, sed iudicio & opinione maiorum comprobatum, & ad religiones & ceremonias pertinens: & certè quanquam vox integra νόμος παρὰ τὸ νέμειν, à tribuendo cuique, quod ipsius est, notetur: reperitur tamen pro more & consuetudine, vt in Clio Herodoti, αἰνέω μέν νυν τὸν τρόπον νόμου, *nunc equidem probo hunc morem*, nutriendi infantes extra parentum aspectum & ædes vsq; ad quinquennium. Moris autem definitio fuit Ode præcedente è Varrone. In Oppia. lib. 3. οὐ γὰρ ὅσια θηρίοισι νόμος, *non est mos feris.* Item in Thalia, οὕτω μὲν νῦν ταῦτα νενόμισται· καὶ ἐρέσθαι μοι δοκέει Πίνδαρος ποιῆσαι, νόμον πάντων βασιλέα φῆσας εἶναι, id est, *atque ita moribus comparatum est, rectèq; Pindarus mihi videtur cecinisse, quum dixerit morem omnium regem esse: vbi notes, velim τὸ νενόμισται καὶ νόμον dici κατάπνευσιν συζυγίαν.* Lex autem à delectu honestorum & disiunctione turpium dicitur Hebraicè תורה *thorach*, à doctrina vel dispositione præceptorum, vt dictum est Ode antecedente.

Puerperæ.] Puerpera dicitur à partu puerorum, Græcè λεχώ, ὁ & τοκὰς ὁ &, ἀφτόκος.

Parthum.] De Scythis & Parthis eadem Ode 35. lib. 1. dictum est, vt de Castore & Polluce Ode 3. lib. 1. vt de Iberia Ode postrema lib. 3.

Horrida German. &c.] Hoc Epithetum Latinum, vt alterum Epod. 16. *fera Germania*, videtur ἐξηυτικὸν τὸ ἑλληνικὸν ἀφειμανὴς καὶ ἀφειμάντου, τὸ ἐκδοτὸν, id est, *Martius, viribus præualidus præditus*, quod Dionysius de situ orbis tribuit Germanis,

λευκά τε φυλανέμονται ἀφειμανίων γερμανῶν, id est,
Albæq; gentes (ibi) habitant Martiorum Germanorum.

Quem in versum notæ Eustathij sunt è Græco factæ Latinæ, *Dialectus autem Romana interpretatur vocem Germani per Græcam γνήσιοι sonantem natiuos, tanquam ἀγνοὶ, id est, congeneres. Gallis ac præsertim Belgis, quibus creduntur origine similes esse, tam formâ, victusq; ratione, quàm moribus: His tamen tribus, durâ quadam rusticitate, magnitudine, flauo colore ab illis differentes. Siti sunt vltra Rhenum versus orientem post Celtas, maximeq; post Belgas.* Porrò vocem *Germani* nonnulli τροπικῶς sumunt pro fratribus, quæ modo quodam significat homines aliquâ generis affinitate coniunctos.

Adhæc Plutarchus narrat Germanos esse corporibus prægrandes & cæsijs oculis lætitiam præ se ferentes.

Mos &

Mos & lex.] Historiæ testantur Augustum suscepisse præfecturam morum, vt illa Suetonij in Octauio ca. 37. *Recepit & morum legumq; regimen æquè perpetuum, quāquam sine censuræ honore: censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.* ibidem cap. 37. pòst. *censores creari desitos longo interuallo, creauit Paullum Aemilium Lepidum & L. Munatium Plancum, à quibus tamen nihil est gestum memoratu dignum, sed Augustus in susceptam morum præfectura Triumuiros de Mæcenatis consilio in locum Censorum suffecit, qui postea nulli fuerunt sub imperijs Cæsarum:* quæ profectò seueritas Censoria erat magistra pudoris ac modestiæ, quam Piso Consul homo flagitiosissimus Romæ sustulit, vt ipsius moribus ac impurissimi cuiusque inimicam, vt scribit Cicero Orat. in ipsum. Hæc autem duo vocabula, mos & lex, vtilissimè ad conseruationem Reipub. proponuntur & coniunguntur, ὡς τέχνης καὶ τῆς αὐτῆς πράξις, vt ars quędam, eiusdemque effectio: quomodo Seneca coniunxit Epistol. 117. *nec vlla gens vsquam est adeo extra leges morésque proiecta, vt non aliquos Deos credat esse*, vt etiam ex Od. 24. lib. 3. cognoscitur:

Quid leges sine moribus Vanæ proficiunt?

Id est, quid theoria sine praxi, & præcepta sine exercitatione prosunt? vbi subijciendum est, nihil, sicut illic docuimus.

Culpam &c.] Hoc videtur è Platonis lib. 5. de legibus sumtum, sicut Ode 2. lib. 3. dictum fuit; qui verissimè de pœnis impiorum scripsit, supplicium sceleris non solum cognatum omni sceleri, sed eidem quoque innatum, ἀκόλουθον τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία, id est, *subsequa est iniuria pœna:* sed Hesiodus tribuit pœnæ sceleris epithetum πολὺ ἐνεργηκώτερον, quum canit pœnam sceleris ἡλικιώτιδα, id est, *æqualem & coetaneam.* Iccirco definitur, ἡ τιμὴ ὅρῳ ἁμαρτήματος εὐδικία, id est, *pœna est peccati vltio.* contrà in *culpam* alter eiusdem tropi modus pro delinquente, in quo residet culpa.

Condit diem.] Hoc potest vel ex illo Virgilij explicari.

Antè diem clauso componet vesper Olympo,

Id est, finiet, ait Seruius, & addit secundùm Poetas cælum nocte claudi & die aperiri: vel ex illo Eclog. 9.

Longos Cantando puerum memini me condere soles.

Pro quo Plautus in Menęch. *hūc comburamus diem*, id est, consumamus lautè genium curando.

Viduas.] Epitheton, *viduus*, Iurisconsultis etiam dicitur de innuptis, nedum de orbatis.

Alterū mensis.] Primi secundarum mensarum auctores fuerunt Valerio Maximo lib. 2. Iones, quæ Græcè dicuntur δεῖπνα πρῶτα καὶ δεύτερα καὶ τραγήματα, quod ille δεῖπνα δόρπα, δεῖπνον δόρπον, ὅπερ δεῖ δεῖπνον, ἐφωπλίζοντο, *post cœnam apparerentur*, Latinè bellaria & cænæ secundariæ, postcænia: sed tamen apud Athenæum lib. 14. δεῖπνα, apparatus mensarum secundarum dicitur sumtuosus & magnificus è Pindaro de carnibus à Pelope concisis.

Præstes.] Pro, indicas dies festos, & exhibeas ludos!

Integro die.] Dies integer bifariam explicatur: primùm vt ad ieiunum stomachum referatur; deinde vt nulla eius hora præterierit, qualis est ante ortum solis, & sic liceat illum totum cōsumere in opere faciundo, sed post ortum eiusdem dicitur dies affectus.

Sicci.] De hac voce dictum est Ode 18. libri primi, opponuntur autem *siccus & vuidus* ξερηκῶς, vt *ieiunus & potus.*

Explicatio Rhetorica.

METrum par est metro sextæ Odes lib. 1.

a Metaphora est à cælicolis, pro, ô nate nobilibus & claris maioribus. Eâdem metaphorâ Tityrus appellat Augustum Eclog. 1.

——*Deus nobis hæc otia fecit.*

b Simili tropo reges dicuntur Homero ποιμένες λαῶν καὶ φύλακες, καὶ οὖροι. pastores populorum & custodes & reges, non domini, in admonitionem recti & legitimi officij.

c Sumtum à frugibus, quæ propriè matureſcunt nec citiùs, nec tardiùs æquo ad vtilem vsum colliguntur.

d Synecdoche est generis pro Senatui, qui grauissimus, sanctissimusq; dicitur etiam à Cicerone, & rursus in hoc est metonymia pro Senatoribus.

e Allegoria est è metaphoris, pro da nobis lætitiam & patriam hilaritate perfunde, quæ exprimitur à Cicerone Philippicâ. 13. & pro lege Manilia per afferre lucem Reipub.

f Metonymia est efficientis, pro, dies motu solis effectos, vt suprà in vers. 9. Eclog. Virgilij.

Sed Christiani didicerunt, lucem & tenebras, id est, diem & noctem creata fuisse primo die & luminaria magna, Solem & Lunam die quarto, vnde constat lucem atque diem ante solem exstitisse.

g Metaphora est ab animantibus ad inanima pro aduerso.

h Synecdoche pro quouis periculoso mari.

i Sumtum propriè à corporibus, vt Suetonius in Claudio loquitur cap. 33. ictus nidore prandij, quod in maxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali abscedit ad sacerdotes vnaque discubuit, pro, affectu animi commora & concitata & tentata desiderijs, Gallicè *regrettant si fort l'absence d'Auguste.*

k Metonymia est & metaphora, pro, frumenta luxuriantur in agris, magnaque eorum est felicitas & vbertas.

l Sumtum ab auibus ad celeritatem secundæ nauigationis indicandam, propter metum piratarum sæpè cogentium nautas quærere ambages.

m Metonymia rei adiunctę, pro eo qui dedit fidem, veretur & cauet eam violare, ne ob id posteà culpetur & grauiter reprehendatur.

n Metonymia est subiecti, pro, castæ matronæ & virgines vetito concubitu non polluuntur.

o Synecdochica est metaphora, pro impurum, fœdum & obscœnum adulterium comprimit lex Iulia obseruata, cuius ratio redditur à Phocylide.

Οὐ γὰρ πικτοὶ παῖδας ὁμοίους μοιχικὰ λέκτρα.
Lecti enim adulterini non pariunt liberos similes.

Contrà qui fidem coniugij sacratam seruant, & iustitiam colunt.

Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι
Pariunt mulieres liberos parentibus similes.

Ait Hesiodus in operibus & diebus.

p Metonymia subiecti, pro magistratus æquus, qui versatur in delinquentibus citò puniendis.

q Synecdochica est allegoria singularium pro Parthis, Medis & Scythis & vniuersis hostibus populi Romani, qui Augusto imperante nullum ei pauorem inijciant.

r Videtur quædam allegoria à feris, pro, quis pertimescat bellicosos & immanes iuuenes Germarum Augusto incolumi? quis crudeles Hispanos?

s Est hic superioris interrogationis subiectio, pro, nemo extimescet, sed quisq; omnis metus expers opus faciet in vineis tantisper, dum dies claudetur.

t Nota est translatio ab orbatis coniugibus ex vsu frequenti tum in hoc Poeta, tum in alijs. Catullus in Epithalamio,

Vt vidua in nudo vitis, quæ nascitur arbo
Nunquam se extollit.
Pro nullis fulcris sustentata.

u Metonymia subiecti, pro Græci.

x Exclamatio est per optationem.
y Synecdoche est generis, pro, Cæsar Aug.
z Altera Synecdoche pro Italiæ.
aa In *dicimus, dicimus* anaph. est initio sententiarum.

Ode VI. Ad Apollinem et Dianam.

Theticum.

Instituta est hæc Ode laudibus Apollinis & Dianæ dicendis, vt illius pietas in vindicanda Latonæ matris iniuria, & benignitas erga Poetam, huius tutela in custodiendis pueris ac puellis meruerunt.

Dic, quem a *proles Niobæa magnæ*
Vindicem b *linguæ, raptor Tityosq; raptor*
Sensit, & Troiæ propè victor altæ
Phthius Achilles,
2 *Cæteris maior, tibi miles impar:*
3 *Filius quamuis Thetidos marinæ*
Dardanas turres quateret tremendâ
c *Cuspide pugnax.*
Ille, d *mordaci velut icta ferro*
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitq; collum
Puluere Teucro.
4 *Ille, non inclusus* e *equo, Mineruæ*
Sacra mentito, male feriatos
Troas & lætam Priami choreis
Falleret f *aulam:*
Sed palàm captis grauis (g *heu nefas, heu!*)
Nescios fari h *pueros Achiuis*
Vreret flammis, etiam latentes
Matris in i *aluo:*
5 *Nî tuis victus Venerisq; gratæ*
Vocibus Diuûm k *pater, annuisset*
10 *Rebus Aeneæ potiore ductos*
l *Alite muros.*
6 *Doctor argutæ fidicen* m *Thaliæ,*
Phœbe, qui Xantho lauis amne crines:
n *Dauniæ defende decus Camœnæ*
Lauis Agyieu
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenq; dedit Poetæ.
7 *Virginum primæ, puerique claris*
Patribus orti,
20 *Deliæ tutela Deæ, fugaces*
Lyncas & ceruos cohibentis arcu,
Lesbium seruate o *pedem, meique*
Pollicis ictum.
Ritè Latonæ p *puerum canentes,*
Ritè crescentem face q *Noctis lucam,*
Prosperam frugum, celerémque pronos
Voluere menses.
8 *Nupta iam dices:* r *Ego Dîs amicum,*
Seculo festas referente luces,
30 *Reddidi carmen docilis modorum*
Vatis Horatî.

Analysis Dialectica.

MAgnitudo potestatis Apollinaris initiò proponitur ad cultum, & ex factis explicatur: quòd malefacta & iniurias hominum; Niobes, Tityi, Achillis acerrimè Apollo vindicauerit & punierit olim.

2 Hæc Achillis descriptio referenda est ad eandem virtutis Apollinaris magnitudinem pluris faciẽdam: quæ sine digressione 20. versibus producta primùm constat duplici collatione breuiter tractatâ: quod cæteris quidem Græcis animi magnitudine præstaret: Apollini autem potentiâ cederet, quod vtrumq; comparationis genus facilè omnibus patet.

3 Eadem deinde loco diuersorum probatur, cuius diuersitatis prior pars componitur ex caussa procreante, adiunctis & factis Achillis, qui quamuis natus esset è Thetide gratiâ plurimùm apud Iouem valente, propter præsentissimã opem, quam curauit ipsi ferendam à Briareo contra cæteros in ipsum coniuratos Deos, vt est Iliad. α. quamuis etiam naturâ vehemens & pugnax haberetur: Troianis ingentem terrorem incuteret: illorum tremefaceret arces: ille tamen concidit, Phœbo sagittam Paridis in eum dirigente.

Hæc posterior pars est in his verbis literæ, *Ille procidit latè posuitq; collum in puluere Teucro*: quæ rursus amplificatur duplici similitudine arborum, pinus & cupressi procellâ & securi cadentium.

4 Alter locus è diuersis: Achilles nunquam Troianos insidijs excepisset: nec vrbem vino somnoque sepultam oppressisset; sed vexillis propositis, signo tubâ dato apertoque Marte expugnasset: crudelitatemque suam in illis omnibus tantam exercuisset, vt nemo futurus esset superstes, qui gentem Romanam conderet.

5 Ostendit è principe caussa & alijs adiuuantibus, Deos posteritati Troianorum clementer consuluisse, quum Achillem curârunt à Paride interficiendum, quâ mortalis erat.

6 Iam Poeta iterat institutam imprecationem Diue, inquit, faue meis versibus Lyricis: vbi Poeta facit Apollinem carissimæ cuiusque rei, quam possideat, auctorem: quod est caput in postulatione gratiæ ac veniæ facillimè obtinendæ.

7 Cohortatio est Poetæ ad pueros & puellas, vt secum Apollinem & Dianam ritè cantibus & hymnis celebrent ac prædicent: quippe qui summam habeant potestatem, in teneras vtriusq; sexus ætates.

8 Eódem inuitat recens nuptas, vt ad exemplum ipsius efferant vtrumq; gloriâ & prædicatione.

Enarratio Grammatica.

HAnc Oden quidam ex postremis versibus faciunt carmen seculare, & ex hoc genere ad vtrumque Deum Od. 21. li. 1. fuit etiam carmen seculare. Præterea & 12. li. 1. & 22. li. 3. Odis satis de hoc numine vtroq; dictum est. Fabulam autem Niobes lege li. 5. cap. 11 apud Diodorum: è quo disces, hanc fuisse filiâ Tantali, sororem Pelopis & vxorem Amphionis: quæ quia se pulcritudi-

critudine & prolis multitudine gloriata esset præstare Latonæ, Apollo & Diana liberos ipsius sagittis interfecerunt: ille mares septem, hęc totidem femellas. Tot enim liberos Niobæ fuisse scribit Euripides: sed Hom. Il.ω. duobus pauciores, quem Plutarchus sequitur in libello περὶ δεισιδαιμονίας, quum narrat hanc fabulam è superstitione natam: plures Sappho, nempe octodecim: Bacchylides & Pindarus viginti.

Sensit.] Vis huius verbi explicata est Ode 7. lib. 2. ad vers. 10.

Vindicem.] Vindex hîc, vt nonâ sequenti, est vltor iniuriæ & punitor, quomodo 3. de nat. Deorum dicitur, *facinorum & sceleris speculator & vindex.* Interdum est defensor & assertor, vt Sueton. in Octauio c. 7. *Exstitisti tu vindex nostræ libertatis.* Est quoque vox Græca ἐκδικος vtriusque notionis, vt sit καὶ πμωρὸς καὶ ἀπεργατης, & qui pœnas irroget & qui defendat.

Tityos.] De Tityo dictum est Od. 14. lib. 2.

Raptor.] Videtur dici de præterito conatu, non de effectione: quòd rapere Latonam tentârit & ei stuprum inferre, vt proci Penelopæ.

Phthius.] Strabo dubitat lib. 9. an Phthia sit ciuitas Thessaliæ, an regio, vnde Achilles ortus.

Propè victor.] Poeta sic loquitur propterea quòd paullò ante expugnationem Ilij & ipso adhuc stante interfectus fuerat Achilles à Paride, cuius, vt Virg scribit 6. Aen. ad hæc verba, *Phœbe graues*, &c. Apollo direxit sagittã, sicut Hector moribũdus prædixerat illi, Il. χ. Memoratur quoq; mors eius Οδυσ. γ. Telemacho à Nestore.

Ille mordaci.] Ellipsis est discretiuæ *tamen:* itaque post *pugnax*, periodus non est notanda.

Teucro.] Pro *Teucrio:* primigenium scilicet, pro inde orto.

Posuit collum.] In puluere collum, est ellipsis præpositionis, quam exprimit Cic. 2. de off. ponere hastam in foro. & lib. 1. de Nat. Deor. ponere sententias Philosophorum in medio: sed ex æquo dicitur aliquid poni in beneficij vel contumeliæ loco, sine præpositione.

Mentito.] Mentiri hîc sumitur, vt Eclog. 4. lana dicitur mentiri varios colores, & lib. 1. Martialis,

Mentiturq; virum prodigiosa Venus.

id est, fingit ac simulat se esse virum.

Mineruæ.] Multi in hoc equo principes, præter Achillem inclusi erant; Menelaus, Vlysses, Diomedes, Pyrrhus, Mnestheus, Teucer & alij. Quanquam autem à Poetis & ab aliis auctoribus hic equus celebratur, vt ab Homero Odyss. δ & θ. item à Virg. 2 Aen. à Cic. 2. de oratore & pro Murena & M. Cælio, à Plauto in Bacchid. Lucretio l. 1. qui illũ appellat equum Durateũ: Pausan. tamẽ in Atticis existimat fuisse bellicam machinam ab Epeo fabricatore inuentã, ὃν μὲν πίνα καλεῖ ἵππον Δούρειον.

Male feriatos falleret.] Id est, lateret. Quàm autem infeliciter ferias egerint Troiani propter Palladium votum in vrbem inductum, vide lib. 2. Aen. & 6. v. 513. Sic Agellius vocat hominem maleferiatum, qui est ignauus & iners. Gallicè, *vn faineant, truant, duquel la pareſſe & negligence lui tourne à perte & dommage.* Cic. li. 1. de natura deorum. *Deum sic feriatum volumus cessatione torpere.*

Palàm grauis.] Palàm vsurpatur generaliter sine adiectione personæ certæ, quod τὸ *coram* requirit, vt Donatus in Adel. Act. 4. Sc. 3. Hîc autẽ videtur opponi *falleret*, i. lateret, quasi diceret: non ex insidiis & clã captos crudeliter tractaret, sed aperto Marte & palã id faceret.

Thaliæ.] Diodorus rationem huius vocis reddit lib. 5. c. 10. quòd in lõgum tempus laus Poetarũ parta vireat, quæ vox manat è Græca θαλεία, vnde pen. extẽdit.

Argutæ.] De hac voce fuit Ode 14. lib. 3.

Muros.] Quasi iam Roma tum constructa & muris cincta fuisset, vtitur prætèrito, pro futuro, *ducendos*, per enallagen temporis.

Xantho.] Hoc flumen Troadis, qui & Scamander ἀπὸ τὸ ξανθὸν, à flauo colore nomen sortitur, in quo demersæ oues flauescunt.

Agyieu.] De hac voce posset quidem hoc dici, quod P. Bembus lib. de culice Virg. citans hunc locũ protulit. *Vnius interiectio literæ facit, vt qua de causſa Horatius Apollinem Agyieum dixerit, nesciatur. Agyieum habent codices, non Agyieum: quod quidem nomen quale sit, illi ipsi viderint qui sic legunt. Sunt autem apud Græcos Agyei Dorico vocabulo in coni formam desinentes columnæ, quas ante fores ædium erigebãt, Apollini sacræ vel Baccho.* vnde Apollo Thyreus & Agyieꝰ dictus. Cæterùm hæc vox est trisyllaba, cuius prima syllaba est vocalis, secunda diphthongus Græca, quâ Latini carent, vt prępositiuâ, sicut Huraltho spitalij docuerunt in Apologetico pro vet. ling. Græc. pronunc. Tertia est communis vtriusque linguæ, magis tamen Græcæ propria, vt inde nata. Sic autẽ appellatur Phœbus vel ἀγυιάτης ἀπὸ τῆς ἀγυιᾶς à vico & via, quasi ἐφόδιος viarius: quòd in vicis ac viis coleretur. Vocem autem Græcam ἀγυιὰν Etymologicon & Eustathius simpliciter deflectunt ἀπὸ τὸ ἄγω, τὸ πορεύομαι, i. vado & incedo: quomodo τὸ ἄγειν sumitur Iohannis cap. 11. vers. 7. Ἔπειτα μετὰ τοῦτο λέγει τοῖς μαθηταῖς, ἄγωμεν εἰς πάλιν Ἰουδαίαν πάλιν, id est, *Deinde posteà dixit discipulis, Eamus in Iudæam rursus.* Sic Latini quoque vsurpant τὸ *agere*; sed cum reciproco casus, vt Æneidos 6.

Ecce gubernator sese Palinurus agebat. id est, incedet. Item Terentius, *Quo te agis?* vbi Donatus interpretatur poetam sic loqui, vt tarditatem abeuntis ostendat: quomodo tardi & tristes, propterea quòd solent se agere. Hesychius eandem vocem censet factam ab ἄγει ἡ χεῖρα propterea quia per viã membra ducere videamur. Suidas denique definit ἀγυιὰς, τὰς ὀπωρίκειας ὁδοὺς, id est, longas vias, ὅτι ἐκ ἔχουσι τὰ γῦια, ὅ τε κάμψεις, id est, *quòd nec membra, nec flexus, neq; anfractus habeat.* Præterea *lævis* valet imberbis ac depilis. Cruquius è codice Bland. antiq. affert alteram lectionem. Lætus Agylleu, & confirmat auctoritate Strabonis lib. 5. Geograph. Ἄγυλλα γὰρ ἐλογίζετο τὸ πρότερον, ἡ νυῦ Καιρέα, ἧς λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῆς ἐκ Θεσσαλίας ἀφιγμένων, *Agylla existimabatur priùs, quæ hodie Cære & Agylleorum donarium erat Delphis*, quod ciuitas hæc nobilitata iustitiâ & fortitudine Apollini consecrauerat, tanquam thesaurum. De hoc vide Serv. l. 8. Æneid. v. 597. & de ratione vocis *Cærites*, &c. meminit etiam Dionysius in periegesi, sed dicit metri (puto) gratiâ Ἄγυλλά τ' ἣ δὲ Κύρεγ. vbi Eustathius annotat eam nõ multo sermone apud veteres dignam fuisse.

Spiritum.] Ode tamen 6. lib. 2. canit se Poetices venam à Parca accepisse, simili oratione:

Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit.

Verùm illam initiò sui ortus dedit tenuem & hîc Apollo iam grandi copiosam.

Noctilucam.] Interpretatio est Græci Epitheti νυκτιλαμπὴς ἢ νυκτιφανὴς, quæ tribuuntur lunæ lucenti noctu.

Prosperam.] Sæpiùs hoc epitheton ἐνεργητικῶς vsurpatur, vt lux, fortuna, sidera prospera, quæ successus hominum votis respondentes immittunt, aut certè adiuuant, sicut hîc luna dicitur hoc significatu lætas facere fruges suo influxu nocturno & rore fœcundare & maturare, & inde creditur vox (prosper) nominari, quòd procul res ab asperitate remoueat, aut pro spe & opinione admoueat. *Celerem voluere* dicitur ἑλλωισῇ, vt Ode 12. lib. 3. celer excipere aprũ, pro, dum celeri volumine intra dies 27 & octo horas Luna cõficit suum cursum: sed sol absoluit suum intra 365. dies & quartam diei.

Pronos menses.] Id est, labiles, fluxos & citos. Cicero lib.2. de natura deorum sic notatione declarat *πὸ mensis*, quum de Luna & Diana loquitur. *Haec dicta est; quia noctu quasi diem efficeret. adhibetur autem ad partus; quòd hi matureſcunt, aut septem nonnunquam, aut plerumque nouem Lunæ cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.*

Diis amicum.] Quod Græcè dicitur φίλον, gratum & Diis placens.

Docilis.] Id est, quæ didici ab Horatio Sapphicos modos.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Synecdoche generis pro liberis tam pueris, quam puellis Niobes.

[b] Metonymia est causſæ pro verbis arrogantibus, superbis, & petulantibus: quibus Niobe sese magnificentissimè iactauerat.

[c] Synecdoche est partis pro toto gladio, hasta & similibus armis.

[d] Metaphora ab animantibus.

[e] Metonymia rei pro signo illius & simulacro.

[f] Synecdoche est partis pro tota ciuitate, atque rursus metonymia subiecti pro omnibus ciuibus introducto in oppidum simulacro lætantibus.

[g] Exclamatio est per commiserationem cum epizeuxi continua eiusdem soni repetitione.

[h] Synecdochica est periphrasis pro *πὸ ἔμβρυα*, id est, fœtus vterinos.

[i] Synecdoche est totius pro vtero, parte alui, quæ Græcè dicitur *ἡ μήτρα*, Gallicè *l'amarri.*

[k] Synecdochica est periphrasis Iouis.

[l] Synecdoche est primùm generis pro vulturibus illis sex, qui Remo annuissent, ait Dionysius lib.1. Deinde metonymia causſę, p meliori auspicio inde edito.

[m] Metonymia similis est causſæ pro Musica lyrica, cuius doctor fuit Apollo, vt patuit Od.32.lib.1.

[n] Metonymia eiusdem modi, cuius fuit Od.1. lib.2. *Dauniæ cædes*, pro Camœnis Apulorum & Latinorum, id est, pro versibus Venusinis & Horatianis.

[o] Pro toto Sapphico numero per synecdochē membri, & ictum pollicis pro tactu & pulsatione fidium & chordarum numerosè sonantium. Itaque videtur hîc duplex significari musica, vocalis & instrumentalis, sicut canet ode nonâ sequenti proximè, *verba loquor socianda chordis:* vbi, vt hîc, videtur poeta respicere ad Psalmum & ad vim verbi, vnde vox Psalmus ortum habet, de quo dicetur ode 13. proximè sequenti.

[p] Altera synecdoche, sed generis pro Apolline.

[q] Similis est tropus pro luna. Possunt enim dici & cæteri planetæ & stellæ noctiluci, quum noctu luceant: quanquam Varro contrà sentit libro 4. de lingua Latina, à quo Luna dicitur sola noctu lucere, idem tamen ipsomet nomine lucernam appellat noctilucam.

[r] Breuis est prosopopœia, vbi nupta sic loquens inducitur, postquam fuerit coniuncta viro.

Ode VII. Ad Torqvatvm.

Theticum.

Torquatum Poeta studet, recordatione breuis & caducæ vitæ, reuocare ab immoderata rerum mutabilium parsimonia ad cultum illius degendæ iucundiorem, mortalia solùm, non immortalia curantem.

[a] *Iam fugêre niues,* [b] *redeunt iã* [c] *gramina campis,*
Arboribusq; comæ.
Mutat terra vices & decrescentia ripas
Flumina [d] *prætereunt.*
[c] *Gratia cum Nymphis, geminisq; sororibus audet*
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, [f] *monet annus, & almum*
Quæ rapit hora diem.
Frigora [g] *mitescunt Zephyris: ver* [h] *proterit æstas*
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurret [i] *iners.*
Damna tamen celeres reparant cælestia lunæ.
[2] *Nos vbi* [k] *decidimus,*
[l] *Quò pius Aeneas, quò Tullus diues, & Ancus,*
[m] *Puluis, & vmbra sumus:*
[3] *Quis scit, an adiciant hodiernæ crastinæ summæ*
Tempora Dî superi?
Cuncta manus auidas fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
[4] *Quum semel occideris, & de te* [n] *splendida Minos*
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
[5] *Infernis. neque enim tenebris Diana pudicum*
Liberat Hippolytum:
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Analysis Dialectica.

HVius Odes Theticum collatione dissimiliũ explicatur, & ita planiùs enunciatur: Annus quidem, ipsiusque minutæ particulæ, horæ, dies, hebdomades, menses, atque partes, quę tempora dicuntur anni, Gall. *Saisons*, ver, æstas, autumnus, hyems cedunt: quarum quod alię dederunt damnum, id ab aliis posteà temperationis vicissitudine resarcitur: longè autem secus mortalibus euenit, qui quum semel occubuerunt, nunquam solent in vitam redire. Ea quidem certè fuit querula iusti Iobi agnitio in acerbitate sui doloris, magnitudineque calamitatis cap.7. v.6. *Dies mei, vt radius textoris, celeriter prætereunt, ac deficiunt sine vlla spe reditionis: memineris vitam meam esse ventum & oculum meum non reuisurum bona perfruenda. Vt nubes abit & euanescit: sic qui descendit in sepulcrum, inde non ascendet amplius: nec domum suam redibit nec ipsum locus pristinæ habitationis agnoscet.* Itẽ cap.9. eiusdem comparat dies suos cum celerib. cursoribus, naui vento secundo pulsâ, & volatu aquilę ad prędam. Item ... ultò magis c.14. Hinc profectò, id est, à doctrina Hebræorum fluxit omnis scientia reliquarum gentium, Ægyptiorum primùm, deinde Græcorum, postremò Latinorum: quorum omnium libri sunt pleni talium admonitionum de breuitate vitæ humanæ, de interitu, atq; reditu in lucẽ hominibus negato. Iam ad nostrum argumentum redeo, quod fusius hîc tractatur ab Horatio, quàm à Catullo, hoc modo:

Soles occidere & redire possunt:
Nobis quum semel occidit breuis lux,

Nox

Nox est perpetua vna dormienda.

Nam primus versus habet hîc protasin, quæ longè verissima est: reliqui autem duo antapodosin, quæ prorsus est Christianis Epicurea & impia: vt enim Catullus Lesbiam amicam doceret voluptates in vita perfruendas, solem & vitam hominis dissimiliter ita comparauit: Non, vt sol quotidie & oritur & occidit, oriturus denuò: non, inquam, sic hæc vita semel erepta homini restituitur ad iucunditatem. Moschus εἰδυλ. γ. in Epicedio Bionis Poetæ Bucolici argumento prorsus omnino huic simili vtitur, sed partibus æquè longo & συμφόρως enunciato.

Αἰ αὖ τὰ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
Ἠ τὰ χλωρὰ σέλινα, τό τ' ἀθάλες ἕλος ἄνηθον,
Ἄτερον αὖ ζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.
Ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,
Ὅππότε κα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
Εὕδομες δ' μάλα μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγερτον ὕπνον.

Eheu! postquam maluæ in horto perierunt,
Aut viride apium, aut floridum & crispum anethum
Posteà reuiuiscunt, & anno sequenti renascuntur:
Nos autem viri, tam magni & fortes, quàm sapientes
Quum semel occidimus, surdi in tellure cauata
Dormimus somnum bene lõgum, ingentẽ & perpetuum.

Impietas ista quodâmodo condonanda est auctoribus profanis, qui πῶς ἂν νεκρῶν ἀνάστασιν, *mortuorum redintegrationem & vitæ felicitatisq; æternæ immortalitatem* ignorârunt: quam nos Christiani certò speramus, libereq; profitemur. Protasis 13. versibus huius Odes extenditur, quorum sex primi occupantur in describendo vere ex variis ipsius effectis & circumstantiis, herbis & arboribus passim virescentibus, ac fluminib. decrescentibus, Nympharum & Gratiarum saltatione: qualis descriptio fuit Ode 4. lib. 1. *Soluitur* &c. reliqui autem septem versus in cæteris anni partibus explicandis versantur, ex adiunctis ipsarum affectionibus.

Immortalia ne speres.] Aristot. l. 2. Rhet. c. 40. vocat hâc sententiam, ἐνθυμηματικὴν μέν, ἐκ ἐνθυμήματος δὲ μέρος, id est, *quæ vim habet enthymematis, est tamen remota à conclusione & corpore*, vt διὰ τὰ χρὴ τὸν θνητὸν, ἐκ ἀθάνατα θνητὸν φρονεῖν, id est, *mortalem mortalia oportet, non immortalia mortalem cogitare.* quod est sumtum è quodam Poeta.

2 Antapodosis est, quæ ostendit semel mortuis reditum in vitam non patere, sed eos in puluerem mox resoluendos, illustrata parium collatione, qualem in Od. 4. l. 1. protulimus ex Phocyllide. Prudenter autem instituitur hæc antapodosis è numero multitudinis, quum in animo statutũ haberet Poeta traducere duntaxat Torquatum è cultu vitę sordidiore ad mundiorẽ & honestiorem, abiectâ congerẽdi tantas heredibus opes curâ, sed vino potiùs eâ, lautioribusq; epulis pellendâ: ad quod etiam multò cautiùs inuitatur Epist. 5. l. 1.

3 Eadem antapodosis velut Antithesis hîc interrumpitur quatuor proximis versib. de spatio vitæ longioris incerto: vnde Poeta videtur efficere, dum vita supereſt, animo in primis obsequendum, quod pertinet ad sequentem conclusionem.

4 Repetitur eadem antapodosis intermissa, & remotione caussarum confirmatur, quæ, tametsi potentissimæ sunt hominum iudicio, minimè tamen possunt eximere mortuos ex ipsorum statu, nec facere, vt reuiuiscant.

5 Eadem declaratur (vt genus quoddam) duobus exemplis specialibus, sic ἐνθυμηματικῶς comparatione maiorum diiudicatis: Diana non potuit Hippolytum ab inferis, neque Theseus Pirithoum vindicare: multò minùs igitur Manlius Torquatus illuc semel detrusus poterit à quoquam reuocari; quare mortalibus nõ sunt immortalia speranda, sicut initiò propositum fuerat. Quam complexionis sententiã firmat distichon Græcum, Μὴ σύγε θνητὸς ἐὼν, ὡς ἀθάνατός π λογίζῃ
Οὐδὲν γὰρ βιότῳ πιθὸν ἐφημερίοις.

Ne tu, quum mortalis sis, rationem rei cuiusquam subducas, tanquam immortalis: nihil est enim fidum ac certum in vita hominibus vnius diei.

Enarratio Grammatica.

SI Horatius natus est Lucio Manlio Torquato Cos. id est anno ab Vrbe condita 689. vt Ode 21. lib. 3. dictum est; oportet Oden decantatam ab ipso valdè decrepito. Consulatus enim virum annorum quinque & quadraginta requirebat, & aliquot alios præter hos studium Horatij postulabat.

Diffugêre.] Id est, quæ priùs frigoribus conglaciata niue pruinaque concreta fuerant, iam admixto tepore liquefacta, dilapsa, diffusa & dissoluta sunt, quod Græcè dicas, διερρυηκότα καὶ διαλελυμένα τῇ χλιάνσει παρωσμιχθείση. Quid autem nix sit, & vnde dicatur, vide Od. 2. lib. 1.

Flumina.] Id est, contenta intra suos alueos decurrũt flumina. Ripa autem propriè est fontium & amnium, vt littus maris. Illud tamen de mari Pontico Plinius lib. 18. vsurpauit: *Thynni dextrâ ripâ intrant, lauâ exeunt*, sicut etiam ὄχθη Græcum huic respondens. Odyss. 1. Ἐμὲ μὲν γὰρ λειμῶνες ἁλὸς πολιοὶ περ' ὄχθας. *Insunt enim prata cani maris ad ripas*, pro ad littora, vt Eustathius λέγει αἰγιαλούς. Ripa autem videtur dicta ex eo, quòd ingenti motu aquarum rumpatur, cuiusmodi est etymon τῆς ῥηγμῖνος, quo Pindarus vsus est Νεμ. ε. Επωδ. α.

——τὸν Ψαμάθεια
πόντᾳ ὄπι ῥηγμῖνι Πόντου, id est,
——*quem Psamathea*
Peperit in littore Ponti.

nisi malis etymum ducere ἀπὸ τοῦ πλῶ ῥιπτῶ, *ab impetu venti*, quo iactetur ripa, vnde τὸ ὕδωρ ῥιπίζεσθαι λέγεται, *aqua dicitur flatu ventilari & refrigerari.* Eiusdem est notationis ἀκτὴ, vox flexa ex ἄγω, frango, eò quòd vndę ad littus allisæ diffringantur. Littus quoq; dicitur, quòd ad ipsum aqua alluat, vel allidatur. De hac vtraq; voce dictum est Ode 2. lib. 1. Sic Cæsar de priori lib. 6. de bello Gallico, *Erat inter Labienum atq; hostem difficili transitu flumen, ripisq; præruptis.* Θῖνα, eiusdem cum hoc notionis, Grammatici volunt dici ἀπὸ τοῦ θείνεσθαι, ὅτι ὑπὸ τῶν πλοίων τῇ προσρήξει τῶν κυμάτων, quòd feriatur collisione fluctuum: ad quod etymum videtur alludere vers. Eclog. 9.

Huc ades: insani feriant sine littora fluctus, vnde non longè recedit illud Ripæ superius. ὄχθη denique quasi ἐξοχὴ ἀπὸ τοῦ ἔχειν, τὸ ὄχθον ἐξέχειν, quòd exstet & emineat aquis: quò pertinet illud Eustathij in Ιλιαδ. ο. pag. 1024. ὄχθας δὲ ὁ μόνον ποταμοὶ ἔχουσιν, ἀλλ' ἰδίᾳ καὶ πάφρας· αἵδε εἰσὶ χείλη καὶ ἀνασκαφαὶ κοίλης πάφρης, *non solùm fluuij ripas habent, sed vides etiam fossam habere, quæ sunt velut labra & cauæ fossæ terrâ egestâ.* Sic cap. 11. vers. 12. epist. ad Hebr. littus maris dicitur Græcè τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης ex Hebræo Gen. cap. 22. vers. 17. hal saphah hayam, i. *ad labium maris*, id est, oram & marginem.

Gratia.] Nomina Gratiarum vide Od. 4. libr. 1. & cur nudæ fingantur, Od. 30. eiusdem. Hæc tamen nuditas Gratiarum saltantium posset intelligi ἀνὰ ὁπωδῆς loci citati, propter cæli verni temperationem.

Zephyris.] De his ventis lege Od. 4. lib. 1.

De simul temporis particula iam dictum fuit Ode 4. lib. 1. & 27. lib. 3. æquiualente τοῖς, vt primum, simulatque, quamprimum, statim vbi, postquam.

Autumnus.] Pomifer dicitur ὀπωρεινὸς ἢ ὀπωροφόρος, ἢ πεδαλῆα ὀπώρᾳ καρποφόρος: sed Grammatici tradunt ab

aucto anno post conditas & collectas fruges, vt Od. 5. lib. 2. fuit notatum.

Bruma.] Hęc vox fortasse dicitur ἀπὸ τῦ βρύχειν, à stridore & crepitu dentium, qui editur in rigore febrium, quasi βρύγμα ἢ βρυγμὸς, stridor: paullò tamen aliter definitur Od. 6. lib. 2.

Celeres.] Ita dicuntur, quòd celeriter cursus suos conficiant. Sic Ode superiori, *noctilucam celerem.*

Decidimus.] Tanquam flosculi plantarũ decidimus, & è vita excedimus, vbi est ellipsis, eò decidimus, quò decidit Æneas: & similis comparatio est Ili. ζ. v. 146.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
Qualis est foliorum natura, talis est & hominum.

Non dissimilis est sententia Propertij lib. 3. Eclog. 3.

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas,
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victorum victis pariter miscebitur vmbris.
Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.

Vide ibidem confirmationem huius versus.

Pius Aeneas.] Sic Virgil. eum appellat *insignem pietate virum*, & pòst: *At pius Aeneas.*

Tullus.] Tullus Hostilius Rex Romanorum tertius fuit, qui regiam habuit in monte Cælio, quem postea Ancus Martius Rex quartus Roman. dicitur pomerio inclusisse & nomen inuenisse ἀπὸ τῦ πρὸ ἀγκῶνα, id est, ab incuruo cubito; quem non poterat exporrigere: de quo vide Seruium 6. Æneidos in vers. *Quem iuxtà sequitur iactantior Ancus.* de his regibus lege lib. 1. T. Liuij, & 3. Dionys. Halicarn.

Dederis animo.] Phrasis est Græca, δοῦναί τι ψυχῇ, *dare aliquid animo*, pro illum re aliquâ oblectare, illi indulgere, vel obsequi, quod sic etiam Græcè dici solet, χαρίζεσθαι τῷ ἑαυτῦ θυμῷ ἢ ἡδονῇ ἢ ἐπιθυμίαις καὶ τοῖς πάθεσι, *indulgere suo animo vel voluptati, vel cupiditatibus & affectibus.* De Minoe dictum Ode 28. lib. 1. ex 5. Diodori. Hunc & Rhadamantum & Æacum Homerus scribit apud inferos de impiis indicare, vt Virgil. lib. 6. Æneidos scribit ad vers. *Quæsitor Minos.* de quo reuises notas Gram. in oden 13. lib. 2.

Fecerit arbitria.] Sententiam pronunciauerit aut iudicauerit de te incorruptè & integrè: vel tua caussa sic à prudenti iudice Minoe arbitrata fuerit, vt loquitur Agell. lib. 1. cap. 13. quem Erasmus imitatus dixit, sed tamen cũ præmunitione, vt verbis Agellianis vtar, *Carmina Empedoclis arbitrati sunt*, id est, *perpenderunt & iudicarunt.* Sed de duplici arbitrorum genere lege notas Grammat. in Od. 7. lib. 2.

Hippolytum.] Fabula Hippolyti narratur 15. Metam. qui fuit filius Thesei & Hippolytæ Amazonis, & fugiens insidias nouercæ Phædræ, filiæ Minois ab equis territis aspectu belluæ marinę distractus est, atq; postea in vitam restitutus ab Aesculapio precibus Dianę: propterea Virbius dictus est, quia bis fuit in vita vir: oportuit tamen illum iterum mori. De hac morte locus Seruij in Aeneid. 6. versu. *Infelix Theseus* intelligendus est, quem tamen ferunt ab Hercule liberatum, vnde ibidem scribit interpres frequenter poetas variare fabulas. Hippolytum ab inferis liberatum Virgilius dicit, Horatius contrà: neque enim Diana pudicum liberat Hippolytum. Itaque nemo potest eximi à morte. De Pirithoo dictum est, vt de Theseo à Plutarcho in ipsius vita, vt monuimus in Gram. Od. 4. lib. 3. sub finem.

Lethea vincla.] Id est, infernalia.

Non, te Torquate, &c.] Quoniã poeta incidit in mentionem generis Manliani, dicemus gentem Manliam antiquissimam & Patritiam fuisse: qualem Cic. in oratione pro Sylla primum quidem ostendit: sed idem postea in 1. Philippica testatur Plebeiam fuisse propter vnius M. Manlij scelus. Ideoque T. Liuius lib. 6. Manliæ gentis decretum sine vlla Patritiæ mentione commemorat. Itaque Manlij duorum generum fuerunt. Quod ad cognomẽ *Torquatum* attinet, id ὀπιδόπως sumtum de viro torque aureo ornato: qualem Cicero lib. 3. de Officiis & lib. 1. de finib. scribit T. Manlium reportasse, postquam singulari certamine, Gallo deuicto torquem detraxisset, vt Propertius lib. 4. Eleg. *Torquis ab incisa decidit vncagula.* vt etiam Agellius lib. 9. cap. 13. *Caput Galli ad Anionem præcidit, torquem detraxit, eamq; sanguinolentam in collum posuit.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est dicolon, distrophon, cuius prior versus est hexameter: posterior constat duobus dactylis & pentemimeri Heroica.

[a] Verbum *diffugiendi* translatũ ab animantibus, pro niues fusæ & liquefactæ sunt, & tepore veris solutæ, quæ acri hyeme glaciatæ & constrictæ fuerant.

[b] Similis est tropus, pro, renascuntur & virescunt omnes plantarum flores & frondes.

[c] Synecdoche est speciei pro qualibet planta; siue arbore, siue frutice, siue herba, quæ virescunt, flores fundunt & frondescunt.

[d] Sumtum est hoc à viatoribus, & non est hîc excedere ex ripis & exundare, sed intra alueum contineri, & rectà decurrere.

[e] Synecdoche generis pro Aglaia specie, vt *sororibus* pro Euphrosyne & Thalia vel Pietho.

[f] Metaphora est, quòd inanimato tribuitur, quod est animari.

[g] Sumtũ à maturis frugibus: vt, *sunt nobis mitia poma.*

[h] Similis est tropus, pro æstas succedit veri; sed ab animantibus, quæ res pedibus conculcare & vastare solent. Ita *effuderit* sumtum est à liquidis & aquis; vt 2. de natura Deorum, *mare conglobatur vndique, æquabiliter effunditur, neque redundat vnquam:* Sed hîc ἐμφατικῶς, vt Agrar. 1. *ærarium effundamus, patrimonium.* pro quo Plautus dicit; Prodigere, *vt si quid festo die prodegeris, profesto egere liceat, nisi pepercerit.* Hinc effusio, quæ quamuis in Partit. dicatur imitari liberalitatem, propriè tamen vulgò vocatur prodigalitas.

[i] Metonymia effecti pro efficiente homines ignauos & inertes. Posset etiam in substantiuo *Bruma* metonymia subiecti temporis notari pro ignauo & intractabili frigore, quod assolet comitari solstitium illud hybernum; vnde Bruma intractabilis, vt frigus, lib. 1. Georg. vocatur

Vsque sub extremum bruma intractabilis imbrem.

quam ode. 6. lib. 2. è lib. 1. fastorum sic descripsimus,

Bruma noui prima est, veteris quoq; nouissima solis.

Itaque duplex potest hîc statui tropus per metalepsin.

[k] Metaphora est à foliis & floribus plantarum potiùs, quàm à casu aliarum rerum, sicut ex hoc loco lib. 2. de officiis apparet, *ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt*, quo tropo vsus est D. Iacobus cap. 1. vers. 11. ὁ τὸ ἄνθος αὐτῦ ἐξέπεσε, *& flos ipsius* (diuitis) *decidit.* Posset etiam sumi ab iis, qui interficiuntur inter pugnam, vbi cadere dicuntur, vt Cicero dicit lib. 7. ad famil. Epist. 3. *aut in acie cadendum*, id est, moriendum. Ita quoque Thucyd. libro 2. πολλὰ δὲ καὶ σφατὸ πεδαὶ ἤδη ἔπεσεν ὑπ' ἀλλοφύλων, *multi etiam milites iam ceciderant*, id est, *interfecti fuerant à paucioribus & inferioribus.* Sed præstat à plantis sumere, vt ostendit hic locus lib. de senectute, *poma matura & cocta sponte ex arboribus decidunt*, quod Gaza vertit, ὁπῶρα εἰδ' ὠρέοιαι καὶ πέπονες πίπτουσιν ἀπὸ τῶν κατὰ φύσιν; & decidua quercus

quercus apud Ouidium, & decidua quotannis poma apud Plinium, Græcè τὰ μῆλα ἐρέψιμα.

l Anaphora est, ac præterea synecdochica periphrasis inferorum, quò descendunt illustrissimi quique & potentissimi.

m Metonymia est materiæ pro hominibus inde factis & eódem resoluendis, tanquam diceret, ἄνθρωποι μικρόβιοι, *homines sumus exigui temporis*, sic Phocyllides,

Σῶμα γὰρ ὃν γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὖτιν
Λυόμενοι κόνις ἐσμεν.
Corpus enim habemus ex terra, & omnes in eam resoluti, puluis sumus.

Sic quoque Sophocles in Aiace,

Ἄνθρωπος ὄξι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.
Nihil est aliud homo, nisi ventus & vmbra, quâ nihil est inanius, vt, quũ aliquid esse videatur, nihil sit: cuius inanitatem Pindarus homini attribuit hac definitione, Ἄνθρωπος ὄξι σκιᾶς ὄναρ, id est, *homo est vmbræ somnium*, Πυθ. η. in fine: quæ definiendi ratio est Emphatica. Non enim homo simpliciter dicitur ὄναρ, sed σκιᾶς ὄναρ. quia, si nihil est vanius somnio, quid nobis relinquit ipsius vmbra? nihil prorsus omnino. Sic denique D. Iacobus cap. 4. testis omnium locupletissimus: ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γάρ ὄξιν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη. *quæ est enim vita vestra? vapor quidam paullisper apparens, & deinde euanescens.*

n Metaphora est à luminoso corpore ad memorabilem, veram, celebrem, & iustam Minois censuram.

Ode VIII. Ad C. Martivm Censorinvm.

Theticum.

Alij quidem muneribus magni pretij sodales suos demereri solent: ego verò de eo, quod mihi suppetit solùm, & Censorino in primis placet, illi gratificari volo.

Donarem pateras grataq; commodus
Censorine meis [b] æra sodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu pessima munerum
Ferres: diuite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc [c] hominem ponere, [d] nunc Deum,
[2] Sed non hæc mihi vis: [3] non tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: [4] carmina possumus
Donare, & pretium dicere muneri.
[5] Non inclusa notis marmora publicis,
Per quæ [e] spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Reiectæq; retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes, [6] quàm [f] Calabræ Pierides: neque,
[7] Si charta sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. [8] Quid foret Iliæ
Mauortisq; [h] puer, si taciturnitas
Obstaret meritis inuida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus & fauor & lingua potentium
Vatum diuitibus consecrat insulis.
[9] Dignum laude virum [i] Musa vetat mori!
Cælo Musa beat! [10] Sic Iouis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum [k] Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Analysis Dialectica.

HVius propositi prima ratio è loco diuersorũ sumta est, & ἀποδεικτικῶς ita potest collocari: Si Horatius esset insignis ille pictor Athenensis Parrhasius, vel clarus sculptor vel statuarius Scopas Ephesius; donaret quidem M. Censorinum poculis, signis, mensis & statuis omnibus affabrè factis & regio splendore dignis. Hæc propositio elicitur è sexto casu absolutè posito, qui solet resolui nunc per aduerbia temporis, nunc per connexiuam particulam *Si*: verbi gratia, Si plurimum valerem scientia pingendi & sculpendi, signis & vasis pulcherrimis & antiquissimis, Censorium impertirem.

2 Sed Horatio non est ista pingendi & fingendi facultas: ille igitur non potest offerre M. Censorino eiusmodi munera. Hæc assumtio fit ex antecedente propositionis negato. Hîc antecedens propositionis non assumpsit poeta, neque consequens eius concluſit; sed assumptâ cõtradictione antecedentis, cõtradictio consequentis contra formam syllogismi concluditur. Rectè autem inuersâ, simpliciter propositione per modũ connexi, secundum sic concluderur, Si possem Censorinum impertire pulcherrimis & antiquiss. signis & vasis, magnam eorum vim necesse mihi esset, haberem: Sed talem non habeo: Quare nequeo illum muneribus tantis ornare. Quidam existimant hanc vim referendam esse ad diuitias, nec fortasse temerè. Celebratur enim opulentia heredum cuiusdam Scopæ, quam exspectauit ille Critias vnus è triginta Tyrannis Atheniensium, vt Plutarchus scribit in vita Cimonis: sed meo iudicio vis ista videtur potiùs referenda ad scientiam artificij.

3 Adhuc poeta ostendit, in quo non posset Censorino prodesse: nunc autem quarum etiam rerum desiderio idem teneatur, prioribus neglectis, planum facit cum pollicitatione aliarum ac potestate promissum soluendi: quæ axiomate discreto ex alteris diuersis pronuntiantur; vbi τὸ ἀναπαπόδοτον sublatum fuerit appositione discretiuæ cõiunctionis, & virgulâ voci *egens* subscriptâ, vt antè notâ membri voci *Deum*: sic ergo enuncietur, *res domestica Censorini non eget talibus donis, sed ipsius animus delectatur carminibus encomiasticis & commendatitiis.* Illa enim sunt Isocrati ἀδωρεὰ δῶρα, in principio orationis ad Nicoclem: vbi κατὰ τὴν τῶν ἀλόμοιαν σύγκρισιν confert suum munus Isocrates cum illo reliquorũ hominum: vnde videtur hic locus translatus, οἱ μὲν εἰωθότες, ὦ Νικόκλεις, ὑμῖν τοῖς βασιλεῦσιν ἐπαίνους ἄγειν, ἢ χαλκὸν, ἢ χρυσὸν εἰργασμένον, ἢ ἄλλό τι τῶν τοιούτων χρημάτων, ὧν αὐτοὶ μὲν ἐνδεεῖς εἰσιν· ὑμεῖς δὲ πλουτεῖτε. λίαν ἔδοξαν εἶναί μοι καταφανεῖς, ἐ δόσιν, ἀλλ' ἐμπορείαν ποιούμενοι, καὶ πολὺ τὸ χρυσίον τῶν πολλῶν τῶν ὁμολογούντων καταλύειν. Ἐγὼ δ' ἡγησάμην, &c. id est, *Quibus, ô Nicocles, in more ac instituto est positum, vt hi vobis regibus afferant vestes, aut æs, aut aurum elaboratum, aut*

aliquid aliud talium rerum: quibus quidem ipsi egent; vos autem diuites abundatis, videntur mihi manifestò, non donationem, sed mercaturam facere, atque longè solertiùs illa ipsa vendere, quàm professores artis cauponariæ. Sequitur antapodosis in litera Isocratis, *Ego verò existimaui*, &c.

4 Posterior pars propioris diuersitatis de studio carminum & gaudio dilatatur parium collatione, quorum protasis septem versibus ducitur quandam inductionem continentibus earum rerum, quæ virorum illustrium facta videntur immortalitati commendare. Cæteroquin est illud Euripidis verissimum: *οὐκ ἔστι τοὺς θανόντας εἰς φάος μολεῖν*, id est, *non est hominibus semel è vita egressis datum, vt in lucis vsuram redeant.*

5 Apodosis est sic clariùs enuncianda: *quàm carmina Ennij Poetæ, qui cecinit laudes P. Cornelij Scipionis Africani.* Multò autem esset clarior hæc comparatio, si inuersè pronunciaretur. Scripta Enniana tam clarè indicãt, diuturnioriq; posterorum memoriæ produnt res præclarè gestas à P. Cornelio Scipione Africano superiori: quàm omnes statuæ æreaque signa & vasa.

6 Pretium muneris Musici declaratur remotione caussarum. Si nulla essent carmina, & alia scriptorum genera, nemo laudem rerum à se gestarum ferret.

7 Singularibus exemplis necessitas scriptionis explicatur: Virtutes, inquit, Romuli & Aeaci essent *ἀνώνυμοι καὶ ἄδηλοι*, in Lethæa palude iacerent sine historia & Poetica.

8 Idem confirmatur efficientibus: quòd homines carminibus & scriptis ab iniuria obliuionis asserantur, & in cælo collocentur. Simili argumento vtitur Ouid. lib. 4. Eleg. 8. de Ponto.

Carmine fit viuax virtus: expersq; sepulcri.
Notitiam seræ posteritatis habet.

id est, cognoscitur à posteris: vbi non mediocris est commendatio literarum & artium liberalium. Idem apertiùs canit alio loco:

Scindentur vestes, gemmæ frangentur & aurum:
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

quod mihi videtur sumptum ex Εἰδ. δ. Νεμ. Pind. comparatione maiorum,

Ἧμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον
Βιοτεύει, id est,
Hymnus diutius quàm res fortiter gestæ viuit.

9 Proximæ efficientes illustrantur exemplis Herculis, Castoris, Pollucis & Bacchi: qui omnes versibus vatum inter astra relati sunt. Ita Pindarus Pythiorum εἰδ. α. sub finẽ, vbi hortatur Heronem ad benignè Poetis faciendum, scribit:

——Ὁ πάντολμρότον αὖ-
χημα δόξας,
εἴσω ἀποιχομένων ἀν-
δρῶν διάτυον μανύει
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.
Οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά.

Magnifica & gloriosa historicorum & Poetarum prædicatio, quæ homines sequitur, sola tribuit præconiũ vitæ hominum mortuorum, grauéq; testimonium impertit. Non emoritur virtus Cræsi regis perhumani humanæq; consuetudini percommodi hac via & ratione scriptorum.

Enarratio Grammatica.

Donarem.] Horatium non pudet suæ paupertatis, quam tanti fecit, vt Od. 29. lib. 3. dixerit, *probam pauperiem sine dote quæro.* Hæc autem tria incisa, *Donarem pateras, donarem tripodas: Neq; ferres* debent consequi *diuite me*, scilicet *artium*: quod ita comperies, si connexè casus illos enuncies, quomodo debent absolutè positi, quales sunt hi, hocque modo: si instructus essem artibus Parrhasij & Scopæ, donatem munera &c. De patera autem vide Od. 19. lib. 1.

Grata æra.] Pro vasis & rebus gratis.

Commodus.] Liberalis ac benignus: alij tamen explicant per *iucundus*: ex hoc Plauti: *commodus conuiua*, i. iucundus & festiuus in sermone, quẽ Cicero videtur appellare *bellum conuiuam*, Græci ὀπιδέξιον, ἀγχάπλουν, ὀπιμαχῆ, qui ita sit commodus, vt neminem velit offendere. Videtur quædam antimeria pro commodè, liberaliter & cautè ad circumstantiam verbi indicandam apta.

Sodalibus.] Hic casus dandi potest ab vtroliber pendere; vel à verbo *donarem*, vel ab Epitheto *commodus*.

Tripodas.] Fuerunt antiquis aliquot tripodũ genera: vnum fuit τρίπους ἰμπνειόπνους, siue λέβης λουτροφόρος, in quo calefiebat aqua lotura, vel lebes lauantibus fundens aquam. Alterum fuit ἄπυρος τρίπους, non sentiens ignem, ornatui solùm templorum & ædium destinatus: de quo genere locus Poetæ videtur intelligendus. Fuit etiam Δελφικὸς τρίπους, vbi vates insidens dabat petentibus responsum. Postremò fuit τρίπους τραπεζικός, cui mensa innitebatur: quem Galli dicunt *treteau*. In secundo autem genere tripodon ponuntur prẽmia certantium, vt Iliad. ψ,

Δῶκε δ' ἄγειν ἑτάροισιν ὑποδύμοισι γυναῖκα
Καὶ τρίποδ' ὠτώεντα φέρειν.
Dedit autem sociis ducendam magnanimũ mulierem
Et ansatum tripoda ferendum.

quale βραβεῖον, tanquam manupretium, Hesiodus dicit se, quum loquitur de secunda nauigatione sub finem 2. Oper. & die. retulisse è certamine Musico & Musis Heliconiadib. dedicasse τρίποδα ὠτώεντα, *tripodem ansatum*: qualis memoratur à Plutarcho in vita Niciæ sub fin.

Præmia.] Sic locutus est Ode 1. lib. 1. *me doctarum edera, præmia frontium.*

Parrhasius.] De hoc pictore, sicut de Scopa statuario & signorum sculptore vide Plin. l. 35. c. 6. & 10. & l. 36. c. 5. Item Pausaniam.

Ferres.] Θύδ' ἂν κακίσαι ἀπιμιδέως καὶ μεθαρνίως τὸ λαβῆς. Hoc verbum sæpè pro coniunctis vsurpatur. Plautus in Mostel. *Si hercle nunc ferat sex talenta magna argenti nunquam acciperem*, pro, si afferat & det. Terentius in Phor. Act. 4. Sc. 13. v. 13. hanc conditionem si cui tulero, pro obtulero: sæpè etiam ἀφαιρετικῶς vt hîc *ferres munus*, pro auferres & acciperes: non pessima, id est, optima & maxima. Hanc autem negationem vnius vocis ex eloquutione Rhetorica remoui in Rhet. Od. 1. l. 1. ad verba, *non spernit.*

Solers ponere.] Familiaris est Poetæ hæc rectio adiectiuorum cũ infinitis, vt aliàs admonui. Sextus Pomp. hanc vocem ita describit, vt *solers dicatur qui est in omni re prudens.* Donatus in Eunuch. Act. 3. Sc. 2. ad verba, *solertem dabo.* sic ἐν μελοζεῖ, *quasi totus ex arte consistens, & vt Græcè* ὅλος ἀρετὰ, *sit dictus*, vbi spiritus densus vertitur in s, vt in *sex* ab ἕξ: *sus*, ab ὗς, sicut attigimus in Od. 12. lib. 1. vnde solertia videtur ingenij acumen & naturalis quædam habilitas ad quidnis, quod docetur, percipiendũ. Hunc Græci dicunt ἀγχίνουν καὶ ταχύνουν, qui est ingenij promti & consilij præsentis, & Aristoteles εὔστοχον lib. 1. poster. ὃς ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ ἐξευρίσκει τὸ μέσον, *qui nullâ temporis morâ interpositâ medium*, id est, argumentum, *excogitat*: quæ mentis facultas εὐστοχία καὶ ἀγχίνοια definitur à Laertio. Hellenismus quoq; est in verbo *ponere* pro *fingere & facere*, vt initio Epist. ad Pisones, *quia ponere totum nescit*: nam Græci ita τιθέναι ἀντὶ τοῦ πλάττειν καὶ ποιεῖν vsurpant.

Vis.] Interpretatio est huius Græci, οὐκ ἔστι μοι δυνάμεις, τοῦτ' ἔστιν οὐ δυνάμεις, pro *non est mihi facultas, neque possum.* In *res* ellipsis est explenda sic: Res tua familiaris & domestica non eget talibus deliciis.

Publicis notis.] id est, literis, quas etiam Græci dicunt τὰ σήματα.

Spiritus & vita.] Duarum harum vocum geminatione immortalitas eorum, qui carminibus celebrantur, notatur. Simili coniunctione vtetur Ode sequenti,

—Spirat adhuc amor
Viuuntq; commissi calores.

Incendia.] Poeta tribuit Ennio descriptionem deletæ Carthaginis ab Africano inferiore, qui iam mortuus erat ante natum posteriorem Africanum Pauli Aemilij filium. Ennius quidem vectigalem Carthaginem à superiore Africano factam cecinit. *Dicere pretium* nonnullis est, quod Terentius enunciat in prologo Heaut. *Statuere pretium arti.* & Cicero 4. Ver. *Imponere pretium.* Gallicè, *mettre prix.*

Iliæ.] De Ilia & aliis ipsius nominibus vide annotationem in 2. Od. lib. 1.

Indicant laudes.] Aliter Sallustius construit hoc verbum: *non amplius potestatem faciundam, nisi de eo: id est, de coniuratione indicaret.*

Bene feceris.] Donat. Eunuch. Act. 5. Sc. 9. v. 61. ad verba Thrasonis, *bene feci ti, gratiam habeo maximam,* notat facta militibus adscribi. Ita Sallust. initio coniur. Catil. *Athenienſium facta pro maximis celebrantur:* sic etiam Catul. facta Cimbrorum & Marij dicit pro rebus præclarè & fortiter gestis ab illis.

Calabræ.] Patria Ennij fuit Rudia Calabriæ oppidũ, vt cecinit Ouidius:

Ennius emersit Calabris in montibus ortus.

de quo Silius l. 12. canit, *—Rudiæ genuere vetustæ.*

Aeacum.] Hic Aeacus fuit filius Iouis ex Europa, vel ex Aegina & rex Oenopiæ, quem Iupiter propter illius æquitatem allegit iudicem Rhadamantho & Minoi apud Inferos.

Puer.] More Græcorum dicitur pro filius, παῖς, Romulus.

Stygiis.] Dictum est de hac voce Ode 34. lib. 1. & quid sit & vnde inclinetur.

Mauortis.] Cic. l. 3. de nat. Deor. enodat sic hoc nomẽ, vt videatur magna verrere.

Insulis.] Insulas Fortunatas, id est, vulgò campos Elysios intelligit, quas Strabo lib. 1. collocat ad extremũ Mauritaniæ versus Oceanum. Insula autem Grammat. Festo & Isidoro creditur dicta, quòd in salo, id est, in mari sit posita, vt Græcè νῆσος ἀπὸ τοῦ νέειν, τὸ νήχεσθαι, quòd, vt ait Plinius, videatur in mari fluitare: eadem est ratio nominis Græci νησὶς, & Latini anas à natando. Seru. in Aeneid. 6. vers. *fortunatorum nemorum* alludit, inquit, ad Insulas Fortunatas, quas suprà lib. 5. in ver. *Concilia Elysiumq; colo &c.* diximus campos Elysios, & esse aut apud Inferos; aut in insulis Fortunatis, aut Lunari circulo: & vtrumque Græcè ἢ μακάρων νήσους καὶ τὰ πέδια Ηλύσια: cuius posterioris vocis duplex redditur ratio, aut ἀπὸ τοῦ ἢ λυχνῶν ἐκεῖσε ἅλεσθαι; *quòd illuc ingrediantur animæ,* aut οὐ λυσίπονα, à priuatione dissolutionis, vt vult Hesychius, vnde indicatur error eorum, qui putant dici ab Elisa filio Iauan & nepote Gomer.

Dignum.] Huic similis fuit locus Pindari paullò antè citatus.

Cælo musa beat.] Hoc videtur è Theogonia Hesiodi sumtum, ὁ δ' ὄλβιος ὅν τινα Μοῦσαι φιλέωνται, *beatus est, quem Musæ amore prosequuntur.*

Sic Iouis, &c.] τὸ *Sic* μᾶλλον non tam notat similitudinem, quàm iudicium facit & relationem eius, quod præcessit de facultate Musæ ad immortalitati consecrandos hîc commemoratos: vbi singulis verbis, *interest, eripiunt, ducit* τὸ *sic* præponendum intelligimus. Quod autem vota solita sint Baccho fieri, liquet ex hoc versu Æneid. 7. ad finem,

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona luno.

Quassas.] Sic loquutus est Ode 1. lib. 1. *mox reficit rates quassas.*

Tyndaridæ.] De Castore & Polluce vide Od. 3. lib. 1. vbi cognominantur φαεσφόροι lucida sydera.

Tempora ornatus.] Ellipsis est, *secundùm,* pro quo Orator diceret Bacchus habens tempora viridi pampino ornata.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri simile est primæ lib. 1.

a Totum Odes exordium est τῆς λήψεως διανοίας ἀφορμητικὸν σχῆμα τῆς διανοίας, sed in verbo *donarem* repetito initio sententiarum, est anaphora.

b Aperta est hîc metonymia materiæ & causſæ pro vasis inde factis & signis ductis.

c Allegoria est ex alio metonymiæ modo, vbi res subiectæ & significatæ vsurpantur pro adiunctis hominum & Deastrorum signis & statuis, vt iam antè bis occurrit Od. 18. lib. 2. & 4. huius.

d In *nunc* iterato in medio est epanodos.

e Metaphora est ab animantibus, quæ mortuæ videntur quasi reuiuiscere per statuas & imagines.

f Duplex est hîc tropus: ptior est in *Pierides,* per metonymiam causſæ pro carminibus deductis à Pieridibus Musis: posterior, in *Calabræ,* per alium metonymiæ modum, vbi nomen loci ponitur pro ipsius incola Ennio, qui Calaber fuit.

g Hîc quoque duplex est tropus: alter in *charta* pro versibus inscriptis in chartis per metonymiam, alter in *fileant* per metaphoram à rebus vocalibus, quæ compressâ voce silent. Sic Cicero, *Musa Varronis filet,* pro, nihil scribit Varro.

h Synecdochica Romuli, periphrasis. In *diuitibus insulis* est periphrasis synecdochica camporum Elysiorum. Item in *virtus, fauor, lingua* est allegoria è Metonymiis adiunctorum pro subiectis, id est, poetis peritis, difertis & fortium virorum studiosis, qui horum præclarè facta commendant memoriæ posteritatis.

i Est rursus metonymia causſæ pro scriptis versibus, aut pro arte & poesi: vnde illi existunt, vt effecta secunda: quæ causa repetita in medio facit ἐπάνοδον. Hæc sententia debet meo iudicio κατὰ τὸ ἐπιφώνημα, per acclamationem pronunciari.

k Synecdoche est primum pro, Castor & Pollux: deinde meronymia rerum significatarum pro ipsis cælestibus signis. Illos Ode 12. lib. 1. pueros Lædæ per synecdochen periphrasticam vocauit, vt Ode 3. eiusdem, *fratres Helenæ.*

Ode IX. Ad Lollivm.

Theticum.

Quòd ad exemplum sex grauium & ingeniosorum Poetarum, quos maiestas Homerici carminis à scribendis illustribus & gloriosis virorum factis non deterruit, ab obliuione vindicaturus sit carminibus suis prudentiam Lollij, moderationem, constantiam, & æquitatem.

NE fortè credas interitura, quæ
Longè sonantem natus ad Aufidum
Non antè vulgatas per [a] *artes*
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Cæáq;, & Alcæi minaces,
Stesichoriq; graues [c] *Camœnæ.*
Nec, siquid olim [d] *lusit Anacreon,*
Deleuit ætas: spirat adhuc amor,
Viuuntq; commissi [f] *calores*
Aeoliæ fidibus [g] *puellæ.*
Non sola comtos [h] *arsit adulteri*
Crines, & aurum vestibus illitum
Mirata, regalesq; cultus,
Et comites Helenæ Lacænæ:
Primúsve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel [i] *Ilios*
Vexata: non pugnauit ingens
Idomeneus Sthenelúsve solus
Dicenda [k] *Musis prælia: non ferox*
Hector, vel acer Deiphobus graues
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisq;, primus:
Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Vrgentur ignotiq; longâ
Nocte: carent quia vate sacro.
Paullùm sepultæ [m] *distat inertiæ*
Celata virtus. [6] *Non ego te meis*
Chartis inornatum sileri,
Tótve tuos patiar labores
Impunè, Lolli, carpere limidas
[n] *Obliuiones.* [7] *Est* [o] *animus tibi*
Rerumq; prudens: & secundis
Temporibus dubiisq; [p] *rectus:*
Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ:
Consulq; non vnius anni;
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honestum prætulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu: & per obstantes [q] *catervas*
Explicuit sua victor arma.
Non, possidentem multa, vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramq; [r] *callet pauperiem pati:*
Peiusq; letho flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Analysis Dialectica.

QVis est hominum, qui non probet maximè hoc tam laudabile ἄπικον, quòd eximiâ singularique virtute cuiusquam scriptoris nemo doctus debeat impediri & retardari, quò minùs aliquid etiam ipse scribat in tam multiplici variaque scribendi materia, quæ ipsi quotidie suggeratur? Itaque Poeta videtur voluisse quibusdam hanc opinionem minuere, qui se, quòd ab alio primæ partes Poeseos obtineretur, à scribendo abstraherent & auocarent: quam quidem opinionem euellit ex eorum animis inductione sex exemplorum; Pindari, Simonidis, Alcæi, Stesichori, Anacreontis, Sapphonis, qui nec maiestate carminis Heroici, nec granditate Homerici styli sua scripta & stylum obscurari iudicârunt, vt re posteà compertum est. Ita quoque Horatius, non carmina sua, vt reliquos Planetas & asteras obscurari, quum in radios Solis incurrerunt, (sicut Epigram. lib. 1. cap. ξζ. docet:

Ἄστρα μὲν ἠμαύρωσε καὶ ἑῳὸς κύκλα σελήνης,
Ἄξονα δινήσας ἔμπυρον ἠελίου.
Τὴν μὲν πόλυς δ' ἀγλαὸν ἀπημάλδυνεν ὄμμα,
Λαμπρότατον Μισῶν φέγγος ἀναχόμενον.

Vt feruidus sol axe reuoluto astra & magnum lunæ orbem obscurat: Sic Homerus Poetas omnes obfuscat & abolet clarissimo Musarum lumine præditus & ornatus.) non, inquam, deleri poematis superiorum Poetarum Latinorum existimauit. Tota autem quæstio potest argumentatione contractâ concludi, è parium effectorum collatione: Primus & summus Græcorum Poeta non obruit, nec deleuit obliuione memoriam posterorum Poetarum: ne putes igitur primos Latinorum Poetarum obscuraturos nomen Horatij Poetę: quod ἐνθύμημα primis 12. versibus continetur.

2 Huius connexi enunciati consequutio negatur, quæ quidem negatio id præ se ferre videtur, si fuerit antecedens verum, vt hîc est, Homerũ priores Poeticæ sedes tenere, non ideo consequi illico, vt reliqui consequentes Poetę nullo loco futuri sint apud homines. Ex quibus certè Poeta efficit, ingenium suum à scribendo non esse reuocandum, neque Lollio pertimescendum sui de ipso carminis interitum.

3 Docuit adhuc sibi non desistendum scripto propter excellentiam superiorum Poetarum: nunc verò monet abundantiorem semper fuisse materiam scribendi datam, & vltrà quàm oporteret, fusam, si tam facilis copia supperiisset scriptorum. Partes autem materiæ principes, quam scriptor belli Troiani sibi sumsit, hîc enumerantur, maiorumque collatione explicantur: Non solùm temporibus Homeri suggesta est materia scribendi, sed longè retrò etiam antè seculis, atque post ipsius obitum ingens illius fuit vbertas. Nonnulli parum considerată huius Odes quæstione & argumentis, existimârunt personas Epopœiæ Homericæ ab Horatio hîc eò memorari, quòd illæ prorsus omnino latuissent ignotæ, nisi earum facta fuissent ab Homero celebrata: quæ quidem interpretatio etsi vera potest esse, parùm tamen valet ad ostendendum, Poetam nostrum minimè deterritum fuisse maiestate, Homerici styli à virtute Lollij prædicanda. Hanc apodosin confirmant historiæ sacræ, quæ & antiquitate & multitudine bellorum facilè superant bellum Troianum: Herodotus quoque lib. 1. post hunc etiam Athenæus li. 13. sicut ipsemet Poeta Sat. 3. l. 1.

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Caussa.—

4 Quia necessarius est ad fabricam cuiusque operis & perfectionem concursus caussarum; certè ad hanc abundantem materiam accedere oportet ἄπορ ποιητὴν ἄλλον ὅτι τῶν ἀρχῶν κινήσεως, *caussam efficientem, quæ materiam illam, alioqui ignauam & inertem, excitet & animet*: Illius inopiâ factum est, vt virtus multorum atque res ab iis præclarè fortiterque gestæ iaceant obliuione tanquam sepultræ: quod certè Poeta tractat ex loco diuersorum: Adfuit quidem semper varia & multiplex materia scribendi; sed scriptores defuerunt.

Pinda-

Pindarus, propositâ tali poetarum eruditorum & aliorum scriptorum paucitate, cohortatur Hieronem ad liberalitatẽ erga viros doctos, Πυθ. γ. qui virtutes ipsius mandent præconio scriptorum suorum

——γινωσκομένα
Ἢ ἀρετὰ κλεηταῖς ἀοιδαῖς
χρονία τελέθει,
πάυροις δὲ πρέξαθ' ἅμαρες, id est,
Virtus inclitis versibus
Celebrata, non potest vanescere
Temporum diuturnitate, sicut alia:
Sed id pauci queunt facile præstare.

5 Ista diuersitas vtriusque caussæ declaratur comparatione dissimilium, quæ parùm abest ab integra similitudine: Vir magno & excelso animo memorabilibus factis ornatus parùm differt ab ignauo & inornato, si virtus illius latet occulta.

6 Iam Horatius concludit, se exemplo & instituto secundariorum Poetarum facturum, vt labores honesti Lollij in assidua hominum commemoratione futuri sint ὡς ἀπθανατιζόμενοι. Sic Virgilius Aeneidos 9. verecundè promisit atque præstitit æternam memoriam Euryalo & Niso,

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum.
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

De hoc argumento lege 21. epistolam Senecæ, vbi inter alia hoc scribitur, *Studia tua te clarum & nobilem efficient. Exemplum Epicuri referam, quum Idomeneo scriberet, & illum à vita speciosa ad fidelem stabilemq; gloriam reuocaret, rigidæ tunc potentiæ ministram, & magna tractantem. Si gloriâ, inquit, tangeris, notiorem te epistolæ meæ facient, quam omnia ista, quæ colis, & propter quæ coleris. Nunquid ergo mentitus est? Quis Idomenea nosset, nisi Epicurus illum suis literis incidisset? Omnes illos Megistanas & Satrapas & regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, obliuio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinunt. Nihil illi prosuisset gener Agrippa & Tiberio progener, & Drusus Cæsar Pronepos. Inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum aperuisset. Profunda supra nos altitudo temporis veniet. Pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque silentium abitura, oblitioni resistent, ac se diu vindicabunt.* Itaque fama æternaq; memoria cuiusque & gloria ad posteros duratura nullâ re aliâ magis, quàm scriptis eruditorum virorum comparari potest.

7 Miris laudibus, prudentiæ, æquitatis & constantiæ hîc primùm Lollius prædicatur, quæ sunt attributa personæ: deinde ad hæc verba: *vindex auaræ fraudis* ex eiusdem factis: quòd auaros acerrimè vindicet, & puniat: aliosque maleficos pœnâ grauiter afficiat: in iudicio mirificè abstineat oppugnatione pecuniæ: posteà longè pluris faciat honestum, quàm vtile: hoc tamen postremum tractat maiorum comparatione: Non solùm, inquit, Lollius probè in magistratu fungitur munere optimi, æquissimi, abstinentissimi Consulis: sed, dum priuatus viuit, omnibus etiam cupiditatibus, ferisque appetitionibus facilè imperat: vt illum diceres perpetuum gerere magistratum.

8 Hæc descriptio viri beati è disciplina Stoicorum depromta, constat è loco diuersorum, quorum posterior pars tractatur comparatè, hi enim non ingenti aceruo auri & argenti felicitatem hominis æstimant & metiuntur, sed ἀυταρκεῖ ψυχῇ, *animo suâ sorte contento*, flagitiis vehementer infenso & inimico: qui omnia vitæ pericula pro amicis & patria negligere non dubitat: qualem Plutarchus prædicat Cimonem Athenis fuisse. Hermogenes appellat hanc è diuersis definitionem, vel potiùs descriptionem viri beati, ἀνδρειομὸν, qualis est initio Psalmi 1. Dauidici, vt nos ostendimus in expositione analytica odes 1. lib. 1. qui non multum abludit acatastasi eiusdem Rhetoris; cuius in hac tritechnia monuimus in admonitione ad Lectorem ode 1. post artificium logicum. Meritò quidem talis descriptio dicenda est ἀνδρειομὸς τῦ πρὸς ἀρετὴν μαχητοῦ.

Enarratio Grammatica.

AD *Lollium.*] De hoc dicetur Epist. 2. lib. 1. & 18. eiusdem, quas consules.

Ne sortè.] Similis est loquendi formula in Palæmone Virgiliano, vbi Damœtas proponit præmium Musicæ victoriæ & effectis commendat:

——*Ego hanc vitulam, ne fortè recuses,*
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus,
Depono.——

Hoc autem propterea cito, quòd interpreres videam de particula, *ne*, distinguenda laborare, vt vis illius tibi clarior fiat è comparatione vtriusque loci: tametsi ille nostri Poetæ comparatè, hic nunc primùm citatus ex effectis simpliciter pronuncietur. Itaq; pastor Damœtas docet antagonistam suum Menalcam præmium certaminis, quod deponit, dignissimum esse: vitula, inquit, quam depono, bis quotidie venit ad mulctram & suo vbere binos fœtus alit: ne tu igitur illam in pignus nostri certaminis accipere recuses.

Interitura.] Hæc syntaxis sic videtur resoluenda: quę verba ego natus ad Ausidum longè sonantem loquor socianda chordis, per artes non antè vulgatas, ne credas (*Illa*) fortè interitura. Ita eleganter relatiuum præponitur suo antecedenti: quo modo Terentius loquitur in prologo Andriæ, vt, *quas fecisset fabulas, placerent populo.* Grammatici autem eiusdem Terentij Andr. Act. 2. Scen. 2. ad vers. C. *Dave, perii. D. quin tu hoc audi. C. Interii:* obseruârunt in postremo verbo huius vers. auxesin esse, quòd plus sit *interire*, quàm *perire.* Hoc de corporis tantùm exitio dici: illud de vtriusque & corporis & animi exstinctione, vt è versu Plauti satis intelligitur, *Qui per virtutem perit, non interit.* quæ differentia tantùm habet locum, quum de hominibus loquimur, non de rebus inanimis & rationis expertibus, vt hîc, *aut patria timidus perire:* de quo dicetur Od. 12. l. 4. ad vers. vnde periculum.

Ausidum.] Id est, prope Ausidum Apuliæ fluuium, qui Venusium alluit Horatij patriam, de quo dictum est Ode vltimâ lib. 3.

Non ante vulgatas.] Pro his dixit, ac sibi vindicauit primam Lyrici carminis scripturam, Ode vltima lib. 3. *Dicar Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos.*

Non, si priores.] Ita hîc res videtur se habere: non si Homerus tenet priores sedes, Pindaricæ Camœnæ latent, vt ne fortè credas, nostras de te interituras, &c. Cicero in hoc genere consequentiæ apertiùs negandæ solet adhibere particulas *continuò, illicò, statim* & similes: vt pro Amer. *Non continuò, si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum.* Cicero in principio Oratoris ad Brutum idem disputat: *in Poetis non Homero soli locus est, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec verò Aristotelem in philosophia deterruit à scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientiâ & copiâ, cæterorum studia restinxit: nec solùm ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se ab artibus suis remouerunt, qui aut Ialysii non potuerunt, aut Coæ Veneris pulcritudinem imitari.* Idem quoq; Columella in præfatione lib. 1. Nec Brutum, nec Cælium, Pollionémve, cum Messalla & Catul-

Catullo deterruere fulmina illa Ciceronis ab Eloquentiæ ſtudio.

Mæonius.] De Mæonia lege Od.6.lib.1. Huc tamen addam, vſitatiori formâ patronymici Homerum Męoniden vocari, quàm Mæonium, vt Martialis lib.5. Epigr.ad Regulum.

Et ſua riſerunt ſæcula Mæoniden: ſic Alph. lib.1. Epigr.cap.ξζ. Μαιονίδαο δι᾽ Μῶσαν, *beneficio carminis Homerici videmus Hectorem adhuc trahi,* quem è notione Męonis, qui fuit pater Homeri, meliùs ducunt, quàm è Mæonia regione, è cuius tamen ciuitate Smyrna, vnà è ſeptem de patria ipſius contendentibus, natale ſolum putatur Homerus habuiſſe, vt libr.3. cap.11. ſcribit Agellius è libr.4. Epigramm. Græco. vbi paullò aliter legitur, cap. κζ. εἰς ποιητάς.

Ἑπτὰ πόλεις διαείζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶς, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ. Lege etiam de Camoenis Od.4.lib.3.

Pindaricæ.] De Pindaro lege Suid. vt Od.2. huius iam monuimus: lege quoque eundem de Simonide Ceio, de quo Ode 1. lib.2. & Strabo. li.13. de Alcæo & Sapphone in deſcriptione Lesbi: prætereà vide de Steſichoro & Anacreonte eundem Suidam, à quo diſces & genus & artem & ætatem ſingulorum.

Graues Camoenæ.] Graues ideo dicuntur, quòd ad Epicam maieſtatem accedere videantur: addam tamen de Steſichoro eum ex vrbe Himera fuiſſe ad flumen eiuſdem nominis, qui priùs Tiſias dicebatur, ſed quia conſtituit chorum ad cantum citharæ, ita nominatus eſt. Non equidem video alienum ab intelligentia huius loci apponere iudicium M. Fabij Quintiliani de quinque Poetis. *Nos,* inquit, *vt Aratus ab Ioue incipiendum putat, ita ritè incepturi ab Homero videmur. Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipſe amnium vim fontiumq; curſus initium capere, omnibus eloquentiæ partibus exemplum & artem dedit. &c. longè verò princeps fuit Pindarus nouem Lyricorum ſpiritus magnificentiâ, ſententiis, figuris, beatiſſimâ rerũ verborumq; copiâ, & velut quidam eloquentiæ fluuius: propter quæ Horatius credidit eum meritò nemini imitabilem,* Ode 2. huius. Item: *Steſichorus quàm ſit ingenio validus, materiæ quoque oſtendunt, maxima bella & clariſſimos canentem duces, & Epici carminis onera lyrâ ſuſtinentem &c.* Item: *Alcæus in parte operis aureo plectro meritò donatur, quâ Tyrannos inſectatur, multùm etiam moribus confert: in eloquendo quoq; breuis & magnificus & diligens, plurimumq; Homero ſimilis, &c. Simonides tenuis, alioqui ſermone proprio & iucunditate quadam commendari poteſt: præcipua tamen eius in commouenda miſeratione virtus.* de quo vide Dionyſ. Halicarn.

De Sapphone vid. Od.13.l.2. ad verſum: *Aeoliis fidibus.* Suidas, & Ælianus duas ponunt, Ereſiam vnã ex vrbe Ereſo, inſulæ Lesbi, Alceo, Pitaco, & Tarquinio Priſco coæuo. Altera Mitylena, ex eadem inſula, priore iunior, quę Phaonem deperiit, apud Ouid. Vide Od.7.l.1.

Regalesq; cultus.] Tales cultus Paris ad Helenam ſic factat apud Ouidium:

Quum videas cultus noſtra de gente virorum,
Quales Dardanias credis habere nurus?

Direxit arcu.] Vt Græci notione communi vſurpant τὸ βέλος ἀπὸ τοῦ πρὸ αὐτοῦ βαλλόμενον, *ad quodlibet miſſile iaculum*; ſic Latini *telum*: quod ita dictum Feſtus tradit, quia eminus & è longinquo emittitur, quaſi τηλόθεν βαλλόμενον, ſiue lignũ, ſiue ferrum, ſiue lapis ſit.

Ilios.] Horatius ferè vſurpat nomen Ilij ciuitatis in genere muliebri more Græcorum,

——ἀλλὰ σὺ πᾶσαν Ἴλιον ἐξαλάπαξας, *Sed vbi totam Ilion vacuam feciſti ac diripuiſti:* Virgilius tamen in neutro, vt Seruius obſeruauit in hunc verſum 3. Aen.

——*cecidit quę ſuperbum Ilium* ſuprà Ode 3. lib.3. citatum, &, vnde deſumtus eſſet, indicatum. In Epigrammate ibi notato legitur ἡ τλήμων Ἴλιος.

Agamemnona.] Plato in Cratylo rationem huius vocis ſic notat: ἔπου δὲ ἄγαστος κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον ὁ ἀνὴρ, ἐνσημαίνει τὸ ὄνομα ὁ Ἀγαμέμνων. *quòd autem in aduerſis fortiter ſuſtinendis hic vir admirabilis conſtantiâ & perdurationis fuerit, argumento eſt ipſius nomen:* qui paſſim apud Homerum καλεῖται μὲν ὁ Ἀτρέως παῖς, μυθῶν δὲ Ἀερόπης, κατὰ δὲ Ἡσίοδον Πλειονένης, τὸ ἡμίθεον Μυκηναῖος. Ἐκ Κλυταιμνήστρας ἔσχεν υἱὸν τὸν Ὀρέστην, καὶ θυγατέρας τέσσαρας, Λαοδίκην, Χρυσόθεμιν, Ἠλέκτραν, Ἰφιγένειαν ᾗ Ἠλέκτραν, vt parua habent ſcholia in Iliad. α. & caſum ipſius memorant è Tragicis.

Carent quia.] Quis grauiùs, quis plus quàm nos Galli, queri poſsit de tali penuria Scriptorum, qui nihil de moribus, nihil de inſtitutis, nihil denique de rebus geſtis à maioribus noſtris compertum habeamus, præter commentarios C. Iulij Cæſaris veterum Gallorum hoſtis? Tantum boni Druides illi improuidè ſapientes poſteris ſuis inuiderunt, qui ſuas diſciplinas literis mandari nefas eſſe exiſtimârũt, ſicut eſt lib.6. Comment. Nec verò res à conſtituta Gallorum monarchia leuiores habent his querelas, quæ ferè adhuc caruerunt veris hiſtoricis & ſcriptoribus eruditis. Neque tamen ſemper antiquiſsimum quódque tempus ſpectari oportet, vt à capite hiſtoria exordium ducat, quum ſatis noui argumenti, imò, heu plus ſatis tragica huius ſeculi facinora ſuppeditent omnibus Poetis, Epicis, Tragicis, Comicis, Lyricis, Elegiacis: item oratoribus & hiſtoricis ad miſerrimos Gallorum caſus verè deſcribendos, qui calliditate, maleuolentiâ, inuidiâ in exitium florentis Franciæ ab exteris & vicinis populis & in mutuum, implacabile & inexpiabile odiũ per ſummam imprudentiam concitati ſunt, ἵνα μὴν ἦσθα πάντες ὅσῳ ἄφρονέστεροι καὶ ἀδιάλλακτοι.

Diſtat inertiæ.] Alterâ ſyntaxi dicit Cic.2. de Offic. *quibus rebus exculta hominum vita tantùm diſtat à victu & cultu beſtiarum,* id eſt, differt, quam ipſemet Ode 19. lib.3. ſequutus eſt, *quantùm diſtet ab Inacho Codrus.*

Inornatum ſileri.] Legitur in aliis codicibus *ſilebo,* quomodo Ode 12. l.1. dicit de Baccho: *neq; te ſilebo.*

Rerumq; prudens.] Eſt hæc ſyntaxis quibuſdam inſolens & dura, quæ tamen eſt vſitata in coniuncto. Terentius in Eunuch. Act.1. Sc.2. verſ.57. *imprudens harum rerũ, ignarus eſt omnium.* Sed permiſſa eſt hæc & illa Poetis & Oratoribus. Pro Sextio, *ignarus & imprudens tantorum ſcelerum,* & 5. de Finib. *prudens adminiſtrandi.* Alterâ idem Cic. li. de amicitia vtitur: *L. Acilius prudens in iure ciuili putabatur.* Hæc de ſtructura dicta ſint: quò videtur annotatio Donati accedere: *imprudentia naturalis eſt: ignaritas extrinſecus venit, vt imprudens per ſe; ignarus per alios, hoc eſt, qui nec ſuſpicatur ſibi, neque ex aliquo audierit.* Eiuſdem eſt ſententia de contrariis in Heaut. Act. 4. Scen.1. *prudens eſt per ſeſe, qui intelligentiâ ſuâ aliquid ſentit: ſed ſciens per alios, quum alicuius indicio rem cognoſcit.* Ita Seneca epiſt.33. explicat τὸ *ſcire,* vt ſit ſua quemque facere, *nec ab exemplari pendere, ac toties ad magiſtrum reſpicere.* Hîc *gnarus* & *ſciens* pro eodem accipe. Reſtat notatio *prudentiæ,* quæ Nonio eſt è 6. de Repub. Cic. *Totam igitur exſpecta prudentiam huius rectoris, quæ ipſum nomen ſumpta eſt ex prouidendo.* Ideoque Cicero geminat vtrumque & primum & ab ipſo ortum, quum ita formet oratorem ſuum, *vt ſit prudens & prouidus.* Prudentem quoque Euſtathius graphicè deſcribit in verſ. Ιλιαδ. α. in accuſatione Achillis contra Agamemnonem, qui

Οὐτέ τε οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, id eſt,
Neque ſcit præſentia, neque futura ſimul intelligere.

Scholio-

Scholiorum est hæc interpretatio Latina, *Est viri prudentis maximeq; solertis proprium simul intelligere, quæ fuerunt antè, id est, præterita, & quæ posteà erunt, id est, futura; atque ex præteritis coniectare, qualis sit status rerum futurus. Eam ob rem Achilles accusat Agamemnonem imprudentiæ.* Contrà in his, quæ sequuntur, laudabit senem Nestorem, qui simul præsentia & futura prospicit. Sic Aristoteles libr. 6. Ethic. ad Nicomach. τῶ γὰρ φρονίμω μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναί φαμεν τὸ εὖ βουλεύεσθαι, id est, *Prudentis enim hoc proprium maximè munus esse arbitramur rectè consulere, & qui ad consultandum plurimum valet, is prudens est.*

Abstinens pecuniæ.] Quod Græcè dicas, ἐγκρατὴς χρημάτων, ἄνδρα πάντων κρατεῖν, ἢ τῶν χρημάτων ἀποδεχόμενον τῶν ἐφικνουμένων ἐφ' ἑαυτὸ τὰ πάντα.

Non rectè beatum.] Neque tamen hæc Stoicorum plena & perfecta putanda est beatitudo, antequam exieris è vita, iuxta prouerbium Græcum, μήπω μέγ' εἴπῃς πρὶν τελευτήσαντ' ἰδῃς, quod Ouid. lib. 3. Metamorph. apertiùs interpretatur:

——scilicet vltima semper
Exspectanda dies homini est, dicique, beatus
Ante obitum nemo, supremáque funera debet.

Hi versus Ouidij mirè nobis referunt vim vocis Græcæ μάκαρ, ex eo dictæ quòd ὃς μὴ καταπίπτει κηλὶ, ἢ δυσαποφόρῳ μοίρᾳ κάτκειται, vt *non succumbat fato, aut malis lethalibus subiiciatur*, qui defunctus est omnibus huius vitæ casibus. Quanquam autem τὸ κλῆρ videtur Aristotel. 7. Ethic. inclinari ἐπὶ τὸ χαίρειν, quòd hominibus bene moratis comes futura sit incredibilis lætitia: malo tamen ego deflectere ἐπὶ τὸ κείρειν, quia nihil potest ampliùs demetere & trucidare nostrum beatum. ὅτι μὴ ἤδη ὄζειν ἀνὰ καρῶν, id est, quòd iam sit expers calamitatum factus, bonumque nactus Genium, vt vox ἐδαίμων præ se fert.

Deorum muneribus.] Hic discrimen doni & muneris, quod statuit Donatus Eunuch. Act. 5. Scen. 9. vers. 17. locum non habet, vt *illud sit Deorum & voluntariorum & largorum, hoc verò hominum: & vtrumque tam ante, quàm post factum solet dari: sed præmium debetur, & est fortium virorum, & post factum dari solitum.*

Callet pati.] Hoc opponitur illi Odes 1. lib 1.

Indoctus pati pauperiem duram & angustam.

Timidus perire.] Sic Ode 19. lib. 3.

Codrus pro patria non timidus mori.

Explicatio Rhetorica.

REspondet metro hæc Odæ 9. lib. 1. in cuius primis quatuor versibus est παρεκπλήξις, figura certè, vt aliàs monui, proœmiis valdè accommodata, vbi obiectum occupatur, vel quod sibi Poeta ipse finxit, vel ab alio, & fortasis ab Lollio propositum diluit versu quinto.

[a] Synecdoche generis pro *legibus* & materia primorum carminum Lyricorum Latinorum.

[b] Synecdoche est altera generis periphrastica, vel potiùs, membri pro, integra *carmina Lyrica*, quæ vocali & instrumentali Musicâ decantabantur à veteribus, sicut Psalmi Dauidici ab Hebræis. Hoc Gallicè reddideris, *I'eſcris des cantiques pour mettre ſur les inſtrumens de Muſique, Lyre, Cithare, Luc, Eſpinette.*

[c] Metonymia est Musarum efficientium pro carminibus effectis.

[d] Synecdoche generis pro *canere*, qualis est sub finem 4. Georgic.

Carmina quæ lusi pastorum.——

[e] Metaphora a picturis, quæ delentur & expunguntur, vt in *spirare* & *viuere* ab animatis rebus.

[f] Metaphora est nota pro amoribus, qui fidibus fuerunt cantati & scripti à Sapphone.

[g] Synecdochica definitio Sapphonis Poetriæ, vt in *adulteri* pro Paride.

[h] Metaphora ab igne nota est, pro, *Helena correpta est amore Paridis, propter insignem ipsius ornatum*, vt in *aurum* metonymia materiæ pro vestibus inde textis & factis.

[i] Metonymia loci pro Troianis incolis, ter oppugnatis; ab Amazonibus, Hercule, Græcis.

[k] Altera est metonymia caussæ pro carminibus.

[l] Metaphora à tenebris, in quibus omnia silẽt, pro, perpetuâ obliuione & silentio teguntur.

[m] Sumtum quoque est à cadaueribus, quæ humo mandantur & condita latent. *Distat* quoque translatè sumendum est à Geometrica dimensione siue temporis, siue loci, pro, paullùm dispar, & dissimilis est.

[n] Metonymia attributi pro hominibus, quos non patietur præterire virtutes Lollij silentio. Metonymia est subiectæ chartæ pro versibus ipsi inscriptis. Est præterea in *labores* synecdoche generis pro exercitationibus honestis ac ciuilibus negotiis. Quum autem μετωνυμικῶς exposui *obliuiones*, tu debes existimare id à me factum propter amphiboliam huius syntaxeως, *non patiar tuos labores carpere impune obliuiones*, id est, non sinam tuas res bene gestas obrui liuidâ obliuione: aut contrà, non feram vt homines inuidiosè ac malignè tot virtutum tuarum obliuio capiat. Vtrum malis, ἁπλῶς ne, an ἀδύνατον, accipe: quod si hoc enunties modo, labores tui me sciente non carpent frustra liuidas obliuiones, tunc rei inanimæ, id est, *labori*, delectus & iudicium attribuetur per metaphoram.

[o] Synecdoche est partis pro ipso Lollio, qui valet prudentiâ & vsu rerum quouis tempore: qui dolosos plectit: qui perpetuum gerit Consulatum, qui denique recta facit iudicia.

[p] Vsitata est hæc metaphora à corporibus ad animum, sicut huic oppositum, *prauus*.

[q] Allegoria est è continuatis metaphoris: nam hîc *arma* videntur sumenda pro virtutibus; integritate, constantia, abstinentia, æquitate, magnitudine animi, fide, religione, quæ sæpiùs oppugnantur muneribus, honoribus, voluptatibus, & huiusmodi corruptelis: à quibus semper Lollius se præstitit tutum ac munitum, à talibusque piaculis sartum tectumque conseruauit.

[r] Metaphora est à duritie carnosa pedum pro longo rerum vsu assiduaque exercitatione aliquid perspectum & exploratum habere, leuiusque ferre. Sic à corpore ad animum transfertur: vnde sunt illa Ciceronis Epistol. 5. libr. 4. ad Familiar. *In illis rebus exercitatus animus callere tam debet*, atque pro eodem. Epistol. 2. libr. 9. ad eosdem, λελιθώσης *consuetudo diuturna callum tam obduxit stomacho meo, vt aliquantò minùs ea, quibus antea videbar angi, nunc sentiam.* Hanc autem metaphoram docet Cicero libro 3. de natura Deorum, *Callidos vocamus, quorum animus sic vsu concalluit, vt manus opere*, sicut dictum Ode 10. lib. 1. & 24. lib. 3. Cicero in Tuscul. *Mihi Calceamentum est solorum callus.* Græcè ita declaratur callus, μάλιστα μὲν ἐν τοῖς ὑπὸ ποδῶν πέλμασι, καὶ ἐν τοῖς ὑπὸ χειρῶν δύναται, id est, *eáque maximè in plantis pedum & palmis manuum.*

ODE

ODE X. AD LIGVRINVM.

Theticum.

Dum formæ dignitas manet, indulgendum esse iis, ad quæ illa solet adolescentes inuitare.

Crudelis adhuc & Veneris [a] *muneribus potens,*
Insperata tuæ quum veniet [b] *pluma* [c] *superbiæ:*
Et, quæ nunc humeris [d] *inuolitant, deciderint comæ:*
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
[c] *Dices heu (quoties te in speculo videris alterum)*
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

Analysis Dialectica.

HÆc quidem certè Ode mihi, vt optimo cuique Christiano, debet indignissima videri enarratione: quòd adolescentem turpiter sollicitet ad cynædiam, fœdissimosque concubitus maximeque nefandos: qui plus satis sunt noti ex illa apostrophe Poetæ Od. 1. huius libri conquerentis voluptatem pæderastiæ inflexibili Ligurini constantiâ impeditam, quæ non solet tantùm committi contra leges diuinas & humanas, sed contra etiam ipsius naturæ iura: quæ membro cuique corporis summâ prouidentiâ suum destinauit vsum: quali quidem vitio non caruerunt ij, qui sapientiam olim in Græcia profitebantur, vt scribit Plutarchus in Solone, & in libello, quòd bruta ratione vtantur, de summis principibus; Agamemnone & Hercule: qualis præterea ἀκρασία τῆς παιδερασίας iam diu in ipsa huius Poetæ gente notata fuit: ac primùm Sueton. narrat cap. 2 in C. Iul. Cæs. *quomodo hic à M. Thermopratore missus ad accersendam classem Bithyniam desedit apud Nicomedem, nõ sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorẽm auxit intra paucos rursus dies repetitâ Bithyniâ per caussam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidã libertino clienti suo.* Vnde pòst sunt illa Tiberiana scorta in Suetonij Vitellio pro catamitis, concubinis & meritoriis pueris consecuta. Itaque, pie casteque adolescens Lector, monendus es de fugiendo præsenti Poetæ consilio: quo magis ac magis huiusmodi flagitium oderis ac vites, partim memor huius Laconicæ legis, quæ est in institutis Laconicis apud Plutarch. ἐρᾶν μὲν τῶν πρὸς ψυχὴν ἀγαθῶν παιδῶν ἐφίετο· τὸ δὲ παιδίζειν, αἰσχρὸν νενόμιζε, ὡς τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐ τῆς ψυχῆς· ὁ δὲ ἐγκληθεὶς ὡς ἐπ' αἰσχρῷ παιδίζων ἀτίμῳ δικαίῳ· *Permissum erat pueros bonæ indolis amare, propter animi candorem: sed rem cum illis habere turpe & fœdum existimatum, tanquam corpus, non animus amaretur: quòd si quis accusatus fuisset turpis concubitus, ille infamis aque immundus per totam vitam habebatur.* Sed lõgè acerbius supplicium posteà diuinis ac humanis (vt constabit ex Grammaticis Odes postremæ huius libri) legibus est in hanc fœditatem constitutum. Oderis quoq; partim flagitium illud memor exempli, instituti, ac opprobrij, quo Cato effæminatum & impudicum adolescentem momordit, *aduersus & auersus impudicus es.* Item Catullus Epigrammate in Cæsarem, *Es impudicus, & vorax & aleo, &c.* Memor quoq; illius Damonis Peripolitæ: de quo Plutarchus in vita Cimonis: Is autem, vti se castum & integrum seruaret à fœdissimo concubitu pædiconis cuiusdam ducis Romanorũ peditum, qui Cheroneæ in præsidiis erat, & importunissimâ insectatione illum adolescentem ad flagitium sollicitabat, hic, inquam, veritus, ne turpis ille pædico tandẽ post multas & graues repulsas sibi vim inferret, cum aliquot æqualibus suis ad sexdecim coactis de duce interficiendo coniurauit, idq; omnes, madidâ fuligine denigrati, fortiter exsequuti sunt: quod memorabile facinus non caruit tum, neq; etiã nunc caret, castissimorum omniũ hominum laudatione. Deinde facies idem exemplo pudicissimi militis Trebonij, vt à Plutarcho dicitur in Mario, sed à Valerio Maximo cap. 1. Cælius Plotius Manipularius nominatur, qui, quum pudicitiam eripere ipsi tentaret C. Lucius (quem Valerius ibidem vocat Clusium, vel C. Luscium, vt in editione Pighiana legitur) tribunus militum & filius sororis Marianæ, hunc interfecit. Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit: atque hunc ille vir summus Imperator Marius scelere solutum periculo liberauit. Facies quoque innumerabilium aliorum exemplo, qui fortissimi propugnatores pudicitiæ fuerant in suo paganismo: ad quos potest aggregari filius Claudij Marcelli: potest etiam præter cæteros formosus Democles huc adscribi ex vita Demetrij apud Plutarchũ, qui mortem prætulit vitæ indignè ac turpiter muliebria passæ à Demetrio Antigoni filio. Potest denique Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens: qui primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo vltionis rationem, quum non posset ab aduersario exigere, ab iniquo iudice Philippo Macedonũ rege exegit, de quo lege lib. 8. Iustini sub finem. Et, si pluribus huiusmodi castimoniæ exemplis, vt debes, delectaris, lege vitam Alexandri ex Plutarch. & Agellio l. 6. cap. 8. Huc etiam pertinet discerptus à mulieribus Orpheus: quòd illis spretis, ob amissam Eurydicen vxorem, primus Venerem masculam induxisset, de quo vide Georg. 4. & de eodem Ouidius fecit 10. & 11. Metamorphos.

——omnemq; refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem: seu quod malè cesserat illi:
Siue fidem dederat: multas tamen ardor habebat
Iungere se vati: multæ doluêre repulsæ,
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares.

At verò tu deterreare multò magis ab illa teterrima libidine seueris pœnis vindicata Leuit. ca. 18. Deut. 27. propter violatam legem. Deut. 23. v. 17. Non erit meretrix è filiabus Israelis, neque scortum masculum è filiis Israelis: Illud קדשה *Kedeschah* hoc קדש *Kadesch*, κύναιδος καταπύγων, vtrumque dictum, quòd se paret ad fœdos concubitus. Præterea iudicio Dei ac minacibus verbis D. Pauli c. 6. primæ Corinth. v. 9. μὴ πλανᾶσθε, &c. *ne erretis, neq; scortatores, neque mœchi, neq; molles ἀρσενοκοῖται, qui cum masculis concumbunt, adibunt hereditatem Dei.* Caruit quidem Horatius & alij ipsius æquales hac doctrinæ puritate; sed illis minimè defuerunt simili consilio vates sacri, atq; inter eos maximè Phocylides poemate νουθετικῷ, qui statim huius initiò monet:

Μήτε γαμοκλοπέειν, μήτ' ἄῤῥενα Κύπριν ἐείνειν.
Neque furtim inquinandas esse nuptias, neque cum masculis concumbendum.

Quod

Quod qui committunt, certè habendi sunt πρωκτώρυχοι καὶ τραγῶν δυσωδέστεροι, tanquam diceres, saluis naribus, *merdi odos hircis putidiores.* Ab huiusmodi turpissima, maximeque exsecranda Venere nomen tulit quidam Meriones Cretensis, ὅτι διεμέτρει τὰς παῖδας: vnde verbum etiam Latinũ τὸ diuidere abiit in obscœnitatem apud Plautum in Aulul. *Me hercle, dicam palàm, non diuides,* i. *non constuprabis.* Ac paulò pòst. *Siquis vellet te, haud non velles diuidi,* sicut ab eodem Latinè declinata, diuisio & diuisor. Pædico enim siue πυγισὴς agendo diuidit: puer patiendo intercipit. Ob huiusmodi profectò flagitium L. Flaminius à Catone maiore motus est Senatu, vt hic ipse in Dialogo de Senectute memorat: *Mihi verò & Flacco,* inquit, *neutiquam probari potuit tam flagitiosa libido & tam perdita, quæ cum probro priuato coniungeret imperij dedecus.* Sed quid exempla quæro profana, quum sacra suppetant? abominabiles perditarum libidinum flammas Deus primùm aquarum inundatione in Gigantibus & monstris hominum semel exstinxit, vniuersâ terræ facie aquis obrutâ, & pòst sulphure atque igne in Sodoma & Gomorrha, euersis funditus illis vrbibus. Non illi quoque defuit princeps Philosophorum Plato, qui l.1. de leg. obscœnitatem cinædicam, & lib. 8. omnem illicitæ Veneris intemperiem damnauit. In Phædro comparatè ostendit pueros non secus amari ab impuris hominibus, atque agnos à lupis, ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ' ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί: & quidem lege naturali, quam bruta animantia sequuntur, demonstrauit: in quorum generibus mares inter se non commiscentur. Quod si fortè contingeret, vt gallus gallinaceus gallum iniret, vel absente gallinâ, viuus combureretur iussu aruspicis & metu ominis infausti, ait Plut. l. de ratione brutorum suprà citato, & ita cauent ne mandent semen lapidi (vbi quod seritur, radices nunquam agit) nec cõsultò genus animalium perimant. Hæc sum præfatus, Lector, vt adolescentes auerterent animos ab impudicis & impiis versibus, qui passim occurrunt in huiusmodi scriptoribus profanis (quales notauimus Ode 4. l.1.

——*quo simul meâris,*
Nec regna vini sortiêre talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet iuuentus
Nunc omnis)

atque iudicio ac delectu illos legerent, & ad scientiam solùm literarum, non ad institutionem & disciplinam morum & vitę referrent: quam Christiani salutariter accipere debent à solis Prophetis & Apostolis Dei & Christi potiùs, quàm à Philosophis & Poetis profanis. Cogit me profectò huius Odes indignitas reuocare, quod antè dixi in enarratione primæ Odes præsentis libri de vesano amore Poetæ erga Ligurinũ, quem illic texi, non sine auctore, nomine allegorię: verùm hîc, vt illic & inconstantia & incontinentia, fœditasque hominis flagitiosa mihi vehementer reprehendenda & fugiẽda videtur: atque, vt verius dicam, argumentum præsentis Odes est potiùs incontinentia Horatij, se dolore libidinis amittendæ excruciantis, quàm crudelitas pueri concubini nihil de turpi ac flagitiosa libidine laborantis, multoque minùs de futuris ipsius prætermissæ querelis. Itaque quum τὸν ἐφήμενον καὶ τὸν μισθαρνίσκον ἠτιμωμένον, id est, *amasium & meritorium adolescentulum, & scortum masculum* subornat, reprehendens, quòd nimiùm in se ipse exerceat crudelitatem, iucũdo illo fructu impubis ætatis perdito; vult certè hac damni translatione turpitudinem suæ incontinentiæ obtegere: quam quidem nimis incõstanter prodidit Od. 1. huius libri: vbi dixit se nihil, nisi Ligurinum somniare: & prodet Epodis 11. in Lycisçum puerũ, & Sat. 3. l. 1. sed in huiusmodi flagitium tam exsecrãdum, tamque detestabile Iuuenalis scripsit Satyram nonam. Similis est in Alexin puerum insania & intemperantia Corydonis pastoris & amatoris Eclog. 2. quam pudicè, castè, simpliciterque P. Ramus, vt moribus erat castis & integris, liberalibusque doctrinis atque insignibus studiis perpolitus, maluit interpretari per locum communem, quàm per allegoriam, sicut Seruius & Donatus, nonnullique alij fecerant, qui nomine Corydonis Poetam & Alexidis Cæsarem vel Alexãdrum puerum, à Pollione Virgilio donatum volunt significari. *Mihi placet magis,* inquit ille, *communem locum, & communem affectum fictis nominibus à Poeta cantari: præsertim quum Theocriti imitatio consistet in Comaste Idyllio 3. de Amaryllide.* Itaque vterque locus vtriusque Poetæ non in vno tantùm versu, sed toto genere argumẽti sibi mutuò respondet. Sed hæc Horatij flagitiosa libido apertior est ex illa Ode prima huius, quàm præsens Ode possit cadere aut in locum communem, aut in communem affectum: qui vtatur in ipso Ligurino appellando rebus mirabiliter inter se pugnantibus: quæ simul quum in eodem subiecto & eodem tempore non possint inesse; facit tamen quædam ingenij calliditate, vt inesse videantur, crudelitas & humanitas. Dona enim Veneris sunt; pulcritudo, amicitia, mansuetudo, humanitas, quæ è diametro aduersantur crudelitati, & possunt ita contractè concludi: *Ligurinus est formosus, amabilis, ætate florenti, mansuetus, lauis, humanus: non igitur sibi debet crudelis & inhumanus esse: nec se tanto tot bonorum fructu priuare.* Callidâ quidem certè conclusione, specie querimoniæ futuræ, Poeta fingit adolescentem propriâ crudelitate lacerari: cui in prima Ode libri præsentis duritiem obiecerat: sed illa durities ad repulsam fœdissimi amatoris pertinebat, qui precibus illam exorare & ad nutum suum arbitriumque flectere non poterat: vnde Ligurinus debebat verè & ex animo illud Plauti conqueri, quod miles sibi facit, εἰρωνικῶς tamen, *nimia est miseria nimiùm pulcrum esse hominem.* Confirmatur superius argumentum accessione futuri doloris, quem egressus ex ephebis capiet è recordatione neglectæ in pueritia voluptatis, & iacturâ eiusdem perditæ, quam color puerilis excellentior flore rosaceo facilè capere poterat, collatione maiorum explicatur: quæ rursus augetur querulo ac dissimili ætatum desiderio: quale amans Syra queritur ἐμπαθῶς Hecyr. Act. 1. Scen. 1. *Heu me miseram! cur non ista hæc mihi ætas & forma est.*

Enarratio Grammatica.

Ligurinus.] Huius appellationis est Poeta l. 3. Martialis; qui recitando intempestiuè versus suos, erat omnibus inuisus. Vide ibidem Epigram. *In Ligurinum:* qui fortasis eò impellebatur præter cupiditatem honoris Poetici suauitate vocis suæ. Hic adolescens videtur nomen inuenisse ἀπὸ τοῦ λιγυρῶς, à suauitate, vt Odyss. μ. sumitur:

Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ,
Sirenes amœnitate vocis deliniunt homines, vt ab hoc verbum *Ligurire,* teste Donato in Eunucho Act. 5. Sc. 4. nec est probandum ipsius inclinamentum à Liguria. Illa autem vocis bonitas non est minima illecebra ad insaniam amoris nefandi.

O crudelis.] Ad imitationem huius Odes Ausonius fecit Epigramma 13. Gallæ puellæ iam senescenti inscriptum:

Dicebam tibi, Galla senescimus: effugit ætas.
Vtere rene tuo: casta puella, anus es.

Spreuisti: obrepsit non intellecta senectus.
Nec reuocare potes, qui periêre dies.
Nunc piget & quereris: quòd non aut ista voluntas
Tunc fuit: aut non est nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus, oblitaq; gaudia iunge.
Da, fruar, & si non quod volo, quod volui.

Vtrumque carmen numero quidem versuum sibi respondet, sed non genere pedum ac metri: par quoque est in amatione, sed in subiecto valdè dispar. Alterum enim est contra naturæ iura sacrasque Dei hominumque leges: alterum legibus vtriusque & permitti solet, & tolerari potest. Quod autem ad verborum iunctura m & eloquutionem attinet, ea est inæqualitas inter vtrumque, vt illud ad Pisones vsurpare possim:

Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multùm frustraq; laboret
Ausus idem.

O crudelis adhuc.] His verbis ostenditur constantia & perseuerantia Ligurini in retinendâ & tuenda sui corporis castitate & pudicitia contra crebras amantis sollicitationes, cuius libidini se prębuit semper duriorem & asperiorem. Vox autem *adhuc* valet τὸ *ad hoc vsque continuatum*, non tamen absolutum, *tempus*, quo veteres vtebantur incerti rerum futurarum, quum è prę sentibus firmè aliquid nunciabant, ait Donatus in Andr. Act. 3. Sc. 2. tanquam Poeta diceret: Tu me amore tui captum adhuc fastidire perseuerasti, sed huius fastidij & repulsę te aliquando pœnitebit. Eadem vox sumitur in Lælio pro *præterea*, vbi tamen quædam cernitur temporis continuatio, *ortum quidem amicitiæ videtis, nisi quid adhuc fortè vultis* Gallicè, *sinon que vous desiriez encore quelque chose d'auantage.*

Potens.] Aliàs ostendimus variam Syntaxim huius vocis, sed nunc addam quod nunc primùm in mentem venit, *potens* cum patrio casu dominationem & imperium significare, vt 3. Od. l. 1. *Potens Cypri*, & apud Virg. *potens tempestatum*: verùm cum casu dandi ornatum quendam & instructionem, vt hoc loco, *Tuæ superbiæ*, est dandi casus, pro, quum barba accedet ad lęuem & impuberem tuam ætatem, quod Græcè dixeris, ὅταν σοι περὶ τὰ ὦτα ἀνθήσῃ· ἢ ὅταν ἀνελπίστως· ἢ ὅλως τὸ διάφορον, τοῦτ' ἔστιν ἡ πρώτη τείχων τοῖς παρειαῖς αὐθή, *quum tibi ex insperato primi pilorum flosculi serpent in genis.*

Inuolitant.] De passis puerorum capillis vide Od. 5. l. 2. Paulò aliter sumitur hoc verbum apud Terentium in Eunuch. Act. 4. Sc. 3. *Vt ego vnguibus facilè illi in oculos inuolem venefico*, id est, Nonio, celeriter insilire & irruere, quod videtur vel à volatu, vel à vola, seu media manu dictum.

Nunc & qui.] Structura verborum sic se habet: Quum mutatus color præstantior flore puniceæ rosæ & purpureæ verterit Ligurinum in faciem hispidam, Gall. *hideuse à voir.*

Alterum.] Id est, mutatum ab eo, qui priùs erat formosus puer. Adiuncta enim sæpè ita videntur afficere subiecta, vt quum eadem sint, quæ priùs fuerant, multùm tamen appareant diuersa.

Inueniet & deciderunt.] Est enallage temporis, quum ab eadem particula *quum* vtrumque pendeat.

Mens.] Quidam volunt hanc vocem inde dictam, quòd in ea maneant quæ sensus suggesserunt ipsi ex obseruatione rerum subiectarum. Græci τὸν νοῦν Latinæ vocis *mens* respondentem notione deflectunt περὶ τὸ νέω, τὸ πορεύομαι· ἄδην γὰρ ταχύτερον τῆς νοός, ὡς διὰ πάντος βέγχει ὠκείῳ χρόνῳ τείχοντος, vt iam in præfatione fuit expositum: ab eodem themate iidem ducunt τὸν νέον, ὁ εἰς ἄνδρα ἡλικίαν πορεύομενος, id est, *vt qui ad ætatem virilem progrediatur.* Hìc autem mens voluntatem & affectum designat: itaque explicandum, quę voluntas, quæ sententia, quod propositum est hodie. Ita sumitur τὸ animus in Pseudolo Plaut. *Idem animus nunc est*, pro, eadem est sententia & voluntas. Videtur Horatius affingere huic adolescenti votum Vlyssis sub finem Odyss. ξ.

Εἰθ' ὡς ἠβῴοιμι, βίη τε μοι ἐμπεδος εἴη,
Ὡς ὅθ' ὑπὸ Τροίῃ λόχον ἤγομεν ἀρτιπρεπέων.

id est, *vtinam iterum pubescerem, ac vis esset mihi firma, vt quum sub Troia ad insidias ductabamus agmen instructum.* Videtur tamen Poeta inducere Ligurinum conquerentem tantum περὶ τῆς ἀγωνίας παρακλυθήσας, ἢ μεμνημένος τοῦ πρὸ ὀκτὼ μῆνας ἀγωνίας ἐξήνθησεν, ἀδὲ ἐξηφνίας, cuius Vlysses desiderio hìc tenetur.

Incolumes.] Quasi soli impuberes retineant pristinam pulcritudinem saluam & integram: barbati verò & hirsuti, vt deformati corruptique habeantur. Ducebatur quidem olim magnæ laudi veteribus Gallis & Germanis, quàm diutissimè illos permanere in adolescentia impuberes: quod erat maximum continentiæ argumentum. Nam quibus barba citò enasci videbatur, incontinentiâ iudicabantur laborare, vt est 6. com. Cæsaris: quod ratione Physica non certè vacabat. Venus enim laxat corpus & aperit cutis poros, vnde faciliùs ac citiùs posteà pili enasci & prodire solent ex Hippocratis sententia, & Aristotelis in sectione 4. problematon, πάσχει δὲ τοῦτο διὰ τὸ τὰ ἀπορμαίνοντα ξυρότερα γίνεσθαι καὶ ἐφιδρότερα, ἐξ ὧν θρὶξ φύεται, id est, *hoc quidem accidit; quia quibus semen effluit, illa euadunt sicciora & rariora: quibus ex causa pilus enasci solet.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile 18. lib. 1.

[a] Syneed. est generis pro specialibus corporis dotibus, egregiâ formâ, ætatis flore, suauitate, gratiâ, corporis læuitate, & animi lenitate.

[b] Sumtum ab auibus ad annos mollis ac primæ lanuginis notandos, pro, *quum prima barba tibi nascetur*, Gal. *quand le poil follet te viendra.*

[c] Meton. est adiuncti pro læui & impubi ætate, cui ferè comes adiungitur superbia, atque sui admiratio, aliorumque contemtio & despicientia.

[d] Metaph. est ab eodem animalis genere cum superiore.

[e] Breuis est prosopopœia cum exclamatione per dolorem, vbi fingitur Ligurinus secum loqui, ac de contentione puerilis libidinis, id est, de rectè facto conqueri.

ODE

ODE XI. AD PHYLLIDA.

Theticum.

Phyllis ad concelebrandum Męcenatis cum Horatio natalem inuitatur.

E[a] *St mihi nonum superantis annum*
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli nectendis apium coronis:
Est ederæ vis
Multa, quâ crines religatâ [b] *fulges:*
[c] *Ridet* [d] *argento domus: ara castis*
Vincta [e] *verbenis* [f] *auet immolato*
Spargier agno.
Cuncta festinat [g] *manus huc & illuc*
Cursitant mistæ pueris puellæ:
[h] *Sordidum flammæ trepidant* [i] *rotantes*
Vertice fumum.
Vt tamen nôris quibus aduoceris
Gaudiis: Idus tibi sunt agendæ:
[2] *Qui dies mensem Veneris marinæ*
Findit Aprilem:
Iure solennis mihi, sanctiorq́;
Penè natali proprio: quòd ex hac
[k] *Luce Mæcenas meus* [l] *affluentes*
Ordinat annos.
[3] [m] *Telephum, quem tu petis, occupauit*
(Non tuæ sortis iuuenem) puella
Diues, & lasciua: tenetq́; gratâ
[n] *Compede vinctum.*
[4] *Terret ambustus* [o] *Phaethon* [p] *auaras*
Spes: & [q] *exemplum graue præbet ales*
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem,
[5] *Semper vt te digna sequare: & vltra,*
Quàm licet sperare, nefas putando,
Disparem vites. Age iam meorum
Finis amorum.
([6] *Non enim posthac aliâ* [r] *calebo*
Fæminâ) condisce modos, amandâ
Voce quos reddas. Minuentur [s] *atra*
Carmine curæ.

Analysis Dialectica.

SEntentia huius Odes paullò est ratione subiecti tolerabilior proximè antecedenti, & naturæ legibus conuenientior: vbi Poeta, vt caussam ostendat, cur Phyllida inuitet & allectet ad epulas, argumentis è loco adiunctorum erutis vtitur: quę apparatum quidem natalitij conuiuij in honorem Męcenatis sui declarant; sed ad impellendam mulierem relata, rationem efficientium habent. Hæc, inquit, mihi adsunt: vinum optimum, apium in horto, copia ederę, suppellex argentea, instructa legitimè ara, succincti, celeres ac seduli ministri, conuentus puerorum & puellarum, focus luculentus: quorum profectò illecebris constantia & integritas Zenonis Stoicorum principis, nedum puellæ credulitas deliniretur & irretiretur. Non dissimilibus argumentis vsus est Tityrus Virgilianus in Melibœo ad hospitium inuitando, sed fine longè diuerso.

—sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis,
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresq́; cadunt altis de montibus vmbræ.

vnde efficit:

Hac ergo hîc mecum poteris requiescere nocte.

2 Dies conuiuij definitur primùm ex ipsius notatione, deinde adiunctis, postremò minorum comparatione: Quia, inquit, Idus Aprilis dimidium lunæ bipertitæ ferè constituunt: quia hic dies est natalis Mæcenatis mei, & agendus à me festus & sacrificio solenni, proprioque natali anteponendus, à quo Mæcenas incipit annos ætatis suæ numerare.

3 Ne Phyllis vocata quęreret caussam, cur ad diem festum nequiret venire alibi occupata, Horatius remouet ab ea præcipuum impedimentum è dissimilium comparatione: quòd Telephus totus ab eadem diuersus & ordine & loco, & quo non? teneatur iam amore captus alterius puellæ longè ipsi etiam dissimilis & fortunis & genere, & formæ gratiâ.

4 Dissimilitudo illustratur exemplis duobus hominum impar institutum olim magno suo malo aggressorum, vt inde discat Phyllis æqualitatem amantium in primis quærendam: quo quidem Cleobuli apophthegma spectat:

Γαμεῖν ἐκ τῶν ὁμοίων· ἂν γὰρ ἐκ τῶν κρειττόνων
Λάβῃς, δεσπότας κτήσῃ, οὐ συγγενεῖς.

Vxorem ducito ex similibus. Si enim è præstantioribus
Acceperis; dominam paraueris; non genere parem.

quod etiam ad mulierem potest accommodari, vt sibi etiam quærat parem genere & ætate & formâ maritum. Eędem enim semper querelę sunt coniugum genere & fortunis imparum, quę imparum ætate, quibus sic monet Theognis medendum:

Οὔτοι σύμφερόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι.
Οὐ γὰρ πηδαλίῳ πείθεται ὡς ἄκατος.

Non conuenit vxor iuuenis viro seni.
Non enim gubernaculo paret, vt actuaria nauis.

Prius autem exemplum hîc adhibitum, est Phaethontis, qui munus regendi currum Solis, multò viribus prudentię suæ grauius, suo exitio importunis precibus à patre suo Phœbo extorsit. Alterum est Bellerophontis eódem, quo prius, pertinens, ne Phyllis consectetur se præstantiora: quam coniugij inęqualitatem Ouidius paribus sic dissuadet:

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci:
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

5 Declaratur ex fine, quem modò attigi, vis superiorum exemplorum, vt desiderium Phyllidis æqualitate rei expetitæ, ac virium ipsius terminetur: in hoc tamen fine permista est collatio parium significata epitheto, *digna*, id est, tibi paria sequare.

6 His certè illecebris tradit Poeta puellam in sui amorem, quę plurimùm ad id valent: quòd nunquam posteà in quamquam puellam amorem suum translaturus sit. Postremò illam hortatur ad studium carminis ex efficiente caussa: quòd illud fiet ipsi medicina tristitiæ & sollicitudinis abigendæ: vbi quædam est relatio in verbis condiscendi, id est, accipiendi & reddendi.

Enarratio Grammatica.

Phyllida.] Cognomen hoc valdè appositum videtur meretrici ἀπὸ τῆς φυλλίων, ab odoratis hortorum floribus ac herbis, quamuis hîc duo tantùm earum genera memorentur in describendo conuiuij apparatu.

Est mihi.] Dies natalis à veteribus semper habitus est genialis, ad quem agendum, amici & amicæ solebant conuocari: vnde Damœtas in Palæmone:

Phyllida mitte mihi: meus est natalis Iola.

Cic. 2. Phil. *Hodie non descendit Antonius: cur? dat natalitia in hortis.* In *dare natalitia*, desideratur *conuiuia*, quæ magnificè instituebantur. Athen. l. 4. cap. 6. ex Herodoto scribit, eum præcipuè dierum suprà reliquos omnes venerari, Persarum legibus sancitum est, in quo quisque natus est. Ibidem lege apparatum conuiuiorum pro personarum conditione.

Superantis annum.] Quod vini genus Græci dicunt ζωρότερον, ἤγουν πολυετὲς, ἢ ζωρὸν, ἢ ἀκρατέστερον, id est, annosum & viuacius vel meracius: sed in *Albani* est ellipsis τοῦ vini, quod vt generosum celebratur, quale fuit Od. 1. l. 1. *Massicum*, deinde *Cæcubum* & *Falernum* Od. 20. lib. 1. & *Falernum* Od. 27. eiusdem.

In horto.] Hæc vox exponitur Græcâ, κῆπος, & vtraque interdum sumitur translatè pro pudendo puerili in hoc versu: *si dederis nobis quod tuus hortus habet:* in Priapeis.

Apium.] Serta & coronę ex edera & apio adhibebantur ad exhilarâdum conuiuas: quod quidem probandum videtur: sed est præterea in apio præcipuè notanda talis hilaritatis caussa: quam ego à Simeone Setho didici, qui scribit inter alias vires apij, semen eius præsumtum ἀναδύειν λίχνον, id est, *sistere illius lapidis*, qui gestatus ebrietatem arcet, vt ait etiam Plinius lib. 37. cap. 9. arcere homines ab ebrietate, bonum corporis odorem reddere, quanquam Suidas scribat τὸν σελίνου στέφανον πίνουσιν ἔτι καὶ τὸ σέλινον πίνουσι πρὸς πόσιν, id est, *coronam apij lugubrem esse, & luctui selinum conuenire.* Græci autem pro nectere coronam ex apio dicunt, ὑφαίνειν ἢ ἀναδεῖν στέφανον σελίνου. Plinius & Plutarchus in conuiuio scriptis prodiderunt solam odoris necessitatem à veteribus in coronis quæsitam fuisse, eamque ob rem illos frequenter vsos coronis in cœnis, epulis, comessationibus, sacrificiis, pompis, omnique lætâ celebritate: Sed tamen posteri eadem adhibuerunt ad vegetandos hominis sensus, animosque tranquillandos, odoreque suo grauedines capitis è crapulâ enatas pellendas. Verum in *coronis*, videtur esse ellipsis vocis regentis, qualis posset esse τὸ *destinatum* vel *accommodatum*, vel alius similis. Vsus prætereà apij duplex reperitur, vt memoratur à Plutarcho in Timoleone, *cui collem subeunti, quò superato exercitum & copias hostium erant habituri subiecta oculis, occurrunt muli apium ferentes: id visum est militibus sædum omen: quia defunctorum sepulcris ferè coronas ex apio imponere solemus: vnde natum prouerbium, quum quis ancipite morbo decumbit, vt apio dicatur σελίνου δεῖσθαι, opus habere. Hos vt Timoleon religione soluëret, consternationeque liberaret, agmen sustinuit, & quum alia tempori conuenientia differri esset, tum coronam demonstrauit ante victoriam ipsis delatam vltrò in manus venire. Nam Corinthij, qui sacram & patriam apij coronam arbitrentur, eâ victores Isthmiorum ludicro coronant. Isthmiorum enim tum ætatis, vt nunc Nemeorum apium corona erat, cui non ita dudum succesit pinus. Ita, vt dictum est, affatus Timoleon milites sumsit apium, ex eoque coronam princeps ipse accepit: inde duces, qui circa ipsum erant & vulgus etiam accepit.* De hoc vide etiam Symp. 5. prob. 3. Plutar. Hos locos si Agrippa meminisset, nunquam scripsisset l. 1. c. 25. de occulta philosophia Apium Plutoni sacrum, licet, vt diximus modò, Suidas cum ipso facere videatur. Apium autem Ode 36. l. 1. viuax, vt Ode 7. l. 2. vdum fuit vocatum, habitâ, credo equidem, ratione Homericę appellationis lib. Ἰλιαδ. β. ἐλεόδρεπτον σέλινον, ὡς ἐν ἕλει τεθραμμένον: i. *tanquam in palude nutritum*; quò etiã spectat illud etymon τοῦ σελίνου, παρὰ τὸ σάλλειν ἐν ἕλει, τουτέστιν ὁρμᾶσθαι καὶ αὔξεσθαι ἐν ὑγρῷ τόπῳ, i. *quòd facilè loco ex humido exiliat.* Hæc Eustathius in vers. iam lib. citati,

λωτὸν ἐρεπτόμενοι ἐλεόδρεπτον σέλινον, i.

Equi mandentes lotum & in palude nutritum apium.

Edera vis.] Ita Cic. pro lege Manilia vim sumit pro multitudine & copia: *sic Mithridates fugit maximam vim auri & argenti*, &c. & in Paradox. *vis frumenti.* Item Cæsar l. 3. bel. ciuil. *vis seminum magna, &c.*

Crines.] Ellipsis est præpositionis *secundùm*, vt sæpè Græce κατά. Pro hac autem phrasi, *religare crines*, dixit Ode 14. l. 3. *cohibere crinem.*

Fulges.] Est ab eo, quod fulgo, is, it, coniugatur: quale illud est Virg. Æn. 6. v. 826.

Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis.

itaque valet futurum alterius formę *fulgebis* aut potiùs ἰωνικῶς *fulgas*, fulgere possis.

Ara casta.] Sic Græci efferunt, δοῦναι βωμὸν, τὸν γάλακτα, οἶνον, μέλι κ.τ.λ. δάκρυσι ὑγραίνειν, φαίνειν, vt passim apud eos reperies: sic Tityrus Ecl. 1.

——*illius aram*
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Cuncta festinat: trepidant & cursitant.] His verbis omnia diligentissimè curari, quæ pertinent ad natalitij conuiuij apparatum, significantur: talis curatura exprimitur iisdem verbis Hecyræ Actu tertio, Scen. 1. vers. 35. *trepidari sentio, cursitari jursum, prorsum*, item lib. 5. comment. Cæsaris de bello Gallico: *tum demum Titurius, vt qui nihil antè prouidisset, trepidare & concursare, cohortesque disponere*, quod Græci efferunt, ἄνω κὴ κάτω, πρόσω κὴ ὀπίσω ποιεῖσθαι. & Donatus exponit *sursum, rursum, prorsum aliquid fieri.* quibus omnibus significatur tempus cænæ in propinquo esse, vt illo Tityri: *Iam culmina villarum fumant.*

Aduoceris.] Ἀνάκλησις est, pro, ad quæ gaudia voceris, nisi malis esse casum auferendi ad caussam notãdam, propter quam aduocetur.

Idus.] Idus deflectitur à Plutarcho vel παρὰ τὸ εἶδος, à pulcritudine faciei, quam ostendit luna ὅταν αὐτὴ διχομηνίαν ἄγει. *quum pleno fulget orbe: quem dimidium lunæ mensem* Dionys. Halic. vocet διχομηνίδα: Huc accedit, quòd recta ipsius scriptura est *Eidus* vel ab iduare, dividere quòd dies iduum mensem lunarem ferè δίχα εἴζει, id est, bipartitum facit, de quo lege l. 1. Saturn. c. 15. & 12. eiusdem de Aprili apud Macrobium & 4. Fastorum.

Findit.] Id est, diuidit, vbi est allusio quædam ad etymon vocis *idus.*

Aprilem.] Hic mensis etiã notatur ἀπὸ τῆς ἀφρῶδους, à spuma, vnde Venus Ἀφροδίτη, cui hic mensis est sacer: videtur tamen Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 12. è Cingio de fastis, magis probare etymum Latinum ab aperiendo, quasi Aperilem, de quo vide ibidem plura. Qui Idus in

Fastis

Fastis tali notatione declarat Aprilem ab effecto,

Nam quia ver aperit tunc omnia, densaq; cedit
Frigoris asperitas, fœtaq; terra patet;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Solennis.] Festus docet hoc esse coniunctum ex verbo Osco, *solo*, quod est totum à Græco ὅλος, vnde valet, dies omnibus annis celebratus, vt solers in omni re prudens.

Sanctior.] Horatius se hîc parat ad natalem Mæcenatis penè sanctius suo concelebrandum. Non ita studiosè Tibullus visus est proximè in Dialecticis se comparasse ad natalem Cherinthi.

Ordinat.] Id est, numerat annos ætatis suæ superuenientes natalitio diei, quem Græci vocant γενέθλιον ἡμέραν ἢ τὰ γενέσια ἢ τὰ γενέθλια, vnde Lucianus dixit ἑστιᾶν γενέθλια, i. Ciceroni, vt modò citauimus, *dare natalitia.* hoc est celebrare natalem alicuius epulis; aut conuiuia in gratiam natalis diei agitare. Nam in hac supputatione τὴν τάξιν μᾶλλον ἢ θέσιν μοιρῶν σκεπτέον, *ordo magis, quàm partium collocatio spectandus est.*

Occupauit.] Id est, puella dies & lasciua (fortasis illa Chloe Odes 19. l. 3.) tibi præripuit, propriumque sibi fecit, ac vindicauit Telephum, non tuæ conditionis, ordinis & loci iuuenem, de quo sic Ouid. l. 3. Fast. *Telephon erat is, quem Phyllis amabat.*

Non tuæ sort is.] Hoc Galli ferè ad verbum exprimũt, *n'estant le ieune homme de ta sorte, c'est à dire, de ton estat ou condition :* sic T. Liuius loquitur, id negotium non est suæ sortis, id est, *ceſt affaire n'appartient & n'est propre à son estat.*

Tenet vinctum.] Hæc phrasis est ex illa verborum geminatione per verbum & participiũ, Ciceroni perfamiliari, *tenere mente comprehensum, fœdere obstrictum, impeditum, occupatum, constrictum.* Tenet autem vinctum Græcè dicitur κατέχει ἐς πέδας δεδεμένον, cuius est simile in Epist. 3. l. 1. *nisi quòd ibi est, moratur*, pro eodem, *tenet.* Hęc autem geminata nescio quid maioris energiæ præ se ferre videntur, quàm singularia; vinxit, mente comprehendit, fœdere obstrinxit, occupauit, impediuit, quomodo Terentius loquitur in Eunuch. Act. 5. Sc. 6. *Chæream pro mœcho posteà comprehendêre intus & constrinxêre :* pro quo potuisset dicere, comprehensum constrinxerunt.

Phaethon.] Huius fabulam lege 2. Metamorphos. & ipsius mythologiam in Timæo Platonis: quòd tãdem aliquando, quæ sunt sub cælo, deflagratura sint; Seruius in Æneid. 6. vers. *Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis*, sic hanc narrat fabulam: Eridanus Solis filius fuit: hic à patre impetratum currum agitare non potuit, & quum per errores mundus arderet, fulminatus in Italiæ fluuiũ cecidit, & tunc à luce ardoris sui Phaethon appellatus est, & pristinum nomen fluuio dedit. vide ibidem cætera: & in vers. Æn. 10.

Namq; ferunt luctu cygnum Phaethonti amati.

Clariorem fabulæ narrationem, *Phaethon*, ait idem Interpres, *Clymenes & Solis filius fuit; qui, quum doleret obiectum sibi ab Epapho rege Aegypti, quòd esset, non de Sole, sed adulterio procreatus, ductu matris venit ad Solem & popposcit, vt si verè filius eius foret, petenda præstaret: quod quum Sol iurasset per Stygiam paludem se facturum esse: petit ille, vt eius currus agitaret. Sol post iusiurandum negare non potuit. Itaque acceptu curribus Phaethon quum orbitam Solis excessisset, munduq; cœpisset ardere, à Ioue fulminatus in Eridanum cecidit; qui & Padus dicitur. Huius interitum sorores flentes, Phetusa, & Lampetusa Deorum miseratione in arbores sunt commutatæ, vt hîc dicit & in Bucolicis, in aluos. Fuit etiam Ligus, Cycnus nomine, amator Phaethontis : qui quum eum fleret extinctum, in auem sui nominis versus est : cuius nunc filium Cupauonem dicit habere Cycni pennas in Galea ad formæ insigne monstrandum.* Grammatici autem hanc vocem tradunt ductam à verbo φαέθω more participij, idem sonante, quod φάω, id est, luceo & splendeo, & vsurpari solitam modò pro Solis epitheto, modò pro ipso sole, atque ipsius planeta.

Grauatus.] Grauari cum casu quarto est molestè & grauatè ferre, vt Suetonius in Augusto cap. 72. *operosa prætoria grauabatur:* Pro *exemplum præbere*, Terentius dicit, statuere exemplum in aliquo, id est, supplicium sumere.

Bellerophontem.] Huius quoque fabulam vide 7. & 12. Ode l. 3. & 27. l. 1.

Te digna.] Ex annotatione Donati in Eunuch. Act. 5. Scen. 2. ad hæc verba, *non te dignum Charea fecisti*, aut antimeria est pro dignè : aut deest, non facinus te dignum fecisti: sic hoc loco amatores te dignos, id est, tuæ conditionis, ordinis, & loci amore prosequaris, vel potiùs, tibi pares his rebus, vt dialectica præmonuêre. Sic Virgilius dicit, *grates persoluere dignas*, id est, pares &, *præmia digna ferant*, id est, paria l. 1. Æn. Vitabit igitur Telephum, si reputauerit secum, illicitam esse coniunctionem amantium disparium, vel spe conceptam.

Quos reddas.] In studiis literarum doctor est veluti creditor, & discipulus vt debitor, qui accepta doctori reddere solet horâ statutâ memoriter recitando.

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

[a] Triplex repetitio vocis *est* in principiis membrorum epanaphoram facit.

[b] Translatum ab æthere & igne, ad venustatem indicandam, quâ solet fulgere.

[c] Idem tropus, sed ab homine ὡς ἀπὸ τῆς ζώης γελαστικοῦ, ad inanimum pro nitere, splendere, & fulgere: res enim inanimæ solent spectatores sui pulcritudine & nitore aspectus diffundere hilaritate: simili tropo vsus est Hom. Iliad. τ.

Αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών, hoc est, *fulgor autem in cælum venit : terra quoque tota circum risit :* sic διαγελῶν αὖρ᾽ ἡμέρα διαγελῶσα λέγεται εὐαυθεία καὶ ἀδεία, *in serenitate & tranquillitate:* simili etiam Virg. Ecl. 4. quum dicit *acanthum ridere.*

[d] Potest esse metonymia caussæ materialis pro vasis ex argento factis & cusis.

[e] In *verbenis* puto synecdochen esse speciei, pro quibuslibet herbis ad res sacras adhibitis: sed de verbena repete, quod annotatum est in Gramm. Odes 14. lib. 1.

[f] Alia metaphora à præditis affectione, πρὸς τὸ ἀπαθῶς, ad carentia motu animi.

[g] Vsitata est synecdoche cunctis scriptoribus, manus pro multitudine nauanti operam rei cuipiam: vbi tamen intelligenda videtur famularis manus, vt loquitur Seneca, vel turba famularis, nisi malis generalius sumere pro hoc Gallico, *tout le monde met vistement la main à la cuisine.*

[h] Metonymia est effecti pro efficiente sordidos fuligine.

[i] Nota est metaphora pro instar rotæ glomeratę & volutæ, flammæ motu tremulo fumum volutant. Simili tropo Lucret. dicit l. 6. *ventos rotare cauis fornacibus intus:* est autem hîc descriptio magnæ culinæ.

[k] Altera est metonymia, sed efficientis pro effecto die.

[l] Metaph. à fluminibus, pro, annos aliis alios more

aquarum fluentium succedentes & accrescentes dinumerat.

m Προαπάλυψις est, vbi Poeta occupat excusationem Phyllidis recusaturę celebrationem festi propter amorem Telephi, quem amari & distineri ab altera puella dicit. An hic Telephus is sit cui 19.l.3. inscribitur, videris.

n Alleg. est ex metaphoris à captiuis.

o Meton. est subiecti pro casu Phaethontis, pœna & incendio.

p Altera metonymia, sed adiuncti pro subiectis, id est, cupidè nimis & immodicè sperantibus.

q Meton. facti exempli pro pœna, vnde illud sumitur, sic Plautus in Mostell. *exemplæ depol faciam ego in te*, pro, in te animaduertam, & supplicium de te sumam, quo cæteri à maleficio deterreantur: huc certè omnia pœnarum genera referenda sunt.

r Sumtu ab igne, qualia sunt *incendi, flagrare, ardere.*

s Per metonymiam effecti pro efficiente homines tristitiâ morosos, quali tropo dicuntur atræ lites in Epistol. ad Pisonem, Gallicè, *qui rendent les gens mornes & tristes.*

Ode XII. Ad Virgilium.

Theticum.

Dandam esse animo aliquam remissionem post summam illius contentionem.

IAm veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt a *animæ lintea Thraciæ*
Iam nec prata rigent, nec fluuij strepunt
Hybernâ niue turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix b *auis, &* c *Cecropiæ domus*
Æternum opprobrium: quòd malè barbaras
Regum est vlta d *libidines.*
Dicunt in tenero gramine pinguium
e *Custodes ouium carmina fistulâ:*
Delectantq; f *Deum, cui pecus & nigri*
Colles Arcadiæ placent.
Adduxêre sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere g *liberum*
Si gestis, h *iuuenum nobilium cliens,*
Nardo vina merebere.
Nardi paruus onyx i *eliciet cadum,*
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare nouas largus, amaraq;
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas k *gaudia, cum tua*
Velox l *merce veni: * non ego te meis*
Immunem meditor m *tingere poculis,*
Plena dites vt in domo.
Verùm pone moras, & studium lucri:
Nigrorumq; memor, dum licet, n *ignium*
Misce stultitiam consiliis breuem.
Dulce est desipere in loco.

Analysis Dialectica.

ODe 29. lib. 3. non dissimile habuit argumentum inuitandi ad frugalem mensam Mæcenatis. Hîc Poeta, vt Virgilium amicum magis alliciat & attrahat ad remittendas graues animi curas, veris aduētum ei proponit: quo certè videntur iucunditati se dare omnia. Itaque descriptio illius temporis instituitur ex multis efficientibus & circumstantiis, vt, quæ non prosunt singulæ, multæ iuuent. Nam primus hirundinis aspectus non satis magnam fidem facit appropinquantis veris; quæ possit aliquando maturiùs apparere, nescio quâ re prouocata: cuius auis dubium quoque aduentum Aristoteles lib. 1. Ethicorum vsurpauit, vt demonstraret hominem non posse vno die, vel aliò breui tempore beari, τὸ δ' ἦρ οὐ ποιεῖ χελιδὼν οὐδὲ μία ἡμέρα, *ver enim neque vna hirundo facit, neque vna dies.* Prima igitur ineuntis veris caussa ponitur in Fauonio tumidum mare placante, de quo, vt de pręsensione veris appetentis lege annotationem in 4. Oden lib. 1. Altera est in tepore illius, quo animantur viresccntia, & terra hyberno frigore constricta & rugosa laxatur & complanatur. Tertia in tacito fluminum decursu. Quarta in hirundine nidum fingente & construente ex luto. Quintam dant pastores super fronde viridi & herba molli considentes: ac fistulâ canētes Pana. Sexta est in calore Solis sitim adducente. Illa sunt sex inuitamenta remissionis & capiendæ voluptatis: ac pręcipuè sextum est potionis: vnde Poeta captauit occasionem cum Virgilio iocandi de conditione conuiuādi, vt neuter esset asymbolus, sed alter nardinum vnguētum, alter vinum Calenum sumministraret. Ex his igitur sex rationibus conficit, *dandam esse animo aliquam remissionem, rerumq; seriarum curam fomentis iocularium leniendam*: quę complexio est in postremis quattuor versibus ad hæc verba: *verùm pone, &c.*

2 Ratio compotandi iis interiecta est, & tali lege ac conditione conuentorum instituta & ita connexè tractata. *Si vu, ô Virgili, meo dulci vino tua mala eluere, curasq; & sitim leuare, ego quoque volo de tuo onyche nardinum vnguentum olere.* Hæc propositio constat è parium collatione. Certamen enim est propositum de paribus symbolis. Huius autem propositionis pars antecedens de vino confirmatur primùm è subiecto; *quòd cadus vini sit reconditus in cellis Sulpitianis.* Deinde ex effectis vini: *quod spes varias initiat, ratasq; esse iubeat: quòd acerbitate curarum hominem liberet.*

3 Repetitur eadem propositionis pars antecedens loco huius assumtionis: *at qui tu, ô Virgili, summè cupis bibere vinum Calenum, id est, generosum.*

4 Vis complexionis hîc est: *ego quoq; valdè cupio perfundi nardino vnguento:* quæ illustratur dissimilium comparatione: *non, vt diues aliquis, & scitus conuiuator, excipio conuiuas asymbolos & immunes. Itaq; pro symbola debes afferre tuum onychem nardi.*

5 Concludit tandem totam Oden, *aliquam animo dandam studiorum remissionem,* & dissentaneis in speciem aduersis confirmat: *seria temperanda esse iocosis tempore & loco:*

& loco: vnde mira percipitur voluptas.

Huic quoque simile dat consilium Senec. sub fin. de Tranquill. cap. 15. Animus est aliquando in exsultationem, liberalitatemque extrahendus, tristisque sobrietas remouenda paulisper: nam siue Poetæ Græco credimus, *Aliquando & insanire iucundum est.* siue Platoni in Philebo, *Frustra Poeticas fores compos sui pepulit.* siue Aristoteli Problem. sect. λ. *Nullum magnum ingenium sine mistura dementiæ fuit. non potest grande aliquid supra cæteros loqui, niso motamens.*

Enarratio Grammatica.

AD Virgilium.] Quidam dicunt hunc fuisse Myropolam, vnguentorum venditorem, sed ego cum alijs malo intelligi Poetam aut amicum eiusdem nominis. Videntur autem qui sunt sententiæ prioris, eò adduci, vt ita sentiant: quia hîc Virgilius admonetur de studio lucri ponendo: quòd parùm decere videtur vtrumq; & dicentem & audientem. Sed illi cogitare deberent latius diffundi τὸ lucrum, quàm ad quæstus mercium, vt, qui progressum faciunt aliquem in studijs literarum, hic deputari in lucro dici meritò possit: contrà, qui nihil in ijsdem proficiunt, temporis, operæ & rei iacturam feciisse existimantur. Quare Horatius inuitat hîc Virgilium ad intermittendum literarum, tanquam lucri, studium, inferens iocos de mutuis inter se conuiualibus symbolis, vt rectè coniecit Henricus Stephanus.

Temperant.] Pro hoc Virgilius dicit *pacare æquora tumida*, & *dare placidum mare*, illud sternere & tranquillum reddere.

Animæ.] Anima à Latinis scriptoribus vsitata est pro spiritu & halitu, vnde sunt illa Plauti, *fatet anima vxori tuæ:* Item Terentij, *animam compressi:* deinde Ciceronis *animam puram conseruare:* eiusdem in Oratore: *animam de puro & tenui cælo ducere*, pro, flatum ex aere haurire, Gallicè *humer du bon aer:* postremò Plinij, *pulmo attrahit & reddit animam.* Gallicè, *l' haleine put alta femme: iay retenu mon haleine*: quomodo etiam Persius loquitur Satyra 1.

Scribimus inclusi, numeros, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.

Quòd Gallicè reddi potest, *ce qu'vn homme de bonne & longue haleine puisset prononcer tres bien.*

Ideoque Grammatici deflectunt animam ἀπὸ τοῦ ἄνεμου, *a vento*, & hoc ἀπὸ τοῦ ἄνημι, quod est; *flo* & *spiro*, vnde ἄνημος ἀναλογικῶς flectendum esset, sed interiectu, τοῦ ν fit ἄνημος, pro quo Poetæ vtuntur τῷ ἀήτη, ab eadem origine *flatus*. Etymon autem τοῦ ἄνεμος, quod nonnulli proferunt, ὅτι ἄνεμος ὅτιν ἀνὰ τὸ αἷμα τοῦ, id est, *quòd sit exanguis*, non mihi probatur: sed de natura ventorum & generibus reuise notas in Oden 3. lib. 1. Ita Hebræi נפש *nepheſch* ducũt per metathesin à radice פשח *naſchaph*, quod est *flare* & *spiritum haurire, reficere*. Sic ψυχὴ à ψύχειν, ὅ, τι σημαίνει διὸ τὸ μὲν ζωοποιῶ καὶ ζωογονέω, ἐξ οὗ καὶ ψυχή· τὸ δὲ φυσῶ, ἐξ οὗ Ιλιαδ. ε.

ἦ ῥα, καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δόρυ, καὶ τὸ γ' ἀθλιὴν
Πνοιῇ Αχιλῆος πάλιν ἔτραπε κυδαλίμοιο,
ἦκα μάλα ψύξασα αὐτὴ τῷ φυσήσασα.

Quod verbum ψύχω duo significat, prius animal procreo, & viuum progigno, ex quo significatu anima nominatur: posterius spiro; vnde lib. Iliad. ε.

Dixit: & vibrans hastam emisit, quam Pallas
Flatu ab Achille glorioso auertit,
Leniter admodum spirans.

Ita Virgil. Æneid. 8. sumsit. ad vers.

Quantum ignes animæq; valent.

Et ibi Seruius ἅπως ἐπὶ μόλυβδος. Idem tradit in vers. Æneidos. 1.

Sceptra tenens, mollitq; animos id est *ventos.*

Sed ego malo exponere vim & impetum ventorum, licet dicat inclinari ἀπὸ τῶν ἀνέμων, *à ventis*, vt *anima*. Ita πνεῦμα *spiritus* est πολύσημον, vt τὸ רוח *ruach* apud Hebræos. Est autem hîc multis dubium ac controuersum, qui sint illi venti Thracij.

Nam quidam putant esse Etesias: quia Poeta dicit tempora spirantium ventorum adducere sitim, quibus sanè Arist. detrahit hanc opinionem lib. de mundo πῶν ἀνέμων οἱ μὲν χειμῶνος, ὥσπερ οἱ Νότοι δι' ἀσθενείαν· οἱ δὲ Ζέφυρος, ὡς οἱ Ετησίαι λεγόμενοι μίξιν ἔχοντες. τινὲς ἀπὸ τῆς ἀρκτου φερομένων καὶ Ζεφύρου· *è ventis quidam vim suam suscitant hyeme, vt Austri: quidam æstate, vt dicti anniuersarij, partim flantes à septentrionibus partim à Fauonijs.*

Præterea vide Agellij librum 2. cap. 22. & Plinij li. 2. cap. 47. & lib. 18 cap. 34. & Strabonis lib. 3. qui omnes consentiunt in tempore flandi constituendo ventis Etesijs subortum caniculæ, id est, 6. Idus Iul. diebus 8. ante ipsius ortum à Columella, & durant 40. dies è Plinio, qui tamen dissentit ab Aristotele & Cicerone in ipsorum cursu describendo. Ille lib. 2. Meteor. scribit eos à Septentrione ad Occidentem, inde in Orientem flare: Tempus autem flandi assignatur huiusmodi ijsdem & ibidem, οἱ δὲ ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολῶν, id est, *Etesiæ autem flant post solstitium & canis ortum.* Diodorus præterea Siculus scribit, Θαλῆς μὲν οὖν εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς Ετησίας ἀνιστάντας τοῖς ἐκ-βολαῖς τοῦ ποταμοῦ, κωλύειν εἰς θάλασσαν ἐμπεσεῖν τὸ ῥεῦμα, id est, *Thales vnus è septem sapientibus ait Etesias ostijs Nilo flantes prohibere, ne ipse in mare profundatur:* quæ causa est probabilis, cur Nilus in æstate tantopere excrescat. Herodotus tamen hanc refutat in Euterpe, sicut alteram, quæ causam in Oceanum transfert, & tertiam, quæ in liquefactas niues.

Verisimam autem huius incrementi efficientem in sole statuit, qui tempore Brumæ, dum ille suum conficit cursum in partibus Libyæ, attrahit è Nilo ad se plurimum humoris. Ideoque fit minor: Sed quum æstas aduentat & Sol appropinquat tendens ad *Septentrionem* siccat & minuit Græciæ fluuios.

Eam ob rem *Nilus* videtur æstate crescere: quam quidem sententiam Diodorus lib. 1. Improbat de hoc fluuio & ipsius euentis potest quisque legere Plinium lib. 5. capite 9. Melam lib. 1. cap. 9. Solinum capite 45. Vnde perspicitur, quod Cicero scribit Cælio lib. 2. Epistol. 15. *Ego, nisi quid me Etesiæ morabuntur, celeriter, vt spero, vos videbo*, flatum illorum impedire reditum Ciceronis è Cilicia in Italiam nauigantis, id est, à partibus Orientis versus Occidentem.

Idem sibi scribit accidisse Epist. 14. ad Brutum: *Itaque in medio Achaico cursu, quum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilij retulisset, te vidi Veliæ &c:* Etesiæ dicuntur in Orientem nauigantibus secundi; vt Auster in Occidentem.

Itaque Ciceroni Græciam petenti erant prosperi Etesiæ, contrarius Auster: contrà Plinius, vbi suprà narrat eorum flatum ab Oriente & Meridie excitari, in qua est Agellius hæresi ibidem, fluctuans tamen in ea. Alij interpretantur Ornithias ventos Aquilonares: quod pugnat cum temperatione veris & cæteris ipsius circumstantijs.

Attamen ex 2. lib. ca. 2. Columellæ discimus 10. Calend. Martij Leonem occidere, & ventos septentrionales qui ὀρνίθιαι vocantur, per dies triginta regnare, ac tum hirundinem aduenire: quòd si hîc locus de

ipsis ornithijs intelligatur, sententia perspicua erit. Quòd autem calor tantus, vt illi dicunt, non conueniat veri, id quidem verum esse in quibusdam plagis: sed non in Campania Italię patria Horatij: vbi ver magis calet, quàm in regionibus Aquilonarijs: neque cuiquam mirum debet videri, si Etesiæ dicuntur Thracij, quum Aquilones, etiam Fauonij tales vocentur. Nam pro vario situ regionum & orbis aspectu varij possunt venti spirare, vt Eurus à parte Thraciæ orientalis, Fauonius ab Occasu eiusdem: Auster à Meridie, Boreas à Septentrione. Itaque magis intelligendus locus de Fauonijs, de quibus Ode 4. lib. 1. & 7. lib. 3.

Ponit.] Cicero dicit pro eo, *fingit & construit nidum.*

Ityn.] Fabula est eiusmodi: Pandion, qui Pandareus est Homero, rex Athenien sium, Erichthonij filius, duas filias habuit, Prognem & Philomelam: priorem Tereo regi Thraciæ in matrimonium collocauit, qui posteà stuprum alteri obtulit, cui, ne flagitiosum facinus indicaret, linguam præcidit: sed illa rem in veste suo cruore descripsit, quod quum Progne soror huius, & vxor illius resciuisset, indignata incestum vindicauit morte filij sui Itys vel Ityli (vt Homerus Odys. 7. vers. 522. vocat Itylum, & Catullus Ortalo, *Daulias absumti fata gemens Ityli:* sed Ouidius lib. 6. Metamor. Ityn vt Horatius & Propertius lib. 3. è quo posteriori Itylus ἀπροσδοκήτως denominatur) quem interfectum patri suo Tereo comedendum apposuit: de quo hic certior factus, districto que gladio vxorem persequens mutatus est in vpupam; Itys (quo nomine dicitur etiam ambitus rotæ cuius in Ode 1. li. 1. meminimus & veriuerbij) in Phasianum, Progne in hirundinem, Philomela in Luscinam. Hæc fabula eleganter describitur ibidem ab Homero & à Phaleteo lib. de elocutione explicatur. Sic etiam à Seruio narratur in Sileno Virgilij ad hunc versum.

Aut vt mutatos Terei narrauerit artus.

Qui Epops quasi ἐποπτής, *Inspector malorum suorum* dictus fuit. Fabulæ fit etiam mentio in Ætna ad vers. *Te quoq; Athenarum:* vbi tribus Atticis puellis sedes assignantur, Erigonæ inter sidera; Philomelæ in syluis; Prognæ in tectis, sed Tereo, id est, vpupæ in rupibus præruptis: quarum tamen auium, vt cygni, cantus Plato in Phædone non tribuit dolori, licet Hesiodus in operibus & diebus appellet hirundinem ὀρθροχόην, *manè lugentem*, & Homerus Odys. τ. ὀλοφυρομένην, *lugentem*, de quibus lege lib. 6. Metamor. Qua de fabula exstat hoc etiam Epigram. lib. 1. cap. θ. εἰς ἀηδεῖς.

Σός μοι πόσις κακοεργὸς ἐνὶ σπήλυγγι βαθείῃ
Μινώσας, βαρὺ πότμον ἐμὴν ἀπέκερσε χορείην.
Σπυγνὰ δέ μοι πόρεν ἕδνα πελυτλήτοιο γάμοιο,
Γλῶσσάν ἐμὴν ἐθέειστε καὶ ἔσβεσεν Ἑλλάδα φώνην.

Id est, *tuus mihi maritus ô Progne*, inquit Philomela, *intestus in solitudine collocatæ fatalem eripuit virginitatem. Mæsta etiam dedit sponsalia munera: excidit meã linguam, & Græcã vocem exstinxit.* Mira dicit Aristot. de Philomela, quem leges.

Flebiliter gemens.] Hic hirundinis gemitus videtur ab Eustathio sub finem lib. φ. Odyss. sic declarari ad hunc versum:

Ἦδ' ὑπὸ καλὸν ἄεισε, χελιδόνι ἴκελη αὐδήν,

Hæc autem fides bene subsonuit, hirundini similis voce: sciendum, inquit Scholiastes, *sonum citharæ factum esse similem voci hirundinis, non Philomelæ: quia non fit similitudo in suauitate, sed solum in qualitate vocis subasperè sonantis: qualis est hæsitantia hirundinis impeditè loquentis, quãdo in memoriam Terei, vt est in fabula stridet, non dulcè canens: vnde Comici, quem vituperant, ob imperitiam loquendi multa, eum appellant* μυσεῖον χελιδόνων, *officinam hirundinum, id est, garrulorum & barbarorum: qui non possunt intelligi.*

Sed de mirando hirundinis ingenio & scenopegia in suo nido fingendo, lege li. 9. Histor. animalium Aristot. versus ex Æschylo citantis, & eiusdem lib. 4. de animal. de tempore, quo luscinia tam mas, quàm fœmella canunt & canere desinunt.

Deum cui.] Varia & multiplex est opinio de genere Dei Panis, primùm Græcis: nam Scholiastes Theocriti in Idyl. a. de eo sic scriptum reliquit: τὸν Πᾶνα οἱ μὲν λέγουσιν υἱὸν Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστόρων, καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα. Ἐπιμενίδης δ' ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτὸν Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα δίδυμος. Ἀρίσιππος δ' ἐν τῷ Ἀρκαδικῷ Διὸς καὶ Νύμφης Οἰνηίδος. Οἱ δὲ λέγουσι διὰ τοῦτο Πᾶνα, ὅτι τῆς ὥρας ὅλης σημεῖόν ἐστι· ὅτι πάντων. ὅθεν καὶ εὐφραδεύεται Πάν. id est, *Quidam dicunt Panа filium esse Penelopes & omnium procorum, ideoq; Pana dici. Epimenides verò in suis poematis, Iouis & Callistonis Pana & Arcadem gemellos esse. Item Aristippus in Arcadiaco Iouis & Oeneidos Nymphæ. Alij deniq; dicunt propterea Pana vocari, quòd pulcra vniuersitatis sit imago, vnde propriè Pan appellatur:* quod potes ex hoc Scholiaste repetere, vel ex Seruio in 2. Eclog. Virgil. ad hunc locum, vt puto:

Pan primus calamos cerâ coniungere binos
Instituit: Pan curat oues ouiumq; magistros.

è Græco ferè ad verbum expressum. Ita verò caprarius in hoc Idyllio describit Pana:

Οὔ σέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ σέμις ἄμμιν
Συρίσδην τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· ἦ γὰρ ἀπ' ἄκρας
Ταύνας κεκμακὼς ἀμπαύεται, ἐντί γε πικρὸς.
Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

O pastor, non fas est nobis sub meridiem, non fas est nobis
Canere fistulâ: Panа metuimus: Ille enim de venatione
Tum fessus quiescit: est q; amarus:
Semperq; illi acris bilis in nare residet.

Vnde φόβος Πανικὸς καὶ θόρυβος, *metus & terror Panicus*, pro repentino & subito. Est prætereà memorabilis scriptio Plutarchi de hoc Deo in libello de defectu oraculorum. Hæc sunt à Græcis tradita de Pane. E Latinis deinde Cicero 3. de nat. Deo. scribit eum fuisse filium Mercurij & Penelopes.

Cui nigri colles Arcadiæ placent.] Vnde à pastore Virgiliano dicitur *Pan Deus Arcadiæ.* Nigri sunt colles à densis syluarum vmbris & lucis opacis. Arcadia vnde & quot modis dicatur, sic ostendit Eustathius in Perieg. Dionys. ad versum: Ἀρκάδες Ἀπδανῆς &c: cuius interpretatio est: *Sciendum autem est, Arcadiam ab Arcade Iouis & Themistonis filio nominatam, quondam Pelasgiam vocatam, & Parrhasiam & Lycaoniam & Gigantida & Azaniam, & propter antiquitatem Arcadas dictos Proselenas, tanquam eos diceres cum Lycophrone ante lunam ortos.*

Calibus.] Cales fuerunt populi prope Falernos & Masicos.

Cliens.] De hac voce vide Oden 18. lib. 2.

Nardo.] De generibus nardi vide Dioscor. ca. 6. & 7. lib. 1. & de vnguento nardino eiusdem libri capite 76. πάντα ἀνώδη ἄχαρ, *Omnia valde bene odorata.*

Merebere.] Merere dicitur propriè, qui vel pro re vel pro opera solet accipere stipendium. Inde merces nominatur. Hinc ad quamlibet permutationem transfertur: vt hîc Virgilius iocosè dicitur velut mercari vina Horatij nardino suo vnguento, tanquam pretio.

Onyx.] Ὄνυξ est vox Græca significans propriè vnguen & τὴν ὁπλὴν, vngulum tam quadrupedum, quàm auium. Est quoq; Plinio lib. 37. cap. 6. gemma, & eidem lib. 6. cap. 7. genus marmoris dictum ὀνυχίτης, καὶ ἀλαβαστείτης, Dioscoridi lib. 5. cap. 153. Ex quo fiebant pocula ὄνυχες & pyxides & alabastra vnguentaria, cuiusmodi hîc intelligitur & apud Propertium lib. 3.

Sit

Sit mensæ ratio noxæ, inter pocula currat:
Et crocino nares Myrrheus vngat onyx.

Idem,

Cui dabitur Syrio munere plenus onyx.

Item Martialis,

Vnguentum fuerat, quod onyx modo parua gerebat.

Vides hîc esse dubij generis.

Sulpicijs.] Frequentissimus est vsus primigeniorum, pro aliunde ortis, vt huius pro Sulpicianis & anteà Romulæ pro Romuleis.

Cadus accubat.] Hoc verbum sæpiùs, vt reliqua simplicis *cubare* synthesis, *accumbere*, *discumbere*, *recumbere*, de assessione epulari solet dici, sicut ex his patet auctoribus, *Terentio* Act. 4. Scen. 5. *Ac dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè sobrius!* Virgilio Æneid. 1. *Tudas epulis accumbere Diuûm.* Cicero 2. de inuentione. *Cœnati discubuerunt.* Idem 3. Verr. *Maturè veniunt, discumbitur.* Gallicè *On s'assiet à table.* Ex hoc etiam poeta Epistol. 5. *Si potes Archaicis conuiua recumbere lectis.* Hîc tamen sumitur pro situ & positione rei cuiuslibet.

Horreis.] Horrea pro cellis vinarijs etiam sumuntur, quæ dicebantur Sulpicij Galbæ, & à Iosepho Scalig. συνεκδοχικῶς, videntur explicari comment. & castig. in lib. 5. Manilij ad versum. *Seminibusq; suis cellas atque horrea præbent*, vbi scribit: *intelligit publica horrea, qualia erant horrea Sulpicia, & quæ in singulis regionibus Vrbis ponit Sex. Aurel. Victor, quibus curatores præficiebantur.* Ex hoc, inquam, loco facilè intelligimus, horreum tam esse huic Poetæ τὸν οἰνῶνα ἢ ἐλαιῶνα, quàm ἀποθήκην, *cellam & apothecam tam vinariam & olearium, quàm granariam.* Sic locus capite 13. vers. 30. apud Euang. Matth. τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου. id est, *Triticum verò cogite in horreum meum*, habet nomen generis ἀποθήκη, quo significari solet rei cuiuslibet receptaculum, pro speciei nomine, quod hîc cernis in interpretatione.

Largus donare, &c.] Pro hoc Plautus dicit, *largus opum* & Silius Italicus. *Largus mercandi.* *Cadus* autem dicitur largus spes donare nouas, pro quo dicetur Epi. 5. lib. 1. *Ebrietas spes iubet esse ratas.* Item pro *efficax eluere*, orator dicit ad eluendas curas, vt alibi loquitur, curas soluere Lyeo, pellere vino, dissipare, summouere, eximere.

Amara curarum.] Enallage rectionis pro conuenientia, pro amaras curas. Hoc genere syntaxeos valde delectatur Tacitus, lib. 3. Annal. *Tiberius per literas castigauit obliquè patres, quòd cuncta rerum ad principem reijcerent.* Et lib. 4. Annal. *ac fortè illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum auxit vana rumoris:* atq; paulò pòst, *obiectu montis sæua ventorum arcentur.*

Immunem.] Immunis dicitur sine munere, id est, symbola, Græcè ἀσύμβολος, quam vocem fecit Terentius in Phorm. Latinam, *Téne asymbolum venire vnctum, atq; lautum è balneis?*

Possumus autem tria conuiuiorum genera ex Homero colligere Odys. α.

Τίς δαὶς; τίς δ' ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο; πίπτε δέ σε χρεὼ
Εἰλαπίνη; ἦε γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ὄσσα.

Hęc verba sunt Mineruæ ad Telemachum ex ipso percunctantis. *Quæ epulæ? quæ etiam hæc turba? quid tibi opus est conuiuio publico; an nuptialis cœna? quoniam non est cœna collaticia.* Eiusdem Poetæ Odys. λ. hæc tria coniunguntur.

Ἦ γάμῳ, ἢ ἐράνῳ, ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Hic vmbra Agamemnonis refert Vlysi suũ exitium, ita me Ægisthus occidit, vt aliquis sues in viri locupletis, *aut nuptiali conuiuio, aut collatitio, aut cœna exuberãti.* Definitur præterea ὁ ἔρανος ἢ ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς, ἤγουν καταβολῆς καὶ δαπάνης δαῖτα, id est, *conuiuium è communi collecta, vel solutione & sumtu communi:* dicitur ἀπὸ τοῦ συνερᾶσθαι καὶ συμφέρειν ἑαυτοῖς, *à coniunctione amoris & vtilitatis.* sicut εἰλαπίνη definitur ἡ δαῖτα πολυτελὴς: ἐν ᾗ κατ' ὀλίγας ἢ ὁμοῦ εἰλούμενοι πολλοὶ ἔπινον. *conuiuium magnificum, in quo gregatim & in gyrum multi simul compotabant.* Alij tamen ἀφ' τὸ λαπάζειν καὶ ἐκκενοῦν καὶ ἀναλίσκειν τὴν ἐν αὐτῇ παρασκευήν, *à lingendo, euacuando & consumendo illius apparatu.*

Nigrorum ignium.] Hic locus citatur à Seruio in verba 4. Æneidos.

Sequar atris ignibus absens,

Explicans ex Vrbano, occidam me & rogalibus te persequar flammis.

In loco.] Sic Terent. in Heaut. Act. 4. Scen. 1. dicit, *obsecundare in loco*, quod est Donato, omnia ad alterius nutum facere, Gallicè, *obeir bien à poinct.* Quidam *in loco* exponunt ἐν καιρῷ, *in tempore* permutatione categoriæ ἀπὸ τόπου εἰς τὸν χρόνον.

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile metro 6. lib. 1.

[a] Per synecdochen generis pro velis.

[b] Idem tropus pro hirundine Progne.

[c] Altera est synecdoche, sed speciei pro genere regum Athenienſium, vel potiùs Atticorum, quamuis nec hi, sicut nec hæ sorores, genus duxerint à Cecrope primo rege Athenienſium.

[d] Alia est synecdoche generis pro incestu, quem parricidio Progne vindicauit.

[e] Idem est tropus pro his, quos Græci dicunt μηλοφύλακας ἢ μηλονομεῖς, ποιμένας ὀΐων ἀλλὰ βοῶν καὶ ἀγροφῶν.

[f] Dicitur per synecdochen generis, pro, Pana delectant, vt *nigri colles* pro Lyceo & Mænalo.

[g] Metonymia efficientis pro effecto & inuento vino. Eadem est in *Calibus* pro Caleno vino.

[h] Synecdoche quoq; est generis pro Claudio Tiberio & Druso priuignis Augusti, quorum Virgilius cliens erat, & à quibus donatus fuerat nardi pyxidio.

[i] Hoc verbum propriè vsurpatur in liquidis rebus. vt elicere aluum, pluuias, fontem, sudorem, lacrymas, vt hîc etiam, sed per metonymiam subiecti, pro exhaurire & depromere ex cado vinum illic conditum. Præterea in *Onyx eliciet* metaphora est ab animata re ad inanimam, cui tribuitur motus, tanquam diceret: Onyx nardi causſa mihi erit, cur tibi relinam meum cadum vini Caleni. In *accubandi* verbo similis est metaphora satis nota, vnde sumatur.

[k] Metonymia est effecti pro causſa, potione vini Caleni.

[l] Iocosa est metaphora, tanquam ad mercatum quendam indictum, sic ad epulas Horatij eundum sit Virgilio.

[m] Sumtum est ab infectoribus, quomodo Græci dicerẽt etiam ἐκ τοῦ μελετᾶν τὰ τοῖς πόμασι πήγνυμι, vnde hoc Latinũ, ἢ βάπτειν ἢ βρέχειν, *tingere, imbuere, irrigare:* quod ἰδίως dici potest, πυκάζειν τὰ κυκλοῤῥοῦντος.

[n] Synecdochica est periphrasis mortis, quæ rogo & busto, vel flammis rogalibus ac lugubribus significatur.

[o] Sumtum est à maturitate frugum, pro, salutare est homini feria cum iocis in tempore commutare.

Ode XIII. In Lycen.

Theticum.

Quòd frustra & turpiter pònitur opera & studium in pristina & naturali venustate & pulcritudine corpori senili restituenda, fucato nitore & cultu ad superbè lasciuiendum comparato.

1 Vdiuêre, Lyce, Dî mea vota: Dî
Audiuêre, Lyce, sis anus, & tamen
Vis formosa videri:
Ludisq;, & bibis impudens:
Et cantum tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. 2 Ille [b] virentis &
Doctæ psallere Chiæ
Pulcris excubat in genis.
Importunus enim [c] transvolat aridas
Quercus, & refugit: [d] te quia luridi
Dentes: te quia rugæ
Turpant & capitis [e] niues.
3 Nec Coæ referunt iam tibi [f] purpuræ,
Nec clari [g] lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
4 Quò fugit [h] Venus heu? quóue [i] color decens?
Quò motus? quid habes illius, [k] illius,
Quæ [l] spirabat amores?
Quæ [m] me surpuerat mihi:
5 Felix post Cynaram, notaq;, & artium
Gratarum [n] facies? sed Cynaræ breues
Annos fata dederunt:
Seruabitur diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Possent vt iuuenes visere [o] feruidi,
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

Analysis Dialectica.

VIdetur Poeta Deos auctores facere Lyces à iuuenibus iam contemtæ, & ita pristinam illius duritiem & superbiam vltos esse & crudelitatem, quam in se, dum ipsius forma vndiq; expleta & perfecta erat, arroganter adhibuerat, nullis precibus exorabilis, vt apertiùs dictum est Ode 10. l. 3. quæ fuit prænuncia huius mutationis. Sic igitur argumentum erit ab efficientibus, quarum effectus est senectus: quæ quidem per se laudabilis est & honesta, sed multò magis honestis studijs superiorum ætatum stipata, & actionibus ipsi conuenientibus declarata, sicut à Sapiente 16. cap. prouerbio. discimus, *cana senectus est corona gloriæ*, quæ reperitur in vita iustè & sanctè acta. Verùm in hac meretrice vehementer vituperanda & exagitãda, vt hîc fit à Poeta ex loco diuersorum: quia, quamuis Lyce iam facta sit anus, vim tamen naturæ studet inferre, dum lasciuiam consectatur quasi recocta more Peliæ, quomodo Lucillius lib. 2. Epigr. Græcorum in Heliodoram fecit.

Λείβεταί σε λέγουσι πολιὸν χρόνον Ἡλιοδώρα,
Γραῖαν ἐπὼν ἑκατὸν μὴ καταλυομένην
Πλιὼ ἔγνωκα, πίνω ποιεῖς χάειρ' ὡς ὁ παλαιὸς
Ἐλπίζεις Πελίας ἐψομένη νεάτου.
Lauari te ferunt diu, ô Heliodora,
Anum centum annorum non cessare.
Noui tamen, in cuius gratiam facis: speras enim
Te more senis Peliæ recoctam repubescere.

Ita Lyce ludos puellares, compotationes, cantilenas, cultus luxurioſos, aliasq; voluptates amatorias architectatur: quæ sunt à dignitate & moderatione senilis ætatis longè diuersa: ideoque videtur optimi cuiusq; esse, vt illam vehementer increpitet & incuset, ἐξ πὶς αὐτῆς ὀλισθώπην ῥυτίδας, *& ipsius irrideat rugas*, atq; adeo prouerbium eidem obijciatur, Γεῦυς, ὡς πς ἵππῳ, τὸν χαλκιδαῖον τάφον ἕξεις, id est, *Tu vetula, valde imam habebis fossam, instar inutilis equæ ac ejectitiæ.* Ea vis est præsentis argumenti.

2 Locus est è subiecto: τὸ γὰρ ὑποκείμενον, ait Aristoteles, ποιεῖ τὴν αἴθησιν, id est, *subiectum*, vel vt Cicero loquitur, *visum obiectum mouet sensum*, imprimitque & quasi signat in animis speciem sui. Illud quidem certè verum est. Quũ enim res obiecta placet suâ pulcritudine sentientibus; tum illa sensus titillat & excitat: contrà si suâ deformitate ijsdem displicet, sensus obstruit & labefactat. Hæc autem duo obiecta explicantur ex aduersis hoc modo: Iuuenes delectantur puellâ florenti ætate formosâ, psallendi peritâ: contrà offenduntur anu rugosâ, luridâ, cantandi imperitâ.

3 Poeta mulieris hypocrisin indicat apertè ὅτι τῆς ἀδυναμίας ὑπόθεσιν τῷ ποιεῖν, *quæ se ex vetula facere adolescentulam putat elegantiâ ornatus*, gemmarũ & monilium fulgore, & fucato nitore, quum frustra inducatur tenti pellium, vt rugæ extendantur in ore, atque forma senio iam perdita, minimè possit recuperari, nec anni præteriti referri. Cum huiusmodi meretrice Ieremias comparat Iudæam cap. 4. ad finem:

Tu verò regio populi vastandi quid facis, quòd induis te dibapho, quòd ornas te ornatu aureo, quòd laceras fuco tuos oculos? in vanum reddis te pulcram: respuunt te amasij.

4 Hîc argumentatur è distributione partium perditæ formæ: à quibus ad totum sic disputat: Tibi periit venustas, color, motus decentes, vis amandi efflata & exstincta est, ars alliciẽdi iuuenes in amorem, totus deniq; vultus ad voluptatem cõpositus: deformis igitur es, & frustra in deformitate fuco delenda laboras.

5 Aliud est argumentum è collatione maiorum. Felix quidẽ es multitudine annorum: at Cynara hoc te felicior: quòd breuiùs viuendo vitârit ludibrium rugarum & canorum: quæ amplificatur ex aduersis. Hæc breuissimâ traduxit vitam: quorũ pars altera rursus augetur collatione parium: Tam lõgam ducis vitam volentib. fatis, quàm annosa cornix (quæ tamẽ hyperbolica cõparatio valet ad maiorẽ irrisionem) cuius comparationis αἰσχύνη declaratur ex adiuncto iuuenũ risu plurimo de vitio deformis Lyces: vt ipsius vita longa sit loco supplicij grauioris, & quantò illa longior, tãtò fuerit hoc grauius. Diuturnitas aũt huius supplicij potest illustrari similitudine Plutar. in libello de sera numinis vindicta: quẽadmodũ Herodicus Selymbrianus, quum in phthisin morbum incidisset immedicabilem, exercitationem q; medicinæ primus, vt Plato ait, immisc uisset,

miscuisset, sibiipsi, cæterisq; laborantibus ægrotatione simili, multò prolixiorem reddidit mortem: ita scelerati, qui præsentem existimantur effugere pœnam, non post multũ temporis, sed multò in tempore, vindictam, non quidem tardiorem, sed admodum prolixiorem sustinent & producunt, neq; senescentes corripiuntur, sed etiam cruciatu assiduo senescunt.

Enarratio Grammatica.

Audiuêre.] Id est, admiserunt meas preces, atque his assensi sunt. Ita Donatus explicat in Eunu. Act. 2. Scen. 3. ad vers. *Pro illo te ducam.* CH. *Audio, id est, libenter hoc admitto & consentio.* Sic Græci τὸ ἀκούειν pro assensionis verbo sumunt: vt Sophocles in Aiace: Τῆς ἀκούσασ' λέγω, τῆδ' ὅτι, πειθομένοις, id est, *recita persuasis & consentientibus.*

Lyce.] Si quis coniecturæ locus relinquitur, Lycem puto deflecti ἀπὸ τοῦ λύκος, & explicari posse λύκαιναν, *lupam:* quâ voce Plautus vtitur pro meretrice in Epidico: *Diuertunt mores virginis longè ac lupæ*, id est, mores virginis ac meretricis multum differunt.

Fu anus.] Est hîc ellipsis alterius discretiuæ, *quanquam* vel *etsi* sis anus & rugosa; vis tamen puella formosa videri. Hic locus videtur iure Mureto lib. 11. Var. lect. depromtus ex Aristophanis Ἐκκλησιαζούσαις, vbi anus quædam inducitur sub finem Comœdiæ idem præstans, quod hæc Lyce Horatij:

Τί ποτ' ἄνδρες ἀχθόμεσθα; ἄρχε δ' ἤδη πάλαι.
Ἐγὼ δ' ἀναπεπλασμένη ψιμυθίῳ
Ἐσήκα, καὶ κροκωτὸν ἠμφιεσμένη
Ἁρμοστικῶς τυρομένη πρὸς ἱμάντα πῶς μέλω;
Παίζουσ' ὅπως ἂν πειλάβοιμί τινα
Παειόντα. Μῶσαι δεῦρ' ἴτ' ἐπὶ τ' ἐμὸν στόμα,
Μελύδριον ἀείσαι τι τῶν Ἰωνικῶν.

Quid, tandem viri non venient? iam diu præteriit hora. Ego autem illita cerusâ steti & veste croceâ induta alba, cantillans mecum melos, ludens, vt aliquem ipsorum comprehendam accedentẽ. Musæ venite ingerentes ori meo carmen aliquod Ionicũ.

Formosa.] Seruius in vers. Æneid. 8.

In numerum, versant q; tenaci forcipe massam.

Forceps, quasi foruicapes, quâ quid foruum tenemus: nam foruum est calidum: vnde & formosos dicimus, quib. calor sanguinis ruborem pulcritudinis creat. Potest tamen forma dici etiam fortasse ab ὅρμη, spiritu denso in digamma Æolicum verso. Nam quæ sunt feruida, solent impetu celeri citari, vt de rotis feruidis dictum fuit Ode 1. lib. 1.

Cupidinem.] Hic parui refert, vtro hanc vocem accipias modo, pro Deo ne amoris, an pro affectu ipsius, qui senio relanguescẽte vix, ac ne vix quidem, excitari potest: vnde versus apud Athenæum:

Οὐδὲν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νδῷ ἔχῃς, quem Martialis sic reddidit:

Quum sit anus coniux & sint tibi mortua membra,
Non aliud, bulbis quam satur esse, potes.

Ille virentis.] Hic locus ex Antigone Sophoclis circa medium, vbi chorus deplorat casum Æmonis, qui paternum consilium postposuit Antigones amori, desumtus est.

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
Ὃς ἐν μαλακαῖσι παρειαῖς
Νεανίδος ἐννυχεύεις.

O amor pugnâ inuicte, ô Cupido qui etiam opes consectaris, qui in teneris puellæ genis semper resides per nox. Sin de ipso Deo intelligis; non dici potest lentus & tardus, nisi ratione Lyces anus, quum fingatur ales valdè pernix.

Psallere.] Verbum est è Græco factum ψάλλειν, ὅπερ μυείως λέγεται ὅτι τῶν νεύρων καὶ χορδῶν τῆς λύρας, & hoc deflectitur ἀπὸ τοῦ ψαύειν, quod est tãgere & contrectare. Ita τὸ ψάλλειν Suidas declarat τὸ τοῖς ἀκροτῶν δακτύλων ἅπτεσθαι τῶν χορδῶν, id est, *summis digitis chordas tangere:* vnde sunt illa Poetarum, non didici chordas tangere, fides mouere, chordas impellere: atq; tam de tactu fidiũ, quàm neruorum pulsu arcus intenti dici solent. Ex hoc Homeri loco, quem Od. præcedenti citaui de hirundine, potest intelligi, qualis sit sonus Psalmi, quum chordæ dicuntur similiter garrienti hirundini sonuisse, vbi Scholiastes annotat, χελιδὼν ᾄδει μὴ ἐκτεταδήν, ἀλλὰ κατὰ τὴν κόμμα, *hirundo canit non extensè, sed concisè, vt fit sonus neruorum,* quum hos quis impellit, quod est ψάλλειν, ψαθυλλῶν καὶ ψηλαφᾷν. quod Ouidius in Philomela exprimere videtur, *hirundo trinsat,* χελιδὼν ῥοιζεῖ.

Chiæ.] Chia nomen puellæ est, ab insula Chio maris Ægei dicta.

Importunus.] De vi huius vocis vide annotationem in 16. Oden lib. 3.

Luridi.] Luridi propriè hîc dicitur, pro summè pallidi obscureque nigrescentes, vt Epodis 17. *reliquit ossa pelle amicta luridâ.* Metonymicῶs autem apud Ouidium 1. Metamorph.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ, id est, reddentia valdè pallidos & exanimes, & Ode 4. lib. 3.

Maretq; vi artus fulmine luridum,
Missos ad Orcum:

Vbi vis huius vocis plenè explicata est.

Turpant.] Ex annotatione Donati in Hec yr. Act. 2. Sc. 1. τὸ *turpare* ad honestum corporale refertur, vt dedecorare ad absolutè honestum, id est, animi, vt Ode 4. huius lib. iam notatum fuit: hoc autem Græcè dicitur, ἢ φαλακρότης καὶ πολιότης καὶ ῥυσότης τὸ σῶμα αἰσχύνει.

Coæ.] Deflectitur à Cos vel Coa insula finitima Eubœæ è regione Cariæ, nec procul à Mileto, vbi vestes è subtili bombyce texebantur. Propertius,

Et tenues Cœæ veste mouere sinu.

Vbi notandum est, deflecti in eadem notione adiectiua Cœus œa, um, & Cous, a, um. Plinius lib. 2. cap. 22. & 23. de generibus bombycum & bombyce Coa scribit: *quam in Cœo prima inuenit redordiri rursusq; texere mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis vt denudet fœminas vestis:*

Fastis.] Significat librum Annalium, vbi res gestæ & domi & foris quotidie scribebantur.

Habes illius.] Intellige Lyces, quæ spirabat, id est, attrahebat spectatores in sui amorem.

Cynaram.] De Cynara vide Epist. 13. ad villicum li. 1. & 7. ad Mæcenatem: per ellipsim substantiui, vel faciei vel ætatis pristinæ, vt sit, *quid habes illius pulcræ olim puellæ*, locus intelligendus.

Surpuerat.] Syncope syllabæ, *ri*, pro *surripuerat.*

Gratarum facies.] Pro facis composita ad capiendos gratis artibus spectatores.

Seruatura.] I. fata sinent te in vltionem pristinæ superbiæ degere vitam annosæ cornicis, vt diuturniori sit tua deformitas ludibrio: sic Sophocles de bello scribit, πόλεμόν γὰρ οὐδεὶν ἄνδρ' ἐκὼν ἄρει πονηρόν, ἀλλὰ τὸν χρηστὸν ἀεί. *nullum enim bellum consultò tollit è medio improbum hominem, sed bonos semper:* quòd ille indignus sit quiete: hi contrà dignissimi habeantur sempiternâ felicitate. Sic Oppianus l. 3. de venatione facit cornicem longæuam.

Ἀετόεντα φύλα πολύζωοί τε Κορῶναι
Aquilarum genera & annosæ cornices & viuaces,

Arato est Κορώνη ἐννεαγενίς, *cornix nouem ætates viuens.*

Explicatio Rhetorica.

GEnere metri conuenit cum 5. lib. 1.

Hæc repetitio soni eiusdem in locis alter-

nis efficit ἐπάνοδον, regressionem auribus periucundam & coniunctam cum insultatione & cauillatione canentis & commotione audientis.

b Metaphora est à teneris plantis, quæ dicuntur χλοάζειν, sicut *excubat* à vigilibus præsidiarijs arcium & castrorum, qui pernoctant in opportunitate temporis habenda, quo vel hostes incautos adoriantur, vel parati aggressos excipiant, propulsent, conficiant.

c Breuis est allegoria è metaphoris, pro, siccos senes fastidit.

d *In te quia* anaphora est initio incisorum.

e Metaphora est αἰπὺ πολιότητος, pro canitie.

f Metonymia est materiæ pro vestibus purpureis & murice infectis.

g Synecdoche est generis pro gemmis.

h Metonymia causſæ pro venustate & gratia oris & pulcritudine, quæ defloruit. *Heu!* exclamatio est pathetica εἰρωνικῶς dolentis.

i Sumtum à pictoribus, pro pulcritudo.

k In *illius*, *illius* est Epizeuxis continua eiusdem soni iteratio, ad contumeliam grauiorem, quam quidem figuram nonnulli dicunt τὴν ἐπιπλοκὴν implicationem, non satis aptè ad continuam eiusdem soni iterationem, in eadem sententia.

l Metaphora est ab aura tenui vel ab odoratis plantis pro, apperebat amari, vel allicie bat in amorem spectantes, quasiq; diuinum odorem spirans eos afficiebat: Sic Virgilius: *Ambrosiæq; comæ diuinum à vertice odorem Spirauêre*, id est, efflauere quo tropi genere Homerus describit Achiuos lib. Iliad. ω.

Ἐξέσσυτο μένεα πνείοντας Ἀχαιούς

Metuerunt Achiuos concitatum animi impetum spirantes & pugnam anhelantes. Gallicè *qui ne demandoyent, que à combatre.*

Sic Diuus Lucas loquitur actorum Apostol. cap. 9. ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου εἰς τοὺς μαθητὰς τοῦ κυρίου, id est, *Saulus autem adhuc spirans minas & cædem aduersus discipulos Domini.*

m Synecdoche est integri pro membro, quæ mihi furtim animum abstulerat & in se conuerterat.

n Idem tropus videtur pro forma omnibus his partibus instructa; splendidis ac flagrantibus oculis, læui fronte, ore nitido, vultu ad hilaritatem, reliquoq; corpore ad nutum, risum, & gestum composito, labris rubentibus, puniceis genis, supercilijs remissis, dentibus niueis, ac reliquis denique ad gratiam naturâ factis.

o Altera est breuis allegoria è metaphoris ab igne, ad adolescentiam Lyces eximiam, quæ olim incendebat spectantium oculos, sed nunc est corrupta & exstincta instar cineris inertis.

Ode XIIII. Ad Avgvstvm.

Theticum.

Nullum elogij, nullum monumenti genus excogitari posse, quod meritis Augusti in Remp. & virtuti queat respondere.

[1] *Væ* [a] *curæ* [b] *patrum, quæue* [c] *Quiritium,*
Plenis honorum muneribus tuas
Auguste virtutes in æuum
Per titulos memoresq; fastos
Aeternet? [2] *O quà* * *sol habitabiles*
Illustrat oras, maxime principum,
[3] *Quem legis expertes Latinæ*
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. [d] *Milite namque tuo*
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Brennosq; veloces, & arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
[c] *Maior Neronum mox grauem prælium*
Commisit, immanesq; Rhætos
Auspicijs pepulit secundis:
[4] *Spectandus in certamine Martio,*
Deuota morti [f] *pectora liberæ*
Quantis fatigaret ruinis:
[5] *Indomitas propè qualis undas*
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes: impiger hostium
Vexare turbas & frementem
Mittere equum medios per [g] *ignes.*
[6] *Sic tauriformis volutur Aufidus,*
Qui regna Dauni præfluit Appuli:
Quum [h] *sæuit horrendamq; cultis*
Diluuiem meditatur agris:
Vt barbarorum Claudius agmina
[i] *Ferrata vasto diruit impetu:*
Primosq; & extremos [k] *metendo,*
Strauit humum, sine clade victor:
[7] *Te copias, te consilium & tuos*
Prabente [l] *Diuos.* [8] *Nam tibi, quo die*
Portus [m] *Alexandrea supplex*
Et vacuam patefecit aulam,
[9] *Fortuna lustro prospera tertio*
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemq; & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit:
[n] *Te* [o] *Cantaber non ante domabilis,*
Medusq; & Indus, te profugus Scythes
Miratur! ô tutela præsens
Italiæ, dominæq; Romæ!
Te fontium qui celat origines
Nilusq; & Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non pauentis funera [p] *Galliæ,*
Duraq; tellus audit Iberiæ:
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Analysis Dialectica.

INitiò Poeta ostendit, laudem Augustani nominis, quæ solùm memoriâ hominum circumscribitur, ac terminatur, non esse satis ad ipsius virtutem, prodignitate ingentium eiusdem in Rempub. meritorum illustrandam.

ſtrandam. Argumentum autem eſt è collatione minorum, quod hoc modo enunciatur: Omnia omnino honorifica monumenta, ſtatuæ, trophæa, triumphi, faſti, annales, & quęcunque poſſunt magnificè de eo vel dici vel ſcribi, longè inferiora illius virtute ac meritis in Remp. exiſtimantur. Hoc certè argumentum meo iudicio, ita videtur eliciendum è tacita ſubiectione interrogationis.

2 Ex eadem Categoria argumentum eſt: quòd Auguſtus cunctis principibus, qui partes orbis habitabilis incolunt, virtutem multò antecedat.

3 Aliud ex attributa Auguſti potentia incredibilique ipſius ac ſuorum virtute & exercitatione in armis: quæ confirmatur victoriâ, tanquam teſtimonio publico, de tot immanibus victis populis: quorum hîc recẽſetur quidam Catalogus. Primi teſtes talis potentiæ ſunt Vindelici, Genauni & Brenni à Druſo plus quàm ſemel victi: deinde Rhæti à Tiberio, fratre Druſi natu maiore, vt Paterculus & Suetonius narrant. Ita tamen tractantur hæc teſtimonia, vt & victi & victoriis conditio aliis poſteà declaretur argumentis: quod ille incredibili fuerit immanitate, celeritate & locorũ munimento ſeptus: hic verò admirabili induſtriâ efficiendi, quicquid placuiſſet.

4 Efficientia amplificatur, quòd ſingularis illius virtus ſpectata fuerit in Rhætis domandis, viris mortem contemnentibus.

5 Eiuſdem virtus ſimilitudine augetur, quòd vt Auſter fluctus tollit in cælum æquoraq́; iactat ſub ortum Pleiadũ: ſic Claudius hoſtes agitauit & exercuit.

6 Idem declaratur eodem argumenti genere ad indicandum, quo impetu Tiberius *irruerit* in hoſtes: ſed hîc notandum, particulam *Sic* in protaſi collocari, cui tamen ſæpiùs & apertiùs eſt locus in apodoſi: itaque hoc pronunciandum videretur: Vt Auſidus flumen longè ſonans ſata & culta vaſtat: ſic Tiberius turmas hoſtium proſternit. Nam qui vicerat alienis auſpiciis, quamquam id ductu euenisſet ſuo, non tamen olim Imperator ſalutabatur, nec illi decernebatur triumphus: quod aſſentatione Poeta tribuit hîc *Auguſto* principi ſuo: qui, vt cõſueuerat auſpicia ſibi ſeruare, ſic honorem rei à ducibus ſuis aut legatis geſtæ ſumere omnem: quod poſtea Tiberius eſt imitatus, vt legimus ſub initium l. 2. Annal. Corn. Taciti *Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem ſalutauit*: qui honos videbatur ad Germanicum pertinere, vt facti ducem & auctorem. Idem ius Rex Gallorum Henricus ſecũdus ſibi merito arrogauit contra inanem factionis Guiſiacæ iactantiam de Caleti expugnatione ipſi debita. Quid (quæſiuit prudenter rex ab ea ſumente ſibi & vendicante gloriã talis expugnationis) debetur homini inuitè aliquid aggreſſo, nec ad id, niſi magno mei conſilij & auſpicij impulſu profecto?

7 Alia ratio eſt è principe cauſſa tantæ victorię, cuius laudem facit ſolius Auguſti propriam.

8 Iam videtur maiorem huius victoriæ partẽ Fortuna, vt ſuprema, Ethnicorum opinione, cauſſa, ſibi vindicare, à qua tantam potentiam, tantum cõſilium, tamque fideles priuignos, Tiberium & Druſum, acceperat Auguſtus. At Chriſtiani talia beneficia veriſſimè tribuunt vni viuenti Deo, potentiſſimo ac ſapientiſſimo conditori & conſeruatori mundi, ac patri Domini noſtri Ieſu Chriſti.

9 Alia ratio ex temporis adiunctione: quòd Auguſtus finem bellorum fecit intra 15. annos, Imperiumq́; pacauit Fortuna iuuãte. Hîc quibuſdam videtur Poeta reſpexiſſe ad Iſocratis parenesin Demonico factam, ὃν ἐκέλευσεν ἅμα μὲν θεῶν θεραπεύειν, παρὰ δὲ τοῦ δαιμονίου τυχεῖν, παρὰ δὲ ἡμῶν αὐτῶν βουλεύεσθαι κάλλιστα, i. *exiſtimà rem longè quidem optimam eſſe, conſequi à Deo exitus rerum ſecundos, & à nobis ipſis ſapiens conſilium capere.* Quid autem Orator diſcrepet à Poeta, paucis accipe. Ille nihil eorum quæ felicitèr euenire ſolent, fortunæ fert acceptum, vt hic vates, ſed Deo talem euentum tribuit, & hominibus eruditam adminiſtrandi ſuſceptum negotium ſapientiam tantum relinquit: quod mirè quidem congruit cum ſententia Sirachidæ c. 37. Ἀρχὴ πάντος ἔργου λόγος, καὶ πάσης πράξεως βουλὴ μετὰ πάσι τούτοις δεήθητι τοῦ ὑψίστου, ἵνα κατευθύνῃ ἐν ἀληθείᾳ τὴν ὁδόν σου, i. *Initium omnis operis ſit ratio, & conſilium omnem actionem præcedat: cæterum in his omnibus altiſſimum precare, vt inſtituta tua fideliter dirigat.* Eiuſdem conſilij fuit *Saluſtius* in procemio coniurationis Catilinariæ, *Priuſquam quid facere aggrediaris, conſulito; vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.*

10 Locus eſt ex adiunctis, quòd omnes ferè populi & nationes ex euentis ſecundis paruerint Auguſto, eumque auguſtè & ſanctè venerati ſint: vbi etiam ipſe deſcribitur ex factis: quod Italiam & Romam conſeruet & tueatur.

Enarratio Grammatica.

Patrum, quæve Quiritium.] Docuimus Od. 1. l. 1. qui fuerint Quirites: nunc quoque ex hiſtoria Salluſtij de bello Catilinæ licet diſcere, qui Romæ fuerint patres. *Delecti*, inquit, *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientiâ validum erat, Reip. conſulebant. Hinc vel ætate, vel curæ ſimilitudine, patres appellabantur.* Idem è Dion. Halicarnaſſæo & è Liuio.

Memoresq́;.] Sumendum eſt hoc epitheton ἐνδιατυπωτικῶς, pro, mentionem faciunt rerum priùs actarum & memoriam illarum reuocãt: aliquando παθητικῶς, vt apud hunc Poetam, impreſsit memorem notam, i. quę memoria retinetur.

Per titulos.] Homines excogitârunt titulos & faſtos ad perpetuitatem virtutum & rerum: illi dicuntur à tuenda rerum memoria, & incidi ſolent in ſtatuis, ſignis & columnis, vt hî in chartis & libris & annalibus ad finem eundem, vt epithetum, *memores*, indicat.

Aeternet.] Aeternare eſt immortalitati commendare, & ad omnem æternitatem conſecrare: & dici videtur ab æuo terendo, vt primigenium, *æternum*, vt, Deo fauente, perſpicuum fiet Epiſt. 10. l. 1. ad verb. *Seruiet æternum, &c.*

Habitabiles.] Vt olim creditum eſt, mediam plagam ſub æquatore fuiſſe inhabitabilem, & id poſteà à Ptolemęo & Plinio refutãtum: Sic arcticam & antarcticam, quamuis rigore & æſtu incommodas, tandem habitari nauigatione compertum eſt. Non equidem arbitror vllum vnquam fuiſſe terræ angulum, vbi non nata fuerint animalia illius cæli patientia, eiusq́; aura ipſis ſiue hominibus ſiue beſtiis fouendis & ſuſtentandis commoda. Huius autem ſententiæ argumento eſt non etymum vocis Latinę, ſol, de qua dictum eſt alibi è l. 2. de nat. Deor. ſed Græcè ἥλιος, quam Plato in Cratylo prætermiſſis duobus aliis veriuerbiis tradit dictam παρὰ τὸ ἀεὶ εἰλεῖν, *quòd ſemper voluatur circa terram* perpetuo quodam curſu.

Quem didicêre.] Helleniſmus eſt, qualis eſt in Thrac. Sopho.

Φέρσον φίλη δέσποινα τόνδε, τίς ποτ' ἔστιν ὁ ξένος;
Dic ô cara domina hunc, quis tandem eſt hoſpes?

ſic Eunuch. 4. 3. ego illum neſcio, qui fuerit. Si enim dicerem: Scio te, quid poſsis, pro εἰδὼ σε, τί δύνῃ, Latinitas non ferret. Terent. tamen per negationem rectè dicit, non latis me pernôſti, qualis ſim.

Latina legis.] Id eſt, qui in ditionem & poteſtatem

Ro manorum nondum venerant.

Vindelici.] De his populis lege Od.4.I.huius: Genaunos autem,vel,vt Strabo vocat, Tenaunos & Brennos hiſtorici ſtatuunt populos inferioris Pannoniæ, quæ dicitur hodie Hungaria & Sclauonia.

Spectandus.] Id eſt, laudandus de tali fortitudine, & probandus. Plinius lib. 3. cap. 20. in gentibus Alpinis recenſendis & in poteſtatem pop. Rom. redactis ponit Breunos inter Alpinas gentes: Suetonius tamen Breucos in Tiberio cap. 9. dicit. De iis vide Strabonem lib. 4.

Deiecit.] Deiicere eſt de ſuperiori loco deturbare, quo ſæpè vtitur Poeta, vt Od. 2. lib. 1. *Deiectum ire monumenta.* & Epiſt. 2. l. 2. *Præſidium regale loco deiecit.* Sic quoque Virg. Æn. 12.

Fulminat Aeneas armis, ſummaſq; minatur
Deiecturum arces Italûm ac veluti æquas ſolo poſiturum.

Vice ſimplici.] Id eſt, non ſemel, quod Galli dicũt, *plus d'vne fois, & deux fois autant.*

Prœlium commiſit.] Pro hoc Virg. 2. Æn. conſerere, Lucret. l. 2. edere prœlium, Cicero, facere.

Fatigaret.] *Pectora fatigare* idem ſonant, atque illa Odes 12. l. 2. *quid animum fatigas?* niſi quòd illud de corporis defatigatione, hoc de ea animi: pectora igitur deſtinata morti pro libertate patriæ, vel quibus ſtat ſententia, vt in libertate vincant, aut pro ea mortẽ oppetant. Ita ſumit Cic. pro domo ſua, *me ac meum caput hac conditione deuoui.*

Exercet.] Id eſt, exagitat, iactat, vrget, quum Pleiades velut conglobatæ afferunt tempeſtatem, &, nubibus ſciſſis ac diuiſis, pluuias.

Pleiadum.] Pleiades ſunt ſeptem ſtellæ in dorſo Tauri, quæ creduntur filiæ Atlantis fuiſſe, quæ Latinè Vergiliæ, à ſignificatione veris, vt Græcè à ſigno nauigationis, ὅτι τὸ πλεῖν, *à nauigando* dicuntur, quanquam alij putant à conferta ipſarum coagmentatione. Paulò aliter Tzetzes initio dierum apud Heſiodum rationem vocis reddere videtur. Pleiades vel à Pleione matre nomẽ ſortitæ ſunt, vel ex eo, quòd in columbas fuſcas, πελείονας ἑλλωισὶ dictas à nigro colore, transformatæ Orionem effugerint: vnde πέλειαι ἢ πελειάδες & concisè πελειάδες, ἢ παρὰ τὸ πέλειν χρησίμως εἰς τὸ σημαίνειν τὸ θέρος καὶ ἀπόρον ἢ ὅτι πλήσιον κεῖν ται περὶ τὸ ἐρχεῖον τοῦ Ταύρου, i. *quòd vtiles ſint ad tẽpus æſtatis & ſationis indicandũ, aut quòd circa caudam tauri ſuum habeant ſitum. Proclus* nominatim illas appellat ibidem *Caleinonem, Steropen, Meropen, Electram, Halcyonem, Majam, Tangetẽ,* & addit eaſdem fabulosè dici, vt principes, nuncias, præeſſe ſphæris Planetarum, primam *Saturni. 2. Iouis. 3. Martis. 4. Solis. 5. Veneris. 6. Mercurij. 7. Lunæ.* De his Heſiodus & Aratus & Cicero l. de nat. Deo. & Maro 1. Georg. & 3. Od. l. 1. De Aufido flumine & Dauno dictum eſt Od. vlt. l. 3. Dicitur autem tauriformis propter Acheloi ſimilitudinem, fluminis omnium Græciæ maximi: quod primum vocatum eſt tauriforme, multarum flexionum & exundationum gratiâ: quæ affectio poſteà cæteris fluminibus attributa eſt: quæ imbribus aucta extra ripas fluerent: vel fortaſſe epithetum eſt referendum ad conſuetudinem tauro faciendi pro fauſto traiectu fluminis, quemadmodum Plutarchus memorat Lucullum feciſſe Euphrati in ipſius vita: vel referendum ad mugitum armẽtorum: quæ propter flumina paſcuntur.

Diluuiem.] Diluuies ac diluuium aquarum pro eodẽ leguntur, vt Græca κατάκλυσις καὶ κατακλυσμὸς· videtur tamen prioribus actio, poſterioribus actum ſignificari: qualis diſtinctio in *poeſis & poema* obſeruatur à Grammaticis. Iſidorus notat diluuium dici, quòd aquarum clade omnia, quę inundarent, deleat: ſed hoc etymum magis arguit efficientiam talis inundationis, quàm vocis rationem.

Meditatur.] Verbum *meditatur* Seru. in 3. Georg. verſ. *Inachiæ Iunonis pœſtem meditata iuuencæ* explicat per, *infert & exercet.* nam & in ipſa meditatione exercitium eſt & hunc locum citat.

Primos & extremos metendo.] Hoc Græci efferunt, κατὰ χόρεσιν πρώτους τε καὶ ὑστάτους τοῦ διαμᾶσαι καὶ διακόπτειν, καὶ τρίβειν. *Vaſto* præterea poteſt ſumi ἐνδημικῶς pro vaſtante & depopulante omnia.

Strauit humi.] Vtraque lectio humum & humi; tolerabilis eſt. Nam *proſtrauit humi corpora* & Liuius dicit l. 9. Gall. *ruer par terre, abattre, ou couurir la terre de corps.*

Sine clade.] Id eſt, ſic victoriam reportauit, vt nulli è ſuis militibus deſiderati ſint. Ita Pittacus docebat, τὰς νίκας δεῖ δὲ αἵματος δὴ πωλεῖσθαι: quæ ſumma eſt laus victoris.

Præbente.] Hæc Suet. expreſsit vno verbo (vt multa alia huc pertinentia) in Auguſto c. 21. domuit auſpiciis ſuis Cantabrum, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiã, & cęteras prouincias per Tiberium Claudium, de quo ſic Ouid. l. 2. de Triſt.

Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas:
Hoſpitium cui das grande Deosq; tuos.

Portus Alexandrea.] Quidam legunt portas, idq; meo iudicio melius.

Alexandrea.] E l. 2. Priſciani diſcimus, vtroque modo dici poſſe, per ſecundam vel tertiam vocalem, vt Antiochia, vel Antiochea, ſicut ex Auſonio de claris vrbibus & ex veteribus nummis cognoſci poteſt. Fuit autem Alexandria caput totius Ægypti: quò ſe Antonius & Cleopatra receperant, ibique victi ſunt, quod accidit 14. anno imperij Auguſtani, & 29. eiuſdem Tiberius domuit Vindelicos & vicinos è chronologia Euſebij. Nam tria luſtra faciunt quindecim annos. Glareani tamẽ chronologia definit olympiadem ſpatium quattuor annorum, vt à Romanis luſtrum vocatur: vbi citatur hîc Poetæ locus, & Acron. Sed è carmine ſeculari & Ode 4. lib. 2. didicimus interpretes falli, quum ibi luſtrũ cognoſcatur eſſe quinque annorum. Nã Auguſtus cum Q. Pedio Coſ. fuit, & ab initio belli, quod hi geſſerunt, ad finem bellorum ciuilium fuerũt duodecim anni, quamuis Porphyrio numeret 15. de quo lege lib. 5. de emenda. tempor. Ioſ. Scalig. Poſt bellum autem Mutinenſe factus eſt finis bellorum & initium pacati imperij.

Arrogauit.] Id eſt, aſſumſit, attribuit, ac peperit, quod Græci dicunt σφετερίζειν καὶ ἰδιοποιεῖσθαι, ſibi vſurpare, ſuũ facere, in ſuum commodum vertere, vt Sat. 4. l. 2. *ſibi canarum artem arrogare:* quomodo Cic. geminat hęc duo in oratione pro Plancio, quibus temeraria ſæpius auctoritas notatur: quàm à ſe illic Cic. remouet: *quãquam mihi non ſumo tantum, Iudices, neque arrogo, vt C. Plancium ſuis erga me meritis impunitatem conſequuturum putem.*

Cantaber.] Noti ſunt omnes hi populi in ditionem imperij Romani redacti ex antecedentibus armis, id eſt, partâ mox vbique terrarum pace. Dominatio & potentia Romæ teſtata eſt Epigramm. lib. 1. cap. 6. εἰς Ῥώμ.

Οὐδ' ἐὰν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμύραν ἐγείρῃ
Οὐδ' ἐὰν Γερμανὸν Ῥῆνος ἅπαν τα πίῃ,
Ῥώμην ἐδὲ ὄσσον βλάψαι δέος, ἄλκιμα κεῖται
Δέξια σημαίνειν καὶ σαρσαλέη.
Οὕτω καὶ ἱερὰ Ζανὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζας
Ἐχουσιν, φύλλων δ' αὖθα χέεται αὔημοι.
Nec ſi Oceanus omnem maris æſtum excitaret;
Nec ſi Germaniam totum Rhenum ebiberet;

Roma

Romæ potentiæ ne tantillum quidem noceret,
Dum fortis manus Cæsari cum imperio manebit.
Sic sacræ Iouis quercus firmis fixæ radicibus stant,
Vt folia ficca tantùm decutiant venti.

Quàm autem latè rex Romanus Imperator esset, loquitur hic versus Ouidij l.2.Fast.

Hoc duce Romanum est Solis vtrumq; latus.

& alio in loco,

Romanæ spatium est vrbis & orbis idem.

Origines.] De fontibus Nili vide Euterpen Herodoti, cui tamen repugnat Ioannes Leo Africanus l. 9.

Nilus & Ister.] Strabo lib.15.quantitatē quatuor fluminum ita describit: Γάγγης μέγιστος τῶν μνημονευομένων χθ' τὰς γῆς ἡπείρους, καθ' αὐτὸν, ὁ Ἰνδὸς, τρίτος ὁ καὶ τέταρτος ὁ Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος, ἐνίοις συμφωνεῖται, id est, *Ganges maximus est fluuiorum memorabilium in tribus continentibus, ab hoc Indus est secundus, tertius & quartus Ister & Nilus, de quo satis inter se Geographi consentiunt.* De origine Danubij & nominis mutatione lege Plinij l. 4. c. 12. Pomp. Melæ lib. 12. c. 1. Strabo lib. 4. de fontibus Istri iuxta Sueuos & Hercyniam Syluam, rectè scribentem, vt de mutatione nominis lib. 7. Aristot. lib. 1. Meteor. cap. 14. hic scribit Istrum & Tartessum diffluere ex monte Celticæ regionis Pyreneo occasum æquinoctialem spectante. Sed Glareanus in commentariis Cæsaris obseruauit Pyreneum esse nomen fontium, qui hodie vocantur *Bryge* & *Brege:* quam vocum appellationem Philosophus ratus esse barbaram ex his fecit Pyreneum montem: sed verius sunt fontes Danubij, quàm fons. *Herodotus* tamen in *Euterpe* & *Melpomene* scribit *Pyrenem* esse vrbem, vnde *Istrus* orsus apud Celtas fluit per mediam Europam. De Nili etymo dictum est obiter in præfatione huius operis.

Belluosus Oceanus.] Ita dicitur Oceanus propter pisces ingentis molis ac prodigiosæ.

Galliæ.] Περὶ τῆς ἀφοβίας τῶν Κελτῶν. de impauidis Celtarum animis lege 3. Ethicorum Aristotelis, & Æliani lib. 12. de varia Historia, qui τοὺς Κελτοὺς vocat ἀνδρώπων φιλοκινδυνοτάτους, *promtissimos hominum ad pericula subeunda.* Non dissimile est encomium Iberorum in periegesi Dionys. quum scribit, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων, *natio Iberorum est magnanima.* quippe quæ sit Germana Celtorum, vt Ode 20. l. 2. ex Eustathio est annotatum. Sic Sallust. de Allobrogibus, *quòd naturâ Gallica gens bellicosa esset:* sic passim ab historicis Græcis & Latinis leges Gallos prædicari.

Duræ Iberiæ.] Hispania, quâ spectat Arctum, montibus aspera est & sterilis, ideoque quidam putant à D. Paulo 15. ad Romanos Σπανίαν vocari διὰ τὸ ἀπάνιον τῶν ἀναγκαίων, *propter penuriam rerum ad vitam sustentandam necessariarum:* sed verisimile est Græcos tempore Apostoli, sic Σπανίαν πεπυλλάβως, vt hodie Itali Spagnia vel Spagniole. Cæteroqui felicitas huius regionis ac fertilitas in compluribus locis à Soliuo c. 37. & à Strab. Plinio, & Iustino l. postremo prædicatur.

Sicambri.] Hi populi hodie appellantur Geldrenses & Cliuenses, & à quibusdam per y in prima notantur vt Ode 2. huius lib. notatum fuit, qui ab Ouidio Epist. ad Liuiam *indomiti* vocantur. Pro hoc *cæde gaudentes*, Græcè αἱματοχαρεῖς, qui iam moribus pacatis & mutatis amicitiam pop. Rom. per legatos postulârunt ait Eusebius, & nunc Αὐγοῦστον σέβονται καὶ ἀδοῦνται, *Augustum nunc venerantur & timent.*

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri simile est 9. l. 1. In hoc autem interrogationis genere latet quidam dialogismus, vbi negata responsio intelligenda est.

[a] Metonymica est allegoria ex adiunctis pro subiectis, qui homines Senatores, aut priuati & plebeij, curabunt Augusti virtutem dignis honoribus prædicandam.

[b] Synecdochica est periphrasis duplex; & Senatorum conscriptorum, & pop. Romani. Ita sæpè Cicero aliique auctores luxuriam, auaritiam, reliquasque animi affectiones ponunt pro hominibus ita affectis.

* Synecdochica periphrasis est vniuersitatis. cuiusmodi locus videatur ad plagas mūdi habitabiles restringi: vbi quicquid est, Augusti creditur esse, quemadmodum Naso cecinit:

—quodcunq; habitabile tellus,
Sustinet, huius erit: pontus quoque seruiet illi.

[e] Alter est metonymiæ modus, vbi auctor ponitur pro inuentis ab ipso armis ac bellis.

[d] Synecd. est vnitatis pro multitudine, i. pro toto exercitu omnibusque copiis Drusi.

[e] Synecdochica est periphrasis Claudij Tiberij.

[f] Altera est synecdoche, sed membri pro toto corpore.

[g] Synecdoche alia, sed speciei, pro grauissimis ac præsentissimis quibusque periculis, quæ nomine ignis notantur: quemadmodum potest sumi illud Epist. 1. lib. 1. *per saxa, per ignes pauperiem fugere:* simili tropo prœlium Græcorum & Troianorum declaratur. Iliad. ρ. ὡς οἱ μὲν μάρναντο δέμας πυρὸς, *sic illi more ignis pugnabant*, i. obuios quosque hostes sternebant ac perdebant.

[h] Alleg. est è metaphoris ab animatis ad inanimū: posset tamen τὸ *sæuit*, exponi propriè pro, intumescit & fit violentior amnis.

[i] Synecd. est speciei pro armata.

[k] Metaphor. à messoribus segetes demerentibus & coaceruantibus.

[l] Sumtum à rebus diuinis pro fortissimis atq; strenuissimis priuignis Druso & Tiberio.

[m] Meton. subiecti pro ciuibus Alexandrinis, qui portas & regiam, rege ac regina orbatam, aperuerunt Romanis.

[n] Epanaphora in *te* nouies initio sententiarum repetito.

[o] In his quattuor; *Cantaber, Medus, Indus, Scytha* allegoria est ex synecdochis continuatis, pro Cantabris, Medis, Indis, Scythis.

[p] Metonymia est subiecti pro Gallis ipsis mortem minimè pauentibus ac Iberis laborum patientissimis.

Ode XV. In Avgvstvm.

Theticum.

Poeta canit, se magno quidem studio aggressum scribere res Augusti fortiter gestas, sed ab Apolline inde, vt ab argumento humilibus Lyræ modis non congruente, fuisse reuocatum.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas & vrbes, [a] *increpuit, Lyrâ:*
Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua Cæsar [c] *ætas*
Fruges & agris rettulit vberes:
Et signa nostro restituit [d] *Ioui,*
Derepta Parthorum superbis
Postibus: & vacuum duellis
Ianum Quirini clausit & ordinem
Rectum euaganti [f] *frena licentiæ*
Iniecit: emouitq; culpas,
Et veteres reuocauit artes:
Per quas Latinum nomen & Italæ
Creuêre vires, famaq;, & Imperî
Porrecta maiestas ad ortum
Solis, ab Hesperio [g] *cubili.*
Custode rerum Cæsare, non [g] *furor*
Ciuilis aut vis eximet otium:
[h] *Non* [i] *ira, quæ procudit enses,*
Et miseras inimicat [i] *vrbes:*
Non qui profundum [k] *Danubium bibunt.*
[l] *Edicta rumpent Iulia: non Getæ,*
Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanaim prope flumen orti:
Nosq; & profestis [m] *lucibus & sacris,*
Inter iocosi munera [n] *Liberi,*
Cum prole matronisq; nostris,
Ritè Deos prius apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces
Lydis remixto carmine tibiis,
Troiamq;, & Anchisen, & almæ
[o] *Progeniem Veneris canemus.*

Analysis Dialectica.

HOc quidem certè theticum est continuatio quædam præcedentis Odes, vt rectè Porphyrio, ex eodem, credo, & argumenti & carminis genere iudicauit: vbi Poeta docuerat, magnitudinem beneficiorum, quæ Cæsar in remp. contulisset, superiorem esse prædicatione, commemoratione & exornatione hominum, quibus nunc adiungit suam Lyricè canendi rationem, vt tali descriptioni & commendationi longè imparem. Ideoque meritò dicit se monitis Apollinis reuocatum esse ab huiusmodi voluntate & conatu, quin potiùs inuitatum ad acclamandum: Tantas persoluere grates non opis est nostræ. Hanc tamen laudationem dum videtur recusare, eam aggreditur hîc maximè. In quo videtur sequi sententiam Biantis vnius è septem Sapient. apud Laert. *βεβαίως ἐγχείρει τοῖς παραλόγοις ἐγχειρήσας ὄ, περᾶτε βεβαίως*, i. *lentè res gerendas suscipe. susceptas verò constanter exsequere.* Primum dissuasionis argumentum est è testimonio diuino: quo, vt percommodâ reprehensione, Apollo præmonuit illum de tenuitate Lyrici versus. Sic Virg. 6. Ecl. consilio eiusdem Dei reuocatus est à rebus Romanis Heroico carmine scribendis:

Quum canerem reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.

Altera ratio est è caussa finali, ne cum magno suo dedecore grandem & amplam scribendi materiam humili & tenui stylo explicaret, atq; magna paruis modis tenuaret: sicut dixit Od. 3. l. 3.

Non hæc iocosæ conueniunt Lyræ.

Hîc exsequitur Poeta, quod in Epistola ad Pisones præcipit,

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus; & versate diu, quid ferre recusent:
Quid valeant humeri.

2 Quædam est enumeratio beneficiorum, quibus Romanos cumulauit Cæsar, ducta è loco efficientium & effectorum: nihil tamen abhorrebit à mente Auctoris si caussam tot bonorum facimus Fortunam, vt ipse sub finem præcedentis Odes fecit Ethnico more: quæ reddiderit exitus belli secundos, laudemque & optatum peractis imperiis decus arrogârit: quæ omnia ætate Augusti Reip. contigerunt: vnde præter similitudinem versus facilè perspicias, hanc Oden esse productionem, ac velut appendicem quandam, superioris. Amplificatur ergo fauor Fortunæ in Romanos nomine Augusti: quòd vbertatem frugum retulerit: amissa Crassi signa & Parthis derepta Imperio restituerit: finem bellorum fecerit: supplicio culpas reciderit: virtutes ac artes in vsum reuocauerit: quarum ope gloria Imperij Romani iisdem terminis, quibus solis cursus, definietur, vbi latent paria, vt in hoc vers. 390. Æn. 1.

Nascetur pulchrâ Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,

pro, nomen Cæsaris & maiestas Imperij tam latè extendetur, quàm Oceanus, qui suo ambitu totum orbem terrarum amplectitur.

3 Idem docet è conseruantibus, quòd Cęsar statum Imperij defendet à bellis ciuilibus, à vi, & armis infestis & legibus perfringendis, vel contra crudelissimas quasque gentes. Hoc sibi Poeta videtur de Augusto polliceri, quòd definitio imperij Iulio tributa præ se tulit, *vt illud sit cura salutis alienæ*: cuius causâ Homerus sapientissimè docet principes Ιλιαδ. β. sub initium,

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧ λαοί τ' ὄπιτε τέταται καὶ τόσσα μέμηλε, i.
Non decet consiliarium totam dormire noctem:
Cui sunt populi commissi, & tam multa curæ.

γνωματεύει ὁ λόγος, vt annotat Scholiastes, *ὅτι οὐκ ἐπιδιάτης τάχα ἂν ὑκ ὀπτόφρως ἐκνώσῃ παννύχιος*, i. *hæc oratio est consilij & discretionis plena: quia priuatus quilibet fortassis sine vituperio posset totam dormire noctem:* sed qui tenet summam

mam rerum debet aliquid vigilantiæ dare nocti (iuxtà parœmiam, ὀυ νυκτὶ βελὴ· διὸ καὶ ἄφρονη λέγεται ἡ νύξ, i. *in nocte consilium; ob id nox dicitur à rectè sapiendo*) ad custodiam & tutelam sui populi, cuius rex est ὁπλοδόκος, ὡς οἰκονόμος τῆς οἰκίας. Itaque excubandum est illi pro salute singulorum & vniuersorum.

4. Iam ex effectis ostendit, quàm rectè ipse positurus sit otia, quæ Cæsar reip. fecit. In celebri, inquit, conuẽtu familiæ ac vicinia diebus festis & profestis celebrabo carmine atque tibiis duces virtute insignes sacris peractis: atque Troianos eorumque posteros Cæsares, Iulium, Augustum, Tiberium & Drusos efferam gloriâ & prædicatione.

Enarratio Grammatica.

Phœbus.] Hæc sententia hoc valet: Grauiter equidem obiurgatus sum ab Apolline, quòd laudes Augusti vellem dicere versibus Lyricis, eiusque victorias scribere: quo sensu *Lyrâ* erit casus instrumenti, rectus à *loqui* pro canere res gestas Augusti Lyrico poemate, & sic post *increpuit*, interpungunt, sed sine interpunctione, rali erit quoque sextus instrumenti pendẽs à verbo *increpuit* vt sensus sit: Phœbus increpuit per sonum Lyræ &c.

Tyrrhenum.] De hoc mari repete quæ dicta sunt Od. 11. l. 1. sicut de signis Crassi (quæ Phraate principatum Parthorum tenente recepit) Od. 2. eiusdem lib. quod ita meminorat Suet. in Aug. c. 21. *Parthi quoque & Armenij vindicanti facilè cesserunt: & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidesq; insuper obtulerunt.* De his quoque signis sic Epist. 18. ad Loll.

—*denique sauam*
Militiam puer & Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit.

Rettulit.] Hic geminatur metri causâ.

Derepta.] Id est, vi armorum & metu Romanorum auulsa è templis Parthorum: ea vis est verbi *deripere*, vt Epod. 5. *Lunamq; cælo deripit.* & Epod. 17. *Deripere Lunam vocibus possum meis.*

Vacuum duellis.] Id est, bellis ciuilibus toto orbe positis, constitutaque cum exteris pace. Quo autem tempore factum sit, vide Oros. l. 6. c. 20. & Chronica Euseb.

Ianum.] Ad hunc locũ vtiliter proferetur, quod Plut. scribit περὶ τῆς Ρωμαίων τύχης, de fortuna Romanorum, qui sub Numa Pompilio tribus & quadraginta annis in pace vixerunt. Interea tamen quotidianis exercitationibus ad impetum futurorum hostium sustinendũ se comparantes: ἐκλείσθη δ' ἐν τότε καὶ τὸ τοῦ Ἰανοῦ δίπυλον, ὃ πολέμου τύχην καλοῦσιν. ἀνέῳγε μὲν γὰρ, ὅταν ἡ πόλεμος ἐκκλίνειν δοκῇ εἰρήνης ἡγουμένης. Νεμᾶ δ' ἀποθανόντος ἀνεῴχθη, τοῦ μὲν Ἀλβανὸς πολέμου συμβαλόντος. εἶτα μυείαν ἄλλων συνεχῶς ὑποδεχομένων, πάλιν δὲ ἑπτὰ καὶ τετρακοσίων ἐκλείσθη καὶ τὸν μετὰ Καρχηδονίους πόλεμον, εἰρήνης ἡγουμένης Γαΐῳ Ἀπιλίῳ καὶ Τίτῳ Μανλίῳ. μεθ' ὃν τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν αὖθις ἀνεῴχθη, καὶ διέμειναν οἱ πόλεμοι ἄχρι τῆς ἐπὶ Ἀκτίῳ νίκης Καίσαρος, quod sic fideliter reddidit D. Amiotus Gall. *Auſsi furent lors fermees les deux portes du temple de Ianus, qu'ils appellent les portes de la guerre* (vbi sic Interpres legit πύλην αὐτὴ τοῦ πολέμου, vulgaris lectionis) *pource qu'elles s'ouurent quand il y a guerre. & se ferment quand il y a paix: & incontinent apres la mort de Nume elles furent ouuertes pour la guerre d'Albe, qui se rompit auſsi tost: & d'autres infinies, qui la suyuirent de main en main. Depuis, elles furent derechef closes enuiron quatre cents quatre vingts ans apres, quand la guerre fut achenée & la paix faicte auec les Carthaginois, l'année que C. Atilius & Titus estoyent Consuls. Depuis elles furent encore r'ouuertes. & durerent les guerres iusques a la victoire, que gaigna Cæsar deuant le promontoire d'Actium.* Prætereà de hac bifori porta Iani lege Plutarc. in Numa: vbi dicitur δίπυλον Ἰανοῦ, vt hîc, & Suet. in Aug. Item eiusdem descriptionem l. 7. Æn. ad versum *Sunt geminæ, &c.* quod templum tempore pacis, vt dictum est, erat clausum, tempore verò belli apertum.

Quirini.] Suet. pro hoc dicit Ianum Quirinũ in Augusto c. 22. per conuenientiam verborum, non per rectionem, vt hîc: quod templum à Romulo Quirino cõditum est Iano belli præsidi, de quo etiam Macrob. l. 1. Saturn. c. 9.

Et ordinem.] Potest hæc verborum Syntaxis ita resolui: ætas Cæsaris iniecit rectum ordinem & fræna vaganti licentiæ. aut: eadem iniecit fræna licentiæ euaganti rectum ordinem. Sic enim verba cum *extra* ἀπὸ τῆς ἀποκοπῆς iuncta construi solent cum accusandi casu, vt Quintil. dicit l. 5. *iuuenes scholam nondum egressi erant*, & Terent. in Hecyr. Act. 3. Sc. 3. *exire limen:* vbi sæpè iteratur præpositio, vt pro Quintio: egredi extra fines, terminos & cancellos: sed facta ab *ex* cum casu auferẽdi iunguntur: vbi quoque præpositio repetitur sæpè, quorum exempla passim occurrunt. Hic autem rectus ordo fortasis posset intelligi de ordine petendi honores, qui hac gradatione constabat: Quæstura Tribunatus pl. Aedilitas, Prætura, Consulatus, Censura. Inter Quæsturam & Tribunatum, itemque inter Tribunatum & Aedilitatem, annuum erat interuallum. Aedilitatem Prætura biennio interiecto: Prætura Consulatus tanto spatio temporis interposito, sequebatur. Tempus autem post Consulatum Censuræ non erat circumscriptum: huiusmodi ordinis cõfusionem Augustus sustulerat.

Veteres artes.] Harum nomine videntur virtutes intelligi.

Maiestas porrecta.] Id est, extenta, propagata & amplificata. Cicero in Orat. Pro Rabirio perduel. reo ordinationem ciuitatis appellat maiestatem at eandem definit tribus partibus, imperio consulari, auctoritate Senatus & bonorum consensione. Hîc Orator queritur Maiestatem ciuitatis damnatione Rabirij violari: quia damnetur is, qui tali politiæ & ordinationi paruerit: cuius magnificam vide descriptionem l. 5. Fast. ad vers. *Post Chaos vt primum, &c.* atque versibus hinc viginti continuatam.

Hesperio.] Hesperus etiam Virgilio dicitur vesper: ac definitur lib. 2. de nat. Deor. à Cic. stella Veneris infima quinque errantium, terræque proxima. Iulius tamen Hyginus è sententia Platonis, Aristotelis, Aegyptiorũ & veterum supra Lunam, Solem & Mercurium illam collocat. Dicitur Plauto in Aulul. & Varroni lib. 5. de ling. Lat. *Vesperugo* De variis ipsius nominib. lege Plin. l. 2. illa autem definitio videtur desumta ab hac Homeri: Ἐσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστὴρ. *Hesperus in cælo formâ qui sidera vincit:* mane φωσφόρος lucifer, vel ἑωσφόρος Φαέθων, ὡς ἄστροις ἐν ἄλλοις, i. *Auroram proferens inter alia astra conspicuam:* quo quidem nomine Pindarus vsus est, Isthm. ειδ. Α. Vesperi autem ἕσπερος quasi ἕω πέρας, dicitur finis lucis ac diei, de quo fuit Ode 9. l. 2.

Eximet.] Alij legunt exiget. Hoc verbum sumẽdum est, vt apud Virgilium, fames exigit lupos syluis, i. expellit Gal. *la faim chasse le loup du bois*, pro, eximere otiũ alicui Virg. dicit contrarium, Facere eidem Ecl. 1.

Procudit.] Quale est illud, *furor arma ministrat.*

Inimicat.] Inimicare verbum priscum & parum est vsitatum, & ἐχθραίνειν sumitur pro parit & indicit inimicitias vel ad eas incitat. Dicitur etiam forma Deponentis verbi *Inimicari* pro *exercere inimicitias:* vt apud Quintil. Cic. de petitione Cõsulatus: *Sin autem id neges,*

ſtatim ſeſe alienant, & inimicantur. Quod interpres Sapientiæ Seiracidicæ c.28. vſurpauit, μνήσθητι τὰ ἔσχατα, καὶ παῦσαι ἐχθραίρων χάριν φθορᾶς καὶ θάνατον, i. *memineris ea, quæ tibi accidere poſſunt, & deſine inimicari,* per exitium videlicet & mortem in proximum: huiuſmodi fuerunt antè *funiare, clarare, æternare.*

Edicta Iulia.] Intelligit Poeta leges illas, de quibus Dio l. 53. & 54. de moribus ciuium regendis. Item Suet. c.34. in Oct. ſic ſcribit: *leges retractauit & quaſdam ex integro ſanxit, vt ſumtuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus:* his quoque lex Scantinia comprehenditur; cuius meminit idem hiſtoricus in Domitiano c. 8. Quoſdam ex vtroque ordine lege Scantiniâ condemnauit: cuius pœna fuit primùm pecuniaria, ſed poſteà capitalis apud Chriſtianos. Verùm de pecuniaria nobis conſtat è l. 7. c.4. apud Fab. Quintilianum. *Stuprator an decem millia dare debeat, quæ pœnâ huic crimini conſtituta eſt, an quia ſtupratus ſe ſuſpendit, capite puniri debeat ſtuprator, tanquam cauſſa mortis. De decem millibus nulla controuerſia eſt.* Præterea Cic. meminit huius legis Philippicâ 3. & l.8. ad fam. Tertullianus quoque de monogamia. Poſtremò huic legi nomen dedit Scantinius Capitolinus Trib. plebis damnatus ſtupri in iuuenem: de quo Val. Max. l. 6. & Imperator Conſtant. ad legem, *Quum vir nubit in fœminam &c.* Codicis libri 9.

Non rumpent.] Sic Epiſt. 3. l. 1. *fraternum rumpere fœdus,* cui opponitur illud in carmine ſeculari.

—patrumq́
Proſperes decreta ſuper iugandis
Fœminis.

Virtute ſanctos.] Hoc valet virtute præditos eos, qui virtute floruerunt, Gal. *gens preux & vertueux.*

More patrum.] Seru. in Æn. 7. ad verſ. *mos erat Heſperio in Latio, &c.* definit è Varrone, morem eſſe communem conſenſum omnium ſimul habitantium: qui inueteratus conſuetudinem facit.

Lydis tibiis.] Intelligit Lydios cantilenarum modos, quæ dicuntur à Platone l. 3. de Rep. χαλαφαὶ, i. molles, laxæ & conuiuiis aptæ, quales Ionicæ fuerunt.

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri par eſt præcedenti, vt iam dixi.

[a] Metaph. à conflictu durorum corporum, quum aliis alia alliduntur: ideo ſignificat cum ſtrepitu reprehendere.

[b] Alleg. eſt è perpetuis metaphoris à nautis. Nam dare parua vela eſt humili ac tenui ſcripto; quale eſt carmen Lyricum, mādare ſublimem & amplam materiam, quę ſignificatur nomine maris Tyrrheni, quod non fieret ſine iactura exiſtimationis Horatianæ.

[c] Meton. eſt adiuncti temporis pro Auguſto vel ipſius fortuna & ſtatu.

[d] Altera eſt metonymia, ſed ſubiecti pro ſimulacro Iouis Capitolini.

[e] Idem eſt tropus, ſed contenti Iani, i. ſimulacri pro fano continente, quod poſterius quidam hîc legunt: ſed meo iudicio maior eſt gratia vocis Iani, immutatę, quàm propriè. Hîc duo verba *clauſit, iniecit* ſimiliter quidem ſonant in clauſulis membrorum per epiſtrophen, cui poſſes adnectere duo præcedentia *retulit & reſtituit*, ſed non occupant omnino prorſus clauſulas ſententiarum.

[f] Sumtum eſt ab equis, quorum impetus lupatis inhibetur: ſic homines ſeueritate legum à licentia peccandi reuocantur.

[g] Translatum quoque eſt ab animalibus ad occaſum ſolis indicandum. *Furor ciuilis* eſt ſynecdochica periphraſis ciuilis diſcordiæ & ſeditionis: quam Ode 24. l. 3. vocauit ſimili tropo, *rabiem ciuicam.*

[h] In, *non*, quater initiò repetito eſt Epanaphora.

[i] Meton. eſt adiuncti prō, homines irati & irâ concitati. In *vrbes*, metonymia eſt ſubiecti, pro eo, quod propriè diceretur, concitat oppidanos ad mutuas inimicitias.

[k] In *Danubium & Tanaim* metonymica eſt periphraſis Pannonum Tauricorum, Thracum, Scytharum & Germanorum, qui ſubiectis vt incolæ ſignificantur. Sed ſi conſideres ſeorſim, Danubium bibunt, ſynecdoche integri; intelligenda eſt particula aquæ. Vt Virgil. Eclog. 1. *Aut Ararim Parthus bibit, aut Germania Tigrim.* vt etiam Ecl. 10.

Nec ſi frigoribus mediis Hebrumq́, bibamus.

Item Æneid. 1.

Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumq́, bibiſſent.

[l] Synecd. eſt ſpeciei pro legibus Auguſti, quas modò recenſuimus è Suetonio.

[m] Meton. cauſſæ pro effecto die.

[n] Similis eſt tropus pro vino: ſed in, *iocoſi*, cōtrarius eſt modus metonymiæ, quo ex effecto intelligitur vinum efficiens homines iocoſos & hilares: ideoque à Plaut. in Curcul. lepos Liberi dicitur pro lepido ac facero vino.

[o] Synecdochica eſt periphraſis gentis Iuliæ ex genere, pro ipſo Iulo ac poſteris ipſius Cæſaribus.

Finis libri quarti.

Q. HORATII FLACCI VEN.

EPODΩN LIBER,

EPODVS I. AD MÆCENATEM.

Theticum.

Quòd Mæcenate in militiam profecto, vita Poetæ iniucunda futura sit, nisi eôdem proficiscatur cum ipso, & semper iucundâ eiusdem præsentiâ fruatur.

1 [a] Bis Liburnis inter alta nauium,
Amice, [b] propugnacula:
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
[c] Quid nos? quibus te vita superstite,
Iucunda: si contrà, grauis:
Utrúmne iussi [d] persequemur otium
Non dulce ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Quâ ferre non molles viros?
[e] Feremus: & te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel Occidentis vsq; ad vltimum [f] sinum
Forti sequemur [g] pectore.
2 [h] Roges, tuum labore quid iuuem meo,
Imbellis, ac firmus parùm?
Comes minore sum futurus in metu,
3 Qui maior absentes [i] habet.
4 Vt assidens implumibus pullis auis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non vt adsit auxilî
Latura plus præsentibus.
[6] Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratiæ:
Non vt iuuencis illigata pluribus
[k] Aratra nitantur meis:
Pecúsue Calabris sidus feruidum
Lucana mutet pascua:
Nec vt superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.
7 Satis superq; me [m] benignitas tua
Ditauit: haud parauero,
8 Quod aut, auarus vt Chremes, terrâ premam,
[o] Discinctus, aut perdam, vt [p] nepos.

Analysis Dialectica.

POeta didicerat ex Euripide in Phœnissis:

κοινὰ φίλων ἄχη. Communes amicorum dolores:

Qui aliquantùm leuantur artibus, operâ & facultatibus vtrinque in medium collatis. Item ex Antigona Sophoclis, vbi Ismene soror Antigonę dicit se non dubitare, quin negligat quoduis periculum sororiæ nauigationis, quod adire volet ipsius soror,

Ἀλλ' ἐν κακοῖς τοῖς σοῖσι οὐκ αἰσχύνομαι, id est,

Sed metuis malis non pudet adiungere comitem nauigationis tuæ.

Huc spectat, quod Aristoteles lib. 9. Ethicor. scribit sub finem; cuius loci est hæc interpretatio Latina, *videtur autem præsentia amicorum, mixta quædam res esse. Cernere siquidem amicos, iucundum quiddam est, præsertim homini misero; atque proficiscitur inde quippiam adiumenti ad tollendum dolorem. Amicus enim habet in se quiddam factum ad consolandum & aspectu & oratione, si fuerit dexter & acutus vir. Nouit enim mores amici, & quibus oblectatur & angitur. Sentire autem amicum ob res suas aduersas capere dolorem, triste est. omnis enim mortalis fugit se causam doloris esse amicis.* Itaque, vt Mæcenati munus talium sententiarum perfectum daret, illum ad deliberationem adhibet, vtrùm se in otium collocaturus, an militiæ labores cum eo subiturus sit: posterius tamen deligit, ac primùm cum eo sic agit non sine maxima Mæcenatis laude de ipsius doctrina & scientia militari ex collatione parium: Quando statuisti te in periculum capitis atq; vitæ discrimen inferre pro Cæsare Augusto: ego quoq; omnem vim & iniuriam belli contra Antonium tecum perferre volo. Protasis autem huius cõparationis primis 4. versibus continetur, & apodosis in 11. versu ad hunc locum *feremus*, totidem versibus producta: alij sex interiecti habent approbationẽ apodoseως, quòd Mæcenatis incolumitate iucundè victurus sit: cõtrà iniucundè ipsius ruinâ & perditione, καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου ἀβίωτον αὐτῷ ἐσόμενον· quæ ratio petita est è loco aduersorum, vnde & ex alteris paribus conficit, se eâdem laboris tolerantiâ, quâ fortissimos quosq; viros, naualis militiæ labores cum ipso perlaturum & subiturum, si non corpore, certè animo id facturum, quocunq; abiturus sit, quum nulla sibi vita sine eodem videatur vsquam expetẽda· ὡς ἑτοίμῳ καὶ συζῆν καὶ συναποθανεῖν αὐτῷ. Hic autem diremtus & secretio tam grauatè fertur à poeta, quàm distractio illa dicitur ferri ab Antiphone Act. 1. Scen. 4. Phorm.

Quod si eò meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te vt abstrahar.

Nulla est mihi vita expetenda: quale quid Od. 17. l. 2. de se poeta prædicauit, *Ah! te meæ si partem animæ rapit*

Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec superstes
Integer? & nos eius vitam vitæ Silodurorum ἀντιχωλιμαίων similiter ibidem composuimus.

2 Diluit obiectum Mæcenatis, quòd ipse tantâ corporis imbecillitate, καθάπερ ἀμάχου καὶ ἀπολέμου καὶ ἀδρανὴς εἴη: *quasi esset imbellis, nihil adiumenti bello afferre posset*, id, inquam, refutat loco minorum, quòd Mæcenati comes, quàm Romæ in otio relictus, & ab eo longè seiunctus, minùs metuer.

3 Prosapodosis est è collatione maiorum, absentem se & ab ipso semotum metu longè grauiori concitari, quàm præsentem & lateri ipsius adhærentem.

4 Proxima comparatio alterâ è similibus approbatur: Vt auis multò magis absens pullis à serpentibus metuit: sic ego magis tibi metuam ab hostibus illuc profecto hîc relictus. Mirè videtur implicata hæc comparationis protasis, sed vt modò enunciata est, apparet explicatior. Illam quoq; obscurat τὸ *assidens*, quod puto magis significare cessantem alibi, atque in nido, auem, quàm propè sedentem. Verba eiusdem protaseως retexantur ad maiorem illustrationem: Vt auis assidens magis timet suis implumibus pullis relictis allapsus serpentium. Apodosis ex antecessione maiorum supplera modò fuit.

5 Idem declaratur è diuersis ad obiectũ diluendum: Quanquam, inquit, illa auis aderit pullis, nec plus opis feret ipsis præsentibus contra allapsus serpentis, quàm absens desertis: ipsa tamen cupit adesse & cum pullis cõmori, certo quodã naturalis storges impetu eò lata.

6 Finem suæ in militiam profectionis aperit, præter declinationem metus grauioris: sed illum tractat fine diuerso: Quòd ego tam libenter, inquit, me offero tibi in societatem tanti belli, naumachiæ, nauigationum & periculorum omnium, id non suscipio, vt mihi aurum & argentum ex præda, & ex manubijs acquiram: pluraq; terræ iugera, plures saltus æstiuos & hybernos pascendi pecoris caussâ, & ampliora villæ meæ Tusculanæ septa & magnificẽtiora ædificia inde comparem: sed vt tuam erga me susceptam beneuolentiam & mihi conseruem & gratiam semper retineam.

7 Huius diuersitatis prior pars primùm augetur loco adiunctorum: non consector, inquit, maiores fortunas, quia liberalitate tuâ satis sum locuples.

8 Eadem pars deinde declaratur breui dissimilitudine eaq; geminâ, quòd Poeta nolit rem feciſſe, quam humi defoderet, more hominis auari, vel vt exemplo profusi, libidinosi, intemperantis, dissoluti ac perditi eam abliguriret. Constant autem partes comparatorum ex disparatis. Auarus enim & prodigus disparantur à liberali. Ex his argumentis conficit, sibi cum Mæcenate in militiam necessariò proficiscendum, vt iucundâ & quietâ mente viuat, sicut à nobis fuit propositum initiò.

Enarratio Grammatica.

LIber Epodῶn cur ita inscriptus sit è Grammaticis discendum videtur, præcipueque è Diomede, & Mario Victorino, qui de ratione huius vocis ἐπῳδὸς & vi eiusdem rectiùs, quàm reliqui, videntur pleriq; sensisse. *Horatius*, inquiunt, *ita hũc librum appellauit, quòd longioribus singulis versibus singuli breuiores accinantur, qui ἐπῳδοὶ vocantur.* Fabius li. 10. capite 1. expressiùs mihi videtur hoc notare: *Iambus*, ait, *non sanè a Romanis celebratus est, quanquam illi Epodos interuenire non reperiatur.* Docent enim carminis vnum genus esse, in quo versus ita inter se connexi sunt, vt alter sine altero audiri non possit: quorum prior προῳδικὸς, id est, præcinens: posterior, ἐπῳδικὸς, quasi succinens vocatur (vnde ab Etymologico definitur Ἐπῳδός ἐστι μέλος μεταμεμελισμένον, τοῦτ' ἔστιν ᾠδὴ μετὰ τὰς ἄλλας ᾠδὰς μεμελισμένη, canticum, post alia decantatum) vt in Elegia longus & Hexameter est προῳδικὸς: breuior & pentameter ἐπῳδικός. Inueniuntur quidem breuiores versus longioribus accini in Odis 4. antecedentium librorum, qui tamen libri ἐπῳδῶν minimè vocantur, idq; meritò, quia non est illic, vt hîc, perpetua hæc Ἐπῳδῶν ratio. Ob hanc autem versus breuioris similitudinem Hermogenes lib. 4. de inuentione, capitibus de ambitu verborum & spiritu Oratorio scribit οἱ δέ φασι καὶ τὸν ἐπῳδὸν κῶλον εἶναι· τὸ ὑποκάτω, κόμμα. *alij Rhetores tradunt etiam versum minorem esse membrum: quod autem infra hunc versum fit, id esse incisum.* Reliqua vtrobiq; vide. Ex eadem origine deflectitur etiam ἐπῳδὴ κατὰ συναλοιφὴν ταύτην, ἐπαείδω, ἐπᾴδω, ἐπαοιδὴ, quod est ex Scholiaste Theocriti, τὸ ὁλομελῶδημα καὶ ᾆσμα, accentio & versus intercalaris, qualis Idyllio 1. Theocriti:

Ἄρχετε βωκολικᾶς Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Incipite ô Musæ pastoritiam, incipite Oden:

quales sunt 2. Idyllio:

Ἴυγξ ἔλκε τυ τῆνον ἐμὸν ποτε δῶμα τὸν ἄνδρα.
Motatilla meum trahe Delphin fortis ad ædes. & ibid.
Φέρζεο μὰν τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο πότνα σελάνα.
Eloquere, vnde meus sit amor ter Luna colenda.

Quales sunt etiam in Pharmaceutria Virgilij:

Incipe Manalios mecum mea tibia versus. & ibid.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Dicuntur autem tales versus intercalares, quia intercalantur, id est, interponuntur, quos Galli solent appellare *le refrain de la balade*, quod in Lyricis versibus post strophen & antistrophen solet fieri. Sumitur etiam ἐπῳδὴ pro incantatione & medicamento: vt apud Sophoclem: in Aiace,

ἐ πρὸς ἰατρὸς σοφῦ
Θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι, id est,
Non est Medici periti adhibere medicamenta morbo egenti sectione: vel accinere carmina magica ad malum leniendum & resecandum.

Inter quatuor autem remediorum genera, quibus Æsculapius vtebatur ad morborum profligationem, è primo erat loco τὸ ἐπῳδὴ, id est, *incantamentum*, τοὺς μὲν μαλακοῖς ἐπαοιδοῖς ἀμφέπων, id est, *è doloribus quosdam mollibus incantamentis deliniens*; de quibus Deo fauente dicetur in notis Gram. Epist. lib. 1. vt ἐπῳδὸς pro incantatore, vt refert Stobæus è Menandro:

Νοσοῦντ' ἀνὴρ νοσοῦντι καὶ δυσπραγίᾳ
Ληφθείς, ἐπῳδὸς ὅστις ἐστὶ πειρωμένῳ.
Et ægrotus ægroto & ærumnosus nunc primum ærumnas sentienti est lenimento. Et iungitur cum γόης ab Euripide in Hippol. Ἆρ' ἐκ ἐπῳδὸς καὶ γόης πέφυκ' ὅδε;
Nónne incantator & præstigiator fuit iste?

Sic ἐπᾴδω vsurpatur aliquando pro carminibus lenio & incanto, sed τὸ κατεπᾴδω, iuncturæ auctioris & deterioris, sumitur pro βασκαίνω καὶ γοητεύω· id est, fascino & ludifico magicè. Hebræi reddunt τὸ ἐπᾴδειν per לָחַשׁ *lahasch*; id est, ἐψιθύρισε, susurrauit, musitauit, ac velut clàm sibilauit, qui mos est incantatorum & exorcistarum; vnde מְלַחֵשׁ *malhesch. incantator.*

Habes, Lector, τῶν ἐπῳδῶν rationem & variam verbi notionem: addo tamen opinionem Iuli Cæsaris Scaligeri hac de re, quæ mihi omniũ longè optima videtur, & è fine 17. li. de officio partium humanarum apud Galenum depromta. Ille lib. 1. Poetices scribit in more positum olim fuisse, vt post aliquas cantationes & sacra ad aras Deastrorum expleta, accederet aliquis sacra certo versiculo clausurus: hunc appellârunt ἐπῳδὸν: propterea quòd post alias cantiones & hymnos ipsum pronun-

pronunciabat, vnde possumus definire ἐπῳδὸν, τὸ ὅτι τῇ ᾠδῇ ᾆσμα, vt Suidas definit τὸ ἐφύμνιον τὸ ὅτι τῷ ὕμνῳ ᾆσμα, *carmen quod succinitur hymno*, quæ dicuntur appositè ad superiorem Etymologici rationem. Itaque Horatius, quum Odas scripsisset, librum, quem illis addidit, rectè epodῶn inscribit: quemadmodum Plato quoque eum librum, quem post leges statuebat, θεσμοῳδὰν vocauit. Sed præstat verba Galeni adscribere, quæ sunt in fine lib. 17. de vsu partium. Ταῦτα τοσαῦτα, καὶ τηλικαῦτα χρήσιμα τῆς δεδειγμένης ἡμῖν πραγματείας ὁ λόγος οὗτος, ὥσπερ ἀγαθός τις ἐπῳδὸς, ἐξηγεῖται. Λέγω δὲ ἐπῳδὸν, οὐ τὸν ἐπῳδαῖς χρώμενον, ἀλλὰ μὲν γὰρ ὡς ὁ Φλάκκος τοῖς Μελικοῖς Ποιηταῖς ὃς ἐνίοις Λυρικὸς ὀνομάζεται, ὥσπερ τροφή τις ὅδε, καὶ ἀντίστροφος· ἕτω καὶ τέταρτος ἐπῳδὸς, ὃν ἐσάμενοι πρὸ τῶν βωμῶν ᾖδον, ὡς φασιν, ὑμνοῦντες τοὺς θεούς· ἐπαίνῳ τοίνυν εἰκότως τὸν λόγον τόνδε, πλὴν προσηγορίαν αὐτῷ μετήνεγκα, id est: *Hæc tot & tanta commoda demonstrati à nobis operis, hic liber, vt bonus quidam accentor, exponit. Appello autem accentorem, non qui vtitur incantamentis: sed qualis est apud Melicos Poetas, quos nonnulli nominant Lyricos: qualis etiam est strophe & antistrophus, talis est etiam tertius Epodus, quem stantes ante aras canebant, vt ferunt, hymnis Deos celebrantes. Illi igitur (Epodo) assimulatum hunc librum translatè nominari (nempe Epodῶn) quòd hic decimus septimus liber sit velut adcantatus sexdecim aliis præcedentibus.* Ad hæc mihi libet Lectorem monere, cur ἀῤῥενικῶς vocem ἐπῳδὸς vsurpem quum alij θηλικῶς, id pronuncient: id equidem facio auctoribus Galeno & Hephæstione. Prioris locus modò citatus est: posterioris est talis: εἰσὶ δ' ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ οἱ ἀῤῥενικῶς ἕτω καλούμενοι ἐπῳδοὶ, ὅταν μεγάλῳ σίχῳ προσπόρῃ τι ὀλιγόστιχον: *sunt etiam inter Poemata, quæ etiam genere virili Epodi vocantur: quum quid impar magno versui additur.*

Ibis.] Nauigabis & pugnabis classe Liburnorum, quorum operâ Cæsar victoriam reportauit ex Actiaco prælio.

Liburnis.] Hæc vox est primigenea prò inde orta, Liburnicis *Liburnia* describitur regio inter Istriam & *Dalmatiam* interiacens, & supra intimum Adriani sinus recessum sita; quæ Croacia hodie vocatur. Hîc autem Biremes naues intelligendæ sunt: in quibus dicitur nauigaturus & inde propugnaturus: ad quarum similitudinem cuneatam Plinius describit lib. 10. cap. 23. volatum anserum & olorum. *simili anseres quoq; & olores ratione (atq; Grues & Ciconiæ) commeant: sed horum volatus cernitur: Liburnicarum more rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si rectâ fronte impellerent.*

Inter alta.] Dubitant interpretes, vtrò referenda sint hæc propugnacula, ad nauésne Augustanas, an ad Antonianas: quidam ad Cæsarianas putant, ducti versu illo Æneid. 8.

Tantâ mole viri turritis puppibus instant.

Et Commentarijs Seruij in eum locum: *hoc*, inquit, *de historia traxit: nam Agrippa primus hoc genus turrium inuenit: vt de tabulatis subitò erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improuisæ.* Lege ibidem paullò ante hæc diuisionem imperij inter Augustum, Antonium & Lepidum, & caussam huius belli inter Cæsarem & Antonium cognosces. Eódem adducti sunt his versibus Prudentij:

Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Aegypto dederat: clangebat buccina contrà.
Insliterant tenues cymbæ, fragilesq; phaseli
Inter turritas Memphitica rostra Liburnas.

Alij verò, qui de nauibus Antonianis existimant intelligendum, nituntur auctoritate Plutarchi in Antonio, & Dionysij lib. 30. & 50. Flori lib. 4. qui scribunt Cæsarianas naues altitudine & magnitudine superari ab Antonianis, vt milites Antonij viderentur potius πεζικὴν πλὼ τὰ χομαχίαν, ἢ ναυμαχίαν, id est *muro, quàm è naue pugnare.*

Hæc quidem certè opinionum varietas sine vlla huius loci iniuria poterit conciliari, si demus naues vtriusque imperatoris turritas fuisse, sed illas Antonij maiores, crassiores & editiores Cæsarianis. Suidas describit naues Liburnas è diuersis: Λιβυρνικαὶ νῆες ἦσαν ἃ κατὰ τὸν πειραρχικὸν ἐσχήματισμένα τύπον, ἀλλὰ λυσικώτεραι χαλκομβολοῖτε καὶ ἰχυραὶ καὶ κατάφρακτοι, καὶ τάχος αὐτῶν ἄπιστον naues *Liburnæ non ad formam triremium constructæ erant, sed ad prædandum æreo rostro armatæ & validæ & tectæ munitaq;, & incredibilis ipsarum erat celeritas.* Hanc descriptionem nonnihil iuuabit illa Suetonij in Calig. c. 37. *fabricauit & de cedris Liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magnâ Thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter choros & symphonias littora Campaniæ peragraret.*

Videbatur Mæcenas iturus inter turritas naues tanquam naumachiam ordinaturus & pugnaturos excitaturus. Liburnia autem regio, vnde huiusmodi naues nomen sorticæ sunt, sita est inter Illyrium & Dalmatiam, vel huius est pars. Quidam putant *Liburnis* à Libya dici, quòd tales naues vsitatæ mercatoribus Libycis essent: sed Suidæ & Vegetio & Dioni magis crêdendum, esse à Liburnia.

Amice.] Porphyrio, immemor consuetudinis Horatianæ, quâ solet Mœcenatem appellare, hîc intelligendum putat *ô Mæcenas amice Cæsaris:* sed illa familiaritas Ode 20. lib. 1. *Care Mæcenas*, & 18. lib. 2. *potentem amicum*, & Satyr. 6. lib. 1. vers. 50. & 62. apertè indicat referendum ad Horatium, denique Epist. 7. lib. 1. *te dulcis amice reuiser.*

Paratus subire.] Propulsare quoduis periculum à capite Cæsaris magno vitæ suæ periculo. Gallicè, *Prest à mettre sa vie en tout danger, pour sauluer celle de Cæsar.* quod Græci videntur interpretari, ἕτοιμος ὁπουοῦν καὶ τὰ ἔσχατα πάντα πάσχειν ὑπὲρ Καίσαρος, i. e. quiduis vel extrema omnia pati nomine Cęsaris. Cicero dicit in participiorum: *subire periculum pro amico*, vt Plancus Ciceroni lib. 10. Epi. 23. ad fam. *nunquam me pœnitebit maxima pericula pro patria subire, dum absim à reprehensione temeritatis*, pro quo Terentius And. Act. 4. Scen. 1. vers. 53. *debeo capitis periculum adire, dum prosim tibi.* Vbi interpretes annotant inter hæc nihil significatione interesse, *adire periculum*, *subire discrimen*, *suscipere periculum*, *aggredi discrimen*. Ego autem inter *adire* & *subire periculum* puto aliquid interesse: nã in priori quid arduũ & difficile significatur: in posteriori aliqua insidiosa aggressio & obreptio, vt Quintilianus dicit: *Animus varijs artibus subeundus.*

Quid nos.] Ellipsis est hîc, quid nos oportet; vel quid nobis fiet? Similis quoque est defectus in *ni tecum* verbi *eamus* & eâ mentis constantiâ sumus laturi laborem, quâ decet fortissimum quemque ferre.

Vita iucunda.] Cicero declinat τὸ *iucundum* à iuuando, quòd delectet, hilaritateque quâdam & iucunditate afficiat hominem. Iucundo molestum opponitur, vt apparet è fine lib. 1. de Orat. *Neque enim tam mihi molestus fuit, quòd ius nostrum ciuile peruellit, quàm iucundus, quòd se id nescire confessus est.*

Persequemur.] Ita Cicero *persequi opus* Epist. 25. li. 10. ad fam. dicit. Valet autem τὸ *persequi* Donato And. Act. 5. Scen. 4. ad verba: *Meq; in Asiam persequens proficiscitur.* Item Hecyræ Act. 4. Scen. 3. ad verba: *Ex vsu quod est, id persequar:* perseuerationem sequentis & constantiam, qui non desinit sequi.

Non dulce.] Hic τὸ *non*, vt in *non molles*, particula negãdi priuat solùm vnã vocem suâ significatione pro, in-

quietum otium, &, strenuos viros, non orationem.

Inhospitalem.] Ἄπόξενον, qui nihil excipit hospitio, id est, ἀβατον καὶ ἀπρόσιτον. *inaccessum hyeme & æstate*, propter immensas niues & glaciem è niuibus liquefactis altè contractam.

Caucasum.] De hoc monte & ipsius epitheris & etymo lege Oden 22. lib. 1.

Roges.] Explicandum est hoc verbum ἀνυπικῶς vt ferè solet vsurpari in occupationibus obijciendorum.

Quid iuuem.] Et tribus, quæ in amicitia requiruntur, res, opera & consilium, duo extrema prætermittuntur: quòd his abundaret Mæcenas. Medij autem tantùm meminit, quasi ad hoc conficiendum Mæcenati solùm opus esset vi multorum corporum.

Qui maior.] Hic interpretor, qui metus grauiùs exercet & excruciat absentes, quàm præsentes: quomodo videtur sumi à Terentio, *vnus scrupulus restat, qui me malè habet.* Gallicè *qui me grieue & tourmente*, & Plautus, *quæ te nunc sollicitudo habet.* Hoc videtur dictum inuersâ verborum syntaxi, pro; quem metum maiorem absentes habent: qualis est Eunuchi Act. 3. Scen. 1. eum satietas hominum aut negotij odium ceperat, is ceperat satietatem hominum aut negotij. Sic Virgilius Ecloga 5.

Voluptas tenet syluas & rura:

Sic Eclog. 7.

Si qua cura Corydonis habet te, id est, si qua tui cura tangit Corydonem, aut si quam curam Corydon habet de te. Hæc tamen inuersio perelegans est. Posset etiam *maior διὰ τὴν ἀτιμίαν* sumi pro magis peius, duriùs absentes exercet, sollicitat.

Allapsus.] Propriè dicitur de serpentibus & aquis, quæ tacito reptatu lubricoque motu feruntur. Gallicè *qui se coulent legerement aupres.* Huic fortassis respondet τὸ παρολισθεῖν ἢ παρολισθάνειν, quod de motu lubrico & leni dicitur: vnde apparet expositio Seruiana initio 6. Æneid.

——Euboicis allabitur oris.

peruenit celeriter, non satis apta, quum particula *tandem* præcedens notet longam interpositam moram, ex quo soluerant è portu Troiano.

Auxilij.] Est apocope alterius id est, Hæc autem vox ab augendo deflecti mihi videtur: quem enim adiuuamus, nos facimus auctiorem: sed inter auxilium & adiumentum, & ipsorum verba; auxiliari & adiuuare interesse hoc Grammatici putant, vt prius rebus in afflictis & miseris locum habeat tantùm: posterius autem in secundis: ad illud Græcè interpretandum non malè sumes τὸ ἐπικουρεῖν, quod est ad clamorem periclitantis accurrere auxilij gratiâ: sed præsidium & subsidium locum habent in rebus bellicis & verba sunt militaria. Illud de stationarijs militibus; hoc de cohortibus subsidio currentibus aciei grauiter laboranti dicitur.

Militabitur bellum.] Id est, belli laborem subibo, sperans hac ratione tuam gratiam retinere. Sic certare certamen & vitare vitium, & Græcè πόλεμον πολέμειν. Bella pugnata & rura regnata dicit alibi, vt notauimus Ode 19. lib. 3.

Non vt iuuencis.] Agnoscunt hîc quiddam hypallagen pro, plures mei iuuenci aratris illigati nitantur.

Lucana pascua.] Ex 6. lib. Strabonis discimus Lucaniam inter Tyrrhenum & Siculum latus iacere, & è Varrone non multùm æstate calere, ideoque dicit ante Caniculam, id est, post solstitium æstiuum, de quo 2. de diuinat. *Pascua Lucana mutanda*, id est, *anteponenda esse Calabris pascuis*: *quia* vt ait Varro li. 2. ca. 1. de re rustica, *non eadem pascua æstiua & hyberna idonea sunt omnib. ad pascendum.* Similis fuit syntaxis Ode 17. lib. 1.

Lucretilem mutat Lycæo Faunus.

Vide ibi annotationem.

Superni Tusculi.] Strabo lib. 5. scribit, Tusculum in montis vertice situm, ciuitatem multis ornamentis septam & in conspectu Romæ positam: mœnia autem Tusculi vocat Circæa, propterea quòd Telegonus Circes & Vlysis filius creditur Tusculum constituisse, vt dictum est Ode 29. lib. 3.

Benignitas.] Meminit talis benignitatis Sueton. in Octauio ca. 71. *Benignitas mea me ad cælestem gloriam efferet.* Hæc etiam liberalitas dicitur, *non quia liberis debetur: sed quia à libero animo proficiscitur, ita nominata est, qui nunquam magis nomina facit, quam quum donat*, ait Seneca lib. de vita beata. De ratione tamen benignè alijs, maximeque dignis faciendi, sic monet Cicero: *nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, vt pateat omnibus.*

Hoc certè præceptum est de vitandis extremis liberalitatis, auaritia & profusione, quæ ideo hac declaratur definitione ab Aristotele lib. 4. Ethicorum cap. 1, ἐλευθεριότης ἕξις μεσότητος περὶ χρήματα, id est, *liberalitas est virtus, quæ seruat mediocritatem circa pecunias.* Eiusdem lib. ca. 2. magnificentiam definit, & à liberalitate sic distinguit, μεγαλοπρέπεια ἔξις ἐστὶν ἀρετή τις οὐκ ἄπειρος ἡ ἐλευθεριότης, διατείνει περὶ πάσας τὰς ἐν χρήμασι πράξεις, ἀλλὰ περὶ τὰς δαπανηρὰς μόνον· ἐν τούτοις δ' ὑπερέχει τῆς ἐλευθεριότητος μεγέθει· καθάπερ γὰρ τ' ὄνομα αὐτὸ ὑποσημαίνει, μεγέθει πρέπουσα δαπάνη ἐστί, id est, *magnificentia est virtus quædam circa pecunias occupata, non, vt liberalitas, extenditur ad omnes pecuniarias actiones, sed ad sumtuosas solum. In his enim superat magnitudine liberalitatem. vt enim nomen ipsum subindicat, sumtus est magnitudini accommodatus*; cuius Cicero meminit lib. 2. de inuent; eumque definit. Idem auctor coniunxit vtrumque Epist. 6. lib. 2. ad famil. *Habemus studium vulgi ac populi ac multitudinis conciliatum ex tribunatu propter magnificentiam munerum, liberalitatemq; naturæ.* Ibi Cicero significat T. Annium Milonem tria effudisse patrimonia ad conciliandum populi studium: in quem effusissimæ fuerunt ipsius largitiones, & in ludos scenicos & in munus gladiatorium impensæ maximæ, in huiusmodi rebus versatur magnificentia.

Terrâ premam, &c.] Hoc Græcè interpreteris, ὅπως αὐ ἔχοιμι γῆ κρύψας, id est, *quod ego terrâ conditum & abditum abeam vt auarus* Chremes.

Discinctus.] Quibus toga effluit discincta, hos Seneca ridiculò vocat discapulatos. Galli autem homines, *espaulés*, vt qui sunt ventre & lumbis solutis, *etripes.*

Explicatio Rhetorica.

GEnus metri est dicolon, distrophon, cuius quidem primus quisque versus est iambicus, Hipponactius, trimeter, acatalecticus: quod ex iambis sex constet, admisso tamen locis imparibus spondeo, & quòd ab Hipponacte Poeta Ephesio primùm inuentus sit, nihilque desit. Secundus autem quisque est quoq; Archilochius, acatalectus, quia è quatuor iambis fit, recepto interdum locis imparibus spondeo & ab auctore sic dictus. Liber ἐπῳδῶν, vt ab ipsa libri inscriptione incipiam, κατὰ τὸν συνεκδοχῶν dicitur. Ex vno enim membro intelligimus integrum, ὅτι περέχει καὶ τὸν ἀσῳδικὸν καὶ τὸν ἐπῳδικόν· *quòd præcinentem & succinentem versum complectitur.*

[a] Quamuis *ire* de nauigio, vt *currere*, Epist. 1. lib. 1. & iter de mari, sicut tritam mseris viam, reperiam dici Latinè; id tamen translatè mihi dictum videtur à vulgo, strata viarum pedibus deterente.

[b] Synecdoche generis pro speciali turri. Est autem propugnaculũ πᾶς ὅστις πρόμαχών ἢ προβολὴ ἢ ὁπωσοῦν χῶμα, quæuis munitio ad hostes incurrentes arcendum.

[c] Ἀγα-

s Ἀνακοίνωσις est & dialogismus, non simplex aporia. Consilium enim capit cum Mæcenate, quid eo in militiam profecto facturus sit, cuius responsionem vel anteuertit; vel iam tacitè factam immutat ad hæc verba: *feremus.*

d In *persequi otium* est metaphora satis Grammaticis nota, quum viator institutum iter sic tenet, vt sequi non desinat, donec assecutus eum reprehenderit, quem sequebatur.

e In *ferre & feremus* est polyptoton.

f *Sinum* dicitur etiã synecdochicῶς pro freto Herculeo, vbi olim statuebatur terminus occiduæ regionis ante nauigationes longinquiores.

g Metonymia est subiecti pro forti & magno animo.

h Procatalepsis est cum prosopopœia obliqua, vbi Mæcenatis cogitatio à Poeta occupatur, labefactatur & conuellitur.

i Non verebor hîc statuere metaphoram à gladiatoribus, qualem Donatus in And. Act. 1. Scen. 1. annotauit: *habet, captus est*, id est, vulnus accepit, *quod priùs alij vident, quàm gladiatores ipsi sentiant se percussos*: qualis est illa etiam Æneid. 12. vers. 296.

Hoc habet, hæc melior magnis data victima Diuis:

Hoc est, lethali percussus est vulnere: sic hoc loco metus altiùs sauciat & exercet animum absentis, quàm præsentis.

k Metonymia est rerum adiunctarum, pro subiectis latifundijs, quorum cupiditate non volo, inquit, in militiam proficisci.

l Synecdoche est generis, pro, ante æstus Caniculæ & insaniam.

m Metonymia est adiuncti pro subiecto Mæcenate, qui multis beneficijs affecerat & locupletauerat Poetam.

n Altera est synecdoche, sed speciei, pro quouis homine nimis seruiente suis commodis, ἀπὸ τῆς χρήμης, ab egestate, de qua conqueritur auarus, & semper laborat: alij tamen malunt ἀπὸ τὸ χρέμπτειν, à screando.

o Discinctus habet aliquid metaphoricum à vestibus laxis & diffluẽtibus, ad animi luxuriem, vnde homines apparent molles, voluptarij, inertes, intemperantes & luxurioſi, quod Ouid. expressit Eleg. 1.

Ipse ego segnis eram discinctaq; in otia natus
Mollierant animos lectus & vmbra meos.

Vide remedium lib. 4. Strabonis de zona Gallorum. Contrà, præcincti & succincti pro duris, expeditis, sobrijs, & ad quiduis paratis: vt Sat. 6. lib. 2.

—— veluti succinctus cursitat hospes.

Videtur tamen huic interpretationi repugnare, quod Macrobius refert lib. 1. Saturn. cap. 3. inter iocos Ciceronis, qui post victoriam Cæsaris interrogatus, cur in electione partis errasset: respondit: *præcinctura me decepit*, locatus in Cæsarem, qui ita togâ præcingebatur: vt trahendo laciniam velut mollis incederet, adeò vt Sylla tanquam prouidus dixerit Pompeio: caue tibi illum puerum malè præcinctum. Sed hic locus monet de propria verbi notione violatâ, adiũctione vsus contrarij. Adstipulatur etiam nostræ sententiæ Seruius in hunc versum 8. Æneid. sub fin.

Hic Nomadum genus & discinctos Mulciber Afros.

Vbi docet vtramq; vocis notionem: *Discinctos*, inquit, *vel habitum eorum ostendit: qui vsque in talos fluebat: aut discinctos dixit inhabiles militiæ: omnes enim qui militant, cincti sunt: aut certè inefficaces, vt contrà præcinctos strenuos dicimus.* Horat. Satyr. 5. li. 1. *altius, at nos præcinctis, &c.* vnde Græcè ἀζωνος appellatur, non qui pulcrè cinctus, vel qui zonam habet; sed qui est strenuus & paratus ad facinus celeriter ac expeditè faciendum. Nimis commoror diu in explanatione huius tropi: non desinam tamen addere ad superiora, quod Donatus mihi suggessit in vers. Act. 4. Scen. 6. Eun. *attolle pallium.* his verbis demonstrauit nimiùm liberaliter pauidi adolescentuli animum. Itaque, vel quia simplex est Chremes & rusticus, vel quia ebrius, pallium trahit. Vbi vides duo notari vitia in Chremete, aut rusticitatis, aut intemperantiæ in gestando in decenter pallio.

p Allegoria à secundis parentum posteris, qui patrita & auita bona luxu dilapidare solent, abiectâ omni curâ rei familiaris augendæ aut certè conseruandæ, dũ viuunt aui; qualis *Sex. Nævius*, describitur sub initium orat. pro *P. Quinctio. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesâ iam, sed abundanti etiam pecuniâ, sic dissolutus fuisset, vt fuit Sex. Nævius?* de cuius vocis vertuerbio vide Gram. 2. Odes lib. 1. allegoria in quam est pro quolibet homine omni genere luxus perdito ac profligato, atque soluto metu parentum & correctorum asperiorum. Græci talem vocant ἄσωτον, & ita Agellius lib. 7. cap. 11. definit: *hominem nequam, nihili, neq; rei, neq; frugis bonæ, quod genus Graci ἄσωτον, ἢ ἀκόλαστον, ἢ ἀχρεῖον, ἢ ἄζηνον, ἢ κακότροπον, ἢ μαργὸν* vocant. Hinc nonnulli existimant eum deductum, quem Galli vocant Sottum & Stolidum. *Sot hõme*: alij tamen malunt ab Hebræo שׁוֹת *schoth* idem valente. Reuera vox Græca deflectitur amotione literę ſab ἄσωσος propriè significante hominem indignum salute, vel dignum, qui pereat: vnde transfertur ad eum, qui patrimonium effundit, atque sic à re familiari minimè tuenda vocatur; in qua voce Martialis lusit, quum fœminam accusaret de lasciuia & immodicis sumtibus in suis amoribus persequendis: quod plerisque mirum videbatur; quippe quòd ea nata esset è patre, cui nomen esset inditum à tuenda re familiari,

Sωτæ filia Clinici fabulla,
Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas & amas; ἔχεις ἀσώτως, i.
Libidinosè, intemperanter & effusè te geris.

Ad hoc intemperantię genus pertinet, quod *Diog. Laertius* narrat in *Bione*, ὃς πρὸς τὸν τὰ χωρία καταδηδεκότα, τὴν μ. Αμφιάραον ἔφη, ἣ γῆ κατέπιε. οὐ δῆτα γῆ, i. qui ad eum, qui agros suos absorbuerat, dixit: Terra Amphiaraũ absorbuit, sed tu terrã.

Epodvs II.

Theticum.

Quòd rustica vita reliquis viuendi generibus anteponenda sit.

Beatus ille, qui procul negotiis
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore:
Neq; excitatur classico miles truci
Neq; horret iratum mare,
Forumq; vitat & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos,
Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit:

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat [c] *errantes greges:*
Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infirmas oues:
Vel quum decorum mitibus comis caput
Autumnus aruis [e] *extulit:*
[f] *Vt gaudet insitiua decerpens pyra,*
Certantem & vuam purpuræ!
Quâ muneretur te [h] *Priape, & te pater*
Syluane tutor finium.
[i] *Libet iacere, modò sub antiqua ilice,*
[k] *Modò in tenaci* [l] *gramine.*
Labuntur altis interim ripis aquæ:
[m] *Queruntur in syluis aues:*
Fontesq; lymphis [n] *obstrepunt manantibus:*
Somnos quod inuitet leues.
At quum tonantis [o] *annus hybernus* [p] *Iouis*
Imbres niuesq; comparat:
Aut trudit acres hinc [q] *& hinc multâ* [r] *cane*
Apros in obstantes plagas,
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pauidumq; leporem, [s] *& aduenam laqueo gruem,*
Iucunda captat præmia.
[t] *Quis non malarum, quas amor curas habet,*
Hæc inter obliuiscitur?
[u] *Quòd si pudica mulier in partem iuuet*
Domum atq; dulces liberos:
([u] *Sabina qualis, aut perusta* [x] *solibus*
Pernicis vxor Appuli)
Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub [y] *aduentum viri:*
Claudensq; textis cratibus [z] *lætum pecus,*
Distenta siccet vbera:
Et horna dulci vina promens [aa] *dolio,*
Dapes inemptas apparet:
[6] *Non me Lucrina iuuerint* [bb] *conchylia,*
Magisue rhombus, aut scari,
10 *Si quos Eois* [cc] *intonata fluctibus*
Hyems ad hoc vertat [dd] *mare:*
Non Afra [ee] *auis descendat in ventrem meum,*
Non attagen Ionicus
Iucundior, [7] *quàm lecta de pinguissimis*
Oliua ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & grauis
Maluæ salubres corpori:
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.
20 [8] *Has inter epulas,* [ff] *vt iuuat pastas oues*
Videre properantes domum!
Videre fessos [gg] *vomerem inuersum boues*
Colles trahentes languido!
Positosq; vernas, ditis [hh] *examen domus,*
Circum renidentes [ii] *Lares!*
9 [kk] *Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius,*
Iamiam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam:
Quærit Calendis ponere.

Analysis Dialectica.

HI Epodi quibusdam bipartiti sunt. Nam haberevidentur Poetam in duobus ac viginti versibus suasorem & prædicatorem rusticæ vitæ: reliquis consequentibus Alphium quendam eiusdem approbatorem: quam tamen ipse non sequitur. Alij præterea malunt perpetuam esse orationem Alphij fœneratoris vsque ad versum: *Hæc vbi loquutus fœnerator, &c.* quem Poeta inducit sic magnificè & bipartitè de vita rustica loquentem: sed ille prauæ consuetudini fœneratoriæ & vrbanæ iam diu deditus, illud tam felix vitæ genus non potuit ingredi. Adeò à teneris assuescere multum est, exclamat Poeta. Vis autem præcipua suasionis nititur perigraphâ & descriptione viri rustici ac beati, partim ex adiunctis & factis illius, partim breui similium comparatione: quòd ille expeditus, liber, solutus, nullâ re, præterquam rusticâ, implicatus, agros securè colat paternos & aret: quòd, vt frugalissimi quique & integerrimi prisci homines, sic ipse, bene, rectè, frugaliter & honestè ex agrorum cultura viuat: vnde Cicero tanti fecit agriculturam sub finem lib. 1. de officijs & Xenoph. lib. de re familiari tuenda, vt ipsi postposuerint omnia: ille quidem sic: *Omnium autem rerum, ex quibus acquiritur aliquid, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.*

2 Eódem pertinet hic locus è diuersis, quorum sensus est: noster hic vir beatus neque lucri caussâ fœnam militiam exercet: neque mercaturam facit: neque forum attingit: neque aulas regum penetrat: neque potentum domos frequentat: sed aut vlmis adiungit vites: aut caltrat arbores & inserit alias: aut procul iucundè spectat greges in pascuis: aut mellificium curat: aut oues tondet: aut denique sese collectis frugibus oblectat, Dijsque sacra facit.

30 Neque verò mirere, Lector, quòd vim inferendi & concludendi, insitam particulæ *ergo*, hìc immutârim contra reliquorum consensum, & per copulam discernendi explicauerim: quia meo iudicio Poeta non tam vult inducere consequutionem ex his antecedentibus: *Vir beatus non quærit bello, nec nauigatione, nec litigatione, nec consuetudine potentum ditescere: ergo vites propagat & maritat, & reliquum opus facit rusticum:* quod non potest necessariò consequi, non tam, inquam ego, vult inferre, quàm ostendere hæc inter se aliquâ solum ratione dissentire, tanquam diceret: Vir beatus non facit illa priora: sed hæc posteriora opera curat.

Pars autem antecedens huius diuersitatis è quatuor exercitationibus negatis constat, quæ quum fiunt, rem domesticam plurimùm solent, sed non sine periculo vitæ, amplificare, summosque honores mortalibus comparare: sicut consequens multùm valet ad vitam bene beateque sustinendam ac tuendam. Cicero tamen 1. Acad. è Stoicorum opinione felicitatem non ab ijs rebus proficiscì scribit, quæ nobis aut ab alijs, aut à fortuna fiunt, sicut Aristoteles 1. Ethicorum ad Nicomachum & 7. Politicorum existimauit, quia ad eandem cumulandam adiunxit externa bona, quod posterius Anaxagoras animaduertit, cum opinionem eorum improbarit, qui censerent μηδένα τῶν ἀνθρώπων εὐδαίμονα ἀνδρώπου ἄξιον εἶναι, εἰ μὴ ὁ αὐτὸς ἔχοι μεγάλας τε, καὶ πλοῦτον, id est, *Neminem felicis hominis nomine dignum, nisi magnus esset, natura pulcher, diues:* mihi contra, ille dixit, felices ac beati videntur esse, qui rectis honestisque actionibus incumberent, diuinæque contemplationis participes essent. Benè autem viuere, non mihi videtur idem esse, quod beatè: quo vtroque sum modò vsus.

Nam

Nam qui bene viuit, id congruenter virtuti facit: sed qui beatè, huic nihil omnino deest, neque nobilitas, neque proles, neque opes, neque diuitiæ, neque amici, neque vires corporis, nec deniq; pulchritudo: sine quibus tamẽ licet bene viuere: quod est virtutis proprium, vt Cleobulus Lindius apud Laertium vnus è septem Sapientum Græc. ἀρετῆς οἰκεῖόν ἐστι καλόν μισεῖν, dicebat. Quod si nos sequimur illud Ciceronis Tusc. 5. id esse beatum; quod in genere suo expletum est, atque virtutem ipsiusque compotes huiusmodi esse, vtrumque decet beatum prædicare.

Ab editione priori harum prælectionum incidimus in problemata logica Rodolphi Goclenij professoris Academici in schola Marpurg. qui in 25. probl. logic. partis secũdæ animaduertit & obseruauit ellipsin notę assimilãtis, *vt* vel *sicut* hîc explendã esse, quũ ita scribit, *Aliquando prorsus nullam esse notam similitudinis ostendit P. Ramus hoc exemplo Virg. eclog. 2.*

O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt: vaccinia nigra leguntur.

Ita similitudo suis notis ac partibus explicanda & ordinanda est: vt candidi flores ligustri decidunt, grana autem nigra colliguntur: sic candor formæ deperit, nigror remanet. Nos ad illam, Goclenius inquit, Rami obseruationem addimus hæc Horatiana, in quibus particula Sicut ellipsis est in vers.

Neque excitatur classico miles truci,

Id est, sicut miles. Non enim negat Horatius militem classico excitari truci; sed agricolam, qui rus suum colit, negat ita excitari classico, vt milites solent. Eadem nota potest etiam desiderari in duob. sequentibus, neque idem agricola horret iras maris, sicut nauigantes mercatores: neque forum frequentat, sicut cliens litigator. Alter locus Horatij est in epist. 3. lib. 2. ad Pisones. vers.

Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres, vbi sic explendus est defectus notæ, *vt fidus interpres. Negat enim bonum imitatorem id sibi studio habere, vt verbum verbo reddat, quemadmodum interpretes fidi solent.*

Probo equidem non mediocriter obseruationem boni illius viri ac eruditi. Ideoque ex hac admonitione quatuor versus præsentes non modò diuersè, sed intercisè quoque ac dissimiliter poterunt explicari, vt beatus ille agricola videatur sic cum quatuor hominum generibus, militis, mercatoris vagi, litigatoris, Aulici dissimiliter comparari. In altero autem exemplo talem ellipsin iam ego animaduerteram & per, *more interpretis* expositeram.

3 Adhuc fuit suasio vitæ rusticæ ex opera rustica, aliis generibus viuendi remotis: sequitur eiusdem approbatio ex amœnitate rustica: in quam fœnerator Alphius ferè adductus est variâ subiectorum iucunditate. Primùm enim dulcissimum est sub vmbrâ ilicis antiquæ, & sub patulis ramis diffusæ alterius arboris, recumbere, molliq; in herba considere ad placidos lapsus aquarum, & ad fontes manantibus lymphis obstrepentes, & ad concentus auium somnũ inire, quem leni susurro suadent hæc omnia: deinde hyeme est iucundissimum & vtilissimum, se in omni venationis & aucupij genere exercere.

4 Locus est ex efficientibus, quòd huiusmodi studium abigat graues curas, & obliuione deleat & obruat, quæ animos hominum exedere solent, & vitæ iucunditatem tollere.

5 Perfecta & cumulata videbitur illa venandi voluptas, si ad eam accesserit vxor pudica & integra, quam hîc describit comparatione similium & variis factis, vt se talem gerat in familia curanda & augenda: quales solent esse mulieres Apulæ & Sabinæ: luculentum focum instruat redeunti è venatione & labore suo marito: diligenter gregem sæpiat & mulgeat: vinum præsentis anni depromat: cænam paret illi è fœtura pecoris domestici, & ornithotrophij.

6 Declaratur talis mulieris apparatus hyperbolicâ parium collatione, quòd marito tam iucundę sint mensæ tenues & sine arte ciborum stratæ, quàm quæ sunt conquisitissimis epulis exstructæ. Protasis quintuplex sex versibus comprehenditur.

7 Apodosis quoque totidem producitur, ipsaq; pariter quintuplex.

8 Hæc apodosis dilatatur adiunctis, quòd noster rusticus iucundissimo conspectu domum redeuntium ouium & boum è pascuis & aruis, & vernarum ad focum epulantium fruatur.

9 Locus est ex efficientibus, quòd Alphius hac vitę iucunditate & tranquillitate adductus propemodum sit ad illius cultum: vicit tamen eum praua consuetudo artis fœneratoriæ: cuius æschrocerdiæ ὥσπερ λέπας, σφοίγεται: *ita turpi lucro inhæret*, vt vix inde, ac ne vix quidẽ, diuelli queat: *vt ostrea suæ concha*, nisi ei vis inferatur.

Enarratio Grammatica.

Beatus ille.] Habetur quidem beatus, qui se totum in agricultura ponit: at illum Euripides censet ὀλιγώτατον, ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν, *beatissimum, cui nullum malum in diem accidit*: quod est ἀδιάπονον, ὅτι συγγενὲς τί ἐστιν ἡ λύπη καὶ βίῳ, *quia dolor & vita sunt quid congenitum.*

Procul negotiis.] Grammatici tradunt *procul* διμερεῖως sumi. Cum ablatiuo per se iuncta est prępositio, vt procul ambitione, & procul patriâ: vt hîc procul negotiis valet, depulsis omnib. molestiis & absterfis: interdum cum accusatiuo, locus procul muros. Sed quum absolutè vel cum alia præpositione & ipsius casu ponitur, aduerbiis adscribitur, vt, non quæsiuit procul aliunde: discedite hinc procul, & procul estis à naturæ cognitione, procul ab ostẽtatione res posita est. Verùm quàm rectè talis differentia fiat, è scholis Grammaticis P. Rami disce.

Vt prisca.] Non arbitror hoc referendum esse ad primum illud hominis genus, de quo sic Hesiod. ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις: ——ἐσθλαὶ δὲ πάντα

Τοῖσιν ἔλων καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον.

Bona autem omnia illis erant: fructum enim ferebat benigna tellus sponte suâ multum & vberem.

Quod Virgilius 1. Georgic. sic expressit:

——*ipsaq; tellus*
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat. Item Ouid.
Ipsa quoq; immunis, rastroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Non confertur noster beatus cum hoc hominum genere, vt immunis operum, & integer ab omni labore existimandus sit: sed potiùs comparatio videtur referenda ad iucundam terræ culturam & vitæ tranquillitatem & frugalitatem, quâ prisci homines fruebantur. qualis senex Aglaus quidam Psophidius dicitur frui solitus, ideoque ab Apolline feliciter Gyge Rege iudicatus est à Solone, propterea quòd ex limitibus agelli sui nunquam extulisset pedem, de quo vide Plin. l. 7. cap. 46. Val. Max. l. 7. c. 1.

Bobus.] Dicitur bobus διὰ τῆς συγκοπῆς. Nam analogia requireret bouibus. Alij tamen legunt bubus.

Exercet.] Ita sæpè à Virgilio vsurpatur pro assiduè colere, vt vomere colles exercere, & humũ in messem exercere, *labourer*: hinc ad homines, Cic. in variis casib. me Fortuna exercet. Gall. *tourmenté en diuerses sortes.*

Solutus.] Dicitur solutus omni fœnore, id est, debito. Gall. *deliuré de toute vsure & debte*, quomodo culpâ libe-

ratus, & crimine nefario solutus, Gall. *deliuré de coulpe & absous de crime meschant.* Dicitur autem fœnus, quasi fœtus nummorum.

Classico.] Sic Cæsar, *classicum canere*, & pro hoc aliquando signum tubâ dare, Gall. *sonner à l'arme.* Dicitur *classicum* à *calando*, id est, à conuocando. Sumitur interdum pro ipsa tuba, vt sub fin. 2. Georg.

Nec dum etiam inflari classica.

vt vox Græca σάλπιγξ pro tuba & ipsius sono, σάλπισμα. qui locus cum hac Ode comparatus lectorem multum iuuabit: vbi comparatur vita rustica cum Philosophica. Huic autem quamuis meritò primas dederit Poeta partes: rusticam tamen facit ei proximam, atque similiter nostro Horatio nostrum beatũ describit primùm in genere ad hæc verba: χρ. 485ν.

O fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint,
Agricolæ: quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fudit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem, &c.
At secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum: at latis otia fundis
Speluncæ, viuiq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni
Non absunt, &c. Sed in specie hîc:
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes;
Panaq; Syluanumq; senem, Nymphasq; sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres.

Et paullò post: —*nec ferrea iura*
Insanúmve forum, aut populi tabularia vidit.
Solicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum: penetrant aulas & limina regum, &c.

Forumq; vitat.] Non dubito, quin hic didicerit ex Anacharside, τὸν ἀγορὰν εἶναι τόπον ὡρισμένον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν καὶ πλεονεκτεῖν: *litigiosum forum esse locum hominibus ad mutuas fraudes & circumscriptiones destinatum.* Ideoque forum meritò vitârit.

Adultâ propagine.] Plin. lib. 16. c. 32. primum scribit arbores tribus modis nasci; aut spõte, semine, aut radice. Deinde lib. 7. cap. 10. dicit id fieri sex modis, repetitis duobus postremis: aut enim semine proueniunt, ait, aut plantæ radice, aut propagine, aut auulsione, aut surculo, aut insito & confecto arboris trunco. In hac autem Ode nomine propaginis intelligo stolones vitis, qui alligantur arboribus, tanquam adminiculis & pedamentis: præterea ex arboribus, quibus maritatur vitis, præcipuæ sunt, vt scribit Columella lib. 3. populus, quæ vitem alit maximè. (Cruquius tamen coniicit non malè è lib. 5. c. 6. Columell. posse legi Opulos, quę sit arbor etiam vitibus amica) deinde vlmus, posteà fraxinus. De duabus primis Plinius lib. 17. de vmbris arborum, rationem reddit: vbi scribit populo nullam esse vmbram ludentibus foliis, id est, semper trepidantibus. Vlmorum autem leuem esse vmbram etiam nutrientem, quæcunque opacat.

Maritat.] Videtur ordo verborum inuersus, pro, maritat adultos vitis stolones cum populis arboribus, vt Virgil. loquitur:

—*Vlmis adiungere vites.*

& Plin. l. 14. c. 1. *In Campano agro vites populis nubunt, maritasq; complectuntur.*

Inserit.] Quod Græcè propriè dicitur ἐμβάλλειν, ἐγκεντρίζειν καὶ ἐμφυτεύειν, χαλάσκον ἕτερα φυτῷ ἐμβάλλειν ἑτέρῳ φυτῷ, quorum translationes vide in Rhetoricis Odes 1. l. 1. Insitionis autem genera sunt duo: inoculatio, quam aues docuêre, ait Plinius libro decimo septimo capite decimo quarto, aperto in cortice arboris oculo velut sutoriâ filtulâ, illucque semine incluso: alterum fit per fissuram trunci terebrati, de quo ibidem & 2. Georg. ad hunc locum:

Nec modus inserere atq; oculos imponere simplex.

Reducta.] Sonat secreta & ab interuentoribus vacua. Alij tamen interpretantur curua & flexuosa inter colles, quod Gallicè dicitur: *esloingnée & à l'escart.* Prætereà vallis definitur Grammat. planities duobus lateribus montium vel collium inclusa, qualis est ferè circumscriptio Campanię apud Strabonem lib. 5. Τοιοῦτον μὲν εἶναι πεδίον ἀδιαμονέστατον, ᾧ συνεκτείνεται χωλοφία τε καὶ καρποὶ καὶ ὄρη. τὰ δὲ πρὸς Σαυνίτων καὶ τὰ πρὸς Ὀσκων, *esse planitiem fertilissimam, cui circumiacent colles vberrimi & montes Samnitum & Oscorum.* Ideoque Grammaticis τὸ *vallis* putatur dici, quòd vallis quibusdam valletur vtrinque, vt αὐλὼν, ὥσπερ δή τινα τόπον στενὸν καὶ ἐπιμήκη, *locus angustus, & in longum extensus.*

Prospectat.] Valet hoc verbum itentidem prospicere longè tanquam è specula. Sic Liuius, *ex tectis fenestrũq; prospectant.*

Amphoris.] De *amphora* dictum est Ode 9. lib. 1. & 8. l. 3. sicut de *Autumno* Ode 7. l. 4.

Vt gaudet.] Vt, est hîc θαυμαστικὸν, sicut Græcè, ὡς καλὸν ὄσδιε! *quàm suauiter olet!* notâ admirationis, sicut etiam in illo Ciceronis, *vt ille tum humilis! vt demissus erat! vt ipse etiam sibi non iis solùm, qui aderant, displicebat!* Gall. *O qu'il faisoit du petit, ô qu'il se desplaisoit.* & hîc, *ô qu'il prend de plaisir à cueillir les poires de ses antes.* quas Græci vocant ἀπίους ἐμβολάδας. Boni Latinitatis auctores rarò vtuntur huiusmodi deriuatis in, *iuus*, pro quibus vsurpantur sępiùs finita in *ius*, vt insitĭtius, aduentĭtius, adscriptĭtius, receptĭtius seruus, & similia. quæ in *iuus* nomina quamuis Priscianus tradiderit significare actum, παθητικῶς, tamen Plinius lib. 15. cap. 7. sumsit, quum dixit, *Eadem ratio est & in satiua Myrto.* Item Agellius: *Sed hi plerasq; naues loris suebant: Græci magis cannabe & stupa, cæterisq; rebus satiuis*, id est, quæ seri solebant. Est tamen Epist 95. Senecæ, *Hanc partem Philosophiæ, quam Græci παραινετικὸν vocant, nos præceptiuam dicimus*, tale nomen ὀνρηλικῶς è sententia Prisciani sumtum, vt sunt Græca in ικὸν desinentia. Quare talia sunt ponēda in verbis mediæ notionis. Quæ verò desinũt in tius παθητικῶς sumuntur, vt adscriptitius ciuis, qui recens donatus est iure ciuitatis: receptitius seruus, qui retinetur, vt exceptus & reseruatus.

Certantem.] Id est, concolorem & æqualem purpuræ & cum ipsa certantem liuido colore.

Quâ muneretur.] Sic Cic. *me opiparè muneratus est.* Gallicè: *il m'a fait vn magnifique & honeste present.*

Te Priape.] Priapus fuit Veneris atq; Liberi patris filius: Scholiastes tamẽ Theocriti in Idyllio α aliter sentit: τὸν Πείητορα Νύμφης Ναΐδος ἢ Χίονης καὶ Διονύσου φασὶν εἶδον, ὃν κατὰ πόλιν τὴν περὶ Λάμψακον πόλιν, i. *ferunt Priapum Naidis vel Chiones & Dionysii filiũ, quem procreauit iuxta Lampsacum vrbem:* παρ' ἐνίοις δὲ ὁ αὐτὸς δοκεῖ τοῦ Διονύσου. ὁπότε τῆς ὁδοιπορίας φαίνεται. ἔστι δὲ οἷον ἢ Βειητῖνος διὰ τὰς ἐν Βακχείαις καὶ μέθαις ὀκ βοήσεις, ἢ Πείητος· *sed apud nonnullos Priapus est idem qui & Dionysius, quod è notatione apparet. Potest enim dici vel grauiter sonans propter exclamationes in Bacchationibus & ebrietatibus, vel Priapus παρὰ τὸ πρήθειν.* Plutarchus libello περὶ φιλοπλουτίας scribit phallum, id est, simulachrũ Priapi in põpa Bacchanaliorum gestari solitũ post amphoram vini, fasces palmitum, hircum tractum ab aliquo, vt tophinum caricarum gestatum. Prætereà hortorum & vinearum habitus est custos, vt Ecl. 7. Virgilij; Thyr.

Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti:

vbi veteres simulacrum ipsius ficulnum & rubrum statuebant erecto pene, διὰ τὸ πρήθειν τὸ σπέρμα, *à semine profundendo*, vt Grammatici notant, quod Theocriti Deca-

octostucho

octostícho epigrammate significatur, cuius solùm hîc Tetrastichon adscribam:

Τλὺ ἀυτίω λαῦραν, τῇ αἱ δρύες, αἴπολε, κόμφας,
Συκίνου δ' ῥῆσεις ἀρπάλυφες ξυάνου
Τεισκελὲς, ἀυτόφλοιον, ἀνέστερ ἀλλὰ φάλητι
Παιδαγόνῳ δίωστον Κύπριδος ἐργάτελεῦ.

Quum vicum flexeris, caprarie, in quo sunt quercus, ficulneum inuenies nuper sculptum simulacrum tricrurum suo cortice obductum inauritum: sed Priapus genitalis potest opus Veneris perficere. quem tamen hîc Theocritus tricrurum describit, Archias nullis prorsus pedibus & deformem omnino depingit:

Φοξὸς, ἄπους, οἷόν κεν ἐρημαίησιν ἐπ' ἀκταῖς
Ξέστειραν μογερῶν ὑῆες ἰχθυοβόλων.

Acuminato capite, nullis pedibus, qualem in desertis littoribus edolauerint laboriosorum piscatorum filij.

Vides hîc, Lector, idolomaniam Ethnicorum & obscœnitatem, vnde Christiani diuinâ ope vindicati, debent Deo Opt. Max. gratias agere & se perbeatos ipsius ope prædicare. Diuus Hieronymus citat versum secundum de Priapo Satyr.8.lib.1. *Quem faber incertus scamnũ, facerétne Priapum.* vt ostendat Ethnicos non ignorasse idola non Deos esse.

Syluane.] De Syluano dictum est Ode 29.l.3.

Ilice.] De hac arbore vide Oden 13.l.3.

Tenaci gramine.] Pro herba densis radiculis in terram satis firmè actis,& pedes incedentium tenentibus.

Queruntur.] Quamuis hoc sit verbum doloris & gemitus; vsurpatur tamen, vt verbum cantionis. Ouid.l. 3.Am. Eleg.1. *Dulce queruntur aues.* Porphyrio scribit veteres vsurpasse querelam pro vocibus omnium animalium præterquam hominis. Hic autem locus Ouidij distinguit genus querelæ verbo *dulce* per antimeriam, pro dulciter & iucundè, quemadmodum loquitur Cicero 2.de finibus: *Voluptate sensus dulciter & iucundè mouetur.* Aliter sumitur Epist.7.l.1. *Reddes dulcè loqui.*

Obstrepunt.] Ita Ode 13. l.3.

——*vnde loquaces*
Lymphæ desiliunt tuæ.

vt notatum est in Grammaticis eiusdem Odes, sicut de Lymphis.

Somnos quod.] Pro, *quæres*, vt Epodis 5.sequentibus.

Trudit in plagas.] Id est, cogit eos se coniicere in retia quibus irretiti capiuntur.

Multa cane.] Multis periculis compertum est, fœmellas canes ad venandum maribus sagaciores & velociores, vnde à Virg.7.Aen. sub medium dicuntur, rapidæ:

Hunc procul errantem rapidæ venantis Iuli
Commouêre canes.

Amite.] Ames definitur à Festo furca & pertica aucupalis.

Turdis edacibus.] Ita Martialis auidos, interdum Horatius obesos,& Martialis rursus:

Subdola tenduntur crassis modò retia turdis.

Horum Aristoteles tria genera facit l.9. de hist.animal. cap.19.&20. Primum dicitur κίχλη ἐξοφαγωτέρα, magnitudine picæ, quod viscò alatur. Alterum τείχας, ἀδὸς est simile κοσσύρῳ, *merulæ.* Tertium est ἰλιὰς, ἀδὸς, vel ἰλιὰς reliquorum minimum & versicolor, quam vocant quidam τυλάδα. Pro *tendit dolos*, Plautus, *consuere dolos* imitatione Homeri ῥάπτειν δόλους dicit.

Pauidumq;.] Sic Homerus Iliad.χ.

Ἁρπάζων ἢ ἀρνὸν ἀμαλὸν, ἢ πτῶκα λαγωὸν·
Rapiens vel agnum tenerum, vel trepidum leporem.

Adeò autem naturâ est huic feræ timiditas ingenerata, vt illi non συμβεβηκυῖα, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν, *non attributa, sed propria sit:* ideoque Homer. sæpè vsurpat πτῶξ substantiuè de lepore, deflexum πτηγὸς τὸ πτήσσειν ἢ πτώσσειν, quod est *metu contrahi & percelli timore:* quo fit, vt Nicander eum ita circumloquatur: δερκώεα σκύλακα, vel, vt Suidas legit, σκύλακα, *catulum inter somnum videntem:* vnde natum est prouerbium contra nimis anxios & trepidos à Demosthene vsurpatum in Aeschinem, λαγῳ βίον ζῇς, δειλὸς καὶ τρέμων, καὶ ἀεὶ πληγήσεσθαι προσδοκῶν· *vitam leporis viuebas, timens & tremens & semper verbera exspectans.* Etymon autem vocis λαγῳς quidam ducunt ab epitatica, id est, intentionis syllaba λα & οὖς οὠτὸς, quòd lepus sit bene auritus. Alij verò à λάειν, id est, δέρκειν καὶ βλέπειν, *a videndo,* vt Eustathius in vers. Ιλιαδ.λ. annotat,

Εν νέμει σιερῷ, ὅπι τε λῖν &c.
ὁ λὶς, ὁ λέων γίνεται ὀνομα τὸ λάω, τὸ δέρκω, ὡς ὀνομα τέτακται δορκὰς ἀδηφ. ὅπω καὶ, ὁ λαγὼς ὀνομα τοιοῦτον, ὅσπερ αὐτοφώτας καὶ θεύδει ἔχων τοὺς ὀφθαλμους.
ὡς παλαιοί φασι, id est, *Leo deducitur è verbo significante video, vt Dorcas, Dama, ex altero eiusdem notionis.* Sed Hebræum לָיִשׁ *Laisch,* à rabie & fœmitu dicitur. *Sic etiam lepus è priori verbo videndi, qui dormit oculos habens apertos, vt veteres memorant.* Idem apertius declarat in suis parœcbolis ad vers. Ιλιαδ.Α.

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε πεδὰ γλαυκῶπις Ἀθηνή, i.
Hunc rursus alloquuta est Dea cæsiis oculis Pallas.

Καὶ λαγωὸς, ὡς ἐκεῖνός φησι, ἐρώτων ἀνάθημα διὰ τὸ παντὸν τῆς κατὰ κλῆσιν ὁμοιότητος. λαγώς τε γὰρ ἀπὸ τοῦ λάειν, καὶ ἔρως ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν. ἅτε τὸ βλέπειν μιμούμενοι, id est, *Lepus, sicut ait ille, est donarium amoribus offerri solitum propter affinitatem deriuatæ appellationis. Vox enim Lagos ex eo dicitur, quod videt: atque Eros ex eo quoque quod cernit, & ad quod animum adiungit,* quamquam nota spiritus varietur. Sic etymologicum magnum notat vtramque vocem λέων καὶ λαγὼς. Quo fortasse spectat illud Nicandri superius. Latini à leuitate pedum. Agellius tamen lib.1.cap.8.è lib.14.rerum diuinarum docet Varronẽ reprehendisse L. Ælium præceptorem suum, quòd verborum aliquot antiquorum Græcorum, perinde atque essent propria nostra, reddiderit causas falsas: non enim leporem dicimus, vt ait, quòd est leuipes: sed quòd est vocabulum antiquum Græcum, vt δασύπους, à villosis pedibus. Quòd autem quidam dicunt pauorem huius animalis à nimia cordis magnitudine proficisci, verius mihi dicere viderentur, si ab amplitudine lienis & ab abundantia bilis atræ illum nasci dicerent, quâ redundat lepus, ceruus, asinus. Budæus in Pandectis scribit versum Terentij in Eun.Act.3.Sc.1. *Lepus tute es & pulpamentum quæris.* translatum è prouerbio Græco δασύπους ἦν κρεῶν ἐπιθυμεῖ, id est, *lepus carnes discupit,* quum quis quærit in altero, quod in se habet: vbi est Donaro ἔπος ἀλληγορία, quod ille profert, vt hoc prouerbium, πρότερον χελώνη καταδραμεῖται τὸν δασύποδα, id est, *prius testudo leporem cursu præcurrerit,* vt ostendat nihil interesse inter λαγωὸν καὶ δασύποδα, contrà atque Plinius sensit, aut alioqui Terentium malè prius prouerbium vertisse. Est autem τὸ *pulpamentum,* condimentum, quod fit ex pulpa vel lumbis leporis.

Aduenam.] Tanta gruum prouidentia celebratur, vt in prouerbium olim abierit, αἱ γερανοὶ λίθους καταπεπωκυῖαι, *Grues lapillos deglutientes,* de prudenter tractantibus suâ negotia. Sumtum autem est ex auibus Aristoph.

Ἐκ μὲν γὰρ Λιβύης ἦκον ὡς τεὶς μυρίαι
Γέρανοι δεμελίης καταπεπωκυῖαι λίθους·
E Lydia venerunt quasi ter dena millia gruum, vbi deuoraſſent lapides pro firmamento. Mare enim transeuntes saburram deglutire scribunt, quæ illis pondus addat, ne tempestate forsan obortâ ventis in fluctus deiiciantur & deturbentur. Idem confirmat Plin.l.10.c.23. vide etiam ea de re 2.de nat.Deor.& de ordine ipsarum volantium. Remigrant autẽ hę peregrinę aues è septentrionali in australem regionẽ, & hinc illuc sub finẽ autumni & hyemis.

Captat gruem.] Verbum est venatoris & aucupis pro insidiatur gruibus: quod autem addit ἐπιξηνοπικῶς, *iucunda præmia*, referendum est ad præcedentia, apros, turdos, leporem & gruem, qui cibi sunt inemti & rusticis iucundiores omni voluptate vrbanâ. Vox præterea *Grus* Latina est, efficta ἀπὸ τῆς ὀνοματοποιίας ab ipsarum sono: sed Græca γέρανος Eustathio Iliad. β. ἀπὸ τοῦ πρὸς γῆν ἐρᾶν, à terrâ scrutanda & effodienda rostro ad id accommodatè acuto & longo.

Non malarum.] Ellipsis est substantiui, pro, quis non obliuiscitur inter venationem malarum curarum, quas amor, id est, cupiditas diuitiarum habet? neque hîc puto referendum ad Venereum affectum. Quamquam ode 1. lib. 1. amor castæ coniugis honestus posthabitus est oblectamentis venationis.

Quòd si.] Quæ tale præstet officium marito, quale in Sticho dicitur illud Plauti:

——*Pudicitia est pater*
Eos magnificare, qui nos socios sumsêre sibi.

Quale fingitur etiam illa ex apicula nata. Genus enim mulierum fingit Phocylides natum ex his quattuor animalibus; cane, sue, equo iubato & apicula, vt Stobæus refert Sermone 71. de vituperatione mulierum. Exemplum autem mulieris natæ ex apicula in præsentia tantùm memorabo, reliqua viset lector ibidem:

Τλὼ δ' ὰν μελίσσης, πρὸς πὸς δύτυχὲς καλῶρ
Κείνη γὰρ οἴη, μίσμ@ ὲ σεσοιζάνει
Θάλλει δὲ σὺν ἀυτῆς, καὶ πλέξται βί@.
Φίλη δὲ σῷ φιλοῦντι γηρόσκει πόσει,
Τεκοῦσα καλὸν, κουρομάχλυτον γιό@.

Verùm qui ex ape natam duxerit, felix est. Illi enim soli nulla infamiæ nota inuritur. Floret eius operâ domus, & rebus ad vitæ cultum necessariis cumulatur. Cara cum amanti marito consenescit: vbi peperit honestam prolem, & nomen famâ celebratum.

Sabina.] Singularis est Satyra 6. Iuuenalis de hoc industriæ, diligentis & pudicæ mulieris delectu, & nominatim de Sabinis dicit:

——*intactior omni*
Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ. Item:
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum.

Perusta solibus.] Græcè dicitur ἠλιόχρως@, Idyl. 1. Theocriti: ——Σύραν καλέουσι τὴν πέντις
Ἰχνὰν, ἀλιόχρωτον.
Omnes vocant te Syram gracilem, solibus vstam.
quod explicandum est, aut ὥσπερ ῥυσὸν δέρμα, καὶ διακεχαυμένον εἰς μελάντατον, *cuius est rugosa cutis & æstu denigrata*, aut ἠλιοκαὴς, ἠλιωμένη, cui opponitur ἐν σκίᾳ τεθραμμένη, i. *in vmbra enutrita.*

Appuli.] Apulum pernicem vocat impigrum, celerem & industrium, perseuerantem & semper diligenter aliquid conantem, à pernitendo: vt Seruius, citans hunc locum, exponit in hemistichium 3. Georg. *dura iacet pernix:* κατὰ διπλασιασμὸν literæ *p* dicitur pro Apuli.

Exstruat focum.] Quidam hîc Hypallagen agnoscunt, ego verò nihil immutatum atque inuersum video, non secus atq; in hoc loco Ciceronis, exstruere mensas epulis, item instruere hortos variis plantis, & socios armis.

Sacrum.] Existimo id referendum esse ad inutiles veterum Ethnicorum ritus, qui tamen præceptum verecundiæ continent: nam illis credebant Vestas & Larem, Penates ac Deos domesticos rei familiaris tutores esse: ideoque illi sacra faciebant, ac, ne quid inuerecundè ac turpiter domi fieret, summè cauebant, vt Hesiodus sub finem operum monet:

Μήδ' αἰδοῖα γυνὼ πεπαλαγμένο@ ἔνδοθεν οἴκου
Εἰσίη ἐμπελάσσον ἀθεφανέεσσι, ἀλλ' ἀλέασθαι.

Neque pudenda semine contaminatus in domo ad focum patefaciás, sed deuites. Hîc quidam legunt, *sacrumq;*, alij *sacrum &*: & focum sacrum intellige Vestæ & Lari consecratum. De foci Etymo dictum est Od. 9. lib. 1. vt de Græco ἑστίαρος, pro quo Hesiodus modò dixit ἔσχαρα, de quo notas etiam reuise in Gram. od. 2. l. 1.

Textis cratibus.] Cratis videtur deflecti ἀπὸ τοῦ κραταιοῦν, à corroborando & fulciendo & muniendo: cuiusmodi firmamento prædita sunt, quæ nexu & contextu implicantur, vnde arbores ita implicatæ & radicibus implexæ dicuntur παρρούδειν more cratis, quæ vox apud Festum facit per diminutionem craticulum: vnde coniectura est olim τὸ crate in neutro genere vsurpatum, pro quibus hodie cratis & craticula in fæmin. vt Græcè παρρὸς καὶ παρρίον.

Siccet vbera.] Id est, mulgeat pecoris vbera lacte distenta. Sic Plautus, *ventres escâ distendant suos.* Gall. *qu'ils mangent tant, que le ventre leur tire.*

Horna.] De hac voce fuit Ode 23. lib. 3.

Dapes inemtas.] Ita Virgil. de sene quodam Corycio, quem non opes ditem faciebant, sed animus, 4. Georg. cui licet pauca essent agri relicti iugera, ille tamen

Regum æquabat opes animis, seraq; reuertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.

Apparet.] Donat. in And. Act. 4. Sc. 1. v. 23. annotat *apparari* cum dandi casu semper eadem & perniciem significare: Virgilius, *mihi sacra parari* Aeneid. 2. v. 132. Hîc nihil tale potest cogitari de sedula muliere rustica, quæ festo marito agricolatione dapes inemtas solet apparare: neq; est, quòd quisquam dicat deesse hîc casum dandi: quum satis intelligatur ram in hoc verbo, quàm in *exstruat focum* superiori.

Iuuerint.] *Iuuat* ἀφεῖσωτον ῥῆμα delectationis est: vt, *forsan & hæc olim meminisse iuuabit.* item Plautus, neq; vnquam quicquam me iuuat, quod edo domi. Gallic. *ie ne prens point de plaisir à ce que ie mange à la maison.*

Conchylia.] Κογχύλιον vox est Ἑλληνικὴ ὑποκοριστική, *Græca extenuationis & diminutionis*, ἀπὸ τῆς κογχύλης, & hæc ἀπὸ τοῦ κόγχη, vel τῆς κόγχης, à concha, de cuius vario genere lege Plinium l. 9. c. 36. Conchylium autem, vel potiùs κόγχ@, vt πρὸς τὸ χάσκειν deflectatur, *ab hiando & aperiendo*, probabile quidem est è prouerbio, Κόγχον διεῖλες, id est, pariter æqualiterq; rem partitus es. Concha enim constat è duabus testis, quæ facilè diuelluntur, vt dictum est Ode 29. libr. 3. sed cochlea vnicam habet testam in gyrum actam. Habes etymon vocis: ratio significatus est duplex. Primum est certum genus conchæ, quod mensis exquisitis expetitur maximè, quomodo hîc sumendum est. Deinde est genus vestis infectæ ostro & purpurâ per metonymiam, vt apud Quintilianum lib. 1. cap. 1. de puero molliter & delicatè erudito: *nondum prima verba exprimit & iam coccum intelligit, iam conchylium poscit*, id est ex appellatione Plinij, conchyliatam & purpuream vestem. Lucrina conchylia sunt, sumta è Lucrino Baiarum lacu.

Rhombus.] Ῥόμβ@ παρὰ τὸ ῥέμβειν, à circumagendo in gyrum, est primùm ἔχ@ & rota, quemadmodum sumitur εἰδύλ. β. Theocriti:

Χ' ὡς δινεῖτ' ὅδε ῥόμβ@ ὁ χάλκε@, ἐξ Ἀφροδίτας
Ὡς ἐχθὴν@ δινοῖτο ποτ' ἀμετέρησι θύρῃσιν.

Et quemadmodum hæc rota ænea circumagitur: sic ope Veneris ille Delphis aduoluatur foribus nostris.

Est deinde nomen quadrati, æquilateri quidem, sed non rectanguli. Præterea est genus piscis ex Athenæo, quem vulgus Gallorum, vocat *turbonem*, quo modo hîc accipiendum est. Quidam putant eundem esse piscem, qui à Græcis dicitur φήπα, piscis è genere latorum, & inter eos tenet principatum in deliciis popinalibus, vt aquatilis Phasianus habeatur, de quo Plinius lib. 9. c. 16.

Vade

Vado maris excauato condi per hyemes torpedinem, pſittam, ſoleamq; tradunt. Gaza tamen vertit in hiſt. Animal. lib. 9. cap. 37. πλῶ ψῆτταν καθαμμίζειν, *paſſerem ſeſe arenâ obruere*, tu videris: ſatis hîc videtur noſſe Rhombum piſcem Romanis fuiſſe in pretio, vt Scarum. Hic autem ſibi inde nomen inuenit παρὰ τὸ σκάρειν, *à ſaliendo*: quòd naſsis incluſus non fronte erumpat, nec viminibus infeſtis caput inferat, ſed auerſus crebris ictibus, tanquã σκαρθμοῖς, ſaltibus, laxet fores, atq; ita retrorſum erumpat, ex Plinio lib. 9. c. 15. qui præterea ſcribit ſuâ tempeſtate Scaro principatum datum fuiſſe: quia ſolus piſcium dicitur μυκᾶσθαι ruminare, & herbis veſci, non aliis. Carpathio mari maximè frequens. Diphilus lib. 6. Athenæi ſic eum celebrat: σκάρος ἁπαλόσαρκος, ψαθυρὸς, γλυκὺς, κοῦφος, εὔπεπτος, εὐανάδοτος, εὐκοίλιος. *Scarus eſt tenerarũ carnium, friabilis, ſuauis, leuis cõcoctu & digeſtu facilis, beneficium alui dans ipſo vtenti.* Vt non immeritò Ennius eum propter hæc commoda cerebrum Iouis appellarit, & Oppianus l. 1. ἁλιευτ. ſolum inter piſces dicit vocalem:

Καὶ σκάρον, ὃς δὴ μοῦνος ἐν ἰχθῦσι πᾶσιν ἀναίδοις
Φθέγγεται.

Et ſcarum, qui certè ſolus inter omnes piſces mutos ſonum edit, &c.

Præterea Gellius l. 7. c. 16. ponit ſcaros Cilicas in his generibus eduliorum, quæ, vt præſtantiora cæteris, profunda hominum ingluuies veſtigauit: ad quam deteſtandam citat appoſitè hos Euripidis verſus:

Ἐ'πεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυεῖν μόνοιν
Δημήτερος ἀκλῆς, πώματος θ' ὑδροχόου;
Α'ἵνα πάρεσι καὶ πέφυκ' ἡμᾶς τρέφειν.
Ω'ς οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονὴ, τρυφῇ δέ τοι
Α'λλων ἐδεσμῶν μηχανὰς θηρώμεθα: id eſt,

Nam quibus cibis opus eſt mortalibus, præter duos ſolùm Cereris donum & poculum effuſæ aquæ? quorum facultas adeſt ad nos ſuſtentandum comparata, quorum quidem non ſatis eſt abundantia, ſed per luxum artes aliorum edulium indagamus.

Si quos Eois.] De hac voce vide Oden 36. lib. 1. Senſus eſt: Si qui Scari tempeſtate aliquâ deferantur, & à mari Ionio & orientali, vel Carpathio, vento ſpirante ab Oriente in noſtrum Tyrrhenum, appellantur.

Intonata.] Nouè dictum putant Grammatici: ſæpiùs enim reperitur, tonitum, ſupinum à tono. Itaque inſolens, vt aliàs *lauatum* notaui, habendum.

Auis.] Ὄρνις eſt notionis communis apud Græcos, ſed ſeparatim reſtringitur ad gallinã, de quo lege Columell. l. 8. c. 2.

Attagen.] Dictio Græca eſt ſine duplici pronunciata: Attico quidem αἱ ἀτταγαὶ, ſed communiter ἀτταγῶνες, à rectis ἀτταγᾶς & ἀτταγὼ, quem Latini ſunt ſequuti, attagenem & Attagenam dicentes. Hanc autem auem Alexander Myndius lib. 9. Athen. facit perdice aliquantò maiorem, picto dorſo, colore teſtaceo, ſed magis rutilo, quo factum eſt, vt ſeruos ſtigmaticos & Threiciâ notâ ſignatos Ariſtophanes in auibus appellet ioco ἀτταγᾶς. Ariſtoteles lib. 6. hiſtor. animal. attagenem ponit ἐν ὄρνισι κονισικοῖς, in auibus puluere gaudentibus, & volubilibus, quales ſunt gallina, perdix, Phaſianus, & Galli vocant *becaſſe*, fortaſſe à roſtro longiore. De hac Plinius lib. 10.

Ionicus.] Ab Ionia, regione Aſiæ, vicina Cariæ, vbi ſunt Epheſus & Miletus, vrbes celebres. De Ionio mari lege ſcholia in Πυθ. Pind. εἰδ. Γ. ἐπῳδ. γ. ad verſ.

Ἰωνίαν τέμνων θάλασσαν, id eſt,

Ionium ſecans mare.

vnde diſces & vocis etymon, vnâque chorographiam.

Oliua ramus, &c.] Oliua, ſicut olea, ſumuntur interdum pro fructu, vt hîc oliua, & epiſt. 1. lib. 2. ad verſum, *nil intra eſt oleam*, interdum pro arbore, vt ode 7. lib. 1. *vndique decerptæ frondi præponere oliuæ.* & epiſt. 16. *an baccis opulent & oliuæ.*

Aut herba Lapathi.] Grammatici notant hîc ſyntaxin rectionis pro conuenientia, quale obſeruatum eſt ſuprà & vrbs Patauî, pro herba lapathum & vrbs Patauium, & rectè deflectunt τὸ λάπαθον ex Dioſcoride & Suida παρὰ τὸ λαπάθειν, ἢ λαπάσσειν, ἢ λαπάζειν, ὅτι μὲν ἐψηθὲν ἐκνεῖ καὶ ἀπαλλύει καὶ μαλάσσει πὼ κοιλίαν, *quòd decoctum exinanit & emollit aluum*, cuius alias vires & genera vide lib. 2. cap. 140. Dioſcoridis, vt maluæ eiuſdem libri 144. quæ à Græcis μαλαχὴ παρὰ τὸ μαλάττειν, ab emolliendo ſimiliter lapatho: ſic à Varrone dicitur malua quaſi molua, à molliendo, vt docuimus Ode 3. lib. 1.

Terminalibus.] Hæc feſta celebrabantur, & agna quotannis immolabatur 10. Calendas Martias, qui dies eſt Februarij viceſimus ex inſtituto Numæ Pompilij, quî iuſsit eum & ipſius boues ſacros & diris deuotos eſſe, qui terminum exaraſſent, vt ſcribit Feſtus & Ouidius 2. Faſtorum. Dionyſius tamen paullò aliter ſentit, cuius verba ſubiiciam: *Pompilium iuſsiſſe circumſcribere fundos ſuos, ſacroſq; finibus lapides apponere, lapidesq; ipſos ſacraſſe Ioui Terminali: ſtatuiſſe deinde ſacra quotannis: omnes die conſtituta facere ſuper locum ipſum cocuntes. Hoc Romani Terminalia à termonibus vocant, finesq; ipſos vnius literæ mutatione, à noſtra lingua*, inquit Dionyſ. *proferentes terminos appellant τέρμονας, quos ſi quis occultauiſſet, aut tranſtuliſſet, ſacrum eum eſſe Dei lege ſtatuit, ita vt volenti eum occidere, tanquam ſacrilegum, ſecuritas adeſſet & impunitas. purgatio pollutionis. Deos enim putabant terminos, ſacrificabantq; eis non animatum aliquod: neq; enim pium eſt cruentare lapidem, ſed pultes & liba, atque alias quaſdam fructuum primitias.* Hic autem cultos finium Deus effingebatur modò ex lapide, modò ex ſtipite, vt conſtat ex Ouidio in Faſtis:

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agris
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Item è Tibullo:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trito ſtat lapis.

Florida ſerta lapis.

Vel hœdus.] Idem Martialis lib. 10.

Paruus onyx vnâ ponetur cœnula mensâ,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Ratio autem, cur pecudes à lupo morſæ fiant teneriores, affertur à Plutar. lib. 2. συμποσ. προβλ. 9. quia in ſpiritu lupi tantum eſt igniti feruoris, vt duriſsima quæq; oſſa in ventriculo emolliat & coliquet: ideo quum morſa, ab eo etiam dura facilè emolliantur: pòſt hœdos lupi faucibus ereptos guloſi æſtimabant hœdos permulti Tiburtinos. Iuuen. Sat. 11.

Ex Tiburtino venit pinguiſſimus agro
Hœdulus & totogrege mollior, inſcius herbæ.

Paræmiographus non reſpexit ad hanc Phyſices rationem, quum explicauit prouerbium, ἐκ στόματος τοῦ λύκου, i. *ex ore lupi*: quod ſcribit vſurpari ſolitũ de omni re præter ſpem recuperata: quæ multò gratior fieri videtur, quàm fuerat ante ipſius amiſsionem. Sententia tamen Phocylidis, adducti cuiuſdam humanitatis religione, tales carnes improbat.

Μυδὲν θηρόβορον δαῖσαι κρέας· ἀρκέσουσι δὲ
Λείψανα λεῖπε κυσὶν. θηρῶν ἀπὸ θῆρες ἔδοντα.

Nullas carnes eroſas à feris comedas: ſed velocibus reliquias relinque canibus: feræ à feris vorentur.

Hœdus præterea ex Varrone dicitur quaſi fœdus. Aſpiratio enim h linguâ Sabinâ cõmutabilis eſt in digamma Aeolicum, vt pro hœdus & hircus, fœdus & fircus dicatur.

Renidentes Lares.] Id eſt, ſplendentes atq; exhilarãtes focos. De hoc autem verbo *renidere* dictũ fuit Ode 18. l. 2.

Vernas positos.] Id est, famulos ante focum cænantes. Vernæ dicuntur, quòd è seruis & ancillis ipso vere nati sint.

Lares.] De his vide notas in Od. 12. lib. 1. vt de Idibus in Oden 11. libr. 4. quo die fœneratores exigebant sua nomina, dispersosq; nummos cogebant, & debita colligebant: id enim relegere hîc sonat, Gallicè, *Ils demandoient & recueilloient leurs debtes & rentes:* quas quidem pecunias collectas sequentibus Calẽdis in fœnore ponebant & collocabant: quod hîc dicitur ἐπαναπλικῶς, vt priùs, *vernas positos.* Huius autem fœneratoris Alphij meminit Columella, citans ex ipsius præceptis, quæ tradidit de arte Chrematistica, & fœneratoria, hoc vnum, *bona nomina nõnunquam mala sunt, si nunquam interpelles,* id est, nisi identidem exigas creditum, aut certè debitionem mercedulæ constitutæ reposcas, Gallicè, *Les arrenages de la rente.* Hanc autem vim τῶ *relegere pecuniam Idibus,* P. Pithoeus IC. mihi notus & amicus iam inde à puerilibus studiis, quæ præ cæteris suis condiscipulis studiosè videbatur οἷον δὴ αὐτομαθῶς καὶ αὐτοδίδακτος, semper excolere, sagacissimè peruestigauit, atque studiosis non vulgaris literaturæ proposuit lib. 2. Aduers. cap. 4. quem πατριωτικῶς καὶ συμμαθητικῶς dicauit Claudio Senneconi ὁμωφυεῖ αὐτῷ καὶ IC. suo condiscipulo, ac nostræ disciplinæ quondam alumno gratissimo, propter ingenuitatem naturæ ac docilis ingenij probitatem, qualem naturæ dotem non sum expertus annis compluribus minorem in fratribus atque ipsius patruelibus, reliquaq; familia Sennetoniana. Itaq; ius veteris amicitiæ & familiaritatis, quæ nobis tot iam abhinc annis cum illis intercessit, meritissimò postulabat à nobis, vt gratâ recordatione locum nostri Pithoei repetamus iis, quibus non suppetit fortasis copia libri. *Memini,* inquit, *ab antiquo glossario in M. Cic. Catilin. priore, dum ait: prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties, adnotatam, fœneratorum hanc olim fuisse consuetudinem, vt vltra statutum Kalendarum diem in Idus concederent dilationem. Itaque fieri solitum, vt quæ in Kalendas fœnerauerant: idibus reciperent & relegerent: in huius moris exemplum etiam adfert ex Horatij Epodu. 2. tetrastichum postremum.* Prætereà Plut. scribit lib. de non fœnerando, Neomenias & Kalen. dies sacratissimos ab vsurariis reddi nefandos & detestabiles, quò te remitto, Lector. Neomenia autem dicitur quasi nouus mensis & Calendę ab occultatione Lunæ: quia omne, quod occultè ac furtim fit, Romani *clam* appellant, tracto inde verbo *celare* ait Plut. libel. Quæst. Rom. quæst. 24. vbi etiam cognosces rationem vocum Nonæ ac Idus.

Explicatio Rhetorica.

METrum est idem cum illo Epodῶ 1. Quid si hoc præconium exclamatione pathetica pronuntiaretur? *ô vere beatus ille!* ὦ τετμαχάει ὄντιν ἀτρεκέως! *Negotiis* hîc σωρηδὸν λαβὼν videtur intelligendum de permagnis vrbis negotiis, operosis, molestis & hominem variè distrahentibus, quorum præcipua hîc memorantur valdè ab occupationibus rusticis discrepantia.

a Sumtum ab animantibus affectu præditis, vt rabies maris pro tempestate: qualis est tropus in *superba,* pro, magnificas fores ædium propter officia salutationum.

b Synecdoche est membri pro integris ædibus ac regiis.

c Metaphora est ab hominibus ad bestiarũ & plantarum coniunctionem, qualis fuit notata Ode 5. lib. 4. ad hæc verba, *Et vitem viduas ducit ad arbores.* & ad hæc, *Platanus cælebs,* Od. 15. lib. 2.

d Synecdoche est speciei, pro arbores in Grammaticis nominatas.

e In hoc verbo *errare* synecdoche est generis pro pascere, qualis est in *ludere quæ vellem* pro cantare. Sic Virgil. in Tityro: *Ille meas errare boues.* In *greges mugientium* est synecdochica periphrasis armentorum.

f Metaphora est ab animantibus, pro, ramos arborum pomis onustos. Idem est tropus in Tityro:

Inter alias caput extulit vrbes: pro illo 6. Aeneid.

Illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

g Exclamatio est per admirationem quattuor versibus ducta.

h Duplex Apostrophe sermonis ad Priapum & ad Syluanum.

i Hîc Poeta fœneratorem inducit loquentẽ de præstantia vitæ rusticæ & ipsam sequi volentem: sed prosopopœia est imperfecta: caret enim accessu & apparatu per admonitionem, vbi est tantùm nota recessus ad hunc locum: *hæc vbi locutus:* & hîc deponitur persona fœneratoris.

k Συμπλοκὴ est, soni eiusdem repetitio in principiis & clausulis vtriusque membri.

l Synecdoche esset speciei pro herba, vt notatum fuit Ode 3. l. 2. ipsiusque etymum, aliisque in locis, nisi epithetum *tenax* videretur ipsius naturam exprimere, quæ per singula genicula & internodia sursum virgulta mittit, multasq; radices deorsum agit, vnde renaciùs hæret. Quare satiùs est pro speciali herba hîc sumere, Gallicè, *chien dent.* Tribuitur quoq; hæc tenacitas Lappæ Elegiâ 1. l. 2. de Ponto, sed diuersâ ratione. Denique, quicquid facilè alteri adhæret, tenax solet vocari.

m *Labuntur* & *queruntur* anaphoram faciunt eiusdẽ soni circa postremas syllabas in principiis sententiarũ ἐν διαφόρᾳ διωνυμίᾳ, *in diuersa vocis geminæ notione.*

n Sumtum est à strepitu pedum, vt Tibullus dicit, *pedum strepitu terrere aliquem.*

o Synecdoche est integri pro parte anni frigida, qualis est illa 3. Eclog. Virg.

nunc formosissimus annus, pro *vere.*

p Metonymia est similis notatę Ode 1. lib. 1. pro cælo & aere procelloso.

q *Hinc* & *hinc* dicuntur κατὰ τὴν ὀπίζδξιν eiusdem soni continuè iterati in eadem sententia.

r Synecd. est vnitatis pro multitudine canũ, quod idem ferè valet, atque speciei pro genere. Quidam malè notant hîc enallagen numeri, quæ vox est Grammaticæ, non Rhetoricæ eloquutionis.

s Translatum est ab hominibus, pro, transmarinam, & aliàs in aliis regionibus degentem, more multarum aliarum auium exoticarum.

t Hæc interrogatio speciem habet epiphonematis & acclamationis, tanquam diceret: tam est singulare hoc remedium curas abigendi.

u Synecdoche est generis pro vxore: ac rursus Sabina & Apuli dicuntur per synecdochen speciei, pro qualibet muliere fideli, gnaua, industria, vigilanti & diligenti, strenua, quæ cap. 12. vers. 4. Prouerbior. dicitur, אֵשֶׁת חַיִל עֲטֶרֶת בַּעְלָהּ Hescheh Hail Hathereh bahhelah, id est, *vxor strenua est corona & decus mariti sui,* qualis describitur cap. 31. vers. 10. eiusdem lib.

x Metonymia est caussæ pro æstu & caloribus solis.

y Metonymia pro tempore redeuntis mariti.

z Lætum pecus dicitur, vt lætæ segetes, per metonymiam effecti, pro eo, quod bono corporis habitu & fœcundo lætificat dominum suum, vt Ode 4. lib. 4. *læta pascua* dixit.

In *textis cratibus* videtur metaphora ab his, qui ex

omni

omni genere filorum opus aliquod, velut neruorum implicatione nectunt, quomodo Epist. 17. lib. 1. dicit *Mileti textam Chlamydem.* & Tibull. lib. 2. Eleg. 3. *vestes texere & togam & telam plagas.* Gall. *tistre & faire robbe, habillement, toile & retz.* vnde locus, vbi huiusmodi opera fiebant, dicitur Ciceroni in Verr. lib. 4. *textrinum: quod* (Melitæ oppidum) *tamen isti fuit textrinũ per triennium ad muliebrem vestem conficiendam:* sic ὑφᾶν καὶ ὑφαίνειν ἱστὸν, πέπλον, ἱμάτιον, σπείρᾳ καὶ τὸ βύσσινα, texere telam, pallium, peplum, vestem Sericam & byssinam: per metaphorã sæpè ὑφαίνειν μῦθον, μῆτιν, δόλον, ἔργον ὅ, τι, *texere orationem, consilium, dolum, opus quoduis:* texere carinam, classem, vt hîc crates, translata sunt, quòd textura telarum sit vetustior fabricâ nauium.

aa Per metonymiã subiecti dicitur pro liquore dulci, qualem verbi transsumtionem Grammatici vocant μετάληψιν: quâ τὸ *dulci* tribuitur continenti, quod esset contento tribuendum: vbi tamen nulla est immutatio huius vocis *diem:* itaque nec tropus statuendus est.

bb Hæc quoque synecdochicῶς dicta videntur, pro lautissimis ac exquisitissimis epulis.

cc Metonymia est caussæ, pro intonante tempestate, ad sonitum fluctuum exprimendum, Gallicè *bruiante tempeste.*

dd Synecdoche est generis pro mari Tusco, vel certè Italico.

ee Synecdoche est generis, pro gallina Numidica & Africana, quæ abiit in prouerbium, λιβυκὸν ὄρνεον, id est, auis Libyca: quam Suidas interpretatur de prægrandibus, quæ inde afferuntur ingenti magnitudine: sed noster poeta de prælauta & valde delicata videtur intelligere. Talis tropus est in *arborum & olearum.*

ff Alterum est epiphonema sex versibus continuatum, pro, quàm iuuat hæc omnia spectare! ideo sic notanda est, non interrogationis modo.

gg Quidam putarent hîc partem συνεκδοχικῶς positam pro integro aratro: sed quia hoc non inuersum totum retrahitur domum, sed vomer tantùm inuersus apparet & paullùm ab humo sublatus, nullum agnosco tropum.

hh Ab apum multitudine videtur ductum, vt ostendimus in Rhetor. Odes 35. lib. 1. ad *recens examen iuuenum.*

ii Metonymia est tanquam adiuncti possessoris pro subiecto foco & domo, quomodo sumsit Ode 12. lib. 1. *& auitus apto Cum Lare fundus.* item Ode 29. lib. 3. *paruo sub Lare pauperum cænæ.*

kk Depositio prosopopœiæ Alphianæ.

Relegit sumtum videtur ab agricolis, qui sua fata certo tempore metunt & relegunt. Paullò aliter videtur translatum Epist. 2. lib. 1. *Troiani belli scriptorem relegi*, vt illîc Deo fauente dicemus.

EPODI III. AD MÆCENATEM.

Theticum.

Queritur his Epodis tragicum spirantibus, allium esse venenum maximè præsentaneum.

PArentis olim siquis[a] impiâ manu
Senile[b] guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius.
[2c] *O dura messorum ilia!*
[3] *Quid hoc veneni sæuit in præcordiis?*
[4] *Num viperinus hîc cruor*
Incoctus herbis me fefellit? an malas
[c] *Canidia tractauit dapes?*
[5] *Vt Argonautas præter omnes candidum*
Medea mirata est[f] ducem,
[6] *Ignota tauris illigaturum iuga*
Perunxit hoc Iasonem:
[7] *Hoc delibutis vlta donis[h] pellicem,*
Serpente fugit[i] alite.
[8] *Nec tantus vnquam siderum insedit[k] vapor*
Siticulosæ Apuliæ:
Nec[l] munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.
[9] *At, si quid vnquam tale concupieueris,*
Iocose Mæcenas, precor,
Manum[m] puella suauio opponat tuo,
Extrema & in sponda cubet.

Analysis Dialectica.

IOcosum sanè est hoc carmen & festiuum acroama, nulliq; magis audiendum, quàm Vasconum & Iberorum genti, ne posthac in tantis deliciis hoc herbæ genus temerè ducat: vel potiùs, ἵνα τούτῳ Ποιητὴς δήλως προσάδῃ, *vt apertè huic Poetæ accinat*, & se illo Suetonij loco tueri desinat, cap. 8. de Vespasiano, *qui, ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentem fragrantem vnguento, quum ipsi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissimâ increpuit, maluisse, inquit, allium oboluisses, literasq; reuocauit.* Desinat quoq; altero Galeni ad Pisonem lib. 12. Therapeutices, siue methodi, vbi allium dicitur theriace rusticorum, i. celeberrimum medicamentũ & antidotum aduersus venena, cuius esu dolor colicæ affectionis sedat. Ideoq; Plinius scribit allium ab Aegyptiis pro Deo, vt cæpe, cultum, ac in Deorum numero repositum. Inde Prouerb. σκόροδον ἐν δικτύοις, i. *allium in retibus*, in eos qui se muniunt rebus ad opus institutum necessariis, vt de Atticis proditũ est historiis, qui susceperuri aut nauigationem, aut expeditionem, aut obsidionẽ allia retibus imposita secum asportabant, quod Hispani Anno 1588. sub caniculã imitari eduxerũt ingentem exercitum in expeditionẽ naualem omni cõmeatuum, & in his aliorum genere refertũ, qui suis elatus copiis ac viribus vtrumq; Oceani latus & littus Belgicum & Britannicum minaciter terreret, sed tandem sensit quę gens hominum teneret, & custodiret. Credibile quidem est, Poetam temperie calidâ fuisse, & allio apud Mæcenatem comesо caput ipsius tentatum, oculos, renes, pulmones grauiter offensos, aluum turbatam: quod certè rarò accidit homini frigidi temperamenti, cui sæpè hæc herba salubris fuit. Eâ re igitur Poeta, ὡς πικρόχολος, (qualem se Epist. ad Pisones confitetur,

Qui purgor bilem sub verni temporis horam, & vltimâ

Epist. lib. 1. ad librum suum:

Irasci celerem, tamen vt placabilis essem:) vehementer commotus est, nec se tenuit, quin acerbè, contumelioseque in esum illius herbæ inuectus sit, illum tanquam auspicium malum, detestatus. Quod autem hîc conieci de constitutione Poetæ, Suidas confirmat, quum de Thracibus sic scribit: ἀρέσκονται δὲ τοῖς σκορόδοις οἱ Θρᾷκες, ἐπ ἀσκῶντες· θερμὰ γάρ εἰσιν. οἱ δὲ Θρᾷκες ψυχρὰν χώραν νέμονται, *Thraces alliis delectantur, nec immeritò: allia enim sunt calida, & ipsi colunt frigidam regionem.* vide ibidem reliqua de

hoc olere. Prima autem cõtumelia, quam in illud grauiter intorquet, enunciatur argumento è fine: quòd hæc herba videtur nata ad parricidas ſupplicio graui vindicandos: quod rurſus collatione minorum amplificatur: quia minùs ac lentiùs cicuta, quàm allium corpus cruciat, idque phyſicâ ratione niti videtur, quia frigida conſtringendo & ſenſim exſtinguendo: calida citò inflammando & conſumendo corpus enecant: in illo lentus eſt dolor & hebes: in hoc acer & acutus, & ſatis magna vis pœnæ ad ſceleratiſsimum quemque parricidam vindicandum.

2 Quòd homines reperiãtur, qui poſsint facilè ilia ducere poſt vſum allij, docet ex adiunctis, conſuetudine vrentiũ, & patientiâ huiuſmodi caloris id fieri, quæ iam obduruerunt ad talem dolorem: quod ſanè inſuetis allio veſcendi contrà, atque his, accidit.

3 Iam vires huius viroſi ſucci ſæuas oſtendit è ſubiecto, quòd tunicam cor ipſum inuoluentem ſentiat vehementer incendi.

4 Eiuſdem efficientiam diram declarat loco cauſſæ adiuuantis geminæ: quòd ad illud cruor viperæ & venefica mulier acceſſerint: vnde allium factũ fuit multò nocentius.

5 Altera adiuuans declaratur ſimili exemplo Medeæ, vbi latet minorum collatio, quòd reliqui Argonautæ poſteriores habuerint partes apud Medeam in amatione. Verùm hoc quidem exemplum poſſet etiam κατὰ πλῆ πρὸς ἄλληλα ὁμοιότητα pronuntiari, atq; tum initio explendum τὸ sic μᾶλλον ἀνταποδοτικὸν, ἢ ἕτερον τι ὁμοιωματικῶς ſumẽndum: vt tota comparatio ſine pathetica interrogatione hoc modo proferatur, ſic cruor viperæ incoctus in hoc allio me latuit inſciũ, & venefica Canidia ſic hos exitioſos cibos tractauit: vt Medea filia Æetæ Colchorum regis amore capta Iaſonis Argonautarum ducis, hunc ipſum ſucco allij perfudit: quo potuit facilè ſpiritus taurorum peruigilisque draconis reſtinguere, id eſt, robuſtiſsimos velleris aurei cuſtodes vincere & illud auferre. Sed interpretatio, quæ particulã vt facit ὑπέρθημα χρονικὸν, videtur præſtare, ita exemplo pronuntiato, ex quo Medea cœpit pluris facere Iaſonem Argonautarum ducem ac præ cæteris amare, illum ſuffitu allij armauit, eiusque vi nullo negotio ſuperauit, cuſtodes & aureum vellus rapuit. Præterea videtur hæc herba pro antidoto alterius mali dari, quo velut armatus Iaſon à Medea flammiferos ſpiritus taurorum, & peruigilis draconis facilè reſtinxit: vt nihil tetrum & exitiale potuerint illi cuſtodes velleris aurei in eum ſpirare: vnde facilè perſpicias hanc herbam partim valere ad perniciem homini ferendam, partim ad eandem ab ipſo depellendam, id eſt, ad ſeruandum vel ad perdendum, pro ratione ſubiecti & affecti corporis. Verùm quum medicorum axioma præcipiat, contraria contrariis ſanari, ac præcipuè Hippocratis in lib. de flatibus, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα (quod tamen axioma Paracelſus videtur quibuſdam euertere per alterum, *ſimilia ſimilibus curantur*. Sed Claudio Darioto ſuperſtiti (quum hæc ſcripta ſunt) facilè vtrumq; poſſe videtur conciliari) non fit verisimile alliato calido flammas taurorum oppreſſas & reſtinctas fuiſſe: alterum enim alteri nõ reſtinctionem, ſed incendium maius offerre debuit. Eſt quidem certè licentia Poetarum ſatis cuique perſpecta & cognita, vel ex hoc vno Virgilij loco, vbi & contraria contrariis curari, & ſimilia ſimilibus ſic affici, facilè cernas in Alexide:

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos:
Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia ſerpillumq; herbas contundit olentes:
At mecum raucis tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Notæ Seruij ſunt in hæc verba, *allia ſerpillumq;*, ponit herbas calidas, quæ æſtum repellunt. Nam, vt etiam Plinius dicit in naturali Hiſtoria, *Omnis medicina aut à contrario, aut à ſimili quæritur: vnde etiam calor poteſt aut à frigore aut alio calore depelli.* Ex his perſpicis, lector, quod poeticâ licentiâ fieri putabatur, id philoſophicâ ratione & auctoritate comprobari. Hic querela eſt Corydonis de Alexidis crudelitate è loco diſsimilium, in quorum protaſi contraria primùm ſunt contrariorum remedia, vt pecudes captant vmbras & frigora aduerſus æſtum: virides lacerti ſpinetis ſe defendunt ab eodem: in altero deinde diſticho ſimilia ſimilibus, vt calor & æſtus calidis remediis herbarum, curari videntur: ſed meſſoribus eſus alij per æſtum adhibetur potiùs ad copiam aquæ tum potę corrigendum, quàm ad moleſtias caloris ſedandum, ſicut remigibus, de quibus ſic Plautus in Pœnulo, *Plenior allî vlpicî, quàm Romani remiges.* Eſt autem Vlpicum, vt hoc obiter alieno etiam loco dicam, Columellæ l. 12. c. 3. genus allij Punici prægrandis, quod Græci vocant ἀφροπόροδον, à copia ſpumæ expreſſæ, quum teritur cum oleo & acero, & tum dicitur alliatum & Græcè μύῤῥωτον, quod definitur à Dioſcor. lib. 2. cap. 182. τὸ ὀξυρόδινον καὶ τῆς μελαίνης ἐλαίας γινόμενον τέμμα, καλούμενον μύῤῥωτον, *intritum, quod ex allio & nigra oliua factum, vocatur moretum*, quo Vafcones vtuntur ferè ſemper pro condimentis, ait Ioſeph. Scaliger in Moretum Virgilij, & Plinius circumloquitur *rurſus pulmentarium.* Dicitur autem ἀφ' ᾧ τὸ μυσάττεσθαι, quod eſt Euſtathio πρὸς ἐκεῖνο μύειν, *ad illud claudere oculos præ faſtidio.* Tertium denique diſtichon antapodoſin complectitur, cuius vis eſt: At ego Corydon intereà graui ardore vror, ſine vllo remedio.

6 Vis eadem allij confirmatur ſimili genere efficientiæ, quòd Medea pellicem ſuam Glaucam veſte allio imbutâ cremârit, & alato dracone ad hoc parato ſalutem petierit. Vis huius veneficij oſtendetur maior, quàm illa Philtri Canidiani epodis 5. ad verſ.

Quid accidit? cur dira Barbaræ minus
Venena Medeæ valent, &c.

7 Calor allij rurſus declaratur primùm minorum collatione, quòd æſtus aſtrorum non vſque adeò torreant Apuliam: deinde parium: Non minùs quoq; tunica cruore Neſsi Centauri imbuta, quâ Deianira donauit Herculem, humeros ipſius offendit: quàm allium incendit viſcera eorum, qui illud comedunt.

8 Locus ex effectis: quòd allium comeſum amatores priuet oſculatione puellarum, & congreſſu aliorum hominum prohibeat.

Enarratio Grammatica.

Parentis.] Magna certè ingenia leuibus argumentis ſæpè luſerunt, vt Homerus in deſcribenda ranarum & murium pugna: Virgilius Culice & Ouidius nucis querela, vt nunc noſter Poeta viru allij, & Ode 13. lib. 2. caſu arboris. Sed ad intelligentiam Odes vires allij è Dioſcoride, Galeno & Plinio repetendæ tibi ſunt. Rationem autem vocis quidam ducunt ὅτι πᾶν ἄλλεται, ἢ ὅτι τοῦ ἀλλάττεσθαι Græcis verbis ſonantibus, *ab exiliendo vel mutando.* quod etymon, vt obiter de hoc te moneam, tollit illam epentheſin alterius λ, quæ natiua eſt, ac præterea tenuatur quidem τὸ α αἰολικῶς, vt in ἄλσος, id eſt, *nemus*, deflexo ex eodem priori verbo denſo; ſed à poſteriori retinet α tenuatum. Alij tamen ex halando deducunt. Ideoque denſant halitum per vnicum *l.* quod poteſt vel ad illius vim calidiſsimam, vel

vel ad modum nascendi & crescendi exsiliendo referri. Ratio verò vocis Græcæ σκόροδον est ὅτι τὸ σκοῖον ῥόδον, ἢ σκαῖον ῥόδον, vt sit valida & acris rosa, virusque graue redoleat. Hinc σκορόδιζειν, allio nutrire, vnde certum est animos excitari & maiores fieri ad pugnam, quomodo loquitur Aristophanes in equitibus, ἵν' ἀμείνων ᾖς τὰν ἐσκοροδισμένῳ μάχῃ, vt fortiùs allio pastus ô amice pugnes, quod potest altero Xenophõtis loco in Symposio explicari, εἰς μὲν γὰρ μάχην ὁρμωμένῳ καλῶς ἔχει κρόμμυον ἐσθίειν ὥσπερ ἔνιοι τοὺς ἀλεκτρυόνας σκορόδοισι πάντες συμβάλλουσιν. Nam ei, qui se ad pugnam comparat, valdè est opportunum cepis vesci, quomodo nonnulli gallos gallinaceos allijs pastos inter ipsos committunt: vnde prouerbium, ἵνα μὴ φάγῃς σκόροδα, μηδὲ κυάμους, neq; allia comedas, neq; fabas, quod prohibet nos adesse bellis & iudiciis. Vnde vis esse videtur in hac herba, ὁρμητικὴν εἰς τὰς μάχας, facultas *impellendi ad pugnas*: quia gignit æstuosos humores, animumq; & corpus valdè conturbat. Quod si ita est, habent prætereà Vascones ac reliqui Aquitani, quo se tueantur aduersus Horatium, maximeq; illo versu, quem citauimus Ode 6.l.2. *Cantaber ante omnes hyemisq; æstusq; famisq;*

Inuictus—— & hac sententiâ lib.2. cap.182. Dioscoridis de efficientia huius herbæ, αἰτιεῖαι λαμπρύνει, καὶ βήχας χρονίας παρηγορεῖ, ἀμύντει καὶ ἐφθὸν ἐσθιόμενον, *claram reddit vocem, ac veteres tusses sedat, si tam crudum, quàm coctum, edatur.*

Olim.] Hîc de futuro dicitur, imò verò pro tempore indefinito, pro, si quando fregerit. Gallicè, *S'il aduient quelquefois que le fils tue son pere, qu'on lui baille à manger des aulx pour peine de mort.* Quæ significandi ratio accedit proximè τοῖς πρὸ αὐτοῦ ἐπὶ τῷ Σόλωνι. Ἐκεῖνον γὰρ ἐρωτηθέντα διά τι κατὰ τὸν ἀρχαῖον νόμον οὐκ ἔθηκε, διὰ τὸ ἀπιθάνως, ἔφη, *ad insperatã opinionem Solonis, qui interrogatus, cur legẽ contra parricidam nõ tulisset, quia, inquit, id nunquã fore putaui.*

Guttur fregerit] Pro quo Lucanus l.3. dicit, *ferilem iugulum confodere:* notata est autem hæc phrasis Od.13.lib.2. quod Græci videntur dicere τραχηλίζειν, σφάζειν, *iugulare*, vel potiùs ἀποπνίγειν τὸν φάρυγγα, *strangulare & animã suffocare.* De ceruice dictum quidem est Od.13.l.1. sed quia similiter frangere ceruicem vsitatum est, atq; guttur frangere, aperciùs distinguenda est vtriusq; partis significatio è lib.1.hist.anim. Aristotelis, ἀυχὴν δ' τὸ μὲν μεταξὺ πρόσθιόν τε καὶ ὀπίσθιον τόρον τὸ μὲν πρόσθιον μέρος, λάρυγξ: τὸ δὲ ὀπίσθιον στόμαχος. *Collum est, quod interiacet inter faciem & thoracem, atque huius pars anterior λάρυγξ: posterior autem stomachus*, id est, œsophagus, dicitur. Peritiores tamen Anatomistæ malunt laryngem esse tantùm principiũ & caput asperæ arteriæ, quàm totam illam oris regionem, in quam concurrunt extrema arteriæ & œsophagi, siue gulæ: quam quidem regionem propriè Pharyngem Græci, Latini fauces & guttur solent appellare. Si conferes hanc descriptionem & diuisionem colli cum illa ceruicis Od.13.l.1. reperies nonnihil variare.

Edit.] Ab optatiuo *edim, is, it*, sicut Plautus dicit, *comedit*, simile fine, pro *edat*, & *comedat* grauis supplicij loco.

Cicutis.] Hæc herba describitur eodem gradu frigoris, quo allium caloris, ideoque virosus est ipsius succus, vt Nicander etiam scribit in Alexipharmacis, Κωνείου βλαβόεν πῶμα, *potio cicutæ est exitialis*, quâ sapiens Socrates Athenis enectus est calumniâ Melyti & Anyti, qui falsò illum accusârunt: quòd de Diis malè sentiret, & ita iuuentutem doceret. Ea semper fuit bonorum & piorum virorum conditio. Ideo Grãmatici Græci notant κώνειον διὰ τὸν γινόμενον ἐλλιγμὸν καὶ σκότον τοῖς πίνουσι, *quòd vertiginem & tenebras bibentibus offundat:* quia veteres κωνᾶσαι, pro τὸ στρέψαι, *vertere* dicebant. Galenus l.3. de simplic.medicament. affert causas, cur Sturni nutriantur cicutâ, quâ soleant pléraque omnia interire animalia; *quia*, inquit, *aues huiusmodi propter angustias meatuum corporis retinent diutiùs in stomacho succum cicutæ, qui tandẽ naturali calore superatus & in alimentum cõuersus non potest cor inficere lethifero frigore. Longè aliter hominibus euenit ob multitudinem & amplitudinẽ venarum: quæ succum cicutæ per eas cito citissimè ad cor, ac natiuum ipsius calorem exstinguere solent.* Idem capris, quod sturnis, contingere docet Lucretius lib.5.

Quippe videre licet pingescere sæpè cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.

Sed hoc tribuitur siccæ huius bestiæ naturæ. Prætereà dicitur Cicuta Isidoro à fossa cæca & occulta, quòd in thyrso & scapo, Gallicè, *en latige*, nodos geniculatos habeat, vt Canna & Arundo. Equidem mallem ex eo dici, quòd cæcutire faciat eam bibentes, & ira superiori vocis Græcæ etymo respondebit. Plura leges de hac herba l.4.c.79. Dioscor. & l.25.c.13. Plin.

Quid hoc veneni.] Id est, quódnam est hoc genus veneni tam visceribus sæuum?

Ilia.] A recto *Ile*, ὅ, τὸ δὴ τὸ μεταξὺ τῆς τε τοῦ θώρακος ὀστῶν καὶ τῆς ἰσχίων, *Quòd interiacet inter ossa thoracis*, id est, *notha costas & ischia*, quæ constituunt coxendicem. Ilia Græcè modò κενεῶνες, quòd tota illa regio inter extremam thoracis costam & os coxæ sit inanis & decedat, modò ἰξύες, modò λάγονες, modò λαπάρα etiam à vacuitate illius spatij vocantur: vnde perspiciuntur facilè ilioси equi & reliquorum animalium anhelationes. Hinc ducere & trahere ilia, Gallicè *estre poussif, & hors d'halene, ne pouuant auoir son vent*: Plinius tamen lib.11. cap.37. scribit ilia esse arterias ad pubem tendentes inter vesicam & aluum, quæ magnis contentionibus & affectibus dirumpi possunt, vnde est illa imprecatio Thyrsidis in Mœlibœo.

Inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.

Et si quis relinquitur hîc nobis coniecturæ locus, *Ile* videtur ὅτι τὸ εἱλεῖν, à circumuoluendo: quia lactes & intestina tenuia illic circumplicantur & circumoluuntur.

Sæuit in præcordiis.] Id est, interiora illo æstu, tanquam veneno, incenduntur. Videtur allusio quædam ad etyma vtriusque vocis, & *allij*, de quo iam initiò Grammat. fuit, & *veneni*, quod Seruius in vers. Aen.1.

Occultum inspires ignem, fallasq; veneno.

scribit dici, quòd per venas eat, & hominem mutet. Alia est syntaxis verbi *sæuit* apud Virgil. *Latratus canum sæuit in auras*, & Ouidium: *Accipiter in omnes aues sæuit.* Præcordia autem Græcè dicuntur τὸ περικάρδιον, inuolucrum & tunica, quæ cor vndique ambit, vt præcordia dicuntur, quia cordi prætenduntur, ait Plinius: quod hic versus Iliad.λ. apertè designat,

Καὶ βίλε φαιδίμην ἀπὸ θυμόνα πειμένα λαῶν
Ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων, id est,
Et percussit Phausiadem apisaonem, pastorem populorum
Ad Hepar sub præcordijs.

ὑπὸ πραπίδων, id est, *sub diaphragmate.* Hæc vox similiter accipitur Iliad.ω,

Καὶ οἱ ὑπὸ πραπίδων ἧλθ' ἵμερος, ἠδ' ὑπὸ γυῖα, id est,
Et postquam ei ex præcordijs abiit desiderium, aut ex membris. In locum priorem notæ Eustathij sunt factæ sic Latinę. *Dicimus prapides poeticè, sed φρένες cõmuniter pro eodem. Censent ad hæc veteres his non facultatem significari, quâ aliquid mente versamus & agitamus; sed viscus etiam aliquod, vt alibi præmonstratum fuit: quod Platonici nominarunt primi diaphragma. Est autem membrana neruosa succingendo discriminans viscera: quâ cum inflammatâ, vt particula neruosâ, condolescit cerebrum, dolorq; ad dementiam ipsum præcipitat; quum sit fons neruosarum partium, vt cor arteriarum, atque Hepar venarum.* Ratio autem vocis vtriusque attingitur

tingitur ad finem Iliad. A. non tamen sine dubio. *Oritur fortassis*, ait, τὸ προμηθὲς è *præpositionibus* πρὸ καὶ ἐπὶ καὶ ἰδεῖν ἢ ἰδέσθαι, *vt sit* προμηθὴς *facultas mentis prouidæ & præsagæ futuri.* Alij dicunt τὸ προμήδεα fieri indè, vnde & τὸ φρεῖ fit. Id est, è præpositione πρὸ & verbo denso ὦ, à quo ἰῶ ἴημι, etiam si τὸ φρεῖ per φ initio scribatur, vt φρενὸς καὶ φρονίμων. Hîc tamen ἤφαιστος δ' ποίησ' εἰδέναι προμήδεα, id est, notes τεχνικῶς sumendum, *Vulcanus fecerat scitis artibus*, (singulis domum) intelligens è subiecto, id est, loco, sicut interpres loquitur, adiunctam mentis facultatem, quemadmodum sumitur εἰδὶ Ολυμπ. ια,

Ἐκ δ' ἄνης σοφίας ἀνδρὶ ἔοικεν προμήδεα, id est,

Porrò ex Deo quisque floret sapientibus consiliis.

quomodo τὸ *pectus* apud Latinos sæpè vsurpatur, vt obseruabitur Epist. 1. lib. 1. ad versum, *feruet auaritia pectus?* &c. vt etiam τὸ σῆθος apud Græcos. φρένας quoque dicũtur ab Hippocrate & à Platone & ab aliis veteribus, propter consensum præcordiorũ affectorum cum mente: vt nulla sit pars corporis subiecta capiti, quæ, præter septum transuersum inflammatum, delirium perpetuum menti excitet: quod Poeta videtur hîc notare. Prætereà hæc tunica etiam τὸ διάφραγμα καὶ διάζωμα vocatur, quòd intersepiat & diseludat cor & pulmones ab hepate, liene, & renibus. Prætereà quum os ventriculi acri aliquo humore mordetur, affectum Græci vocant καρδιαγμὸν.

Canidia.] Est fictum nomen à Poeta, quia lex vetabat, quenquam vero nomine versibus notari. De hac venefica, quæ aliter Gratidia Albutij filia vnguentaria Neapolitana vocatur, Ode 17. huius libri sigillatim conscripta est.

Vt Argonautas.] Historiam de Medea & Argonautis lege apud Diodor. l. 5. c. 3. vbi etiam genus & mores Iasonis copiosè intelliges, & εἴδει 4. Pyth. Pindari & lib. 3. Apollonij. Quò profuerit aggregare rationem vocis τῆς Iason, quæ duplex à Grammaticis redditur; priori πρεσβὺ τοῦ ἰάσμου, id est, à sanatione nomen videtur impositum, operâ præceptoris Chironis, ad quem fuerat puer deductus educationis & institutionis gratiâ. Huic autem etymo τῷ *Iasone* Basilius Magnus fecit illud τῷ Ἰησοῦ simile in libello περὶ Γραμματικῆς γυμνασίας, quum ibi sic quæritur, Καὶ πόθεν γίνεται τὸ Ἰησοῦς; Πρὸς τὸ ἰάω. ὁ δηλοῖ τὴν σωτηρίαν. ὅπερ ἔστιν Ἑβραϊκὸν. κρεῖττον δ' οἶμαι λέγεσθαι ἀπὸ τοῦ ἰάω, ἰῶ, τὸ θεραπεύω. ὁ μέλλων ἰάσω, καὶ ἐξ αὐτοῦ, ἰάσυς, καὶ ἔτι τοῦ α εἰς η, ἰησοῦς, id est, *Atque, vnde nomen Iesus oritur? à verbo ἰάω, quod sonat salutem, estq; Hebraicum*, sic tamen exprimendum יְשׁוּעַ Iaschah, id est, *seruauit*, notione cognata huic יֵשׁוּעַ Schoah, (à quo Græcum σάω καὶ σώζω ἀφαιρητικῶς) *meâ tamen sententiâ, dici melius videtur à verbo ἰάω sonante Sano: cuius futurum ἰάσω, & ex ipso Iasus & conuersione τοῦ α in η Iesus*: cuius originem Hebraicam Lector videt hîc Græcę posthaberi: quum satis constet alterâ alteri ætate longè anteire: atq; verba σάω καὶ σώζω manare à verbo יֵשׁוּעַ Schohah, tanquam à fonte. Posterior autem ratio redditur κατὰ τὸν ἀναγραμματισμὸν τῆς διφθόγγου αι inuersæ ac solutæ diphthongi: vnde tibi constat *Iason* pro Ιαισων, qui fuit Iasonis pater.

Candidum.] Id est, formosum Iasonem.

Mirata.] Illum præ cæteris amauit.

Taurus illigaturum iuga.] Pro hoc dixit Ode 5. l. 2. *subigere ceruicem ad ferendum iugum.* Quidam κατὰ τὸν ὑπαλλαγὴν, permutatione casus alterius in alterũ sic dictum putãt pro illigare tauros ignotis iugis. Vide, qui sit noster sensus de hoc genere loquutionis, Ode 1. l. 1.

Hoc delibutis.] Intelligit dona allio tanquam veneno imbuta vel sanie contagiosâ perfusa. Hoc autem epitherum *delibutum* trãsfertur apud Terent. à corpore ad animum, ait Donat. in Phor. Act. 5. Sc. 6. *Si te delibutum gaudio reddo.* Nam *delibutus* dicitur *vnctus*, pro quo Cic. dicit *perfusum iucunditate, lætitia, voluptate.* Vtitur tamen propriè hic ipse eodem de clar. Orat. Qui deuinctus erat fasciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. Item pro Rosc. Amer. dixit *delibutum* pro *vncto.*

Efficacis Herculis.] Id est, ad agendũ nati & apti, quod Græcè dicitur πρακτικὸν καὶ δραστήριον, promtũ, strenuum.

Sponda.] Sponda est τὸ τῆς κλίνης πλάγιον, *latus lecti.* Sueton. in Iul. c. 49. memorat huic probri loco à Dolabella obiectum: quòd esset pellex Reginæ & sponda interior regiæ lecticæ.

Explicatio Rhetorica.

METrum simile est duobus antecedentibus.

[a] Metaph. est à corpore ad impium animum.

[b] Synecd. partis, pro interfecerit senem parentem: pro quo Græci dicunt πατροκτόνον ἢ μητροκτόνον γόνον.

[c] Exclamatio est admirantis tolerantiam tam tetri allij. Aristotel. problem. sectione 13. scribit *Allium solum ex omnium numero, quæ odorem simul & vehementissimum & vrinas mouentem reddunt, inflare ventrem inferiorem:* hîc tamen non dicitur τὸ σιδηροδακὲς ἀλγεινὸν, id est, *dolorificum*, vel dolorem afferens comedenti, sicut poeta conqueritur sibi accidisse, vt in exclamationem præ admiratione patientiæ messorum eruperit; quâ illi occalluerunt in esu allij, minusq; angi soliti sunt.

[d] Ἀπορία est & addubitatio de apparatu talis alliati ad maiorem rei diritatem & inclementiam.

[e] Synecdoche speciei pro qualibet venefica.

[f] Altera synecdoche, sed generis pro Iasone.

[g] Allegoria est è geminatis metaphoris, pro, *perunxit Iasonem superaturum robustissimos custodes aurei velleris.*

[h] Alia est Synecdoche generis pro Glauca Creontis regis Corinthiorum filia, de qua & patre vide cap. 3. l. 5. Diodo. vt iam monuimus, cuius Iason amore captus, Medeam deseruit, & hæc, vt vlciscereturGlaucam, velum & coronam ipsius imbuit liquore Naphthæ, quo celeriùs incenderetur illa, vt est in vita Alexandri Magni apud Plutarchum.

[i] Alia est synecdoche generis pro dracone pennigero, de quo ibidem.

[k] Alia est synecdoche generis pro calore & æstu aeris: nam generatim sumitur, vt apud Virgilium, *lentus vapor*, apud Lucretium, *tepidus:* apud Ouidium *humidus, crassus*, & *aquarum vapor* apud Ciceronem, ὑδάτων ἀτμὸς ἢ ἀτμὴ ἢ ἀτμὶς.

[l] Synecdoche quoque generis pro tunica & palla, quam Deianira ad Herculem sanguine Nessi Centauri imbutam misit per Lychan, qua de fabula vide Diodor. lib. 5. cap. 5. & Ouid. lib. 9. Metamorph. Hoc munus ponendum est inter τὰ ἥδιστ' ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, ad quæ Cicero videtur alludere Philippicâ 13. quum refert verba Antonij de Octauio & Hircio, quos muneribus venenatis & assentationibus væniisse, id est, venditos esse, scribebat: *Nec tamen Deianira voluit Herculi nocere, quum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit: nec prodesse Phœreo Iasoni is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare Medici non poterant. Multi enim etiam quum obesse vellent, prodici non poterant. Multi enim etiam quum prodesse, obfuerunt*, ait Cic. lib. 3. de natura Deorum.

[m] Quidam hîc quoque agnoscunt synecdochen generis pro Terentia Mæcenatis amica, quam ioci gratiâ optat, propter graueolentiam illius alliatum spirantis, fugere ipsius anhelitum & complexum, ad extremam vsque lecti partem.

EPODI

Epodi IIII. In Menam Pomp. Magni Libertvm.

Theticum.

Quòd optimo cuique intolerabilis sit improbi hominis superbia, & digna, in quam grauiter & acerbè inuehatur.

Lvpis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Hibericis [a] *peruste funibus latus,*
Et crura durâ compede.
[2] *Licet superbus ambules pecuniâ,*
Fortuna non mutat genus.
[3] *Vidésne Sacram* [b] *metiente te viam*
Cum [c] *bis ter vlnarum toga,*
Vt [d] *ora vertat huc, & huc euntium*
Liberrima [e] *indignatio?*
[4] [f] *Sectus flagellis hic triumviralibus,*
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni [g] *mille fundi iugera,*
Et Appiam mannis terit.
Sedilibusq; magnus in primis eques
[h] *Othone contemto sedet.*
[5] *Quid attinet tot* [i] *ora nauium grauî*
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque seruilem [k] *manum,*
Hoc, hoc Tribuno militum?

Analysis Dialectica.

NOn immeritò Poeta indicit huic superbo proditori graues inimicitias, quas ipsi primùm denunciat parium collatione, *quòd Mena tam sit naturâ Horatio infestus ac inimicus: quàm lupi soleant esse agnis.* Hîc relatiuum paris quantitatis præcedit, vt Ode 4. l. 4. præcessit relatiuum similis qualitatis: in quo vtroque situm est argumentum, ex quo constat apodosis, cuius protasis hîc ita est enuncianda recto ordine: *tanta mihi est tecum discordia, quanta obtigit lupis & agnis.* Quàm autẽ perfidus, quámq; malus fuerit seruus, vibices, quas gerit in lateribus & tibiis, satis apertè loquuntur.

2 Deinde è loco diuersorum, quę, vt reliqua sequentia ad firmandam protasin pertinent, *quòd, licet sibi Mena videatur aliquid esse aliud propter fortunas, atq; priùs fuerat: in eo tamen semper residet eadem naturæ & morum improbitas, neque opinionem, quam de eo priùs homines habuerant, minuit: quum magnificè incedat, arrogantiâ, insolentiâ, & superbiâ elatus.*

3 Argumentum est ab arte remotum, quo Menam ipsum adhibet testẽ popularis in eum indignationis.

4 Eódem pertinent facta, quibus Mena describitur à prætereuntibus, *quòd præter consuetudinem seruorum tantum agri coleret & consereret: viam Appiam equis paruis ad luxum & delicias comparatis perequitaret: in sedilibus quatuordecim ordinum locum haberet.*

5 Argumentum è disparatis, vel è repugnantibus, sicut alij volunt. *Quid bellum confeciſſe & toties debellasse fugitiuos seruos & piratas prodest; si fugitiuus & pirata Mena Tribunus militum factus est?* quod quum ita sit, ἐνθυμηματικῶς potes iudicare: *Mena est fugitiuus seruus, & pirata perfidus: non est igitur præficiendus vlli bello, nec Tribunatui militũ.*

Enarratio Grammatica.

Lvpis.] Simili denunciatione perpetuæ inimicitię atque minis Achilles agit cum Hectore lib. Ιλιαδ. χ. sub medium.

Ὡς ἐμὲ ἔγωγε λέοντα καὶ ἀνδρεάσιν ὅρκια πιστὰ,
Οὐδὲ λύκοιτε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.
Ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι.

Vt non sunt leonibus ac viris fœdera fida: neque lupi, neque agni concordem animum gerunt: sed mala semper mutua sibi meditantur: Sic inter me & te nulla potest esse amicitia. Iustis autem de caussis Poeta hîc profitetur suum in Menam odium. Euripides enim scribit, quòd etiam in se quisque sentit quotidie,

Ἢ ἵν' ὀδυνῶσι τοῦτο τοῖς ἀμείνοσιν,
Ὅταν πονηρὸς ἀξίωμ' ἀνὴρ ἔχῃ.
Iam iámque ex hoc boni conflictantur graui morbo,
Quum improbo homini mandantur honores.

Nam hic Mena fuit iniquis artibus eò dignitatis ex infimo loco prouectus, vt omnes quidem scribant eum initiò libertum Pompeii Magni fuisse, quo mortuo, à Pompeio Magni filio, qui in mari Siculo, & in viciniis piraticam exerceret, illum classis suæ ducem præfectum fuisse, à quo pòst defecit ad Augustum, & ab hoc rursus ad Sextum. Postremò quum Sexti classem prodidisset Agrippæ, ad Augustum iterum confugit: à quo factus est Tribunus militum, & tali proditione in ordinem ingenuorum, & liberorum hominum & equitum cooptatus. Prætereà Suetonius in Octauio scribit cap. 74. ex Valerio Messala, *neminem vnquam libertinorum adhibitum ab Augusto cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem post proditam Sexti Pompeij classem.* Hunc Plutarchus item in Antonio scribit piratam fuisse. De eodem etiam Dio lib. 48. & 49. Huic non dissimili fuit ingenio Menodorus ex lib. 5. Appiani de bello ciuili, ideoque creditur quibusdam hic esse Mena. Ex hoc profectò genere hominum superbiam nasci docet Euripides:

Βαρὺ τὸ φρόνημ' οἵοισι ἀνθρώποις κακοῖς.
Grauis arrogantia ex opinione hominis mali paritur.

In quam idem scribit Iouem grauiter animaduertere.

Ὁ Ζεὺς κολασὴς ὑβριστὰς ἄγαν ὑφ' φρόνημ.
Iupiter punit arrogantes.

Quanta.] Quantas habent naturâ insitas inter se inimicitias lupi & agni; tantas ego tecum gero, ô Mena. Hęc est huius loci sententia, quam apophthegma Cleobuli pro Horatio confirmat, ἀρετῆς οἰκεῖόν ἐστι κακίαν μισεῖν. *Virtutis proprium est vitium odisse.* Si hoc odium Horatio concitatum est in Menam amore virtutis atque impatientiâ vitij; probo indignationem Poetæ: contrà, si illud fuit susceptum vindictæ caussâ; valde equidem improbo, vt Christianus quisque debet ad exemplum regij Prophetæ Psalm. 139. v. 22. qui tanti fecerit gloriam Dei, vt illius zelo indixerit odium, plus quàm Vatinianum, contemtoribus ipsius. *Perfecto*, ait, *odio illos odi.*

Sortitò.] Veteres existimabant, id, quod sorte videbatur euenisse, Deorum voluntate obtigisse, ideoq; talis euentus vocabatur sors diuina, & quod hîc dicitur *sortitò obtingere*, id *sors tribuere* à Cicerone, & ab Horatio Sat. 1. lib. 1. *dare* dicitur, vt idem etiam Cic. lib. 3. ad Q. Fratrem: *Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum,*

eum, quem sors dedit, apertè dicit. Hîc porrò *sortitò aliquid obtingere* nō casum designat, sed institutum & propensionem naturæ, quæ certis animalibus inimicitias ingenerat. De cuius vi sic Plin. lib. 8. cap. 4. *Nimirum hæc est natura rerum, hæc potentia eius, sæuissimas ferarum maximasq;, quæ nunquam vidissent, quòd debeant timere, statim intelligere, cur sit timendū.* Quæ autē inter se dissideant animalia, & quæ cōueniant, lege li. 10. ca. 4. apud eundem.

Obtigit.] Hoc verbum Donatus in Phor. Act. 2. Sce. 1. ad ver. *Quia præter spem atq; incredibile hoc mihi obtigit.* distinguit sic ab *accidit. Obtigit*, ait, *pro accidit, cuius reciprocum est, si quis bonū accidisse dicat, non obtigisse:* quod discrimen apertiùs explanat in And. Act. 2. Sc. 3. ad v. *Intereà aliquid acciderit boni. Nota*, inquit, τὸ *accidit etiam pro bono & ab hoc & apud veteres frequentatum. Nam pro malo proferunt è 4 Acad. si quid aduersi acciderit. & ex Lælio: Nihil mali accidisse Scipioni puto.*

Tecum mihi.] Ellipsis est hîc alterius dictionis relatiuæ vel redditiuæ *tanta*, qualis est in *peruste latus*, & *crura* præpositionis *secundùm*, Latinis poetis perfamiliaris, vt Græcis κατὰ, quos illi imitantur. Prætereà *peruri funibus* est *cædi*, & dicitur eo modo, quo *Vri virgis* & *loris torreri* & *flagellis grauiter tangi* ab aliis auctoribus. Quas quidem phrases Galli solent interpretari, *estre tant fouëtté de verges & estriuieres, qu'il cuise bien fort puis apres.* pro quib. Plautus dicit in Milite glo. *Ego vestra faciam latera lorea*, id est, ita vos cædam, vt è vestro corio facilè fiant scuticæ ac corrigiæ. Vocat autem Ibericos funes è Sparto, id est, genistâ Hispanicâ intortos, vel ad vincula vel ad plagas. Plinius scribit lib. 19. cap. 2. Spartum nasci plurimum in Hispania.

Superbus.] Huius vocis etymum dicetur Deo fauente in Gram. Epist. 1. lib. 1. ad verb. *fortunæ superbæ.* Intereà moneo Lectorem quid de ea scripserit Seruius in vers. 11. Aeneid. *Quod superest, hæc sunt spolia, & de rege superbo primitiæ:* hoc epithetum proprium Turni est, quod ei Virgilius pro ingenti dat. Apud maiores enim superbia ingens facinus fuit, adeò, vt Tarquinius pro multis sceleribus nomen superbi acceperit. Videtur autem τὸ *superbus pecuniâ* interpretatio vocum Græcarum, μεγάλων πλούτων, quas Scholiastes Pindari explicat διὰ τὸ καταδυναστεύειν κεκτημένους αὐτὸν ἀνομήτους καὶ ὑπερόπτας τῶν ἄλλων. id est, *quòd diuitiæ faciant eos, qui ipsas possident, arrogantes & superbos contemtores aliorum.*

Sacram viam.] Hæc via à Capitolio ad Carinas pertinebat. Sic autem appellabatur, vt discimus ex Festo, propter fœdus intemerandum & religiosum, quod Romulus cum Tito Tatio rege Sabinorum percusserat. Huc accedit, quòd hæc à porta triumphali ad Capitolium ferebat, & quòd hac ferebantur sacra ad Capitolium singulis mensibus, & inde profecti augures solebant inaugurare, ait Varro. Hanc viam strauit Appius Claudius, dum Censuram gerebat, vt scribit Strabo. Situs ipsius ascensu & descensu indicatur l. 18. c. 12. de ciuitate Dei: sed Charisius vult *sacrauiam* vnicam esse dictionem ex hoc Cic. loco l. 4. Epist. 3. ad Attic. *quum sacrauiâ descenderem:* qualis est *Respublica:* attamen vides hîc diuulsam & Saty. 9. li. 1. inuersam, *ibam forte viâ sacrâ &c.* qualis inuersio nusquam, quod equidem meminerim, legitur in *publica res.*

Metiente.] *Metiri* & *terere viam* idem pro *lentè iter facere*, & obambulare more metientium longitudinem passibus.

Toga vlnarum.] *Bis ter* aduerbia sunt cum substantiuo pro adiectiuo, *toga sex vlnarum*, vel more Latinè loquentium per numerum distributiuum, *toga vlnarum bus ternarum.* Hanc autem vocem Grammatici deflectunt ἀπὸ τῆς ὀλένης, ab osse μεταξὺ τοῦ ἀγκῶνος καὶ τοῦ καρποῦ inter cubitum & carpum posito: quod aliter πῆχυς, ideoque vlna est vnius cubiti, id est, ex hoc definito spatio inter carpum & cubitum, circiter vnius pedis, qui sexies assumtus redder mensuram sex pedum, quam Galli vocant *toise* & fieri extensione vtriusque brachij, quam dimensionem etiam nonnulli appellant vlnam, quæ si hîc sexies assumeretur, longissima esset toga: quod quum alij animaduerterūt; hanc mensuram ad amplitudinem, non ad longitudinem referendam esse censuerunt. Vt cuique fit; laxa & ampla togâ diuitibus, angusta mediocris sortis hominibus conueniebat. Dicitur autem nasci hæc vox à tegendo ferè ad morem & rationem deflectendi voces Græcas, vt στόλα à στέλλω, λόγος à λέγω, & σόργα à σέργω. Togam autem Græci vocant τήβεννα ἢ τήβεννον, à Tebenno Arcade inuentore, vt Suidas tradit: per quam vocem Gaza interpretatur illud Catonis Maioris, *nec verò in armis præstantior, quàm in toga,* οὐδὲ μὴν ὁ ἐν ὅπλοις ἀνὴρ ἀγαθὸς ἦν, ἢ ἐν τήβεννῳ.

Vt ora.] Quo modo & omnium oculos & indignationem, quibus fis obuiam, in te conuertas. Quid autem sit *indignari* & *indignatio*, ex Græcis vocibus Latinis respondentibus, meliùs intelliges: Græci igitur pro *indignari* & *meritò succensere* dicunt νεμεσᾶν, quod est μεμφέσθαι δικαίως, *iusta de caussa irasci*, quo modo Aristot. lib. 2. Rhetor. cap. περὶ τῆς νεμέσεως definit τὸ νεμεσᾶν ὅτι λυπεῖσθαι ὅτι τοὺς ἀναξίους εὐπραγίαις, καὶ τὸ πάθος ἤθους χρηστοῦ, indignari est dolere ob indignos alterius successus felices, qui affectus est boni & probati ingenij. Idem lib. 2. cap. 7. ethicorum τῷ νέμεσιν ponit τὸ φθονεῖν καὶ τῇ ἐπιχαιρεκακίᾳ ὡς τὸ μέσον, vt οἱ νεμεσῶντες, id est, iustè dolentes sint medij inter τοὺς φθονεροὺς καὶ τοὺς ἐπιχαιρεκάκους: eaque de caussa Poeta dixit, liberrima indignatio, i. iustissima. Hanc autem vocem *Nemesin* Plinius l. 28. c. 2. *an sit in medendo aliqua vis verborum* scribit, non esse nomen Latinum: Idem affirmat Ausonius Idyl. 3. v. 379.

——*& Latiæ Nemesis non cognita linguæ.* Huius Deæ Romæ simulacrum in Capitolio est, ait ibidem Plinius: quam Marcellinus l. 14. appellat vltricem facinorum impiorum, præmiatricemque bonorum. quæ definitio respondet etymo vocis, quam Aristoteles in fine libelli de Mundo tribuit, vt Adrastian, ipsis Parcis, & Nemesin notat ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμέσεως, id est, *quòd sua cuique* vt Parcæ, *dispensat.* Adrastiam verò, διὰ τὸ ἀναπόδραστον αἰτίαν εἶναι κατὰ φύσιν, id est, *quia sit causa immutabilis secundum naturam.* Plura potes legere Epig. lib. 4. anthologiæ in Nemesin & in Chiliad. ad prouerb. *Adrastea Nemesis.* Quoniam hic affectus conuenit genere cum inuidia, vt dicatur vterque ægritudo ob res aliorum secundas, distinguitur subiectis: quia Nemesis, id est, indignatio, vel quibusdam fortasis stomachus, vt descriptus est Ode 6. lib. 1. in Grammaticis, versatur in dolore iusto de rebus bonis hominis indigni, turpis ac improbi: sed φθόνος, inuidia de ijsdem honesti etiam, & probi, omnis denique paris & æqualis iniustus dolor.

Triumuiralibus.] Liuius lib. 11. scribit Triumuiros Capitales tunc primùm creatos fuisse, vbi Curius Dentatus Consul, Samnitibus cæsis, Sabinisque victis, bis in eodem magistratu triumphauit. Illi præesse solebant supplicijs seruorum alienorum à Consulibus damnatorum, vt Plinius docet lib. 21. cap. 3. *Atque ob id duci eum in vincula Triumuiri iussissent.* Constat ex Amphitruone Plauti Triumuiros lictores octo fuisse, quorum operâ vterentur Romani ad supplicium non solùm de seruis sumendum, sed de furibus etiam alijsque vilibus ac improbis sortis abiectę hominibus; Sic autem illic Sosia, *Quid faciam nunc, si tres viri me in carcerem compegerint?*

Vnde

Vnde crás è promtuaria cella depromar ad flagrum.
Nec cauſam liceat dicere mihi, neq; in hero quidquam auxilij ſiet.
Nec quidquam ſit, quin me omnes eſſe dignum deputent.
Ita quaſi incudem, me miſerum homines octo validi cadent.

Iidem Treuiri dicebantur monetales, & his literis deſignabantur. III. V. A. A. A. F. F. i. *Treuiri auro, argento, æri flando, fundendo*, quibus nominibus Cic. in Epiſt. ad Trebatium iocosè alludit ad Treuiros populos inter Lucemburgos & Mediomatrices & Rhenum. *Treuiros vites, cenſeo, audio capitales eſſe: mallem auro, argento, æri eſſent.* id eſt, audio acres & ſtrenuos milites eſſe, mallem eſſe opulentos, vt te ſpoliis illorum victorum locupletares.

Præconis.] Præconis erat, elogium, cauſſam damnationis complectens pronunciare, niſi titulus eiuſdem argumenti apponeretur damnatis, vt apparet è Suetonio in Caligula cap. 24. & in Domitiano cap. 10. Treuiris verò abſentibus idem Præco reum curabat flagellis ad ſatietatem vſque pro ſuo arbitrio cædendum.

Faſtidium.] Significatur μιμητικῶς flagella grauiter Menæ palàm inuſta fuiſſe ad tædium vſque cædentis, vt poſſet cum Sannione Terentiano dicere, *Ego vapulando, ille verberando vſque ambo deſeſſi ſumus.* Adelph. Act. 2. Scen. 2.

Falerni.] Vide Od. 27. l. 1. de Falerno, ſicut de iugero Od. 15. l. 2.

Mannis.] *Mannus* & *mannulus* paruus & breuis eſt equus inter delicias Principum haberi ſolitus. Gallicè *Cheualin:* quem vetus interpres Porphyrio dicit vulgò appellari Burrichum, quæ appellatio conuenit cum Gallica *Bourriquet:* ſed de aſinis tantùm vſurpata. Grámatici autem τὸ *mannus* deflectunt à *manu:* quòd manſuetâ porrectione manus duci poſsit. Ab eadem origine trahunt τὸν μάννον ἢ μάνον, ὅ, τι σημαίνει τὰ περὶ βραχίονα καὶ περικάρπια: *brachialia & armillas.* Eſt etiam interdum collare ornamentum, περιτραχήλια, *monilia.*

Roſtrata.] Roſtra Græci vocant ἐμβόλους, & naues roſtris armatas χαλκεμβόλους, & illas ſuis extremitatibus mutilare dicunt ἀκρωτηριάζειν. Titus Liuius l. 8. ſcribit roſtra Romæ condita fuiſſe *L. Furio Camillo. Ca. Mænio Coſs.* ex roſtris nauium Antiatium, cuius verba ſunt, *Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſq; earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit, roſtraq; id templum appellatum.* Hæc autem ora roſtrata Galli interpretantur *becs & eſperons de nauires;* propterea quod imitentur roſtrum auium, id eſt, *Euſtathio* in Ὁδυσ. Γ. ἐμόνον ῥόμφῳ ὅτι ὀρνέων, ἀλλὰ καὶ ῥύγχος· εἰκαί τινες ὅτι συῶν αὐτὸ ἰδιάζεσι. i. non ſolùm ῥόμφῳ de auibus, ſed etiam ῥύγχος; quamquam nonnulli propriè dictum de ſuibus accipiant hoc ipſum.

Hoc Tribuno.] Seruius in ver. 5. Æn.

Tres equitum numero turmæ &c.

rationem huius vocis reddit. In tres partes, id eſt, tribus diuiſus erat populus adeò, vt qui etiam vni præerat tribui & parti, Tribunus diceretur. Vnde etiam ſumtus dati populo Tributa nominantur. Tribunorum autem militum Aſc. Pædianus duo conſtituit genera: vnum eorum, quos Rufulos vocat, in exercitu creari ſolitos: alterum, quos Comitiatos, Romæ. Qui autem erant prioris, Græcè χιλίαρχοι nominantur; quòd millenis præeſſent militibus, vt centurio, cētam: quod è lib. 5. Curtij notum eſt. *Si ergo aut Centuriones ſuis centuriis; aut Tribuni ſuis Chiliadibus ita imperioſe præſint, vt minima etiam delicta ſeuerißimè excipiant, deſertores faciunt.*

Explicatio Rhetorica.

IDem eſt metri genus, atque antecedentia.

[a] Metaphora ab igne, quòd ictus funium & virgarum corpus vrant: quo tropo ſignificatur Mena olim damnatus remigij. Gallicè. *Auoir eſté autresfois aux galeres.*

[b] Metaph. eſt à Geometris, pro iter facientе: quâ Virg. vtitur l. 7. Æn.

Iamq; iter emenſi turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuuenes.

Simili quoque tropo Græci dicunt μετρεῖν καὶ ἀναμετρεῖν πέλαγος, ἅλα, κέλευθον, ὁδὸν, pro, διαπερᾶν, ὁδοιπορεῖν, *transmeare, iter conficere.*

[c] Synecdoche eſt finiti pro toga valdè laxa & ampla.

[d] Synecd. eſt pro vultu toto.

[e] Videtur quoque μετωνυμικῶς dici: & ex attributo ſignificari homines, qui meritò in eum oculos coniiciunt iuſta de cauſſa irati.

[f] Imperfecta eſt proſopopœia prætereuntium & indignantium iuſtè, ad quam ſignificatur quidem acceſſus his verbis, *vidéſne, vt ora vertat, &c.* ſed ſine mentione depoſitæ popularis perſonæ.

[g] Synecd. eſt finiti pro multis iugeribus.

[h] Meton. efficientis cauſſæ, i. conditoris pro lege condita à Lucio Roſcio Othone Tribuno plebis lata, quâ prohibebantur equeſtri ordine, qui non haberent quadraginta millia ſeſtertiûm & ſolis equitibus licebat ſedere in 14. ordinibus ſeorſum in ſpectaculis à vulgo, exceptis duobus primis Tribunis, quo conſeſſu Mena indignus erat. De hac lege Roſcij Othonis Dio l. 36. Florus lib. 99. loquitur & Pædianus pro Cornelio: *quanquam*, inquit, *L. Roſcius Otho biennio antè Conſul firmauit in theatro, vt equitibus Romanis 14. ordines ſpectandi gratiâ darentur.*

[i] Metaph. eſt pro nauium proris, & hîc rurſus ſynecdoche membri pro integris nauibus.

[k] Metaphora eſt pro multitudine ſeruorum fugitiuorum, quam coegerat Sext. Pompeius & armauerat contra Auguſtum: vbi Mena fuit Tribunus militum cum Menecrate: de quo ſeruorum bello lege L. Florum & illud reperies ter concitatum.

[l] Epizeuxis eſt, id eſt, repetitio eiuſdem ſoni, ad exaggerandum duplex crimen Menæ fugitiui & piratæ.

EPODI V. IN CANIDIAM VENEFICAM.

Theticum.

In Canidiæ odium capitale Horatius scripsit præsentes Epodos de veneficio detestabilique pædoctonia ipsius: quorum scelerum conscientiâ, tanquam Furiis, illa semper & vbique, vt cæteri conscelerati & impij, exagitabitur.

[a] *Tô Deorum quicquid in cælo regit*
Terras & humanum genus!
[b] *Quid iste fert tumultus? & quid omniũ*
Vultus in vnum me truces?
[c] *Per liberos te, si vocata partubus*
Lucina veris affuit:
Per hoc inane purpuræ [d] *decus precor,*
Per improbaturum hæc Iouem.
Quid, vt nouerca, me intueris, aut vti
Petita ferro [e] *bellua?*
[f] *Vt hæc trementi questus ore, constitit*
[g] *Insignibus raptis puer,*
Impube corpus, quale posset impia
Mollire [h] *Thracum pectora:*
Canidia breuibus implicata viperis
Crines & incomtum caput,
Iubet sepulcris caprificos erutas,
[i] *Iubet cupressus funebres,*
Et vncta turpis oua [k] *ranæ sanguine,*
Plumamq́, nocturnæ strigis,
Herbasq́, quas Iolcos atque Iberia
Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunæ canis,
Flammis aduri [l] *Colchicis.*
[5] *At expedita Sagana, per totam domum*
Spargens Auernales aquas,
Horret capillis, vt marinus asperis,
Echinus, aut currens aper.
[6] *Abacta nullâ Veja conscientiâ*
Ligonibus duris humum
[m] *Exhauriebat ingemens laboribus;*
Quò posset infossus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Quum promineret ore, quantùm exstant aquâ
Suspensa mento corpora:
[n] *Exsucta vti medulla, & aridum iecur,*
Amoris esset poculum:
Interminato quum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
[7] *Non defuisse* [o] *masculæ libidinis*
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit [p] *Neapolis,*
Et omne vicinum oppidum:
Quæ sidera excantata voce [q] *Thessalâ,*
Lunamq́, cælo deripit.
[8] *Hîc irresectum sæua* [r] *dente liuido*
Canidia rodens [s] *pollicem,*
Quid [s] *dixit? aut quid tacuit?* [t] *O rebus meis*
Non infideles arbitræ,
Nox & Diana, quæ silentium regis,
[10] *Arcana quum fiunt sacra:*
[u] *Nunc nunc adeste: nunc in hostiles domos*
Iram atq; numen vertite.
Formidolosis dum latent syluis feræ,
Dulci sopore languidæ,
[x] *Senem (quod omnes rideant) adulterum*
Latrent Suburanæ canes,
[y] *Nardo perunctum: quale non perfectius*
Meæ laborârunt manus.
[z] *Quid accidit? cur dira Barbaræ minùs*
[20] *Venena Medeæ valent,*
Quibus superba fugit vlta pellicem,
Magni Creontis [aa] *filiam,*
Quum palla, [bb] *tabo minùs imbutum, nouam*
Incendio nuptam abstulit?
[9] *Atqui nec herba, nec latens in asperis*
[cc] *Radix fefellit me locis,*
Indormit vnctis omnium cubilibus
Obliuione pellicum.
[10dd] *Ah, ah, solutus ambulat veneficæ*
[30] *Scientioris* [ee] *carmine.*
[11ff] *Non vsitatis, Vare,* [gg] *potionibus,*
(O multa fleturum [hh] *caput)*
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit [ii] *vocibus.*
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusq́, cælum sidet inferius mari,
Tellure porrectâ super:
Quàm non amore sic meo flagres, vti
[40] *Bitumen atris ignibus.*
[12] *Sub hæc puer, iam non, vt antè, mollibus*
Lenire verbis impias:
[kk] *Sed dubius, vnde* [ll] *rumperet silentium,*
Misit [mm] *Thyesteas preces.*
[13] *Venena, magnum fas nefasq́, non valent*
Conuertere humanam vicem.
[14nn] *Diris agam vos: dira detestatio*
Nullâ expiatur victimâ.
[15] *Quin, vbi pereunt iussus exspirauero,*
[50] *Nocturnus occurram furor:*
Petamq́, vultus vmbra curuis vnguibus:
(Quæ vis Deorum est manium)
Et inquietis assidens præcordiis,
Pauore somnos auferam.
[16] *Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens*
[oo] *Contundet, obscœnas anus.*
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites:
Neq́, hoc parentes, [pp] *heu mihi superstites!*
[60] *Effugerit spectaculum.*

ANA-

Analysis Dialectica.

HI Epodi inuehuntur acerbè & contumeliosè in mores Horatiani seculi, & in horribilia hominum scelera, nomine veneficarum, vt inscriptio ipsa præ se fert: ac prætereà dici possunt φαρμακευτικοὶ ἢ νεκρομαντικοὶ, ad amati cuiusdam Vari mentem permutandam cadauere huius pueri tabefacto: quorum primas & postremas partes habet puer prætextatus & morti destinatus, vt ex ipsius medulla & hepate inediâ consumtis φίλτρον & potio amatoria comparetur: Poeta verò & Canidia venefica cum ipsius administris secundas & medias. Itaque ex abrupto miserabile & querulum carmen puer concitatus, hominibus salutis suæ desertoribus, incipit ab imploratione opis diuinę, quam tamen non plenè persuasus petit ab omnibus Deastris, vt caussis suâ opinione verè seruãtibus: quòd illi suâ prouidentiâ cælum versent: terram tueantur: mare moderentur: & homines regant, cuius quidem vniuersitatis οἰκονομίαν καὶ διοίκησιν, vt admirabilem naturę fabricam, nos Christiani vni Deo patri Domini nostri Iesu Christi attribuimus, quem gloriosè vtrumque prædicamus, non autem illi dubiæ menti, quæ est Anaxagoræ opinione πάντα κυβερνᾷ *omnia regit*, adscribimus: quia non hîc solùm philosophus, sed plerique omnes, atque adeò Poetæ γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν, ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν, *quum Deum cognouissent, non tamen vt Deum, gloriâ & prædicatione extulerunt, neq; gratias ei egerunt.* Quòd autem τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερὸν ἦν ἐν αὐτοῖς, *quod de Deo poterat cognosci, manifestum in ipsis fuerit*, argumento est lumen naturæ, igniculi virtutum ac semina, vis ingenij, mentis acies ad veri inquisitionem: quæ Deus omnia illorum animis inseuit: quibus organis Plato agnouit à Deo mundum & conditum & συνεχῶς ad minutam vsque ipsius particulam administrari. Aristoteles quoque è consideratione cælestis, quamuis variæ ac multiplicis, certæ, ac denique ratæ conuersionis, vnam caussam cælestium motuum collegit. Non fuit dissimilis cognitio in Virgilio lib. 6. Æneid. ad versum:

Principiò cælum & terras camposq; liquentes.

sed Claudianus lib. 1. in Ruffinum quæstionem de gubernatione mundi diuina εἰς ἐκάτερον disputauit, & tamen ad versus tres & viginti productum conclusit: *Iniusti tolluntur in altum, Vt lapsu grauiore ruant*, Vniuersitatem & ipsius partes omnes à Deo regi & ipsi curæ esse. Istis autem animi dotibus ἐ μόνον αἰσχρῶς, ἀλλὰ καὶ πανωλέθρως abusi sunt; ac præter cæteros Stoici & Peripatetici. Nam quum illi statuissent omnibus in rebus fatalem necessitatem; hi distinctione quâdam multis argumentis firmatâ talem eleuârunt necessitatis legem, sed non sapientiùs, in primisque Aristoteles, qui asseruit alia fieri necessitate, quædam volũtate, multa denique casu: sed quæ dixerat de fatali necessitate in l. de cęlo, videtur lib. περὶ τῆς ἑρμηνείας, ita meo iudicio & doctorum aliorum virorum temperasse, vt arbitriũ hominis soluerit, ac liberârit omni necessitate; illudque fecerit ἀυθεξούσιον: Deum verò atque naturam eâdem obligârit, vt iam non sit liberum, nec integrum Deo in vniuersa natura quicquam conuertere: impetum & voluntatem hominis: quò velit, aut impellere, aut vnde velit, aliò deducere, nec solis, nec aliorum planetarum & siderum cursus inhibere. Τί δὲ ἄλλο τοῦτο, πλὴν παροξύνειν τὸν Θεὸν ἀπ' ἐργνῦσι δίκη πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τὴν τὼ ἀληθείαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων; *quid autem est hoc aliud, nisi prouocare Deum de cælo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, vt qui veritatem iniustè detineant?* quum libera homini concedatur voluntas: Deo autem non nisi coacta quâdam necessitate relinquatur? quod tamen non fit apertè: verbo quidem tribuitur Deo voluntas, sed re subiicitur necessitati. Deleatur ex animis Christianorum talis impietas: cõtraque Deus certò credatur, nullâ vi obligari, sed liberâ voluntate & purâ regere omnia, pro suo arbitratu. Nunc ad miserum pueri statum redeo, qui inde sermone ad Canidiã conuerso, quęrit caussam, cur illa se tam infestis oculis, tamq; immitibus intueatur, quam precibus fatigat ex efficientibus: quia homines solẽt nihil non supplicib. concedere nomine rerum sibi carissimarum & cõmiseratione dignissimarum, ac numinis terrore & metu.

2 Declaratur autem tam truculentus veneficæ aspectus geminâ similium collatione, quod ad protasin attinet, cuius apodosis est simplex: vt sæua nouerca suos priuignos, vt leo læsus eum aspicit oculo inuido & minaci, qui sæuo ferro ipsum vulnerauit: ita venefica puerum illæsa tamen, intuetur.

3 Iam Poeta memorat, quid consequutum sit impuberis pueri querelas: primùm prætextâ, bullâ & tunicâ, quibus exornatus & instructus erat, nudatus & spoliatus est à Canidia: atque tum illius apparuit corpus huiusmodi, cuius mollitie, teneritate, & læuitate immanissimus quisque Scythes & Thrax ad misericordiam adduci & mitigari potuisset: quod argumentum est ex adiunctis collationeque similium ad immanitatem veneficæ exaggerandam: quæ vel ipsos Barbaros longè crudelitate superet.

4 Sequitur descriptio quattuor veneficarum, & primo loco Canidiæ ex adiunctis & factis, quę incomto capite omnia vel apparauerit, vel instruenda curauerit ad confectionem veneficæ potionis necessaria, quę ex sextuplici materia instruitur; caprifico, cupresso, rubetæ cruore, pluma strigis, aconitis, ossibus ieiunæ canis.

5 Deinde Sagana describitur ex iisdem locis argumentorum: quæ prætereà confirmantur duplici similitudine satis notâ; quum sit comosa, hispida, inculta & horrida.

6 Tertia venefica ex eodem genere probationum, sed quæ dilatantur duplici fine ipsius laboris: vt primùm puer in scrobem defossus mento tenus fame enecaretur: deinde vt ex medulla & hepate ipsius sic desiccato fieret poculum amoris.

7 Quarta venefica definitur subigatrix mulier extremæ libidinis & ex factis: quòd possit incantatione deducere Lunam è cælo: deinde testimonio Neapolitanorum & finitimorũ populorum. Hanc D. Ambrosius opinionem, vt fabulosam & anilem, repudiat. Luna enim ita suo hæret cælo & orbi affixa, in quo voluitur, vt nihil eam possit inde auellere.

8 Redit Poeta ad pleniorem Canidiæ descriptionem ex adiunctis & effectis: quòd illa in signum summæ crudelitatis irresectos vngues, more ferarum, gereret: illos per furorẽ roderet. Ita Propertius expressit Elegiâ postremâ l. 3. gestum querulæ Cynthiæ, vt hîc Horatius furentis Canidiæ, habitum:

Quinque tibi potui seruire fideliter annos.
Vngue meam morso sæpè querêre fidem: deinde noctem & Lunam in subsidium amatoriæ potionis deuocaret: posteà è comparatione maiorum: quòd venena, quæ seni Varo amatori parauerat, minùs profecerint & valuerint, quàm illa, quibus Medea potuit vlcisci Glaucam pellicem suam.

9 Augetur comparatio argumento è loco diuersorum: quòd licet, inquit, ex herbis Ponticis & aconitis

pharmaca mea composuerim: illa tamen nihil mihi profuerunt, quum amasius Varus indormiat securè, obrutus mei & omnium pellicum obliuione. Hac ratione post hæc verba, *fefellit me locis*, distinctione, non puncto opus est.

10 E loco maiorum docet, sua veneficia irrita fuisse: quòd alia saga peritior incantationis, quàm ipsa, illum detineat sic priori potione solutũ, vt liberè, quod velit, ambulans quærat.

11 Quandò vidit Canidia parùm se profeciſſe prioribus pharmacis, præsentiora se Varo facturam minatur, quę hyperbolicâ minorum collatione dilatantur: qualis est in Tityro:

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui, &c.

quæ rursus augetur alterâ similium collatione: *Vt*, inquit, *atrum bitumen, vel naphtha facilè incenditur: ita tu amore mei feruebis posteà.*

12 Poeta rursus inducit: puerum cum veneficis agentem è diuersis, quorum pars antecedens breui illustratur similitudine, quòd ille non iam oratione molli & blandâ conetur animos veneficarum ad misericordiam, sicut priùs fecerat, flectere: sed nunc ad eas confugiat imprecationes, asperas & minaces, quarum Thyestes diritati & immanitati Atreum fratrem terrimum deuouerat. Simili argumento & imprecationis obnunciatione vsus est Priamus 2. Æn. v. 535. in Pyrrhum:

Hic Priamus, quanquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit: nec voci, iræq; pepercit.

13. Idem eleuat sperata veneficarum impunitatẽ, & imbecillitatem venenorum ostendit ex eodem genere argumenti: *Possunt quidem*, inquit, *venefici & scelerati homines omnia iura peruertere: sed quæ ipsis sunt euentura, non possunt vitare, neq; venenis auertere vel præmia vel debitas pœnas.*

14. Eodem genere argumenti dira & mala illis precatur, nullis piacularibus victimis delenda, quin in ipsarum caput recidant.

15 Pergit ex eodem loco docere: *Licet me occideritis; exagitabo tamen vos nocturno furore, insanis vnguibus ora lacerabo: vobis sollicito metu somnos adimam.*

16 Idem ex adiunctis demonstrat populum ipsius nomine per vicos mortem vindicaturum lapidum iactu & earum cadauera lupis, auibusque rapacibus dilaceranda expositurum: quo spectaculo, tãquam solatio quodam parentes mei superstites, inquit, suum de mea morte dolorem lenient.

Enarratio Grammatica.

QVidam putant Canidiam hîc dici pro Gratidia: alij pro eadem Caninia.

At.] Grammaticis non bene cõueni t inter se de hac particula, *at*. Quidam enim illam putant hîc vacare è l:17. Prisciani, aut certè inceptiuam esse, quemadmodum Donat. interpretatur τὸ *sed* Act. 2. Sc. 1. in Andr. *Sed Pamphilum video* pro atque, & addit, vbi eandem negauit esse discretiuam, hęc per ἀποσιώπησιν finguntur: alij vocem esse pauentis & consternati διεγηέρτως, affirmant. Sunt denique alij, qui vim discernendi illi assignant, quæ ipsius est propria, & antè supplent huiusmodi incisum: *non ad opem humanam, at confugio ad auxilium Deorum.* Ego verò ita puto accipiendam, vt in illo Ciceronis, *At per Deos immortales quid est?* vbi similis est abrupta interrogatio & figuratum quiddam, vt mox dicemus in Rhetoricis.

Deorum quicquid.] Hinc perspicis tantam tum fuisse Romæ Deastrorum multitudinem, vt planè nesciretur, à quo regeretur hæc Vniuersitas. Ita loquitur Liuius l. 23. *iurare per quicquid Deorum.* Itaque nos perbeatos, qui plerophoriã illius habeamus, ὅτε τυφλῶν δίκην ἐν σκότῳ ψηλαφῶντες ἀυτὸν γνωείζωμεν διὰ τῆς τῦ Ιησῦ χειρὸς φωνῆς. Grammatici tradũt, sic per neutrum & rectionem elegantiùs dici, quàm per masculinum, vel conueniẽtiam, quicunque Dij, vel quęcunque potestas Deorum. Sic Catullus loquitur:

Et quantum est hominum venustiorum.

Idem:

O quantum est hominum beatiorum.

Sic Callimachus εἰς Διὰ loquitur, εἶλεο δ' αἰζηῶν ὃ πρέσβατον, *elegisti præstantissimum quicquid iuuenum*, pro, iuuenes præstantissimos quosque: ibidem, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων ἀτίτερον, *quia Ioue nihil est regum diuinius*, pro, nulli reges, vt Sat. 6. l. 1. *quicquid Lydorũ Hetruscos incoluit fines.* Don. tamẽ in Eun. Act. 1. Sc. 1. ait per genitiuum cas. iniuriosè dicitur, *quid hominis illic est:* per nominatiuum honorificè. Idem in Heaut. Act. 1. Sc. 2. *vt videam, nobis quid cænæ fiet*, minus dixit, quàm si dixisset, *quæ cæna*: idem quoque in Hecyr. Act. 3. Sc. 5. *quicquid est id, quod reliquit, profuit.* τὸ *quicquid* ad paruitatem referendum: quod probat loco, nesciodum vnde citato: *at enim id mihi satis est, quod est de me opinionis.* Idem Commentarij in Epist. Cic. ad famil. atque in primis in 1. Epist. l. 13. animaduerterunt & obseruârunt: *vt nescio, quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes.* Item Epist. 4. l. 15. *quæres fortasse, quid sit, quod ego hoc nescio quid gratulationis & honoris a senatu tanti æstimem.* Quicquid est, non video, quid hîc statuendum sit, oratio per rectionem videtur Grammaticis elegantior, quàm per conuenientiam: iisdem tamen minus per illam, quàm per hanc significari, vt elegantia cum energia, vel contrà, hæc cum illa pugnare videatur. Hoc concilier prudens lector: quod tamen idem Grammaticus quodam modo facit in Heaut. Act. 4. Sc. 8. quum dicit id habere locum in interrogatione: *nam*, inquit, *si cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum, vt quis hic homo est? quis iste ornatus est? In obliquo contemtum significari, vt quid hoc est hominis? quid ornatæ mulieris?*

Quid tumultus.] Quid sibi vult iste tumultus, quid etiam aspectus vester tam truculentus? Videtur hæc vox ὡς τέρας ἢ τερατὴ, *vt animi quædam commotio*, accipienda hîc pro cæca & secreta coniuratione veneficarum, quâ puer cognitâ, vt in se factâ, rogauit, quid illâ sibi vni portenderet.

Quid vultus.] Hoc Græci pronunciant: τί πρὸς ἐμὲ πρόσωπον ταμῷ ἠγριωμένον νῦν ἀποβλέπεις σύμπασιν ἤτι νῦν ἐναλινίζετέ μοι τερατείαν πρόσωπον, ὡς ἐμὸν ὀργισθεῖσαν; *cur, velut irata mihi, vultu truci inspicitis me?* id etiam potest vno verbo compos. dici, τί πρός ἐμε δεινὸν πρόσωπον σύμπασαι? Eustathius tribuit istiusmodi trucem adspectum leonibus, quorum scribit esse proprium τὸ βλεμεαίνειν, i. *huc atq; illuc conuersis oculis circumspicere.* Hęc σκυθρωπότης *vultus austeritas* conuenit τοῖς τὸν Αρη πίνουσιν ἢ ἀυτὸν βλέπουσιν, vt loquitur Aristophanes, *Martem spirantibus*, qui vultu acribusque oculis terribile quiddam præ se ferunt, quod Cic. Ep. 4. l. 3. ad Q. frat. vsurpauit de Q. Scævola Tribunoplebis. Inter Græcos Aristophanes est vnus, qui talem σκυθρωπάσμον, i. tetricum supercilium & vultus seueritatem sępiùs vsurpet per has dicendi formulas, βλέπειν καθαρμα, i. *acutum cernere*, βλέπειν ὑπόγρυμμα ἢ δεινὸν ἢ δεινότατα ἢ βλέπειν ὀπὴν, quæ solent explicari per acerbè, truculenter, torue intueri. Videtur D. Lucas Euang. postremo cap. sui Euang. referre τὸ σκύθρωπος ad tristitiam duorum discipulorum indicandam, ἦσαν σκυθρωποὶ, i. *& estis tristes tetricoq; vultu turbati.*

Per Liberos.] Τὸ *per* non hîc vim iurandi, sed supplicãdi nomine alterius, videtur habere: supplicabat enim Cani-

Canidiæ manus iam in ipsum iniicienti per ipsius liberos. *Gallicè, pour l'amour de vos enfans dites moy.*

Partubus.] Hic casus est ex anomalia eorum, quæ *u* pro *i* habent in datiuo plurali. Parùm hîc conuenit supplicanti notare supposititios liberos in iis, à quibus postulat clementer tractari. Ego mallem eum à Canidia petere similem lenitatem & clementiam, qualem fortasse experta erat à Lucina, si quando peperisset.

Lucina.] Rationem huius vocis vide Ode 22. l. 3.

Decus purpuræ.] Id est, per purpuream prætextam à pueris patritiis gestari solitam ad 17. vsque annum, quę veneficam non flectit ad cõmiserationem. De his, qui poterant vti togâ prætextâ, sic T. Liuius l. 34. inducit Valerium Tribunum plebis loquentem, *purpurâ viri vtemur prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: Liberi nostri prætextis purpurâ togis vtentur: Magistratibus in coloniis municipiisq;, hîc Romæ infimo genere magistris virorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus: nec id vt solum habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo crementur. Fœminis duntaxat vsu purpuræ interdicimus.* Quinetiam Valerius Maximus l. 9. c. 12. scribit Prætores aliquem capitis damnaturos prius deposuisse prætextam; propterea quòd fortassis non deceret tristem ferre sententiam in veste lætitiam prænuntiante.

Hæc Iouem.] Grammatici deflectunt Iupiter, à iuuante patre.

Vt nouerca.] Hæc vox habet perpetuùm malorum effectuum epitheta. Ouid. 1. Metam.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Huiusmodi sunt: iniusta nouerca, sæua, immitis, dira, funesta, scelerata, &c. vnde Græci τὰς μὴ ἀγαθὰς διαθέσεις solent dicere μητέρας, τὰς δὲ μὴ τοιαύτας, μητρυιὰς, bonos affectus, matres; malos, nouercas, vt l. 2. Epigr.

Μή τις μητρυιῆς χαλεπὸν ζῆλον ἀνίκητα τέκοι.

O mater, quæ tibi nouercæ mores induxisti improbos.

Ferro.] Physici docent feras, nisi lacessantur, aut vulnerentur in syluis, non sęuire in homines, sed id acriùs facere telo petitas vt Arist. l. 3. Ethic. c. 9. scribit, idque experientia docet: & certè id veriùs Theologi Christiani tribuunt prouidentiæ Dei, qui bestiis imperauit obsequium erga homines: sed aper & vrsus acriores fiunt & cæco impetu in percussorem incurrunt; tantum abest vt fugiant petiti.

Quæstus.] Alibi notauimus, vt Epod. 2. vtramq; verbi. *Queror* syntaxim; *queror de hac re & hanc rem.*

Impube corpus.] Quidam κατὰ πλῶ ἐπιξήτησιν, i. vt alij loquuntur, per appositionem interpretantur, *puer ὢν corpus impube constitit & tacuit*: ego quoque idem sentio, sed Latiniùs explicarem; *Puer corporis impuberis & læuis stans tacuit*, vt ipsemet Poeta loquitur Epistolâ postremâ l. 1. ad suum librum: *me corporis exigui placuisse primis Vrbis belli domiq;.* Alij construunt sic: *Canidia iubet corpus impube aduri flammis, &c.* quod mihi non probatur. Dicitur autem impube duplici fine, impubis & impuber: quod Græci exprimunt per ἄπηβος, καὶ ἀγένειος imberbis, sine lanugine, ratione teneræ cutis etiam per πυῤῥοχρὼς καὶ ἁπαλόχρως: quale Apollod. 4. Argonaut. canit fuisse illud Achillis ad vers.

Ἀμβροσίῃ χρίεσκε πέρην δέμας ὄφρα πέλοιτο
Ἀθάνατος.

Thetis *vngebat* interdiu *tenerum corpus* Achillis *vt esset immortalis, ambrosiâ.*

Canidia.] Poeta videtur hoc nomen effinxisse tum propter caninam libidinem mulieris, tum propter interdictum publicum, ne quisquam proprio nomine ignominiâ in carmine notetur, cuius nomẽ proprium erat Gratidia, de qua 8. & 12. Epodis.

Viperis.] Depingitur Canidia serpentibus implicato capite, i. horrido & inculto habitu, sicut Furias diximus Ode 28. l. 1. depingi, quæ pro capillis habent angues: quo de nomine vocat Poeta Sat. 8. lib. 2. has duas primas veneficas.

Crines & caput.] In *crines* & *caput*, ellipsis est præpositionis *secundùm* respondentis Græcæ κατ.

Caprificos.] Quæ Græcè ἐρινεὸς ἢ ἔρινος, τὸ δένδρον ait Athen. l. 3. ἡ δὲ ἐρία συκῆ (ἐξ ἧς τὸ ἔρινα) ἐρινὸς κατὰ τὸ ἄῤῥεν λέγεται: *arbor ficus syluestris*, (*ex qua* fructus neutro genere ἔρινα) *Erinus masculino genere appellatur.*

Cupressus.] Alij legũt *cupressos.* De hac arbore dictum est Ode 9. l. 1. vbi cernes illam alterâ efferri declinatione, & rationem vocis intelliges.

Strigis.] Strix ponitur à Festo inter aues inauspicatas, Gallicè *cheueche & fresaye*, Græcè σύρνιον: de qua sic Ouid. 6. Fast.

Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canities pennis, vnguibus hamus inest:
Nocte volant, &c.

quanquam Plin. l. 11. c. 39. affirmat non satis constare, quænam sit auium. Sic ibidem Naso vocem notat:

Est illis strigibus nomen, sed nominis huius
Caussa, quòd horrendâ stridere nocte solent.

Iolcos.] Quidam hîc legunt *Colchos.* Hæc autem vrbs collocatur in Thessalia feraci terra venenatarum herbarum, vt annotauimus Ode 27. lib. 1. cuiusmodi Pontus est etiam feracissima regio: vbi est sita hæc Iberiæ & Colchis finitima, & ibidem proueniunt mala gramina, Ptolemęus l. 5. Est quidem altera Iberia Stephano de vrbibus ad Herculis columnas; aliis ad radices Pyrenæorum & ad Hispaniam pertinens, sed de hac Porphyrio non putat hunc locum intelligendum, quanquam maleficiorum infamiâ; sic dicitur ipsa laborasse, vt in prouerbium abierint Iberæ næniæ pro nugis, prodigiosisque maleficiorum fabulis modò iactatis: quo vtitur Hieronymus præfatione in Pentateuchum, vbi scribit multos ignorasse distinctionem Bibliorum: ideoque sectari apocryphorum deliramẽta, Iberasque næniias libris authenticis præferre. Est autem Pontus regio Asiæ: nunc Anatolia Turcorum est, vbi Mithridates olim regnauit, & venenis regionis præfuisse à Martiale l. 5. memoratur:

Perfecit poto Mithridates sæpè veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

De Ponto vide plura in Pharmaceutria & 1. Geor. *Virosaq; castorea Ponto*, vt iam Ode 13. l. 2. dictum est. Syria etiam habuit mulieres veneficiis infames, vti Tacitus l. 2. annotat sub. fin. & initium 3. scribit: *quandam Martinam veneficiis famosam fuisse, & percaram Plancinæ vxori Pisonis, qui in suspicionem venerat sublati veneno Germanici Cæsaris, & vt probationes sceleris subuerteret, subdolâ morâ vagus erat interim per amœna Asiæ atque Achaiæ, & venenum in nodo crinium illius veneficæ Brundisij subitâ morte exstinctæ occultatum.*

Ieiunæ canis.] Valent plurimùm ossa à ieiuno cane corrosa & illius saliuâ consperssa ad philtra, quin etiam saliuâ hominis valdè ieiuni ferunt scorpios enecari.

Flammis.] Intellige flammas, quibus Medea, quæ Colchis erat, dicitur vsa ad domum Creontis & Glaucam ipsius filiam incendendam, de qua Epod. 3.

Sagana.] Hęc venefica à sagacitate, vel ab integumẽto: τὸ γὰρ σάγανον ὅτι σκέπασμα καὶ ἀμφιβολαῖον· *amictus*, quo tegebatur: vel, vt Sanga Terentianus lixa, ἀπὸ τοῦ σάπιον, à componendis sarcinis.

Auernales.] Sulphuratas, quarum vapores rarefaciũt aerem, quo postea non sustinentur volucres, vnde coguntur decidere. Sic Virg. 4. Æn. de Didone venẽfica:

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.
de quo copiosè scribit Strabo l.5. Collocatur autem Auernus in sinu Lucrino ad Baias. Habes descriptionem Auerni sex versib. sub initium Æn.6. vers. *Spelunca alta fuit, &c.* & l.6. Lucret. v. *principiò quòd Auernas, &c.* & rationem vocis vtrobique, quòd non sustineat aues, & l. θαυμ. ἀκους. Arist. & Odyss. κ. vers. ἔνθα μὲ εἰς ἀχέροντα, &c. vbi leges notas Eustathij & inuenies etiam dici τόπον ἄορνον vtrobique.

Horret capillis.] Hic rigor capillorum metu & terrore concitatis accidere solet, vt Plato scribit in Ione, quem sic inducit cum Socrate loquentem: ὅταν ἐγὼ ἐλεεινόν τι λέγω, δακρύων ἐμπίπλανταί μου οἱ ὀφθαλμοὶ· ὅταν τε φοβερὸν, ἢ δεινὸν, ὀρθαὶ αἱ τρίχες ἵστανται ὑπὸ τοῦ φόβου, καὶ ἡ καρδία πηδᾷ· *quum ego recito aliquid miseratione dignum, ex oculis meis lacrymæ exprimuntur: quum aliquid terribile & formidolosum, capilli metu mihi arriguntur, & cor salit mihi pauore.* Caussam autem horrentium capillorum sic Alexander aperit problem. β. *Quare in metu aut rigore capilli stant arrecti? quia hic affectus refrigerat: refrigeratio densat meatus cutis, itaq; pilus vndique constrictus erigitur.* Alia est ratio Saganæ horrentis capilli: quæ, quia semper est maleficiis, cantionibus & veneficiis implicata, talem induit habitum, vt horror ille sit ipsi propriè naturalis.

Echinus.] Echinus vox Græca est ἐχῖνος, quam Latini sibi assumserunt, pro quo tamen sæpè vsurpant τὸ *Erinaceus*: cuius duo sunt genera: vnũ χερσαῖον καὶ ὀρίκειον, *terrestre*, alterum πελάγιον καὶ θαλάττιον, *marinum*. De prudentia prioris vide Plin. l.8. c.32. de posteriori l.9.c.31. & Arist. histor. animal. lib. 4.c.5. & Martial. hoc Epigramm. l.13.

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice depositio mollis echinus erit.

vtrumque etiam dicitur ἄκανθος & ἀκανθοῦς: quòd ἀκανθῶδες. *Spinis* tergo sit armatus: sed ego hunc locum puto intelligendum de terrestri: de quo fecit eleganter P. Angelius Bargens in Cynegeticor. l.4.

Ergo vbi lapsa iacent sua quaq; sub arbore poma,
Accedunt lati, seque in sua terga volutant:
Donec fixa rubis hærentia mala supremis
Exportant, implentq; penum liuentibus vuis:
Quarum acinis quoties sententes onerantur acutæ,
Periucunda sui præbent spectacula nobis.

De echino sic Plutarch. περὶ τῆς τύχης ex Empedocle, *pleraq; bruta sunt naturâ & conditione ortus meliore, quàm nos: alia enim cornibus armãtur, dentibus stimulis, vt Echinus*, vt ait Empedocles, *spicula torquens ex horrido dorso*, Græcè: ὀξυβελὴς νώτοις ὅπλοφορεῖται. Asperitas huius animalis, abiit in Prouerbium. *Echino asperior.* in hominem intractabilem, & insociabilem.

Aper.] Rarò talis occurrit aper, nisi latratibus turbatus & agitatus, atque tum illius terga rigidis horrent setis, quod Græcè dicitur φειττηχαίτας, cuius rei exemplum lege Odyss. ν. sub medium de venatione Vlyssis. De apro vide Od. 12. l.3.

Veia.] Veia sic fortassè dicta est à Veiis vrbe Etruriæ, cuius incolæ Veientes vocabantur. Illam nulla cogitatio & scientia sceleris deterruit & prohibuit, aut, vt loquitur, abegit & expulit à cæde pueri innocentis, quin fossam percuteret, quod Sophoc. dicit: ὥς τε κοίλην κάπετον χερσὶν ταχύων· *cauam scrobem manibus accelerari*, & ad eum defodiẽdum nulli labori parcens. *encores qu'elle geignit d'ahan & de trauail*: vt: *gemit sub pondere cymba*, id est, grauatur 6. Æn. & 4. Georg. *taurus ingemit aratro*: sed hoc interest, quòd illa cum voluptate perdita, hic cum molestia opus peragat suum fructuosum.

Ligonibus.] Græcè διὰ τῶν δικέλλων, ἢ μακέλλων. Vtraque verò dictio siue δικέλλα ligo bifidus, siue μακέλλα ligo latus, deflectitur πρὸς τὸ κέλλειν, τοῦτ' ἔστι κινεῖν ἢ τέμνειν· *à terra mouenda & scindenda terra*, vt ligo ab eadem constringenda & liganda.

Quò posset.] Placet quibusdam, vt *quò* vim habeat relati loci, pro, in quam humum infossus puer posset emori: quæ quidem interpretatio satis cõuenire videtur: sed existimo σωφρονισμὸν αἰπολογικὸν εἶναι, τοῦτ' ἔστι τέλος τὸ ἕνεκα καὶ τὸ ᾧ, coniunctionem esse caussalem, id est, finalem, cuius gratiâ & cui: id igitur Veia fodit, quò puer infossus fame periret. Cibus enim tantùm proponebatur spectandus, non comedendus, vt acriori desiderio afficeretur puer. Hic est finis cuius gratiâ. Deinde quò etiam philtrum, ex eius hepate & medulla cõfectum, Canidiæ Varum restitueret. Alter est finis, cui. Sensus sic est: *Quò puer infossus posset immori diu spectando dapem, mutatam bis vel ter in die, quum ille tantùm emineret extra terram, quantum corpora mento, suspensa ex aqua & stant & eminent.* Hoc genus supplicij ferunt à Carthaginiensibus inuentum & in his Cato Maior prodidit. *Illi*, ait, *defoderunt homines in terram dimidiatos, ignemq; circumposuerunt, & ita interfecerunt:* quale crudelitatis exemplũ Balbus minor Gaditanus dicitur edidisse in Fadium quendam, militem Pompeianum, *quem abstractum defodit in ludo Gladiatorio, & viuum combussit*, vt Asinius Pollio scripsit ad Cic. l.10. Epist.32. ad Famil.

Exsucta.] Ellipsis est copulæ &, vt ex medulla & iecore desiccatis fame, potionis amatoriæ maior vis esset ad incendendum Vari animum Canidię desiderio. *Exsucta*, Gall. *Desechée & sans humidité.* Legitur etiam *exserta, & exsecta.* Primum magis probo. *Exstare* autem ἄνω φέρεσθαι καὶ ὅτι πολάζειν, ἐξέχειν significat Græcè.

Interminato] Græcè, διαπεπαιδεισμένῳ ὄψει: quum oculi in cibum quidem appositum & variatum, sed tangi vetitum, defixi tandem desiderio & crudelitate planè & omnino liquefierent, Crystallino humore siccato. Id enim *semel* videtur designare. Interminatus autem à deponente *interminor*, sumendum est παθητικῶς, quod *interminatus* vix alibi sic acceptum inuenias, pro minis interdictus, & prohibitus. Sed quid necesse fuit minis prohibere puerum in terram mẽto tenus infossum tactu cibi ob oculos positi? quum illi non inde liceret exire & cibum apprehendere interminatum.

Pupulæ.] Pupula dicitur ὑποκοριστικῶς, *diminutionis*, à pupilla, & hoc rursus à pupa: quæ vox postrema variè, vt Græca κόρη, sumitur. Primùm vtraque est puella: deinde imaguncula, τὸ σμικρὸν ἀγαλμάτιον, Gallicè *poupée de petits enfans*, quæ Gallica vox *poupée*, πολὺ ἐπιμώτερός ἐστιν ὑπὸ τὸ *pupa*, *puella*, quàm vel à *pulpa* musculosa carne arborum sub vtroque cortice, vel à Popea Neronis vxore, cuius forma nullo modo respondet minutis puellis adhuc alumnis. Postremò pupilla oculi, quam κόρην Græci definiunt, τὸ ἐν μέσῳ τῷ ὀφθαλμῷ βλεπόμενον, *quod in medio oculi cernitur.* Distinguunt verò κόρην & ὄψεις, dicentes: πλὴν ὄψιν μέν φαμεν βλέπομεν. Κόρην δὲ καὶ γλήνην τὸ εἴδωλον τὸ ἐν τῇ ὄψει *oculum, quo cernimus: pupam verò simulacrum, quod est in oculo.* De quo sic Plin. l.28.c.6. *Augurium ex homine ipso est non timendi mortem in ægritudine, quamdiu pupillæ imaginem reddant.*

Præterea Iulius Pollux lib.2. vocabula Gręca sic definit, ὀμμάτων δὲ τὸ μὲν ἐν μέσῳ, κόρη. ἧς ἡ αὐγὴ, γλήνη, καὶ τοῦτο παρὰ τὸ γλαύσσειν, τὸ λάμπειν, ἢ παρὰ τὸ ἀγλάον, τὸ λαμπρόν τι, i. oculorum autem quod est in medio, core, i. pupilla dicitur, cuius splendor vocatur glene, & hoc à verbo splendescere, vel ab ægle, i. splendore ipso.

Ariminensem.] Hæc venefica ex vrbe Arimino iuxta Rubiconem fluuium in Adrianum mare defluentem sito, accersita fuerat ad confectionem veneficij: alij sito, accersita fuerat ad confectionem veneficij: alij ita circumscribunt Ariminum, vt situm habeat in ex-

trema Italia, non ea, quæ cingitur Alpibus & naturæ terminus est, sed ea, quâ à Gallia Cisalpina pop. Rom. fluuio Rubicone diiunxit. Citra Rubiconem autem primum oppidum Romam euntib. vltimum in Galliam, Ariminũ occurrit. Hæc Folia dicitur mulier masculæ libidinis, vt ab Ouidio inexstinctæ libidinis homo, proimmoderata. Malunt tamen alij ad turpissimam Tribadum consuetudinem referre, quam me vehementer quidem pudet proponere tuæ castitati, Lector. Attamen, quũ tibi satis è similibus locis nostrum iam castigandi vitia studium perspectum ac cognitum certò sciam, facilè, credo, ignosces narrationi nostræ talẽ obscœnitatem. Tribades illæ ὀλίσβῳ, τῦτ' ὄζι, σκοπίνῳ αἰδοίῳ ὀκτοδακτύλῳ 'λλήλας τείβυσι. Huius τειβαδικῆς ἀσελγείας, perditæ libidinis, Philænis creditur inuentrix, & lasciua Sappho tali flagitio notata. Alij tamen referunt ad naturam Hermaphroditarum & Androgynorum. Memorabilis est Ariminensis inscriptio, quam ego Iac. Grasserus, anno 1607. Roma Anconam tendens à singulari cum voluptate obseruaui. *Iussu mandatúue P. R. Cos. Imp. milit. Tyro, Comilito, manipulariéue, centuriéue, Legionariq; armatus quisquis es, hic fistito, vexillum sumito, nec citra hunc amnem Rubiconem, signa, arma, ductum, commeatum, exercitúmue traducito. Si quis huiusce iussionis ergo aduersus ierit, fecerítue. adiudicatus esto hostis P. R. ac si contra patriam arma tulerit, sacrosq; Penates, è penetralibus asportauerit: sanctio plebiscit: senatúsue consulti, vltra hos fines arma proferre liceat nemini. S. P. Q. R.*

Otiosa Neapolis.] Videtur interpretatio vocis Græcæ ἀπεραπόλεως, vrbs otij alumna, vel negotijs vacua, quâ Suetonius vtitur in Octauio cap. 98. *vicinam Capreis insulam ἀπεραπόλιν appellabat, à desidia secedentium illuc è comitatu suo, propter loci amœnitatem:* quæ solet esse primo cuique philopono & industrio summa otiandi illecebra. De qua lege Strabon. libro quinto, & descriptionem ipsius sic accipe ex Suida: Νεάπολις πόλις Ἰταλικὴ δήμου, ἐν ᾗ Παρθενόπης ἵδρυται Σειρῆν ἄγαλμα· *Neapolis est vrbs Italica celebrata, in qua statua Parthenopes Sirenis collocata est.*

Thessala.] De incantatoribus Thessaliæ dictum est Ode 27. lib. 1. Addam tamen distichon Tibulli de venefico Thessalo:

Cantus & è curru Lunam deducere tentat.
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

In carmina Thessaliæ imperiota sic Lucanus scripsit libro sexto.

—— Phœbeq; serena
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit, & nigris, terrenuq; ignibus arsit,
Quàm si fraternâ prohiberet imagine tellus,
Inferéretq; suas flammis cœlestibus vmbras,
Et patitur tantos cantu deprensa labores,
Donec suppositas propior desputet in herbas.

Sed verbum *deducere*, quo hîc Tibullus & Virg. in Phar. vtitur, est minoris energiæ, quàm *deripere*, quo noster Poeta hîc & Ode 28. *deripere horreo*, vtitur lib. 3. propriè enim videtur, vt reliqua ex *rapio* iunctura facta, significare aliquid properè efferre alicunde, vt Georg. 2.

Colaq; prælorum fumosis deripe tectis.

Id est, effer è tectis propere colos prælorum: vbi in bonam partem videtur accipiendum, sed hic, vt sæpe alibi in malam. Id profectò est, quod Græci dicunt: καταδεῖν τινὰ σελήνην καὶ καθαιρεῖν ἐκ τοῦ δρόμου. *incantare Lunam & è cælo deducere.* Plutarchus de nuptialibus præceptis & defectu oraculorum scribit, Aglaonicen filiam Agetoris & Thessalam ex peritia Eclepticarum periodorum consuêsse prædicere defectus Lunæ: ideoque credebatur illam excantare, & demouere segetes ex agro in alterum, vt Pharmaceutria Virgilij habet. Scholiastes tamen Apollonij in lib. 4. scribit Aglaonicen filiam fuisse Hegenionis, quæ iactantiæ pœnas dedit *Nemesi:* quæ postea cesserunt in prouerbium, ὀλὶ σωτῆρ τὴν Σελήνην καταασᾶν, id est, in seipsum lunam detrahere, in eũ vsurpari solitum, qui suis artibus malum sibi accersit.

Hîc ter.] Videtur τὸ *hîc* esse temporis, quomodo explicat Donatus hunc versum Terentij Hecyr. Act. 1. Scen. 2. *Hîc animus partim vxoris misericordiâ deuictus. Hic,* inquit, pro, *tum*, vt Virgilius:

Hic annis grauis, atq; animi maturus Alethes.

Sic τὸ ἔνθα Græcũ alibi docuimus χρονικῶς sumi Iliad. α.

Irresectum.] Πεεικρώγωσα τὸν αὐτίχειρα αὐξονύχιον καὶ ἀδιάκριτον. Agnosci potest vis gemina præpositionis in hac iunctura, vt prior sit intentionis, quomodo vnguis ad viuum resectus dicitur; posterior negationis, vt non videatur resectus omnino, quemadmodum sum interpretatus in Dialecticis. Quidam putant pollicem pueri exserti intelligendum, è quo exsugeret aliquid succi rodendo ad hoc philtrum, quod equidem improbo. Rodere autem pollicem aliàs est cogitationis & comminationis maleficij caussâ, tum vngues non resecabantur. Vide Plinij lib. 28. capite 7. Acron in hunc locum hæc ait: rodat, pollice vsque ad periculum rosa, vt monstraret furentem: quod ex Petronio sumtum videtur.

Quid dixit? quid tacuit?] Videtur subijciendum, illam dixisse multa: quorum pars aliqua mox memorabitur.

Arbitræ.] Noctem & Dianam facit arbitras & spectatrices & conscias magicæ operationis ipsarum. Ita Luna & Hecate deuocantur in Pharmaceutria Theocriti, vbi Scholia legenda sunt valdè hunc locum adiuuantia.

Et Diana.] Cic. de natura Deor. scribit, Dianam solitam in veneficijs & sacris Magicis semper deuocari à mulieribus captis amore, vt ab alijs hominibus Solem: quod vterq; aliquando tali morbo laborârit. Prætereà silentium in omnibus sacris requirebatur, de quo Plin. lib. 16. cap. 55. & Virg. 4. Æneid. & 8.

Formidolosis.] Ἐνεργητικῶς καὶ παθητικῶς, hîc pro timidis sumitur, vt apud Ciceronem pro timendis, & terrorem incutientibus, sicut iam Ode 17. lib. 2. notatum fuit, vt horribilis & formidolosus locus, *vn lieu bien à craindre*, & *qui donne fraeyur* sic Græcis τὸ φοβερὸν vtriusque est notionis.

Senem quod.] Hic relatiuum spectat ad totam sententiam præcedẽtem, *senem allatrari à canibus*, non ad vnam vocem: vbi notandum est, adulterum non dici solùm de coniugibus, sed etiam de scortantibus.

Suburanæ.] Subura fuit Vrbis regio, sic dicta, quòd sub antiqua vrbe esset, & sub montibus Cælio & Carinis cameratis, vbi prostabant meretrices, quas dum Varus contemtor Canidiæ adibat, illum, vt canes, quæ illic sunt, allatrent, optat Canidia, vt scribit Dionysius Halicarn. De regionibus Vrbis vide Plinium lib. 18. cap. 3.

Nardo perunctum, quale.] Priscianus li. 17. tradit poni pro quali. Plin. lib. 12. ca. 12. & Tibullus lib. 2. Eleg. 2. v. tuntur *nardus* in neutro genere, atq; ille scribit: *Gallicum nardus non multùm ab Indico differens, Syriaco tamen leuius. Cũ Gallico nardo semper nascitur herba.* Sed puto hîc intelligendum genus nardi, quod apud Gangem nascens damnatur in totùm, ozenitidis nomine, virus redolens, vnde amatorium virus, id est, potio, ait Plinius alio in loco modò posset hic intelligi appositè ad vim potionis, φίλτρα possunt definiri φαρμακα τῆς ἡδονῆς ἢ φιλίας ἐνεργητικὰ, id est, medicamenta voluptatis aut ami-

citiæ efficientia. Eustathius tamen alio definit genere, φίλτρόν ὅτι λάχανόν τι διεγερτικὸν εἰς ἀφροδίσια, id est, *est quid esculentum vi exstimulandæ Veneris præditum.*

Quibus superba.] Aliàs legitur superbam pellicem. De hac re lege Medeam Euripidis. Hoc Epitheto potentia & nobilitas significatur, vt lib. 3. Æneid. initio. *cecidit superbum Ilium* interpretatur Seruius, de cuius etymo dicetur Deo fauente in Epist. 1. lib. ad verba respondere fortunæ superbæ.

Creontis.] De Glauca fuit Epodis 3.

Indormit.] Amphibolia est hîc dubiæ syntaxeως, vtri substantiuo tribuêdus sit genitiuus *omnium pellicum:* cubilibusne, vt hæc sit syntaxis: Varus indormit cubilibus omnium pellicum, vnctis obliuione mei: an *obliuione*; vt sit sensus & syntaxis: *Varus indormit cubilibus vnctis obliuione omnium pellicum*, quomodo in Dialecticis interpretatus sum. Mallem tamen sensum priorem, vt curam vnius Canidiæ videatur Varus abiecisse, & illam obliuione penitus obruisse.

Venefica.] Venefica, vt lupa, vipera & sacrilega sunt conuicia Comica & aptà in ancillas & mulieres improbas: sicut etiam veneficus & sacrilegus in seruos & viros, vt Pythias conuiciatur Eunuch. Act. 4. Scen. 3. *qui nunc si detur mihi: vt ego vngulabus facile illi in oculos inuolem venefico!* De etymo veneni repete notas in 3. Epod. Gramm.

Potionibus.] Id est, philtris, quâ voce, post Theocritum in Pharmaceutria, vtitur Ouidius:

Philtra nocent animis, faciuntq; furoribus aptos.

Ex hac vocis notione *potionari* verbum passiuum natum est, & à solo Suetonio in Calig. capite 50. vsurpatum, quod legerim: *creditur potionatus à Cesonia vxore amatorio quodam medicamento:* sed quod in furorem verterit, Græcè καταπεφαρμακδμένος, πεποσμένος, *veneno infectus.*

O multa.] Ἀντιμείλια est nominis pro aduerbio multùm & valdè fleturum.

Marsis.] Hi populi Italiæ sunt finitimi Picentibus & Samnitibus, & è Marso Circes filio profecti: ideoq; periti incantandi & venenis resistendi, ac vi eorum nocendi: vnde Virgil. 7. Æneid.

Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit, neq; eum iuuêre in vulnera cantus
Somniferi, vt Marsis quæsitæ in montibus herbæ.

Plinius quoque lib. 28. cap. 2. meminit Marsorum: *non pauci etiam credunt serpentes ipsas recantari: & hunc vnum illis esse intellectum contrahiq; Marsorum cantu.* Meminit eorundem eiusdem libri cap. 3. *vbi Psylli Marsiq; & quiophiogenes, vocantur in insula Cypro, ponuntur in genere eorum, qui sunt terrori serpentibus, & tactu ipso leuant perculsos, suctuq; medico*, ex qua familia Legatus Exagon nomine à consulibus Romæ in dolium cõiectus experimenti causâ circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Idem lib. 21. capite 13. *Illa domina rerum omnium hanc dedit repugnantiam apibus, sicut contra serpentes Psyllis Marsisq; inter homines.* De ijsdem Lucillius apud Nonium in Colubra:

Iam disrumpetur medius, iam vt Marsu' colubras
Disrumpit cantu, venas quum extenderit omnes.

Quod hîc dicitur à Plinio de Psyllis, eius descriptio manifestior est lib. 51. Dionis. *Cæsar, audito Cleopatræ interitu attonitus, corpus eius vidit, remediaq; ei ac Psyllos adhibuit, si qua eam ratione vitæ restituere posset. Psylli enim viri sunt (neque enim fœmella nascitur Psylla) qui possunt omnium serpentum venena ex hominibus nondum mortuis exsugere, neque ipsis morsis a serpentibus incommodum vllum accidit. Nascuntur autem aly ex alijs: natosq; aut serpentibus statim iniectos, aut fasciolis ipsis super serpentes coniectis probant. Nam serpentes neq; ladere infantem possunt, & sub veste ipsius torpore corripiuntur.*

Bitumen.] Bituminis, quod Græci vocant ἄσφαλτον, duo sunt genera; vnum liquidum, alterum fossile, ac rursus sunt vtriusque sua genera: liquidi sunt; ἔλαιον, νάφθα, κάφυρα, quæ admota igni facilè concipiunt flammas, quibus Babylonij in lucernis solebant vti, de quibus vide Strabonem lib. 16. & Plinium lib. 35. cap. 15. Dioscor. lib. 1. cap. 100. Gorreum, & Plutarchum in vita Alexandri Magni, sub medium, vbi factum est periculum naphthæ à Babylonijs regis gratiâ in vicõ: sic Virgilius in Pharmac.

Fragiles incende bitumine lauros.

Atris ignibus.] Sic Ode 12. lib. 4. dixit: *nigrorumq; memor ignium.* Hic color tribuitur igni κατὰ συμβεβηκός: sed à Virgilio *æneus Rutilus*, ab Ouidio, *Phœbeus* & *Roseus:* Seruius in vers. 12. Æneid. *Voluitur ater odor tectis.* notat, *nouè. nam in odore ecquis color est?* & subijcit: *sed hoc dicit Virgil. Odor atræ rei, vt fumi ater odor pessimus, vt etiam, fumoq; impleuit amaro.* Hîc supplementum excusat nouitatem, vt in præcedentibus verbi, id est, epitheti modificati.

Sub hæc.] Notauimus alibi τὸ *sub* cum casu accusandi signare tempus, vt hîc sit, quũ hæc diceret & faceret *Canidia*, non amplius illam & socias lenibat, nec mitigare tẽtabat precibus. Ita *lenire* infinitum solet verbo finito explicari, vt ellipsis alterius verbi deliberatiui explere, quæ perusitata est Latinis. Terent. in And. *omnes dicere & laudare fortunas meas*, & 5. in Verr. *videre conuiua, cachinnare ipse Apronius*, scilicet *cœpêre & cœpit.*

Sed dubius, vnde rumperet silentium.] Id est, vnde sermonem institueret, illiusq; initium duceret. Hoc Galli exprimunt: *Mais doubtans, quel propos il leur deuoit tenir, sans plus se taire, il se mist à la parfin à les donner au diable, & prier, que mal leur aduint.* Est autem rumpere vocem & silentium mimesis Hellenica ῥῆξαι φωνὴν καὶ σιωπήν. Exemplum prioris est in nubibus Aristophanis, ῥῆξον φωνήν, ἤπι χάρεις: id est, *ede vocem cum fragore, quâ quidem gaudes:* sed apertiùs est illud D. Pauli ad Galat. 4. è ca. 54. Isaiæ: εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον, ἡ οὐκ ὠδίνουσα, i. e. *lætare sterilis, quæ non paris, rumpe silentium cum fragore & clama, quæ non parturis.* Hæc interpretatio Latina est ex Græca septuaginta interpretum Bibl. sed altera ex archetypo Hebræo sic habet: *Canta sterilis, quæ non paris, fragorem ede cantu & liquidam da vocem, quæ partu non doles.* Quam vtramque vsurpauit Virgilius 2. Æneid. *Compositò rumpit vocem, il se met à parler cõme il auoit esté accordé.* & 10 eiusdem: *quid me alta silentia cogis rumpere?* Gallicè *pourquoy me contraignez vous à plus ne me taire? ou bien pourquoy me forcez vous à parler?* Seruius posteriorem hunc locum Virgilij sic interpretatur: silentium rumpere non est tacere, vnde apparet vsurpatiuè dictum esse, composità rumpit vocem, id est, loquitur. Nam vocem rumpere, silere est: silentium rumpere, loqui.

Thyesteas.] Thyestes & Atreus filij fuerunt Pelopis, quorum posterior trucidauit filios prioris, & coctos Thyesti patri appositi: quòd scelus posteà detestatus est pater diris precibus, vt Cicer. 1. Tuscul. refert ex Ennio & in L. Pisonem, & Horatius in Epist. ad Pisones:

Dignus carminibus narrari cœna Thyestæ.

Venena.] Hic est ellipsis coniunctionis discretiuæ, quæ addita syntaxin verborum facit planiorem: *venena valent quidem conuertere fas & nefas, sed nõ humanam vicem,* id est, sortem & casum hominum: quos manent præmia, si pij fuerint; vel supplicia, si scelerati. Sic Virgil. sub finem 1. Georg. vbi causam bellorum ciuilium tribuit sceleribus hominum, ad Cæsarem tot malorum auctorem excusandum, vt alias notauimus:

Quippe

Quippe vbi fas versum atq; nefas, tot bella per orbem
Tam multæ scelerum facies.

Quidam ἐπᾳξηγητικῶς interpretantur: *venena, quæ sunt magnum fas & nefas, nequeunt commutare hominum sortem.* Alij malunt efferre per exclamationẽ pueri moribundi, *ô magnum fas & nefas*, ac metonymicῶς sumere pro Dijs Superis & Inferis, qui deuocantur ad vindictam.

Diris agam.] Diræ, arum, finguntur à Poetis Furiæ Inferorum, de quibus dictum est Ode 28. li. 1. Pro Diris aliquem agere, vel Diris aliquem deuouere. Græci dicunt ἐπαρᾶσθαί τινι, τὰς παλαμναιοτάτας ἀρὰς, ἢ καταρᾶσθαι δεινῶς τινι, ἢ πνα, Gallic. *Prier & souhaitter que mal aduienne à quelqu'vn.* Minatur diras imprecationes: *quia defigi diris deprecationibus nemo non metuit*, vt scribit Plinius lib. 28. cap. 2. *præsertim quum è iusto & magno dolore proficiscuntur:* quales recensẽt Catullus de nuptijs Pelei & Thetidos:

Quæ quoniam verè nascuntur pectore ab imo
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum.

Ideoque Poeta dicit tales non posse depelli à capite maleficorum, nullaque victimâ expiari, quum hi semel fuerint πεισκατάρατοι. Hesychius scribit templum exsecrationis olim fuisse Athenis, cuius etiam meminit Aristoph. in Comœd. *Horis* & Macrobius: vbi tum publicæ detestationes fiebant, verbi gratiâ eum qui errantem non reduxisset in viam rectam: pro quibus Christiani vsurparunt τὰς ἀναθεματισμὰς, id est, excommunicationes. Phœnix apud Homerum Ιλιαδ. ι. ita narrat imprecationes hominum, maximeq; parentum non esse irritas semper, qui liberos diris deuouent, idq; expertus Achilli sic memorat ad vers.

— πατήρ δ' ἐμὸς ἀμφιπολεύει,
πολλὰ κατηρᾶτο, συγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς,
Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφίζεσθαι φίλον υἱὸν
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα, Θεοὶ δ' ἐτέλειον ἀρωγάς, id est,
— *Pater autem meus statim suspicatus*
Multa imprecatus est, odiosas vero inuocabat furias,
Ne vnquam genibus meis imponerem dilectum filium
Ex me genitum. Itaque Dij perfecerunt imprecationes.

Tales diras Areius Tribun. pleb. obnunciauit Crasso in Parthos proficiscenti, vt Plutarch. scribit in huius vita: tales etiam Aiax Atridis apud Sophocl. tales quoque Didonis in Æneam fuerunt 4. Æneid. vers. 610.

Et Diræ vltrices, &c.

Quò plures imprecandi locos Germanus Valens ex auctoribus Græcis doctè & studiosè congessit. Huiusmodi est illud Virgil. Æneid. 7 ad vers.

O miseri, te Turne nefas: te triste manebit
Supplicium, votisq; Deos venerabere seris.

Quò Seruius addit: quia religio rigida, dicitur semel mala commissa nullâ ratione reuocari, ὡς ἀνεπιθέτου μετάνοιαν μετανοεῖν *tanquam serò & vltra tempus præstitutum pœnitere.*

Exspirauêre.] Sic T. Liuius li. 2. ab vrbe hoc verbum per se & absolutè vsurpauit, *inter primam curationem exspirauit.* Gallic. *ainsi qu'on mettoit le premier apparent, Il rendit l'esprit.* Profertur etiam è lib. 3. Lucil. locus cum suo casu, *Exspirans pulmonibus ager agebat.* Sic verbum Græcum ἐκπνέω vtroque modo construitur. Locus prioris est in Epigram. lib. 2. sine casu,

Γαῖ' ἐκπνεύσας τὸ παυσάτορ' ἰχθὺς ὁ λεπτὸς, id est,
Quum subtilis canis halitum omnino postremum hesterni efflasset.

Locus posterioris cum casu est in lib. de Mundo, ἐκ τούτου πάντα ἐκπνεῖ τε καὶ ψυχὴν ἴσχει τὸ ζῶα, id est, *ex eo animalia omnia exspirant, & animam continent.* quamquam casus videtur hic construi cum ἴσχει pro mori dicitur etiã ἀφιέναι τὸ πνεῦμα, id est, *exhalare animam.* contrà κατέχειν τὸ πνεῦμα, id est, *animam continere.*

Nocturnus.] Huiusmodi sunt minæ Didonis persequuturæ etiam post mortem perfidiam Æneæ 4. Æn. ad hæc verba:

— *sequar atris ignibus absens*
Et quum frigida mors animâ seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas:

Tales sunt etiam Ouidij comminationes in quendam, quem nomine Ibis notat:

Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras:
Sæua sed in manes maribus arma dabo.

Reliqua vide ibidem & apud Euripidem in Oreste.

Petam vultus vnguibus.] Virg. Æneid. 12. *fœdare vnguibus ora.* & Ouid. Metam. 12. *hamatis vnguibus laniare ora & genas.* & Pythias Act. 5. Sc. 2. Eun. *vix me contineo quin inuolem in capillum, & in oculos*, vt modò citatum est, dicunt.

Assidens inquietis.] Hoc Gallicè *interpreteris, Estant assidu & continuel en vos affections interieures & secrettes, que ne vous donnent aucun repos ne ne vous laisserai tamais dormir par les frayeurs & espouuantemens, que ie vous donneray.* Hæc assessio non fit opis ferendæ gratiâ, sed nocendi caussâ. Prioris autem notionis erit illud Satyræ 1. lib. 1. *habes, qui assideat, foment a paret, medicum roget, &c.* Similes quoq; terrores memorantur à Sueton. in Calig. cap. 59. *Satis constat prius, quàm id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos: in ea quoq; domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit.* Similes item in Nerone cap. 34. *Sæpè Nero confessus est, exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac tedis ardentibus.* Ab eodem etiam similes in Oth. ca. 7. *dicitur eâ nocte per quietem pauefactus gemitus maximos edidisse, repertusq; est à concurrentibus humi ante lectum tacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari, expelliq; se viderat, propitiare tentasse.* Hæc autem Poetarum commenta Tullius interpretatur in Oratione pro Roscio Amerin. & in L. Pisonem. *Reuera autem*, inquit, *à sua quemq; fraude & suo terrore maxime vexari, à suis malis cogitationibus conscientijsq; animi terreri, has esse impijs assiduas, domesticasq; Furias, quæ dies noctesq; parentum pœnas ab impijs filijs repetunt.*

Differrent.] Differre est hîc discerpere & disijcere, *mettre en pieces & les ietter ca & la*, quòd Græcè dicitur διαφορεῖν, & per primigenium διαφέρειν. Plato 7. Epist. sub finem: καὶ μοί τινες ἀπειλοῖεν, εἴ πῃ λάβοιντο, μὲ διαφέρειν, aliàs tamẽ legitur διαθερεῖν, *& mihi quidam minabantur, sicubi me comprehenderent, se discerpturos me, vel perdituros.* Ex hoc genere notionis nascitur illa translatio. Plau. in Pseud. *Iam ego te differam dictis meis impudicè*, pro, traducã & noram infamiæ tibi inuram: pro quo etiã vsurpatur ab eodem *cantare & occentare*, id est, infamare. Certius est illud Æschyli in Choephoris, διάλυσις ἄτης διαφέρει τὸν ἄπορον, vbi Scholiastes interpretatur διαπαύει: *Grauis calamitas discerpit & dissipat auctorem.* Veteres summo dedecori ducebant, si cadauera sua carerent honore sepulturæ: humanitatis est, ait Phocylides,

Γαῖαν ὀπιπεύεσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι·
Terram impertiri mortuis insepultis.

De hoc vide Od. 28. lib. 1. & Ilia. ο. licet videre, & Iliados χ. de Hectore petente sepulturam, & Odyss. λ. de vno è socijs Vlyssis honorẽ sepulturæ ab eo petente, & apud Sophoclem de Aiace.

Esquilinæ.] Esquilinus mons Romæ dicitur, vbi est hodie ædes Maioris Mariæ & olim sepulcretum, vnde atræ Esquilinæ Sat. 6. lib. 2. dicuntur. Esquilinæ autem ideo dicuntur ex Varrone, vel ab excubijs regis, vel ab eo, quòd Tullio rege excultæ essent. De his quoque in Satyr. 8. lib. 1. Ibi erant horti Mæcenatis.

In hac autem Vrbis regione Porta erat Esquilina, extra quam pleraque supplicia sumi consueuerũt apud

Romanos, Tacitus 2. Annal. *In P. Martium Consules extra Portam Esquilinam, cùm classicum canere iussissent, more prisco aduertêre.* Suetonius in Claud. capite 25. *Ciuitatem Romanam vsurpantes peregrinos in campo Esquilino secuti percussit:* vbi, sicut Festus notat, erat locus quò vilium damnatorumque cadauera proijciebantur extra portam Esquilinam: quæ quod ibidem putrescerent inde Puticulos appellatos existimat Ælius Gallus. Plautus. *Illum Aedepol videre ardentem te extra portam Metiam credo velle.* Octau. Pantagathus & I. Lipsius, Portam Metiam faciunt eandem cum Esquilina, partim ex Argumẽto loci de supplicijs, partim ex alijs argumentis numeri ac situs portarum. Carnifices extra vrbem habitarunt. Cicer. pro Rab. *sed prius moreretur acerbissima morte millies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret, quem non modò foro, sed etiam cœlo hoc ac spiritu censoriæ leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt,* cuius meminit Plaut. *extra Portam Metiam currendum est prius Lanios inde accersam (carnifices) duos cum Tintinabulis.*

Esquilinæ alites.] Hæc verba interpretantur superius Etymon Puticulorum: quia vbi putria cadauera iacent porrecta, eo solent conuolare τὰ ἄρπεα συρκοβόρα καὶ τἆλλα ζῶα φερεσπήχεις, id est volucres carniuoræ, & alia huiusmodi animalia accurrere.

Heu mihi.] Nota est doloris, quem puer capit ex immatura morte, qui ordine naturæ debuerat parentibus esse superstes: non contrà, hi puero ipsi: quod Sostrata vouet Clitiphoni in Heaut. Act. 5. Scen. 4. vers. 7. *Ita mihi atque huic sis superstes, vt ex me atque hoc natus es,* quod etiam Penelope Telemacho in Epist. 1. Ouidij.

Explicatio Rhetorica.

METro conuenit cum superioribus Epodis.

[a] Prosopopœia est pueri abrupta initiò, & exclamatio eiusdem commoti & perterriti, διὰ τῆς μεμψιμοιρίας καὶ τῆς ἀποστροφῆς· deprecantis Deos, quum nihil precibus loci apud homines sit ipsi relictum; Donatus tamen in And. Act. 4. Scen. 1. ad hæc verba: *At tibi Dij dignum factis exitum duint!* dicit affectum ὀνειδιστικόν, *obiurgantis & increpantis.* Hac particulâ *at* notari in principio, & hunc locum citat: quò fortasis pertinere videtur eiusdem interpretis annotatio in Eunuch. Act. 5. Scen. 1. *quid hominis illic est? per genitiuum casum iniuriose dicitur, per nominatiuum autem honorificè,* vt illud Sat. 6. lib. 1. *Quicquid Lydorum,* vt initio Grammat. modò citauimus aliò spectantes: quo rectionis genere vis huius particulæ iuuatur, & querula deprecatio significatur. Sic Virg. etiam lib. 2. Æneid. vers. 535.

At tibi pro scelere, exclamat Priamus, pro talibus ausis
Dî si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolues grates dignas.

Sic quoq; Philoctetes imprecatur Vlysi & Atridis in Sophocle: ὅς' Ὀλύμπιοι Θεοὶ δοῖεν πάντ' αὐτοῖς ἀντίποινα ἐμοῦ παθεῖν· *De quibus Superi vicissim paria sumant mei supplicia.* Hunc quoq; locum Seruius profert in vers. Æneid. 7.

At non sic Phrygius penetrat, &c.

Hoc annotans, *si autem legeris at, copulatiua particula est, ad ornatum solùm pertinens,* Horat. *At ô Deorum, &c.* Sed ego hîc pace Seruij dixerim, locum Virgilij versari in continuatione sententiæ: hunc autem contrà in abrupta sententia. Alij sine affectu censent posse particulam *at* inchoare sententiam & carmen. Contrario exclamandi affectu Catullus in luctu passeris vtitur:

At vobis malè sit malæ tenebræ Orci.

[b] Aporia est tragica, quâ veneficarum consilia puer vrget, iteratâ per anaphoram percunctatione, quæ non simpliciter adhibetur sciscitandi sed instandi gratiâ.

[c] Altera est exclamatio pueri obsecrantis τὸν τῆς σύνθεσιν καὶ δεινοπροσωπίαν αἰτίαν· causam aspectus tetri & minantis, vbi est epanaphora in *per* repetito ad initia sententiarum, vt veneficis pathos facilius moueat: quò etiam spectat triplex obtestatio per rem omnium cuique carissimam: prolem, per honorem patritiæ nobilitatis, denique per Iouis indignationem. At Christiani solent verius & sanctius alij alios obsecrare διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ· *per miserationes Dei.* Paulus cap. 12. ad Rom. moribus & institutis Ethnicorum improbatis, quorum Dij dæmonia fuerunt, & fiducia hominum, rerumque humanarum existimatur vanitas.

[d] Metonymia est signi pro pubertate, vel patricia nobilitate, cuius signum prætexta erat: precatur ergo per teneram suam ætatem & sui generis claritatem.

[e] Quidam hîc agnoscũt synecdochen generis pro leone, quòd hic obseruet summâ solertiâ percussorem, eumque in multis deligat & designet ad vltionem, vt scribit Plinius lib. 8.

[f] Deponitur persona pueri & Poeta loquitur.

[g] Altera est synecdoche generis pro prætexta & bulla.

[h] Alia est synecdoche, sed speciei pro crudelissimis quibusq; hominibus, quales memorat Iustinus Historicus sub finem lib. 18. primos Carthaginienses fuisse in teneros pueros religionis ergò.

[i] Anaphora est.

[k] Synecdoche est generis pro rubeta, quæ rana est nutrita in dumetis, & rubis, vt Plinius ait lib. 29.

[l] Metonymia est subiectæ regionis, pro flammis Colchidis Medeæ.

[m] Metaphora à liquidis pro *effodiebat* & *eruebat.*

[n] Sumtum est à lactantibus, qui suctu nutricum vbera siccant, quemadmodum Plautus in Ruden. loquitur: *Ego iam te hîc itidem, quasi penicillus nouus solet exsugere, ni hunc amittis, exsugebo, quicquid humoris tibi est.*

[o] Potest translatè sumi pro vehementi & immoderata, & formam coeuntis maris imitante, vel synecdochicῶς pro androgyna.

[p] Metonymia est subiecti, pro *Neapolitani & vicini crediderunt:* vnde quidam conijciunt facinus illic commissum, cuias erat Canidia: de qua ciuitate vide Strabonem lib. 5.

[q] Synecdoche est generis pro incantamento. ἐπῳδῆς καὶ γοητείας.

[r] Synecdoche est vnius pro dentibus, vt pollicem pro vngues.

[s] Apparatus ad prosopopœiam Canidiæ per interrogationem & simplocen, quarum priorem statim excipit anthypophora.

[t] Exclamatio & subiectio est petentis auxilium ab his, qui fauent consilijs clandestinis & furtiuis amoribus & veneficijs, vbi silentio & tenebris opus est.

[u] Epizeuxis est & anaphora.

[x] Synecdoche est generis pro Varo adultero.

[y] Metonymia est materiæ, pro vnguento inde facto, quali nunquam confeci melius.

[z] Quid accidit? subijciatur responsio; nihil. *Gall. rien n'y a manque.*

[aa] Synecdoche generis pro Glauca.

[bb] Alia est synecdoche speciei pro palla sanioſa, vel atrâ sanie perfusa & imbuta, vel potiùs venenata, *Teinte en sang pourri & corrumpu, ou plus tost empoisonnée.*

[cc] Alia est synecdoche, sed generis pro aconito, de quo Ode 13. lib. 2.

[dd] Epizeuxis est, & simul exclamatio dolentis.

[ee] Per synecdochen pro carminibus & incantatione.

[ff] Apostrophe est ad Varum.

[gg] Est

ss Est etiam synecdoche generis pro philtris,& poculis venenatis, quo tropo etiam vsus est Cicero pro Cluentio: *Sustulit mulierem primâ potione Medicus.*

hh *Caput* hîc per synecdochen membri pro integro homine valdè vsitatum: *carum caput, periurum caput: cher ami, homme periure*, quo de tropi genere in hac voce vide Rhet. Odes 24. lib. 1.

ii Synecdochicῶs dicitur pro incantationib. Marsorum, quæ mentem tuam meis poculis semel abalienatam tibi non restituent.

kk Inducitur iterum puer, vt hoc distichon est accessus ad illius prosopopœiam.

ll Tὸ *rumpere silentium & vocem* videtur sumtum à corporibus valdè tentis, quæ vehementi contentione franguntur cum valido sonitu ad acres pueri minas indicandas.

mm Synecdoche est generis pro imprecationibus.

nn Apostrophe, vbi puer à communi sententia conuertit sermonem ad veneficas. In *præcordijs* metonymia est subiectæ partis pro terroribus vestræ menti iniectis. Ita sæpe literæ sacræ tropicè vsurpant has trium linguarum voces רחמים *rachamim*, σπλάγχνα, viscera, & pectus pro affectibus animi ac sæpius pro miserationibus, operibusque clementiæ erga homines diuinæ: de quo tropo fuit Epodis 3. in voce Homerica σφαπιδ.

oo Metaphora est à fabris, *qui sæpè repetunt aliquid tundendo malleo, & idem obtundunt & hebetant*, ait Donatus in And. Act. 2. Scen. 2. Posset etiam sumi ab his, qui comminuunt & conterunt aliquid in pilis. Galli interpretantur: *qui vous assummeront à coups de pierres*, qualis tropus fuit Ode 3. lib. 4. antè notatus:

Quod regni tumidas contuderit minas.

pp Exclamatio est dolentis de tali spectaculo permisto lætitiâ & tristitiâ.

Epodi VI. In Cassivm Severvm.

Theticum.

Quòd nemo impunè sit laturus conuicia & maledicta, quæ Horatio ingesserit.

1 *Vid immerentes hospites vexas, canis,*
Ignauus aduersum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam qualis est Molossus, aut fuluus Lacon,
(Amica vis pastoribus)
Agam per altas aure sublatâ niues,
Quacunq; præcedet fera.

2 *Tu quum timendâ voce complêsti nemus,*
Proiectum odoraris cibum.
3 *Caue, caue namq; in malos asperrimus*
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
4 *An si quis atro dente me petiuerit,*
Inultus vt flebo puer?

Analysis Dialectica.

HOratius & Virgilius duos habuêre sibi grauiter infensos Poetas, Bauium, & Mæuium, vt est in Palæmone:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

Quorum ille in Cappadocia dicitur è vita migrasse: hic Athenis in carcerem ab Athenienſibus coniectus inediâ obijsse: quòd ciuitatem carmine petulantissimo laceraſſet, vt Ouidius in Ibin:

Vtq; parùm stabili qui carmine læsit Athenas,
Inuisus pereat deficiente cibo.

Alij tamen neutrum putant hîc notari, sed quendam Cassium Seuerum linguæ non continentioris illis: in quem nunc inuehitur Poeta conferens cum cane: ὅπινός κύων ἐρχομ λοιδορῶσθαι, ipsumque, si quos velit contumelijs & probris vexare, admonet prouocatione è loco diuersorum, vt opprobrijs eos mordeat, non qui infirmi & imbecilli videntur ad maledicta refutanda: sed qui possunt acriùs remordere: quam quidem sibi ipsi facultatem assumit, vt Horatium calcare sit Ἀρχίλοχον παθεῖν, vt in Grammaticis dicitur, quod apertè profitetur Satyr. 1. lib. 2.

Fragili quærens illidere dentem, offendet solido,

& 4. eiusdem,

Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Et duplici similium comparatione posteriorem partem diuersitatis declarat: vbi duo similia præcedunt, res sequitur, contrà, atq; fit in Daphnide, vbi res præcedit & similia sequuntur:

Tale tuum carmen nobis diuine Poeta:
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Vt antè monuimus Ode 4. li. 4. & hanc comparationis inuersionem à Græcis ἀνακόλουθον nominari, præsertim quum nota partis alterutrius desideretur. De hac permutata rei & similitudinis ratione in parabola, vide Quintilianum lib. 8. capite 3. & prælect. Rami in fine 1. Georg. Quem Virgilij librum in rem eandem Od. 4. lib. 4. citaui. Sic igitur Horatius vires suas ostentat: *Immanissimam quamq; feram ita sectari soleo*, inquit, *per rupes & altas niues*, id est, *contumeliosissimum quemq; & maledicentissimum hominem, vt acerrimus Molossus, & leuissimus canis Laconicus id præstare consuêrit inter venationem.*

2 Prior diuersitatis pars de ignauia & timiditate conuiciatoris augetur ex ipsius facto & subiecto: quòd contumeliosissimas voces edat in alios, easque pretio, velut cadauere sibi oblato, comprimat.

3 Hæc admonitio pertinet ad eandem Poetæ facultatem, & eodem genere parabolæ dilatatur: vbi contrà, atque in superiori, res præcedit, & similia siquuntur: *Ego*, inquit, *similiter possum iniurioſos & contumelioſos in me vlcisci: atque Archilochus socerum suum Lycamben perfidum, item Hipponax Bupalum hostem amaritudine famosorum carminum ad laqueum compellere potuerunt.*

4 Eadē potestas dissimilitudine augetur: quòd ipse Poeta, non, vt puer timidus & imbellis acceptâ iniuriâ flere solet, sic impunè illum iniurioſum abire sinet lacrymans. Hoc quidem nomine Plato in Minoe monet studioſos bene audiendi apud omnes de vitandis cautè inimicitijs Poetarum: hi enim cùm in carmine pangendo imitantur apes mellificantes: tum per similes se ostendunt iniuriâ lacesiti: quæ alioqui innoxiæ; sed quum irritantur, acerrimè pungunt irritantes.

Enarratio Grammatica.

SCripti sunt hi Epodi in Casij Seueri Poetæ & Oratoris maledicentiam, cuius meminit Plinius lib. 35. ca. 12. & Fabius Quintilianus multis locis: primùm li. 6. ca. 1. deinde lib. 10. cap. etiam 1. vbi describitur hoc modo ipsius ingenium: *Multa si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna, Cassius Seuerus, qui, si cæteris virtutibus colorem & grauitatem orationis adiecisset; ponendus inter cæteros foret. Nam & ingenij plurimum est in eo & acerbitas mira & vrbanitas, & vis summa: sed plus stomacho, quàm consilio dedit: præterea vt amari soles, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.* Idem lib. 11. cap. quoque 1. *Ideoq; mihi illud Cassij Seueri non mediocriter displicet, &c.* Idem lib. 12. cap. 10. acerbitatem dicendi Cassio tribuit. Sic quoque Tacitus illum notat libidine quâdam maledicendi, *diffamasse viros illustres & fœminas.* De hoc deniq; vide Senec. initio lib. 3. declamat.

Quid immerentes.] Non ipse possum cogitando satis assequi, quid sibi velint hi, qui præsentem Oden nominant Eclogam: an propter aliquem præcipui sermonis delectum? sed hic communis est his Epodis cum reliquis: an propter colloquium personarum? at hîc solus Poeta loquitur sine vlla inductione personæ: quâ quidem appellatione si quod carmen totius operis dignum videretur; quintum certè proximum tale iudicandum esset.

Hospites.] Qui in aliena ciuitate solent esse timidi & iniurię patientes & his, vt ignotis, ferè canes allatrare solent: sed recta oppositio pro his requireret, *agnos imbelles, minimeq; lupis resistentes.*

Ignauus aduersum lupos.] Videtur ellipsis participij intelligenda, Latinis quidem nunquam exprimi solita: sed Græcis semper expressum reperitur participium, qui hoc ita interpretarentur: ῥᾴθυμος ὢν κατὰ λύκων, ἢ δειλὸς καὶ ὀκνῶν ὑπάρχων πρὸς τοὺς λύκους. Huiuscemodi canis ignauia & timiditas in prouerbium cessit: cuius vsum miror, cur Paræmiographus non ex hoc docuerit loco, cæteroquin Horatianæ phraseos obseruantissimus. *Canis timidus latrat vehementius, quàm mordet*, vsurpatur que in Thrasones, multa in speciem metuenda minitantes alijs tumidis verbis, turgidisq; minis.

Aduersum lupos.] Grammatici obseruarunt præpositiones contra & aduersum ita inter se differre, vt illud ostenderet voluntatem nocendi, vt antè 4. epodis cognosci potuit ad versum,

Quid attinet tot naues duci
Contra latrones, atq; seruilem manum?

Item Ode 4. lib. 3.

Quid Gigantes contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes?

Hoc verò voluntatem interdum non apertè contrariam, vt Epod. 6.

Canis ignauus aduersus lupos.

Item Epist. 1. lib. 1.

— *Quia me vestigia terrent*
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Interdum bonam, vt in Terent. Andr.

Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.

Quod Donatus exponit *penes te*, est quoque illud eiusdem in eadem fabula. Act. 1. Scen. 5.

Sed nunc per opus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa aduersum hunc loqui pro, *apud hunc* sumitur hîc aduersum. Addatur huc, quod est à Grammat. animaduersum & obseruatum, discrimen præpositionis *aduersum* & *contra*, illâ quid leuius notari, & sine vlla offendendi voluntate, vt Terentius in And. *Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.* Idem Cicero Epist. 22. lib. 9. ad Famil. *Te aduersum me omnia audere, gratum est*, & tunc Donatus illam exponit per *apud* vel *penes*: sed τὸ *contra* semper ostendit voluntatem nocendi.

Quin huc.] Hæc particula est corripientis & lacessentis, qualis est apud Terentium in And. Act. 2. Sce. 6. vers. 18. *Quin dic, quid est*, & apud Virgil. Eclog. 3. *Quin age, si quid habes.*

Si potes.] Similis ferè est illi Damœtæ in Menalcam: *Vis ergo inter nos, quid possit vterq;, &c.* Nam Græca phrasis ἐδάμως δι' ἔνιν τοῦτο ποιῆσαι, tam ad facultatẽ quàm ad voluntatẽ potest referri auctore Budæo, *nullo modo poteram, nec volebam hoc facere.* sic εἰ δύς τε εἶ, *si vis & tibi satis confidis.*

Vertis.] Id est, quin iactas in me tuas minas. Gallicè *mais que ne t' attache tu à moy, qui te peu remordre*, Græcè: ἀντιδήξοντά με παίεις: similem sententiam Cicero lib. 2. Epist. 9. ad Atticum propriè reddidit prioribus verbis suis, posterioribus Homeri, Iliad. τ. ἐπαγγέλλομαι αὖθι ἀπαμυνέεσθαι, ὅ τέ τις πρότερος χαλεπήνῃ· *denuncio me vlturum eum, qui me læserit prior iniuriâ.*

Qualis aut Molossus.] Hoc genus canis & sequens opponit ignauo. Semper autem celebrati sunt canes è semine & regione, vt à Varrone lib. 2. cap. 9. Lacones, Epirotici & Salentini, de quibus Virg. 3. Georg.

Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed vnà
Veloces Spartæ catulos, acremq; Molossum
Pasce sero pingui.

Molossia pars est Epiri, de qua Strabo lib. 7. & Plinius lib. 8. Laconica quoque regio Peloponnesi, sicut Amyclæ ciuitas: vbi etiam generosi equi & canes nascebantur ex Virgilio 3. Georg.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cillarus.

& ibidem de pastore qui,

Armaq; Amyclæumq; canem secum gerit.

Hîc Amyclæus canis idem est atq; Laconicus & Spartanus, qui, vt alij, nunquam vestigia feræ odore semel percepta desinunt persequi, donec eam fuerint assequuti, nec oblato cibo consistunt: ideo canes illos vocat *vim amicam pastoribus*, id est, firmum, vtile & gratum præsidium. Sic Lacon pastor cantu certans cum Comate εἰδυλ. ε. Theocriti canem laudat:

Χ' ἁμῖν ὅδε κύων φιλοποίμνιος, ὃς λύκος ἄγχει,
Ὃν τῷ παιδὶ δίδωμι, τὰ θήρεια πάντα δίωκειν·

Nobis est canis custos gregis, qui lupos strangulat: hoc puerum donabo, vt feras acriter persequatur omnes. Illa tamen communis canum laus est: vnde Columella lib. 7. capit. 12. *Nunc de mutis custodibus loquar: quanquam canis falsò dicitur mutus custos. Nam quis hominum clariùs aut tantâ vociferatione bestiam vel furem prædicat, quàm iste latratu? quis fa*mulus amantior domini? *&c.* vide reliqua, & de fida canum tum pastoraliũ tum villaticorum custodia plura apud Plin. lib. 8. cap. 40.

Parata tollo.] Gallic. *ie porte tout prest, de quoy me reuanger.* In simili coertione maledici conuitiatoris Plautus his verbis vtitur, *cornutam bestiam petis*, i.e. quam dente cruento lacessitam senties paratam ad vim repellendam: ad hunc autem modum Græci de his, qui prius habebantur strenui ac fortes; sed quum res tulit, se timidos ac ignauos turpiter præstiterunt, hoc consueuerunt vsurpare, πρότερόν τότε σὺ ὦμιλλον κέρατα ἔχειν, id est, *ante hac ego putabam te cornua habere.*

Lycambæ.] Hic Lycambes filiam suam Neobolẽ desponsam Archilocho negauit: quâ re commotus Poeta maledico iambico sic eum vexauit, vt ipse & filia sibi mortem consciuerint. Epigramma tamen Græcum è lib. 3. Epigram. Græc. paullò aliter habet κεφαλ. κε.

Κέρβερε, δεινὰ λέγειν ὑλακὴν νεκύεσσιν, ἄλλων
Ἤδη φειδωλὸν δεῦρο θιὼν καὶ σὺ νέκυν.

Ἀρχίλοχ-

Ἀρχίλοχον τὸν πατέρα τὸν σὸν τὸν ἰάμβων
Δρυμῶν, πικρολυκτόμενον σόματος.
Οἶδα βοῶς κείνου μέλαν ἕρκος, εὖτε Λυκάμβεω
Νύμφας μία σοὶ δι' ἀτῶν ἤγαγε συγατέρας.

Cerbere, qui horrendis latratibus manes turbas, iam tu metue formidolosam vmbram. Archilochus occubuit, vita acrem excandescentiam iamborum ex ore amaram bilem effundente profectam. Nosti vim ingentem vocis Archilochiæ: quandoquidem vna nauis geminas Lycambæ filias aduexit.

Vide ibidem plura in eundem Poetam Epigrammata. Hic certè Poeta ἔτως δύσοργος καὶ δυσπαρόρμητος ἦν· *adeò iracundi & commoueri erat facilis*, sicut hîc Poeta loquitur, vt abierit in prouerbium: Ἀρχίλοχον πεπάτηκας, qualia sunt apud Eustathium Odyss. λ. hæc: σκόρπιον, ὄφιν, κακὴν ἄκανθαν πατεῖν· *Archilochum pede protriuisti. scorpium, serpentem, malam spinam calcare pro infensum sibi aliquid reddere offensâ.*

Fuit autem hic Archilochus Lacedæmone pulsus ob maledicentiam regnante Romæ Tullo Hostilio, vt scribit Cornelius Nepos. Cicero tamẽ 1. Tuscul. initio scribit hunc fuisse Romulo regnante. De quo etiam vide Quintil. l. 10. & Valerium l. 1. de seueritate, & Epistol. ad Pisones, & Epist. 3. lib. 1. ad Mæcenatem. Huius autem hominis maledicentiam Ouidius transtulit in quemdam nomine Ibin contumeliosè notatum.

Postmodò si perges, in te mihi Liber Iambus.
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

Acer hostis.] De Hipponacte vide Plin. l. 36. c. 5. & Dion. Halic. & 3. de nat. Deor. & Ælian. lib. 10. variæ hist. c. 6. de viris exilibus & macris. Et apud Athenæum Metrodorum Scepsium. Verba Plinij tantùm subijciam: *Anthermus Chius habuit filios Bupalum & Anthermum, qui in sculptura clarissimi fuêre, Hipponactis Poetæ ætate, quem certum est 60. Olympiade fuisse; cui notabilis fœditas vultus erat. Quamobrem imaginem eius lasciuia iocorum Bupalus & Anthermus sculptores fratres proposuêre ridentium oculis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum distrinxit in tantam, vt credatur aliquibus, ad laqueũ eos compulisse, quod falsum est: complura enim in finitimis insulis simulacra postea fecêre, sicut in Delo, quibus subiecerunt carmen, non vitibus tantùm censeri Chium, sed & operibus Anthermi filium.* Consulatur versio Gallica huius loci Pliniani. Exstant in eum Hipponactem Epigrammata l. 3. quorum hoc vnum est:

Ὦ ξεῖνε, φεῦγε τὸν χαλαζεπῆ τάφον
Τὸν φειδῶν, Ἱππώνακτος, εἴτε χ' ἁτίφεος
Ἰαμβίζει Βυπάλειον εἰς σύγος ἰόν.

O hospes fuge Hipponactis sepulcrum horrendum verborum grandine refertum, cuius etiam cinis iambos intorquet in odium Bupali.

Vt puer.] Hoc videtur sumtum ex Iliad. υ. lib. 20. sub finem.

Πηλείδη μὴ δή μ' ἔπεσσι γε, νηπύτιον ὡς
Ἐλπεο δειδίξεσθαι·

Achilles, ait Hector, ne me verbis, vt puellum, speres te perterrefacturum.

Explicatio Rhetorica.

METrum simile superioribus. Scripti sunt hi Epodi planè omnino allegoricῶς. Nam perpetuæ sunt metaphoræ à venatione, vt canis ignauus significet conuiciatorem, imbelles tantùm & inermes conuiciis adorientem, &c. ab animosis & armatis cauentem per lupos significatis. Deinde contrà: Horatius per Molossum & Laconicum canem intelligitur, qui malos persequitur indefessus extremo supplicio, & asperrimis scriptis, quæ etiam designantur cornibus paratis & atro dẽte synecdochicῶς, pro atris dentibus & cruentis. Sed in *caue* iterato est ὀπίζαξις continuatæ vocis eiusdem, vt in *gener* pro Archilocho & in *hostis* pro Hipponacte.

Epodi VII. In Cassivm et Brvtvm.

Theticum.

Quorsum à Romanis suscipiatur rursus bellum, & vnde discordia inter ciues oriatur.

[a] *Vò? quò scelesti* [b] *ruitis? aut cur dexteris*
Aptantur enses conditi?
Parúmne campis atq; [c] *Neptuno super*
Fusum est Latini sanguinis?
Non vt [d] *superbas inuidæ* [e] *Carthaginis*
Romanus arces vreret:
Intactus aut [f] *Britannus vt descenderet*
Sacrâ catenatus viâ:
Sed vt, secundùm vota Parthorum, suâ
[g] *Vrbs hæc periret dexterâ.*
[2] *Neq; hic lupis mos, nec fuit leonibus*
Vnquam, nisi in dispar feris.
[3] *Furórne* [h] *cæcus, an rapit vis acrior?*
An culpa? responsum date.
[4] *Tacent: &* [i] *ora pallor albus inficit:*
Mentesq; perculsæ stupent.
[k] *Sic est: acerba fata Romanos agunt,*
Scelusq; fraternæ necis:
Vt immerentis fluxit in terram Remi
[l] *Sacer nepotibus cruor.*

Analysis Dialectica.

QVidam putant hoc bellum, quod Poeta nunc detestatur, ab Augusto contra Brutum & Cassium gestum fuisse: alij ab illo ipso contra Antonium & Cleopatrã: quod posterius videtur eò probabilius, quia victo Antonio bella ciuilia extincta sunt, & arma quiêrunt: qui finis ciuilium discordiarum non est subsequutus cladem Philippensem. Itaque grauiter vtrique & Cæsariani & Antoniani crudelitatis plus quàm ferinæ accusantur, quos primùm vrget, quum finem armorum inter se sumtorum premit. Postremò excusat culpam talis dissensionis & in fata Deorum transfert, qui, vt Romanos sua commissa luere: sic fratricidium Romuli voluerunt vindicari. Veram quidẽ certè caussam ciuilis dissensionis per assẽrationem, quam Ode secundâ libri primi notauimus, obticet: nam ex cupiditatibus & ambitione, odia, disidia, discordiæ,

bella nata fuerant: quib. etiam iamdiu, eheu nimium diu, omnem Galliam videmus flagrare & ad interitum ruere; nisi Deus pro sua clementia quamprimùm eam respexerit: quod vt faciat, summis precib. ac votis, nomine filij sui Iesu Christi oramus & obsecramus, ἐλεεινόν ὄτι γὰρ θεὸς τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις θνήσκειν· *est enim miserabile in ciuilib. bellis interire.* Nituntur autem hi Epodi præcipuis duobus argumentis è loco caussarum; finiis & efficientis: sed primus tractatur per dissensionem diuersorum finium: *Non arma quidem sumsistis ad superbiam Carthaginensium reprimendam, nec ad arces illorum incendendas, neq; ad domandos Britannos: sed ad mutuas cædes, & acerbissimum vrbis & patriæ interitum, quem iamdiu Parthi nobis exoptant.*

2 Ista diuersitas confirmatur dissimilium collatione: *Non, vt Romani mutuis sese vulneribus conficiunt, sic feræ sæuiunt aliæ in alias sui generis,* quod Iuuenalis est imitatus Sat. 15.

Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis, similis fera: quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? quo memore vnquam
Expsirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tygris agit rapidâ cum tygride pacem.
Perpetuum sæuis inter se conuenit vrsis.

3 Iam eosdem vrget argumento è caussa efficiente, quâ re commoti bellum inter se gerant, furoréne an vi maiore, vt impulsu Deorum illud suscipiant.

4 Hoc silentio malam esse caussam Romani confitentur, & ita esse ex adiunctis declaratur, quòd conscientiâ culpæ pallescant: animi illorum quæsitâ veritate belli suscepti obstupefiant & perterreantur. Simili argumento taciturnitatis Gnatho & Thraso cõuincuntur cõfessionis & approbationis Eunuch. Act. 3. Sc. 2. *Tacent: satis laudant.* Itaque vt confessio est πίστις ἄτεχνος: ita etiam taciturnitas eiusdem erit ponderis ad testificationem culpæ commissæ apud interrogantem.

5 Caussam ipse tandem aperit, & in fratricidio Romuli collocat: quod Dij huiusmodi odiis & immitibus dissidiis vlciscuntur.

cerunt: de quo lege Dionem initio l. 40. Ex hoc autem descensu in forum intelligitur ipsum fuisse in regione vrbis depressa & humili, quò Sacra via ducebat Senatores & Consules.

Vota Parthorum.] Nihil enim prius ac potius optabãt Parthi, quàm exitium Romæ: sic votum pro optato eleganter vsurpatur, vt Virgilius: *Respondere votis agricolæ, potiri voto,* & *vota superant modum, les desirs sont excessifs.* Vnde vota fieri dicuntur, quum aliquis promittit se ita facturum aliquid cum Dei honore, si, quod votis exposcit, ex sententia ipsi successerit. De Parthis fuit Ode 35. l. 1.

Vrbs periret suâ dexterâ.] Quidam notant hîc ἀντονομασίαν, quæ abesset, si pro *Vrbs* diceretur, *ciuitas,* aiunt: ego verò vtramque vocem tropicõs in Rhetoricis interpretabor.

Leonibus feris.] Quales

Iubæ tellus generat, Leonum Arida nutrix.

vt dictum fuit Od. 22. l. 1. qualisque dicitur Od. 23. eiusdem, *Gætulus leo,* & apud Poetas alios *Lybissa leæna.*

Nisi in dispar.] Pro his legitur aliàs, *nisi in dispares feras,* non minùs ad sensum accommodatè. Quidam hîc interpretantur τὸ *nisi,* pro tantùm & Latinorum exemplis conantur id confirmare: sed ego non video, quo pacto subnecti possit τὸ *solùm* vel *tantùm* antecedenti negationi in diuerso inciso: lupi & leones non solent nocere, nisi feris diuersæ naturæ, & in illo Terentij: *Nihil aliud nisi Philumenam volo.* Ineptè in his explices nisi, pro, *solùm,* vel, *tantùm:* quòd si id tentes, mutanda est phrasis sic: *hæ feræ nocent solùm bestiis generis à se diuersi, & volo tantùm Philumenam.* In loquutione verò absolutè affirmata potest hæc interpretatio locum habere, vt in hoc exemplo Sallustij Iugurthino, quod proferunt. *Igitur omnia iumenta farcinis leuari iubet, nisi frumẽto decem dierum,* id est *solùm,* quod valet, non maiori, neque minore fasce, quàm frumẽto decem dierum iubet omnia iumenta leuari. De hac crudelitate hominum inter se, Plin. l. 7. c. 1. pari dissimilitudine queritur. *Nulli rabies acrior: denique cætera animãtia in suo genere propè degunt: congregare videmus & stare contra dissimilia. Leonum feritas contra se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ & pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt: at herculè homini plurima ex homine sunt mala.* Similes quoque querelas Sen. Epist. 104. effundit. *Ab homine homini quotidianum est periculum: aduersus hoc te expedi: hoc intentis oculis intuere: nullum est malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænunciat fumus incendium: at subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.* Similes quoque l. 1. c. 26. de *Clementia, Illa rationis expertia & à nobis immanitatis crimine damnata suis abstinent, & tuta est etiam inter feras similitudo. Apud homines tantum nec à necessariis quidem rabies temperat sibi; sed externa suaq; in æquo habet; quò possit exercitatior a singulorum cædibus deinde in exitia Gentium serpere.* Similes denique D. Augustinus l. 15. de ciuitate, *Neque enim vnquam inter se Leones, aut inter se Dracones, qualia inter se homines bella gesserunt.*

Tacent.] Obseruari potest hîc, num discrimen Donati in Terent. locum suprà in Dialect. notatum verum sit, tacemus consilia, reticemus dolores, obticemus pudenda, vt aliàs fuit prænonitum.

Pallor albus.] Aliquando posterius loco prioris ponitur, vt Sat. 2. lib. 2. *Pinguem vitiis albumq;,* pro ingluuie nimis pallidum: hic enim color vergit proximè ad albedinem.

Vt fluxit.] Id est, postquam Remus impiè trucidatus est à Romulo fratre; impetus cælestis iræ videtur in omnem

Enarratio Grammatica.

Celesti.] Quantum sit hoc peccatum, τὸ *scelus,* vide Ode 5. l. 3. quò vos itis perditum, ô impij & furiosi Romani? quos Græci μιαιφόνους καὶ αὐθαδεῖς κεφαλὰς vocare solent.

Dexteris.] Fortassè aliquis hîc existimaret, morem Romanis fuisse lateri dextro gladios accommodare: quod si ita esset, necesse quoque erat illos distringi sinistrâ manu, quod non est credendum: itaque *aptantur dextris* videtur explicandum, tractantur dextris & districti tenentur, quod diceres Gallicè: *pourquoy auez vous les espees en main, qui estoyent desia remises en leur fourreau.* Sic loquitur in carmine seculari, *condito telo:* sic quoque Ode 14. l. 4. locutus est, *armis compositis,* quod fiebat tempore pacis, sed inde promebantur bello imminente.

Parúmne.] Id est, an non satis Romani sanguinis effusum est & per terram & per mare victis; Bruto, Cassio & Sexto Pompeio?

Inuidæ Carthaginis.] Quæ semper fuit æmula imperij Romani.

Intactus aut Britannus.] Ex Commentariis tamen Cæsaris, maximeque è quinto, discimus, Britannos à Iulio Cæsare vectigales factos fuisse: sed hoc referendum est ad statum Britãnorum, qui non sub plenam ditionem Romanorum redacti fuerant, à quibus mox defe-

omnem populi Romani posteritatem identidem futurus. De nece Remi lege Plut. in vita Romuli. Liu. 1. Decad. l. 1. Oros. l. 2. c. 3.

Explicatio Rhetorica.

IDem metrum cum superioribus. Præsentes Epodi toti speciem referunt ἀνακοινώσεως, abruptę communicationis, licet interrogati nihil respondeant, quod munus explet Poeta.

[a] Hæc vrgens continuaque repetitio eiusdem soni in eadem sententia facit patheticam epizeuxin, accommodatè ad tumultum belli comprimendum.

[b] Metaph. est ab ædificiis, vt hic alibi dicit, *non leui ruinâ disiecta tecta.* Quòd si pro *irruitus* coniuncto sumere vis, dicemus tum è Donato in Eunuch. Act. 4. Sc. 7. *quàm mox irruimus?* propriè dicuntur irruere, qui cum furore prœlium ineunt, vt irritati apri, vnde transferendum erit hoc.

[c] Meton. subiecti pro adiuncto, siue, vt alij loquuntur, possessoris pro re possessa, mari.

[d] In *superbas* & *inuidæ* epithetis metaphoræ ab animatis ad inanima, quæ sunt ἀπάθη, affectu carentia.

[e] Altera meton. pro Carthaginiensibus.

[f] Synecd. est vnius pro omnibus.

[g] Metonymia est pro oppidanis & Romanis ciuibus, qui se mutuis cædibus interficiunt.

[h] Meton. est effecti pro efficiente homines cæcos & mente captos.

[i] Synecd. est membri pro integra facie.

Acerba fata.] Sic Virg. Æn. 6.

—*& funere mersit acerbo*

Vbi Seruius notat, *translatio est à pomis, pro, immaturo.*

[k] Pars est altera communicationis, quam Poeta sustinet.

[l] Hic *sacer* interpretor per metonymiam effecti, pro afferente perniciem & exitum Romanis posteris.

EPODI VIII. IN ANVM IMPVDICAM.

Theticum.

Anus criminatio, quòd in Venerem esset Poeta frigidior repellitur criminosiùs.

[a] *ROgare longo putidam te seculo,*
Vires quid eneruet meas?
Quum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus [b] *exaret:*
Hietq; turpis inter aridas nates
Podex, velut crudæ bouis.
[c] *Sed incitat me pectus & mammæ putres,*
Equina quales vbera:
Venterq; mollis, & femur tumentibus
Exile suris additum.
[2d] *Esto beata, fanus atq; imagines*
[e] *Ducant triumphales tuum:*
Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta [f] *baccis ambulet.*
[3] *Quid, quòd libelli* [g] *Stoici inter sericos*
Iacere pulullos amant?
Illiterati num minùs [h] *nerui rigent?*
[4] *Minúsve languet* [i] *fascinum?*
Quod vt superbo prouoces ab inguine
[k] *Ore allaborandum est tibi.*

Analysis Dialectica.

DAbis hîc mihi veniam, obsecro, Lector, vt tibi præsentes Epodos & rei obscænitate & verborum turpitudine infames, sine vlla verecundi, casti & modesti animi tui offensione enarrem: quod nunc suscipio tantùm studio illius damnandę & improbandę, vt sæpè præfatus sum in simili argumento. Quidam hanc anum suspicantur Canidiam fuisse, de qua fuit Epodis proximè antecedẽtibus, quæ probri loco Poetam dictabat ἕλκυτον εἰς τὰς Ἀφροδίσια, καὶ ἀφρότερον πρὸς συνουσίαν. Sed quæcunque illa fuerit, multò peius hîc audit, quam exprobrauerat & obiecerat. Id solet esse prę-
mium hominum in multis rebus exquirendis nimis curiosorum ac minima quęque sedulitate nimium argutâ curantium. Prętereà isti sunt perditè scortantium mores, istud ingenium, identidem rixari, inconstanter animum mutare, inuicẽ, inhumanè, impudenter conuitiari: è cuius ingenij dissimilitudine Phidippus ille Terentianus Hec. Act. 4. Sc. 1. v. 39. bonam spem & opinionem cõcipiebat de firmo amore Pamphili: *Nam,* inquit, *si is posset ab ea sese derepente auellere: quicum tot consuêsset annos, non eum hominem ducerem, nec virum satis firmum gnatæ.* Sed de meretricis amoribus vitandis lege cap. 5. Prouerb. Sal. vt inde te facilius auellas, & aliis sic faciendum consulas. In hanc mulieris ariditatem, quę tussiendo, exscreãdoque omni se succo exhaurit, hoc Epigram. potest quadrare.

Quæ succo caret, vt putris pumex:
Nemo viderit hanc vt exscreantem:
Quam pro sanguine puluerem scobemq;,
In venis Medici putant habere.

Iam redeo ad impudentiam meretricis anus. Illa fastidiosè & otiosè à multis percunctata fuerat, cur Horatius iam effæto corpore, exsangui, exsucco & eneruato videretur: à qua quidem percunctatione debuerat eam proprij corporis consideratio reuocare: in cuius putore, deformitate, putredine, caussam certè remissionis & dissolutionis turpiter fœdeque quæsitę & obiectæ corpori Horatiano reperisset. Quis enim non fastidiret corpus tam fœtidæ, & deformis anus: cuius solo aspectu relanguescerent integræ validissimi cuiusque vires? ignes etiam accensi iuuenum non extinguerentur? Hæc autem caussa dilatatur distributione è caussis, vbi corpus anile in membra nouem, è quibus & è reliquis non expressis constituitur totum: quæ, dũ singula esse vitiata memorat, homines ab eius complexu & concubitu iusto fastidio procul remoueri cõficit: *Tibi,* inquit, *dentes rubigine luent: senectute frons exaratur rugis: tu es podice lato & profundo & hiulco,* qui breui similitudine declaratur cum macilenta boue, *laboras ariditate natium, iniucundum tibi est pectus, putresq; & pendulæ mammæ:* quæ comparantur cum vberibus equinis, *exile tibi est femur, ac tumidæ suræ, venter quoq; mollis, non di-*

ſtentus. Hæc ſunt, quæ meas vires eneruant & mihi faſtidium tui afferunt, ne ampliùs ergo iſta quæras.

2 Ex adiunctis illa deſcribitur, ingentibus fortunis & generis ſplendore. Eâdem collatione maiorum, quibus tamen non poſſunt fœditas & deformitas corporis deleri, ac multò minùs amor hominum ipſi conciliari.

3 Debilitatur etiam illius ſtudium in alliciendis & attrahendis hominum doctorum animis ad amorem parium comparatione. *Aequè ſunt idonei ad munera Venerea militiæ ferenda ineruditi, atque eruditi, & illi multò ſæpè magis, quàm hi: fruſtrà igitur oſtentas*, inquit, *libros doctrinæ Stoicæ, & tuum in illis ſtudium ementiris ad illecebram eruditorum.*

4 Altera parium collatio miſſa fiat ob fœditatem. Itaque quum nihil tuis titillationib. proficias, agnoſce, quàm ſis inepta ad id, quod in aliis falsò criminaris, & te, non alios, conuerte in culpam effæti & exſucci corporis, teque ſimilem exiſtima mulieri à Ruphino deſcriptæ lib. Epig. 7.

Αὕτη πρόσθεν ἦν ἱερὸ χρόα, εἰαρόμαστος,
Εὔσφυρος, εὐμήκης, εὐφρυς, εὐπλόκαμος,
Ηλλάχθη δ' ἡδόνῃ καὶ γήρᾳ καὶ πολίῃσι,
Καὶ νῦν οὐδ' ὀστέρεον, οὐδ' ὀνὰρ, οὐδὲν ἔχει·

id eſt, *hæc priùs amabilitate coloris valebat, vernãtium mammarum nitore, decorâ pedum formâ, laudabili ſtaturâ, ſuperciliorum elegantiâ, capillorum venuſtate. Hæc tempore ſenio, & canitie mutata erat, nihilq; antecedentium: ne veſtigium quidem nunc habet.*

Enarratio Grammatica.

Rogare.] Ellipſis eſt alicuius verbi deliberatiui, vt, decétne te rogare? &c. talis reticentia eſt propria irati. Gal. *T'appartient-il vieille punaiſe de t'enquerir?*

Longo te ſeculo.] Dicitur eâdem Syntaxi, quâ filius adultâ ætate à Cicerone. Sonat autem progreſſum anilis ætatis vſque ad centum annos iam factum, quod tamen non eſt veriſimile.

Quid eneruet. Ἐρωτᾷν τὶ τὸν ἐμὲν οὐ ἔχω ἐνδεῖξαι; dicunt Græci.

Dens ater.] Sumitur hîc propriè pro niger. contrà Ode 6. huius, atro dente me petiturit, pro infeſto & cruẽto dente, id eſt, mordacibus & criminoſis verſibus. *Vetus* autem *ſenectus* habent αὐξησιν indignitatis anilis.

Hietq; podex.] Hoc verbum vt *hiſco* videtur ortum ex his Græcis χάω χαίνω, χάσκω idem prorſus ſignificantibus. Tali podice præditum hominem Græci ad ſimilitudinem foſſæ vocant λακκόπρακτον, vnde coniicio turpiſsimam infamiæ notam inuri huic libidinoſiſsimæ & intemperantiſsimę mulieri, ὅπ ἀμφοπίρωδεν τοῖς ἄνδρασι συμμείκτων.

Crudæ bouis.] Quæ ὑπὸ δυσπεψίας καὶ ἀδηφαγίας κακῶς σφόδρ' ἔχει, *quæ cruditate ſtomachi grauiter laborat*, vnde macies & hiatus podicis altus ſubſedit. Macrobius lib. 7. c. 4. cauſſas cruditatum ſic docet: *Cruditates eueniunt, aut qualitate ſucci, in quem cibus vertitur, ſi non ſit aptus humori, qui corpus obtinuit: aut ipſius cibi multitudine, non ſufficiente naturâ ad omnia, quæ congeſta ſunt, concoquenda, quam Seneca Lucillio ſuadet vitandam: quia multos morbos multa fercula ferunt.*

Mammæ.] Quas Græci vocant σαπρὰς μασθὰς. In beſtiis ἔδατα. Sic Ode 36. l. 1. dixit, *omnes in Damalin putres deponent oculos.* i. figent oculos vino marcentes & libidine reſolutos: hîc mammas putres, i. flaccidas, vt putris gleba Georg. 1. ſolubilis Seruio & facilè in puluerem ſe conuertens leui Fauonij flatu.

Quales vbera.] Anomalia eſt generis in conueniẽtiæ adiectiui & ſubſtantiui, vſitata bonis auctoribus Latinitatis, præſertim in relatiuis qualitatis, vt loquuntur Grammatici, talis & qualis, pro tales mammæ, qualia ſunt equarum vbera.

Femur.] Femur & femen vocãtur vno nomine Græcè μήρος. Latini tamen interiorem huius membri partem propriè appellant femen, ſicut quum Plinius ſcribit *equitatu atteri & aduri femina*, intelligit carnes & pulpas coxæ: pro quo Xenophon de re equeſtri ſumit μηρὸν, τοῦντε δὴ μηροῦν ὅπως ἂν ἔχοιτο μᾶλλον τῷ ἵππῳ. i. *Sic enim feminibus adhæſerit firmiùs equo.* Femur autem ex eo intelligimus ſignificare partem eiuſdem membri exteriorem, quòd Virg. dicit Æn. 10.

——*cuius enſem*
Aeneas viſo Tyrrheni ſanguine lætus
Eripit à femore & trepidanti feruidus inſtat.

quod Græcè dicitur φάσγανον ἐρύσας ἔδρᾳ μηρῷ, cui parti exteriori coxæ accommodatur enſis.

Suris.] Pro quo Græci dicunt οἰδήσας κνήμας. Diſtinguunt quoque Latini meliùs ipſum crus, quàm Græci. Nam anteriorem ipſius partem vocant tibiam, poſteriorem verò ſuram. Sed Græci nomine τῆς κνήμης intelligunt totum crus aſtragalo & genu definitum, licet γαστροκνημία ſumatur pro ſura. De vtraque parte tibiæ vide Od. 4. l. 2.

Imagines.] Quando funus olim efferebatur, tota familia demortui prolatis imaginibus maiorum, quæ præferebantur in funebri pompa, illud comitatu honeſtabat, vt ſcribit Plinius lib. 35. & Cicero lib. 2. de Oratore.

Triumphales.] Pro, Imagines clarorum virorum, in funeribus geſtari ſolitæ, quòd de hoſtibus patrię victoriam fortiter reportaſſent, & de his triumphum egiſſent.

Marita.] Ἔμπεπτος ſumitur, & triplici fine flectitur, vir maritus, mulier marita, & fœdus maritum.

Rotundioribus.] Id eſt, pulcrioribus, exple, quàm illæ ſunt ipſius anus gemmæ.

Amant.] Hîc helleniſmus eſt, qualis fuit Ode 3. lib. 2. *Vmbram hoſpitalem conſociare amant*, φιλέουσι. ſolent iacere inter puluinos.

Nerui.] Nerui ſonant penes, vt faſcinum mentulam: quam vt languidam excites & arrigas, oris & linguæ blanditiis tibi laborandum eſt.

Faſcinum.] Faſcinum genus eſt incantationis, quę fit verbis, vt βασκανία, quæ fit oculis, quaſi φασκανία. Nam βασκαίνω, eſt τοῖς φάεσι, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς κακῶ καὶ φθείρω, i. *occido viſu*, ex Scholiaſte Theocriti Idyll. 6. vnde Virg. Eclog. 3.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Tali faſcino ſumma macies maximeque pueros puberes conficiebat. Aiunt in Sicilia olim fuiſſe locuſtam agreſtem nomine *Mantin* aſpectus maximè noxij, vt quem aſpexiſſet, ei ſemper malum aliquod accideret: vnde prouerbium poſtea traductũ εἰς γεγωνὸν ἔπος, i. *in anum Eripham*: qualis deſcribitur Epod. 19. vt antè fuit Canidia. De his faſcinationibus lege Plinium l. 7. c. 2. quas ſcribit Varro arceri pene collis puerorum appẽſo, & Scholiaſtes Theocriti loco citato ter ſpuendo in ſinum.

Superbo inguine.] Id eſt, βυβῶν, faſtidiens te, nec aſſentiens tuis titillationibus ad faſcinum arrigendum. Inguen eſt locus ad vtrumque pubis latus, vt dicetur Sat. 2. lib. 1. Tales meretricum fellationes, ſi licet ita loqui Latinè, & linctus Iuuenalis exagitat Sat. 6.

——*Quid enim Venus ebria curat?*
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina, neſcit.

Expli-

Explicatio Rhetorica.

PAr genus metri superioribus.

a Hic ἀποσιώπησις est, figura certè indignantib. aptissima, vt è reticẽtia verborum aliquid, quod non dictum sit, intelligatur.

b Metaph. ab agricultura propter similitudinem sulcorum & rugarum, qualis est illa Ouidij:

Iam venient rugæ quæ tibi corpus arent.

Pro quibus Tibullus lib.2.Eleg. 2. propriè dicit, *Inducit rugas senectus.* & ipsemet Poeta Ode 13.l.4. in Lycen, *te rugæ turpant:* cuius Græcam illic interpretationem vide. Eodẽm quoque tropo Cicero sæpè scripta in tabulis ceratis dicit exarata. Propter versus etiam sulcis similes sic Cic. Epist.20. l.13.ad famil. Cornif. *Plura otiosus. Hæc quum essem in Senatu, exaraui*, id est, raptim scripsi: & 26. lib. 9. ad famil. Papi. Pætum, accubueram horâ nonâ, quum ad te harum exemplum in codicillis exaraui.

c Ironia est, vnde hic sensus contrarius intelligendus, nihil esse in ea amabile, quo possit adduci in ipsius amorem.

d Προκατάληψις, vnà cum permissione, Ironica tamen: occupat enim Poeta, quod anus de fortunis & nobilitate generis iactare posset, & illi permittit, tanquam nihil profuturum emendandæ deformitati, & fœditati.

e Metaph. ab animatis ad inanimum, pro, effertur tuum funus imaginibus hostium, à tuis maioribus triumphatorum, decoratum.

f Non possum hic statuere, pro specialine Beryllo & vnione, an pro generali gemma sumi debeat. Commendantur autem Vniones à Plinio l. 9. c. 35. quadruplici gratiâ; rotundæ figuræ, splendoris, magnitudinis & læuoris.

g Altera est στοϊκατάληψις. Secta autem Stoicorum hoc sibi nomen inuenit ἀπὸ τῆς στοᾶς, à porticu: vnde primùm οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφοι dicti sunt, vel solùm οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς. Deinde sine periphrasi στωϊκοὶ per ω μέγα: cuius sectæ creditur Zeno princeps ex Laertio. Sumitur autem hæc μετωνυμικῶς pro doctrina Stoicorum, quâ, loco egregiæ formæ, simulabat anus se perbellè instructam ad iuuenes captandos, & in lectum alliciendos.

h Meton. est adiuncti pro subiectis, i. mentulæ illiteratorum. Neruus autem fit è Græco τὸ νεῦρον, quod tot modis sumitur à Græcis, quot à Latinis. Neruus etiam pro pene. Ita dicitur ἀπὸ τοῦ νεύειν, à nutando & flectendo. Sumendum autem est hic σωικδοχικῶς pro genitali neruo.

i Fascinum dicitur per metonymiam effecti, pro caussa, quòd Liberi patris genitale Romæ cultum, aut certè illius effigies per agros primùm, deinde per Vrbem plostellis vectata, & à matre familias coronata crederetur auerruncare omnem inde fascinationem, ait Varro l.5. de Ling. Latina.

k Metonymia est instrumenti pro effecta ex eo eloquentia.

EPODI IX. AD C. CILNIVM MÆCENATEM.

Theticum.

Præparatio ad concelebrandam victoriam Aug. Cæsaris de M. Antonio & Cleopatra futuram.

QVando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta (sic Ioui gratum)[a] domo,
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mistum tibiis carmen lyrâ,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Vt nuper, actus quum[b] freto[c] Neptunius
[d] Dux fugit, vstis nauibus,
Minatus Vrbi vincla, quæ detraxerat
Seruis amicus perfidis.
[2d] Romanus ([c] eheu posteri negabitis)
Emancipatus fœminæ,
Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Seruire rugosis potest!
Interq; signa turpe militaria
[f] Sol aspicit Conopeum!
[3] Ad hunc[g] frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem:
Hostiliumq; nauium portu latent.
[h] Puppes sinistrorsum citæ.
[4i] Iò triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boues.
Iò triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportâsti[k] ducem,
Neq; Africano,[l] cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
[5] Terrâ marique victus[m] hostis, Punico
Lugubre mutauit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto:
Aut fertur incerto mari:
[6] Capaciores affer huc[n] puer scyphos,
Et[o] Chia vina, aut Lesbia:
Vel, quod fluentem nauseam coerceat
Metire nobis Cæcubum.
[7] Curam metumq; Cæsaris rerum iuuat
Dulci[p] Lyæo soluere.

Analysis Dialectica.

QVia iam gratulatio Poetæ fuit Ode 37. lib. 1. de hac victoria, videtur hoc opus sine vllo temporis ordine compositum & compactum. Horum autem Epodorum initio Poeta desiderat tempus celebrationis iam adesse, & suum desiderium expleri: quod illustrat similium comparatione: *Quemadmodum*, inquit, *anteà gratulati sumus ambo victoriam Cæsaris de Sexto Pompeio, & vnà diem festum egimus: sic mox spe præceptæ similis lætitiæ & gratulationis diem celebremus, Antonio & Cleopatrâ victis.* Quidam tamen putant talem gratulationẽ

hîc iterari, non præsumi, tanquam victoria nondum euenisset. Apodosis præcedit, & habet apparatum, qui constat ex adiunctis dapibus, vino & vario cantu, & è subiecto ad celebrationem accommodato, & testimonio Iouis. Protasis autem sequitur & ex adiunctis & factis Sexti Pompeij constituitur ad verba, *vt nuper.*

2 Deinde queritur de illis Romanis, qui vnius mulieris nomine tam turpiter à virtute maiorum degenerârunt: quod declaratur ex factis illorum, qui fœminæ peregrinæ & fœdissimis Eunuchis nunc seruiant in perniciem ciuium suorum.

3 Locus est ex euentis, quæ consequuta sunt pernicioſum consilium Antonij & Cleopatræ, à quibus defecerût duo millia Gallorum equitum ad Augustum, vt hostis vterque iam de fuga cogitârit.

4 Obiurgatione quâdam suscitat triumphum, velut hominem ad maturandum huiusmodi honorem, idque geminâ minorum collatione, *quòd nec victoria Marij de Iugurtha, nec illa P. Cornelij Scipionis Africani minoris,* (Alij tamen de maiore hunc locum interpretâtur) *de Carthagine æquiparanda sit, vel vtilitate, vel gloriâ populi Romani, ad hanc, quam Augustus Cæsar de Antonio & Cleopatra referet.*

5 Iam quâdam hypotypoſi & subiectione victi hostis, quid ille clade acceptâ fecerit, quo modo positis chlamydibus purpureis & sagis militaribus lugubri ornatu se induerit, & quâ fugâ salutem petiuerit, adiunctis & factis explicatur.

6 Iam apparatus festarum epularum instituitur ex triplici genere vini & efficientia vnius.

7 Ratio est è fine conuiuij, *vt cura & metus de rebus Cæsaris Mæcenati adimantur dulci Lyæo.*

Enarratio Grammatica.

Repôstum.] Repôstum dicitur κατὰ συγκοπὴν, per concisionem vocis, qualis est 1. Æn.

——manet altâ mente repôstum
Iudicium Paridis spretæq; iniuria formæ.

i. reconditum & reseruatum, vt melius ac generosius, ad diem festum.

Cæcubum] De Cęcubo dictum est Ode 20. l. 1. Syntaxis verborum huiusmodi est: *O beate Mæcenas, quando ego lætus Cæsare victore bibam tecum Cæcubum vinum repôstum ad dapes festas, sub domo alta, lyrâ sonante carmen, mistum tibiis: carmen, inquam, Dorium hac lyrâ, barbarum verò illis tibiis.* Videtur hîc designare genus harmoniæ, cuius Plato l. 3. de Rep. facit 4. genera, Phrygium ex his vnum, cuius meminit Virg. 9. Æn. v. 617.

O verè Phrygiæ (neq; enim Phryges) ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum.

& de quo Aristot. lib. Polit. 8. conuenienter suo præceptori Platoni l. modò hîc citato scribit: ἔστι δ' ὁ αὐλὸς οὐκ ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικὸν, Tibia, (quam Phrygib. fuisse vsitatam arguunt sacra Cybeles in Ida, vnde Berecynthia tibia l. 1. Od. 12. celebrari solita) *tibia*, inquam, *non est apta moribus hominum formandis, sed iisdem in furorem concitandis.* De eodem tibiæ cantu Propertius Eleg. l. 2. sic ordiente, *Quæris, cur veniam,* &c. sub finem, per apostrophen ad Tibiam:

Hîc (i. in conuiuiis) *locus est, in quo tibia docta sones.*
Quæ non iure vado Mæandri iacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor.

Præterea de harmonia Doria lege Plutarchum de Musica, & libellum de profectu ad virtutem: vbi hæc harmonia dura existimatur, & Lydia contrà mollis.

Domo alta.] Quam Ode 29. lib. 3. appellauit *molem propinquam montibus arduis.*

Sic Ioui.] Quia id Ioui placet, & est gratum se victoriæ auctorem agnosci & prædicari.

Lyrâ.] De Inuentoribus Musicorum organorum lege Plin. l. 7. & Diod. l. 6. Athen. l. 14. Lucianum in Harmonide.

Hac Doricum.] De origine Dorienſium Parnasso affinium lege Strabonem lib. 8. & Plinium lib. 6. c. 2. qui scribit tres tantùm gentes Græciæ iure Græcas dici; Doricam, Ionicam & Æolicam, cæteras esse barbaras. Scholiastes Pindari in vers. πρὸ Ολυμπ. α.

——ἀλλὰ δωρίαν ἀ-
πὸ φόρμιγγα πασάλῳ
λάμβανε, i. sed Doricam
Citharam è clauo
diripe. Gallicè, mais deſpend
la Harpe Dorraine du crochet ou du clou.

Annotat Dores primos construxisse Citharam ad radices montis Parnasi habitantes; vel dicitur ἀφ' τοῦ δῶρον, quòd dono à Mercurio data sit Apollini pro furto boum: vel quod *Pindarus* dialecto Doricâ & harmoniâ vsus sit: quam facit triplicem, Doricam, Phrygiam, Lydiam, cuius distinctio cognosci potest ex antè iam notatis.

Vincla.] Sæpiùs profertur plenè *vincula.* Cicero tamen aliâs etiam conciso vtitur, vt in Orat. pro C. Rab. *Qui ciuibus Rom. adhibere vincla putas oportere,* & alibi, *mitto vincla, carcerem, verbera.*

Seruis.] Florus scribit, Pompeium Magnum Cilicas exstinxisse, sed filium agitasse piratas in patriam. Vide etiam Appian. lib. 5. de victoria Agrippæ contra Cn. Pompeium.

Emancipatus.] Quod Græcè dicitur, ἀδουλωμένῳ τῇ γυναικί. Eodem modo videtur hîc accipiendum atque apud Plautum, *Emancipo me tibi, le me donne à toy; & veux estre ton esclaue.* Dicitur autem emancipari quid, quum illud emittitur è nostro mancipio, & dominio, & alteri possidêdum traditur, proprieque de liberis dici solet, vt de seruis manumitti. Eius est apud Cic. simplex: *Senectus honesta est, si nemini mancipata est, si elle n'est asseruagee à personne.*

Fert vallum.] Est Isidoro vallus, fustis & palus, quo moles terræ aggesta fulcitur, ad prętendendam custodiam, i. τὸ vallum, sic dictum, quòd figatur & euellatur. Quàm autem laboriosa fuerit militia Rom. ostendit gestatio cibariorum vltra dimidiatum mensem, valli & armorum, de qua lege l. 2. Tusc. Cuius quidem loci verba hoc labore lectorem leuandi gratiâ, subscribo, *Nostri exercitus primum, vnde nomē habeant, vides: Deinde qui labor, quantus agminu, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre, si quid ad vsum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, Galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus expeditis armis, vt membris pugnare possint.* Hęc Tullius de militia ætatis. Sed T. Liuius scribit lib. 44. non dimidiati, verum integri mensis cibaria militem solitum ferre ante Ciceronis ætatem, & 20. & si opus esset, 24. passuum millia singulis diebus conficere.

Spadonibus.] De Eunuchis & spadonibus vocibus Græcis dictum est Ode 37. l. 1. & ipsorum impudicitia notata, quam ibi morbum vocauit, vt Catullus epigr. 53. l. 1. *morbosos*, tali morbo & infamiâ laborâtes. Ob eam caussam Chęrea Terentianus vocat Dorum Eunuchũ, inhonestum hominem, senem mulierem; i. Donato, fœdum & mollem. In quibusdam tamen Eunuchis desiderium rei Venereæ rêmanet, ac in iis præcipuè, quibus iam pubescentibus aut resecti aut elisi sunt testes. Phauorinus ille, cuius frequens est mentio apud Agel-

Agellium, quum Eunuchus esset, adeò tamen feruidæ libidinis fuit, vt creditus fuerit vxorem viri Consularis adulterasse, eoque nomine in iudicium adductus: de quo lege Cœlium Rhodig. lib. 9. cap. 12. ob intemperantiam Eunuchorum & mulierum Seneca conqueritur Epist. 95. Hippocratem in mendacio deprehensum; qui lib. 6. definitionum scribit illos οὐκ ἀναφαλάντους, μήτε ἀρθριτικὲς γίνεσθαι, id est, *neque recalualtros, neque arthriticos fieri.* Quia, vt ait ibidem Galenus, naturæ quadam similitudine fœminas attingunt, quæ sunt vtriusque incommodi expertes, præterquam, subijcit Hippocrates, quòd quum illàs deficiunt menstruæ purgationes. Querula Senecæ verba sunt *Maximus ille Medicorum & huius scientiæ conditor fœminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ iam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. non mutata fœminarum natura, sed vita est.* Idem *Galenus* post *Senecam* ibidem annotat verum fuisse temporibus Hippocratis, quum temperanter ac moderatè viueretur: sed ætate suâ vtrosque & Eunuchos & fœminas podagricos & caluos esse intemperantiâ vitæ. Vtramque autem vocem libet sic notare: prior ἀνήχ& definitur ἀνήρ τε καὶ οὐκ ἀνήρ, *vir & non vir*, hac quidem definitione credo motum *Alexandrum Seuerum*, vt ipse apud *Aelium Lampridium pronuntiauerit Eunuchos esse tertium genus hominum, nec videndum, nec in vsu habendum à viris; sed vix à fœminis nobilibus*, dictus à quibusdam ἀπὸ τῆς τὰ ἀνὰ ἔχειν καὶ θάμνους ἔχειν, quòd cubilibus, & Gynæcijs præficiatur, vt expeditior ancillis ad hanc custodiam. Ab alijs ἀπὸ τῆς ἀγαθὸν νοῦν ἔχειν, *quòd bonâ mente sit præditus*, quam res Venerea sæpè obtundit. Aliter tamen scribit Abenroas medicus Arabs, quum scribit: *Cor quidem homini datum ad viuendum, sed testiculos ad bene viuendum, quod facile perspicitur è natura Eunuchorum. Testes*, ait, *inter præcipua corporis membra recensendi sunt: magna eorum virtus, nec occulta. Etenim prætenuem in Eunuchis vocem audimus: malos agnoscimus mores: sunt porrò imberbes, rationis item pessimæ, nec ferè inuentus est quisquam exectus bonæ legis, aut intellectus non diminuti.* Hæc quoq; naturæ vitia ille *Alexander* Seuerus in Eunuchis non ignorauit inesse, quum apud eundem Historicum legatur, *Eunuchos, quos Heliogabalus & in consilijs turpibus habebat, & promouebat, donauit amicis, addito elogio, vt si non redijssent ad bonos mores, eosdem liceret sine auctoritate iudicij occidi.*

Huius autem rei causam Physici statuunt in priuatione motus, quæ cogit spiritus triplicis facultatis relanguescere quiete. Ab alijs deniq; dicitur ἀνήχ&, quasi ἀνίης, id est, ἐστερημένος τῆς ὀχείας, non quidem priuatus coitu, sed irrito: ardor enim libidinis non est extinctus testibus exsectis. Posterior ἀπάδων, ἀπὸ τοῦ ἀποδάζειν, à detrahendo, quòd ei χρεμαστῆρες, nerui testiculos suspendentes, detracti sunt: aliter ὀκτωμίας, ου, cui sunt testiculi exsecti: sed cui sunt fracti, θλασίας, ε, ἀπὸ τοῦ θλᾶσθαι, *à frangendo*: cui attriti, θλιβίας, ε, ἀπὸ θλίβειν, *ab elidendo*. Hos τὸ interpretes Bibliorum vocât voce coniunctâ ὀκτιθλιμμένους, *quibus sunt elisi testiculi.*

Conopeum.] Conopeum turpe, id est, fœdum & infame, quasi vexillum inter signa militaria: neque est hic τὸ *turpe* sumendum pro nota exclamationis ex dolore, quem τὸ *eheu* iam indicauit. Vox est autem Græca, ἀπὸ τοῦ κώνωπος dicta *à culice vinario*, qui tamen θηλυκῶς, dicitur secundùm Atticos κώνωψ βομβῶν καὶ ἠχῶν φυλάττων, *conops bombilans & resonans circumuolitat.* Scholiastes in Pluto Aristophanis. Eiusdem notionis allucita profertur è fragmentis Petronij, *nam comtum me vernales allucitæ molestabant.* Vnde Grammatici declinant τὸ *allucinari*, quod est vana somniare. Agellius tamen lib. 16. cap. 12. tradit hoc verbum densandum esse, tametsi hoc ipsum velit deflexum, ἀπὸ τοῦ ἀλύειν, quod Eustathius inter alia scribit significare, ἐν ἄλῃ καὶ πάθει τῷ ψυχῷ ἔχειν, id est, *in errore & anxietate animum habere*, vel mente alienatum esse. Hinc κωνωπεῖον velum ad culices arcendos. Vnde subiunctiua detracta est, vt vocalis ante vocalem corriperetur non secus ac *Chiragra.* Satyr. 7. lib. 2.

Ad hunc.] Intellige aduersus Antonium. Ita sumitur *ad*, Æneid 4. *classémue ad Pergama mitti.* Item Cicero pro Roscio Amerino: *Tecti esse ad alienos possumus*, i. e. *contra.* Quod autem equites Galli defecerint ab Antonio ad Augustum Plutarch. & historici memorant, ac præsertim illorum reges Amyntas & Deiotarus: de quo vide Seruium in lib. 6. Æneidos. Galli autem dicti sunt ab Asiaticis ἀπὸ τοῦ γάλακτος, *à lacte*, quasi Galactæ & lactei ob candorem: vnde Gallicus vultus apud Tertullianum pro summè candido. Iidem vniuersi etiam Celtæ à Græcis ob excellentiam, & claritatem sunt vocati: διὰ τὴν ὑπεροχήν. *Gelter* enim idem est Rhenanis Germanorum, quod Gallus, fortasse à *Gelten*, quod est valere & excellere, & *Gelt* est pecunia. Non tamen displicet illorum mihi veriuerbium, qui Celtas à re equestri, quâ illos quondam excelluisse historiographi testantur, dictos volunt. Ammianus Marsel. sub finem lib. 15. rationem vtriusque nominis nobis reddere videtur, quum scribit. *ambigentes super origine Gallorum scriptores veteres, notitiam reliquêre negotij semiplenam: sed postea Timagenes & diligentiâ Græcus & linguâ, quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem sequuti obscuritate dimota, eadem distinctè docebimus. Aborigenes primos in his regionibus quidam visos esse firmarunt, celtas nomine regis amabilis, & matris eius vocabulo Galatas dictos: Ita enim Gallos sermo Græcus appellat.*

Bis mille.] Extra carmen diceret bis millenos equos, quomodo semper Cicero ponit aduerbia numeri cum distributiuis nominibus & Virgilius, *bis senosq; dies*, & metro coactus δαλύτης in lib. 1.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

Vel consuetudine Græcorum, qui hoc dicerent σωθήτως, διχλίνς ἵππους, vt ἑπτάζευκτοι δύο καὶ δὶς τέσσαρα.

Sinistrorsum.] Plutarchus in Antonio memorat sic instructas naues vtrinquè apud Actium Epiri promontorium fuisse, vt Cœlius *sinistrum cornu teneret longis nauibus: post quas delitescebant sexaginta Cleopatræ naues: dextrum verò cornu habebant Antonius & Publicola: contrà Cæsar dextrum cornu tenebat, & in sinistro Agrippam collocauerat.*

Itaque naues positæ in sinistro cornu, cui præerat Cœlius, sitæ sinistrorsum dicuntur, quòd expeditiorem haberet receptum in Alexandriam & Ægyptum. Tribuitur Æliano diuisio aciei, quam Fran. Robortellus vertit: vbi fit mentio huius naualis prœlij, quum sic instituit nauium distributionem: *Nauium sunt quidem aliæ celeres, aliæ militares, aliæ hippagines, aliæ rotundæ. Celerum autem aliæ sunt μονόκροτοι, αἱ δὲ δίκροτοι, αἱ δὲ τείκροτοι. μέχρις ὀκκαιδεκακρότων, quæ vno aguntur remo, aliæ duobus, aliæ tribus, ac deinceps vsque ad sexdecim, quæ interfuerunt nauali prœlio M. Antonij & Cæsaris cum Cleopatra Aegypti regina.* Et certè hoc tantùm oculis, non libris facilè potest dijudicari. Porphyrio tamen ita interpretatur, vt spectantibus Italiam ab Actio hæc sint ad sinistram, Creta, Syrtes & Ægyptus: Epirus verò & Græcia ad dextram.

Iò triumphe.] De hoc genere orationis iam dictum est Ode 2. lib. 4. Addam tamen post *Iò* poni interdum Pæan: vt Ouid. lib. 2. de arte.

Dicite iò Pæan, & iò bis dicite Pæan.
Decidit in casses præda petita meas.

Interdum iteratur continuè sine adiuncto vllo, vt in

Pseudolo Plauti, *cuia vox sonat*. Pseud. *iò, iò*. Sed de auctore triumphi Romulo lege 2. lib. Dionys. Halic.

Tu moraris.] Vehicula triumphalia iam parata sunt, parata quoque victima iugum nó experta, nec taurum ad sacrificium pro victoria Dijs faciendum: in te vno est mora, ô triumphe.

Aureos currus.] Ex Philostrato in vita Dionis perspicimus Imperatores triumphantes aureo curru vehi.

Intactas.] Id est, integras & indomitas & iniuges, vt Macrob. vocat lib. 3. Satur. cap. 5. quarum Virgil. 6. Æn. meminit, quum scribit, *intactâ ceruice iuuencas*.

Nec Iugurthino.] Sensus est, *Nec reportasti è bello Iugurthino ducem parem Augusto, neq; è bello Africano ducem Augusto parem, cui duci, &c.*

Parem.] Syntaxis huius orationis quibusdam videtur aliquantò implicatior, quam tamen sic explices: *Nec reportasti è bello Iugurthino, nec ex Africano ducem parem huic, cui virtus condidit sepulcrum super Carthaginem.*

Terrâ, mariq;.] Ex his perspicis non frustrà Poetam meminisse Gallorum equitum, vt bellum intelligeretur gestum vtrobique, & mari & terrâ.

Punico.] Dicit pro puniceo, & coccineo sago deposito sumsit atrum & luctui & fugæ aptum. Eiusmodi enim cocceinis sagis Romani Imperatores, qui exercitibus præerant, militiæ vtebantur, quas Græci φοινικίδας appellabant, qui mos à Lacedæmonijs tractus videtur, apud quos omnes militantes rubris induebantur sagulis, illudque triplici fine; vel quòd color ille fortes viros inprimis deceat, vel quòd color sanguineus fusum cruorem milites contemnere faciat, vel denique quòd vestis sauciorum sanguinem effusum imbibens hostium oculos in acie falleret, vti Turnebus noster l. 2. Aduer. cap. 16. notauit. Est autem sagum, vestis militaris, quæ sæpè in seditione & tumultu, & confusione Reip. positis togis, induebatur, & Græcè definitur ab Hesychio τὸ σκέπασμα καὶ φειβόλαιον, *velamen & tegumentũ*, id est, vestis stragula, vti Cicero vtitur lib. 7. ad famil. Epist. 10. Ita sagum vsitatum fuit & in castris, & in cubiculo, sed quantitate & formâ diuersum.

Cretam.] De Creta fuit Ode 27. lib. 3.

Ventis non suis.] Id est, aduersantibus. De Syrtibus vide Od. 22. lib. 1. de Noto 3. eiusdem lib. atque de Scyphis 27. eiusdem, & de vino Lesbio 17. eiusdem.

Exercitatas.] Exercitatas dicit pro vsitatiori exercitas & agitatas, vexatas.

Fertur incerto mari.] Id est, nescit, qua in regione vagetur, & quod mare percurrat, vt solent homines duro prælio erepti.

Chia vina.] Est in Chio insula Cycladum vna, de qua Plin. lib. 5. cap. 3. & Strabo lib. 14. promontorium Aruisium, diues optimi & suauissimi vini. Plin. lib. 14. cap. 7. de his sic loquitur: *In summa gloria post Homerica illa de quibus suprà diximus, fuêre Thasium Chiumq;. Ex Chio quod Aruisium vocant: his addidit Lesbium Erasistrati maximi Medici auctoritas.*

Nauseam.] Fluentem è ventriculo & phlegma egerentem. Celsus li. 2. docet vinum austerum & validum, quale fuit Cæcubum auctore Athenæo, δ' τονον lib. 1. prodesse stomacho & vomitum coercere. Deflectitur autem nausea à naui, cuius sentina mota excitat vomitum fœtore sui.

Metire Cæcubum.] Id est, Infunde nobis tantum vini Cæcubi, quantum sufficiat nauseæ comprimendæ.

Lyæo soluere.] Videtur quædam allusio ad etymon τῶ Λυαῖε παρὰ τὸ λύειν, vt est annotatum Ode 12. lib. 1. Item ad naturam curæ & metus, quę animos tenent constrictos, & eosdem vinum facit solutos omni timore, vt scribit Theognis:

Εἰ πόμαι, πίνων θυμοφθόρα δ' μελεδαίνει,
Οὐδ' ἀνδρῶν ἐχθρῶν, οἱ μὲ λέγουσι κακῶς.

Si bibero paupertatem animo pernicioſam non curabo,
Nec hostes qui de mea fama detrahunt. Pro *soluere metum vino*, alio tropo Cicero dicit Epist. 24. lib. 11. *istâ epistolâ mihi omnem metum absterſisses.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est simile prioribus.

[a] Synecdoche est generis pro turri Mæcenatis, de qua sic Sueton. in Nerone Claudio, capite 38. *Hoc incendium Romæ è turri Mæcenatiana prospectans, lætusq; flammæ (vt aiebat) pulchritudine, ἄλωσιν Ilij, expugnationem Troiæ decantauit, in illo suo scenico habitu.*

[b] Synecdoche generis pro Siculo, quod tum manu seruorum coactâ tenebat & Sardiniam.

[c] Synecd. est generis altera pro Sexto Pompeio, qui se filium Neptuni iactabat, de quo Dio lib. 48.

[d] Alius & similis tropus pro Antonio & alijs ipsius commilitonibus Romanis.

[e] Exclamatio est per commiserationem.

[f] Metaphora est, pro, homines apertè vident præter morem Romanæ & seueræ militiæ Ægyptios vti muliebribus delicijs.

[g] Metonymia est pro equis inferentibus fremitum suâ ferocitate.

[h] Synecdoche membri pro integris nauibus. Alij tamen malũt propriè sumere, vt intelligamus puppim Antonianarum nauium, quas hîc vocat hostiles moueri in fugam, quum prora hostibus esset obuertenda.

[i] Apostrophe est ad Triumphum, & quędam metonymia adiuncti pro ipso triumphaturo Imperatore.

[k] Synecdoche generis pro specialibus, primùm Mario, de quo vide Plutarchum, & Sallustium de bello Iugurthino: deinde pro Scipione Africano.

[l] Ego hîc agnosco allegoriam è continuata metaphora: vt excidium Carthaginis fuit perpetuum monumentum virtutis Scipionianæ: ita victoria de Antonio & Cleopatra famam virtutis Octauianæ consecrabit immortalitati. Alij sine tropo interpretantur de sepulcro Scipionis, in quo erat titulus euersæ Carthaginis inciſus, & de reperto Caietæ epitaphio huiusmodi:

Deuicto Annibale, & captâ Carthagine, & auctæ
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europe, non obstitit Africa quondam.
Respice res hominum, quàm breuis vna premit!

De quo lege Plutarchum, qui scribit verum sepulcrum Scipionis Linterni fuisse, & postea translatum, & Liuium.

[m] Synecdoch. generis pro Antonio victo defectione Canidij Gallorum equitum ducis.

[n] Altera est apostrophe ad pincernam, vt scyphos apponat maiores: solito ad largiùs & liberaliùs, & infundendum & bibendum.

[o] Synecdoche est generis, pro, vina Aruisia.

[p] Metonymia caussæ pro vino: de qua voce dictum est aliàs, vt Ode 7. lib. 1. & 2. lib. 3. deinde adiuncti pro subiecto animo, cui sic cura & metus adimuntur & absterguntur.

ODE

EPODI X. IN MÆVIVM.

Theticum.

Mæuio dirum precatur naufragium.

[1] *Alâ ſoluta nauis exit* [a] *alite,*
Ferens olentem Mæuium:
Vt horridis vtrumq; verberes latus,
Auſter, memento fluctibus.
Niger rudentes [b] *Eurus, inuerſo mari,*
Fractoſq; remos differat!
Inſurgat Aquilo, [2] *quantus altis montibus*
Frangit trementes ilices!
[3] *Nec* [c] *ſidus atrâ nocte amicum appareat!*
Quâ [d] *triſtis Orion cadit.*
[4] *Quietiore nec feratur æquore,*
Quàm Graia victorum manus!
[5] *Quum Pallas vſto vertit iram ab Ilio*
In impiam Aiacis ratem.
[6] *O, quantus inſtat nautis ſudor tuis,*
Tibiq; pallor luteus,
Et illa non virilis eiulatio,
Preces & auerſum ad Iouem:
Ionius vdo quum [f] *remugiens ſinus*
Noto [g] *carinam ruperit!*
Opima quòd ſi [h] *præda curuo littore*
Porrecta mergos iuueris,
Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna tempeſtatibus.

Analyſis Dialectica.

OStẽdimus Epodis 6. huius libri duos fuiſſe Poetas huic noſtro inimiciſsimos; Bauium & Mæuium: talis autem inimicitiæ cauſſa non ſatis mihi cõſtat: ſuſpicor tamen eam è petulantia linguæ, & verſibus contumelioſis contractam, & hos ex inuidia profectos, quòd Mæuius fortaſſe videret Horatium pluris, quàm ſe ab omnibus fieri, & apud principes maiori gratiâ valere. Quare ἱερᾶσθαί τινι diris & infauſtis ominibus inſtituram eius nauigationem nunc proſequitur: in quo quidem Iunonem imitatur: quæ Æolum ventorum regem promiſsis oppugnauit ad claſſem Æneæ fluctibus & vndis perdendam: ſimul atque enim hic vidit nauem, quæ Mæuium veheret, è portu ſolutam, cœpit appellare & implorare ventos, vt procellis horribilibus mare vexarent, & tandem illam, & rectorem demergerent. Totus autem hic locus eſt è ventis efficientibus cauſsis tempeſtatis, quos Poeta more Virgilij vult contrà, atq; illorum natura fert, ſimul flare: ſed quid non Poetis licet?

2 Vis Aquilonis declaratur parium collatione, vt ille tanto impetu in nauem feratur, quanto ſolet ruere in proceras & altas arbores.

3 Alia cauſſa adhibetur ad tempeſtatem augendam, vt atra nox mari incubet.

4 Altera eſt ratio è paribus, vt nauis ijſdem æſtibus maris frangatur: quibus claſsis Græcorum ab excidio Ilij in patriam ſuam redeuntium quaſſata fuit.

5 Apodoſis comparationis confirmatur ex efficiente cauſſa, quòd Minerua irata Aiaci Oileo, propter ſtuprum Caſſandræ Deam precanti ab eo impiè oblatum in ipſius templo, complures Græcos naufragio perdiderit. De vtroq; vide Oden 4. lib. 2.

6 Locus eſt ex adiunctis, vbi Poeta κατὰ πλὴν ὑποτύπωσιν, ita ſubijcit Mæuio ſub oculos euentus talis tempeſtatis, vt res iam videatur geſta: ſudor nautarum incredibilis per totum corpus manabit: ipſe muliebriter eiulabit: fruſtra iratum Iouem precibus fatigabit. *Ego autem vbi videro vel audiero, te in littore porrectum, & expoſitum ad prædam auium, ſacris operabor tempeſtatibus, victimis, capro libidinoſo, & agnâ.*

Enarratio Grammatica.

Soluta nauis exit.] Hic exple, è portu, vt Græcè ἀνάγεται ἡ ναῦς, ἀπολύεται, ἐκ λιμένος.

Quemadmodum Cæſar loquitur, *ſoluere naues è portu*, Gallicè, *deſancrer & partir du port*: quod Herodotus interpretatur Græcè, ἀνάγειν τὰς νῆας ἀπὸ Σαλαμῖνος, id eſt, *naues à Salamine ſoluere*. Gallicè *faire voile du port de Salamine*. Addam ſtudioſæ iuuẽtutis nomine, quod obſeruaui in Scholijs Euſtathij ad verſ. Ὀδυσ. Α.

Νῦν δ' ὧδε ξυὼ κατύλυσεν, ἠδ' ἑτάροισι, id eſt,
Nunc autem huc appuli cum naui & ſocijs.

Hic δίχα τὸ ὧδε ἰσημανθέντων ἐνδεῶς, id eſt, duplici explicatur interpretatione hæc particula hoc in loco, dicitúrque ibidem nonnunquam τοπικῶς vſurpari ſolita ab Homero. Verbum quoq; Homericum ſonat idem, quod καταπλεῦσαι. Itaque ibidem, quæ non puto inutilia fore ſtudioſis Helleniſmi ad vim verborum τῶν *appellere & ſoluere naues* intelligendam, ὅτι καταλθεῖν οὐ μόνον τὸ ἁπλῶς καπόπτειν ἐλθεῖν, ὥσπερ καὶ καταδῦναι καὶ καταπλεῦσαι καὶ καταχθῆναι καὶ καπεῖραι, τὸ ἐλλιμενίσαι λέγεται· τὸ μὲν τοι ἀπείρασι τῶν λιμένων, ἀνελθεῖν, καὶ ἀναβῆναι καὶ ἀναπλεῦσαι καὶ ἀναχθῆναι λέγεται· κατὰπλους μὲν γὰρ, ὅ εἰς τὸν λιμένα ἔλασις· ἀνάπλους δὲ τὸ ἀπὸ πελάγους εἰς τὸ θαλάσσιον ὕδατος ὑπερκείμενα γῆς, id eſt, *dixit κατύλυσεν, quia hoc verbum non tantum ſimpliciter eſt ad inferiora venire, ſed ad portum etiam accedere; ſicut quatuor ſequentia dicuntur de deſcenſu & appulſu ad littus & portum: quamquam hæc quoque ſequentia ſumuntur pro ſoluere nauem è portu. Nam appulſus eſt deſcenſus & acceſſus ad portum: contrà autem ἀνάπλους eſt adſcenſus in altum, perinde ac ſi aquæ maris ſuperiaceret terra ſubſtratæ.*

Malâ.] Videretur aptè ad ſenſum apertiorem particula *en* hic intelligenda, tanquam diceretur: *ô Note, en ſoluitur nauis Mauij è portu, age, vtrumq; eius latus inſanis fluctibus verbera & illi vim infer.*

Malâ alite.] Quod ex Lactantio profertur, malum augurium deſignari fœminino, & bonum maſculino: vel quòd hoc genus, quàm illud minus ſit gratum Dijs inter ſacra faciẽda: neutrum eſt ſatis credibile: alterum tamen veriſimilius ducerem perſpectâ cacodæmonum Ethnicorum impurâ libidine.

Mæuium.] Interpretes, Seruius in Palæmonem & Porphirio in hunc locum cenſent hunc eſſe, qui exagitatur Eclogâ 3. à Virgilio. Hic *Auſter* inprimis appellatur, quia tribuitur ei rabies, vt 3. Od. lib. 1.

Nec rabiem Noti metuit.

Vide in Grammaticis eiuſdem, & quaſi priùs cum eo reliquisque ventis egiſſet precibus, iam nunc tem-

pus idoneum ad Mæuium vexandum ostendit.

Olentem.] Significat Mæuium vel hominem fuisse crudum & gulosum, cuius, vt hic ipse loquitur, Epod. 12.

—grauis hirsutis cubat hircus in alis.

Vel ita naturâ comparatum, quo modo creduntur homines rufi, vt plurimùm, affecti, vel incuriâ munditiei, talem effectum, qui Græcè dicitur Γρῆσμον ἄνθρωπον, ὀδυσμόν, vt in hoc apophthegmate, τῷ γρήσμονι μὴ ὀργίζου, *ne irascare homini hircoso*, vel hircum olenti: ὀδὼδε γρῆς ἢ τῶν μασχάλων δυσωδία: *Hircus enim est teter alarum odor.* Quidam fœtorem huius hominis ad animum referunt: & certè ex habitu corporis facile perspicitur animi conditio.

Niger Eurus.] De hoc vento vide Ode 28. lib. 1.

Inuerso mari.] Id est, exagitata, & quasi illius fundo in superficiem sublato, pro quo Virgilius, *Euertitq; æquor a Ponto* 1. Æneid.

Remos differat.] Dissijciat & disrumpat rudentes. Sic dicitur Aquilo arida differre nubila lib. 3. Georg. v. 197. & 2. latè differre fauillam, vt Græcè κηρύγματα διαφέρειν, & Latinè famam differre & rumorem, pro diuulgare, dispergere, dissipare: sic Donatus illud Andr. Terent. Act. 2 Scen 3. *Orationem sperat inuenisse se, quâ differat te*, id est, disturbet & in diuersum ferat. Ita priùs Epod. 5. dixit, *Dèst insepulta membra different lupi*, De Aquilone vide Ode 3. lib. 1. & de Orione Oden 28. lib. 1.

Aiacis ratem.] Ita Aiax filius fuit Oilei & rex Locrẽsium, qui propter Cassandram in ęde Palladi sacra constupratam & sibi multis conuectoribus exstitit naufragio: de quo sic Virgil. lib. 1. Æneid.

Palláne exurere classem
Argiuûm atque ipsos potuit submergere Ponto
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.

Seruius in verba, Æneid. 11. *Scit triste Mineruæ Sidus*, hæc annotat & hunc locum citat: *Fabula hoc habet, propter Cassandræ stuprum Græcis iratam esse Mineruam, vel quòd ei victores sacrificare noluerunt per superbiam: vnde eos redeuntes grauissimâ tempestate iactatos per diuersa dispersit.* Vide ibidem reliqua: narratur etiam res luculenter Οδυσ. γ & δ.

Pallor luteus.] Puto cõlorem hîc designari, qui conspicitur in laborantibus vtero, *la iauisse*, hinc luteum oui, & violæ luteæ, & luteola caltha: id est, quòd si demersus fueris in mari & paueris mergos tuo cadauere.

Virilis eiulatio.] Non omnis tamen eiulatio est index animi muliebris, vt Hercules dicitur eiulasse magnitudine dolorum, vocesq; ac clamores valdè querulos edidisse, quos leges 2. Tuscul. è Trachinijs Sophoclis, & intelliges illos εἶναι τῆ κλαυθμῶ, ὡς τὰς ἐπιξηνθικὰς, qui nascitur velut è fragore durorum corporum. Hunc locum citat Seruius in vers. Æneid. 4. *Lamentis gemituq; & fœmineo vlulatu*, quòd est propriè fœminarum.

Auersum.] Id est, renuentem & aspernantem preces, quo modo loquitur Virgilius lib. 1. Æneid. vers. 486.

Dira solo fixos oculos auersa tenebat.

Quod Græcè dicitur ἀπανδῶν, *renuere.*

Vdo Noto.] Hoc epitheton indicat etymon substantiui ὑδὼ τὸ νότερον ἢ πλὴν νοτίδα, ab humiditate, sic illud Nasonis *aquaticus humidus* Virgilij, *madidus* Claudiani.

Præda.] Varro li. 4. de lingua Latina scribit, hanc vocem dici, quòd hostib. victis, parta sit, quasi *parida*: quod etymum non multùm abluditab hoc vocis Græcè idem sonãtis, ἕλειρ καὶ ἑλώριον ὑδὼ τὸ ἕλειν, *à capiendo*, vt sit ἄγρα, ἢ ἄγρευμα, vel ὑδὼ τὸ ἑλκειν à trahendo. vt sit ἕλκυσμα, σπάραγμα, *præda lacerationi exposita*, vt ait Virg. *Canibus data præda Latinis*, qualis est illa statim initio Ιλιαδ. α. vnde Agellius collegit corpora rerum capta propriè prædæ nomine significari. Spolia autem de his, quę captis corporibus viuis detrahuntur, dici.

Huc etiam addatur discrimen è Marcello inter prædam & manubias, qui putat prædam ipsarum rerum quæ capiuntur esse corpora, sed manubias esse pecuniam ex præda vendita redactam. Quod discrimen Cic. in 1. Agraria videtur obseruasse: *Quod ad quemq; peruenit ex præda, ex manubijs, ex auro coronario, &c.*

Porrecta.] Id est, iacens, strata & extensa in littore, id est, mortua. Ita loquitur Homerus de cæso Deucalione Iliad. υ.

—ὁδὶ δὲ χθονὶ κεῖτο παναιδὴς.
hic verò humi exporrectus iacebat.

Ita sumitur à Catullo,

Postquam ea porrecto facta marita sene,

Id est, mortuo: qualis solet esse situs & gestus τῶν ἐν κονίῃσι παναιδέσι, *iacentibus & extensis in puluere.*

Caper.] Appositè ad olentis Næuij naturam caper fœtidus immolatur, qui sæpiùs Baccho mactatur. Caper autem vt capra dicitur à carpendis & rodendis virgultis.

Mergos.] Mergus auis fluuiatilis ponitur inter Amphibia, sic dicta, quòd se identidẽ in aquam demergat ad escam captandam, ait Varro lib. 4. Verbum autem mergo deflecti videtur à *mare*, quomodo etiam à πόντος Græco fit ποντίζω ἢ καταποντίζω *demergo.*

Aqua.] Ita Virgilius 5 Æneid. v. 773. *& tempestatibus aquam cædere iubet:* quia, vt scribit Cicero lib. 3. de nat. Deor. *Tempestates populi Romani ritib. consecratæ erant, tempestatiq;, vt Deæ minori, minor hostia. vt fœminæ fœmina immolabatur.* Eadem est Græcæ vocis δύτης ratio. ὁ γὰρ δύτης, i. vrinator & mergus dicitur ἀπὸ τὸ δύπτειν, τὸ δύειν ἑαυτὸν εἰς ὕδωρ, id est, *à demergendo seipsum in aquam*: quæ auis aliter αἰθυία καὶ πρωΐνη. γλαῦξ ὁ vocatur: priorem tamen harum *Virgilius* sub finem lib. 2. Georg. ex Arato vertit Fulicam.

Explicatio Rhetorica.

TAle carmen, qualia fuerunt superiora.

[a] Metonymia est caussæ pro mala præsagitione & infelici auspicio. Atque præterea Metaphora est ab Auguribus, vt notatum fuit Ode 10. lib. 1. & citatus Homerus ad verb.

—mala ducis aui domum.

Sic Priamus Ιλιαδ. ω. προπικῶς Hecubam rogat, ne sit profectioni suæ ad Achillem auis mala in vers.

Μὴ μ' ἐθέλοντ' ἰέναι κατερύκανε, μαντεύμενοι ἀὐτῇ
Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλεται. id est,
Ne me volentem ire tetine, neq; mihi ipsa
Sua auis mala in ædibus.

Notas autem Eustathij hunc in locum sic interpretor prouerbialis est sententia in *mala auis ne fis*, idem sonans, κακὸς οἰωνὸς, quod autem auis designet omnino futurum, hic ex parte significatur, id est, συνεκδοχικῶς, quod Comicus indicat apertissime, per numerum pluralem ὦ ὄρνιθοι, mala quoque auis fit Hecuba Priamo, propterea quod ipsi ad cadauer redimendum abeunti lachrymando malè ominetur, si quidem eiulatus muliebris est omen sinistrum & inauspicatum. Ex his notis perspicit Lector id de quo eum sæpè admonui, *Prouerbia magna ex parte nasci è verborum modificatione.*

[b] Synecdoche est generis pro specie Euroclydone, qui mortem nauigantibus minatur & infert, de quo vide Oden. 28. lib. 1. quem puto esse Cæciam. Niger autem μεταφορικῶς dicitur à rebus inauspicatis & infaustis pro, Eurus noxius & pernicioſus.

Sic Homerus dixit ὀδύνας μελαίνας, βαθείας, *profundos dolores & acerbos.*

[c] Sy-

[e] Synecdoche est generis pro Tyndaridis, de quibus fuit Ode 12. lib. 1. vt 8. lib. 4. sic dicet lib. 2. Satyr. 6. *diues amico Hercule* diuerso eiusdem tropi modo, pro δαίμονι. e. πλούτῳ, *beneuolo genio diues.*

[d] Metonymia est effecti pro efficiente & concitante tempestates & tristitiam adferente.

[e] Apostrophe, auersio sermonis à ventorum appellatione ad vectorem Mæuium.

[f] Metaphora est à Bucerijs boum, vbi auditur obtusum quoddam murmur.

[g] Synecdoche membri pro integra naui, de qua fuit Ode 4. lib. 1.

[h] Altera est Synecdoche, sed generis pro cadauere Mæuij.

Epodi XI. Ad Pettivm.

Theticum.

Siue ioco, siue serio cecinerit hoc Poeta, nequit culpâ teterrimæ libidinis vacare: quum neque consilijs amicorum, neque contumelijs possit à tanta turpitudine auocari ad studia honesta.

[1] *Petti, nihil me, sicut anteà, iuuat*
Scribere versiculos
Amore[a] perculsum graui:
[b] *Amore, qui me, præter omnes, expetit*
Mollibus in pueris
Aut in puellis[c] vrere.
[2] *Hic tertius[d] December, ex quo desiti*
Inachia[e] furere,
Syluis[f] honorem decutit.
[3g] *Heu me, per Vrbem (nam pudet tanti mali)*
Fabula quanta fui!
Conuiuiorum & pœnitet,
In queis amantem & languor & silentium
Arguit, & latere
Petitus imo spiritus,
[4] *Contrag[h] lucrum, nil valere candidum*
Pauperis ingenium
Querebar, applorans tibi:
Simul calentis[i] inuerecundus[k] Deus
Feruidiore mero
Arcana promôrat[l] loco.
[5] *Quòd si meis inæsuet præcordijs*
Libera[m] bilis, vt hæc
Ingrata ventis diuidat
[n] *Fomenta, vulnus nil malum leuantia:*
Desinet[o] imparibus
Certare[p] summotus pudor.
[6] *Vbi hæc seuerus te palàm laudaueram,*
Iussus abire domum,
Ferebar[q] incerto pede
Ad non amicos (heu) mihi postes, & (r heu)
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.
[7] *Nunc gloriantis quamlibet mulierculam*
Vincere mollitiâ;
Amor Lycisci me tenet:
[8] *Vnde expedire non amicorum queans*
Libera consilia,
Nec contumeliæ graues:
Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri,
Longam renodantis comam.

Analysis Dialectica.

IMmoderatam & impudentem huius Poetæ libidinem & intemperãtiam nemo possit satis vehementer queri & exprobrare, & abominari, qui perinde exardeat cupidine rei veritæ iure ciuili & naturali, atque libidine illius ab vtroque permissæ. Proponit initiò se nullâ delectatione ac studio duci scribendi versus: quem si roges, curita? ille tibi respondebit, se necessariâ caussâ detineri, quæ in duplici amore & graui collocatur. Egregia sanè necessitas καὶ ἐξ τὴν προαίρεσιν, *contra voluntatem & consilium* hominis id volentis & habentis vitiosè. Ea est prima ratio suæ difficultatis: quæ tamen dissimiliter enunciatur. *Ego nullâ hodie, vt antea, possum alacritate animi & lætitiâ ad canendum excitari graui perculsus amore*, atque deinde confirmatur minorum collatione: *quòd amor acrioribus flammis illum torreat, quàm reliquos omnes homines.* Hac contentione necessitas ipsius videbitur tibi fortassè satis approbata: sed audiatur consilium Phocylidis de huiusmodi causa violenta:

Ὅστις ἑκὼν ἀδικεῖ, κακὸς αὐτὴρ ἄλλ' ὑπ' ἀνάγκης,
Οὐκ ἐρέω τὸ τέλος· βουλὴν δ' ἐθύνει ἑκάστου.

Qui consilio facit iniuriam, vir est malus: sed necessitate, non dicam eum omnino malum: atqui tu examina mentem cuiusq;: quam quidem in Poeta reperies otio diffluentem, ac occupationis egentem ad hunc affectum reprimẽdum: qualẽ Menedemus Terentianus necessitate laboriosè militandi cõstrictus se vitasse gloriatur. Non equidem tamen dubito, quin homines libidinosi τὸ τῶν ἀφροδισίων ἀκράτειαν tueantur his Menandri versibus:

Δέσποιν', ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον,
Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν,
Ζεύς. ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκαῖος ποιεῖ.
Id est, *Hera, nihil est fortius amore:*
Ac Iupiter ipse dominus Deorum
Nihil non illi facit coactus.

Quas hic Menander Amori vires tribuit, Esdras attribuit mulieri formosæ lib. 3. cap. 4. vers. 15.

2 Eadem vis necessitatis augetur ex adiuncto, *quòd iam triennium caruerit consuetudine Inachiæ puellæ:* vnde suspicor illum ex hac diuturnitate tẽporis velle confícere incendium cupidinis in se acriùs sæuire.

3 Idem demonstratur amoris efficientiâ: *quòd ex illo insano amore ludibrio & dedecore affectus sit palã:* deinde in conuiuijs, languore, silentio, suspirijs altè petitis.

4 Ex efficiente docet, illud silentium se rupisse, vbi vino incaluisset, & amico Pettio has querelas deplorasse: *quòd candor animi sui & solertia ingenij summâ rerum tenuitate comitata nihil posset apud Inachiam mulierem quæstui deditam, contra lucrum & dona, quæ Inachia à riualibus accipiebat*, quo modo docet Ouid. 2. de art.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Querebatur ergo Poeta de sua paupertate apud Pettium: quòd eâ impediretur, ne domum Inachiæ admitteretur.

5 Iam ex amotione caussarum ipsi amorem efficientium & alentium sic disputat: *Si liberâ irâ commotus expulero saluâ rationis & iudicij integritate ex animo curas edaces, querelas inanes, anxias cogitationes, suspiria, lacrymas, quæ sunt amoris pabula; desinam contendere cum riualibus meis de Inachia depositò pudore, quòd illi plus, quàm ego, valeant opibus apud eam.*

6 Assumtionis vis hîc est, quæ fit è cõsequente propositionis negato, non tamen apertè: *sed non certare desino cum imparibus de Inachia, quæ illustratur* prosyllogismo è categoria diuersorum: *quamuis*, inquit, *statuissem cum Pettio delere ex animo mulierem istam, ab eo tamen dimissus ad illam deflexi meum iter, & pro foribus ædium me afflictaui miserè.* Ostendit hîc Horatius se similiter insanire, atque ille amator, qui contumeliosè exclusus ab amica iurarat se totum annum in ipsius conspectum minimè proditurum; postridie tamen diluculo ad eandem redijt cum improbatione huius Elegiaci è quodam: ὕβεις ἔρωτας ἔλυσε, μάτην ὀδὲ μῶθ' ἁλᾶται, ὕβεις ἐμοὶ ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην, id est, *contumelia dissoluit amores: hoc falsò iactatur. contumelia* (enim) *meam irritat magis insaniam.*

7 Altera est caussa, id est, alterum impedimentum, ne se ad studium Musicum referat, cui amor pueri Lycisci impedimento erat. Huius caussæ vis declaratur minorum collatione, quòd muliercula quælibet mollitie & teneritate corporis Lycisco cederet ex ipsius prædicatione.

8 Eadem augetur loco diuersorum: quòd non monitis & consilijs liberorum amicorum, qui liberè & seuerè reprehendere solent suos amicos, non grauibus contumelijs eorundem ab amore huiusmodi possit abstrahi, sed alius amor candidæ puellæ, aut pueri glabris & politis membris poterit illum explicare Lycisci amore. Hinc vides, Lector, vt propositum est initiò libidinosam Poetæ & intemperantem naturam. Sed quid agas, ea fuit misera Ethnicorum conditio, & Sathanica, ὡς ὄνειδος τὸ καλὸν μοιχεύειν, καὶ παιδεραστεῖν, καὶ τὸ ἴσον τῷ πάζειν.

Enarratio Grammatica.

Petti.] De hoc Pettio nihil mihi suppetit, quod nunc scribam, nisi quòd ab alijs scribitur *Pectius*, & eum Poetæ amicum & sodalem fuisse.

Perculsum.] *Percellere* & *euertere* geminantur à Cicerone. Item *percellere* & *labefactare*, quod facilè intelligas ex his locis: priori Plauti in Epidic. vbi senex Periphanes, quum resciuisset se fidicinam emisse pro filia, *Perij*, ait, *plaustrum perculi*: quæ sententia est prouerbialis in eos, qui negotium aliquod perturbârunt: posteriori Terentij in Eunuch. Act. 2. Scen. 2. vbi Parmeno præbet se vi cogendum domino Chæreæ, quem compulit dictis. Par. *perij: quid ego egi miser? quò trudis? perculeris iam tu me.* i.e. Donato, peruerteris, *Gallis tu m'as faict tumber des ia à la renuerse, esbranler & ruer par terre.*

Expetit vrere.] Rarò reperitur hoc verbum cum infinito, pro optat, vel studio sibi habet vexare me supra cæteros, quod Galli reddunt quasi esset, expetit à me præter cæteros pœnas, *Il prend plaisir à me tourmenter plus que les autres*, legitur tamen in Hippol. Senecæ, *expeto audire*, & 7. Metamor. *expeto cognoscere.* Grammatici tradunt verba *expetere* & *appetere* sic inter se significatione differre; vt illud sit tãtùm optare honesta & planè bona cum ratione, qualia sunt, quæ Philosophi scribunt de rebus expetendis: quod vt ostenderet Donatus in Heaut. Act. 2. Scen. 4. *minimè miror, si te sibi quisq; expetit,* dixit, Bacchidem meretricem induci, quę Antiphilam alteram meretricem à pudicitia commendet, & vim talem verbi expresit, qualis est in And. Act. 4. Scen. 2. de Pamphilo & Glycerio connubio iungendis. Ait igitur Pamphilus, *hanc mihi expetiui: contigit, conueniunt mores.* Cicero tamen 3. de nat. Deor. scribit appeti, quæ sunt secundùm naturam, & declinari contraria: vbi de affectu præter rationem non intellexeris.

Præter omnes.] Eiusdem est significatus, quod dixit Ode 19. li. 3. *supra tres cyathos*, id est, plus quàm tres.

Inachia furere.] Dicit etiam Cicero furere de aliquo, pro insanire amore alicuius, *perdre le sens & patience pour l'amour de quelqu'un.*

Furere.] Vsitatissimũ est Poetis hoc verbum pro perditè amare, vt furor & furia pro vehementissimo amore. E quatuor autem furoris generibus, quæ recensentur à Platone in Phędro, postremum est Veneris & amoris: de quo hic locus intelligendus est.

Fabula quanta sui.] *Helas qu' on s'est bien moqué de moy par la ville.* Sic Terent. iam nos fabula sumus.

Conuiuiorum pœnitet.] Valdè mihi displicet, quòd conuiuijs interfuerim, vbi optarem non interfuisse: Hæc pœnitentia posset etiam referri ad immodicam conuiuiorũ celebrationem, & Venereorum vsum, vbi fortunas suas profuderat.

Arguit.] Verbum est indicandi, quod abditum latebat, vt apud Virgil.

Degeneres animos timor arguit.

Sic Græcè Sophocles in Οἰδίπ. τυραν. ἀλλ' ἔξελέγχων αὐτὸν δείκνυσιν, *sed adest, qui auctorem cædis indicet.*

Latere imo.] Ellipsis est præpositionis, *ab*, pro, *ab imis ilibus ductus*, quam Virgilius expresit lib. 3. Georgicõn vers. 505. *Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto Spiritus.*

Curantem omnes animantes spirare necesse habeant, Aristoteles sectione 34. problemate 12. legatur.

Lucrum.] Varro lib. 4. inclinat hanc vocem ab luendo, si amplius ex eo luerit, quàm quanti esset cæptum, id est, soluerit.

Candidum.] Hoc epitheton construendum est potiùs cum *ingenium*, quàm, *lucrum.* Ingenij autem candor cognoscitur ex oratione, ait Bacchis in Heaut, Act. 2. Scen. 4. *Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio*, quod Græcè dicitur, Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐν λόγῳ γνωρίζεται. Est autem τὸ ingenium ea vis mentis, quæ particeps est prudentiæ, inuentionis, docilitatis: nũquam tamen in hac notione vsitata Virgilio, sed pro natura, vt 2. Georg. *Aruorum ingenium.*

Simul calentis.] Syntaxis verborum est huiusmodi: *simul atq;*, vel statim vbi, *Bacchus promouerat loco arcana Horatij calentis feruidiore mero*, i. è pectore desumserat, vel è pectore depromserat in apertum secreta, quæ priùs Poeta condita tenebat mente. Alij tamen substruunt *feruidiore mero* verbo *promôrat*, non participio *calentis*, in quo supplent *amore.* Vtramlibet autem syntaxin retineas nihil ad sensum intererit.

Ventis diuidat.] Committat ventis diuulgãda & tradat differenda. Pro hoc dixit Ode 26. li. 1. *tradam mœstitiam & metus ventis proteruis portare in mare Creticum.*

Imparibus certare.] Perpetuus est Poetis Latinis hic Helleniſmus in pugnandi verbis cum datiuo, pro quo, *certare cum imparibus.*

Seuerus.] Videtur positum διὰ τῆς ἀντιφράσεως pro aduerbio *seuerè*, id est, magna cum seueritate & constantia approbaueram, & ita facturum receperam in tuo conspectu.

Iussus abire.] Seruius in 10. Æneid. ad hunc locum, *æquore iusso*, hoc participium dicit esse à *Iubeor*, quod nõ

est in

est in vsu. Certè non legerat, vel saltem non meminerat, Ciceronem dixisse lib.5.Epist.ad Atticum epist.20. *Ego quum Laodiceam venero, Quinto sororis tuæ filio togam puram iubeor dare.*

Gloriantis vincere.] Ita Cicero construit *glorior: gloriatur se peragrasse omnes prouincias.* Ideo videtur *se* post *gloriantis* deliderari.

Mollitiâ.] Videtur Poeta alludere ad etymum mulieris, quæ dicitur à mollitie, quasi molliter, sed secundùm fœmineum sexum, non secundùm vitium integritatis. Græcè autem vocatur à Platone γυνὴ, quasi γονὴ, quòd ad gignendam prolem apta sit, ἀφ' ὃ τὸ γείνειν. ab Hebræis אישה *Ischah* sexus nomen, & hoc ab איש *Isch* à viro, quasi diceretur *vira* Latinè, atque prius à יה *ieseh*, quòd vir præcedat mulierem & tempore, & dignitate & essentiâ. Eadem est vtriusque vocis ratio apud Lactantium lib.de Opificio Dei cap.14. *Vir itaque nominatus est; quòd maior vis est in eo, quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.* Item mulier, vt Varro interpretatur, à mollitie est dicta, immutatâ detractaque literâ, velut mollier, vt iam Ode 12. lib.1. de vtroque tam Hebraicè, Græcè, quàm Latinè fuit notatum.

Libera consilia.] Oportuit Poetam fuisse libidinis perditæ, nec vllis artibus refrænandæ, quem non potuerint inde tales amici soluere, quales Isocrates studet Nicocli deligendos: Πιστοὺς, ἡγοῦ μὴ τοὺς περὶ ὅ, τι ἂν λέγῃς ἢ ποιῇς ἐπαινοῦντας, ἀλλὰ τοὺς τοῖς σοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιμωμένους, *existima eos fideles amicos, non qui laudent, quicquid aut dixeris, aut feceris, sed qui liberè tua errata reprehendent.*

Contumeliæ.] Hæc vox distributione quadam, ac simul descriptione declaratur in oratione Ciceron. pro Cœlio: *contumelia, quæ petulantiùs iacitur, conuicium: si facetiùs, vrbanitas vocatur,* & eandem sic Nonius distinguit ab iniuria, vt hæc leuior res sit, quàm illa, è Pacuuio, *patior facilè iniuriam, si est vacua a contumelia,* & à contemtione videtur in libello de amicitia dicta Senecæ ad Serenum, cap.11. cuius etymi auctor creditur Vlpianus; quòd principes nihil magis ægrè patiuntur, quàm contemni. *Habet enim,* ait Cicero lib.5. in Verrem, *aculeum quemdam contumelia, quem boni viri ferre non possunt:* vnde Aristoteles libr.4. Ethicorum scribit, *seruile esse contumelias perferre:* ex quo Augustus dicendus videretur Publio Mimographo μικρόψυχος, quòd diu pertulisset Cinnæ contumelias, *Contumeliam pati nec fortis, nec ingenuus potest.* Quod tamen Seneca maximæ laudi tribuit eidem lib.1. cap.10. de Clementia, *Deum esse,* ait, *non tanquam iusti, credimus bonum principem Augustum, & bene illi conuenisse parentis nomen fatemur ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoque suas, quæ acerbiores esse principibus solent, quàm iniuriæ, nullâ crudelitate exsequebatur: quòd probrosis in se dictis arrisit: quòd dare illum pœnas apparebat, quum exigeret: quòd quoscumque ob adulterium filiæ suæ damnauerat, adeo non occidit, vt dimissis, quò tutiores essent, diplomata daret?* Sed veriùs à contumescendo vel ab elatione animi, qualis esse solet in milite, vt Donatus in Terent.Eunuch. Act.4. Sc.7. *Hanccine ego, vt contumeliam tam insignem in me accipiam?* hæc Græcè dicitur ὕβρεις, & qui facit eam, ὑβριστὴς ἢ ὑβριστὴς. Ortus contumeliæ ostenditur hoc versu Homeri,

Τίκτει τοὶ κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται, id est,
Parit satietas contumeliam, quum diuitiæ nanciscuntur improbi.

Sed Pindarus eundem pronuntiauit Ολυμπ.13. ἀτάλλαγκος, Ἐθέλοντι δ' ἀλεξεῖν ὕβριν κόρᾳ
Ματέρα Θρασύμυθον, id est,
Volunt (Deæ Themidis filiæ) *arcere contumeliam Matrem satietatis audaciloquam* (è ciuitatibus) vbi Scholiastes annotat, ἐκ ὀρθῶς δὲ τὸν ὕβριν τῆ κόρε μητέρα λέγει, ἀλλὰ τὸ ἀνάπαλιν εἰπεῖν ἔδει, id est, *non rectè dicit contumeliam satietatis matrem; sed contrà dixisse oportuit,* vt prius dixit Homerus. Ad distinctionem autem contumeliæ & iniuriæ, quam ex Nonio protulimus, pertinent hæ Eustathij notæ in versum Οδυσ.Α.

ὥστέ μοι ὑβριζόντες ὑπερβασίαλος δοκέουσι δαίνυσθαι, id est,
Vt qui mihi supra modum contumeliosè conuiuari videntur.

πάνυ κωμικολεκτικῶς εἶπεν. ὕβρις γὰρ οὐ μόνον ἡ ἐν λόγοις, ἀλλὰ καὶ ἡ κατὰ πᾶν ἔργον αἰσχρόν. ὑβρισταὶ γοῦν καὶ οἱ κωμολοχοῦντες. ὑβρισταὶ δὲ ὡς μάλιστα, καὶ οἱ αἰσχρεργοῦντες, οἱποῖοι καὶ οἱ μνησῆρες, id est, *admodum propriè Homerus est loquutus. nam contumelia non fit solùm dictis, sed quouis etiam facto turpi.* Et certè huic duplici notationi significatio vocis Græcæ potest respondere Latinæ *iniuria:* quòd hæc etiam fiat & verbis & factis. In hoc etiam exemplo Agrar.2. *Plus spectant homines, quàm contumeliam,* videtur vtrumque inesse, id est, contumeliam fieri Cn. Pompeio verbis atque rebus, eo sic contemto & despecto.

Teretis.] Sic Ode 4. lib.2. *Teretes suras,* & easdem tumentes Epod. 8. è quorum locorum collatione facilè perspicitur vis huius vocis *teres* tam pertinere ad habitum corporis & toros, quàm ad gracilem longitudinem & proceritatem, Gallicè, *long, droict, & rebondi, & bien faict potelé.* id est, succi plenum, & bene conformatum, quale dicitur, sub diuersa tamen figura, σῶμα τετράγωνον, & à Celso quadratum, quod neque gracile nimis, neque obesum sit. Geminatur lib.2. Satyr.7. cum *rotundus,* sed ὅλως, *totus teres atque rotundus,* pro viro bono ac forti, vt τετράγωνος ἀνὴρ lib.1. Ethicῶν Aristotelis.

Renodantis.] Pueri concubini comam alebant & in nodum colligebant, quod Martialis in pueri delicati pulcritudine requirit, vt *molles ei colla flagellent comæ:* vnde Synesius dixit pueros omnes esse Cynædos, qui comam nutrirent, quę illis tondebatur duabus de caussis: aut quum dominis ipsorum displicerent iam exoleti: aut quum vxores recens ductæ id munus exsequebantur, sicut idem Poeta scribit de nouo marito,

Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Ipsius autem vxoris maritus cuspide hastæ comam discriminabat: quo primæ nuptiæ significabantur hostiliter contractæ inter Sabinos & Romanos, vt scribit Plutarchus in Romulo, Ἔνιοι δὲ λέγουσι καὶ τὸ πῶλῳ κόμην τῆς γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίῳ, σύμβολον εἶναι τὸ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι. Leges alias causas in cap. eiusdem problematis suprà citati talis discriminationis.

Explicatio Rhetorica.

METrum est quibusdam dicolon & distrophon, cuius primus quisque versus est iambicus. Hipponactius trimeter, acatalecticus, qualis est *Ibu liburnis:* secundus verò quisque est Sapphicus constans penthemimeri Heroicâ & dimetro iambico, id est, duobus dactylis & syllaba. Deinde è quattuor iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo. Aliis autem est tricolon tristrophon, qui partiuntur secundum superiorem in duos: quorum prior est illa penthemimeris Heroica: alter est dimeter iambicus.

[a] Metaphora est à corpore ad animum, qualis est illa Terentij, *perculsit ilicò animum.* Idem retinebitur tropus vtrâuis lectione vel *perculsit* vel *percussit* vsus fueris: hac quidem, more Ciceronis Tusc.5. *quicquid animum probabilitate percussit, id dicimus.* illa verò, more Lucani lib.2. *At non magnanimi perculsit pectora Bruti tremor.*

[b] Anaphora est in repetitione eiusdem soni & vocis in principiis sententiarum.

c Nota est metaphora ab igne.

d Synecdoche partis pro toto anno.

e Sumtum est ab insanis & mente captis.

f Metaphora est ab homine ad plantas, pro, nudauit ter foliis arbores, id est, iam agitur tertius annus, ex quo desij deperire Inachiam. Simili tropo Virgil. vsus est Eclog. vlt.

Venit & agresti capitis Syluanus honore.

Et ipsemet Ode 10. lib. 2.

Non semper idem floribus est honos.

g Exclamatio est per commiserationem sui.

h Metonymia est adiuncti pro subiecto, contra mulierem lucrosam & quæstuosam, quod Cicero propriè diceret: bonitas ingenij sine re nihil valet ad mulierem à meretricio quæstu abducendam.

i Metonymia est effecti pro efficiente in verecundos, audaces & impudentes, qui sunt immodicè poti, propterea quòd verecundia solet vino cedere immodicè sumto.

k Synecdoche generis pro Libero patre.

l Similis tropus pro, è mente protulerat arcana.

m Metonymia materiæ, quâ concitatur animus ad iram, pro, si immoderatè succenseam. In *libera*, est alter modus eiusdem tropi, effecti pro ira efficiente vt quis liberè increpet vitia nullo maleuolentiæ metu; vel eadem celer, sine vlla spe beneuolentiæ.

n Allegoria est à Chirurgis, qui dolores corporis leniunt fomentis, calidis vel frigidis, siccis vel humidis, pro ratione morbi, ad ipsius querelas indicandas.

o Synecd. est generis pro riualibus potentioribus.

p Meton. est adiuncti pro, *ego depositio pudore desistam cum riualibus contendere de Inachia.*

q Metaph. à viatore inconsideratè iter ingresso.

r Anaph. est simul & exclamatio dolentis.

Epodi XII. In Anvm.

Theticum.

Aperitur hîc caussa & consilium, cur hæc anus & munera missitet, & literas diu multumque scriptitet ad Poetam.

Quid tibi vis a *mulier nigris dignissima barris?*
Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo iuueni, neq; b *naris obesæ?*
2 *Namque* c *sagacius vnus odoror,*
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis:
Quàm canis acer, vbi lateat sus.
3 *Quis sudor vietis & quàm malus vndiq; membris*
Crescit odor, quum pene soluto
d *Indomitam properat rabiem sedare: & nec illi*
Iam manet humida creta color q;
Stercore fucatus crocodili: 5 *iamq;* e *subando*
Tenta cubilia, tectaq; rumpit:
f *Vel, mea quum sæuis agitat fastidia verbis!*
g *Inachiâ langues minùs, ac me,*
Inachiam ter nocte potes: mihi semper ad vnum
Mollis h *opus.* 6 i *Pereat malè, quæ te*
Lesbia, quærenti k *taurum, monstrauit inertem!*
Quum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine l *nervus,*
Quàm noua collibus arbor inhæret:
7 *Muricibus Tyrijs* m *iteratæ vellera lanæ*
Cui properabantur? tibi nempe.
Ne foret æquales inter conuiua, magis quem
Diligeret n *mulier sua, quàm te.*
8 *O ego non felix! quam tu fugis, vt pauet acres*
Agna lupos, capreæq; leones.

Analysis Dialectica.

HOc carmen non cedit octauo huius libri fœditate & turpitudine. Eamque ob rem, Lector, oro te, vt mihi veniam huius interpretationis dare velis, qui statuerim nihil hic prætermittere inexplanatum, vel dictu minimè speciosum, fretus integritate & continentiâ animi tui, quarum virtutum præsidiis sic te septum ac munitum existimaui, vt nihil obscœnitatis posset illas expugnare. Verùm qui hanc anum esse Canidiam vel Gratidiam coniectârunt, rectè, mea quidem sententiâ, iudicârunt. Nam in vtráque Ode fœditas, & turpitudo vetulæ mulieris, & opulentia, & vorago quædam libidinis memorantur. Initiò autem fastidium Poetę proponitur è loco aduersorum, *quòd, quum immanis quædam & inexplebilis bellua sit Canidia, no. ei conueniat vir infirmus, exsuccus & exsanguis, itaque sib. bene consulto iustam esse causſam fastidiendi tale monstrum & ipsius munera.*

2 Superiorem dissensionem confirmat minorum collatione, *quòd fœtorem ipsius vnguento quamlibet nardino dissimulatum & obtectum indagare, odorari & distinguere sagacius possit, quam acerrimæ nares cuiusque canis aprum & in dumetis suem latentem.*

3 Protasis illustratur efficiente caussâ, *quòd agitatio Canidiæ sudantis iaciat de corpore sudanti fœtidum illum hircum tetrumq; odorem exspiret cute & ore.*

4 Ratio est è remotione causſæ materialis, vt Dialectici loquuntur, *quia vis & cretæ & vnguenti, quibus obtegebantur illa corporis vitia, colliquefacta est, & in rerum auram euanuit sudore; quam etiamsi tibi darem remansisse; tamen vbi sudor sese cum vnguentis consociauit, itidem illico olet, quasi quum simul multa iura diuersi saporis & odoris confundas.*

5 Ex effectis declaratur effrenata & rabiosa & dissoluta Canidiæ libido: quæ per querelas dilatantur comparatione maiorum, *quòd Inachia maiorem voluptatem à Poeta percipiat: quàm ipsa Canidia.*

6 Ex eodem loco effectorum exitium precatur Lenæ per Zelotypiam, quæ hunc inualidum & segnem amatorem in opus Venereum ipsi monstrauerit: quod itidem augerur maioribus: *quia alter ad manum aderat valentioribus & rigidioribus membris, quàm stat planta in collibus defixa.*

7 Ex eadem Categoria effectorum ratio est, quòd dibaphum ei contexeret, atque, nisi se spreuisset, donaret. Idque fine declarat comparatè, vt ita Poeta ornatus sibi præter cæteros conciliaret in sodalitatibus & accubationibus epularibus animos mulierum.

8 Hæc expostulatio demonstratur duplici similium collatione: *vt agna metuit lupos, & capreæ feros leones: sic Horatius me fugit.* Egregia verò & iusta fœdissimi scorti querela!

Enarra

Enarratio Grammatica.

Quid tibi.] Sic Terentius Act.1. Scen.1. Heaut. *quid vis tibi? aut quæris, ô Menedeme*, ait Chremes. Aptissima certè interrogatio contentionibus & reprehensionibus τῆς ἀπρεπείας, *indecori*, quod aliquando exprimitur verbo dicendi, & Græcè & Latinè, τί σὺ λέγεις; *quid tu dicis?*

Nigris barris.] De elephante lege Plinium, Aristotelem, & Solinum, ex cuius natura considerata quidam hîc coniiciunt Canidiam coitus auersi notari propter ipsius deformitatem & fœditatem. Elephas enim, vt Rhinoceros, Leo, Camelus, & complures belluæ fœminas ineunt auersi: alij autem propter magnitudinẽ genitalium elephanteorum dicunt hanc libidinosissimam mulierem dignam esse, quę non à viro, sed ab huiusmodi bellua ineatur.

Nigris.] Auctores citati ex subiecta regione diuidunt elephantes in Indicos & Africos, illi sunt his subrufis maiores & nigri.

Munera cur.] Legitur etiam, *Munera quid mihi* pro *cur*, quæ lectio illustrem facit sententiam tali epanaphorâ.

Tabellas.] Quidam interpretantur pugillares: ego verò literas amatorias.

Nec firmo iuueni.] Hic quinquagenarius dicitur iuuenis: hanc enim ætatem agebat, vt dicit Ode 1. lib. 4. *circa lustra decem.*

Obesæ.] Deflectitur ab obedo, quod est veluti circumrodo: vnde obesus significat circumrosum, macilentum & gracilem: sed nullum huius significationis exemplum Grammatici proferunt, præterquam quod Agell. profert lib.19.cap.7. è Næuij Alcesti, vbi propriè magis, quàm vsitatè & translatè dictum est corpus & pectus obesum pro exili, arq; gracili, lento: hodie, pro pingui & vberi ἀκμείως, καὶ κατ' ἀντίφρασιν: infinita contrà reperiuntur, pro pingui & toroso, & tanquam ad edendum facto. vt Sueton. accipit, *minus sunt solertes, quibus est obesissimus venter.* οἱ κορυζῶντες, ἢ οἱ τὰς κορύζης μεστοὶ τῶν ῥίνα, *quibus nares sunt oppletæ muco.*

Odoror sagaciùs.] Sic Cic. loquitur, sed translatè ad Attic. lib.6. Epist.4. *ego μυσικώτερον ad te scribam: tu sagaciùs odorabere.* & lib.13. Antonini odorare διάνοιαν.

Odoror.] Donat. in hunc versum 43. Act.3. Scen.3. Adelph. *priùs olfecissem quàm ille quicquam cœperit: totum*, inquit, *hoc ridiculè dictum: nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cuiusq; naribus nihil obiectum fuisset: nam ideo nares à naritate dictæ sunt, quòd nos odoratu doceant præstò & propè esse, quod adhuc oculi non vident:* quod etymum Festus confirmat definiens, *nares esse foramina nasi, per quæ odoris cuiusq; gnari simus*, & ego præfero illi Græco πρὸ ὄψε ῥῖνας per inuersionem literarum. Desideratur post hoc verbum particula dubitationis altera, vt sit sensus: ego solus & per me odoror acutiùs, vtrùm hæc anus laboret polypo, id est, fœtido narium morbo, an oleat hircum.

Polypus.] Polypus est vox Græca ἀπὸ τοῦ πολλῶν πόδων πολύπους, *à multitudine pedum*, quæ multis animalibus attribuitur, atque metri gratiâ πολύπους scribitur in prima syllaba: quamuis etiam reperiatur πόλυπος & pro pisce & pro morbo. Hunc autem sic Pollux definit: πολύπους δὲ σὰρξ ῥινὶ ἐμφυομένη, μυξώδης ὑγρὸν ἀφιεῖσα πρὸς ἀναπνοάς· *polypus est caro nari adnata mucosum humorem emittens, & respirationem obstruens.* Sed non potest melius, quid polypus sit, cognosci quàm ex lib.6. cap.8. Celsi, & è Galeno lib.3. κατὰ τόπους cap.3. Polypus, narium morbus, carnuncula est, modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret, & modò ad labra pendens, narem implet, modò retrò per id foramen, quà spiritus à naribus ad fauces descendit, adeò increscit, vti post vuam conspici possit, strangulatque hominem, maximè Austro & Euro flante, tereque mollis est, non dura: quo non potest anima conseruari pura, sed terrimè illo morbo laborantibus sæpiùs fœtet: vnde Martial. lib. 12. in Nasutum:

Nasutus nimiùm cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

De hirco vide Epod.10.

Vietus.] Vietus est contractus, flaccidus, languidus, marcidus: quod Gaza in Catone maiore, πάρεσις, διάπτωσις vertit, *solutus & caducus:* De voce *vietus* lege Donatum in hunc versum Act.4. Scen.4. Eunuch. *hic est vetus, vietus, veternosus senex.* Deflectitur autem hæc vox à *viere*, quod est Festo alligare & Nonio inflectere & vincire: vnde illud Varronis lib.1. de re Rustica, *vt habeam vimina in viendo:* hinc etiam vietores cupparij, qui cuppas farciunt, ac vinciunt: vietalia quoque dicuntur, quæcunque sic lenta sunt, vt commodè & facilè, quò velis, flectantur & sequantur.

Pene soluto.] Id est, genitali remisso, eneruato.

Cretæ.] Hoc genus terræ valet ad cutim candefaciendam & fucandam, vt Cerussa, quo modo dicit Martialis lib.6.

Psilothro nitet, aut acidâ latet oblita cretâ.

Stercore fucatus.] Afferunt locum Paulli Aeginetæ, vbi dicitur stercore crocodili terrestris & fimo porrigine & furfures abstergeri: quod Clemens Alexandrinus obijciebat mulieribus ætatis suæ, quas videret crocodilorum stercoribus vtentes, & spumis rerum putrium sese vngentes, & supercilia fuligine denigrantes, & cerussâ malas candefacientes. Est lib.2. Epigram. c.9. in anum fucatam Epigramma:

Τῶ κεφαλῶ βάπτεις, γῦρες δὲ σὸν οὔποτε βάπτεις,
Οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ὀκτανύσεις.
Μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἄπαν ψιμύθῳ καλύπτε,
Ὥστε πρόσωπόν, καὶ χὠ πρόσωπον ἔχειν
Οὐδὲν γὰρ πλέον ἔσσῃ· τὶ μαίνεαι; οὔποτε φῦκος
Καὶ ψίμυθος τὰξει τῶ Ἑκαβῶ Ἑλένῳ.

Caput quidem imbuis, canos fuscas: sed tuam senectutem nunquam tinges: nec rugas malarum explanabis. Ne faciem, velut cerussâ, oblinas, & laruam pro natiua facie habeas: nihilo enim plus tibi erit. Quid insanis? (*nunquam fucus:* de quo fuit Ode quinta libri tertij) *& cerussa ex Hecuba faciet Helenam*, id est, è vetula puellam. Quomodo autem ab hac curiosa fucandi & colorandi corporis consuetudine Ischomachus vxorem retraxerit, legatur Oeconomicum Xenophontis sub medium libri ad verba, ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, ἰδών ποτε αὐτὴν, ὦ Σώκρατες, ἐν πειμάτιον πολλῷ μὲν ψιμυθίῳ, ὅπως λευκοτέρα ἔτι δοκοίη εἶναι, ἢ ἦν· πολλῇ δὲ ἐγχύσει, ὅπως ἐρυθροτέρα φαίνοιτο τῆς ἀληθείας, &c. id est, *Quum igitur, narrat Ischomachus Socrati, conspicatus essem vxorem meam aliquando multum infricasse sibi cerussæ, vt candidior etiam videretur, quàm esset: multum item rubricæ, vt rubicundior, quàm reuerâ esset, appareret, &c.* Ibi tandem maritus affirmat Socrati, vxorem nihil post admonitionem instituisse eiusce modi, sed eam semet exhibuisse ipsi puram ac decenter ornatam. Est Martialis Epigramma lib.2. in Maximinam impudentiæ non huic dissimilis vetulam, interpolem & libidinosam, quâ exemplis cuiusdam Fabullę ac Sabellę reuocat à curiosa interpolatione: *Quàm cretata timet Fabulla nimbum,*
Cerussata timet Sabella Solem!
Creta enim abluitur pluuiâ: cerussa calefacta torret. Idẽ in quemdam, qui capillum sibi tingebat, quo minus appareret senex:

Non omnes fallis. Scit te Proserpina canum
Personam capiti detrahet illa tuo.

Fuit ſemper κομμωτικὴ, id eſt ars comptoria, quæ fuco adſcitiam pulchritudinem inducit, apud laudatiſsimas quasq; gentes, viris præcipuè probroſa: ad id probandum, Plutarchus citari poteſt, qui narret quendam tincturâ capillorum ſuperbientem magiſtratu motum à Philippo Rege Macedonum σοὶ γναμικῷ ὑποφθέγματι, *non ſperandam in rebus gerendis integritatem ab eo, qui capillis etiam fucum prætenderet.* Talem κόμωσιν καὶ τὸν ἄλλον καλλωπισμὸν exſecrabatur ſuâ ætate Ouidius vel in iuuenibus ipſis, *Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti:*

Finè coli modico forma virilis amat.

Perfaceta deſcriptio eſt alîus vetulæ in Moſtel. Plaut. Act. 4. quò te remitto.

Tenta.] Subſtantiuè hîc à quibuſdam vſurpatur flexum à *tendo, tentum*, mentula erecta, & penis tentus, quo Catullus vtitur ad Gelliam:

Neſcio quid certè eſt, an verè fama ſuſurrat
Grandia te medÿ tenta vorare viri?

Non ſatis tamen intelligo ex vſitata & conſentiente codicum diſtinctione, vtrùm hæc vox *tenta* debeat ita ſumi. Nam cubilia tenta poſſunt accipi pro lectis tenſis vi funium & faſciolarum, & tecta pro ſtragulis lectorum, quod vtrumque veriùs dicitur agitatione rumpi, quàm mentula, quæ faſtidio anus relangueſcere putatur. Itaque videtur τὸ *tenta* ὀπτικῶς ſumendum.

Vel mea quum.] Ellipſis alterius diſiunctionis *vel* cognoſcitur ex hac fuiſſe in ſuperiori colo: *creſcit odor, vel quum pene ſoluto, &c.* In cuiuſmodi geminatione conuinctionum prior à Grammaticis dicitur ſuſpenſiua. *Mea faſtidia* hîc accipio propriè, vt ſenſus ſit: Iraſcitur mihi grauiter, quòd ipſius titillationes & agitationes faſtidiam, non translatè, ſicut alij ad penem referentes.

Ac me.] Hæc conuinctio, *ac* & *atque* reperitur quidem eleganter ſubiici his vocibus collationem indicantibus; *alius, aliter, ſimilis, par, perinde, contrà, iuxtà, ſecus*, quorum exempla paſsim occurrunt: ſed comparatiuis ſubnecti, non tam eleganter, vt quibuſdam videtur, reperitur pro *quàm* electionis vel diſcretionis conuinctione, vt hoc loco ſumitur, & aliis in locis huius Poetæ, cuiuſmodi eſt in Sat. 5. lib. 1. ad verſum: *Hoc iter eſt vnum præcinctis altius, ac nos.* Quò libet aggregare illud Terentij in And. Act. 4. Sc. 2. *Non Apollinis magis verum, atq; hoc, reſponſum eſt.* Item hæc Ciceronis: *amicior mihi nullus viuit, atq; is eſt.* Ibidem: *Mihi quidem videtur diutiùs futurus, ac vellem:* & Epod. 15. *arctiùs atque edera.*

Ter nocte.] Ellipſis eſt verbi *permolere*, vt Sat. 2. li. 1. loquetur, vel cognoſcere vel inire, verecundiæ cauſsâ.

Pereat.] Hæc imprecationis formula exprimitur Græcè: ὑποφθείροιτο, ἢ ἐς κόρακας ἀφαρπάζοιτο ὀκεῖνος, id eſt Terentio: *abeat in malam crucem ille.*

Taurum.] Ariſtot. l. 5. Hiſt. anim. ſcribit, quemadmodum vaccæ non patiantur ſe à tauris iniri, propter rigorem genitalis & nimiam tentiginem, ſed clunibus ſubiectis recipere genitale ſemen.

Cous.] Cos inſula ponitur à Mela in Caria & à Strabone numeratur inter Cycladas lib. 10. Eſt illic etiam vrbs eiuſdem nominis ampliſsima & pulcerrima.

Quàm te.] Exple ellipſin, ego diligo Horatium.

Quam tu fugis.] Exple alteram comparationis notam, ita fugis, vt pauet agna lupos acres. Sed pro, ὦ *ego non felix*, Græci dicunt, vt Odyſſ. 4. Οὐ μοὶ ἐγὼ δειλός.

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt ſimile 7. Ode lib. 1.

[a] Synecd. eſt generis pro Canidia, cuius nomen conſultò obticetur, vt vitium illius occultius fiat, ad quod hic tropus valdè eſt accommodatus: Epodis tamen 5. nominatim notatur, contrà ſupprimitur, 8.

[b] Duplex tropus eſt: Metonymia inſtrumenti, id eſt, cauſſæ pro effecto, odoratu acri, & ſynecdoche ſpeciei pro genere, homini ſenſibus non obtuſis, nec iudicio hebeti. Opponuntur autem *obeſæ nari*, hęc: *Homo naris acutæ & emunctæ*, id eſt, prudens, ſolers, quale eſt illud Martialis lib. 1.

Maiores nuſquam ronchi, iuuenesq; ſeneſq;,
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

id eſt: ſunt prudentes & ſagaces: &, homo naris obeſæ vel obtuſæ vel mucoſæ, id eſt, hebes & ſtupidus. Hæc ſunt etiam relata inter prouerbia. Ita naris tropicῶς vſurpatur ab Hebræis, Pſalm. 86. v. 15. ſumto è 34. Exod. ארך אפים *Ered appaim, longus narib.* dicitur Deus, id eſt, tardus ad iras, lenis, ſapiens, temperatus: contrà Prouerb. 14. verſ. 17. קצר אפים *ketſar appaim* dicitur ſtultus *breuibus naribus*, promtus ad iras, immitis, temerarius, inconſideratus. Hoc autē nititur Phyſicâ ratione. Nam ſpiritus animales acceptâ iniuriâ non facilè incenduntur irâ, dum naribus moderatè patulis, quaſi modicis feneſtellis aere frigido ac puro inſpirantur. Contrà euenit iiſdem preſsis, coryzâ laborantibus atque ſemiliberis. Sic Græci dicunt ſagaces, δ' εινας, his contrarios ἄρρινας, Galli, *qui ont bon nez, &, qui n'ont point de nez.* Ita Heſychius definit τὸν βυκόρυζον ἢ κορυζῶντα, ὡς ἀναίσθητον, ἀσύνετον, πλάνητον δὲ, μεμωραμμένον· *ſenſu carentem & intellectu, ſtolidum deniq; & ſtultum.* Vox autem Latina *nares*, dicta videtur Iſidoro à *manare*, quòd per eas odor & ſpiritus manant, vnde gnari ſimus & monemur.

[c] Allegoria eſt è metaphoris à venatione.

[d] Allegoria altera ab equis furentibus pro libidine inſatiabili & effrænata.

[e] Metaphora eſt à ſuibus immundiſsimis, & libidinis ardentiſsimæ. Simili tropo Græci vocant καπριῶσαν γυναῖκα τὴν ὀργῶσαν πρὸς μίξεις, *mulierem ad coitum procliuem:* ſicut Ariſtoph. in Pluto, χαὸς καπρώσης τὴν ἀφροδίτα καπηδίαν, *vetulæ ſubantis*, id eſt, *libidine prurientis viaticum comedere*, licet propriè τὸ καπρᾶν, de apris dicatur, vt ταυρᾶν, de tauris admiſſuram appetentibus.

[f] Quidam eſt ſubobſcurus ad proſopopœiam acceſſus, vbi Poeta inducit Canidiam ſecum loquentem & querentem.

[g] Polyptoton huius vocis variè cadentis.

[h] Synecdoche eſt generis pro, πρὸς μίαν ὀχείαν *ad vnam conſuetudinem.*

[i] Exclamatio eſt anus imprecantis lenæ, quæ primùm ipſi indicauit Horatium tam languidum.

[k] Metaphora è re paſtoritia & præcipuè armentaria, quum tauri dicuntur ἀπημαλεῖν, id eſt, faſtidire gregem vaccarum, à quarum paſcuis & conuictu ſecedunt: de quo lege lib. 6. de Hiſtoria animalium apud Ariſtotelem & prouerbium, *abiit taurus in ſyluam.* Sic notatur fœmina tauri, i. mariti neglectu in Lyſiſtrata comœd. Ariſtophanis,

Οἶκοι δὲ ταυρώπη διάξω τὸν βίον, id eſt,

Domi degam vitam cælebs ac coniugÿ expers. pro violentiſsimo & mentulatiſsimo iuuene, quem Græci dicunt μονόκελον. quæſiuiſti mihi inualidū & eneruatum.

[l] Synecdoche quoque generis pro pene & mentula, vt Epod. 8. dictum eſt. Complures enim ſunt in corpore nerui.

[m] Synecdochica eſt periphraſis dibaphi, id eſt, veſtis bis purpurâ infectæ, quæ dicitur aliis accubatoria, conuiualis & cænatoria, ac velut nuptialis: ſed de dibapho vide Ode 16. li. 2. vt de murice.

[n] Synecdochicῶς quoque dicitur pro amica ſua.

[o] Exclamatio deplorantis ſuam miſeriam, quòd ab Horatio repudietur, ita tamen, vt illum allicere in amorem videatur.

EPO-

EPODI XIII. AD AMICOS.

Theticum.

Quòd captanda sit occasio hilariter viuendi, curis abactis, dum fert ætas iuuenilis.

[a] *Horrida tempestas* [b] *cælum contraxit: & imbres*
Niuesq; deducunt Iouem.
Nunc mare, nunc sylvæ
Threicio Aquilone sonant: rapiamus amici
Occasionem de die:
[2] *Dumq;* [c] *virent genua,*
Et decet, ob ductâ soluatur fronte [d] *senectus.*
[3] [e] *Tu vina* [f] *Torquato move*
Consule pressa meo:
[4] *Cætera mitte loqui: Deus hæc fortasse benignâ*
Reducet in [g] *sedem vice.*
Nunc & Achæmeniâ
Perfundi [h] *nardo iuuat, &* [i] *fide Cylleneâ*
Leuare diris pectora
Sollicitudinibus:
[k] *Nobilis vt grandi cecinit* [l] *Centaurus alumno:*
[5] *Inuicte mortalis, Deâ*
[m] *Nate puer Thetide,*
Te manet [m] *Asarici tellus: quam frigida parui*
Finduni Scamandri flumina,
Lubricus & Simois.
Vndè tibi reditum certo subtemine Parcæ
[n] *Rupêre: nec* [o] *mater domum*
Cærula te reuehet.
Illic omne malum vino cantuq; leuato
Deformis ægrimoniæ
Dulcibus alloquiis.
Talia, qualem sæpè nos
Poëtæ ludimus circa
Mensam amœnam.

Analysis Dialectica.

NOn admodum dissimili argumento fuit Ode 9. lib. 1. ad Thaliarchum. Explicatur autem præsens Theticum ex variis adiunctis: quibus Poeta & ipsius sodales debeant inuitari ad vitam hilarem & lætam, ac primùm, quòd cælum adeò sit nebulosum & caliginosum, niuibus ac nubibus grauidum, Aquilone sonorum, vt videatur in terram descendere, & animalia obruere velle.

2 Ex eodem fonte est hæc ratio, vt dum ætas & integræ vires adsunt, demus nos iucunditati, quod vers. ille 11. Odes lib. 2. confirmat.

Fugit retrò lævis iuuentus & decor.

Deducamus nos igitur ab omni tristitia ad hilaritatẽ.

3 Argumentum est è causis efficientibus, quòd vinum vetus & generosum sit medicina tristitiæ & sollicitudinis præsentissima.

4 Puer, quòd moram interponeret expromendi vinum ex apotheca, reprehenditur ex adiuncta Dei benignitate, qui res domesticas & turbatas componet. Interim sic herus vult se oblectare nardo Persicâ, & Musicâ, & solicitudines hoc modo leuare, vt Chiron docebat alumnum suum Achillem vino & cantu, quæ sunt dulcia deformis ægrimoniæ solatia, fatum ipsius durum moderari & lenire. Protasis huius similitudinis est secunda, & hoc vno versu contenta, *Nobilis, &c.* Apodosis verò antecedit quattuor proximis antè primis versibus comprehensa.

5 Chiron Centaurus cohortatur Achillẽ ad casum fatalem vini & cantus solatio leniendum è loco diuersorum: *Parcæ non sinent te, ô Achilles, in patriam redire: Nec Thetis mater tua domum reducet: sed morieris in solo Troiano ad Scamandrum & Simoentem flumina.* Partes autem huius diuersitatis enunciantur inuersè & dissimiliter à Poeta, atque à nobis, quod consultò factum est, vt vis argumenti certior esset. *Cantuq;.*] Præcipuus autem Musices vsus olim fuit in Conuiuiis quæ vocis contentione, ac fidium pulsatione exercebatur, atque quo habita fuerit loco, Themistocles nobis testimonio est, qui iussus à quodam *ad Myrtum canere*: de quo Prouerbio lege Chiliadas Erasmi. Hoc etiam nomine commendatur Hieron à Pindaro Εἰσὶ· Α. Ολυμπ. ᾱ πυθ. α.

Α᾽γλαΐζεται δὲ καὶ
μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ
θία παίζομεν φίλαι
Α᾽νδρες ἀμφὶ δαμὰ
τράπεζα, id est,
Floret peritia Musices

Enarratio Grammatica.

HOrrida.] Non arbitror hîc designari Homericam illam tempestatẽ, quâ & procellâ & turbine Neptunus Odyss. e. quassauit Vlyssem, sed tempus hybernũ, quod gelu, nimbis, imbribus frigidis, niuibus, glacie horrescit, quale describitur ab Anacreonte: μεῖς μὲν δὴ Ποσειδήϊον ἔσηκε· νεφελαὶ δ᾽ ὕδατι βαφιῶν). Α᾽γριοι δὲ χειμῶνες παταγέσιν· *Mensis autem Nouember instat: nubes grauidæ pluuiâ sunt, venti perstrepunt.* Huiusmodi autem affectionẽ hyemis præ se ferunt Græcæ & Latinæ appellationes. Nam χειμὼν & à quo fluit χεῖμα ἀπὸ τὸ χέειν, *à fundẽdo* deflectitur, quòd largas pluuias fundat, sicut hyems παρὰ τὸ ὕειν *à pluendo*, vnde sunt illę attributiones; χεῖμα ὀμβρυῶδες καὶ ὑδαλπὲς, *hyems imbrifera, frigida & calfactu difficilis.* Varro tamẽ videtur deflectere *hiems* ab *himbre* & hoc ab *humo*: vnde quidam scribunt vtrumq; per aspirationem & i *hiems* & *himber*: quam quidem scripturam alterũ, quod addit lib. 5. ab *hiando*, etymon confirmat: *tum enim*, inquit, *anima quæ efflatur, omnino apparet.* Quid autem imber à pluuia discreper, vide Ode 9. lib. 2.

Tempestas cõtraxit.] Gall. *Elle a espessi l'air de grosses nuées.* Nam quum facies cæli niuibus obducitur, tristitiam quandam videtur præ se ferre, more hominum frontem contrahentium.

Niuesq;.] Vide Aristot. de mundo & in Meteoris & Suidam, vel citiùs, quę annotata sunt in Gramm. Odes 2. lib. 1. quomodo gignatur nix.

Silvæ.] Dissoluitur vna syllaba in duas per diæresin, sicut 23. Od. l. 1. *ventorum & sylvæ metu*, vt dictum est.

Threicio.] De Aquilone fuit Ode 3. l. 1. Præterea Od. 25. l. 1. Ille formatione Latinâ appellatur

Thracio bacchante magis sub inter-
Lunia vento.

Credita est veteribus Thracia velut τὸ ἐργαστήριον ἢ οἰκητήριον τῶν ἀνέμων· *Officina & domicilium ventorum.* Homerus Iliad. ι. Ω᾽ς δ᾽ ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα
Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρήκηθεν ἄητον
Ε᾽λθόντ᾽ ἐξαπίνης·
Quemadmodum autem duo venti mare concitant piscosum Boreas & Zephyrus, qui è Thracia spirant ruentes repente.

Rapiamus.] Quia occasio est præceps, ideoq; definitur opportunitas temporis casu proueniens, vel, vt à Cic. l. 1. de Inuent. *Occasio autem est pars temporis habens in se ali-*

cuius rei idoneam faciendæ, aut non faciendæ opportunitatem. De occasione sic Polyb.li.9. κραίει ϑ' ὅτι πάντων μὲν τῶν ἀνθρωπίνων ὁ καιρὸς, μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν, i. *valet autem in omnib. humanis rebus, & pollet occasio, sed maxime in bellicis.* Idem sentit Vegetius li.3.c.26.occasio solet in bello amplius iuuare, quàm virtus, scil. militaris & Martia. Huius autem arripiendę exemplum habes perappositum in Panegyrico Isocratis, ad quod diligenter expendendum te remitto. De vi quoque occasionis sic Pindar.

Καιρὸς παντὸς ἐν χορυφῇσι, id est, *in omni negotio tenet principem locum occasio.* Occasio neglecta perniciosa, vt in 10. Virginib. Matt. 25. apparet, vnde D. Paul. 2. epist. c. 6. Corinthios vrget ad resipiscentiam. *Sic enim ἐυκαιρίαν appellemus*, ait etiam Cic. l. 3. de fin. De hac vide plura in Prouerbio: *Nosce tempus.* ἐκφεύγει γὰρ τ' ἀμελέμενον, *effugit enim, quod negligitur.* Itaque quum

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus,
Ipsi viuamus, dum licet, estq; bene.

Appositè ad festinationem verbo *rapiendi* vsus est, quo celeres animi motus pronunciatur, *rapi cupiditate, furore* & similibus aliis perturbationibus. Sic Virgil. *illum in præceps rapit.* & Terentius: *Sublimem hinc intrò rape, Trousse le moy soudain la dedans* De festinatione tẽporis arripiendi & occasionis in fine Odes 8. l. 3. ita monet Mæcenatem: *Dona præsentis rape lætus horæ &*

—Linque seuera.

Dumq; virent.] Hoc videtur sumtũ ex Idyl. 16. Theoc.

Ποιεῖν τι δεῖ, οἷς γόνυ χλωρὸν, ὅ δὴ δεινῶς ῥωμαλέον *facere aliquid eos decet, quibus genua virent.* ἐφ' ὧν γόνατα χλοῶντα, i. *interea dum vires sunt integræ, firmæ & robustæ.* Enimuerò, Lector, quicunq; Euangelij luce caruerunt, summam hominis felicitatem in iucunditate præsentis vitæ posuerunt, quòd illorum opinione nulla post ipsius interitum altera esset futura. Itaq; frequẽtes sunt in eorum libris cohortationes ad hilariter viuendum & ad voluptates perfruendas, dum vsura præsentis lucis hominibus datur: qualem mihi suppeditauit Theognis, quem ego interpretabar iterum Hurali hospitaliis fratribus, quum hanc enarrationem adornarem: sic enim ille: Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὁπποτε γαῖα καλύψῃ

Εἴσ τ' Ἔρεβος ταχέως δῶμα Περσεφόνης,
Τέρπεται, οὔτε λύρης, οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων,
Οὔτε Διονύσου δῶρ' ἐπιειγόμενος.
Τοῦτ' ἐσορῶν κραδίῃ τὸ πάσομαι ὄφρά τ' ἐλαφρὸς
Γένωμαι κεφαλῇ ἀθρόα πεσφέρων. *Nullus hominum, vbi tandem opertus humo in Erebum descendit & in domum Proserpinæ, delectatur, neq; lyra, neq; tibiæ sono, neq; muneribus Bacchi sublatus. His perspectis probè Genio indulgebo, tantisper dum leuia genua & intrepidum caput efferam.*

Fronte obductâ.] Tristitia pellatur ex obducto & seuero vultu.

Torquato.] De hoc vide Oden 21. l. 3. ad amphoram.

Moue.] Mouere vina est illa depromere è cella vel ex apotheca proferre, vbi recondita fuerant anno Consulatus L. Manlij Torquati, vt ibidem notatur.

Cætera mitte.] Omitte vel potiùs remitte loqui de cęteris. Sic enim Donat. hoc coniunctũ exponit per simplex Act. 5. Sc. 1. And. v. 8. *remitte iam me onerare iniuriis*, pro, *mitte:* de quo vide notas in Oden vlt. l. 1. Mitte, inquam, tristes alias rei domesticæ solicitudines, quam Deus benigna & gratâ vice meliùs restituet, & in hunc vnum conuiuij apparatum incumbe.

In sedem.] Hic τὸ *sedes* valet firmum & stabilem rei statum, quemadmodum Cic. dicit pro Archia: *sedem omniũ rerum & fortunarum suarum Romæ collocauit.* Sic quoque Suet. in Oct. c. 28. *Rempublicam sistere in sua sede liceat.*

Achæmeniâ.] Hic Achæmenes rex fuit Persarũ & Assyriorum: de quo fuit Od. 1. l. 3. & Herodotus l. 4.

Nardo.] Plin. l. 12. c. 12. sic de nardo scribit: *de folio nardi plura dicere par est, vt principali in vnguentis. Frutex est*, vt Costus lib. 3. Od. 1. graui & crassâ radice.

Cylleneâ.] Mercuriali lyrâ vel Arcadicâ. Fuit autem Cyllene Mercurij auia.

Alumno grandi.] Id est, Achilli magis genere, exspectatione, & ingenio, quàm ætate, cui sępius hoc epithetũ tribuitur. Prętereà παιδικῶς sumitur *alumnus*, qui alitur.

Inuicte.] Consentit Poeta cum historicis, qui narrant Achillem non à Paride, sed ab Apolline interfectum. De hoc tamen sic Virgil. 6. Aeneid. v. 56. Aeneam inducit loquentem:

Phœbe, graues Troiæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusq;
Corpus in Aeacidæ, &c.

Te manet.] Te exspectat, tibiq; debetur, vt sæpè alibi.

Assaraci.] Assaracus, vt Ilus & Ganymedes filij fuerũt Trois Erichthonij, & hic Dardani, & hic Iouis. Assaracus autem habuit filium Capyn patrem Anchisæ, & Ilus Laomedonta, & hic Priamum.

Scamandri.] Scamãdrus & Simois flumina sunt Troiæ, quò deciderunt multa scuta, multæq; cassides Iliad. μ. Scamander autem dicitur ἀπὸ τοῦ κάμαλον, à labore, quo Hercules, porâ ipsius aquâ, creditur leuatus.

Vnde tibi.] Quod hìc tribuitur Parcis, Virg. l. 10. ver. 435. Æneid Fortunæ tribuit.

Egregij formâ. sed quels Fortuna negauit
In patriam reditus.

Subtemine.] Subtemen est filum stamini subtextum & subiens, quasi substamen, quod sumitur ad τὸ *trama* definiendũ, vt trama sit subtemen & filum transmeans stamen, vel Phrygium vestimentum è Seruio & Varrone, quod etymum expungit τὸ *g* a verbo *subtexo* vel *subtego* velut profectum: malim tamen scribere *substamen*, propiùs etymo, quod Græci dicunt κροκίδα, quo Terentius vtitur in Heaut. Act. 2. Sc. 3. *anus subtemen nebat.*

Illic.] Id est, in tellure Troiana.

Agrimoniæ.] Ab æger deflectuntur duo; ægrimonia & ægritudo. Plaut. *Abscedat hæc à me ægrimonia, quæ ie soie allege de ceste ennui & de ceste douleur.*

Vino cantuq;, dulcibus alloquiis.] Dicuntur ἐπῳδικῶς, i. per appositionem Grãmaticam, quòd vinum & cantus sint γλυκέα παραμύθια ægritudinis *dulcia solatia*, & ita sumantur alloquia Latinè, vt Græcè παρηγορία καὶ παραμυθία pro solatiis, sicut verba παραμυθεῖσθαι καὶ παρηγορεῖν, pro alloqui & cõsolari: sic Senec. in Troade: *Alios parẽtes alloqui in luctu decet:* sic aliquẽ solari allocutione Catulli.

Explicatio Rhetorica.

METrum est tricolon, tristrophon: primus quisq; versus est Heroicus, hexameter, catalecticus. Secundus è quatuor iambis, recepto tamẽ in locis imparib. etiam spondeo. Tertius è duob. dactylis & syllaba.

[a] Meton. est effecti pro efficiente & incutiente horrorem. [b] Altera est meton. sed subiecti pro aere in nubes collecto. Contraria est in *Iouem* adiuncti pro subiecto cælo & aere: qualis est 7. Eclog.

Iuppiter & læto descendet plurimus imbre.

Sic Plato loquitur: ἐκ Διὸς ὕδατα, pro *pluuiales aquæ* & καταβάτης Ζεύς, quod Latinè vertitur: *Elicius Iupiter:* sic quoq; καταλλάττειν ἐκ Διὸς εἰς γῆν· id est, *ex aere in terram descendere.*

[c] Metaph. est à plantis. Propriè enim dicitur, *viret omne nemus.* Hic: pro, dum integræ & prævalidæ sunt corporis vires, quod moles corporis in genua tanquam in fulcra & columnas incumbat.

[d] Metonymia est subiecti pro tristitia & seueritate morosa huic ætati tributa. Pellatur ergo tristitia & frons contracta exporrigatur.

[c] Apo-

e Apostrophe est ad puerum de vino promendo.

f Sæpè iam notata est hæc ratio metonymiæ, vbi è Consule significatur tempus reconditi vini.

g Metaph. est à rebus è proprio loco deturbatis & afflictis, pro, restituet in meliorem statũ rem familiarẽ.

h Metonymia materiæ pro vnguento inde confecto, & ab Achæmene rege vel inuento vel sæpè adhibito lætis conuiuiis.

i Synecdoche generis pro lyra Mercurij: de quo vide Oden 10. lib. 1. abundè.

k Prosopopœia est Chironis, qui inducitur alloquutus Achillem.

l Synecdoche generis, pro Chirone Centauro, cuius pater memoratur Saturnus è Philyra, vel, ex sententia Lactantij, è Pelopea, de quo Apoll. 2. Argon. Huic traditi sunt in disciplinam & educationem Æsculapius, Hercules & Iason: de quibus vide Pindarum ὠδ. γ. καὶ δ. Πυθ. Item Hesiodum in Theogonia: item Pindarum de Achille, ὠδ. γ. Nem.

m Synecdoche est periphrastica Achillis. In *tellus Assaraci* similis est tropus pro solo Troiano.

n Metaphora est à nentibus Parcis.

o Synecdoche est generis pro Thetide Dea marina, ideoque cærulea.

Epodi XIV. Ad Mæcenatem.

Theticum.

Quòd impeditus amore nequeat promissos perficere iambos.

Mollis inertia cur tantam[a] diffuderit imis
Obliuionem[b] sensibus,
[c] Pocula Lethæos vt si ducentia somnos
Arente fauce traxerim:
Candide Mæcenas occidis sæpè rogando.
[2] Deus, [d] Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad[e] vmbilicum adducere.
[3] Non aliter Samio dicunt[f] arsisse Batyllo
Anacreonta Teium:
Qui persæpè cauâ testudine fleuit[g] amorem,
Non elaboratum ad pedem.
[f] Vreris ipse miser. [4] Quòd si non pulcrior[h] ignis
[f] Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tuâ: me[i] Libertina neque vno
Contenta Phryne macerat.

Analysis Dialectica.

VNdecimum huius libri carmen non dissimilem huic de remissione scriptionis habuit querelã: quòd animus Poetæ libidini deditus & amore impeditus scribere versus nequiret. Initiò autem præsentium Epodõn repetitur odiosa percõtatio Męcenatis de obliuione scriptionis è similiũ collatione: quòd vt pocula soporifero papauere infecta somnum inducunt obliuiosum: ita otium inertissimum ac desidiosissimum obruit illi & deleuit obliuione studium versus iambicos faciendi.

2 Ad confirmationẽ apodoseos profert argumentum è loco efficientium, non quarumlibet, sed earum quidem, quæ vi & necessitate premunt: quòd Cupidine Deo & potentissimo inertiæ suæ auctore vetetur, quò minùs inceptos iambos & promissos absoluat, postremamq; manum his imponat. Hunc remotiuum causſæ statum Donatus in Terentium vocat *μεπάλημμ*, quum culpa facti in alterum, vt hic in amorem, transfertur.

3 Poeta veritus, ne libera huius causſę confessio sibi vitio libidinis & intemperãtiæ verteretur, cui, vt hosti acerrimo, debuerat constanter obsistere continentiâ; impotentiam animi sui gemino exemplo, per similitudinem tractato, tuetur. *Ita*, inquit, *Anacreon Lyricus Poeta perfectâ scriptione prohibitus fuit ab amore in Batyllum puerũ: ita tu ipse reuocaris sæpe à negotiis & priuatis & publicis amore Terentiæ: vt ego nunc distringor formosæ Phrynes amore.*

4 Apodosis secunda de Mæcenate paribus augetur: quòd Terentia venustate certare cum Helena possit, quâ Mæcenas & se & animum suum, tanquam optimâ sorte, debeat oblectare, cæterisq; concedere, vt ipsi amicis liberè fruantur. Quod in Libertina sumatur pro amica Horatij, non pro epithero Phrynes, cui illa par sit libidinis impotentiâ, etiunt altera paria inter amicam & Phrynem: quibus æqua sit pars libidinosæ intemperantiæ, atq; tum interpretamur Libertina existens altera Phryne, non contenta vno amatore. Seneca tamẽ scribit inter Mæcenatem & Terentiam sæpè lites vel rixas propter morositatem & importunitatem mulieris incidisse: cuius rei gratiâ Mæcenas toties iocosè dicebatur vxorem duxisse, quoties cum ea in gratiam rediisset, idque millies fecisse.

Enarratio Grammatica.

Mollis.] Si Poeta illud Euripid. secum reputasset: Ῥᾳθυμία δὲ πῶς παρευτύχ' ἥδονὴ

Λαβοῦσα, λύπας τῷ χρόνῳ πλεῖστ' φιλῶ· *Desidia præsenti voluptati dedita tristitiam postea parere solet: atq; adeò sæpe fit, vt ignauia magnorum ingeniorum.* longè aliter apraxiam suam dissimulasset, aut excusasset. Cic. epistolâ 10 li. 8. ad famil. videtur distinguere sic *negligentiam* & *inertiam*, vt illa referatur ad voluntatẽ, hæc ad inscientiam: ita prior, quæ est ignauia, parit inertiam, hoc est, agendi inscientiam, vt ipse auctor Epist. 20. l. 12. *Lacessam, nec tua ignauia etiam inertiam afferet*: quæ sic inducitur à sapiente Psello de se loquens, Οὐ πώποτε ἔσπιον ἀνεσκαμμένῳ,

Ἀεὶ γὰρ ὑπνῶ, κἀπιλῶ χάσμῳ μόνῳ, i.

Nunquam ego tropheum erexi.

Semper enim dormio, & solâ delector oscitatione.

Pocula.] Τὰ πνοπικὰ φάρμακα Plin. interpretatur *somnifica medicamẽta*, & Ouid. *ὑπνοφόρα, somnifera venena*: sed apriùs ad hunc locum *ἀείνυπτα*. Virgilius *homines Lethæo perfundentia somno*. Insignis autem est locus de somnifero poculo Odyss. δ. quod Helena dicitur miscuisse marito & Telemacho hospiti ad hilaritatem:

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον

Νηπενθὲς τ' ἄχολόν τε κακῶν ὀπίλησιν ἁπάντων·

Statim in vinum effudit medicamentũ, hinc bibebant, quod luctum & iram abstergit, malorumq; omniũ obliuionem inducit. quod Lucian. de saltatione Homerũ appellãs dicit: φάρμακον Λυδίδιον. Ratio autem huius vocis *lethum* est Od. 28. l. 1. Sed vide præterea fabulâ Lethes, obliuionis fluuij apud Inferos 6. Aen. —*Lethæi ad fluminis vndam*

Securos latices & longa obliuia potant.

Ducentia.] Aphæresis, pro, quæ inducunt & afferunt somnos, vel somnolentos & ignauos efficiunt.

Arente fauce.] Sicco gutture. Dicit etiam Ouidius *fauce præstrictâ laqueo*, singulariter: rarò tamẽ alibi reperies. Quæ pars corporis sit, vide Epod. 3.

Occidis rogando.] Quod puto posse reddi, *flagitas*, vnâ voce, quâ significatur molesta postulatio, vt ex 3. de Oratore: *Etsi admonitum venimus, non efflagitatum.*

Batyllo.] Hic Batyllus Samius fuit Pantomimus Anacreonti in maximis deliciis, de quo lege vitâ & poemata eius. De patria Anacreontis fuit Ode 17. lib. 1. Addam ex Eusebio, eum fuisse Pisistrati & Pherecydis magistri Pythagoræ æqualem. Effertur illius infamis Pæderastia, qui rogatus, cur carmina non scriberet in honorem Deorum, respondit, pueros sibi esse loco Deorum, in quos scriberet.

Non elaboratum.] Id est, pedẽ nullo artificio, nulloq; ferè labore & industriâ excogitatum, sed sponte fusum, vbi nõnihil sibi dabat licentię. Sic Ciceroni est: *Concinnitas elaborata & vis dicendi*, pro summo conatu & studio exculta: neque hoc epithetum ad amorem, vt quidam faciunt, referas.

Phryne.] Nomen inuenit à pallore, qualem inferunt venenata pocula è veneno rubetæ ranæ, vnde φρυώδης πόσις Dioscoridi *hausturn rubetæ venenum.* Fuit autem huius nominis *Phryne* nobile scortum, ex ancilla factum liberum, nec vno amatore contentum, cuius Crates visâ imagine aureâ Delphis erectâ exclamauit: Τῦτο τὸ Ἑλλήνων ἀκρασίας ἔμπυον ἔστηκεν· *hoc est incontinentiæ Græcanicæ tropæum erectum.* Idem Laertius affirmat lib. 6. in Diogene, φρυώνης Ἀφροδίτην χρυσῆν ἀναθείσης ἐν Δελφοῖς, τῦτον ὁπογελάσας, τῆς ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἀκρασίας, i. *Quum Phryne meretrix imaginem Veneris auream Delphis dicasset, Diogenes Cynicus hac inscriptione affecit. Ex incontinentium Græcorum nummis expressa fuit.* Aelianus l. 9. c. 32. non dissimiliter huic conqueritur, cum exceptione tamen Græcorum, moribus castis & vitâ frugali præstantium. Vide de Phryne l. 13. Athen. c. 22. vbi narratur, quũ Phryne meretrix pulcherrima rei capitalis argueretur, atq; ita teneretur, vt argumentis purgari non posset. Itaq; postquam Hyperides multa pro ea dixisset, ad extremum statuit eam in conspectu Iudicum, & pectus eius papillasq; nudauit: qui quidem aspectus tantũ potuit, vt, quam omniũ sententiis damnatum iri opinio erat, omnium suffragiis absoluta discesserit. Ex quo institutum est, vt Areopagitæ noctu iudicarent. Huius rei auctor est Lucianus. Astutiam quoq; huius scorti lege apud Pausaniam in Atticis, quâ, quòd Praxiteles de suis operibus iudicium facere pertinaciter recusarat, id expressit.

Accendit.] Ἐφάπτει τῷ Γλίσχρῳ πολιορκουμένῳ.

Neq; vno.] Longè discrepabat ab hac Phryne illa Catulli Aufilena, de qua est hic versus:

Aufilena, viro, contenta viuere solo:

ob id talis dicitur Græcè, γυνὴ κόσμιος, ὡς ἀνὴρ κόσμιος· *vxor modesta, vno viro contenta.* Thais verò in Eunu. Act. 1. Sc. 2. Phrynæ huic similis est: *Neq; tu vno eras contẽta, &c.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est dicolon, cuius primus quisque versus est hexameter, dactylicus: secundus verò iambus tetrameter.

a In *diffuderit* est metaphora ab humoribus, ac potius à vaporibus sanguinis in humores cõcreti, qui immodicâ copiâ memoriam rerum obruunt, sensusq; opprimunt. Itaq; docuimus in dialecticis odes 2. lib. 3. pueris interdictũ à Medicis Physicis, ne illi plurimo cibo, nimioque somno vterentur: quod ex hac intemperantia corpora ipsorum minus adolescerent, atq; ingenia eorundem fierent multò hebetiora.

b Meton. adiuncti pro animo & mente subiecta, cuius sensus sunt ministri, i. cur mens nostra facta est tam obliuiosa muneris sui ab ignauia? Simili tropo Virgil. Ecl. 3. vtitur: *Sensibus hæc imis, res est non parua, reponas.*

c Altera metonymia est, sed subiecti pro adiuncta potione soporifera.

d Hæc continua eiusdem vocis repetitio in eadem sententia facit epizeuxin: qualis est ad confirmandum amorem, tanquâ Deum habendum, vnde potest statui synecdoche generis pro Cupidine: sed in sequentibus exemplis minimè. —*Deus, Deus ille Menalca.*
Item l. 5. Lucret. *Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi.*

e Metaphora est ab humanis corporibus, vbi τὸ ἐν μέσῳ τῆς γαστρὸς κοῖλον, λέγεται, *quod est in medio ventre cauum, dicitur* ὄμφαλος, vnde & Græca & Latina vox variè trãsfertur: ideo Eustathius Ιλιαδ. φ. ὄμφαλον vocat πολυσήμαντον ὅλως καὶ κῦρ ἄνθρωπον ὀμφάλε, i. è *similitudine vmbilici humani:* vnde obstetrices appellantur ὀμφαλήτομοι, quum illę abscindunt vmbilicum fœtus, ex eo quidem nominatum ὅτι τὸ ἔμβρυον δι' αὐτῦ ἀμπεῖ, ὅπερ ἔστιν ἀναπνεῖ καὶ βόσκεται, i. *quòd fœtus per ipsum respiret & nutriatur.* Etymologicon apertius Eustathij notat hanc vocem sic deriuans, ἀπὸ τῦ ἐμπνεῖν, ὅ ἔστιν ἀναπνεῖν, γίνεται ὀμπναλὸς, καὶ κατ' ἀποβολὴν τῦ ν καὶ ἐκπῆξιν τῦ π εἰς φ ὄμφαλος, δι' ὃ καὶ τὸ ἔμβρυον ἀναπνεῖ. horum iam fuit interpretatio. Idem interpres eiusdem Ιλιαδ. lib. δ. dicit clypeos vmbilicatos, interpretaturque ὀμφαλὸς ἀσπίδος, βυλλάς τινας εἰς κόσμον ἐπικειμένας περὶ τὸ μέσον καθ' ὁμοιότητα, i. *vmbilicos clypei, bullas quasdam ornatus gratiâ circa medium positas per similitudinem humani vmbilici.* Hinc quoque ad librorum ornamenta, quæ fiebant modò ex ebore, modò ex osse, modò ex alia metallica materia, quæ non, nisi perfectis libris, applicabantur, de quo lege Cæl. Rhodiginum lib. 15. & Erasm. in Chiliad. Qua de re sic Lucianus: ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τῶν βιβλίων, ὧν χρυσοῖ μὲν ὄμφαλοι, πορφυρᾶ ἔκτοθεν ἡ διφθέρα· *similes sunt his pulcerrimis libris, quorum vmbilici sunt aurei, extrinsecus purpurea membrana.* Idem videtur confirmare Catullus ad Varum: *Noui vmbilici, lora rubra, membrana desecta plumbo, & pumice omnia æquata:* vnde Martialis lib. 4. hoc genere loquutionis clausit:

Ohe, iam satis est, ohe libelle,
Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.

Est igitur adducere & peruenire ad vmbilicum, absoluere & finire aliquid. Sic Ver. 6. & 2. de diuin. Nemus Ennense vocatur vmbilicus Siciliæ. Delphi quoq; dicuntur γῆς ὄμφαλος, apud Plutar. de defectu oraculor. Apud Pindarum Πυθ. ειδ. ς. initio,

ὄμφαλον ἐσχατόωντα χθονὸς, id est,
Vmbilicum horrisonæ terræ.

Lege quoq; fabulam de duabus aquilis à Ioue emissis, cur Pythω, locus sit dictus vmbilicus.

f In *arsisse, vteris, accendit, ignis* notissima est translatio, ac multoties dicta.

g Meton. subiecti pro flebiliter cantauit versus non satis metricis pedibus & legibus conditos de amore.

h Alleg. est ex perpetuis metaphoris, pro, *Non formosior mulier perdidit Troiam, quàm est tua Terentia*: atque rursus ibi latet synecd. generis pro Helena.

i Præstat hîc agnoscere synecdochen speciei, quàm propriè vocem sumere. Sit ergo pro Libertina Horatij amica, cuius forma certat cũ pulcritudine illius Phrynes meretricis, de qua Athenæus lib. 4. & Arnobius l. 6 aduersus gentes, quę perhibetur in acumine ipso pulcritudinis, venustatis & floris exemplar fuisse cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum, & cætera: pro quibus non ab re fuerit tua, Lector, quanquam alieno id loco dici videtur, referre, quod Galenus scribit de hoc scorto in oratione ad artes. *Quum olim in conuiuio talis ludus celebraretur, vt per vices inter conuiuas, qui quid libebat, imperare liceret, Phryne quum cæteras mulieres tum anchusâ, tum ceruſâ, tum etiam luco pictas cerneret, tussit aquam afferri, eámque manibus hausta sibi fœminam quamque ad fa-*

ad faciem admouere, mox linteo protinus eam detergere: quod quum ab illis omnibus & à Phryne antè alias actum esset, cernere erat, faciem, cæteris quidem fœminis continuò maculis repletam, vt laruas te videre diceres: Phrynæ autem formosiorem redditam: quippe quæ non fucata erat, sed suapte naturâ formosa, nullaq; arte ad formam egebat. Sic vera pulcritudo tunc optimè exploratur, quum ipsa per se sola spectatur, cæteris omnibus, quæ foris assumuntur, remotis.

Epodi XV. In Neæram.

Theticum.

Queritur grauiter de periurio Neæræ, quæ priores amoris sui partes alteri dederit ipso Horatio potentiori; cui ab eadem similem perfidiam prædicit futuram non sine risu.

Nox erat, & cælo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu magnorũ numen læsura Deorum
In verba iurabas mea,
Arctiùs atque ederâ procera astringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis:
[a] *Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion*
Turbaret hybernum mare:
Intonsosq; agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
[3a] *O dolitura meâ multum virtute Neæra.*
Nam si quid in Flacco [b] *viri est,*
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.
Nec semel offensæ cedet constantia formæ,
Si certus intrârit dolor.
[4c] *At tu, quicunque es felicior, atque meo nunc*
Superbus incedis malo:
Sis pecore & multâ dives tellure licebit,
Tibiq; Pactolus fluat:
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati:
Formaq; vincas Nirea:
[d] *Eheu translatos alio mærebis* [c] *amores:*
[5] *Ast ego vicissim risero.*

Analysis Dialectica.

ACcusaturus Poeta Neæram periurij, describit iusiurandum datum è circumstantiis temporis, quo illa se obstrinxerat Horatio, amorem inter ipsos perpetuum fore: cuius quidem certè perpetuitatem declarat, primùm collatione minorum: *Quòd illa tum, quũ se sponsione obligabat, arctiori complexu adhærebat Poetæ, quàm edera consuêuit se ad proceras arbores & parietes applicare.*

2 Deinde eadem amoris perpetuitas, verbis obligationis quasi cõceptis, firmatur ex hyperbolica parium comparatione, cuius protasi triplici subiicitur simplex Apodosis: *Quamdiu*, inquit, *lupus tristis erit pecori, Orion nautis infestus, & aura intonsos Apollinis capillos agitabit: tamdiu amabimus inter nos.* Hoc genus hyperbolicæ comparationis familiare est Virg. 1. Æneid.

Infreta dum fluuij current: dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Cuiusmodi priùs vsurpauerat Eclog. 5.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

3 Pœnas periurij proponit ex efficiẽte & factis suis, *quòd ipse vero tandem dolore & iusto commotus, alteram amicam quæret, quæ sibi constanter responsura sit in amore.* ita ostendit, quod Prouerbio, cuius in Epodis 11. meminimus, iactatur, ὕβρεις ἔρωτος ἔλυσε, *Contumelia soluit amores.*

4 Docet quoque è loco diuersorum, *riualem suum non impunè abiturum, qui Neæram subornârit & à se abduxerit. Quamuis*, inquit, *Neærâ nunc fruaris: meo malo exsultes: opulentus sis: bene numatus, Philosophiâ Pythagoricâ optimè instructus, at q; formæ dignitate Nireo ipsi præstes:* vbi latet breuis minorum collatio: *senties tamen & dolebis tandem animum mulieris à te ad alium in vicem præter spem abalienatum.*

5 Pars consequens diuersitatis paribus confirmatur: *Quando tu hodie me rides à Neæra repulsum & exclusum perfidiosè: ego quoque postea ridebo te mox ab eadem extrudendum, ac velut par tibi referam optimo iure.*

Enarratio Grammatica. Explicatio Rhetorica.

NOx erat.] Simili riualitate notantur 3. Eclog. in meretricem eiusdem nominis Ægon & Menalcas;

—ipse Neæram
Dum fouet, ac, ne me sibi præferat illa veretur,
Hic alienus oues custos bis mulget in hora.

Huius fit etiam mentio & notatio Ode 14. l. 3. quæ fortassè fuit hæc ipsa Horatij.

Inter minora.] Hoc dictum est ad vulgi opinionem, cuius sensui quia sidus Lunæ familiarissimum & proximum admotum est, & in tenebrarum remedium à natura (quin potiùs à Deo creatore cæli & terræ vt præsit nocti) repertum, illud putatur reliquis sideribus maius: quod Plin. l. 2. c. 14. argumento certo confutat: *Quò amplior errantium stellarum, quàm Lunæ magnitudo colligitur: sed altitudo cogit minores videri, sicut affixas cælo solis fulgore interdiu non cerni, quum æquè diu ac noctu luceant: idq; manifestum fiat defectibus solis & puteis præaltis.*

Magnorum.] Quidam putant hanc magnitudinem metiendam esse ratione cultus publici, qui priuatus fiebat Penatibus, quorum vtrumq; Æneas in Italiã intulit, vt est 3. Æn. —*feror exsul in altum*
Cum sociis natoq;, Penatibus, & magnis Dîs.

Seruius in hunc locum scribit: Dij magni sunt, Iupiter, Minerua & Mercurius, qui Romę colebantur: Alij eam ad potentiam referunt: ideoque monent Gnomologi, Deos inprimis illos implorandos esse, quibus summa esset potestas: quales Varro, qui eosdem dicit Penates & magnos Deos, selegit viginti: Ianum, Iouem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Mineruam, Venerem, Vestam: quorum duodecim mares, octo fœminæ sunt. Scholiastes tamen Apoll. Rhod. in lib. 2. pro magnis hos recenset, qui Græcè nominantur: Ζεύς, Ἥρα, Ποσειδῶν, Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἑστία, Ἄρης, Ἀφροδίτη καὶ Ἀθηνᾶ, cui videtur subscribere Macrobius lib. 3. cap. 4. Hi autem duodecim hoc tetrasticho cõtinentur, cuius tamen principium est à tribracho.

Ceres, Apollo, Venus, Neptunus, Vesta, Diana,
Mars, Pallas, Iuno, cum Ioue Mercurius,
Lemnius, hæc magni bis seni numina Diui
Mortales quondam quos coluêre Deos.

Læsura numen Deorum.] Offenditur enim maiestas diuina iureiurando violato, quod Cicero sub finem lib. 3. de Officiis ita definit: *iusiurandum est affirmatio religiosa.*

Quod

Quod autem affirmatè, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est.

In verba iurabas mea.] *Tu iurois & promettois soubs la teneur de ces miennes paroles & propos.* Formula hæc affirmationis videtur sumta è militari sacramento Cęsari & Liuio vsitato. Fiebat autē altero alteri verbis pręeunte.

Verba.] Admonui aliàs *verbum* quibusdam Grammaticis dici ab aere verberando: sed mihi potior videtur etymologia Varronis, quam Donatus sequitur in Adel. Act. 5. Sc. 8. verbum dixit pro ἀξιώματι, id est, pro vera sententia. Nam verba esse à veritate dicta testatur Varro de natura Ederæ, eiusque veriuerbio dictum est Od. 1. l. 1. & Od. 36. l. 1.

Lentis brachiis.] Sumenda est hæc lentitudo brachiorum, quæ, quò flectere velis, sequuntur: vnde flexibilia & sequacia dici possunt: secus, *lentus amor Glyceræ tenet me* dicitur Ode 9. lib. 3. qui tardè obsequitur, & ægrè respondet amanti.

Dum pecori lupus infestus.] Agellius scribit è Nigidio, hanc vocem dici à festinando. Nam qui instat alicui, eumque properans vrget, opprimereq; eum studet, festinatque, aut contrà de alicuius periculo & exitio festinatur, is vterque dicitur *infestus*, ἐνεργητικῶς καὶ παθητικῶς. Sic Od. 8. l. 3. dicitur *Medus sibi infestus.* Apertior syntaxis verborum erit, si hoc modo enuncies: *Dum lupus infestus erit pecori, & Orion nautis*, qui nimbosus ob id dicitur à Virgilio, quòd mare hybernum soleat turbare.

Orion.] Quis fuerit, vide Ode 18. lib. 1. De intonsis capillis Apollinis fuit Ode 21. lib. 1.

Si quid viri.] Hæc personæ mutatio habet aliquid ἀνεξητήτου, pro, si quid viriliter, maximeque laudabile facinus, magno quoque animo facere possum: Notum est è Terent. Hecyr. *Tu virum me aut hominem deputas adeò esse?* item ex Epist. 19. lib. 2. ad Q. Fratrem: *Quum veneris, virum te putabo: si Sallustij Empedoclea legeris, hominem non putabo:* quid inter vtrumque interfit. Item l. 5. ad Fam. *vt hominem te & virum esse meminisses.* Ita Græcè τὸ ἀνὴρ καὶ ἄνδρες valet interdum ἀνδρεῖον καὶ ἀνδρεῖοι, strenuus ac fortes, vt Herodot. in Polyhym. πολλοὶ μὲν ἄνθρωποι εἶεν, ὀλίγοι δὲ ἄνδρες: *multi quidem essent homines, pauci autem viri*, id est, magnanimi ac fortes.

Flacco.] Plin. lib. 11. cap. 37. scribit: *aures homini tantùm immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina*, id est, vt quibusdam placet, à flaccidis & pendulis auribus Flacci cognominati sunt.

Potiori.] Ellipsis est substantiui, *amatori*, quem tu pluris Horatio facis, vt in *parem*, amicam puellam.

Nec semel.] Sensus est: *vbi primùm me verus dolor pupugerit, nunquam postea perferam formam tuam*, vel, *nunquam tua forma constantiam mihi adimet, quæ mihi inuidiosa fuerit, & in odium adducta propter perfidiam.* Quidam sumi putant *offensæ* ἐνεργητικῶς, pro, *quæ semel me offendit & læsit.* Cōstantia autem est confirmatio earundem actionum, vt grauitas earundem sententiarum.

Pecore diues.] Altera est huius epitheti syntaxis, diues opum.

Pactolus.] Hic fluuius ex Terpsichore Herodoti est in Lydia decurrens è Tmolo monte, & ramenta auri deferens: sed Plin. l. 33. c. 4. cum hoc quatuor alios numerat: Tagum in Hispania, Padum in Italia, Hebrum in Thracia, Gangen in India, hunc Pactolum in Asia, cuius regio est Lydia. His addam Hermum è v. 137. Georg. 2. *atque auro turbidus Hermus.*

Tibi fluat.] Commodis tuis seruiat fluxus Pactoli aureus.

Pythagoræ.] Famâ hîc Philosophus notior est omni sermone, qui de ipso posset à nobis nunc haberi: sed vocis notatio non perinde fortasis omnibus nota. Suidas vult dici διὰ τὸ τἀληθέστατον ἀγορεύειν ἐκ τοῦ Πυθίου: *quòd non minùs verum diceret, quàm Pythius Apollo.*

Nirea.] A recto Nireus, de quo Iliad. β. 673. vers. De hoc etiam fuit Ode 20. lib. 3.

Risero.] Idem valet, quod ridebo, vt Terent. And. Act. 2. Sc. 6. v. 25. *Ego istæc rectè, vt fiant, videro*, pro, *videbo.*

Explicatio Rhetorica.

METrum huius Odes simile est proximè antecedenti.

[a] Exclamatio est per comminationem.

[b] Metonymia subiecti, pro, si qua est vis & virtus vel animus excelsus in Horatio: Græci, εἴ τις ἰσχὺς ἐν τῷ φλάκκῳ ἔγκειται: *si qua insidet strenuitas in præcordiis Horatij.* Simili mutatione nominis manes Leonidę respondérunt Xerxi corpus ipsius iacens pallâ purpureâ tegenti lib. 1. Epigramm. cap. εἰς ἀνδρώνας.

Ἀσπὶς μοι τύμβῳ κόσμος μέγας, ἔρρε τὸ Περσῶν
Ἧξω κ' εἰς Ἀΐδην, ὡς Λακεδαιμόνιος, ἴ.

Scutum est mihi magno ornamento & decori pro tumulo: apage res Persicas, descendam ad Orcum, vt Lacedæmonius, pro, Spartanâ virtute decoratus.

In *constantia* tropus est, sed alterius modi, adiunct. pro constante viro, qui constanter fortiterque resistet formæ sibi inuisæ.

[c] A Neæra sermonem transfert ad æmulum & rivalem nomine tacito, διὰ τῆς ἀποσοφήσεως.

[d] Altera est exclamatio per fictā & simulatam commiserationem. Similis est omnino figura Ode 5. lib. 1.

Heu! quoties fidem
Mutatosq; Deos flebit & aspera
Nigris æquora ventis.

[e] In *amores* videtur quædam species metonymiæ, quòd res adiuncta ponatur pro animo alienato.

EPODI XVI. DE BELLIS CIVILIBVS.

Theticum.

Grauis est querela Poetæ de bellis ciuilibus ita longis, vt fatis Rom. exterritus cogatur omnibus suadere bonis inde cedendum & aliò migrandum.

ALtera iam [a] *teritur bellis ciuilibus ætas:*
Suis & ipsa Roma viribus ruit:
Quā neq; finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Ethrusca Porsenæ manus,
Aemula nec virtus [d] *Capuæ, nec* [e] *Spartacus acer,*
Nouisq; rebus infidelis [f] *Allobrox:*
Nec fera cæruleâ domuit [g] *Germania pube,*
[h] *Parentibusq; abominatus* [i] *Annibal:*
[2] *Impia perdemus deuoti sanguinis ætas:*
Ferisq; rursus occupabitur [k] *solum.*
Barbarus heu cineres insistet victor, & vrbem
[l] *Eques sonante verberabit vngulâ!*
Quæq; carent ventis & solibus, ossa Quirini,
(Nefas videre) dissipabit insolens!
[3] *Fortè, quid expediat, communiter, aut melior pars*
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
Velut profugit exsecrata [m] *ciuitas:*
Agros atque Lares proprios habitandaq; fana
Apris reliquit & rapacibus lupis:

Ire

Ire pedes quocunq; ferent, quocunq; per vndas
Notus vocabit, aut proteruus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secundâ
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in hæc: simul imis saxa renârint
Vadis leuata, ne redire sit nefas:
Neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina:
In mare seu celsus procurrerit Apenninus:
Nouaq; monstra iunxerit libidine
Mirus amor: iuuet vt tigres subsidere ceruis:
Adulteretur & columba miluio:
Credula nec flauos timeant armenta leones:
Ametq; salsa læuis hircus æquora.
Hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata ciuitas:
Aut pars indocili melior grege: mollis & exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter & volate littora.
Nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
Petamus arua, diuites & insulas:
Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret vsque vinea.
Germinat & nunquam fallentis termes oliuæ:
Suamq; nulla ficus ornat arborem:
Mella caua manant ex ilice: montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede.
Illic intussæ veniunt ad mulctra capellæ:
Refertq; tenta grex amicus vbera:
Nec vespertinus circumgemit vrsus ouile:
Nec intumescit alta viperis humus:
Pluraq; felices mirabimur: vt neque largis
Aquosus Eurus arua radat imbribus:
Pinguia nec siccis vrantur semina glebis:
Vtrumq; rege temperante cælitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus:
Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonij torserunt cornua nautæ,
Laborioſa nec cohors Vlyssei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia
Iuppiter illa piæ secreuit littora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum:
Aere, dehinc ferro duravit secula: quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

Analysis Dialectica.

IN eadem nos Galli incidimus tempora, quæ hîc deplorantur: vt, quum iam nostra patria discordiis ciuilibus annos iam complures arserit, atq; etiam nunc ardeat, aut certè tepidus adhuc cinis sopitiq́ue tantùm ignes facilè possint identidem ἀναζωπυρῆσαι, id est, *suscitari*, aut ad vniuersale monarchiæ Francicæ incendium, aut certè ad miseram eiusdem dissipationem: iustissima nec minùs necessaria videretur incolis Galliarum caussa inde aliò migrandi, quocunque patuerit illis fugæ locus. Antisthenes apud Laërt. l. 6. τὸ τ' ἔφη τὰς πόλεις ἀπόλλυσθαι, ὅταν μὴ δύνωνται τοὺς φαύλους ἀπὸ τῶν σπουδαίων διακρίνειν, *tum augurabatur ciuitates interituras, cùm illæ non potuerint malos à bonis discernere.* Verùm (eheu!) maior pars nimis armorum secura viuit! nimis (eheu!) nimis humanæ cædis & direptionis inclementia iam occaluit! Sed consilium Poetæ consideremus de rebus Romanorum tam perditis & afflictis: quarũ causſa non in externis septem bellorum generibus collocatur, quæ nunquam statum imperij ac Reipub. conuellere & labefactare potuerunt, sed in dissensionibus ciuium mutuis: quarum vires longè florentissimæ atque maximæ solent dilabi. Indignum sanè videtur, quod hostis perdere nequierit, id à seipso graui ruinâ opprimi. Eiusdem querimonię sententia est apud Lucanum,

Inuida fatorum series, summiq; negatum
Stare diu, nimioq; graues sub pondere lapsus
Nec se Roma ferens.

Hæc autem causſa tractatur loco diuersorum, quæ possunt ita enthymematicῶς iudicari: *Bellis externis nunquã potuit imperium Romanum euerti: Internis igitur odiis & dissidiis & solis potest funditùs, vt conspicimus, interire.* Complexio est in duobus primis versibus & nono: propositio autem in sex interiectis è quadam hostium imperij Roman. distributione amplificatur.

2 Complexio confirmatur loco effectorum, qualia ciuilis discordia dabit, solum Romanum desertum, incultum & lustrum ferarum, cineres ciuium obnoxios ludibriis barbarorum victorum, dissipationem ossium Romuleorum.

3 Iam Poeta, quid in tanta turba & rerum omnium confusione boni sit agendum, ostendit, & sententiam suam maiorum collatione declarat: quòd *eâ melior excogitari possit nulla*, rursusq́ue eandem similibus confirmat: *Vt*, inquit, *Romani in simili rerum desperatione imitentur Phocæenses, qui ciuiles discordias solumq; patriæ nefastum pertæsi, relictis omnibus fortunis, patriâ, Penatibus, exsecratione factâ*, (quę postea dicitur abiisse in Prouerbia, Φωκαϊκὸν ἄρος καὶ Φωκαϊκῶν σπονδαί, i. Phocensiũ exsecratio & desperatio) *quò patuit aditus, fugerũt: quæ res ipsis felicitèr processit.*

4 Quando animaduertit sententiam suam silentio comprobari, verbis iurisiurandi conceptis (id est propriè præiuratio, cui mox adiungetur exsecratio) eam studet firmare. Formula autem iurandi collatione septem parium explicatur: quæ eò spectant, vt omnis spes redeundi Romam omnibus iuratis præcideretur: nisi ipse malis hanc formulam iurisiurandi referre ad argumenta extrinsecus assumta, in quibus pactum, iusiurandum, obligationes recensentur, quorum hæc septem erunt capita: *Quando*, inquit, *saxa videbuntur ex imo mari ad summum emergere & natare, cacumina montium tingi fluminibus, & Apenninus mari, Tigres & columbæ subsidere ceruis & miluiis, leones non metui ab armentis, ab hircis amari æquora; tum fas erit in patriam redire: sed antecedens est ἀδύνατον κατὰ τὴν φύσιν, per naturam rerum.* Ideoq́ue εἰρωνικὸν & simulatum quibusdam videtur. *Consequens igitur erit huiusmodi.*

5 Locus est ex aduersis. Quum enim Poeta quosdam animaduertit non libenter tali exsecratione vsos fuisse, incipit cohortari fortissimos quosque & strenuissimos ad audacter migrandum. Ignauos autem & molles ex omni spe melioris habitationis deturbatos in miseris ædibus relinquit.

6 Ad confirmationem suæ cohortationis proponit popularib. suis amplissimum migrationis præmium, Insulas Fortunatas, quas variis attributis describit: quibus mirum in modum conueniunt, quæ Plutarchus narrat in vita Sertorij, cuius verba sunt hîc ascribenda: *quòd illarum incolæ circumfluant omnibus copiis: atq; in omnium rerum abundantia sic viuant, vt nihil deesse illis videatur ad vitam beatam.*

7 Ista felicitas ex efficiente declaratur: quia Iupiter rex cælitum illic omnia temperat.

8 Ex

8 Ex eodem attributorum fonte hauriuntur, quæ deinceps adhibentur: quòd locus ille sit ab omni hoste tam ciue, quàm peregrino, tutus, ab omni intemperie cæli maximè purus & integer.

9 Repetitur eiusdem felicitatis caussa: *quòd Iupiter piis talem locum attribuerit iam inde vsque à transitu ætatis aureæ in æream:* in cuius societatem Poeta se videtur offerre, quasi aliquid adimenti afferat, dũ pij ferrea tempora deuitare poterunt suâ vaticinatione: quò tamen versus Lucani accedere meritò videtur:

Non illùc auro positi, nec ture sepulti
Perueniunt.

Enarratio Grammatica.

Teritur.] Cic. lib. 3. de Orat. dicit ætatem terere in rebus discendis pro, consumere.

Ciuilibus.] Quę inter ipsos ciues cõfecta sunt, & à Lucano propter rabiẽ ciuicam plus, quàm ciuilia vocãtur.

Aetas.] Aetas circumscribitur à Plutarcho in vita Catonis triginta annis, vti monuimus Ode 9. l. 2. Priorem autem ætatem, quæ bellis ciuilibus contrita est, Historici definiunt illo temporis spatio, quod interiectum est intra tempora Syllæ & Sulpicij: Octauij & Cinnæ: Marij & Syllæ: Pompeij & Cæsaris: de quo Cic. lib. 4. Epist. ad M. Marcellum & Philip. 8. Altera item ætas à cæde C. Cæsaris habuit hæc bella ciuilia: Mutinense contra Antonium: Perusium contra L. Antonium M. Antonij fratrem; Siciliense contra Pompeium Pomp. Magni filium: Thessalicum seu Philippense contra M. Brutum & C. Cassium: Actiacum contra Marcum Antonium & Cleopatram: quorum bellorum recensionem planiorem pete à Floro & Appiano, cæterisq; Historicis. Ortum tamen bellorum ciuilium, alij à morte Tiberij Gracchi inceptum terminant Actiacâ Augusti victoriâ, spatio temporis annorum 104. ex Orosio, aut 102. Glareano.

Viribus suis.] Suapte manu perit, & vt loquitur Liuius: *Iam magnitudine laborat suâ.*

Marsi.] De hoc bello vide Oden 14. lib. 3.

Porsenæ.] De Porsena duce Ethruscorum vide Plutar. in Publicola & Liu. l. 2. qui de restituendo Tarquinio in regnum arma sumsit contra Romanos: sicut de Capua Florum, qui scribit eam Campaniæ caput fuisse & tertiam inter tres maximas vrbes, Romam & Carthaginem nominatam. De eadem Cic. contra Rullum in Senatu & in altera ad populum contra eundem.

Aemula.] Campani sperabant fore dominam suam Capuam reliquarum vrbium & caput imperij, loco Romæ, ex ipsorum defectione ad ducem Pœnorum Annibalem.

Spartacus.] De bello Spartaco lege Oden 14. li. 3. De Allobrogibus lege Comment. Cæsaris de bello Gall. lib. 3. & 4. & Cic. 3. Catil. & pro Fonteio. Apparet autem infidelitas Allobrogum in rebus nouis, quibus turba Catilinaria studebat, ex eo, quod contra Remp. Romanam Cicero scribit in Oratione de Prouinciis Consularibus. *Modò ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius C. Pomtinius fortissimus vir, ortum repentè bellum Allobrogum atq; hac sceleratâ coniuratione excitatũ, prœliis fregit, eosq; domuit, qui lacessierant, & eâ victoriâ contentus, repub. metu liberatâ, quieuit.* Creditur hoc incidisse in annum Vrbis conditæ 693, de quo Dio lib. 33. & Epitome Liuij 103. Allobroges Gallicè hodie dicuntur *Delphinates & Saubaudienses.* Apollodorus scribit Allobryges gentem fuisse Gallię potentissimam, & tempore Annibalis regnum fuisse Liuius scribit. Polybius per i pingit Allobriges. Charax verò per o Allobrogas: quã postremam scripturã Latini sequuntur. Apud Græcos plerosq; omnes scriptum reperitur, Ἀλλοβρίγες, vt passim apud Dionem, cuius testimonij gratiâ profero è lib. 38. hoc, Ἀλλοβρίγων τῶν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα πορθούντων, i. *Allobrogibus autem Galliam Narbonensem populantibus*, &c. Adhæc Prætores, qui obtinuerãt prouinciam Narbonensem, Allobrogibus ius dicebant, vt Strabo narrat lib. 4. Hi tempore Catilinariæ coniurationis Romam miserant legatos de auaritia suorum magistratuum conquesturos, quos Lentulus solicitauit ad societatem coniurationis per P. Vmbrenum. Illi autem quum simulasset se tali consilio velle libenter fauere, rem totam Q. Fabio Sangæ indicarunt, vt copiosè narratur in Historia Salustij, Plutarchi, Appiani: sed ex indicatione culpâ quidem infidelitatis vacarunt, non sic tamen reliqui terræ incolæ, qui per literas societatem coniurationis cum Catilinariis coierunt, sicut ex orat. de prouinciis consularibus modò innotuit.

Nec fera.] Corn. Tacitus libro de moribus Germanorum scribit: *Vnde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantùm ad impetum valida.* Hunc autem colorem nonnulli referunt ad artificium, non ad ipsorum naturam, qualem 5. Commen. Cæsaris de bello Gall. memorantur Britãni adhibuisse prœliaturi. *Omnes verò se Britãni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque horridiore sunt in pugna aspectu.* Idem affirmat Propertius lib. 2.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.

Abominatus.] Quem Maiores nostri detestati sunt nomine crudelitatis hostilis Annibal dicitur annos 14. bello attriuisse Romanos, atque huc adegisse, vt consilium inierint aliquando de migrando ex vrbe. Liuius Decad. 3. totâ Flor. li. 2. c. 6. Oros. li. 4. *Abominatus* ita patheticẽ Grammatici sumendum putant, vt Ode 1. lib. 1. ad hæc verba: *bellaq; matribus detestata.* iam monuimus, & deinceps, *immetata iugera* l. 3. Ode 24. & 5. huius, *Interminatus cibus.*

Deuoti.] Ἡμεῖς ἡμεῖς δ' ἀσεβὲς τὸ αἷμα & δύσμιαιαν. id est, nos ætas impia & detestabilis, quorum sanguis est addictus & destinatus maiorum sceleribus expiandis, patriam, quam tot hostes expugnare nõ potuerunt, perdemus & talem reddemus, qualis ante exordium Vrbis & constructionem fuit.

Insistet.] Id est, teret & calcabit. Sic loquitur Terent. *Quã insistam viam?* Gal. *quel chemin tiendrai ie?* & Virg. *insistere vestigia*, sed vsitatius, insistere in loco & in iugo currus & vestigiis. Hîc per ludibrium, pro, *insultabit cinerib. ciuium.* *Ossa Quirini.*] Perspicimus ex hoc loco opinionem eorum, qui Romulum existimârunt in cælum raptum falsam esse.

Verberabit.] Pro hoc Virg. Æneid. 8. vers. 595.

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

& Hesiodus sub initium Aspidis:

Χθόνα δ' ἔκτυπον ὠκέες ἵπποι, Γυόωντες χαλκῷ.

Terram autem pulsabant veloces equi, ferientes vngulis.

vnde dicti sunt ἐείδεποι καὶ ἠχήποδες ἵπποι sonipedes equi.

Pars quæritis.] Anomalia est numeri Poetica, vt *pars in frusta secant.* 1. Æneid. Syntaxis autem verborum sic videtur apertiùs resoluenda: *Quæritis fortè*: id est, dubitatis fortè: *quid expediat communiter carere*, pro, *omnes ciuiusuis conditionis ciues, tam sapientes, quàm insipientes: tam clari, quàm obscuri*: aut, *vos, qui estis inter alios prudentiores, quæritis*, inquam, *ac vultis scire, quo consilio positis eripi periculis discordiæ ciuilis. Itaq; nunc accipite quod vobis optimũ omnium dare institui.* Hoc sensu τὸ *carere* conuenit cum *expediat*, & vertitur in verbum finitum, *vt careatis*: atque τὸ *quid expediat*,

expediat, valebit, *quas res debeatis expedire & perficere, vt liberemini ciuilibus bellis*, & tum infinitum *carere* referet Helleniſmum, pro ἐφ' ᾧ γε ἀπαλλάτ[ε]ιμ ἐμφυλίου πολέμου, i. *vt bello ciuili ſoluamini*, & hîc τὸ *fortè*, notat dubitationem, non caſum.

Phocæorum.] De hac exſecratione Phocæorum & ipſius cauſſa vide lib. 1. Herodoti in ſectione 30. ex editione Henrici Stephani, cuius ſunt hæc verba. μετὰ δὲ ὡς τᾶτό σφι ἐξέργαστο, ἐποιήσαντο ἰχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ τᾶ ϝόλι· πρὸς δὲ [ἑ]αύτησι ἢ μύδρου σιδήρεου πατεῤῥώσαμ. ἢ ὤμοσαμ μὴ πρὶν ἐς φωκαίλυ ἦαμ, πρὶν ἢ τὸν ἢ μύδρον τᾶτον ἀναφῆναι. id eſt, *quibus patratis, diras atroces imprecati ſunt omnibus ſuæ claſſis, qui illic remanerent: ad hæc ferri maſſam candentem in mare proiecerunt, ſeque non prius Phocæam reuerſuros iurarunt, quam hæc maſſa emerſiſſet*: in cuius loci interpretatione L. Valla vtitur verbis noſtri poetæ. Vide quoq; Strabonem li. 4. quomodo illi Maſſiliam in Gallia Narbonenſi condiderint libro tertio Athen. & lib. 14. T. Liuii. Phocæa autem fuit vrbs Ioniæ inter Cumen & Smyrnam. Præterea *Euſtathius Theſſalonicenſis* refert cauſſam, cur Phocenſes patrias ſedes reliquerint, & ipſam conſtituit in eo, quòd Cyro ſeruire noluerint. Quanta autem hæc gens fuerit, idem auctor docet in ſuis parecbolis ad verſum Catalogi nauium Ιλιαδ. β.

Αὐτὰρ Φωκήων ἡγέτορες ἦν Ἐπίστροφος ἠδὲ Σχέδιος.

Sed Phocenſibus Schedius & Epiſtrophus imperant.

Μέγα δὲ ἔθνος οἱ Φωκεῖς· καὶ πολλῶ λόγῳ τῷ Δημοσθένει ἀξιωθὲν ἢ μέμνηται ἢ αὐτῶν ὑπερεπήνεσις· κεῖται δέ, φασιν, ἡ Φωκὶς μεταξὺ Βοιωτίας ἢ Ορχομένου πρὸς Ἄρκτον παραβεβλημένη τῇ Βοιωτίᾳ. i. *Gens Phocenſiũ eſt permagna & Demoſthene digna, quæ ſit multo in pretio. meminit quoq; ſigillatim eorum facta commemoratio Dionyſii deſitu orbu. Eſt autem ſita Phocis, vt aiunt, poſt Boetiam & Orchomenon verſus polum Arcticum Boetia comparata.* Poſtquam igitur patriam illi reliquiſſent, *Galliæ Narbonenſi* appulerunt, ibique *Maſſiliam* condiderunt: quæ ciuitas à *Cicerone, T. Liuio, Strabone, Valerio Max. Iuſtino*, aliiſque Scriptoribus celebratur mirificis laudibus: quippe quæ domicilium omnis virtutis atque humanitatis haberetur, quámq; *Athenæus* lib. 12. narret *Maſſilienſes* impudicos pædaraſtas fuiſſe, illoſq; *Plautus* eodem ſenſu in Caſina. notet, nihil abſurdi in eo fieri tunc temporis videbatur. Quia priſcis illis ſeculis amores in pueros, vt iam dictum fuit in vita *Horatii* ex ipſius poematis à nobis ſelecta, nulli vertebantur vitio & probro vel apud *Cretenſes & Lacedæmonios*, populos grauiſſimis, ſanctiſſimis, ſeueriſſimiſque legibus ſemper vſos. Quàm autem amiciſſimi fuerint *Maſſilienſes Populo Rom.* maximo eſt argumento, quòd quum in Italiam *Annibal* exercitum duceret, Romanenſeſque rogaſſent *Gallos* per legatos, ne darent ei per ſuas vrbes tranſitum, ſoli ex omnibus Maſſilienſes eam legationem benignè audierunt. Quamobrem ciues *Romani*, qui in exſulium ibant, quod probro careret, *Maſſiliam* ſe ferè conferebant. Sic *L. Scipio Aſiaticus* fecit, vt in orat. pro *P. Sextio*. Sic *T. Annius Milo*, vt eſt apud *Dionem*, lib. 40. Sic deniq; complures alii. Quod ad formam talis exſecrationis, illa præſcribitur à Liuio lib. 38. *His adorationibus exſecratio dira adiecta eſt, ſi quem à propoſito ſpes reuerſionis, mollitiáq; animi flexiſſet, &c.* Similis eſt in oratione Aeſchinis contra Cteſiphontem. *Si quis*, ait, *hæc violauerit, ſiue ciuitas, ſiue priuatus, ſiue uatio, Apollini, Dianæ, Minerua prouidæ ſacer eſto*, & hoc malè precatur, *vt neque illu terra fructus efferat: neque vxores eorum liberos parentibus ſimiles, ſed monſtra & portenta pariant.* De Noto vide Ode 3. l. 1. vt de Africo primâ eiuſdem.

Habet ſuadere.] Helleniſmus eſt: ſic enim Græci vtuntur verbo ἔχω cum infinito pro δύναμαι. Xenophon. l. 5. παιδ. ἔχεις τίνα πλεονεξίαν ἐμοῦ κατηγορῆσαι: *potes accuſare meam cupiditatem?* Quomodo Cicero dicit: *habeo dicere*: idem tamen Græci pronunciant cum ſubiunctiuo, præcedentibus particulis ὅπως vel πῶς, vt, ἔτι ἔχω, ὅπως βουλῶ, pro ἔτι ἔχω βουλεῖν.

Occupare.] Quod Græcè dicas, τὸ τὴν χελλίαν ὀκνῦμον ἡμεῖς προλαμβάνειν ἔρετθι αὖτις; ſed hoc verbo notatur celeritas conſcendendi naues, quemadmodum Virg. 6. Æneid.

Occupat Aeneas aditum cuſtode ſepulto,
Euadíq; celer ripam.

quaſi diceret, quid primum quódque vel tumultuariæ operæ nauigium moramur accipere? Id enim ratis ſonat.

Simul renârint.] Id eſt, vbi primùm, vel quum primum ſaxa enatârint & emerſerint. Ita ſæpè eleganter vſurpatur τὸ *ſimul*.

Nec pigeat.] Hoc verbum ad laborem, vt *pudet* ad dedecus refertur: aut, illud propter damnum & malum dolet, & hoc propter turpitudinem & infamiam, ait Donatus in Adel. Act. 3. Scen. 3. ad verba illa: *Fratris me quidem pudet, pigétque.* Sed hoc diſcrimen valdè illuſtrant illa Plaut. in Pſeudolo. *Nimio id, quod pudet, faciliùs fertur, quam illud, quod piget. Non dediſſe, iſtum pudet: me, quia non accepi, piget.* Huc addam è Seruio verſ. Æneid. 4. *Nec me meminiſſe pigebit Eliſſæ*: de futuro dixit: *piget* autem ad futurum ſpectat: *pudet* ad præteritum. Et licet penè vna ſit ſignificatio: tamen dicimus *piget me illud facere*, & *pudet me feciſſe*. Vnde interdum & præcipuè à Salluſtio ſimul ponitur vtrumque.

Padus.] Fluuius eſt ſatis notus citerioris Galliæ, qui alio nomine Eridanus dicitur: *fluuiorum rex Eridanus*. à finibus Ligurum & à radicibus montis Veſſuli exortus, ſicut Matinus eſt mons Calabriæ buxo & apibus diues: de quibus Plinius lib. 3. cap. 13. vbi tamen facit populos Apuliæ, vt dictum eſt Ode 28. lib. 1.

Cacumina.] Cacumen propriè ſonat cuiuslibet rei faſtigium, factum, credo, ex acumen proſtheſi τῦ c.

Apenninus.] Hic mons diuidit Italiam & à Genua dicitur incipere: quam vocem Seruius per œ diphthongum videtur ſcribere, & à Pœnis deflectere, qui duce Annibale memorantur illum ſuperaſſe primi: Interpres Melæ Vadianus idem ſentit, quum Apœnninum dici putat, quaſi à Pœnis patefactum, & igne, ſulphure & aceto diruptum, vt Iuuenalis canit Sat. 10. de Annibale:

Diduxit ſcopulos & montem fregit aceto:
Iam tenet Italiam, &c.

quanquam Strabo lib. 5. in ipſius deſcriptione ſcribat & numero multitudinis appellat: τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη *Apenninos montes.*

Subſidio.] In hoc coniuncto τὸ *ſub* videtur ſubire vicem alieni ſexus, pro *ſubiacere* & *ſuccumbere*: vnde Valerius Maxim. dicit *ſubſeſſores alienorum matrimoniorum.*

Miluio.] Miluus aut miluius ex eo videtur dici, quòd molliter & ſuſpensè in aere, tanquam porrectus in molli lecto volet, aut quòd tenuem edat vocem, aut, vt alii volunt, quòd vitam degat millenariam: vnde vocatur à Gallis *le milan*: eſtque è genere accipitrum, dictus Græcè ὁ ἱπτίρ. ἵνος, quod aduentum veris nunciet: deducit tamen Etymologus παρὰ τὸ ἐνεῖδαι, id eſt, *ab inuadendo*, hanc autem auem Ariſtophanes vocat παντοφθαλμον ἄρπακα, i. oculatiſſimam

maximéque rapacem in comœdia Auium: hæc rapacitatis magnitudo conuenit *Plinio lib.10.c.10.* cum comico poeta, *Milui ex eodem accipitrum genere magnitudine differunt. Notatum in his rapacissimam & famelicam semper alitem nihil esculēti capere vnquam ex funerum ferculis*, de quo vide Suidam & Scholiasten Aristoph. in auibus.

Credula.] Vide, num debeat hîc sumi hoc epithetum, vt illa Epist.2.l.1. *Stultus cupidúsq; bibisset.* Item, *& rusticus exspectat* αὐτιμεμφῶς pro, *stultè & rusticè*, aut ἐλλαπλῶς, tanquam stultus & rusticus.

Flauos.] Hic alii codices legunt *rauos*, qui color est medius inter flauum & cæsium; ac mihi videtur magis, quàm flauus leoni conuenire.

Reditus dulces.] Periphrasis est vocis Græcæ, νόστος quam Scholiastes Homeri sic definit: ἡ ἐς οἶκον τροφὴ διὰ τὸ τῆς πατρίδος ἡδύ, id est, *in domum regressus propter suauitatem patriæ.*

Eamus.] Similis est anomalia superiori & illi Odes 2.l.4 *Non semel dicemus, ὦ Triumphe, ciuitas omnis*, vt Poeta videatur hanc phrasin affectasse. Sensus ergo est: *Nos ciues omnes exsecrati suprà dicta, quæ nobis præcidunt redeundi spem omnem, eamus.*

Exspes.] Ἀνέλπιστος, deiectus spe meliora inueniendi alibi, atq; in sua patria.

Perprimat.] I. lectis infaustus semper incumbat & immoretur.

Cubilia.] Videtur sumendum non synecdochicῶς, sed emphaticῶς ad locum assiduæ ignauiæ & desidiæ dicatum.

Muliebrem.] Omnibus nota est mulieris natura, quam propensa sit ad luctum. Itaq; monet, ne se lacrymis & lamentis muliebriter dedant. Sic Virg.8. Æn. *Tollite cuncta*, i. auferte vel pellite.

Præteruolate.] I. transuolate mare Tyrrhenum, vt tandem perueniatis ad Fortunatas Insulas Oceani. Pind. Pyth. ἐιδ. 1. regionem Hyperboreorum facit eiusdem felicitatis cum his insulis, vbi:

Νόσοι δ', ὅστε γῆρας ὑλόμενον
Κέπρασται ἱερᾶς γενεᾶς.
Πόνων δὲ καὶ μαχᾶν ἄτερ
Οἰπένσι φυγόντες
Ὑψερβόρεον νέμεσιν·

neq; morbi, neq; pernicios a senectus sacræ genti mixta est: sed sine laboribus & præliis habitant, vltionem diuinam summè iustam fugientes: de iisdem lege ead. β. Ολυμπ' αὐτις. 4. & Zetzen in Hesiod. lib. 1. oper. vbi describitur quartum genus hominum, & Philostratum lib.5. c.7. Sic Proteus Odyss. δ. prædocet Menelaum:

Ἀλλὰ σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ Πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν·

sedes in Elysium campum & fines terræ

Dii mittent immortales. Vbi quoque facillima est hominibus viuendi ratio, quem locũ Eustathius vocat τῶν μακάρων νήσους, ex descriptione Geographi, *beatorum insulas*, παρὰ τὸ ἁλύειν, τοῦτ' ἐστι χαίρειν, ἢ ἀπὸ ἀλύτως ἔχειν τὸς ἐνεῖ, ὅ ἐστιν ἀφθάρτως, ἀθανάτως, *ab hilaritate, aut quòd qui illic sunt, incorruptè & integrè viuant in æternum.* Etymologus hac definitione & notatione declarat, Ἠλύσιον πεδίον, ὅτι δὴ τὸ τῶν εὐσεβῶν χωρίον, παρὰ τὸ λυτὰς σωμάτων ἐνεῖ μένειν τὰς ψυχάς, i. *campum Elysium esse sedem piorum, atq; dici, quòd animæ corporibus soluta illic maneant.* ἢ ὅτι ἀδιαλύονται αἱ ψυχαὶ, ἀλλὰ διαμένουσιν ἀπαθεῖς, i. *aut quòd animæ permaneant indissolubiles.* Ioseph. li. 2. c. 8. scribit de hæreticis *Essenis*, quod huc spectat. *Illi*, ait, *pietatem collocabant in rigido quodam victu, sacrificiis peculiaribus & cultu iustitiæ ciuili: animas bonas, postquàm è corporibus exceßissent, pronuntiabant degere vltra oceanum, vbi sit eis repositus felicitatis fructus. Illic quippe esse regionem quæ neq; imbribus, neq; niuibus, neq; æstibus aggrauetur: sed quam oceano Zephyrus oriens & leniter adspirans amœnam efficiat: malis autem animabus procellosa loca & hybernas delegabant, plena gemitibus exercendarum sine fine pœnarum.* Erat hæc secta vna è tribus eorum, qui Hyerosolymis ætate redemptoris nostri Iesu Christi profiterentur Doctores religionis; de quibus tametsi sacræ literæ silent, hîc tamen vides de iisdem factam modò à Iosepho mentionem. Existimantur autem hoc nomen sortiti a participio *Bonim* Hebræo *hoschim*, i. agentes a radice *haschah*. i. fecit, egit, parauit, cui nomenclaturæ aptissimè conuenit illa corporalis exercitatio austera, quæ *D. Paulo* epist. 1. cap. 4. v. 8. ad *Timotheum* πρὸς ὀλίγον ὠφελιμὸς. i. ad pauca est vtilis. Reliquæ sectæ vocabantur Phariszei & Sadducæi, illi quidem Hebraicè *Peruchim* à radice *parasch.* i. exposuit, quòd essent populo legis interpretes & explanatores: hi verò *Zaddikim.* i. iusti, à falsa iustitiæ persuasione, à quàm longissimè abessent, ostendit grauissima Christi reprehensio Matthæi cap.22. & Luc.20. quòd resurrectionem mortuorum & angelos & animos hominum à corporibus separabiles negarent, & è libris fœderis solum *Pentateuchon* admitterent. De his Elysiis lege opiniones Poetarum, Philosophorũ, Theologorum in notis Seruii ad vers. Aen. 5. *Concilia, Elysiúmq; colo.* & alteram vocis rationem: & Sallustium citatum, qui scripsit illas insulas esse inclytas carminibus Homeri: vnde Virg. 1. Georg.

Quamuis Elysios miretur Græcia campos.

Nos manet.] Quasi nos illi debeamus, vel ille nobis debeatur. De hoc verbo vide Od. 28. l. 1.

Circumvagus.] Circumuagus Oceanus dicitur, quia moles terræ circumfusa est Atlantico mari.

Insulas.] Od. 18. l. 4. notauimus rationem huius vocis, vt τῆς νήσου: nunc definio insulam, ἀλιέρρυτα χώραν regionem mari septam.

Impulata.] I. intacta, non putata, ἀπλὰς ἄμπελος ἢ ἀπλάδευτος, οὐ τμηθεῖσα, ὡς γῆ αὐηρότη, ἀσπάρτη, ἄσπορα, i. non sata, quod hic dicitur tellus inarata & apud Virgilium in Georg. *nullo cogente fert fructum*, sumtum est ab Hesiodo ἐν ἔργ. —— πάρπον ἐρεφεξίδλωρος ἄρηρα ἀὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον. i. *fructum ferebat ad vitam necessarium tellus sponte sua multum & copiosum*, vt *inarata*, non arata, nec culta.

Fallentis.] Non vbiq; oliua sic affecta est, vt dominum suum non fallat, sed illi propriè conuenit, quæ nascitur in insulis fortunatis.

Termes.] Quidam sic definiunt, vt Porphyrio, ramum oliuæ extremum, vt palmitem vitis. Festus tamen ramum nec foliis luxuriantem nec glabrescentem: est quoque Termes palmæ, qui dicitur σπάδιξ Græcè, atq; definitur l.2.c.26. apud *Agellium, Spadica Dorici vocant auulsum à palma termitem cum fructu*, tanquam diceres, πλάδον ἐμπαρπον: de quo sic Plutarchus lib.8. συμπασσ. proble.4. πρῶτος οὐ δήλῳ, Θησεὺς ἀγῶνα ποιῶν, ἀπέπασε πλάδου τὸν νικῶντα φοίνικος, ἢ καὶ σπάδιξ ὠνομάσθη. i. *Theseus primus quum in Delo certamen instituerat, auulsit termitem sacræ palmæ: vnde spadix nominatus fuit.*

Pulla.] Id est, nigra, quali colore nigro commendatur ficus, quâ decoratur naturalis, non insita ipsius arbor. Veranius tamen de verbis pontificalibus scribit, ficum nigram esse ex infelicibus arboribus: contrà, ficum albam ex felicibus, ait Macrob. l.3. Sat. c.20. Isidorus tradit ficum dici à fœcunditate.

Ad mulctra.] Duplici genere & fine potest efferri. Virgilius vtitur altero; *bis venit ad mulctram* Eclogâ 3.

Tenta.]

Tenta.] Deflectitur à verbo *tendo*, cuius compositò Virg. 7. Eclogâ vtitur:

Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.

Grex amicus.] Valde mihi probatur lectio I. Douzæ, *Grex amictus*, i. probè lanatus & densâ, mollíque lanâ vestitus, qui est ouilli pecoris fructus.

Nec vespertinus.] Hellenismus est, & antimeria nominis pro aduerbio *vesperi*, de quo fuit Ode 2. lib. 1. qualis l. 8. Æneid.

Nec minùs Aeneas se matutinus agebat, pro manè. Sic Homerus Iliad. τ. παννυμέριος πολεμίζει, pro, *οὐ τῷ πολεμεῖν διημερέυει, per totum diem bellum gerit.* Sic quoq; Hesiodus in Aspide, ἠῶος χέει αὐλιὴν. i. *Matutinus fundit vocem.* i. manè, vt ibidem.

παννύχιος δ' ἀρ' ἑλεπτο σὺν ἀλόχῳ παρακοίτι. i.

Totâ autem nocte concubuit cum pudica vxore.

Viperis.] De viperis lege Oden 8. l. 1.

Eurus.] De hoc vento fuit Ode 28. l. 1.

Argoo remige.] Ode 6. l. 2. ad v. *Tibur Argeo positum colono.* notauimus in Gram. τὸ Ἀργεος deflecti ab Ἀργεῖος, & hoc singul. numeri: sed præsens τὸ Ἀργοο deducitur ab Ἀργῶος & rursus hoc ab Ἀργὼς. οος, quæ fuit nauis Iasonis.

Colchis.] Colchus est nomen & regionis Asiæ & gentis, quæ dicitur παθητικῶς *impudica*, quod mares ἀρσενόποτταὔσαν, muliebria paterentur vicissim, præter alia stupra.

Sidonii.] Dicti sunt à Sidone celebri Phœniciæ vrbe, cui imperauit Cadmus rex Phœnicum, vt Tyro, de quo rege vide l. 2. Cornelii Taciti. De Sidoniis & simili huic occasione patriæ olim relictæ sic Sallust. in bello Iugurthino scribit: *Leptis oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias ciuiles nauibus in eos locos Africæ venisse.*

Cornua.] Supple antennarum & velorum, quę non insulas fortunatis Sidonii obuerterunt. Sic Virg. loquitur 3. Æneid. v. 549.

Cornua velatarum obuertimus antennarum. Hæc cornua dicuntur Græcè περάτια καὶ κέρατα & coniunctè hîc significantiùs ἀκροκέρατα, *extremitates antennarum.*

Laboriosus.] Videtur παθητικῶς sumi, vt significet, quod Græcè dixeris, τῷ πόνῳ ξωεῖναι, i. *in labore versari.* Sic *laboriosa deambulatio, exercitatio, versus*, in quæ plurimum insumitur laboris, aut in quibus laboratur, etiamsi de homine dicatur patientissimo laboris: vnde laboriosos homines, industrios ac laborũ amantes interpretatur Cic. Tusc. l. 2. de quo, vt de aliis vocabulis in vtrámq; partem sumtis, lege Agell. l. 9. c. 12. Itaq; laboriosa cohors est, vt *laboriosi remiges* Epod. 17. quæ graues patitur labores.

Cohors.] Videtur etiam ab Ennio dici *spiras legionibus nexunt*, quæ vox videtur flexa à Græca σπεῖρα, quam Budæus in illo loco Polybii, διὰ τὸ παρὰ τεττάρτην ἡμέραν ἑκάστῃ σημαίᾳ καθήκειν τὴν λειτουργίαν, *quòd quarto quóq; die muneris obeundi vices ad singulas cohortes redeant*, appellat σημαίαν & vertit cohortem, quæ vnde dicatur, vide Oden 3. l. 1.

Vlyssei.] Τετρασυλλάβως à declinatione Vlysseus Vlyssei.

Impotentia.] Vt primigenium τὸ *impotens* modò pro imbecillo, vnde impotentia, imbecillitas & infirmitas: *propter suam impotentiam se semper credunt negligi* Adelph. Act. 2. Sc. 3. modò inde translatum ad animum pro vehementi & vehementia, vt hîc; & incontinenti & incontinentia.

Vt inquinârit.] I. postquam polluit. De his ætatibus lege opera & dies Hesiodi & l. 1. Metam.

Quorum fuga.] Id est, *seculorum ferreorum deuitatio sit*, vel, *quæ secula ferrea pii possunt effugere meâ prædictione & consilio de fortunatis insulis petendis*: de quibus vide Sallust. & Diodor. l. 3. c. 13. aliosq; Historicos & Cosmographos, inter quos non satis constat, vbi sint sitæ, & Oden 8. l. 4.

Secunda.] Quæ feliciter ac faustè succedet.

Explicatio Rhetorica.

METrum est dicolon, distrophon, cuius primus quisq; versus est hexameter dactylicus: secundus hexameter iambicus.

a Metaph. est à corporibus, vt:

Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Hinc ad alia: *In rebus discendis ætatem terere*, vt modò dictum est, & sæpiùs coniunctum, conterere tempus, diem, noctem, ætatem, otium, æuum, vitam.

b Metonymia est subiecti, pro Romani sunt sibi exitio.

c Videtur ductum à conductoribus operarum ad quamlibet multitudinem hominum operi perficiendo destinatam: sic hic ipse loquitur, *multa manus Poetarum.*

d Meton. loci pro incolis & synecdoche speciei pro fortitudine Campanorum.

e Metonymia est rei subiectæ pro exercitu seruorum, cuius dux erat Spartacus gladiator Thracius.

f Synecd. est duplex: primùm singularis pro plurali, *Allobroges*: deinde speciei pro genere Gallorum: qui nouis semper rebus studebant contra Romanos, vt constat è tertio & quarto commentario Cæsaris. Alii non agnoscunt modum secundum synecdoches, sed de Delphinatibus & Sabaudiensibus tantùm intelligendum esse existimant, qui coniurationem Catilinariam indicârunt Consuli Ciceroni, cuiusmodi indicium non quidem dici potest infidele; sed istam fidelitatem erga pop. Rom. illi non semper retinuerunt, vt constat ex orationibus Ciceronis de prouinciis Cos. & pro M. Fonteio.

g Meton. subiecti pro feris Germanis, sicut in *pube* aditincti pro iuuenibus.

h Synecdoche est speciei pro quibuslibet maioribus.

i Per meton. subiecti sumitur Annibal pro ipsius exercitu.

k Synecd. est generis pro regione Romana, qualis est singularis pro plurali in *barbarus victor*, & generis, in *Quirini*, pro, Romuli ossa. Poeta videtur hîc sentire cum Varrone, qui scribit sepulcrum Romuli fuisse post rostra, quem tamen alii dicunt in cælum sublatum vel discerptum.

l Meton. est subiecti vel potius adiuncti pro subiecto equo, & hic per synecdochen pro equis calcantib. cineres Romuli.

m Meton. loci pro ipsius incolis Phocæis, qui exsecratione factâ patriam suam reliquerunt.

n Ἀνακοίνωσις est: communicat enim cum suis ciuib. de pacatiori & tutiori habitandi loco.

o Meton. efficientis pro auspicio bono.

p Hîc tanquam ex parte συνεκδοχικῶς tota vrbs Roma intelligitur.

q Synecd. est generis pro Ligustico, in quod vsque hic mons porrigitur: Gallicè, *s'estend.*

r Synecd. est speciei pro quolibet illegitimo & inæquali coitu.

s *Ciuitas* μετωνυμικῶς dicitur pro *ciues*: quale nota-

tum fuit Ode 2. lib. 4. ad verba *dicemus omnis Ciuitas.*

t. Metaphora à pecoribus ad hominum plebeiorum multitudinem & vulgus non intelligens notandum.

u Idem sonus repetitur initio & fine membri per Epanalepsin, qualis est illa Virgilii:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

x Metonymia est efficientis inuentricis pro frumentis.

y Metaphora ab animantibus ad inanimatam aquam, quæ suo cursu decliui murmur edit, vt Virgil. lib. 1. Georg.

Illa cadens raucum per leuia murmur Saxa ciet.

z Metaphora ab his, qui scabra & exasperata læuigant. Inductiones quidem aquarum dant terris fæcunditatem, sed rapidi torrentes sterilitatem, quod non contingit solo fortunatarum insularum, néque nimius æstus.

aa Synecd. periphrasis generis pro Ioue.

bb Meton. materiæ pro naue Argo inde facta: deinde τὰ *Remige Argoo* dicuntur συνεκδοχικῶς pro remigibus Argois, Heroibúsque Græciæ ad vellus aureum profectis.

cc Altera est periphrasis synecdochica Medeæ filiæ regis Colchorum Aeetæ.

dd Synecd. membri pro, Sidonii non obuerterunt naues suas insulis fortunatis, nec appulerunt. Est prætereà translatum a bestiis cornutis ad quamlibet rerum extremitatem; fluminum, pro finibus, exercitus; pro vtróque ipsius latere; vteri, pro exiguis apophysibus.

EPODI XVII. AD CANIDIAM.

Theticum.

In Canidiæ gratiam Poeta simulat se velle precibus redire: illa contrà præbet se ad id implacabilem & inexorabilem.

IAm iam efficaci do a *manus* b *scientiæ*
Supplex, & oro regna per Proserpinæ,
Per & Dianæ non mouenda numina,
Per atq; libros carminum valentium
Refixa cælo deuocare sidera:
Canidia parce b *vocibus tamen sacris,*
Citúmq; retrò solue, c *volue turbinem.*
2. Mouit d *nepotem Telephus Nereium,*
Inquem superbus ordinârat agmina
Mysorum: & in quem tela acuta torserat:
Vnxêre e *matres Iliæ addictum feris*
Alitibus, atq; canibus homicidam Hectorem:
Postquam relictis mœnibus f *rex procidit*
g *(Heu) peruicacis ad pedes Achillei.*
Setosa duris exuêre pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei,
Volente Circe, membra: tunc mens h *& sonus*
Relatus, atq; notus in vultus honor.
3. Dedi satis supérq; pœnarum tibi,
i *Amata nautis multùm & institoribus.*
Fugit iuuentas & verecundus k *color,*
Reliquit ossa pelle amicta luridâ:
Tuis capillus albus est l *odoribus.*
Nullum a labore me reclinat otium:
Vrget diem nox, & dies noctem: neq; est
Leuare tenta spiritu præcordia.
4. Ergo negatum, vincor, vt credam miser,
m *Sabella pectus increpare carmina,*
Capútq; Marsâ n *dissilire Næniâ.*
Quid amplius vis? o *O mare & terra! ardeo,*
Quantum neq; atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana feruida
Furens in Aetna flamma: 5 tu donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis p *officina Colchicis.*
6 Quæ finis? aut quod me manet q *stipendium?*
Effare, iussas cum fide pœnas luam:
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuuencos, siue mendaci lyra
Voles sonari: 7 tu pudica, tu proba,
r *Perambulabis astra sidus aureum.*
8 Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fratérq; magni Castoris, victi prece
Ademta s *vati reddidère lumina.*
Et (tu potes nam) solue me dementiâ,
9. t *O nec paternis obsoleta* u *sordibus!*
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Nouendiales dissipare pulueres!
Tibi hospitale pectus & puræ manus:
Tuúsq; x *venter Partumeius: & tuo*
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcúnq; fortis exsilis puerpera.

Canidiæ responsio, quâ veniam Horatio denegat.

1 Quid a *obseratis auribus* b *fundis preces?*
Non saxa nudis c *surdiora nauitis*
d *Neptunus alto* e *tundit hybernus salo.*
2. f *Inultus vt tu riseris Cotyttia*
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini g *Pontifex veneficî*
Impune vt Vrbem nomine implêris meo?
3 Quid proderit ditasse Pelignas h *anus,*
Velociúsve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
4 Ingrata misero vita ducenda est, 5 in hoc
Nouis vt vsq; suppetas doloribus.
i *Optat quietem Pelopis infidus pater,*
Egens benignæ Tantalus semper dapis:
Optat Promethus obligatus k *aliti:*
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Iouis.
6 Voles modò altis desilire turribus,

Modò

Modò enſe pectus Norico recludere:
Fruſtráq; vincla gutturi innectes tuo,
Faſtidioſâ triſtis agrimoniâ.
l *Vectabor humeris tunc ego inimicis eques:*
Meæq; terra cedet inſolentiæ.
7 *An quæ mouere cereas imagines,*
(Vt ipſe nôſti curioſus) & m polo
Deripere lunam n *vocibus poſſum meis:*
Poſſum crematos excitare mortuos,
Deſideriq; temperare o *poculum:*
Plorem p *artis in te nihil habentis exitus?*

Analyſis Dialectica.

EX propoſito Thetico perſpiciuntur epodi bipertiti, vt prior quidem pars complectatur rationem reconciliandæ amicitiæ & concordiæ cum Canidia: eam tamen à Poeta fictam & ſimulatam: poſterior autem τλὺ τῆς γυναικὸς ἐχθρᾶν ἄσπονδον, *mulieris inimicitiam nullis libationibus deponendam.* Itaque Poeta, tandem expertus ſummam vim & potentiam veneficiorum & carminum in homines, confitetur ſe grauiter erraſſe: quòd illam priùs irriſit, contemſit quòd denique negauit, tantas ineſſe vires ipſius carminibus: cuius rei iam ipſum pœnitet & veniam à Canidia petit: quam vt faciliùs impetret, ſupplex illam orat per auctores & principes artis Magicæ, quos ab ea nouit ſtudiosè ac diligenter coli: quæ ſanè ratio è loco efficientium ducta plurimùm valet ad exorandam pœnæ iam ſatis perſolutæ remiſſionem.

2 Eandem ſupplicii condonationem premit exemplis, quorum appoſitione quod fit, id iure fieri videtur. Primum eſt Achillis, qui etſi paſſim ab Homero dicitur ἀτειγητος ἠὲ ἔχων νηλεὲς ἦτορ implacabilis & immiſericors; mens tamen illius commota eſt miſericordiâ in Telephum Myſorum regem, & vulnus, quod ipſi inflixerat, ſanauit. Idem adhibuit parem rebus Priami afflictis miſericordiam, quum Hectoris corpus patri reddidit ſeni ſuppliciter petenti ſepeliendum, quanquam iamdiu antè ab irato feris, auibúſque rapacibus addictum & deſtinatum fuiſſet. Secundum eſt Circes, quæ miſeratione ducta priſtinam hominis figuram, vocem & mentem reddidit ſociis Vlyſſis, formis porcorum aliarúmque beſtiarum remotis.

3 Ex ſuperioribus efficit, ſibi remittendam eſſe pœnam, quæ diſtributione ſubiectarum partium explicatur & amplificatur. Nam ætas iuuenilis, purpureus adoleſcentiæ color ipſi odoribus & vnguentis Canidiæ defloruit: corpus aridum, attenuatum, exſuccum & exſangue, oſſibus liuidâ pelle tantùm veſtitis ſuperfuit: canities ſubiit: noctem excipit dies laborioſa, & contrà nox diem inquieta: denique facultas non datur liberè & tutò reſpirandi.

4 Ex illa enumeratione confitetur, quod primo verſu propoſuerat, carmina & Epodas Canidiæ plurimùm valere ad homines dementiâ deprauandos, & ex ea libera confeſſione ſe mereri impetrationem veniæ. Eámque ob rem ſubiicit, *quid amplius vis?* ſed quia videt ſuperiori apodixi non ſatis profeciſſe, eam confirmat geminâ minorum collatione: *quòd Hercules minus arſerit veſte veneno delibutâ, quàm Poeta cantionibus Canidiæ commotus ſit: minùs quoq; mons Aetna inexſtinguibili flammâ flagrârit, quàm idem ipſe eiuſdem incantamentis.*

5 Faceta quidem certè & elegans eſt ironia Poetæ, attamen cum aculeo & maledicto coniuncta: nam ille, quaſi ex geſtu & ſermone meretricis animaduertiſſet, ſe nihil dũ promouiſſe, concludit parium collatione, eodem tẽpore cantiones, & γυναικόμαχα mulieris terminatũ iri, quo ipſe fuerit in puluerẽ reſolutꝰ.

6 Quum rurſus intelligit obſtinatiorem voluntatem ſæuiendi & in ira obfirmatiorem; offert ſeſe vltrò quamlibet pœnam laturum ad ipſius arbitrium & nutum, ſiue illa popoſcerit Hecatomben, ſiue hymnum in ipſius honorem, licet hic non niſi falsò illi poſſet attribui: qualem profectò προκατάληψιν Galli ioci loco præfari ita ſolent, *Tout bien de vous, encore que ie deuſſe mentir.*

7 Hoc eſt velut initium hymni promiſſi.

8 Confugit rurſus ad rationem exemplorum: *Steſichorus quidem iambis maledicis & contumelioſis Helenã perſequutus, vnde lumine ab ipſius fratribus dicitur orbatus tantiſper, dum Palinodiam cecinit, & quam priùs infamiâ notauerat, laudare cœpit, ita ſenſum videndi recepit: Nunc equidem fateor*, ait Poeta, *in te huiuſmodi flagitium admiſiſſe, ſed quum tibi cano cantilenã priori contrariã, videor dignus maximè, qui ſoluar à te tali dementiâ, quod potes, ſi vis, præſtare.*

9 Continuatur Palinodia iam inde incepta, *tu pudica, tu proba &c.* & loco diuerſorum amplificatur: *quòd illa nunquam fuerit ex inquinatis & adulteris, nec obſcuris & auara parentibus orta, nec in mortuorum manes impia, nunquam in ſepulcra pauperũ ſceleſta: ſed e claris & liberalibus edita: ideóq; ipſa mẽtis puritate & integritate corporis pietatẽ humanitatémq; ſemper ita coluerit, vt nullo ſe partus dolore fractam & debilitatam ſenſerit, nec ſecus affectam, ac ſi vrinam reddidiſſet*: ita videtur illa vindicari a crimine ſupponendi alienos pueros: his Grammatica & Rhetorica partis prioris ſubſcribantur.

Analyſis Dialectica alterius partis.

PRimùm Canidia inducitur auerſans preces Poetæ minacibus verbis, atq; prima repulsæ ratio eſt e parium collatione: *quòd fruſtra preces fundat homini perinde ſurdo, atq; rupes aquoreæ obſurdeſcunt ad preces nauiragorum naufragorum.*

2 Cauſſa, cur Canidia nolit Poetam audire: ſed contra, velit ulciſci, petitur è Categoria effectorum: *quia hic ſcripto diuulgauit & irriſit ſacra Coryttonis Deæ impudentis & obſcœnæ: item ſacra Cupidinis omne libidinum genus ſine pudore exercentis: præterea Canidiæ notam infamiæ per Vrbem inuſſit: poſtquam ab ea particeps factus eſſe talium ſacrorum & veneficiorum*: vbi interpoſita ſunt ſimilia: *quod ille non ſecus reprehenderit huiuſmodi ſacra, ac ſi Pontifex maximus fuiſſet*: unde facilè perſpicias illud Iuuenalis ueriſſimum:

Vindictâ nemo magis gaudet, quàm fœmina.

ut hoc alterum Senecæ l. 1. c. 5. de dementiâ. *Muliebre eſt furere in ira.* & Plut. l. de ira, *Mulieres magis iracundæ quam viri: vt ægroti, quàm ſani, ſenes quàm iuuenes, rebus aduerſis vtentes, quam ſecundis fruentes.*

3 Conficit ex adiunctis hypothericõs tractatis, auxilium veneficarum anuum nihil ipſi profuturum: *ſi vitam*, inquit, *produxeris longiùs, quàm optes; fruſtra veneficas arceſſes, quæ te ſuis antidotis leuent.*

4 Aſſumtio hic eſt: *ſed vita tibi diutiùs eſt producenda.*

5 Complexio eſſet: *fruſtra igitur tales veneficas pretio conduces:* ſed huius loco reponitur enunciatum ex fine: *vt illius diuturnior vita ſufficiat doloribus identidem redi-*

turis:quod amplificat trib. 'exemplis diuersè tractatis;*Tantali, Promethei & Siſyphi, qui videntur quietem optare:ſed Iupiter de illo aliter ſtatuit.*

6 *Contrà tu voles modò te deiicere de turri in præcipitium: modò tibi manus afferre cruentas: modò vitam laqueo finire: ſed non permittam, & inſidens tuis humeris ſemper te exagitabo, neq; me quiſquam mortalis poterit impedire.*

7 Locus eſt è diſparatis, vel, vt alii loquuntur, è repugnantibus: *Poſſum cereas imagines animare: carminib. lunam cælo deducere: philtra & amatoria pocula conficere, & mortuos excitare. Non eſt igitur credendum, quin non finem artus meæ facilè conſequar, vt te, quoties & quamdiu volem, ad inſaniam adigam.* His quoque Grammatica, & Rhetorica partis ſecundæ ſubtexantur.

Enarratio Grammatica.

Do manus.] Vel manicis vinciendas, vt quid de me ſtatueris, liberè facias. Ab hac phraſi non admodum abludit illa Terentii in Adelph. *da te mihi hodie*, quam Donatus explanat, *te ad meam voluntatem & nutum accommoda*: ſic Cic. Terentium imitatus Epiſt. 8. lib. 2. ad fam. Cæl. Ruf. *da te homini*, id eſt Pompeio: *complectitur mihi crede &c*: vel quod Græcè dicitur, τὰς χάρας αὐτὰ τείνω ποιήμενος σὺν χὲς ὡς νιπυὲς μάχῃ, id eſt, *manus porrigo cum precibus, vt prælio victus*, quem cædere inhumanum eſt, ſicut è Lycurgo Plutarchi perſpicitur: ὄτε γενναῖον, ὅτε Ἑλληνικὸν ἡγήμενος, πόπλιν καὶ φονεύειν ἀπολεγομένους καὶ παρακεχωρηκότας, id eſt, *Neq; eſt animi celſi, neq; Graci nominis, cædere ſuccumbentes & locum cedentes interficere.* Hi autem Epodi rectè à quibuſdam dicuntur Eclogæ, quarũ ſunt Eclogarii Poeta & Canidia, tanquam in aliqua fabula aut Dialogo: vbi ſermo interrogando & reſpondendo vtrinq; ſeritur. Hæc eadem eſt ipſa Canidia, quam Epod. 5. apertè infamiâ veneficii & pædoctoniæ notauerat, qd' ipſum hîc facit diſſimulanter, eóque efficaciùs.

Regna per Proſerpinæ.] Sic cariſſima quæq;, ſumma, & antiquiſſima, per obteſtationem ſolent deuocari. Interpretor autem hîc *regna per Proſerpinæ*, dominatum illius & ditionem, penes quam eſt vitæ atque necis imperium, ſicut dictum eſt Ode 18. li. 1. ideóq; à veneficis implorari ſolebat, vt Luna & Hecate nocturnæ Deæ à Simætha in Pharmaceutria Theocriti.

Dianæ.] *Numen Dianæ non eſt mouendum*, pro, *non eſt irritandum neq; commouendum*, quod dicitur ἀφαιρετικῶς. ſed de hac Dea vide Ode 12. lib. 1. & 21. eiuſdem libri & 22. tertii & omnium proximè Epod. 5.

Valentium.] Summa eſt vis incantamentorum, quibus ſidera cælo deuocantur, aqua fluuii conſiſtit, & curſum ſuum inhibet: aſtra retrò aguntur.

Cælo deuocare.] Pro hoc dixit Epodis 5. *Lunam cælo diripit.* Virg. in Pharm. & Tibul. *deducere*, & Plin. l. 30. *Menander Theſſalã cognominauit fabulam, complexam ambages fœminarum detrahentium Lunam*: quod interpres Gallicus ſic reddit: *Menander aiant faict une comedie ſur le fait des ſorciers, qui par charmes penſoient tirer la Lune du ciel, ſ' intitula Theſſaliq.*

Sacris vocibus.] Seruius in verſ. 3. Æn. *auri ſacra fames &c*: exponit exſecrabilis addens hanc expoſitionis rationem: Tractum eſt hoc ex more Gallorum: nam quum Maſſilienſes peſte laborabant, vnus ſe ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis & puriorib. cibis: poſteà verbenis, veſtibúſq; ſacris ornatus circumducebatur per vrbem cum exſecrationibus, vt in eũ inciderent omnia mala ciuitatis & ſic proiiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum eſt.

Citũ retrò.] I. *Rhomb. retrorſum incitatus mẽtis alienationẽ reſtituat, & animum incantamẽtis Canidiæ conſtrictũ ſoluat.*

Volue turbinem.] Similis eſt Epode Idyl. 2. Theocriti Simædæ amantis.

Ὡς τῦτον τὸν ἀρὸν ἐγὼ σὺν Δαίμονι τάνω,
Ὡς τάνοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις·
Χ' ὡς λινέᾳ' ὁδὶ ῥόμβος ὁ χάλκιος, ἐξ' Ἀφροδίτας
Ὡς νῆνος λινοῖτο ποθ' ἁμετέρησι θύρῃσι.

Vt ego hanc cerã liquefacio numine bono: ſic liqueſcat amore ſtatim Myndius Delphis. Vt etiam hic æreus turbo volutur Veneris ope: ſic ille voluatur ad noſtras fores. Hanc vocẽ Græcam Latini retinuerunt Poetæ, quũ de mulierib. veneficis loquuntur: quæ ſuis veneficiis & cantionib. Rhombum adhibebant, qui trochus & rota erat παρὰ τὸ ῥέμβειν dictus à circumagendo in gyrum, vt dictum eſt Epod. 2. Propert. l. 3. Eleg. 6.

Improba non vicit me moribus, illa ſed herbis,
Staminea rhombi ducitur ille rotâ.

Forma autem talis incantamenti videtur exprimi à Luciano in Dialogo ἑταίρᾳ & in eo, cuius initium eſt, ἔστιν' οἶδα &c. εἶτα ἐν τῇ πόλει προπομίσασα ῥόμβον ἐπιῤῥίφα ἐπῳδήν τινα λέγουσα ἐπὶ τρόχῳ τῇ γλώσσῃ βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα. hîc equidem puto ἐπιθετικῶς coniũgendũ, ἐπιτρόχῳ. *deinde turbine prolato è ſinu, quandam cantionem voluit pronuncians volubili linguâ vocabula barbara & horribilia*: qui mos ſemper fuit incantantium & hariolorum. Hoc igitur genere ſermonis Poeta precatur, vt, quam dementiam ſibi intulerat prior turbinis & rotæ conuerſio, poſterior contraria illam adimat.

Telephus.] De Telepho Herculis filio vide l. 5. Diod. Siculi & Plin. l. 33. c. 18. de eodem Agathon Tragicus Poeta Græcus ſcripſit Tragœdiam. Athenæus l. 10.

Nereium.] Nereius à nomine aui materni dictus eſt nepos Achilles.

In quem.] I. in Achillem Telephus rex Myſorum inſtruxerat exercitum, vt à Myſia Græcos expelleret, ſed vulneratus ab Achille ſanatus eſt rubigine enſis Achillei, quæ, vt ſcribit Plinius, valet plurimùm ad exſiccandum & adſtringendum. Alii tamen dicunt eum, quum vulnus acceptum ſanari nequiret, conſulto, & edito oraculo exoraſſe Achillẽ, vt ſe iterum vulneraret. Hinc veterib. magna vlcera τὰ ἕλκη Τηλέφεια, & herba τηλέφειον nominata ſunt.

Vnxêre.] Non admodũ hîc laboro de vtralibet lectione, *vnxêre* vel *luxêre*: quippe, quòd ſciam & *vnctionem* & *luctum* ad funera & exſequias poſſe pertinere, & ad ſolam ſpeciem argumenti, quo Poeta vtitur ad animũ Canidiæ precibus flectendum, vt deſinat tandem ſecum grauiùs agere exemplo Achillis, qui repreſſâ priori irâ conceſſit Priamo corpus Hectoris, iam diu ferîs & canibus deuotum & expoſitum, ne infletum & inhumatum remaneret, de quo lege Iliad. ω. Hoc verſu ſub finem τῷ ω. luctus indicatur.

Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ γενάχοντο γυναῖκες.

Hi quidem lamentabantur, ac præterea mulieres gemebant.

Vnctio quoq; & Lotio adhibebantur, vt indicat hic verſus Ennii.

Tarquinii corpus bona famina lauit & vnxit.

Homicidam.] Paſſim à Græcis ἀνδροφόνος, & ἀνδροκτόνος dicitur, non diſpari admodum vi notationis.

Peruicacis.] Peruicax eſt, qui, niſi vicerit, quieſcere non poteſt. Ita Donat. in Hecyr. Act. 4. Sc. 1. v. 17. *Adeón' peruicaci eſſe animo, vt puerum præoptares perire? peruicax*, ait, *eſt perſeueranscum quadam vi, & peruicacia eſt animi libido ad diuortium vſq; coniugum obſtinata & contentioſa. Achillei & Vlyſſe*: Latinè deflectuntur à rectis, *Achilleus & Vlyſſeus*, non ab *Achilles & Vlyſſes*.

Setoſa.] De hac Metamorphoſi ſecunda lege Odyſſ. ν. & 14. Metamorph. Ouidii.

Sonus relatus.] Vox humana reddita pro grunnitu porco-

porcorũ. Quidam hîc malunt τὸ relapſus, quòd paulatim forma humana illis & amiſſa & recuperata.

Reclinat.] Sic dicit Ode 3. lib. 2.

Sentę in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum beârę.

quod Græci efferunt per κατακλίνειν καὶ ἀνακλίνειν.

Neq; eſt.] *Non licet.* Sic Græci paſſim ἔξεστι καὶ ἔστι tam affirmatè quàm negatè vſurpant.

Præcordia tentat.] Diſtenta & διαπνοϊκὰ & vix reſpirantia.

Negatum.] Hæc obſcura ſyntaxis clariùs retexenda eſt: *Ego Horatius miſer cogor nunc credere negatum priùs à me, nempe Sabellica & Magica incantamenta poſſe increpare pectus meum*, i. *perturbare mentem meam, ipſiúſq; aciem perſtringere.* Illa enim fuit opinio, cantionibus venificarum de ſtatu mentis & corporis non homines ſolùm deiici, ſed etiam beſtias necari Eclogâ 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Sabellæ carmina.] Incãtamẽta Canidiæ, quæ Sabella erat: de qua gente fuit Od. 6. l. 3. vt de Marſa Epod. 5.

Caput diſſilire.] Propriâ huius verbi ſignificatione vſus eſt Cic. pro Mil. *Quum hic de rheda reiectâ panulâ diſſiluiſſet.* & Virg. 3. Æne. *hæc loca diſſiluiſſe ferunt.*

Quid amplius vis?] Hoc Græci pronunciant τίνος πλέον μενοινᾶς.

Neſſi.] De hac fabula Neſſi Centauri & Deianiræ vide Epod. 3. in Dialecticis & Rhetoricis.

In Aetna Sicana.] Ratio prioris vocis alibi reddita fuit: itaq; poſterioris nunc reddatur. Seru. in Æn. 8.

Tum manus Auſonia & gentes venêre Sicanæ.

conuenæ de diuerſis, vt Auſones & Sicani. Sicani autem ſecundùm nonnullos populi ſunt Hiſpaniæ à Sicori fluuio dicti. Lucan.

Heſperios inter Sicoris non vltimus amnis.

Hi duce Siculo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt expulſis Aboriginib. & inſulam Italiæ vicinam occupauerunt, & eam Sicaniam à gentis nomine; Siciliam verò à ducis nomine, dixerunt.

Furente flammâ.] Significat flammam ſemper durãtem, nec elangueſcentem, virẽtem, ἀμαραντὸν, καὶ ἀνάματον καὶ ἀημάχητα. Ventos iniurioſos nũc vocat, quos Ode 26. l. 1. dixit proteruos, & Ode 5. eiuſdem nigros.

Stipendium.] Hæc vox dicitur à ſtipe pendenda: olim enim pecunia pendebatur, non numerabatur.

Effare.] Verbum eſt valdè ad religionem & magiam appoſitum, quo Pontifices olim & harioli ſolebant vti. Effari autem templa dicuntur, quum Augures effantur, qui in his fines ſint, & fana nominantur, quòd Pontifices in ſacrando fati ſint finem, vt Varro tradit.

Infamis.] Palinodia Steſichori memoratur à Platone in Phædone & à nobis priùs Ode 18. lib. 1.

Potes nam.] Eſt ἀναφορὰ coniunctionis, pro, nam potes me ſoluere dementiâ.

Nec prudens diſſipare pulueres.] Pro neſcia diſpergendi cineres mortuorum, vt Orator dicit, *prudentis adminiſtrandi*, vt Tacitus, *prudens moderandi* li. 3. & Iuuen. Sat. 3. *genus adulandi prudentiſſima.* Græci, ὁ φρόνιμος περὶ τὰς τῶν νεκρῶν τέφρας διασκεδάσειν ἢ διασπείρειν. Senſus eſt: *Non aſſuefacta manibus & vmbris pauperum euocandis à nouem diebus ſepulturæ*, more veneficarum. Ideo meminit pauperum humo cõditorum: quia corpora diuitum inhumata cuſtodiebantur ad certum tempus contrà veneficas: nec ſolùm poſt conditos cineres, ſed etiam quoties ſacris anniuerſariis iuſta mortuis ſoluebantur: tum enim etiam manes à veneficis euocabantur certis incantamentis.

Nouendiales.] Pulueres nouendiales dicebantur propterea, quòd cadauer demortui ſeptem dies domi aſſeruabatur, octauo cremabatur, nono ſepulcro mãdabatur, & tum deſinebat eſſe ſuper terram, & ſacrificium mortuo factum dicebatur nouendiale. De hoc lege Seru. in hunc verſ. 5. Æneid.

Prætereà ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiíſq; retexerit orbem: lege quoque Feſtum ad verb. *Reſperſum* & locos aliorum auctorũ in Ode 28. l. 1. citatos: Nos è veteri quoq; interprete huius Poetæ intelligimus, hoc aſſeruationis tempus ſic diuiſum, & in more poſitum apud antiquos, vt mortui cadauer domi ſeruaretur triduo conditum: quod verſu Virgilii firmatur, *Sedibus hinc refert an è ſuis:* deinde triduo exacto in rogum imponeretur, quod in conſuetudine erat circa veſperam fieri, non per diem, vt Seruius annotat in 3. verſ. lib. 3. Æneid.

Mœnia reſpiciens, quæ tam infelicis Eliſſæ.

vt idem Virgil. lib. 2.

Tertia lux cælo gelidam dimouerat vmbram,
Mœrentes aleum cinerem & confuſa ruebant
Oſſa focis.

triduo rurſus præterito cinis in vrnam incluſus tumulo mandaretur: locus autem, vbi cremabatur, Veſtrinum dicebatur: ſed Buſtum, vbi & cremari & ſepeliri ſolebat: quod in funebribus pompis principum & diuitum conſepiri & cuſtodiri ſolebat, pauperum autem negligi: quorum loco Nero habuit cremationem Claudii, vt eſt 33. c. in vita ipſius apud Suetonium.

Puræ manus.] Nempe à ſcelere, & innocentes. Pugnat non ſolùm hæc manus puritas, ſed omnino, quę hîc dicuntur omnia cum accuſatione 5. Epodõn, niſi ſumas εἰρωνικῶς.

Partumeius.] Venter aptus partui & fœcundus, qualis non fuit ille meretricis Canidiæ, nec cuiuſquam ſimilis eſt, i. impuri ſcorti & publici: ſed rationem pete à Phyſicis, vnde intelliges ὡς ἀεὶ γοννῶσιν, ἢν καὶ σὺν πάτοι μίγνυνται, *quòd temperatu ſi temperati miſceantur, ſemper gignant.* Quidem putant nomine Partumeij filium Canidiæ ſubditum, vt loquitur Terentius, vel vt Iuuenalis *ſuppoſititium* pro legitimo filio. Dicitur autem à *partu* & *meio*: à quo nomen alterum, quod legitur, Pactumeius, diſcrepat, ſignificans filium legitimum Canidiæ: ſed mihi potior videtur lectio, *partumeius* ἐπιθέτως ſumta & aptior ad ſimulationẽ Poetæ, qui grauiùs meritorium hoc ſcortum perſtringit hoc nomine facilis, & indolẽtis partus: omnes enim publicæ meretrices vteros geſtant ſuos uerè partumeios. Fictum autem eſt nomen ad obſcænitatem matris & filii tegendam, alluſione quadam πρὸς τὸ παπαῖδαι.

Vtcúnq;.] Quandocúnque vel quotieſcúnque poſt partum è lecto ſurgis non debilitata, ſecus, atq; cæteræ puerperæ ſolent illo nixu frangi: etiam tamen nunquam ſimile quicquam contigit, nec reliqua, quæ ironicõs hîc dicuntur.

Exſiliis.] Hoc exſiliendi verbo ſignificantur vires Canidiæ à partu firmæ, integræ, & robuſtæ, nec more aliarum puerperarum fractæ ac debilitatæ: quum hæ vix, ac ne vix quidem, è lecto ſurgere, niſi multis pòſt diebus confirmatæ, poſſint.

Enarratio Grammatica alterius partis.

Quid obſeratis.] Verba ſunt Canidiæ auerſantis preces Poetæ, quæ reſpondet, ſcopulos maris nõ eſſe ſurdiores ad vota & preces naufragorũ

nautarum, quàm ipſa ſit ad ſupplicationem Poetæ: huius poſterioris inciſi eſt ellipſis ſic ſupplenda.

Nudis nauitis.] Intelligit eos omnibus fortunis ac mercibus euerſos naufragio.

Alto ſalo.] Virg. ſimpliciter dicit.

Multùm ille & terris iactatus & alto.

Hic autem addit *ſalo*, quæ vox ſumta eſt à Græcis. ὁ σάλος enim dicunt ἀπὸ τῦ ἁλ-ς, à mari, ſpiritu denſo in *ſ.* verſo, vt aſſolent in ſimilib. è Græco in Latinũ conuerſis, vt in ſus ab ὗς & ſylua ab ὕλη & in cæteris: Propriè tamẽ ὁ σάλος eſt ora maris malè portuoſa, vbi coguntur naues procul à littore ſtare ad anchoras. Sumitur etiã pro iactatione nauigantiũ, quomodo videtur accipiendum l. 3. de bello ciu. apud Cæſ. *Tirones enim multitudine nauium perterriti, & ſalo, nauſeáq; confecti*, id eſt, iactatione: quomodo etiam apud Cic. *ſi mihi nunc triſtis primùm illuxiſſet dies, nec tam arumnoſo nauigaſſem ſalo*, i. tam periculosâ nauigatione, vnde τὸ σαλεύειν παθητικὸν καὶ ἐνεργητικὸν, fluctuare & exagitare.

Riſeris.] Ellip. eſt inciſi, permittámne, vt tu riſeris?

Cotyttia.] *Cotyttia*, cui ſubtexitur *ſacrum ἐπεξηγητικῶς*, i. Grãmaticis, per appoſitionem rem ſacram Cupidini, qui tã Deos, quàm homines liberè adoritur. Hæc ſacra fuerunt Cotyttonis, vel Cocytonis à fluuio infernali Cocyto: mauult tamen Angelus Politian. Cotyttia & Cotytto, quam a Strabone Cotyn lib. 10. etiã nominari ſcribit, & Cotyttia Berdidiáq; ſacra fuiſſe apud Thracas è quib. Orphica profecta ſunt, primũ in Sicilia celebrata, deinde Corinthi. Sed illa, ppter odiũ in Corinthios Eupolis Poeta vehemẽter exagitauit in fabula *Βάπται* inſcripta, qui fuerũt ſacerdotes illi⁹ Cotyttonis & hæc præſes omnis turpitudinis, vt ſcribit Suidas: cuius meminit Iuuen. Sat. 2. de ſacris bonæ Deæ.

Exagitata procul non intrat fœmina limen
Solũ ara Deæ maribus patet: ite prophani
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu:
Talia ſecretâ coluerunt Orgia terrâ
Cecropiam ſoliti Baptam laßare Cotytto.

eiuſdem meminit etiam Plutar. in vita Furii Camilli, & auctor Adagiorum in ἄρπαγα Κοτυττῶνος. Inflectitur tamen & ſcribitur Græcè ἡ Κότυς, υος, ἡ Κοτυτώ, όος, ῦς, & Latinè Cotyto Cotytus: quã declinandi rationem Græcam ætas Quintiliani ſequuta eſt: ſed ætas aurea Ciceronis & Cæſaris huiuſmodi contracta Græca donauit analogiâ Latinâ, *Sapphō, onis. Dido, Didonis.*

Cupidinis.] Hinc Cotyttia ſacra intelliguntur fieri à ſagis ſolita Diis inferis ad eos in amore attrahẽdos & alliciendos, quos ipſæ expeterẽt, aut qualia Dido l. 4. Æne. v. 638. ſe facere ſimulauit diſſimulatâ morte:

Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incepta paraui,
Perficere eſt animus: finémq; imponere curis.

vnde ſunt etiam Stygialia vocata è lib. 8. Silii. Liber Cupido dicitur, quod nullis verecundiæ & honeſtatis legibus adſtrictus, ſed omnibus illis ſolutus omnia licenter & impudentér agat.

Eſquilini.] Liuius lib. 1. ab vrbe montem nomine Eſquilias ſcribit à Tullo Hoſtilio tertio Romanorum rege Romæ adiectum fuiſſe: & ita dictum ab excubando, vel excolendo. Hîc ſepulcra erant & religiones, maleficáq; ſacra fiebant, quorum Pontifex maximus iudex & arbiter, vt aliarum rerum tam diuinarum, quàm humanarum habebatur.

Pontifex.] Hæc vox duplicem habet notationem: quidam enim à faciendo ponte dictam putant, & auctoritate Plutarchi nituntur, qui in Numa vocem Latinæ *Pontifici* reſpondentem reponit γεφυροποιὸν: quòd primus ſupra Tiberim Numa fecerit pontem ſublicium, atq; ſucceſſores eundem ſæpè reſtituerint: quibus Varro dicitur aſſentiri. Alii verò à poteſtate faciendi ſacra & operandi: inter quos eſt Scæuola & Feneſtella de ſacerdotibus Romanis lib. 8. quorum collegium Numa rex ſecundus Romanorum conſtituit primùm è quattuor patricii ordinis: deinde auctâ populi auctoritate ex ordine plebeio alios quattuor allegit M. Valerio & Q. Apulejo Coſs. vt eſt apud T. Liuium & Dionyſium. Vnus autem inter minores Pontifices erat maximus: penes quem ſumma erat omnium ſacrorum tam publicorum, quàm priuatorum, hoſtiarum, dierum, ſupplicationum, templorum: atque vbi & quando operandum eſſet, idem iubebat. Sed inter maiores maximus ille vocabatur, qui primus reliquorum in collegium cooptatus fuerat. Ab hoc præterea vtrôque ordine legebatur alius Pontifex ſummus, qui iudex & vindex erat peccantium tam Veſtalium, quàm priuatorum magiſtratuum: qualem Cenſuram Domitianus Imp. ſibi in Corneliam Maximillam Veſtalem inceſti ream arrogauit, vt Plinius ſcribit in Epiſt. ad Cornelium Munitianum. Hic autem ſummus Pontifex Græcè dicitur ἀρχιερεύς, πρωτομύστης, ἱερόνομος, ἱεροφύλαξ, & Hebraicè *cohen haroſch*, Secundarius autem Pontifex *Sigan hacohanim, princeps & dux ſecundarius ſacerdotum*: quorum munera & diſcrimina diſcenda ſunt à noſtris Theologis ac Symmyſtis. Senſus igitur eſt: *Committámne, vt tu, tanquam Pontifex ille, reprehendas, & irrideas vbiq; hæc ſacra, quæ tibi indicauit?* ſic intelligenda eſt per ellipſin notæ ſimilium, tanquam Pontifex.

Veneficî.] Apocope eſt pro *veneficii.*

Peligni.] Peligni populi fuerunt Marſis finitimi, quorum caput fuit Sulmo ſolum natale Ouidii, nomine Sagarum & veneficarum celebratum.

Toxicum.] Originatio huius vocis eſt παρὰ τὸ τόξον ab arcu τοξικὸς, κή, κὸν, vt κάλαμος τοξικὸς, *arundo conficiendis ſagittis idonea.* Hinc τὸ τοξικὸν genus veneni Paul. Æginetæ l. 5. c. 53. ſcribit ὀνομάζεσθαι ἐν τῷ τὰ τοξεύματα ὑπὸ τῶν Βαρβάρων οὐ αὐτῷ χρίεσθαι, *nominari ex eo, quod iacula à Barbaris ipſo inficiebantur.* Hi Barbari ſunt Parthi & Scythæ, οἱ τοξεύοντες τύτῳ παραχρίσι τὰς τῶν σελῶν ἀκίδας, *qui ſagittas ex arcu mittentes illinebant illarum cuſpides eo veneno,* ὅπερ παράχρημα ὁμοίως τόξα ἀφέσα ἀναιρεῖ βροθὸν ἢ ποθὲν, *quod comeſum vel potum æquè ſubitò tollit è medio hominem atq; ſagitta ex arcu emiſſa.* Quidam putant primùm è ſanguine hydræ renaſcentis factum, quam interfecit Hercules ſagittis, & eo ſemper cieri continuò dolorem omnium interiorum, tanquam telo traiectorum. Plinius lib. 16. c. 20. de taxo arbore ſcribit, inde taxica venena vocari, quæ nunc toxica dicimus, quibus tinguntur ſagittæ: ſed non ſunt hodiè cognita Medicis.

In hoc.] I. ad hanc finem, quod Græcè dicitur, ἐπὶ τύτῳ.

Vſq; ſuppetas.] Vt ſufficias & par ſis moleſtiis ferendis. Grammatici non animaduerterunt hunc locum, qui hoc verbũ tertiis ſolùm perſonis vſitatum eſſe docuerunt: *mihi copia ſuppetit argumentorum* Cicero: *dum vires mihi ſuppetent*, Cæſar: *vt vſq; nouis doloribus ſuppetas: que tu puiſſes tous iours fournir à porter les douleurs venantes l' une ſur l' autre.* De Tantalo vide Od. 2. li. 1. & Od. 18. l. 2. ſicut de Prometheo 3. & 16. Odas l. 1. de Siſypho Oden 14. l. 2.

Prometheus obligatus.] Græcè Προμηθεὺς δεσμώτης, quo nomine Æſchyli Tragœdia dicitur, & Cicer. Tuſcul. 2. *adſpicite religatum aſperis, vinctúmq; ſaxis.* Cum ſupplicio huius comparatur pœna *Laureoli latronis* Epig. 7. l. 1. Martial.

Norico.]

Norico.] De Noricis lege Od.16.lib. 1.

Recludere.] I. *aperire, transfodere & transuerberare.*

Cereas imagines.] I. effigies eorum, quos ſtudebant deuouere, & quæ veneficiis, vt laneæ, adhibebantur, vt apparet è loco Theocriti ſuprà citato.

Vt ipſe.] Curioſus dicitur, cuius ita eſt arguta ſedulitas, vt vel minima quæque curet: vnde Cicero Epiſt. 1.l.1.ad Fam. *Homo non modò prudens, verùm etiam curioſus.* Idem alibi: *Sum ad inueſtigandum curioſior.* Perſpicimus è Sat.8.l.1. quàm dignis modis Poeta exagitârit veneficas & ſagas mulieres ſub perſona Priapi: lege locum, vt huic valdè profuturum.

Polo.] Huius vocis etymum alibi dicimus παρὰ τὸ πολεῖν, à *vertendo*, & geminus fingitur polus ab Aſtrologis, Arcticus ab vrſa dictus, & nobis aſpectabilis, & Antarcticus nobis occultus.

Deripere.] Pro hoc Virg. in Pharmac: dicit:

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.

Deſiderîq;.] Apocope altera pro deſiderii.

Plorem.] Conquerar incantamentis meis vires defuiſſe ad te miſerè tractandum & exercendum? vel, plorem meam artem interiiſſe omnino & quæ tanta priùs effecerit, nihil in te potuiſſe? *Plorare* autem *artis* Helleniſmus eſt, qualis li. 11. Æn. v. 126. *Iuſtitiæne priùs mirer*, & ibidem, *latórq; laborum*, vt Græci θαυμάζω. συλλαμωνίζω, μεταφέρω τῆς ἀρετῆς, vbi intelligitur ἕνεκα vel χάριν: *virtutis ergò & gratiâ.*

Explicatio Rhetorica.

METrum eſt monocolon, iambicon. Pars Epodôn priorum conſtat perpetuâ ironiâ, & ideo prorſus allegorica: vbi contraria dictis intelligenda ſunt: tropus certè ad cauillandum omnium aptiſſimus.

a Metaph. eſt à præliantibus. quorum victus, ne interficiatur, manum dare ſolet manicis conſtringendam: *ſe rendre & donner gaigne à l'autre.*

b Synecd. eſt generis pro *arte venefica* qualis eſt in *vocibus ſacris* pro *incantamentis & magicis Epodis.*

c Epizeuxis eſt eiuſdem ſoni continua iteratio in eadem ſententia, quæ valet, *citò me atq; meam mentem aliter affice, atq; priùs.*

d Synecd. generis pro *Achille.*

e Idem eſt tropus pro *Hecuba*, & *Andromache.*

f Idem tropus, pro, *Priamus.*

g Exclamatio eſt miſerantis ſenem ſupplicem.

h Per ſynecd. *vox humana illis reddita eſt, & per eandem honeſta facies & pulcritudo vultui.*

i Hic verſus honorificæ appellationis indicat diſſimulationem: non enim eſt laudabile à nautis & mercatorum inſtitoribus amari.

k Synecd generis pro *rubore pudoris adoleſcentib. inſito.*

l Συνεκδοχικῶς intelligit *venefica vnguenta.*

m *Sabella carmina* & *Marſa nænia* ſynecdochicῶs dicuntur pro *magicis incantamentis & veneficiis.*

n Synecdochica eſt metaph. à Corybantibus ſeu Saliis, qui tripudiantes variè capita iactabant, pro, *caput & mentes vi carminum Marſicorum tentari & diſrumpi & ad amentiam redigi.*

o Exclamatio Tragica vehementer cruciati, & omni humanâ ope deſtituti, qui ſuam calamitatem elementis deplorat & fundit querelas.

p Alleg. è metaphoris à taberna Pharmacopœorum, cuius eſt ſententia: *Tu mihi venena parabis, dum viuam.*

q Metaph. eſt à merentibus ſtipendia caſtrenſia, pro *ecquid pretii* vel *tributi ſolvendum mihi erit?*

r Synecdochica eſt periphraſis apotheoſeωs, pro, *ponam te inter ſidera meis verſibus.*

s Synecd. generis eſt pro *Steſichoro*, de quo vide Platonem in Phædro & Pauſaniam in Laconicis.

t Exclamatio eſt admirantis virtutem Canidiæ.

u Metaph eſt à eſt cœnoſis volutabris ſuum ad illícitos & infames hominum concubitus notandos, & Canidiam ex ignobili, ſordidóque & avaro parentũ genere in nobile ac liberale vindicandam, ſimulatione tamen, ut jam dictum fuit, valdè ironicâ, contrà enim ſentit, eam ex obſcuriſsimis, ſordidiſsimiſque parentibus natam.

x Tropus eſt hîc geminus: alter ſynecd. generis pro utero: alter ex hoc meton. ſubjecti pro partu filii Partumeij.

Explicatio Rhetorica alterius partis.

CAnidia ad repellendas Poetæ preces vtitur initiò metaphora illuſtri ab occluſis foribus.

b Similis eſt tropus, ſed à liquoribus, quaſi verba more liquorum, & oratio in aures inſtilletur.

c *Saxa ſurdiora* dicuntur etiam μεταφορικῶς, vt πῦμα κωφὸν Homer. Ιλιαδ. ξ. ἀπὸ τοῦ μὴ ἀκούοντος ἀλλὰ κωφοῦντος, ab eo, qui non audit ſed obſurdeſcit μετήνεγκται ἐπὶ τοῦ μὴ πειθομένου *translatum eſt*, ut Euſtat. annotavit, ſic mare, ſic littora, ſic portus dicuntur ſurdeſcere.

d Meton. eſt cauſſæ pro fluctibus ac procellis hybernis, quib. mare atq; ipſius littora, velut malleis tunduntur & verberantur. Similis eſt tropus Epiſt. ad Piſon.

— ſiue receptus
Terrâ Neptunus claſſes Aquilonibus arcet: ſed alterius modi, quem inde recognoſces.

e Sumtum eſt a malleis fabrorum, quale Donat. in Hec. 1 Scen. 2 notavit ad hunc locum: *Tundendo atq; odio denig; effecit ſenex.*

f Apoſiopeſis eſt, figura iratorum propria, quorum verba valde conciſa audiuntur, & ſic dilatanda videtur: *patiar, aut certè finam te impunè abire, qui contemſeris & diuulgâris myſteria Cotytonis, quæ res eſt ſacra Cupidini libero?* anthypophora deeſt, *nõ faciam.* Similes eſt figura Heaut, Act. 5 Scen. 5 verſ. 6. anthypophorâ coniuncta. *Egóne mea bona, vt dem Bacchidi dono ſciens? non faciam.* Initiò deſideratur, perſuadebórne ut dem mea bona?

g Translatum eſt a munere Põtificio, cuius erat, cenſuram agere divinarum & humanarum rerum, quam Poeta videbatur ſibi ſumere, tanquam arbiter dictus animadvertendi, ut loquitur ode 7. lib. 2. *Venus arbitrum dicet bibendi*, pro *ſtatuet.*

h Synecd. eſt pro *ſagis ac veneficis vetulis.*

i Anaphora eſt initio membrorum.

k Altera eſt Synecd. ſed generis pro *Vulture.*

l Allegoria eſt ab equitantibus, pro, *ſemper tibi moleſtiam, vt importunus eques equo, exhibebo.*

m Hoc dicitur συνεκδοχικῶς, toto ex parte ſignificato quo modo Virg. propriè loquitur, *de cælo deducere lunam.*

n Synecd. generis, pro, *carminibus & incantamentis*, ut anteà.

o Periphraſis ſynecdochica, pro *philtro & amatoria potione miſcenda.*

p Idem tropus, pro *Poetica, magica & venefica.*

Finis Epodon.

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SECVLARE:

quod inſtitutum fuit pro Reip. ſalute, amplificatione, & populi incolumitate.

PHœbe, a ſyluarúmq; potens Diana,
Lucidum cœli decus: o b colendi
Semper, & culti, date, quæ precamur
Tempore c ſacro:
Quo Sibyllini monuêre verſus,
Virgines lectas, puerósq; caſtos,
d Dîs, quibus ſeptem placuêre colles,
Dicere e carmen.
2 Alme ſol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliúſq; & idem
Naſceris, poſſis nihil vrbe Româ
Viſere maius.
3 Ritè maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.
Diua producas ſubolem: f patrúmq;
Proſperes decreta ſuper iugandis
Feminis, prolíſq; nouæ feraci
Lege maritâ.
4 Certus vndenos decies per annos
Orbis, & cantus referátq; ludos
Ter die claro totiéſq; gratâ
Nocte frequentes.
5. g Vóſq; veraces cecinisſe Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſq; rerum
Terminus ſeruat, bona iam peractis
Iungite fata.
6 Fertilis frugum pecoriſq; tellus
Spiceâ donet Cererem corona:
Nutriant fœtus & aquæ ſalubres,
Et Iouis auræ.
7 Condito mitis, placidúſq; telo
Supplices audi pueros h Apollo:
Siderum i regina bicornis audi
Luna puellas:
8 Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæq;
Littus Etruſcum tenuêre turmæ,
Iuſſa pars mutare k Lares & vrbem
Soſpite curſu:
Cui per ardentem ſine fraude Troiam
Caſtus Aeneas patriæ ſuperſtes
Liberum munuit iter, daturus
Plura relictis:
Dî probos mores docili l iuuentæ,
Dî ſenectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date rémq; prolémque, Et decus omne.
9 Iam mari terráq; manus potentes
Medus Albanáſq; timet ſecures:
Iam Scythæ reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper & Indi:
Iam fides, & pax, & honor, pudórq;
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet: apparétq; beata pleno
Copia cornu.
10 Augur & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptuſq; nouem Camœnis
Qui ſalutari leuat o arte feſſos
Corporis artus:
Si Palatinas videt æquus arces,
Rémq; Romanam, Latiúmq; felix,
Alterum in luſtrum meliúſq; ſemper
Proroget æuum.
11 Quæq; Auentinum tenet Algidúmq;,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aures.
12. p Hæc Iouem ſentire, Deóſq; cunctos
Spem bonam certámq; domum reporto,
Doctus & Phœbi chorus & Dianæ
Dicere laudes.

Analyſis Dialectica.

IMploratur quidem hîc communiter & flagitatur auxilium omnium Deaſtrorum & Deaſtrarum: ſed præter cæteros Apollinis & Dianæ: quod Dii crederentur Auerrũci, id eſt, malorum expulſores, vti monuimus Od. 21. l. 1. Rationem autem imprecationis Poeta repetit à teſtimonio, auctoritate & inſtitutione cuiuſdam Sibyllæ, quæ ludis ſecularibus, vt carmen Diis Romæ præſidibus diceretur, vertente centeſimo decimo quóq; anno & incipiente centeſimo vndecimo, monuerat.

2 Iterum deuocat Apollinem, ſed ſigillatim, eiúſq; poteſtatem partim ſimilibus, partim diſſimilibus declarat:

declarat, *quòd sic diem promat & condat, vt alius videatur in ortu, atq; in occasu fuerat, alius in solstitiis atq; in æquinoctiis: alius quum cælum est serenum, atq; quum est nubilum*: Idem tamen suâ substantiâ semper est. Secundo loco exoptat è minorũ collatione, *vt præ cæteris vrbibus velit Romam sua visitatione & illustratione cohonestare, atq; illis dominam imponere.*

3 Appellat quoque rursus Dianam seorsim, vt proximè Apollinem, quæ ex eadem factorum Categoria celebratur: *quòd partus maturos in lucem edat: matres & fœtus tueatur: faustè, feliciter, prosperéq; coniuges ducat ad sobolem.*

4 Superius postulatum: *date, quæ precamur*, illustratur fine maximè laudabili & diuino: *quòd prosperitas prolis, réque fecundæ non aliò, nisi vt seculares ludi & cantus in ipsius reliquorúmq; Deorum honorem perpetuentur, & à posteris tres dies, totidemq; noctes celebrentur, ab ea, inquam, res illæ fic petantur.*

5 Conuertitur precatio ad Parcas ex eodem genere argumenti, *vt illæ curent fatis præteritis aliorum bonorum accessionem afferendam, & immutabilis rerum constantia id seruet, quod ab illis semel destinatum est*: quod enim vna Parcarum dixerit, duæ sequuntur, & fixa sunt statuta fatorum ait Seruius in Eclogam 4. Virgil. ad hæc: *Concordes stabili fatorum numine Parcæ* citans hunc locum Horatii.

6 Non imploratur quidem hîc Ceres: *sed vt spiceis coronis exornetur pro vbertate frugum & pecoris*, optatur: quomodo etiam *salubritas aquarum & cæli ad fœtus nutriendos postulatur.*

7 Iam tertiò numen vtrúmq; rogat & orat, *vt conditis pestiferis sagittis remissiùs agat cum pueris, nec ipsos supplices & puellas aspernetur.*

8 Communis est iterum hæc Deorum imploratio ex efficientibus: *Si Roma vestris auspiciis cõdita est à Troianis, huc vestro ductu per ignes & vndas delatis; eam optimis legibus ac disciplinis fundate: pacis & otii tranquillitate ornate: pulcrâ prole & honore gentem Romanam cumulate: Augustum vestri numinis cultorem hostibus suis maiorem & domitis lenem facite*: hinc assumendum est antecedens: *atqui Roma vestro fauore condita est*: vnde hoc efficitur, *vt illam conseruent & tueantur.*

9 *Quia resp. Rom. ope & auxilio Deorum sic adhuc gubernata est; vt illius potentiam hostes potentissimi vbiq; pertimescant: illi vtrò se multi dedant*, tanti beneficii memorem & gratum se præbet: *Eademque operâ virtus priscorum, integritas, pax, honor, fides rerúmque abundantia restituta sunt.*

10 Redit iam quartò ad Apollinem, quem multis artibus adiunctis insignibúsq; factis exornat, *vt placatus statum imperii & Italiæ in meliorem semper formam etiam atq; etiam producat.*

11 Eódem precibus invitat Dianam, *vt preces sacerdotum Sibyllinorum & vota puerorum exaudiat: quòd illi quidem ludos seculares consueuerint procurare: hi verò seminarium reip. esse.*

12 Πληροφορία est & certa persuasio impetratæ postulationis, quæ domum à choro reportatur.

Enarrario Grammatica.

DE carmine seculari nonnihil attigimus Ode 21. lib. 1. quod videtur restare de ludis secularibus, nunc addamus. Zosimus quidam huc citatur, qui memorat è Græcis Sibyllæ versibus centesimo quóque decimo anno peracto & ineunte centesimo vndecimo, decreta fuisse solemnia sacra, quæ interdiu & noctu in campo Martio agerentur. Parcis aut furuæ agnæ mactarentur, caprigenúmque pecus, similiter & Dianæ: Terræ verò scrofa, Ioui tauri candidi interdiu, Iunoni nitida iuuenca, Apollini Pæanas Latini pueri patrimi & matrimi, & puellæ patrimæ & matrimæ canebant in templo: nuptæ ad aram Iunonis orabant: accipiebant februa, id est, purgabantur viri & fœminæ, præsertim tamen fœminæ: dehinc in templis ferè omnibus primitias offerebant. Sic enim agendo omnis Italiæ tellus Romano iugo Romanóque sceptro colla subdere non recusaret. Hæc est Sibyllinorum versuum summa de institutione secularium ludorum, & sacrorum fructu Romanis futuro. Alii tamen institutionem secularium tribuunt Numæ Pompilio: alii P. Valerio Publicolæ. Huc accedit quóque aliorum historia, qui narrant principem ciuitatis cum Quindecimviris primo die manè in Capitolium ascendere, atque ibi sacra de more agitare: tum in theatris conuenire ad ludos Apollinis & Dianæ faciendos. Sequenti verò die nobiles matronas conuenire, Deo supplicare, lectisternia frequentare, hymnos canere: tertio denique die, in templo Apollinis Palatini ter nouenos pueros prætextatos, totidémque virgines Patricias omnes Græcâ Romanáq; voce carmina Pæanásque concinere, quibus imperium suum & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant: Ludi omnibus theatris & sacra omnibus templis tam nocte, quàm die fiebant. De his plura lege lib. 6. Alex. ab Alexandro de Genial. dieb. item Censorini lib. de natali die, vbi varia & multiplex opinio affertur de spatio seculi & ludorum institutione prima. Item in Miscel. Politiani & carmen seculare Catulli ad Dianam:

Dianæ sumus in fide
Puella & pueri integri:
Dianam pueri integri
Puellæq; canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Ioui.

Item Dionem lib. 54. Denique Suetonium in Octauio cap. 31. qui scribit ludos seculares ex antiquis ceremoniis paulatim abolitos Augustum restituisse ac celebrasse anno Vrbis 736. vnde Ovidius lib. 2. de Tristibus.

Iusserat & Phœbo dici quo tempore ludos,
Fecit, quos ætas aspicit vna semel.

quo tempore Poeta natus annos 48. hoc seculare carmen in honorem Augusti dicitur ceciniisse: Hanc quoque secularium Ludorum rationem nonnihil iuuat, quod Tacitus scribit l. 6. Annal. *Iisdem Consulibus Ludi seculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo, quam Augustus ediderat, spectati sunt. Vtriúsq; principis rationes prætermitto satis narratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani composui. Nam is quoq; edidit ludos seculares, iisq; attentiùs affuit sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor: quod non iactantiâ refero: sed quia collegio Quindecim virûm antiquitus ea cura & magistratus potissimùm exsequebantur officia ceremoniarum.* Tales Apollinis panagyres & celebres conventus Pindarus Pyth. ε. Epod. πωλ. ιδ'. vocat πόμπας Ἀπολλωνίας ἀλεξιμβρότους, quod instituta sint festa ad depellenda ab hominibus mala. Ratio autem vocis *seculum* repetenda est è notis in Oden 21. l. 1.

Syluarum potens.] Hoc quidem epitheton est mul-

torum Deastrorum commune, sed videtur præcipuè tribui Dianæ à Virg.

Voce vocans Hecaten cælóque Erebóque potentem.

& à Catullo, *tu potens Trivia*, sicut ab Horatio. De hac autem syntaxi dictum est Ode 10. lib. 4. sic vtriusque nomen implorat Virgilius periphrasticâ synecdoche initio primi Georgici, & decem aliis numinibus anteponit, vt illos principes agriculturæ iuuandæ: quia sole animantur semina, & humore lunæ fouentur.

— Vos ô clarissima mundi
Sidera, labentem cælo quæ ducitis annum.

& hîc *lucidum cæli decus* ad vtrúmque pertinet, cuius motu tempora reguntur, ac præterea videtur allusio ad etymum *Phœbi*, quem Grammatici tradunt sic vocari quasi φαόβιον, *lucem vitæ*: nam φοῖβος sumtum ἐπιθέτως sonat καθαρὸς, λαμπρὸς, ἁγνός, *purus, splendidus & castus* Hesychio.

Colendi.] Cic. ferè geminat τὸ *colere* in hac notione cum *obseruare*, vt Epist. 78. l. 17. *me pra cæteris, & colit, & obseruat & diligit*: quæ tamen Grammatici sic distinguunt, vt prius fiat honore, posterius officio assiduo. Præterea colimus ea, quæ non cernimus oculis, vt Deum: obseruamus solùm ea, quæ sub aspectum cadunt, vt homines. Itaque possumus propriè Deum & homines colere, sed obseruare Deum, non possumus dicere.

Quo Sibyllini.] Ad hos versus, tanquam ad oracula Apollinis, confugisse veteres Romanos ostendit Cic. 4. accus. in Verr. *Itaque apud maiores nostros a roci ac difficili Reip. tempore, quum T. Gracho occiso magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Martio L. Calpurnio Coss adytum est ad libros Sibyllinos, in quibus inuentum est, Cererem antiquissimam placari oportere.* Sibyllæ originem Eustathius in vers. ιλιαδ. β. sub finem.

Τὰν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν πεπλήσησιν, i.

Quam quidam (columnam) *homines Batiiam vocant.*

sic describit: Ex *Nesone* erat ipsi (*Cencre*) filia *Sibylla* diuinandi perita: vnde cæteræ mulieres, quotquot posthea fuerunt arte præsagiendi futura præditæ, sunt *Sibyllæ* nominatæ, non propter consanguinitatem, sed propter diuini afflatus similitudinem nactæ hoc cognomen. hinc versus *Sibyllini* dicti sunt. Vocem autem *Sibylla* Lactantius lib. 1. c. 6. de falsa Relig. deflectit ab Ionicis vocibus, vt Eustathius Iliad. ζ. τὸ Σίσυφος partim à Peloponesiaco Σίος, τὸ Θεὸς: quod vocat Ὀλυσσ. λ. Doricum: ex quo οἱ μεγάλοι Σιόι. i. *Magni Dii*, deducit: partim ab Æolico συφὸς, τὸ σοφὸς, vt ὄνυμα pro ὄνομα: sic βυλὴ pro βσλὴ in Σιβύλλη. id est *Sibylla* quasi Θεοβύλλη. Marcell. initio lib. 21. scribit hoc de *Sibyllis. Sol, vt aiunt Physici, mens mundi nostras mentes ex sese, vel vt scintillas, diffunditans, quum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit: vnde Sibyllæ crebrò se dicunt ardere, torrente vi magnâ flammarum.* hic locus ostendit vaticinationem naturalibus caussis niti, & à consiliis etiam Deorum effandis nominata. Idem etymum confirmat Seru. in vers. Æneid. 6. initio.

Præsidet, horrendáque procul secreta Sibyllæ. sed vnde libri Sibyllini prodierint, lege lib. 1. c. 19. Agellium, vel potius lib. 4. Antiquit. Rom. Dionys. Halicarn. vnde certissimum est Agell. mutuatum. *Strab. Geograph. scribit lib. 17. multis à nobis de Deo Ammone dictis, id tantum adiicimus. Veteribus Diuinationem vniuersam & oracula in summo fuisse honore, nunc eadem admodum negligi, Romanis Sibyllæ oraculis & diuinatione Hetruscâ per extispicia, auguria, obseruationes de cælo contentis. Itaq; Ammonis oraculum ferè desertum est, quod in honore quondam fuerat.*

Septem colles.] Qui nominantur, Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Cælius, Palatinus, Tarpeius siue Capitolinus, Auentinus, ad quos postea accesserunt tres alii, Cæliolus Ianiculus, Vaticanus: hic paulò post arces dicentur, sicut à Virgilio, libro 6. Æneid. ver. 738.

Septémque vna sibi muro circumdabit arces,

Vbi Seruius post illarum enumerationem scribit, earundem nomina etiam fuisse mutata, de quibus vide Festum in *septimontium*, & Plutar. 69. Romaicarum quæst.

Curru.] De quo, vt de ipsius equis, vide Oden 6. lib. 3.

Promis & celas.] Non aliter opponuntur hæc duo, ac si dixisset, *promis & condis.*

Alius & idem.] Hæc dissimilitudo Solis accipienda est κατὰ συμβεβηκὸς, id est, ex aduentitiis affectionibus, quas assumit ille ex varietate declinationis, id est, accessus & recessus, & cæli temperatione: Philosophi hæc duo sic distinguunt, vt aliud quid dicatur numero & idem specie.

Posßu.] Hîc ex communi repete: *precamur, vt posßis*, vel notam optationis intellige, *vtinam posßu*: De hoc verbo dictum est Epod. 6. quod in propria ipsius notione inclusa sit voluntas, itaque explicamus, *vt velis.*

Aperire lenis.] Passim occurrit talis Hellenismus, pro, quæ placidè & leniter parturientes iuuas. De hac Ilithya vide Oden 22. libr. 3. De eadem præterea Plutarchus Sympos. tertio scribit, postquam retulisset Lunam credi πρὸς σύντομίαν συνεργεῖν, *ad facilè pariendum adiumento esse grauidis mulieribus*, ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἀρτεμιν λοχείαν καὶ Εἰλείθυιαν ὑπ' οὐσαν ἑτέραν, ἢ τὴν σελήνην ὠνομάσθαι, *vnde arbitror etiam Artemin in partu deuocari solitam, & Ilithyam non esse aliam, nisi Lunam, nominatam à lucendo, vt Lucinam*: cuius ope non eget vllum animal, vbi sacrum lucum Parrhasii intrauit, quia statim ἄγονον γίνεται, ὅτε πρὸς γεννήσεως, *efficitur sterile, nec indiget generatione.*

Genitalis.] De Diis genethliis vide Platonem lib. 8. de Legibus & 2. & 5. de Rep. Hîc coniiciunt quidam *natalis* legendum & de cognomento Iunonis intelligendum præcipuè, quæ credatur præsidere natalibus fæminarum, vt Genius virorum. Doctiores iudicent.

Prosperes decreta.] Hæc vox deflexa est à *decerno*: quod est Donato in And. Act. 1. Scen. 3. quod repetit in Heautontimo. Act. 1. Scena. 1. *de magnis rebus certam proferre sententiam, vnde etiam Senatus decretum*, quod mirè quadrat ad illud Ciceronis 4. Verri. *decernit Senatus: populus iubet: Tribun pleb. etiam edicunt.* Sipontinus tamen illud Terentii, *decreuerunt tollere*, interpretatur, deliberârunt, & Nonnius *constituerunt nutrire. Decerne e* tamen Donato ibidem plus est, quàm *constituere.* Ex his potes, Lector, de vi huius vocis *decreta*, iudicare, quæ est Græcis τὰ ψήφισμα, καὶ νόμου ἐπιθέσις, vt Euripides, σὸν φρόνημα ἐπίθεισας, *animi tui cogitata secundâsti*, velut prospero vento. De voce suboles fuit Ode 4. lib. 3.

Lege maritâ.] Sic dicitur *fœdus maritum*, & à Plauto, vbi senex loquitur, *pulcra ædepol dos, pecunia est*: alter respondet *quæ quidem non marita est*, pro *maritali lege*, & *marita pecunia* & *fœdere*: quæ omnia coniugii gratiâ fuerunt: quò spectat oratio Metelli Numidici apud Agell. lib. 1. cap. 6. quam in Censura dixit ad populum de ducendis vxoribus: quum eum ad matrimonia capessenda adhortaretur anno Vrbis 651. Quam legem *de maritandis ordinibus*, quæ & *Iulia* dicta est, vt

ab I. Cæ-

ab I.Cæſare poſt bellum lata ad inſtaurandam iuuenum iacturam ad 80. mil.deſideratorum, quam, inquam,legem Auguſtus,vt narrat Dio lib. 54. diu reſtituere cogitauit. Id autem fuit iam inde ab anno Vrbis 734.quum Præfecturam morum ſuſceperat, ad annum Vrbis 761.ſed quod perficere non potuit: hoc poſteriori anno M. Papius Mutillus & Q. Popæus ſecundò Conſules creati perfecerunt, & legem Popæam Papiam ſanxerunt,vt eſt videre lib. 5. Iſidori: aut certè his Coſſ.hæc lex lata eſt,quum noſter Poeta iam obiiſſet.Itaque non poteſt hic locus intelligi de lege Papia,ſed de aliqua his antiquiori. De Papia Popæa vide Tacitum lib.3.Annalium, & commentarios Iuſti Lipſii plenè & doctè de illa ſcriptos in eundem hiſtoricum. Item Suetonium in Auguſto cap. 34. & tit. in Pandectis ad legem Iuliam & Papiam.

Vndenos decies.] Decies vndenos dicitur Latiniùs quàm decies vndecim.

Frequentes.] Id eſt,cantus & ludos in maxima populi frequentia celebratos.

Veraces Parcæ.] Syntaxis verborum eſt aliquantò implicatior,ideóque ſic explicanda: *O Parcæ veraces, quæ vera cecinistis,iungite bona fata iam peractis, ſtabiliſque terminus rerũ*(qui dicitur Græcè τὸ πεπερωμένον καὶ τερμία ἡμέρα, ἢ τερμία χώρα in Antigono & in Oedip. Colon. Sophoclis. Ode 18.l.2.)*ſeruet quod ſemel dictum eſt*,tanquam finis deſtinatus,Græcè etiam dicta,τέρμα,ἢ τέρμις,ἢ τέρμων.etſi Poeta dixit, *terminus ſeruet*, pro, vos ſeruate conſtanter, quod iam dictum eſt & deſtinatum:Similia tamen tempora coniunxit,ideóque nihil eſt ſupplendum ad optationem notandam. Quidam putant non futurum à propoſito alienum,*ſi terminum* ſumamus pro Deo comite fatorum & Parcarum,qui nulli parcat, nec vlla in re ipſi Ioui concedere ſoleat. Sed de Parcis & ipſarum muneribus & nominibus vide Oden 3.lib.2.

Cererem.] Hanc Deam frugum agricolæ ſpiceis coronis ornabant,vnde Tibullus Eleg.1.lib. 1.

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de more corona
Spicea,quæ templi pendeat ante fores.

Ideóque Heſiodus eam σταφάνην vocat & in Epigram.Græc. παχυσταφάνος dicitur. Sic Virgil. lib. 1. Georg.ver.29.

Spicea iam campis quum meſſis inhorruit.

vbi Seruius definit ſpicum & idem facit cum ſpica ex Feſto.Iſidorus eadẽ definitionis verba, quæ Seruius habet:Spicam de maturis frugibus abuſiuè dicimus. Nam propriè ſpica eſt,quum per culmi folliculum, id eſt, externum tumorem ariſtæ adhuc tenues in modum ſpiculi eminent.

Telo.] Iuxta illud Odes 10. lib.2. *neq; ſemper arcum Tendit Apollo.*Seruius in Æneid.8.verſ.*de super Alcides telis premit &c.* notat omne, quod iaci poteſt, telum vocari,atq; dici ἀπὸ τῦ τηλόθεν, *quia eminus & è longinquo mittatur.*De vi ſagittarum Apollinis vide Iliad. α. & Oden 12.lib.1.vnde.παρὰ τὸ ἀπολλύειν, *à perdendo.* vt ibidem notæ Euſtathii ſic demonſtrant,ὡς ἢ ὁ Ἀπόλλων δοκεῖ τισιν ἐκ τῦ ἀπολλύειν ἢ ἀπωλείαν διὰ τὸ φοβερώτερον ὀνομάζεσθαι. *ſicut Apollo videtur quibuſdam deductum à verbo perdendi propter denominationem formidabiliorem*, ſicut etiam *Plato* docet in *Cratylo*,& Seruius libro tertio Æneidos ad verſum *Corrupto cæli tractu &c. interpretatur,citans hunc locum, & addens Apolline offenſo creatur peſtilentia. ſi contrà: citharam tenet & mitis eſt*, qualem pueri ac puellæ ſibi precantur nunc fieri. Sic τὸ παίειν παρὰ τὸ πάσσειν, *à percutiẽdo* dici putat, de cuius poteſtate lege Seru.Eclog.5.vbi citatur etiam hic locus Horatii.

— en quattuor aras,
Ecce duas tibi,Daphni,duóq; altaria Phœbo.

vbi facit altaria ſuperorum Deorum ſolùm,aras verò partim ſuperorum,partim inferorum. Idem ſcribit in verſ.Æneid.2. *ingens ara fuit &c.* & addit τὸ Ara dici ἀπὸ τῆς ἀρᾶς,*à precibus*, & Apollinem triplicis poteſtatis,in cælo Solem, in terris Bacchum, apud inferos Apollinem. Hymnus deniq; Callimachi in Apollinem de ipſo ſic canit,

Τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς ἔ τις τόσον,ὅσσον Ἀπόλλων.i.
Arte verò nemo tam inſtructus,quàm Apollo.
ἐσὶ γὰρ τοξότης ἀοιδὸς,μάντις,ἰατρὸς ἢ ποιμήν.

Romæ.] Videtur hîc Apollo dici auctor conditæ Romæ,quod ita eſt intelligendum ex ipſius oraculo & conſilio Æneæ dato,vt conſtat è 4.Æneid.

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes.

Iliæ turmæ.] Eſt hîc primigenium pro inde flexo *Iliaca*,vt dixit Ode 5.lib.2.*Romula gentis.*& mox hîc dicet iterum.

Soſpite curſu.] Saluo & incolumi.Soſpes ſemper παθητικῶς, qui ſeruatur vt ſoſpitalis ἐνεργητικῶς, qui ſeruat & affert ſalutem,ſumitur,vt Plautus in Pſeudolo.*qui ſoſpitalis fuit*: hoc tamen magis eſt referendum ad incolumitatem nauigantium, quàm ad ſecundam nauigationem,quæ fuit ſæpè incommodiſſima,maximéq; periculoſa.

Sine fraude.]Hoc debet conſtrui cum verbo *muniuit*,vt ſit ſententia: cui curſui & nauigationi Æneas muniuit ac parauit ſine fraude & damno tutum iter, non autem cum *ardentem Troiam*,quam certum eſt incenſam fuiſſe.Seruius in hunc verſ.Æn 1.

Antenor potuit mediis &c. annotat è Liuio Antenorem & Æneam prodidiſſe patriam: quod Virg. poſt tangit in eodem libro:

Se quoq; principibus permiſtum agnouit Achiuis,& addit:Horatius tamen excuſans ait,*ardentem ſine fraude*, quod interpretatur Seruius ſine proditione: nemo autem excuſat niſi rem plenam ſuſpicione: Siſenna tamen dicit ſolùm Antenorem prodidiſſe.

Date quietem,&c.] Videretur hîc legendum, Dii placidam ſenectuti quietem date, quomodo fere *Virgilius* loquitur — *placidâ laxarant membra quiete.* Item — *placidam quietem per membra irrigat*: vbi præterea eſt explenda ellipſis *Laborum* vel miſeriarum: quomodo Pindarus canit ἐλλ.ν. Ολυμπ.προφ.α.— λαβεῖν τῶν δὲ μόχθων ἀμπνοάν pro ἀναπνοήν. i. *ſumere reſpirationem à laboribus*:ad quem modum dicit Cicero, *requies curarum.* hanc phraſin Græci exprimunt, Θεοὶ δότε ſοῖς γέρουσι τὴν εὐγηρίαν,quæ paucis contingere ſolet.

Albis.] Albæ boues mactabantur vtríque numini, propter ipſius candorem: contrà Proſerpinæ, tenebrarum & inferorum reginæ, bos nigra immolabatur,vt ſcribit Plutarc. de boue nigra Cyziſenorum, quæ ſe obtulit ſponte ſacrificio.

Prior.] I.Auguſtus ſuperior & fortior hoſtibus ſuis clementer cum ipſis agat, & meminerit id humanitatis leoni belluarum crudeliſſimo tribui, illúdque vſurpari:

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Albanas.] Romanas vel Latinas intellige à monte Albano,vbi Pontifex Romanus ſacra ſolebat facere Ioui Latiali.

Copia cornu.] De hac prouerbiali loquutione vide Oden 17.l.1.

Acceptus.]I.*gratus nouem Muſis*,vt qui ipſis præſideat: vnde μουσηγέτης Græcè eſt nominatus.

Quindecim.] Hi Quindecimviri fuerunt ſacerdotes

Sibyllæ & procuratores, Choragíque secularium ludorum, de quibus Tacitus lib. 2. Annal., & Dio initio lib. 53.

Quæq; Auentinum &c.] Seruius in 7. Æneid. vers.

Pulcer Auentinus &c: annotat: Auentinus mons vrbis Romæ est, quem constat ab auibus esse nominatum, quæ de Tiberi illuc, vbi erat templum Dianæ, ascendebant: cætera ibidem lege, sed de Algido oppido vide Oden 21. l. 1.

Hæc Iouem.] Syntaxis verborum est eiusmodi: *ego chorus doctus dicere laudes Phœbi & Dianæ, reporto domum Iouem & cunctos Deos bene sentire de nostrũ institutis, & approbare hæc spectacula.*

Explicatio Rhetorica.

METrum est Sapphicum.

a Meton. subiecti pro *Dea venationum.*

b Polyptoton est, quale in,

Primâ dicte mihi, summâ dicende Camœnâ, ac præterea à metaph. ab agricolis, vt cultor Deorum Ode 34. li. 1. & in Epist. ad Pis. *cultor agelli.*

c Synecd. est generis pro *diebus festis secularium ludorum*, vt in *septem colles*, pro *his, qui memorati sunt in Grammaticis*, vel est circumlocutio αὐτὶ Ρώμης ἐπαλόφως.

d Periphrasis est synecdochica Dianæ & Apollinis, quæ vno nomine dici Græcè potest πολιοῦχοι, Dii Romæ præsides & tutores.

e Idem tropus pro seculari.

f Synecdoche primùm est generis pro senatorum decretis & lege Papia Poppæa, de qua lege Dionem lib. 56. deinde metaphora à moribus patrum erga liberos ad curam Senatorum de Repub. indicandam.

g Apostrophe est, vbi imploratio conuertitur à Phœbo & Diana ad Parcas.

h Altera est sermonis auersio.

i Synecd. generis pro luna, quam Phœnices ἀγροῦχον vocant, ex Herodiano l. 5.

k Meton. pro *domo: & ades*, & in *vrbem* synecdoche pro *Troia*, & *cursu* pro *nauigatione.*

l Meton. adiuncti pro *iuuenibus*, vt *senectuti* pro *senibus.*

m Altera meton. sed materiæ pro *Augusto claro principe Romanorum inde orto*, pro quo Æneid. 6. ver. 125. *sate sanguine Diuũm Tros Anchisiade.* Ratio tropi fuit Ode 20. lib. 2.

n *Prior bellante* & in *hostem* dicuntur per synecdochen singularis pro, *bellantibus & hostibus potentior*, sicut *Medus* pro *Medis.*

o Periphrastica synecdoche medicinæ, cuius se prædicat Apollo inuentorem l. 1. Metam. *inuentum medicina meum est.*

p Breuis prosopopœia, vbi chorus solus personas precantium & canentium sustinet, & se voti compotem domum prædicat redire.

Sit honor & gloria Deo patri Domini nostri Iesu Christi, qui nos Spiritus sui gratia perduxerit ad vmbilicum explicati huius Lyrici operis.

Finis Lyricorum Carminum.

I. IACOBVS GRASSERVS, IOANNI SANRAVIO DOMINO IN LANSARGVES.

S. P. D.

OBILISSIME SANRAVI,

Æquè mihi Musæ ipsæ, atq; D. CHABOTII, meritißimi Senis, pij Manes irascerentur, niſi & illas pagellas, quas Reipub. Litterariæ deſtinata mea curioſitas, confecto iam opere, inter Analecta eius felici manu deprehendit, vel in tui gratiam Publici iuris facerem, quando ad elegantißimarum quarundam odarum vtiliſſimam illuſtrationem, notis abundant ſingularibus, quas tibi ante Nouennium Monſpelij apud Heroicum Virum, D. CLAVDIVM SANRAVIVM, Parentem tuum, & Patronum meum, æterna reuerentia honorandum, D. IVLII PACII à Beriga, & D. IOANNIS GIGORDI ſuaſu priuatim prælegi. Chariſſimi igitur, quotquot ſunt, Humaniorum Litterarum Studioſi, & hiſce reliquiis Tecum fruantur, quæ in Auguſtißimo Palladis Templo, religioſioribus Myſtarum & Sacerdotum oſculis, cum ſolemni veneratione exhiberi dudum meruerunt. Vale. Baſileæ ∞ IↃ CXV. Kal. Mart.

Ad Enarrationem Grammaticam odæ tertiæ. lib. 1.

IN verſum, *Ventorum Pater:*] Æolus dictus fuit modò ἀλεξάνεμος, modò πανσάνεμος, modò πωλυσάνεμος, ἢ πωλυσανέμας, quo poſtremo cognomine Diog. Laertius ſcribit lib. 8. Empedoclem vocatum, quod Eteſias ventos vehementer flantes, & corrumpentes fruges ſedauerit. vide ibidem rationem ſedandi, qua ille vſus eſt per vtres ex pellibus aſinorum factos. Ventorum autem ortum, quidam motibus aquarum tribuunt. Et de origine, natura, & numero ventorum, lege lib. 5. Senec. Naturalium Quæſtionum.

In verb. *Neceſſitas*] Sic Græcè definitur, ἀνάγκη ἐστὶ πρίσις βέβαια καὶ ἀμετάτρεπτος δυνάμεις τῆς προνοίας. id eſt, *firma ſanctio & immutabilis prouidentiæ poteſtas*, de qua Thales interrogatus olim, τὶ ἰσχυρώτερον, id eſt, *quid validißimum & porentißimum?* reſpondit, ἀνάγκη. πάντων γὰρ κρατεῖ, i. *neceſſitas omnia enim vincit*: quam Homerus Ὀδυσσ. γ. περιφραστικῶς ſic enuntiat. Ἀλλ' ἤ τοι, &c.

Ad Enarrationem Grammaticam odę quartæ lib. 1.

IN verba: *Gratiæ decentes.*] Laudes autem Gratiarum à multis, præſertimque à Poetis celebratæ ſunt, atque inter eos à Pindaro *ode.* 14. ὀλυμπ. initiò, quas ſic affatur primum γενικῶς, deinde καθ ἑκάστην. loci interpretatio latina hæc eſt,

O Charites pinguis Orchomenii celebres Reginæ, audite, quum vos precor & imploro. omnia enim ope veſtrâ mortalibus contingunt grata & iucunda: ſi quis ſapiat: ſi quis pulchritudine corporis præditus ſit: ſi quis ſplendorem formæ habeat: Neq; enim Dii ipſi ſine operâ venerabilium Charitum choros & conuiuia regunt: vbi pro *decentes* dicuntur σεμναὶ, id eſt, *integræ ac venerabiles* παρὰ τὸ σέβεσθαι. vide ibidem affatum Poetæ & colloquutionem cum ſingulis.

Quare autem sint tres Gratiæ, quare sorores, quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, quare virgines solutâ veste ac pellucidâ, discere potest quisque è lib. 1. cap. 3. de beneficiis apud Senecam. Vocis autem Græcæ etymon est παρὰ τὸ χαίρω, χαρῶ, χάρις, atque ipsum χαίρω παρὰ τὸ χῶ, τὸ λιαχέω. id est, *diffundo*, quia solet lætitia cor dilatare, & sanguinem in superficiem corporis diffundere: vnde videntur tria illa existere, ἅπερ σημαίνει τὸ Χάρις, τὴν θεὰν τὴν ἀωρεὰν ἢ τὴν ἐυπρέπειαν, i. e. *quæ significat vox Charis Deam, donum & eximium decorem.*

Ad verbum *Myrto.*] quare Myrtea serta in conuiuiis vsitata olim? Fortassis etiam πρὸς τὸ τὴν οἰνοφλυγίαν *ad vinolentiam abigendam*: Sed Dioscorides loco inferiori scribit id efficere τὸν ἐξ αὐτῆς ἐνθλιβέντος τὸ καρπὸν οἶνον προσινόμενον, i. *vinum ex ipsius fructu expressum & præpotum.*

Ad verba: *Lucis vmbrosis.*] pro hoc *Virg. 6. Aeneid.* dicit, *Lucus habitamus opacu*:
Sed verior est definitio, vt lucus sit nemus religiosis locis aut delubris vicinum, & ferè numini alicui sacratum: vnde olim factum fuit, vt ibi asylum constitutum sit ad aram vel ad statuam principis: quò, velut in tutum præsidium se reciperent fontes: quos inde vi extrahi nefas erat. Ita Virgilius Æneid. 8. de hoc fecit.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Retulit.

vide illic notas Seruii de origine asyli, dicti παρὰ τὸ μὴ ἔνθεν θώρη ἢ ἐκάστιον συλᾶν, id est, à vetita potestate inde fontem extrahendi: alio nomine dicitur Ἑλλωτικῶς Κρησφύγετον, cuius vocis rationem Eustathius reddit ὀδυσ. λ. ad vers. Κήρλω Μίνως ὀλοόφρονος &c. ὁ δὲ Μίνως ἐπτέα νεητλῶ ἄρχυσαν. ὀλοόφρων δὲ ὁ τοιοῦτος, τοῖς κακοῦργοις ἀηλάδη. ἐξεκάθηρε γὰρ λῃστῶν τὴν θάλασσαν. οἱ δὲ φεύγοντες τοῦτον ἐπάλουν Κρησφύγετα, τὰς καταγωγὰς τῆς ἐντοῦτοις Κρητὸς φυγῆς αὐτῶν. i. *Minos autem extendit imperium, quippe qui talis nosset perniciem sceleratorum. Mare siquidem expurgauit latronibus ac piratis: qui hunc* defugiebant, vocabant perfugium suæ fugæ ac receptum à tali Crete, *crephygeta*, tanquam Asyla quædam. Ius quoque liberalitatis, & franchisiæ dicitur ἡ ἀσυλία.

Ad verbum *Iam premet.*] Hic τὸ *iam* valet τὸ mox, quod dicitur de breui futuro: potest autem τὸ *premet* exponi, occultabit te, nemini postea conspiciendum, vt premere altum dolorem corde, Æn. 4. & premere odium. Quoniam autem L. Sextius iam dictus est in Dialecticis ad locum complexionis propius aliis quibusdam accedere ad finem vitæ, quòd esset πέμπελος, libet rationem huius vocis reddere è notis Eustathii in libros Ιλιαδ. ϖ. χ. ψ. dũ explicat verbum ipsius coniunctum τὸ ἀυσπέμφελος in hac syntaxi, ἀυσπέμφελος πόντος, τοῦτ', ἀυχείμερος, ἀυσμετάπεμπτος, i. *mare procellosum & innauigabile*: quod nauis percurrere minus potest, nec mercatores tutò transmittere: in qua verbi iunctura τὸ π versum est in φ. ad distinctionem τῦ πέμπελος: quo significatur translatè ætas senilis, cuius recensentur, velut gradus, ὠμογέρων, ὡς νεῦ ἄρτι γηράσκων ἢ ἐσιὼν τὸ γῆρας. i. *crudâ & viridi præditus senectute*, tanquam nunc primum senescens & senectutem subiens: Deinde ὁ γέρων: quod videtur interpretari vox Latina silicernium: vt enim hoc videtur ex eo dici, *quòd curuus despiciat silices*; sic γέρων παρὰ τὸ εἰς γλῦ ἐρᾶν, *quòd terram*. Postea ὁ πέμπελος, ὡς ὑπέργηρος, βαθύγηρος, ἐσχατύγηρος, καὶ ἤδη ἢ ὡσὶ τὸ γῆρας ἢ ὑπιξιὼν, ἢ πρὸς τῷ θανάτῳ ὤν. i. *tanquam decrepitus, & iam iam è senectute exiens, & morti propinquus. Postremò σύφαρ. i. finiens extremum vitæ, tanquam fabula, actum.* His autem plures senectutis gradus *Seneca* breuiter videtur expressisse epistola 44. ad finem descriptæ sic vitæ humanæ. *punctum est, quod viuimus, & adhuc puncto minus: sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura diuisit, aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adolescentiam, aliud inclinationem quandam ab adolescentia ad senectutem, aliud ipsam senectutem, in quàm angusto* (vitæ humanæ spatio) *quot gradus posuit?*

Ad Enarrationem Grammaticam odæ 36. lib 1.

Ad verbum *Damalis.*] Hanc vocem deflectit Eustathius in Ιλιαδ. ε ἐν τῷ δαμάσω, sicut ἡ δάμαρ, ἄρτος, i. vxor, παρὰ τὸ δεδμῆσθαι καὶ ὑποτετάχθαι. i. e. *quod viro subiecta sit.* Est autem δάμαλις propriè βῶς νέος, id est, *iuuenca.* Gall. *ieuniſſe*, aliter dicta πόρτις, vnde fit ὑποποριστικῶς ἡ πόρταξ, quæ definitur δάμαλις ἡ ἄρτι ποδεύεσθαι δυναμένη, i. *iuuenca, quæ non ita pridem incedere potest.* &c.

Ad Enarrat. Grammaticam odæ 37. lib. 1.

Ad verbum *Nunc est bibendum* &c.] Hæc oda quibusdam decantata videtur ad imitationem Alcæi Mitylenæi, quod vt illi sic persuasum haberent, auctor & suasor Athenæus fuit, qui hanc sententiam, νεῦ χρῆ μεθύσκειν καὶ τινα πρὸς βίαν πίνειν, & consimiles scriptorum aliorum γνώμας in 15. libros collegit: sed huiusce modi iudicium vix potest fieri de toto carmine ex vno ipsius versiculo, ac difficilius multò, quam de toto leone ex ipsius vnguiculo, primum enim vis prioris Græci verbi non satis exprimitur Latino: Deinde secundum carminis Latini membrum non Græco respondet interpretatione: vnde magna fit mihi coniectura, si vera esset imitatio Alcæi poetæ Lyrici, Horatium alio vsum exemplari, atque nos, vbi fortasse simile legeretur ei, quod à nobis expressum fuit ode 4. huius ad vers. *alterno terram quatiunt pede*, non tamen ad versum, sed ad sensum, σφοδρότερον τῶν γλῦ ἐπαλλήλοις ποσὶ παίουσι, ἤ, vt amicè sum admonitus ab Odoardo Biseto Charlæo, viro pio & literato Anno 1594. Basileæ mortuo hac ode iam typis Basileæ mandatâ, ἢ χοβνὰ πρὸς βίαν παίουσι. Quod si quis velit retinere Alcæi verba, ut sunt initio proposita, posteriora quidâ, πρὸς βίαν πίνει, erũt ὡς κατ' ἐπεξήγησιν τὰ τῶν προτέρων ἐρμηνευτικὰ, τῶν νεῦ χρὴ μεθύσκειν. contrà, si his subiiciantur τὰ ἢ τὴν χοβνὰ πρὸς πάσειν, hæc, *obrutum esse vino, & impedito ferri pede* pugnant cum his, *libero pede pulsare tellurem*, vel *Chremete Terentiano* iudices qui in *Eunuch* act. 4. Sc. 5. se vini suauitate quidem captum profitetur, sed firmâ mentis constitutione cassum & inanem,

At at data Hercle verba mihi sunt: vicit vinum, quod bibi.
At dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè sobrius!
Postquam surrexi, neq; pes, neq; mens satis suum officium facit.

vel facto numerosæ saltationis periculo in homine plus poto. Vt autem huius verbi μεθύσκειν tibi, Lector fit notior, subscribam notas Eustathii in vers. ϖ. Ιλιαδ. μ.

Ἐννῆμαρ δ' ἐς τεῖχος ἴα ῥόον, ὗε δ' ἄρα Ζεὺς συνεχὲς. i.
Sed nouẽ dies ad muros misit fluxũ. Iupiter pluebat con-

continẽter: *quarũ interpretatio ita se habet. Annotandũ a. est in voce ἐννῦμαι familiariter Homerũ numero vii nouenario. Hæc quoque verbis, ἴει ῥόον componere τὸ ἱερὸν significãs aliàs piscem, qui secundum fluxum fertur, vt fama est: verbi autem ὕειν primigenium videtur τὸ ὑω, id est, mitto: ex quo deflexum est ὕω similiter huic χῶ, χύω, θῶ θύω, aliaque ex aliis similia. Plenè quoque pronuntiatum est τὸ νὲ Δ' ἄρα Ζεὺς.* id est, pluebat Iupiter. *Multò enim sufficeret tantum dicere pluit, vt fulgurat, Ioue minimè expresso, vt satis intellecto. Sed è dicto verbo ὕειν fit iunctura* Μεθύειν, *sicut hæc σύσσαι, μέθυσκε μέθυ: Idem tamen Interpres notat Iliad. β. hoc posterius γίνεσθαι ἀπὸ τῦ μεθιέναι, vnde quoque μεθύμων*; id est, *ab eo, quòd se remisse ac negligenter gerat, vt μεθύμων sit ἀμελητὴς ἢ ἐπλυτος ἢ ἠμελημένως ἔχων. τὸ μὲν μεθύειν, inquam, τροφικῶς sumtum, vt sit post cibum irrigari: quod alius quidam (is est Alcæus è lib Athenæi A.) extulit per τέγγεσθαι, i.e. madefieri in hoc loco, humecta pulmones vino. dicta quidem translatio habet rationem consentaneam verbo βρέχειν, quod ipsum de facultate bibendi dictum inuenitur apud Antiphanem, oportet, ait, comedentes largè perfundi. apud Eubulum, perfusus vino & bene potus venio: quod etiam interpretans addit, vt propinauit mihi, sic ego illi propinaui. Ita videtur hic locus ex eodem lib. explendus. Quinetiam nonnulli, quorum Aristoteles vnus fuit Athenæo lib. β. pag. 20. dixerunt verbum μεθύειν idem significare, quod vino vti largius post sacrum factum, argumento est Θεοννία, festum de nomine Dei & vini: de quo dicitur, deo volente, epist. 13. lib. 1. quæ ratio vocis sic iuncta ab Aristotele mihi non probatur, quum simplex ὕειν συγγένειαν ac potius συσσίχειν habeat cum nominibus θύος ἢ θύον eiusdem coniugationis, significantibus suffimentum sacrificii, & arborem thuriferam. Prioris est testimonio vers. Ιλιαδ. ζ. vbi Hector sic matrem Hecubam alloquitur,*

Ερχεο σοὶ θύσσιν ἀολλίσασα γεραιάς. i.

vade cum suffimentis (ad ædem Mineruæ) *vbi congregaueris matronas.*

Hic interpres annotat, αὐτὶ τῦ, σοὶ θυμιάμασι & rectus est τὸ θύος. ἐπὶ τύτε δὲ παρήχθειν ἀπὸ τῶν ζώων θυσίαι, πληθέσα ἢ αὐτὴ ὅτω διὰ τὴν καθυμιωμένην νίσσαν, i. *ex hoc autem deriuatum est sacrificium ex animalibus*, vnde apud Platonem epist. 7. θύσαι θυσίαν, sic dictum, quòd exustione carnium exhalet atque euanescat fumus & nidor. Quod si relinquendus esset huic iuncturæ locus, mirè concisum videretur verbum μεθύω pro μεταθύω, quale postulat ratio coniunctionis, vt in μεταθέω, i. transcurro ex μετὰ ἢ θέω. Quamquam equidem sum minimè inscius. ὅτι ἥτε πραιτώρια, ἥτε εὐνοφλυγία μεγάλη τε ἢ ἀκόλαστος φιλεῖ ἀεὶ συναπολυθεῖν τοῖς θυσίαις πανηγυρικοῖς. i. *quin crapula, ingensq; atq; turpissima ebrietas comes semper sit celebrium sacrificiorum*, cuius rei sunt indicio *Tauralia Israelitarum exod. 32. vt Dionysia & Bacchanalia Gentium li. 2.* Blõdi de Roma triumphãte, qualia Eumæus recenset Vlyssi Οδυσσ. ξ. sub Περὶ δὲ τῆς βίας ἔτι λεπτέον, δοκεῖ δὲ διοδεύεσθαι ἢ κατὰ τὴν Κώμην διώκοντι βιαζομένη, vt prouerbialis sententia Sophoclis apud Athenæum lib. 10. indicat,

—— τὸ πρὸς βίαν πίνειν,
Ισον κακὸν πέφυκε τῷ διψᾶν βία. i.
Cogi ad bibendum æquè malum esse solet,
atq; cogi ad sitim ferendam, vel, *bibere per violentiam* par est malum huic, sitire per violentiam.

Ad verbum *Remis adurgere*] Remi hac Definitione possunt declarari, vt sint conti vel perticæ in latum desinentes instar alæ & palmæ, vnde dixit Euripides πτέροις ἐρέσσειν. alis remigare, quibus naues impelluntur, & vndæ franguntur, & remouentur, à quo quidem actu, creduntur rem nomen inuenisse, vel παρὰ τὸ ῥεῖν Græcè nominantur ἐρετμοὶ ἢ κωπεῶνες, & remigare ἐρέσσειν ἢ κωπηλατεῖν: κώπη δὲ propriè dicitur λαβὴ ἐρετμῦ *capulus remi*, vnde κωπῆν μὲν ξίφος. *ansatus gladius*, sicut ἐν δὲ τῇς λαβῆς, *è capulo*, appellatur ξιφίδιον χρυσολαβές, pugio aurei manubrii. Pars autem remi latior & extrema vocatur ἐλάτη, quam Virg. reddit palmulam. Remus autem συνώνυμον habet tonsæ, initio 7. Æneid. *in lento luctantur marmora tonsæ.* Remi dicti in discutiendis fluctibus, sicut tonsæ à tondendis, & discutiendis capillis, ait Seruius.

Hac autem locutione *adurgere fugientem Cleopatram*,] summa indicatur festinatio persequentis, multóq; maior indicata fuisset, si ad remos addidisset ventos, vt Cic, ad Cornificiũ scripsit, *Atq; inde vẽtis remisq; in patriã omni festinatione properaui.* ita redditio cõparationis celeritate propositioni duplici respondisset.

Ad verbum *Non humilis.*] I. non obscura, Galli N^e estant pas vne femme de bas estat, & condiciõn. His duobus geminatis Cic. solet opponere *clara & præstans*, cum illa affirmatiuè pronuntiantur, sed cũ negatiuè, vt hic vnum, & in expositione alterum, idem sonant atq; hæc ipsa, clarus & præstans. At quoniã hic concursus Epithetorum, *priuata & non humilis*, est quibusdam obscurus, vt amicè monuit me D. Michael Loefenius hospes meus Argentorati, hellenismus videtur tam apertè mihi explicandus, quàm ellipsis τῦ μορίου *vt* aut similis, explenda. Non est autem dubium, quin Poeta dixisset, inuidit victoribus Liburnis gloriam victoriæ in concisceda sibi morte, quam hi consequuti fuissent, si potuissent illam viuam deducere Romam triumpho superbo, vt mulierem priuatam, omniq; splendore ac generis imperiique dignitate spoliatã. Ita doluisse Augustũ *Dio* l. 51. narrat, ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ, μηδενὸς τρόπον αὐτὰ διώσασθαι τὴν Κλεοπάτραν δυνηθεὶς ἐπείνῳ μὲν ἢ ἐθάμασε ἢ ἐλέησεν· αὐτὸς δὲ ἰσχυρῶς ἐλυπήθη, ὡς ἢ πάσης τῆς ἐπὶ τῇ νίκῃ δόξης ἐστερημένος. i. *Quũ Cesar nullo modo posset in vitã reuocare Cleopatrã, commiseratus est eã cum admiratione & dolore, tanquam omnis victoriæ gloriã, quæ solet cerni in triumpho, spoliatus.*

Ad Enarrationem Rhetoricam eiusdem odæ.

Ad verba. *si. ut stomachus ingratos cibos.*] Ita Scholiastes Pindari enucleat, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἐν τῷ στομάχῳ σιτίων, ἃ πεφθέντα μὲν ὄνησι τὰς μεταλαμβανούσας αὐτῶν. ἀπεπτα δὲ μείναντα τὸ στομάχῳ μὴ δυνηθέντος κατεργάσασθαι αὐτὰ, βλάβην εἰδέναι ἐπάγειν. i. *sumtum est ab esculentis, quæ in stomacho concocta prosunt iis, qui ipsa sumserunt; sed minimè concocta & residentia, quia stomachus non potuit ea conficere, detrimentum* & damnum consueverunt inferre iisdem. Ita quoque Interpres Homeri Ιλιαδ. α. in scholiis ante hos versus,

Εἰ πέρ γάρτε χόλον γε καὶ ὀρῆμαρ κατὰπέψῃ,
Αλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
Εν στήθεσσιν ἑοῖσι. i.
Quamuis enim eodem die decoxerit iram,
Postea tamen retinet iram (memorẽ) *donec perfecerit in pectoribus suis.*

enodatè idem verbum explicat, τὸ δὲ καταπέψῃ μετενηνεγκὼν ἔχθη ἀπὸ τῶν σιτίων τῶν μετὰ βρῶσιν ἱκανῶς κατακεχυμένων ἕως ἀχρι καὶ πέψεως. ὄνησι γὰρ καὶ ὁ πεπεψικὸς πέπειρον δοκεῖ τὸν θυμὸν. ὁ δὲ πότος ἐστιν. ὁ δὲ μὴ πρύσῃσιν ἐδίως, θερμαντέον πεῖσαι τοῦτο. i. *hoc verbũ translatũ est a cibis, qui post comesturam intus, i. in stomacho satis ad concoctionẽ vsq; retinentur. Sic etiã cripsicholus iram concoquere videtur: Sed cotus est, qui nequit occultare iram, neq; coquere, sed modo quodam euomit, praterea* τὸ πέσσειν, ἢ πέπειν ponitur interdum pro mederi & fomentis delinire. ex his manifesta est differentia τῶν καὶ χόλος καὶ πότος, quam ode 6. huius lib. ostendimus ex hoc interprete.

Paulò post, ad verba, *Ebrios dici posse qualibet re expletos.*] His deniq; omnibus tropis indicatur summa talium rerum satietas & abundantia. Huc adde in *dulci fortuna μετωνυμίαν* esse efficientis. Ita Demosthenes ὀλυνθιακῇ πρώτῃ dicit, τῆς ὑμετέρας τύχης εἶναι ὑπολαμβάνω, i. *existimo è re vestra esse*: vbi τὸ τύχῃ ἀντὶ τῶν πραγμάτων ὑπ' αὐτῆς δοθέντων ἢ φυλασσομένων. i. *fortuna pro reb. ab ipsa datis & conseruatis opinione Ethnicorum ponitur.* vt hic Cleopatra ebria erat nimis magnifico rerum suarum apparatu. Sic Græci] τὸ μεθύσκειν, de quo fuit fusè dictum initio Gram. huius odes, vsurpant ad significandam rei cuiusvis redundantiam, vt Seirachides c. 1. facit, πλεσμονὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν Κύριον, ἢ μεθύσκει αὐτὸς ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῆς. i. *plenitudo sapientiæ est reuereri Dominum, atq; hac inebriat reuerentes se fructibus suis.* Simili tropo Cicero lib. epist. 3. ad Q. frat. vsus est: *à Vatinio ita me obseruari scio, vt eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam.*

Ad Enarrat. Grammaticam
odæ tertiæ lib. 2.

AD verba, *Non secus.*] circa finem. *Non secus ac iussi faciunt.* Quod Græci sic efferunt, ὅμοιον πρᾶξαι, ὡς ἐγὼν ἐκέλευσα. sic interdum ponitur copulatiua pro redditiua, sicut Isocrates ad Demonicum scribit, & loquitur: ὁμοίως αἰσχρὸν μηδένα φίλον ἔχειν, ἢ πολλοὺς ἑταίρους μεταλλάξαι. i. *Similiter est turpe nullum habere amicum, atq; multos subinde mutare sodales.*

Ad Enarrat. Grammaticam
odæ 13. lib. 2.

AD verbum *Pagi.*] in fine. E notis tamen Eustathii in Ὀδυσσ. ε. quum vocem πληθωτικῶς ita definit, πάγοι δὲ διορίζονται πετρώδεις ἐξοχαὶ, ἢ εἰς ὕψος ἀνέχουσαι ὀξεῖαι πέτραι, ὡς ἁπλοῖ ἐπαχθὲν τὸ, πάγοι ὀξέες. i. *pagi definiuntur fastigia & eminentiæ petricosæ, aut saxa acuta in sublime se attolentia, quasi pagi acuti significent quid coactũ & compactum:* ita *pagus* dici videtur παρὰ τὸ πήγνυσθαι. Pagus Græcè dicitur κώμη παρὰ τὸ κῶ, τὸ κοιμῶμαι, i. à verbo cubandi & dormiendi, & definitur τὸ χωρίον ἀπεῖχον, ἢ κοιμητήρια, ἢ ἀνάπαυσις ζώων τε ἢ ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν ἀγρῶν. i. *locus non muris cinctus, dormitorium & requies tam animalium, quàm hominum ab agris.* Quomodo autem initio pagus constitutus sit Aristoteles docet lib. 1. cap. 1. Politic. ἡ κώμη ἐκ πλειόνων οἰκιῶν ἐστὶ κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου. i. *pagus est prima societas ex pluribus ædibus constituta vtilitatis non quotidianæ gratiâ.* Μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι, ὃς καλοῦσι τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας. i. *Pagus verò maximè videtur esse colonia & propagatio quædam familiæ eorum, quos nonnulli vocant collactaneos, & filios esse & filiorum natos, hi sunt nepotes.*

Ad Enarrat. Grammaticam
odæ 14. lib 2.

AD finem explicationis *Nec moram.*] Huc certè pertinet, primum illud de Gorgia Leontino Isocratis magistro, quod annotauit Eustathius in vers. Ὀδυσσ. α. Ὠγύμοι ὑβρίζοντες &c. quodam auctore apud Athenæum, λέγεται δὲ καὶ Γοργίας Λεοντῖνος ἐν βαθεῖ γήρᾳ βιώσας μετ' ἀκριβήσεως, ἤγουν σὺν τῷ καὶ τῶν αἰσθήσεων ὑγιῶς ἔχειν καὶ ἐρωτηθείς τινι διαίτῃ χρώμενος οὕτω βιώσοι φάναι, ὡς ὀλίγῳ πώποτε ἥδιον ἔνεκα πράξας, ἢ τὰς ἀπάντων ὑπερβολὰς ἐνλαβούμενος, ἢ ὀλόμενος, ἥδιν παῦ τὸ μέτριον εἶναι. i. *dicitur autem Gorgias Leontinus ad summam senectutem vixisse cum magna sensuum integritate: atq; interrogatus, qua victus ratione vsus tamdiu vixisset, respondisse, quòd nihil vnquam fecerit voluptatis causâ, immodicus rerum omnium vsus vitarit, & in mediocritate rei cuiuslibet suauitatem homini temperanti quærendam esse arbitratus sit.* Eodem deinde spectat illa inductio exemplorum, quæ *Cato* in Dialogi exordio apposuit de longa vita celeberrimorũ Philosophorum, Oratorum, Sophistarum, *Platonis, Isocratis, Gorgiæ, Ennii*: quæ leges lib. de senectute.

Et paulò post, ad verbum *Illacrumabilem.*] Ideo Agamemnon Ἰλιαδ. ιῶτα sic illum describit, quum Achillem per legatos Nestorem, Aiacẽ, Vlyssem, Phœnicem monet de sua ira ponenda, Δμηθήτω. Αἰδὴς τοι ἀμείλιχος, ἢ δ' ἀθέμιστος. i. *mansuescat* (Achilles) *Pluto quidem implacabilis* (est) *& indomitus.* Ideoq; omnium deorum odiosissimus hominibus. Hæc autem Epitheta Homeri de Plutone Scholiastes notat posita, ἀντὶ τῶν, λόγοις τε ἀγοήτευτος, ἢ βίᾳ ἀνίκητος, pro eo, *quod Pluto neq; verbis fascinari, nec vi superari possit.* οἷς ἐπαγόμεθά τινας. i. *quibus aliquos impellimus* ad quid agendum. Huic tamen loco parum conuenit cum altero sequenti è Plutarcho & Platone: sed pro, *Illacrumabilem* dixit ode 3. huius lib. *nil miserantem Orcum.*

Amice places.] *Amicus* ab æqualitate animi cum altero seruata dicitur, quasi animæquus, ἅθεν συνοπαδοῦς id est, concisè amæquus, deinde κατὰ τὴν ἀλλοίωσιν τῶν στοιχείων amicus, vt alicubi monuimus: verbum autem places ἀμικτικῶς, pro, etiamsi contendas & possis placare.

Enauiganda.] Pro enauigare Græci dicunt ἐκπλεῖν, quod est nauigio ex aquis exire, atque nauigando euadere, sicut enatare natando idem præstare. Cicero priori vtitur translatè Tusc. 4. *è quibus, tanquam e scopulosis cotibus, enauigauit oratio.* De vsu autem particulę *scilicet* reuisę notas Gram. in Oden 17. lib. 1.

Ad Enarrationem Dialecticam
Odæ 17. lib. 2.

AD finem numeri 9. de conuenientia Horoscopi Mæcenatis & Horatii: quippe qui sint συνεμαρμένοι, id est Ciceroni confatales; ἢ συνόμοιρον habeant. Miror equidem, vnde venerit in mentem *Iohanni Bodino* I.C. vt in historica methodo sub finem hæc de præsenti Poetæ loco scripserit. *Habuit Carolus Quintus in ortu Capricorum Sydus, vt Cardæus confitetur: quo sydere natus erat Augustus: qui propterea nummum felici sydere capricorni percussit. Hoc enim voluit Horatius, quum Hesperiæ Tyrannum capricornum appellauit: quo in loco interpretes omnes lapsi sunt.* Et certò tum erat humanitatis Bodinianæ sic lapsis dextram porrigere, & ad locum vel tam asperum & salebrosum, vel tam lubricum aliquam adhibere explanationem & rationem confirmandi pedis, ne quis ex posteris interpretibus eodem postea offenderet & relaberetur. Sed tamen quid ad consensionem Horoscopi Cilniani & Horatiani interea adiumenti potest afferre ortus Augusti in Capricorno? Quid excusus ab eodem Cæsare nummus effigie huius signi: quum nulla prorsus omnino possit hìc concipi allusio allegorica ad tam arctum mutuæ inter Mæcenatem & Horatium beneuolentiæ vinculum: quanquam ortus ille Cæsaris sub tali signo post euentum visus sit quandam prognoseos rationem habuisse de felici dominatione ipsius in Italia & Hispania? Huc adde, quod historiæ Suetonii & Dionis pugnant cum Horoscopo Cardani: nam ille collocat natalẽ Augusti 9. Cal. Octobris: hicve-

hic verò in Iulio, sicut noster poeta: quo quidã tempore noctes sunt breuissimæ, vt dicetur Deo fauente 3. epist. lib. 1. quod si ita est, non video quid momenti allaturum sit, quod Bodinus huc protulit. Hoc autem vnum in tota ode Poeta voluit demonstrare, Horoscopum Mæcenatis mirificè cum suo conuenire: vnde conficit consolationis gratiam non eum è vita exiturum, quin ipse vnâ cum eo exeat. Hanc quidem Bodini opinionem D. Dionysius Lebbæus Batilius I.C. primus obseruauit & notauit, & notatum mihi postea indicauit amicè, vt est singulari in literas & literatos amore, qualẽ satis arguũt tam poetica, quàm historica ipsius scripta.

Ad Enarrationem Grammaticam odæ 22. lib. 2.

AD verbum *Maior inuidia.*] Eam ob rem Græci accommodatè commenti sunt verbum μεγαίρω, τὸ φθονῶ, ὅπερ γίνεται παρὰ τὸ μέγα. οἱ γὰρ μεγάλοι φθονοῦνται, ἢ διὰ πλοῦτον ἢ δόξαν, ἢ δι' ἀρετήν. verbum inquam, perappositè effectum ad subiectum huius affectus propriè notandum, quod à magno nominatur, solent enim in inuidia esse, qui vel opum, vel gloriæ vel virtutis magnitudine plus cæteris florent.

Ad finem explicationis Cygni, in verbo *Alitem.*] Inter alia epitheta huius auis sunt cygni Homero ἀολιχόδειροι καὶ μακροτράχηλοι. i. *oblongo colle* ad talem in aquis perscrutationem apto. Comparatur cantus iphus cum illo Gruum à Lucretio,

Paruus & est cygni melior canor, ille gruum quàm
Clangor, in æthereis dispersus nubibus austri.

Huc addam, quod *Pausanias* de Cygno scribit in Atticis pag. 30. vers. 7. cuius loci est interpretatio, *Non longè ab Academia Platonis est monumentum, cuius in Philosophiæ studio præstantiam diuinitus significatam tradũt. Socrates enim eâ nocte, quam dies ille consecutus est, quo se Plato in eius disciplinam tradidit, vidisse per quietem cygnum sibi in sinum aduolasse. Cygnum autem canoram maximè esse auem vulgò creditur. Cygnũ enim Ligurẽ (qui in Gallia Trãspadana sunt) regem musicæ laude clarum fuisse memorant, eumq;, quum decessisset, ab Apolline in sui nominis auem mutatum. Ego verò apud Ligures regnasse in musicis solertem hominẽ, vt credam, facilè adduci possum: sed hominem in auem mutatum, minimè fide dignum videri potest.*

Ad Enarrat. Grammaticam odæ 1. lib. 3.

AD verbum *Odi profanum.*] Statim à principio post citationem Aristot. ὅτι τοῖς πάθεσιν ἀπολελυπημένοι ὄντες, ματαίως ἀκούσονται ἢ ἀνωφελῶς. i. *quòd quum metibus animorum pareant, frustra audient, & inutiliter,* ἐπειδὴ τὸ τέλος ἐστὶν ὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις. i. *quia finis huius Ethicæ est non cognitio, sed actio.*

Et paulò pòst inter argumentationes *Chrysippi Laertius lib. 7.* refert hanc censoriam eiusdem animaduersionem in doctorem plebis profanæ, ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυστήρια ἀσεβεῖ· ὁ ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει· ἀσεβεῖ ἄρ' ὁ ἱεροφάντης. i. *Qui mysteria dicit profanu, impiè facit: atqui antistes sacerdos dicit mysteria profanis, hic ergo facit impiè.*

Huc accedit, quod seruis olim minimè liceret cum ingenuis audire tam Philosophos, quàm Professores literarum humaniorum: quæ omnia sumta videntur ex cap. 29. vers. 33. Exod. vbi non dissimile scribitur interdictum. *Extraneus ne comedito. Sunt enim sancta,* quod clarius exprimitur cap. 7. vers. 6. Euagg. secundum Matth. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ μηδὲ βάλλετε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς. i. *Ne date, quod sanctum est, canibus; nec proiicite margaritas vestras coram porcis; ne quando conculcent eas pedibus suis, & conuersi lacerent vos.*

Petronius Arbiter videtur principium huius retulisse ad delectum orationis poeticæ, quum in Satyrico sic præmonuit scriptorem carminis futurum. *Effugiendum est ab omni verborum, vt ita dicam, vilitate, & sumendæ voces, à plebe summotæ, vt fiat, odi profanum vulgus & arceo.* Idque præstarent operâ præconis vt est apud Plut. in vita Cariolani, vt quum Sacerdotes rem diuinam facerent, clarâ voce præco clamaret, Hoc age, vt attento animo sacris operam darent. Chysost. *Fauete.*] videtur hoc sumtum ex hoc carmine Orphei,

Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστί. βύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι. i.
Loquar, quibus fas est audire vos profani, fores auribus
vestris obdite.

hic versus inter adagia relatus est.

Fauere autem propriè significat, *bona fari*, hoc est, benè ominari: quod optimè perspicias è lib. 1. de Diuinatione, *idcircò omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, præfabantur, rebusque diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis, imperabatur,*

Ad Enarrationem Dialecticam odæ 2. lib. 3.

AD ea verbà, quibus *Lacedæmoniorum Respublica* laudatur.] Vnde Simonides poeta τὴν τῇ Σπάρτῃ ἐπωνυμίαν ἐπέθηκε Δαμασίμβροτον, ὅτι ποιεῖ αὐτὸ εἰς νόμους πατρίους διὰ τῆς μαθήσεως εὐπειθεῖς ἐναι. i. *cognomen Spartæ imposuit domitricem hominum, quòd eos per disciplinam redderet legibus patriæ facile obsequentes.* sicut Plutarch. in Agesilao & in Lycurg.

Paulo pòst, in Enarrat. Gram. ad illa, quibus *Paupertas* describitur. Sic de eadem Menander, οὐδὲν πενίας βαρύτερόν ἐστι φορτίον. i. *nullum est onus paupertate grauius.* Idem πενία δ' ἄτιμον ἢ τὸν δυσγενῆ ποιεῖ. i. *paupertas est caussa, cur homo sit inglorius & ignobilis.* Sanctius autem nos docet *Dauid* Psalmo 37. v. 16. *melius est pauxillum iusto, quàm opulentia impiorum magnorum:* quem quidem versum *Basilius in* suo Hexametro eleganter dicitur expressisse· Πενία μετὰ εὐταρκείας ἁπλοῦς πάσης ἀπολαύσεως τοῖς σωφρονοῦσι προτιμωτέρα. i. *Paupertas cum animo verè contento est hominibus moderatis pluris facienda, quàm omnia reliqua commoda.* In hac autem comparatione non debet lector animum conuertere ad quantitatem opum, quum nemo dubitet multas opes pauciioribus præstare, sed ad possessores earum iustos & impios, vt illi rem iustè honestéq; facere, ita eâdem rectè moderatéq; vti solent: hi verò artibus iniquis diuitias congerunt, & iisdem turpissimè abutuntur, vt his diuitiæ magis sint administræ improbitatis, quã honestatis, sicut ostendatur in Gram. odes 24. huius libri.

Ad Enarrat. Grammaticam odæ 3. lib. 3.

AD verbum, *Feræ.* vox autem Græca Θήρ, θηρός deducitur ab Etymologo παρὰ τὸ ῥᾳδίως θέειν, ἤγουν εὐπόλως τρέχειν ἢ παρὰ τὸ φθείρω φθήρ ἢ θήρ. i. *ab expeditè ac facilè currendo, vel perdendo*, hinc Germanorum *Thier.*

Ad Enarrat. Grammaticam
Odæ 5. lib. 3.

AD verbum *Mitésne.*] De Auo Licinii Crassi apud Parthos interfecti Plinius sic scribit lib. 9. cap. 19. Ferunt Crassum auum Crassi in Parthis interempti nunquam risisse, ob id ἀγέλαστον vocatum sicuti nec fleuisse multos. Affert tamen Cic. in actionib. è Lucilio, illum semel in vita risisse. Sermo autem hic habetur de Crasso, qui pugnans contra Parthos occubuit, cuius signa Marius postea retulit: quod hîc tribuitur Augusto. Est epist. Ciceronis 8. l. 5. ad hunc M. Licinium Crassum, quem ne Consules Domitius & Appius à prouincia Syria reuocarent, quod dirarum obnuntiatione neglecta, exercitum Romanum illuc duxisset, Cicero impediit, quod Reipub. & Crasso pernicioſum fui.

Ad verbum *Repensus.*] Ad rationem huius consuetudinis de nummo aureo Romæ percusso pertinet, quod Plinius scripsit lib. 33. c. 3.

Ad verbum *Flagitio.*] *Scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit: alii enim errorem appellant, alii timorem, qui durius spem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauissimè, temeritatem. scelus præter te adhuc nemo,* id est, non fuit scelus, sed aut error, aut timor, aut spes, aut odium, aut pertinacia, aut temeritas: videtur etiam apertior fieri differentia è geminatione copulæ epist. 3. lib. 9. ad famil. Varronem, *Valde id credo, laborandum est, ne, quum omnes in omni genere & scelerum & flagitiorum volutentur, nostra nobiscum aut inter nos cessatio vituperetur.* omne quidem scelus est flagitium, sed non contrà. Ideo minor est culpa in flagitio, quàm in scelere.

Ad verbum *Fuco.*] Pro *facere fucum* Demosthenes dicit orat. 2. ὀλινθ. ὅλως δὲ ἀδελφὸς ἐστιν, ὃν τινα οὐ πεφυκάπιπερ ἐκεῖνος τῶν αὐτῷ χρησαμένων. i. *deniq; nemo est eorum, qui si cum illo aliquid habuerit negotii, non ab ipso fraudatus sit.* quod est sumtum ab adulterima coma, quam Græci dicunt φονάκιλον ἢ ψυνίκιλον, περίβετλον, προσώμιον, Latini comam ascitam, & circumpositam, Galericulũ. Gall. *faut se perruque*: vnde verba φοναικίζειν pro decipere & fraudare.

Ad Enarrationem Dialecticam
odæ 4. lib. 4.

AD finem explicationis numeri 6. *Adhuc Poeta descripsit Drusum.*] Quò potest illud accedere ex Pindaro ὀλ. π. Ολυμπ.

—ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ πατὰρ πάλαι ἄνδρες ἐγένοντο. i.

Strenui autem & sapientes viri diuinitus existunt.

Ode tamen Νεμ. ια canit ad verba στροφ. γ.

Συμβαλεῖν λίαν ἐμμαρὲς ἦν τότε
Γεισάνδρου πάλαι αἷμα.
—ἀρχαῖαι δ' ἀρεταὶ
ἀμφέροντα, ἀλλασσόμεναι γενεᾶς
ἀνδρῶν ὄφενος. i.

Coniecturâ facilè erat percipere antiquum Pisandri sanguinem.
— antiquæ autem virtutes recuperant robur, quæ permutantur seculis hominum.

Significat Aristagoram esse ortum è genere Menalippi, quod ipsi paternum etiam erat: vnde vult confice re virtutes antiquorum restitui hominibus, alternantes robur per certas ætatum periodos: quod arguitur alternâ fœcunditate & sterilitate arborum & terræ. Itaq; Lyricus accusat hîc imbecillitatem iudicii in parentibus Aristagoræ; qui de virtute filii futurâ debuerant sic iudicare. Qui genus ducit à claris fortibusq; viris, vt Aristagoras, is ad summas natus est virtutes, ὡς τὰ πολλά. Interpretes vocant hoc argumenti genus à signis, quum à procreantium materia erutum sit. Aristoteles lib. 2. c. 5. & 6. Ethic de hac facultate naturali hoc scribit. Homines dicuntur quidem vim quandam & potestatem habere rerum benè & malè gerendarum à natura, non tamen viri probi aut mali ab eadem efficiuntur: hoc pugnat cũ fide Christiana; præditi verò habitibus, id est, virtutibus aut vitiis affines, illis nominibus rectè vocantur, πᾶσα γὰρ ἀρετὴ, ἥ τ' αὐτὴ ἀρετὴ, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτῦ εὖ ἀποδίδωσιν, οἷον καὶ τῦ ὀφθαλμῦ ἀρετὴ, τόνδε ὀφθαλμὸν ἀγαθὸν ποιεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτῦ. τῇ γὰρ τῦ ὀφθαλμῦ ἀρετῇ εὖ ὁρῶμεν ὁμοίως καὶ τῦ ἵππου ἀρετὴ ἵππον τε ἀγαθὸν ποιεῖ, καὶ ἀγαθὸν δραμεῖν, καὶ σὺν ἐπεῖν τὸν ἐπιβάτην, καὶ μένειν τοὺς πολεμίους. εἰ δὴ τοῦτ' ἐπὶ πάντων ἔστως ἔχει, καὶ ἡ τῦ ἀνθρώπου ἀρετὴ ἕξις ἂν εἴη, ἀφ' ἧς ἀγαθὸς ἄνθρωπος γίνεται, καὶ ἀφ' ἧς εὖ τὸ αὐτῦ ἔργον ἀποδώσει. id est, *omnis enim virtus illud, cuius fuerit virtus ipsum benè affectum efficit, & ita tale, vt opus ipsius reddat, ceu virtus oculi efficit oculum studiosum & bonum, & opus ipsius. Virtute siquidem oculi benè cernimus, similiter virtus equi facit equum studiosum & aptum ad cursum & ad sessorem vehendum, & ad hostes sustinendum: si igitur hoc ita se in omnibus habet, & hominis virtus erit habitus, cuius vi homo probus efficitur, atque vi eiusdem benè suum efficiet opus & officium.*

FINIS.

Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19